BEATI

PETRI CANISII

SOCIETATIS IESU

EPISTULAE ET ACTA

VOL. VII

BEATI
PETRI CANISII
SOCIETATIS IESU

EPISTULAE ET ACTA

COLLEGIT ET ADNOTATIONIBUS ILLUSTRAVIT

OTTO BRAUNSBERGER

EIUSDEM SOCIETATIS SACERDOS

VOLUMEN SEPTIMUM
1572—1581

CUM APPROBATIONE REVMI ARCHIEP. FRIBURG. ET SUPER. ORDINIS

FRIBURGI BRISGOVIAE MCMXXII

HERDER & Co., TYPOGRAPHI EDITORES PONTIFICII

BEROLINI, CAROLSRUHAE, COLONIAE, MONACHII, VINDOBONAE

LONDINI, S. LUDOVICI MO.

Imprimi potest

Coloniae, die 22. Aprilis 1922

Bern. Bley S. J.,
Praep. Prov. Germ. Inf.

Imprimatur

Friburgi Brisgoviae, die 15. Aprilis 1922

✠ **Carolus,** Archiep.

Protestatio editoris.

Ut legibus ab Urbano VIII. Summo Pontifice 13. Martii 1625, 5. Iunii 1631 etc. latis ac decretis Sacrae Rituum Congregationis satisfiat, editor profitetur: Quaecumque in hoc volumine narrantur de hominum illustrium virtutibus, miraculis, revelationibus, et si quae alia referuntur, quae naturae vim et condicionem excedere videantur, ita se velle intellegi, ut a privata tantum auctoritate profecta et humana tantum fide digna esse censeantur, nisi a sancta ecclesia approbata sint.

Typis Herderianis, Friburgi Brisgoviae.

CLARISSIMIS VIRIS IUVENIBUSQUE QUI

BUFFALI

IN COLLEGIO BEATI PETRI CANISII

LITTERIS OPERAM VEL DEDERUNT VEL DANT,

RELIGIOSISSIMAE ITEM

ALUMNORUM CANISIANORUM SODALITATI

BUFFALENSI,

QUORUM LIBERALITATE FACTUM EST,

UT HOC VOLUMEN, SUPERATIS REI PECUNIARIAE DIFFICULTATIBUS,

TYPIS EXSCRIBI POSSET,

IN PERGRATI ANIMI TESTIMONIUM

D. D.

EDITOR.

PRAEFATIO.

Atroci illo ac diuturno bello factum est, ut et complures codices librosque, qui ad hoc volumen componendum mihi utiles futuri erant, inspicere non possem, et ipsum volumen tardius typis exscriberetur, quam debuit. De rationibus eius et rebus in „prooemio“ dicturus, hoc loco ex animo gratias ago clarissimis archivorum et bibliothecarum praefectis, qui codices et libros in usum mihi tradiderunt, inprimis Coloniae, Maihingae, Monachii, Oeniponte, Romae. Illustrissimus quoque marchio Paulus de Colloredo-Mels liberalissime permisit, ut pretiosa quaedam archivi sui monumenta litteraria mecum communicarentur. Deinde grati animi significandi causa nomino Reverendissimum Dominum Doctorem Nicolaum Paulus. Diligenter etiam atque amanter variis in laboribus me iuvit R. P. Ioannes Baptista Mundwiler. Item multum debeo compluribus aliis Societatis nostrae sodalibus, inprimis RR. PP. Aemilio Mattern, Petro Tacchi Venturi, Leopoldo Waters, Ludovico van Miert, Theodoro van Rossum, Guilielmo Kratz, maxime autem RR. PP. Michaëli J. Ahern et Francisco Ehrle. Aliorum, qui et ipsi humanissime me adiuverunt, nomina suis locis ponam.

Exaten bij Baexem (Neerlandiae), d. 27. Aprilis 1922.

Editor.

I.

CONSPECTUS

totius voluminis et index chronologicus epistularum eius.

II.

PROOEMIUM VOLUMINIS SEPTIMI.

I. Epistularum et monumentorum numerus: II. Edendi ratio paululum immutata. III. Epistulas qui a Canisio acceperint et ad eum dederint. IV. Summa rerum huius voluminis: 1. Ecclesiae in Germania calamitates (clerus, principes, populus). 2. Restauratio catholica: Pontifices et nuntii apostolici; episcopi; catechetae; Ferdinandus II. archidux; Albertus V. et Guilielmus V. duces; alii principes et proceres etc.; scriptores. 3. Res Societatis Iesu: Libelli famosi; alia impedimenta externa; confessarii principum; 5%; varia Sociorum errata; fautores; collegia. 4 Res Canisii: Consuetudo cum nuntiis apostolicis, episcopis, principibus; orationes sacrae; virtutes: querelae; laudes; missio friburgensis.

Numeri arabici uncis inclusi, qui a capite IV. singulis fere sententiis addentur, ostendent, in quibus libri paginis singula illa facta etc. potissimum commemorentur.

I. In hoc volumine sunt epistulae epistularumque summae 314 (n. 1769—2082); ex quibus sunt epistulae 193 et epistularum, quae perierunt, summae sive „regesta" 121. His accedunt acta sive monumenta canisiana 182 (n. 1089—1270).

Ex epistulis (additis epistularum summis) 172 a Canisio vel eius nomine, 141 ad Canisium datae sunt.

Ex 193 illis epistulis (de regestis hic nihil dico) erant, quod equidem norim,

nondum typis vulgatae	125,
integre vulgatae	28,
ex parte vulgatae	40.

Epistularum earundem sunt 170 latinae, 12 germanicae, 7 italicae, 2 neerlandicae, 2 gallicae.

Numerus monumentorum, adnotationum, commentariorum ex fontibus, quod sciam, nondum vulgatis exscriptorum est fere 980.

II. Et Canisii epistulae, et eae, quae ad Canisium datae sunt, ponentur omnes, quotquot exstant, eaeque integrae, ne uno quidem vocabulo omisso. Ceterum editor eam sequetur edendi rationem, quae in prooemio voluminis quinti (*Canisii* Epistulae V xv) descripta est; attamen, cum omnino constet, hoc opus octo voluminibus, quibus nonum pro supplemento addatur, absolvendum esse, hoc volumen numerum annorum duplo maiorem, quam volumen sextum, complectatur oportet. Propterea

a) Multa, quae nova, pulchra, cognitione digna neque tamen ad epistulas hasce illustrandas adeo necessaria sunt, omittentur.

b) Multa alia digna quidem sunt, quae singillatim seorsumque in „monumentorum“ serie ponantur, sed cum epistulis singulis ita coniungentur, ut earum vel praefatiunculae quaedam vel commentariola sint; ita enim haec ad epistulas explicandas valebunt et per epistulas explicabuntur; praeterea brevitati consuletur et spatio parcetur.

c) Brevitatis et perspicuitatis gratia monumenta iam non primum per loca, deinde per tempora distinguentur, sed solo temporum ordine ponentur; id quod recte vir quidam doctus commendavit (Dr. *J. Schmidt,* in libello periodico „Der Katholik“, 94. Jahrg. I, Mainz 1914, 224). Quo facilius tamen monumenta singulorum locorum (alsatica, antverpiensia etc.) inveniri possent, ea in „Conspectu totius voluminis“ (supra p. XV—XVI) alphabetico ordine cum suis numeris commemoravi.

Hoc quoque moneam necesse est: Orationum sacrarum a Canisio hoc tempore habitarum plurima supersunt commentaria a Canisio vel scripta vel dictata ac recognita; quae tamen lectu difficilia et per multos codices incerto nonnunquam ordine dispersa sunt; praeterea multis eorum nec locus ascriptus est nec tempus; unde mirum non est, ea adhuc usque paene sepulta iacuisse. Ex his igitur commentariis, quoniam integra vulgari non possunt, saltem, quando, ubi, quibus de argumentis Canisius dixisset, erui, et eas partes vel particulas, quae ad mores consuetudinesque illius aetatis et ad Canisii ingenium operamque cognoscenda utilia esse videbantur, excerpsi.

III. Ut intellegatur, cuius generis epistulae et monumenta huius voluminis sint, primum praecipua ponam nomina eorum, qui epistulas vel a Canisio acceperunt vel ad eum dederunt: Gregorius XIII. Pont. Max.; cardinales: Ptolemaeus Gallius (Comensis) pontificis secretarius maior („secretarius status“); Stanislaus Hosius poenitentiarius maior; Ludovicus Madrutius episcopus princeps tridentinus; Ioannes Moronus episcopus ostiensis et legatus pontificius; Scipio Rebiba inquisitor; Marcus Sitticus ab Hohenembs episcopus constantiensis; Guilielmus Sirletus; Otto Truchsess a Waldburg episcopus princeps augustanus; nuntii apostolici: Ioannes Franciscus Bonhomius episcopus vercellensis; Ioannes Delphinus episcopus brixiensis; Bartholomaeus de Portia; his accedunt Ioannes Gebhardus Truchsess a Waldburg archiepiscopus et princeps elector coloniensis; Iulius Echter a Mespelbrunn episcopus princeps herbipolensis; Ernestus Bavariae princeps et episcopus frisingensis; Guilielmus Lindanus episcopus ruraemundanus; Ioannes Thomas a Spaur, coadiutor episcopi brixinensis (postea episcopus brixinensis); Balthasar a Dernbach O. S. B. abbas princeps fuldensis; Franciscus Sporenus O. Fr. Min. commissarius apostolicus; Ferdinandus II. archidux et Austriae superioris princeps; Albertus V. et Guilielmus V. duces Bavariae; Eleonora Austriaca uxor ducis mantuani; Philippus de Freyberg decanus cathedralis capituli constantiensis; Adamus ab Arz vicarius generalis brixinensis; Everardus Mercurianus praepositus generalis Societatis Iesu; Oliverius Manareus primum assistens praepositi generalis, deinde vicarius generalis Societatis; Hieronymus Natalis et Ioannes Alphonsus de Polanco Societatis vicarii generales; Antonius Possevinus Societatis secretarius; Alphonsus Salmeron praepositus provinciae neapolitanae S. J.; Hermannus Thyraeus praepositus provinciae rhenanae; Henricus Blyssemius et Laurentius Magius

provinciales Austriae; Paulus Hoffaeus provincialis Germaniae superioris; Georgius ab Ilsung praefectus caesareus Suebiae; Constantinus Lyskirchen reipublicae coloniensis consul; Laurentius Surius Ord. Cart., Nicolaus de Bobadilla S. J., Franciscus Turrianus S. J., Petrus de Ribadeneira S. J., Ioannes Rethius S. J., Christophorus Plantinus architypographus antverpiensis.

IV. Volumen hoc a mense Ianuario anni 1572 ad Ianuarium a. 1581 procedit et multa litterarum monumenta continet, quibus cum universa Germaniae et Helvetiae historia ecclesiastica illustratur, tum rebus Societatis Iesu, inprimis vitae Canisii, novum lumen affertur. En praecipua capita:

1. Decennium hoc (1572—1581) erat tempus progredientis instaurationis catholicae. Concilium tridentinum, „eximium Dei beneficium", ut Canisius ait (82), „Ecclesiae collatum", multos iam fructus protulerat; sed multa supererant praestanda. Propterea Canisius a. 1576 suasit, ne quis a pontifice confirmaretur episcopus, nisi haec spopondisset: Visurum se, ut theologus aliquis et canonista semper sibi adessent; nec sacerdotes, qui uxores haberent, nec confessarios, qui peccata singillatim sibi aperiri non iuberent, a se admissum iri; abolituros se communionem sub utraque specie, et instauraturos, sicubi in desuetudinem venisset, usum sacramentorum confirmationis et extremae unctionis. Ita Canisius (364). Rem autem maxime necessariam esse reformationem cleri, inprimis capitulorum cathedralium, anno 1573 tum Ferdinandus II. archidux tum Albertus V. dux Canisio a Gregorio XIII. ad se misso testati sunt (114 115). Canonici cathedrales milites potius erant quam clerici; nec mirum; nam ex nobilitate sumebantur germanica, quae moribus erat corruptis (363). Neglectum quoque iacebat munus oratorum sacrorum; libri enim contionum, qui tunc maxime usitati erant, velut postillae Clingii, Feri, Schopperi, Vicelii, fere ante concilium tridentinum conscripti erant et ita compositi, ut doctrina „sincera et tuta" haud raro in iis desideraretur (549 606); plerique contionatores, ait Canisius, ea proferre solent, quae hominibus placeant, multum de Dei misericordia et Christi meritis loquentes, pauca vel nihil de doctrinae capitibus in controversiam vocatis, ut de paenitentia, primatu pontificis, potestate episcoporum dicentes, sive ignorantia, sive metu ducuntur (606). Hoc etiam incommodum erat, quod non solum parochi, sed etiam episcopi et nuntii apostolici amplis ad absolvendum et dispensandum facultatibus destituti erant (214 362 648). Deerant sacerdotes; Canisio coadiutor brixinensis scripsit: Penuria laboramus sacerdotum, „qui aliquid sciant; hinc omne malum oriri" videmus (98). Neque praesto erant seminaria eo numero, qui ad novos sacerdotes suppeditandos sufficiebat. Monasteria visitatione et reformatione indigebant (360 361). „Status monasticus extremum nobis interitum minatur", inquit Canisius a. 1576 cardinali Morono scribens; quare in iisdem litteris instabat, ut episcopi seminariorum suorum alumnis non solum ingressum in ordines religiosos permitterent, sed etiam ad ingrediendum „calcar adderent" (360 365). In ipsis ecclesiae capitibus aliqua apparebant, quibus hominum animi merito offendebantur. Salentinus ab Isenburg archiepiscopus coloniensis, ut officio abire et uxorem ducere posset, diu petiit et tandem impetravit (116). Iulius Echter episcopus herbipolensis ad Balthasarem a Dernbach abbatem principemque fuldensem, virum optimum, loco movendum cum nobilitate protestanti et pravis aliquot monachis conspiravit et eo per vim dolumque pulso terrae illius administrationem suscepit (336). Ernestus Bavariae princeps atque episcopatuum frisingensis et hildesiensis administrator Romae noctu ad meretricem accessit et, reditu in aedes suas intercluso, ex urbe aufugit: id quod P. Francisci Toleti S. J., quem pontifex Ernesto iuveni praeceptorem dederat, indulgentia et „imprudentia" factum esse multi putabant; Toletus ambitiosus esse et cardinalitiam dignitatem quaerere

dicebatur; quem tamen Gregoris XIII. honorificentissimis litteris purgare studuit (315—317). Alterius generis difficultates oriebantur ex Ioanne Francisco Bonhomio episcopo vercellensi; vir ille doctus, pius, cum S. Carolo Borromaeo amicitia iunctus, in Societatem Iesu beneficus, cum a pontifice nuntius et visitator in Helvetiam missus esset, acri suo reformandi studio non solum sacerdotibus monachisque malis, sed etiam laicis multis, qui optimae voluntatis erant, „exosum" se reddebat. „Utinam", inquit Canisius, „in quibusdam ille sic suum obeat munus, ut nostram et ecclesiae causam non impediat magis quam provehat!" (536—539 597).

„Nobiles et principes catholici", ita a. 1576 Canisius queritur, „res et personas ecclesiasticas supra modum premunt et affligunt, ut passim videre est" (364). Ferdinandus II. Tirolis princeps episcopum tridentinum in rebus civilibus imperio suo subiectum esse ratus, terras, quibus ille more maiorum imperabat, occupavit; conatus autem pacis conciliandae causa suscepti omnes irriti fuerunt; urbs tridentina facta est, ut Canisius ait, „spelunca latronum" (11 345). Iuvenes germani depravabantur in universitate patavina, in qua liberum erat de religione disputare et ecclesiae institutis palam repugnare (290). Aliae quoque universitates italicae Germanis sive doctis sive indoctis gradus academicos et in theologia et in iure conferebant, nil curantes, cuius religionis essent; qui deinde in Germania catholicis dedecori et detrimento erant (305). In urbem coloniensem Geusii irrepebant (25 399). Homines etiam catholici de ecclesia romana, episcopis, clero universo saepe maledice loquebantur; sacerdotes nostri mali sunt, aiebant; ideo iis obtemperare non debemus (723 811). Pessime audiebant aetatis illus milites conducticii; quorum blasphemias, ebrietates, rapinas obiurgare Canisius non cessabat (709 717 721). Singulari ratione in hoc volumine traditur, quo loco in Tiroli religio et mores fuerint. Haud raro magistratus inferiores ad exsequenda ea, quae archidux fidei et pietatis causa constituit, segnes sunt (638 743). Catholici inveniuntur, qui diebus esurialibus palam carnibus vescantur et diebus sacris palam opera prohibita faciant (743). Vicinis, ait Canisius, „crapula" nostra offensioni sumus (628). Neque ita parvus numerus eorum fuisse videtur, qui fenus iniquum excercebant (617 619 623 708 717). Pauperes saepe „sine lux et crux" sepeliebantur, perinde ac si christiani non essent; divites vero ostentationis causa immodica cum funeris pompa efferebantur (681 727). In iuventute immodestia, protervitas, impietas, morum dissolutio cernebantur (631).

2. Huiusmodi malis mederi studebant inprimis pontifices romani. S. Pius V. paullo antequam moreretur, hanc ultimam sui in Germanos amoris significationem edidit: Militibus germanis, qui Messanam cum classe ad Turcas expugnandos comparata venerant, Roma Societatis sacerdotem germanum misit, omnium peccatorum, ne uno quidem scelerum genere excepto, remittendorum potestate instructum (13). In Pii locum vix suffectus erat Gregorius XIII., cum Canisium et alios quosdam Societatis sodales cito secretoque ad se perscribere iussit, quomodo res religionis in Germania se haberent, et quibus rationibus haeretici ad ecclesiam reduci possent; quaerendas autem esse rationes clementes („mezzi suavi"), non acres sive militares (104). Paullo post Gregorius Canisio mandavit, ut principes Austriae superioris et Bavariae atque archiepiscopum salisburgensem adiret et pontificis nomine interrogaret, quemadmodum religio iuvari posset; quo facto Romam veniret et iis de rebus ad se referret (106). Item pontifex cum cardinalis Truchsessii et aliorum suasu, tum Canisio auctore Romae collegium germanicum magnifice dotavit; cum autem in Germania paene solos nobiles canonicatibus et episcopatibus potiri cognovisset, nobilium adulescentum institutioni idem collegium assignavit (136 396 665). Canisio monente in ipsa Germania seminaria sive „alumnatus" Vindobonae, Graecii, Braunsbergae, Fuldae, Dilingae condidit (359). Eiusdem Canisii et aliorum aliquot Sociorum rogatu in Germaniae et aliarum regionum septentrionalium gratiam amplas facultates sacras concessit; in quibus hae erant: Socios a praeposito generali designatos etiam peccata pontifici reservata remittere posse, et Societatis praepositos non solum Sociis, sed etiam sacerdotibus aliis potestatem facere posse

absolvendi homines ab haeresi et legendi libros prohibitos (675 676). Magnopere Gregorius cupiebat Augustum Saxoniae principem electorem ecclesiae reconciliare; cuius tamen rei spem exiguam esse a Bavariae et Tirolis principibus per Canisium certior factus est (117 246); ac cum a Canisio Romam relatum esset, Centurias Magdeburgenses „avide" legi ideoque catholicos valde optare, ut opus illud refutaretur, congregatio cardinalium „germanica" decrevit, ut ea refutatio Romae institueretur (683); id quod postea per Caesarem Baronium effectum esse constat. Libros protestantium Canisius iussu pontificis Augustae emptos Romam misit (108 110). Canisio ipsi ad librum de Beata Maria Virgine conscribendum cardinalis Sirletus, homo doctissimus, varia litterarum monumenta nondum typis exscripta, inprimis Sanctorum Patrum sententias graecas, subministravit (488). Ad eundem librum et alia quaedam opera excudenda pontifex, a Canisio rogatus, Davidi Sartorio ingolstadiensi privilegium typographicum tribuit (354). Nuntios apostolicos Gregorius misit complures. De Gasparo Groppero in Germaniam inferiorem misso et Bartholomaeo de Portia in Germania superiore morari iusso Canisius 10. Maii 1574 ei scripsit: „Res ipsa fateri cogit, eorum adventum nostris hominibus multum profuisse; qui eo et chariores et utiliores in his regionibus esse pergent, quo diutius in hoc praeclaro munere confirmabuntur" (213). Institutionem collegiorum Societatis Iesu pontifex et per nuntios apostolicos et aliis rationibus adiuvabat; ita ad collegium Fuldae condendum abbati fuldensi monasterium Franciscanorum a viginti annis desertum dedit (90 [3]); ita rogatu cardinalis Truchsessii et Fuggerorum collegio Augustae Vindelicorum constituendo monasterium S. Crucis, quod canonicorum ordinis augustiniani paucorum et male viventium erat, designavit, et cum huic consilio impedimenta allata essent, Portia pontificis nuntius Augustam venit et rei exsecutionem urgebat; magnopere enim referre, ut Societas Augustae collegium haberet (100 125 279); et cum Marquardus episcopus augustanus se, quod episcopatus aere alieno paene opprimeretur, collegio dilingano 600 florenos annuos, quos aerarium episcopale dare solebat, dare posse negasset, cardinalis Moronus per nuntium apostolicum ei persuasit, ut saltem 300 daret; reliquos 300 Moronus ipse dedit (354); Bonhomium nuntium apostolicum collegii Societatis Friburgi Helvetiorum „fundandi praecipuam causam" fuisse et eidem „singularem curam" impendisse Canisius testatus est; idem Bonhomius una cum senatu friburgensi effecit, ut Gregorius XIII. monasterium marsense, in quo pauci canonici praemonstratenses „licentiose" vivebant, collegio friburgensi attribueret (598 866).

Pontificis exemplum imitati sunt complures episcopi Germaniae. Iulius Echter episcopus herbipolensis locis imperio suo civili subiectis religionem catholicam, ministris acatholicis expulsis, restituit, universitatem condidit, seminarium amplificavit, clericis recitationem divini officii inculcavit (335). Martinus a Schaumberg episcopus eystettensis a Canisio vir „rarae pietatis" vocatur (401). Litteras pastorales, quibus S. Carolus Borromaeus archiepiscopus mediolanensis ante iubilaeum anni 1575, quam praeclara esset urbs romana et quantopere eadem locis reliquiisque sacris abundaret, fidelibus declarabat, Canisius, cui Roma missae erant, Ioanni Egolpho episcopo augustano ostendendas curavit; qui eas ex italico sermone in latinum et germanicum translatas Dilingae iussit typis exscribi (247). Ioannes Thomas a Spaur coadiutor brixinensis sua sponte clero „ordinem audiendi confessiones" misit; et cum Canisius eum per litteras monuisset, in sacra eucharistia danda et sumenda perperam fieri aliqua, respondit, se remedii malis illis afferendi modum a Canisio propositum parochis omnibus praescripturum esse (21). Archiepiscopus salisburgensis seminarium, quod erat instituturus, Societati obtulit regendum (394). Cardinalis Marcus Sitticus ab Hohenembs episcopus constantiensis catechismi canisiani iussu suo iterum excusi multa exempla per episcopatum disseminavit et parochis imperavit, curarent, invocata, si opus esset, etiam magistratuum civilium ope, ut Canisii catechismus isque solus in omnibus scholis explicaretur (765). Similiter Marquardus a Berg episcopus augustanus decrevit, ut Canisii catechismus iussu suo latine et germanice excusus non solum in scholis a magistris, sed etiam in ecclesiis a parochis explicaretur (821).

Cum urbs forchhemiensis per Socios sacris ministeriis exculta esset, catechismo Lutheri ex eius scholis eliminato, multi catechismi canisiani impensis Viti a Würzburg episcopi bambergensis distributi sunt (687). Varmiensis quoque synodus dioecesana librum illum singulis annis populo explanari iussit (748); et praeclara studiorum ratione a Petro Schnewly praeposito friburgensi conscripta, quae „Katharinenbuch" vocatur, idem catechismus in omnes helveticae illius reipublicae scholas inductus est (766).

Inter laicos, quibus instauratio catholica cordi erat, eminebant Ferdinandus II. archidux Austriaeque superioris princeps atque Albertus V. et, qui in eius locum successit, Guilielmus V. Bavariae duces. De Ferdinando Canisius a. 1576 ad cardinalem Moronem rettulit: Est „catholicus et catholicae religionis amans, ut paucos in Germania sibi pares habeat. Inter austriacos principes nullus magis punit et eiicit haereticos, nullus tot Catholicis consiliariis utitur, neque aulam minus habet infectam et magis catholicam" (344). Initio anni 1572 Ferdinandus mandatum promulgari iussit, quo Tirolenses omnes monebantur: Famem, pestilentiam, terrae motus, quibus premerentur, peccatorum poenas divinitus inflictas esse; ideo omnibus prohiberi, ne proximo Bacchanalium tempore saltatum irent neve lautius epularentur neve larvas sibi aptarent (614). Alio praecepto archiducis (una cum episcopo, ut videtur, dato) omnes adigebantur ad sacramentum extremae unctionis, cum graviter aegrotarent, suscipiendum; quo neglecto fore, ut christiano ritu non sepelirentur (717). Magna diligentia Ferdinandus cultum sacrae eucharistiae tuebatur. Mense Iunio a. 1572 Canisius Oeniponte e sacro suggestu questus erat, sacerdotes corpus Domini ad aegrotos deferentes relinqui solos; esse eos, qui vix caput nudare auderent; esse alios, qui riderent. Verum proximo iam mense archidux edixit, ut Oenipontani Dominum comitarentur et, quotquod ei obviam facti essent, utrumque genu flecterent; postea per universam Tirolim constituit, ut ex singulis domibus saltem unus sacerdoti se comitem adiungeret (638). Item cum in Tiroli nullus locus piis fidelium peregrinationibus magis frequentaretur, quam Sefeldia, ubi sacramentum sive hostia miraculis celebris colitur, Ferdinandus, quia frequentia illa paullatim minuebatur, Canisium et Klöcklerum cancellarium Sefeldiam misit, ut omnia diligenter inspicerent et, quibus rationibus ea peregrinandi pietas conservari et augeri posset, ad se consiliariosque referrent; id quod illi praestiterunt, copioso commentario (qui nunc primum vulgatur) conscripto; in quo hoc memoratu dignum est, quod indulgentias 1000, 2000, 3000 annorum a pontifice peti cupiebant (161); deinde archidux, praeter multa alia, quae huius rei gratia praestitit, librum de sacra hac peregrinatione componendum curavit; quem cum Canisius praefatione ornasset et eleganter excudendum curasset, archidux exemplorum 2000 per Tirolim sparsit (533 828); qui quamquam Sociis oenipontanis nonnumquam succensebat, multis tamen eos beneficiis afficiebat et de rebus gravissimis consulebat (283 629); idem in Austria antica collegium Societatis condere statuit (712). De Alberto V. Bavariae duce Canisius Everardo Mercuriano Societatis praeposito generali testificatus est: „In Germania nullus facile reperietur Maecenas, qui tanta, quanta ille, benevolentia et liberalitate nostros prosequi velit et possit" (322). Albertus marchionatum badeno-badensem per Societatem ecclesiae restituit (10[4]), Monachii contubernium iuvenum litteris operam dantium Societati tradidit regendum, Ingolstadii paedagogium et cursum philosophicum eius curae demandavit; in qua urbe seminarium instituit alumnis ad sacerdotium parandis (203 320 324 421). Pari atque etiam maiore pietatis atque beneficentiae laude Guilielmus V. et Renata uxor eius florebant; ita, ut exemplum ponam, Canisius testis est, Guilielmum a. 1578 et sibi et coniugi et aulicis severum ieiunium Quadragesima tota indixisse et servasse, numquam cuiquam, nisi Dominico die, praebita cena (443).

Guilielmus Cliviae, Iuliaci, Montium dux, cum diu in religione claudicasset, ad officium paullatim rediit; qui circa a. 1578 praecepit, ut calviniano Monhemii catechismo ex gymnasio dusseldorpiensi eiecto catechismus Canisii Dusseldorpii typis exscriberetur et in gymnasio explicaretur; rem deprecati sunt nobiles iuliacenses et

montenses; sed dux mandato stetit (799). Vindobonae Ernestus archidux, qui Rudolphi II. caesaris nomine imperabat, haereses omnes fortiter reprimebat; senatum autem urbis iussit curare, ut omnes scholarum germanicarum magistri magistraeque solum catechismum Canisii pueris traderent, scientes se, si secus facerent, loco movendos esse (511 804). Halae in Tiroli Serva Dei Magdalena Ferdinandi I. imperatoris filia et Helena soror Canisio iuvante confraternitatem sacratissimi rosarii in collegii sui templo instituerunt (680) et Societatis collegium a se conditum foverunt; bibliothecae collegii Magdalenam melius prospexisse quam reliquos collegiorum fundatores Hoffaeus provincialis affirmavit (298 546). Res a muliere germana extra Germaniam optime gestas narravit Canisius in oratione funebri de Barbara, una ex Ferdinandi I. caesaris filiabus, quae duci ferrariensi nupserat, habita; a Ferrariensibus illa valde et amabatur et laudabatur; saepe sacramentis ecclesiae se muniebat; cotidie duas tresve missas audiebat; morti vicina librum illum „De arte moriendi“ sibi legi volebat, et cum domestici plorantes eius lectum circumstarent, ipsa eos consolabatur; mortuam esse matrem suam pauperes dictitabant (642)[1]. Urbes aliquot in mediis fidei periculis versantes eximia constantiae exempla praebuerunt. Ita civitas coloniensis Geusios expulit, etsi pro iis quattuor principes eam deprecati erant (25). Noviomagi plus 50 viri, quorum primus erat prior Dominicanorum, a senatu urbis petierunt, ut Societatis homines in urbem admitteret (36). Urbs rotvilensis tres iuvenes selectos Romam in collegium germanicum misit (178). Wilae (Weil der Stadt), urbis in media protestantium terra sitae, cives in fide catholica perstare statuerunt (685). Sodalitatem marianam Coloniae a P. Francisco Costero institutam Canisius per litteras laete salutavit, vehementer laudavit, blande ad animos virtutibus excolendos adhortatus est (422). Ingolstadii quoque, Canisii hortatu, similis sodalitas nata est (778). Ad sodalitatem halensem Canisius orationem habuit (829). Ex protestantibus ad ecclesiam redierunt viri aliquot spectati, velut Ioannes Brunner, Turgaviensium zwinglianorum minister, qui Canisii opera interposita in universitate ingolstadiensi magistri munus consecutus est (112), et Sebastianus Flasch, Lutheranorum in Palatinatu contionatur, homo eruditus et sagax, cui cum familia sustentando Canisius operam dabat (396). Anno 1577 sex iuvenes sueci, scholae contuberniique a P. Laurentio Norvego S. J. Holmiae clam instituti primi flores, Oenipontem venerunt, inde Romam in collegium germanicum profecturi; quos Canisius, quia Italia pestilentia urebatur, ad tempus Dilingam misit; ubi quattuor ex iis (duo reliqui erant catholici) a Sociis ex Lutheranismo in ecclesiam recepti sunt (413 420).

Ut ad rem litterariam transeam, in Germania inferiore consilium initum est, ut Patres graeci „repurgarentur a versionibus haereticorum“ (53); quare Colonia 16. Martii 1574 P. Ioannes Rethius S. J., regens gymnasii Trium Coronarum, ad Canisium rettulit, 16 viros doctos, et in his Marcum Antonium Muretum, operam suam obtulisse, et aliquos eorum opus iam esse aggressos (198). Laurentius Surius, Cartusianus coloniensis, opus „De probatis Sanctorum historiis“ sex voluminibus absolvit; et Canisius hunc viri „praeclare meriti“ et sibi amicissimi librum, quo „certo ornari ecclesiam“ censebat, pontifici tradendum curavit; a cardinale autem Ludovico Madrutio petiit, ut eidem operi amplificando iterumque edendo monumenta Romae colligeret; vitas enim Sanctorum typis vulgare „historiarum genus laudatissimum et utilissimum“ esse (217 292). Ea de causa Canisius etiam Petro Ribadeneirae S. J. multas adnotationes ad vitam Ignatii Loiolae Neapoli a. 1572 ab eo editam misit; quae relationi Ribadeneirae et magnam fidem afferunt, et complures res novas adiiciunt; ac Ribadeneira in libri editione Matriti a. 1583 facta, quam multae aliae secutae sunt, iis, quae Canisius de rebus a Beato Petro

[1] Historicis utilis esse potest etiam oratio funebris a Canisio habita in exsequiis Catharinae reginae Poloniae, quae et ipsa Ferdinandi I. filia fuerat et multas sustinuerat aerumnas (634). De Helena quoque, quam supra dixi, Canisius orationem funebrem habuit; sed haec fere tota interiit (710).

Fabro in Germania gestis narraverat (ubi Fabrum cum Bucero et aliis fecit congressum; id quod nuper in controversiam vocatum est), copiose est usus; alia tamen neglexit, ea maxime, quae de P. Nicolao Bobadilla erant (quem Canisius in Germania „ingentes labores" exantlasse et in comitiis pro ecclesia „gnaviter" pugnasse dixerat) (260 261). Acta et decreta conciliorum nicaeni et ephesini Pisanus et Peltanus, Societatis sodales, Dilingae et Ingolstadii accurate ediderunt (222 756). Colonienses actorum conciliorum omnium a Surio vulgatorum novam editionem parabant; quare Canisius per litteras petiit, ut Romae aliquis constitueretur, qui operi illi locupletando „ex professo" vacaret (293). Georgius Eder et Ioannes Fickler, principum consiliarii iuris periti, libris „Evangelische Inquisition" et „Theologia iuridica" conscriptis pro catholicorum iuribus strenue propugnaverunt (142 663). Cum Andreae de Vega Franciscani hispani et theologi tridentini liber „De iustificatione" in Italia admodum mendose excusus esset, Canisius et prospexit, ut insigne hoc opus Coloniae a. 1572 iterum excuderetur, et in longa praefatione editioni huic praeposita Bartholomaeum Laurentem, typographiae quentelianae correctorem, valde laudavit, quod in eo libro „recte et castigate recudendo" plurimum laborasset; ut enim, ait, ii reprehensione digni sunt, quorum vitio fit, ut bonorum auctorum scripta „neglecte admodum excudantur: sic eximiam et publicam praedicationem illi promerentur, qui egregios aliorum labores bona fide in publicum efferunt, ac emendate curant excudi" (82 641). Ex eadem typographia a. 1577 P. Ioanne Hasio S. J. curante et Canisio iuvante „Opus catechisticum" sive „Authoritatum Sacrae Scripturae et Sanctorum Patrum, quae in Summa doctrinae christianae Doctoris Petri Canisii . . . citantur", editio amplificata prodiit; quae duobus annis post Parisiis et deinceps saepius vulgata est et initio saeculi XVII. Wolfgango Guilielmo Palatino, duci neoburgensi et iuliacensi, praecipua redeundi ad ecclesiam causa fuit; ex qua conversione ecclesiam catholicam maximam cepisse utilitatem omnes norunt (766 768 803). Magnum detrimentum res catholica accipere poterat ex Martini Chemnitii theologi lutherani „Examine concilii tridentini" fabulis referto et simul speciem eruditionis prae se ferenti; quod cum perspexisset Canisius, et Morono cardinali, et Portiae nuntio apostolico, et Mercuriano praeposito generali instabat, ut Chemnitium refellendum curarent; idcirco Mercurianus librum Chemnitii ad doctissimum illum Didacum Payvam de Andrada misit; qui egregiam illius scripsit refutationem (240 362 683). Adversus Centurias autem Magdeburgenses Canisius ipse annis 1569—1577 grande illud opus „De Maria Virgine incomparabili et Dei genitrice sacrosancta", quo contra omnes Mariae honorem minuere quocumque tempore conatos „bellum marianum" gerebatur, summo cum labore composuit, „nunquam sibi satisfaciens" ideoque scriptoribus, censoribus, typographis incommodans (763 776 785 787); libro tandem in lucem emisso cardinalis Stanislaus Hosius auctori scripsit: „Vix quisquam est, a quo magis" sanctissima virgo „fuerit illustrata" (435). Plura de hoc libro in proximo volumine dicentur; hoc tantum noto: Canisius in eo tum famosum illum exorcismum suum ottinganum defendit, tum exorcismos ecclesiae universos tutatus est et divina esse testimonia demonstravit (659). Deinde, ut nihil dicam de variis Canisii operibus, velut libro precationum germanico, epistolis evangeliisque dierum sacrorum, epistolis hieronymianis etc. hoc tempore iterum editis, catechismi canisiani annis 1572—1580 minimum 55 editiones factae sunt; liber editus est Annessiaci, Antverpiae, Augustae Taurinorum, Coloniae, Compluti, Cracoviae, Dilingae, Dusseldorpii, Holmiae, Ingolstadii, Leodii, Mediolani, Monasterii Westphalorum, Novariae, Parisiis, Pragae, Romae, Salmanticae, Ultraiecti, Venetiis, Veronae, linguis bohemica, britannica (761), gallica, germanica, hispanica, italica, latina, suecica (801), vlamica; explicabatur in seminariis archiepiscopatus mediolanensis a S. Carolo Borromaeo conditis, in Societatis collegio romano, in Societatis collegiis gallicis, in Transsylvania, in Creta (Candia), in Indiis (748 753 758 803 820) [1]. Coloniae

[1] Canisius, inquit *Leopoldus Zscharnak*, berolinensis professor acatholicus, „überragt durch seine Thätigkeit als katechetischer Schriftsteller all seine Glaubens-

etiam complures typographi et bibliopolae de ecclesia bene merebantur; ut Gervinus Calenius, qui doctorum opera magnis suis sumptibus edidit, et Birckmanni, qui opera S. Bernardi suis impensis Antverpiae excudenda curarunt, et Maternus Cholinus (242 401 767). Dilingae in Sebaldi Mayer et Ioannis filii typographia, praeter multos alios libros, insignis illa „Defensio quinque capitum concilii florentini", quae tunc cum nomine Gennadii patriarchae constantinopolitani circumferebatur, iterum, Canisio intercedente, prelo subiecta est (569). Ingolstadii autem Davidis Sartorii typis Ioannis Medinae clarissimi theologi complutensis opus „De poenitentia, restitutione et contractibus" primum in Germania editum est (580). Neque officio deerat Christophorus Plantinus antverpiensis, omnium illius aetatis typographorum princeps, qui et ad Patres graecos vulgandos operam suam offerebat ita, ut quartam impensarum partem ipse toleraret (199), et in Canisii libros nitide excudendos atque figuris etiam aeneis illustrandos incumbebat. „Libenter", inquit Plantinus ad Canisium scribens, „paulatim quicquid potero et quoad vixero, in gratiam religionis christianae praestare conabor" (138 169). De Iesuitis aliquando Guilielmus Hassiae landgravius acatholicus hanc protulit sententiam: Quo non possunt ipsi venire, per libros suos penetrant (697). Germaniae certe superioris Socii in congregatione provinciali, cuius magna pars Canisius erat, non solum de theologia dogmatica, morali, biblica libros quosdam edendos esse affirmarunt, sed etiam ad libros philosophicos et grammaticos scribendos sodalibus calcar admoverunt (653); ac Canisius — id quod superioribus quoque temporibus fecerat — supremos Societatis moderatores semel atque iterum rogavit, ut Socios deligerent, qui scribendi munus proprium haberent; id enim esse „institutum pium, sanctum, praeclarum", paene necessarium, „nostris hominibus dignum", a Societatis praepositis fovendum (17 51 237). Canisium ipsum hoc munere magna industria et diligentia functum esse, satis mihi videor ostendisse. Hoc solum addam: Ne ecclesiam defendens auras frustra verberaret, adversariorum quoque libros legebat; cui rei argumento esse potest, quod in una illa epistula dedicatoria, quam Vegae libro praeposuit, ex 24 libris theologorum protestantium testimonia protulit (62—84). Eandem diligentiam ab aliis, a sodalibus maxime, exigebat. Propterea de „Commentario brevi rerum in orbe gestarum" a Surio composito 24. Iunii 1576 Socio cuidam coloniensi scripsit: „Audimus eum non ab omnibus probari, et optaremus maturius quaedam ab ipso conscribi, quia non quam multum, sed quam bene scripseris, videndum est" (218). Item, cum mirae sanitatum gratiae, quas Deus fidelibus Sefeldiam peregrinatis tribuere solebat, litteris consignandae essent, Canisius monuit, ut valde circumspecte et prudenter id ageretur; interrogandos esse homines, quando, ubi, quomodo res facta esset; testimonia magistratuum requirenda; nec quicquam in eo libro scribendum esse, nisi quod „proprie" miraculum fuisse intellectum esset; quod nisi fieret, fore, ut et relationes illae existimarentur fabulosae, et sanitates viribus naturae dicerentur esse effectae (186). Librorum censores in Societate Canisius cupiebat esse „exactos" et „sedulo" officium administrare (510). Displicebant ei libri aliqui a Gregorio de Valentia S. J. theologo clarissimo contra Heerbrandum lutheranum editi, quod Valentia in iis „limites modestiae excederet"; nescio, ait, ad quid huiusmodi scripta prosint (510). Simili ratione, cum in visitatione collegiorum Societatis bibliothecas perlustraret, libros quosdam a P. Ioanne Naso O. F. M. calamo acuto contra Lutheranos scriptos arca includi iussit, selectis tantum Sociis permittendos (781). Guilielmus V. Bavariae dux vix coeperat regnare, cum ex Canisio quaesivit, quomodo libri pravi Bavaria arceri possent. Respondit ille (quae litterae nunc primum integrae vulgantur), leges de libris superiore tempore latas vitiis aliquot laborare. Non est bonum, ait, quicquid locis catholicis editum est, nec malum, quicquid in urbibus protestantium est excusum. Princeps una cum episcopis per varias urbes „censores" et „inspectores" librorum constituat, qui externorum quoque biblio-

---

genossen vorher und nachher": Die Religion in Geschichte und Gegenwart III, Tübingen 1912, 997.

polarum curam habeant. Haud pauci libri a bonis haud quidem male scripti, sed erroribus quibusdam contaminati sunt; hi emendati denuo excudantur. Boni libri, velut versiones sacrae Scripturae, iique compacti iis dentur, qui malos libros attulerint. Scriptores catholici ad libros libellosque componendos excitentur; homines enim nova amant. His consiliis Guilielmus dux magno cum Bavariae emolumento usus est (548—557 561).

3. Multa in hoc volumine de Societate Iesu narrari iam satis, nisi fallor, apparet. Addam tamen alia, ac primum de illius impedimentis et difficultatibus tum externis, tum internis. Adversarii Iesuitis dire obloqui pergebant. Ita in „Fidei Iesu et Iesuitarum" ab Ioanne Fischarto vel ab Ioanne Piscatorio compositae praefatione Socii ab Ioanne Marbachio, qui Argentorati theologiam tradebat et consilio ecclesiastico praeerat, impostores, praestigiatores, pseudoprophetae vocabantur (694); alteri autem huius libri editioni haec addita est calumnia: In „Opere catechistico" affirmatur, sacram Scripturam esse „quasi nasum caereum, qui in quamvis interpretationem flecti possit" (696). Martinus Chemnitius in „Examine concilii tridentini", quod supra dixi, ex Canisii exorcismo illo ottingano conficiebat, catholicos „idolomaniam" invocationis Sanctorum mordicus tenere (240). Sine nomine auctoris prodiit libellus „Von der Maulesel Auffrhur zu Rom"; qui erat conficta poenitentiarii pontificii ad Canisium epistula eaque incusationibus et derisionibus sacrae Eucharistiae, summi pontificis, curiae romanae, Societatis plena (822). Eodem fere tempore Wolfgangus Platzius Lutheranorum biberacensium minister litteras vulgavit Canisio inscriptas, in quibus de variis erroribus et fraudibus eum obiurgabat; fidem romanae ecclesiae ait non esse catholicam, sed „cacolicam" sive pessimam (528—531). Catechismo Canisii „ne scintillam quidem verae fidei" inesse declamavit Petrus Boquinus, ex Carmelita Calvinianus et professor theologiae heidelbergensis factus, in „Assertione veteris ac veri Christianismi" (753). Ioannes quoque Fischart, petulans ille rerum omnium catholicarum irrisor, in libello „Bienenkorb" Canisium calumniatus est et protestantes in Iesuitas inflammavit (819). Heidelbergae a Guilielmo Roding calviniano adversus Societatis scholas et eos, qui filios iis tradebant, oratio habita et typis vulgata est, in qua „Suitae" omnibus idolorum cultoribus in „impietate, crudelitate, insania, furore" superiores esse dicebantur; eorum „morum et doctrinae informatorem" esse sathanam ipsum; Canisium autem „belluam" esse, quae catechismo suo „sciens ac prudens Deo ipsi bellum indicit" (745). Quare mirum non est, a Balthasare abbate fuldensi vicinos Hassiae et Saxoniae principes flagitasse, ut Socios Fulda eiiceret (quamquam Augustus Saxoniae elector postea abbati significavit, se ad id poscendum a suis quasi coactum esse; per se tamen licere, abbas vel mille Iesuitas haberet) (148). Atque hi quidem principes ex protestantibus erant. Verum etiam nonnulli homines catholici Sociis molestiam exhibebant. M. Februario a. 1576 Canisius praeposito generali scripsit: „In aula bavarica princeps, non autem consiliarii, contra Oeniponti consiliarii, non princeps, Dilingae autem neque princeps neque consiliarii erga nos bene affecti esse videntur" (314). Augustae capitulum cathedrale miris artibus impediebat, ne monasterium S. Crucis a pontifice Societati assignatum eidem traderetur: canonici in hoc negotio „nos ludibrio habent", ait Portia nuntius apostolicus (309). Ceterum Sociis ipsis eiusmodi monasteriorum translationes plerumque ingratae erant; ideo a. 1573 congregatio provincialis Germaniae superioris optavit, ut praepositus generalis ad eas admittendas se difficilem praeberet; necessarium id esse „ad effugiendam omnem notam cupiditatis apud clerum et populum" (653); et cum Albertus V. Bavariae dux monasterium Scotorum ratisbonense in collegium Societatis mutari cuperet et congregatio cardinalium germanica id concedi posse censeret, Canisius re cognita serio obsistebat, et Mercurianus generalis „nihil magis a rationibus Societatis alienum" esse scripsit ac simul Socios iussit operam dare, ut Ninianus Vinzetus scotus, vir „egregie et doctus et pius", monasterio illi praeficeretur (357 368). Oenipontanorum Sociorum patientia per aliquantum tempus vexatione „nasiana" exercebatur. Ioannes Nasus, ordinis Fratrum Minorum, ex protestantismo ad ecclesiam reductus,

vir erat acris ingenii, eloquentissimus, facetus, in fide catholica libellis ad populi captum accommodatis defendenda assiduus; minus tamen valebat scientia theologiae, et ardentis indolis impetu interdum ad ea proferenda rapiebatur, quae probari non poterant; dixisse ferebatur: Tolerabilius est diebus sacris missam non audiri quam contionem neglegi. Qui octavo quoque die peccata confitentur, haud multum fiduciae in Deo collocare videntur. Solos sacerdotes peccata levia confiteri convenit (173 174). Nasus igitur, cum loco Canisii contionator aulicus Ferdinandi II. archiducis factus esset, de „hypocritis", „pseudoprophetis", „templis angularibus" iterum ac saepius e sacro suggestu ita loquebatur, ut Societatis homines ab eo significari auditores omnes (qui erant plurimi) facile intellegerent; unde fiebat, ut multorum animi a Societate alienarentur (173 174). Haec impedimenta Societatis externa erant. Unum ex internis positum erat in confessariis principum. Vita aulica, aiebat Canisius, nobis periculosa est; qua etiam „animi ferrei frangi aut emolliri" possunt; in aulis „pisces extra aquam" sumus (17 370). Propterea Socii Germaniae superioris a. 1573 congregati petierunt: Congregatio generalis constitueret, ut solus praepositus generalis eam rem permittere posset et „difficulter" permitteret (653). Canisius quidem, a Magdalena regina (quam supra dixi) adiutus, id est assecutus, ut Florentia et Ferraria in Germaniam redirent Socii, qui ducum illorum uxoribus a confessionibus et contionibus fuerant (16 18 131); et Mercurianus generalis Eleonorae Austriacae, ducis mantuani coniugi, confessarium germanum e Societate dare recusavit (148). Neque vero Magdalena in locum P. Hetzcovaei, neque Guilielmus Bavariae princeps in locum P. Mengini alium confessarium a praeposito generali substitui patiebantur. Magdalena Canisio ad se arcessito epistulam ad generalem dictavit querelis plenam (454); et Hoffaeus provincialis concederet necesse fuit, ut Hetzcovaeus, homo infirmus et stomachosus, „a regularum observatione liber esset" et suum famulum et suas „exhilarationes" haberet; neque Mercurianus poterat non tolerare perniciosam illam et „extortam", ut ait, „permissionem" (466). De Mengino Canisius quidem Guilielmo principi persuasit, ut ei in aula versanti conclave modicum cibumque cotidianum, disciplinae religiosae causa, praeberet, et ut eum cotidie sacrum facere iuberet, interdiu otiari vetaret, ad pecuniam, quam in pauperes non erogasset, sibi reddendam cogeret; at Menginus, a Canisio et ab ipso Mercuriano serio admonitus, cum semel atque iterum emendationem vitae pollicitus atque aggressus esset, in pristina tamen errata identidem recidebat, et cum evocatus tantum ad confessionem excipiendam in aulam venire deberet, saepius diutiusque in ea morabatur, nec praeposito generali aliud, quod ageret, supererat, nisi „dissimulare", donec Deus auxilium afferret (374 471 490 511 827); prohibuit tamen Mercurianus provinciali, ne quicquam concederet, quod Societatis instituto contrarium esset; praestat, ait, totum collegium monacense perire (471). Quod autem Canisius a. 1576 optandum esse dixit (371), ut confessariis principum „certa vivendi formula" praescriberetur, notum est, aliquot post annis Claudium Aquavivam praepositum generalem „Ordinationem pro confessariis principum" composuisse et servandam curasse. Guilielmus V. dux a. 1578 petiit, ut semper duo Socii consilii praebendi causa secum essent, et a. 1580 in animum induxit, Hoffaeum provincialem senatui ecclesiastico Bavariae praeficere; Societas vero, Canisio urgente, utrumque abnuit; et Mercurianus generalis de praefectura illa scripsit: „Est res a nobis alienissima" (449 541). Contentionis materiam amplam Sociis Germaniae superioris praebebat quaestio ea aetate agitata: Possentne citra fenoris crimen sumi 5 %? Selecti quidem Societatis theologi Romae a. 1573 P. Francisco Toleto praeside definiverant: Id licitum non fieri „per solam consuetudinem etiam lege probatam"; posse tamen Societatis confessarios sequi „opinionem Summistarum in 15 casibus, qui notari solent de accipiendo lucro ultra sortem in mutuo, quamvis non ex mutuo (672 673). Nec tamen hoc responso in Germaniam a praeposito generali misso omnes acquiescebant: et in dioecesi augustana Ioannes Egolphus a Knöringen episcopus auctore Caspare Haivodo collegii dilingani Socio confessariis severe prohibuit, ne 5 % sumentes absolverent; qui vero in eius locum successit, Marquardus a Berg, rem omnino contrariam severe praecepit;

Gregorius autem XIII., rogatu Sociorum dilinganorum a Mercuriano generali interrogatus, respondit: Socii 5 % sumentes absolvere recusarent, ita tamen, ut ea de re nec palam docerent quicquam nec contionarentur (321 341). Ne hoc quidem difficultate vacabat. Aliqui existimabant, rationem „contractus germanici", quo homines de 5 % pacisci solebant, pontifici recte expositam non esse. Idcirco theologi ingolstadienses, et in his duo Societatis sacerdotes, cum primum 5 % illicita esse Guilielmo duci respondissent, postea cum iurisperitis contenderunt, ea prohiberi non debere; nam contractum germanicum „probabiliter" licitum esse (573 575). Dilinganis id valde displicebat: et Haivodus Guilielmum induxit, ut iudices 5 % tueri vetaret. Hoffaeus vero provincialis, cum omnino cum Ingolstadiensibus staret, non solum Haivodo interdixit, ne in posterum iis de rebus cum duce ageret, sed etiam Canisium, quod Haivodum adiuvaret, adeo reprehendit, ut is, qua erat animi demissione, veniam bis ab eo peteret (577 578). Canisius certe, cum Oeniponte a. 1572, quibus quis rationibus aliquid ultra sortem acciperet nec tamen feneraretur, pro contione dixisset (641) et a. 1574 monuisset, ne mercatores vel alii pecuniam ita darent aliis, ut „solum ratione mutui" 5 % lucrarentur (708), postea ibidem e sacro suggestu semel atque iterum ita locutus est, ut, quisquis in pecunia mutua danda 5 % exigeret, fenerationis reus esse videretur (717 719 727 741). Sed a. 1580 a Manareo Societatis vicario generali admonitus est, ne quid in eo negotio moveret, sed exspectaret sententiam proximo anno a Societatis congregatione generali ferendam et a pontifice approbandam (581). Longe alterius generis erat difficultas ex facto quodam P. Hermanni Thyraei, praepositi provinciae rhenanae, orta. Hic, cum protestantes in comitiis a. 1576 petituri esse dicerentur, ut „reservato ecclesiastico" sublato episcopis reliquisque clericis transeundi ad protestantes plena libertas et comitum protestantium filiis ad canonicatus cathedrales libera accessio esset, petitionis huius praevertendae et elidendae causa clam, P. Francisco Costero S. J. et (ut videtur) Andrea Erstenberger caesarei consilii aulici secretario iuvantibus, librum „Von der hochberümpter Religions Freistellung" conscripsit et ficto cum nomine Andreae Dorkenii vulgavit, in quo haec, praeter alia, dicebantur: Optandum esse, ut alia quaedam concederetur libertas: permitteretur, ut ad canonicatus cathedralium capitulorum et ad episcopatus non solum nobilium, sed etiam civium et agricolarum filii admitti possent; id cum evangelio congruere, aequitatis rationibus exigi, exemplo ecclesiae romanae commendari (348). Canisius librum laudavit, quod in eo libertas ecclesiae „non perperam vindicaretur", et ex ipsis comitiis ratisbonensibus Mercuriano praeposito generali nuntiavit, multis catholicis illum tantopere placere, ut alteram eius editionem desiderarent (368). At alii de Societate Thyraei factum vehementer improbarunt, et Mercurianus etiam primae editionis exempla, quae superessent, supprimi iussit; timendum enim esse, ne nobilitas offenderetur, et Socios instituendos esse ad Societatis leges observandas, quibus cavetur, ne libri absque maiorum permissu edantur (348 374). Alia etiam infelicius acciderunt. Gerardum Pastelium rectorem oenipontanum officio removeri opus est; nam — haec Canisius eius consultor et Rotarius collegii minister ad generalem deferunt — provinciali non oboedit; pro contione dicit imparatus; magnum aes alienum contraxit; pannos subtiles, vina pretiosa, caseos hollandicos et parmenses emit, nobiles ad mensam vocat; saepe dominos dominasque nobiles convenit; sero domum redit (8 56). Matthias Lackner rector halensis ex collegio aufugit et ad protestantes transit (405). Wolfgangus Pyrringer, Bonhomio nuntio apostolico comes adiunctus, imprudenter agendo externorum risum movet, vino indulget, ex Societate eicitur (539).

Verumenimvero haec vitia paucorum erant; et quantum Socii aliquibus odio erant, tantum et amplius a catholicis plerisque diligebantur. Ita Iacobus Rabus, contionator ducis Bavariae, in libro „Gegenbericht" a. 1573 contra Marbachium lutheranum edito „sua sponte" testatus est: Falso dicunt Iesuitas reliquis se praeferre; immo reliquis illi famulantur; religiose et sancte vivunt; protestantes iis singulariter maledicunt, quia studiosius quam alii ecclesiam defendunt (658). Adversus Rodingi libellum famosum, quem supra dixi, a. 1576 Ingolstadii editus est Dialogus

„Ioannis Perellii“ Societatis discipuli, quo nomine idem ille Rabus se contexisse videtur; librum germanice reddidit Ioannes Götz iurisperitus et consiliarius constantiensis (747). Socios colonienses ad senatum, quod urbem Hispanis tradere vellent et mulieres ad magnam stipem invitis maritis largiendam sollicitarent, delatos Ioannes Gebhardus Truchsess archiepiscopus diligenter defendit (467). Martinus de Schaumberg episcopus eystettensis primum quidem multum negotii Sociis exhibuerat; sed cum pontificis iussu ea de re a Morono cardinali admonitus esset, Canisium (qui eum paullo post ipse adiit) aliosque Socios ad confessiones excipiendas „etsi non comparentes nec examinatos“ approbavit et simul eis „multum cervinae et magnum vas plenum magnorum cancrorum“ misit (401 760). Item Ioannes Thomas a Spaur, ubi in episcopatus brixinensis possessionem venit, rogatu Canisii, qui Brixinam ad eum venerat, Sociis permisit, ut in omnibus episcopatus ecclesiis contionarentur, ubique doctrinam christianam traderent, homines etiam a peccatis episcopo reservatis absolverent, sacrarum virginum confessiones exciperent, communionem paschalem in suis ecclesiis ministrarent (798). Noviciis, qui Monachii sedem angustam insalubremque habuerant et duci eiusque consiliariis molesti fuerant, Svicardus comes ab Helfenstein et Maria comitissa a Zollern eius uxor Landsbergae domum exstruxerunt et victum praebuerunt (302). Lucernae in Helvetia cives collegium Sociatis instituerunt (233). „Miraculi loco“, ut Canisius ait, habendum erat, quod Augustae post multos conatus irritos liberalitate Fuggerorum, Octaviani maxime Fuggeri, collegium Societatis conditum est (536). Ibidem in ecclesia cathedrali P. Gregorius Rosephius per multos annos ad multos auditores magna cum laude dixit (682). Halae P. Ioannis Rabenstein orationibus sacris fere dimidia civitatis pars ad catholicam pietatem reducta est (97). Ad Societatis universitatem dilinganam tam multi veniebant adulescentes litterarum studiosi, ut nec templum nec domus omnes capere posset; nobilium et monachorum, qui in contubernium S. Hieronymi admitti cupiebant, tantus erat numerus, ut novas aedes exstrui opus esset; hi potissimum alliciebantur caerimoniarum ecclesiasticarum splendore et pietate, quae Dilingae singulariter vigebant (420 517). Ingolstadio a. 1573 propter frequentes academicorum et Sociorum contentiones paedagogium et cursus philosophicus Societatis Monachium translata sunt; quo facto numerus studiosorum Ingolstadii adeo minuebatur, ut a. 1575 senatus universitatis a Bavariae duce peteret, ut Socios ad se remitteret; qui, 50 fere numero, redierunt (202 318 324). Solidae pietatis specimen praebet ultimae voluntatis significatio, quam Lambertus Auer rector collegii moguntini Romae tempore congregationis generalis Canisio iamiam moribundus dictavit; Beata Virgo Maria viro illi admodum amabili et benefico, antequam moreretur, visa esse et coronam caelestem, quam promeruisset, monstrasse tradebatur; archiepiscopus moguntinus, cognita Aueri morte, lacrimas fudit (120).

4. Multa modo dicta sunt de Canisio; dicenda supersunt multa; ad hosce enim annos apprime pertinet illud *Ioannis Janssen:* „Für die Jesuiten war Canisius, auch nachdem er im Jahre 1569 die Leitung der oberdeutschen Provinz in die Hände des Pater Hoffaeus niedergelegt hatte, ‚die eigentliche Seele des Ordens in Deutschland‘, durch die Macht seiner Persönlichkeit und durch sein unermüdliches Wirken als Lehrer, Prediger und Missionär, als Schriftsteller, sowie als Berather der Päpste und Ordensgenerale“ (Geschichte des deutschen Volkes V, [13—14] 186). Inter nuntios apostolicos a Gregorio XIII. in Germaniam missos Bartholomaeus comes de Portia prudentia et industria eminebat; huic familiaris erat cum Canisio consuetudo; Canisii sententiam saepe requirebat; per Canisium iuvenes collegio germanico, contionatorem urbi wilanae quaesivit (136 137 140 685); per Canisium petiit, ut alumnis pontificiis locus esset in contuberniis dilingano et ingolstadiensi (396); Portiae rogatu Canisius Oeniponte cum cancellario de controversia inter Ferdinandum II. archiducem et Ludovicum Madrutium cardinalem amice componenda egit et huius rei prospero successui consuluit (703). Cardinalis Moronus, a. 1576 a pontifice Ratisbonam ad comitia imperii legatus, ex itinere Oenipontem ad Canisium devertit; qui ei, quomodo archidux laudandus, quomodo adhortandus et excitandus esset,

scripto (quod nunc primum vulgatur) exposuit (344); Ratisbonae deinde Canisius iussu pontificis theologum Moroni egit (352). Castaneus quoque nuntius apostolicus pacis belgicae causa in Germaninm inferiorem missus, cum Canisio Oeniponte consilia contulit (461). Item Ioannes Delphinus episcopus brixiensis coetui principum electorum Norimbergae habendo (qui tamen habitus non est) nomine Gregorii XIII. interesse iussus Canisio auctoritate pontificia scripsit, ut stato tempore Norimbergae sibi adesset (557). Paullo ante congregatio cardinalium germanica Canisium ad Guilielmum Cliviae ducem mittere deliberavit, ut eius animum a petitione calicis laicorum averteret et alia quaedam curaret, et iam eius rei gratia complura Brevia sive scripta sive adumbrata erant, cum huius legationis consilium depositum est (790). Cardinalis Rebibae mandatu Canisius Augustae bibliothecam fuggericam perlustravit (391). Permagni Canisium faciebat Bonhomius nuntius apostolicus in Helvetia, quem supra dixi; unde senatoribus friburgensibus dixit: Friburgum a se adductum esse Iesuitam illum, qui omnium esset et doctissimus et religiosissimus; et praeposito friburgensi scripsit: Canisium „tanquam in bombice involutum diligentissime custodi“ (859 860). Etiam cum compluribus Germaniae episcopis Canisius vel voce vel litteris egit. Ita Gebhardo Truchsess archiepiscopo coloniensi collegium Societatis coloniense commendavit (468), et cardinali Marco Sittico ab Hohenembs episcopo constantiensi suasit, ut Constantiae seminarium institueret (140). Iulio Echter tum per litteras privatas episcopatum herbipolensem gratulatus est simulque animum addidit ad clerum reformandum et errantes reducendos, tum per litteras typis exscriptas „Opus catechisticum“ dedicavit (209 326). Ernestum Bavariae principem in litteris, quibus Vegae opus ei dedicabat, hortatus est, ut in episcopatu frisingensi administrando exspectationem catholicorum expleret (84). Marquardus a Berg episcopus augustanus, quamquam Societati haud semper favebat, aliquotiens „satis familiariter“ Canisii consilio et opera usus est (818). Guilielmus Lindanus episcopus ruraemundanus eum invitavit, ut in Neerlandiam veniret et Noviomagi collegium Societatis incoharet (119). Apud cathedrale capitulum brixinense auctoritate tantum valebat, ut — verba sunt Adami ab Arz vicarii generalis — „homines etiam ad ea, quae vires excedebant, compelleret“ (310). Balthasarem a Dernbach abbatem fuldensem imperio spoliatum per epistulas consolatus est (355 469); et in comitiis ratisbonensibus „saepe de ea tempestate sedanda“ egit (370); et Ioannis Egolphi episcopi augustani intercessione interposita effecit, ut Maximilianus II. imperator abbatis animum recrearet et eius adversarios vituperaret (150); et cum Fuldae collegium Societatis et seminarium abbatis in extremis rei familiaris angustiis versarentur, Canisius Albertum Bavariae ducem et Achillem Ilsung, qui terram fuldensem cum magistro teutonico administrabat, deprecatus utramque domum ab interitu retraxit (472 474). Magdalenae et Helenae, Ferdinandi II. archiducis sororibus, Canisius „consiliarium et ducem“ se praestabat (680); et cum aliquando Magdalena cum Canisio plurimum de Societate conquereretur, ille eius animum ita placavit, ut se in posterum quoque Societati „matrem et patronam“ fore polliceretur (545). Item cum Ferdinandus ipse Sociis, quod filiis suis praeceptorem dare abnuissent, vehementer succenseret, Canisius, litteris praepositi generalis traditis, principem Societati reconciliavit (289). A regimine Austriae superioris Canisius interrogatus est, quomodo iubilaeum anni 1572 promulgandum et exsequendum esset (24). Guilielmus Bavariae princeps eum sacris temporibus coram se contionari voluit (445 771 805); Philippus II. Hispaniae rex et Canisii catechismum per suffraganeum episcopum ultraiectensem in linguam vlamicam transferendum curavit, et per Plantinum architypographum Canisium exhortatus est, ut in usum parochorum postillam componeret (37 752).

Orationes sacras Canisius novem his annis habuit minimum 280; quo numero exhortationes domesticae ad Socios habitae non comprehenduntur. Oeniponte primum contionator aulicus fuit Ferdinandi II. archiducis, qui cum proceribus et familia sua diligenter eum audiebat (628); dein in ecclesia collegii, postea in templo parochiali dixit. Landishuti aliquotiens contiones quadragesimales apud Guilielmum ducem habuit; Ratisbonae tempore comitiorum imperii contionatus est; praeterea dixit

Inzikofii ad canonissas augustinianas, Paradisi ad Clarissas, Landishuti ad sacras virgines ordinis cisterciensis, Halae ad sodales marianos, Blumbergae ad Albertum comitem de Fürstenberg et terrae illius homines, Friburgi Helvetiorum ad senatum populumque. Solebat Canisius, cum suggestum ascendisset, primum evangelium diei saltem breviter interpretari, reiciens simul interpretationes a „novo mundo" inventas; praeterea 30 fere orationibus librum Iob explicavit; „quid", inquit, „melius praedicari, quid utilius audiri potest", quam sacra Scriptura (707)? Multis orationibus de sacerdotio et missae sacrificio disseruit, multis de septem „peccatis capitalibus", non omisso peccato impudicitiae; labi enim ait eos, qui nollent ex sacro suggestu de sexto decalogi praecepto dicere (721). Kalendis Ianuariis anni 1575 in ecclesia parochiali nomen „Societatis Iesu" tutatus est, quod Nasus contionator aulicus palam improbaverat (736). Ceterum fideles monebat, ut caverent ab ebrietate, edacitate, impiis vocibus, feneratione, sacerdotum despicientia, superstitionibus; ut liberos diligenter educarent, famulos bene haberent (625), „laborem manualem" magni facerent (620 705), maxime autem, ut in pauperes se misericordes praeberent. Deinde imprimis ea doctrinae et disciplinae catholicae capita tractabat, quae a protestantibus illius temporis maxime impugnabantur: Oboedientiam praepositis ecclesiasticis praestandam, reverentiam erga sacerdotes, caerimonias sacras, templorum ornatum, rosarium reliquumque cultum marianum, precationem pro mortuis, confessionis et communionis frequentiam, communionem sub una specie, ieiunium et alia paenitentiae opera, virginitatem. Ecclesia, ait, suam indulgentias concedendi potestatem semper et cognitam habuit, et exercuit (621). Non est reprehendendus pontifex, cum multa iubilaea fidelibus offert (740). Urbs romana reliquas omnes urbes antecedit; in cuius clero et populo magna pietas et magna in pauperes misericordia comparent (741). Miracula Deus facere pergit Sefeldiae, Compostellae, in sacro monte Andechs, Laureti (614). Magistratibus civilibus non solum oboedientiam, sed etiam honorem externum et amorem internum debemus (729). Principes ea, quae sacerdotum sunt, sibi arrogare nefas est (613 865). Reprehensione digni principes, qui Deum nihil curantes omnem spem in armis et munitionibus collocant (622). Principes vigilare et pravas doctrinas praecavere atque praevenire debent (865). Non cessabo clamare, ut potestas civilis ecclesiasticam adiuvet (620 742 809). Magistratus non gloriari dignitate, sed populo pastores et patres se praebere debent; quorum officium est prospicere, ut panis, vinum, similia praesto sint et a pauperibus modico pretio emi possint (725 808). Exemplo sancti Iob discimus, iuvenibus remissiones et oblectationes animorum corporumque concedi oportere (707). Bacchanalia aboleri nequeunt; quorum tempore laeti esse nec tamen beluarum more vivere debemus (631 719). Annorum initiis Canisius, consuetudini se accommodans, ex suggestu „xenia" sive strenas sacras distribuebat, principi, consiliariis, nobilibus, civibus etc. (649 738). Modestiae ac temperantiae exemplum sumi potest a Canisii „Responsione ad Nasi obiectiones"; is communionem frequentem sive singulis septimanis faciendam, quam Socii commendabant, reprobaverat; Canisius autem, Nasi nomen reticens, auditores admonet, ne contionatorem illum quicquam dixisse existiment haereticum. Neminem esse spernendum, „si etiam semel in anno tantum communicet; posse fieri abusus". Nec tamen quemquam angi debere, cum bono consilio communionem frequentet; id enim et Deo placere et hominibus valde prodesse. „Nos praedicatores in catholica fide uniti sumus et cupimus, ut quisque in sua vocatione ambulet inculpate et observet praecepta Dei et ecclesiae" (710). Alias quoque Canisius magnam animi demissionem prae se ferebat; velut cum auditores rogavit: Vocis suae „debilitatem et linguae imperfectionem" patienter ferrent; si quis autem verbis suis offenderetur, is ne esset praeceps ad condemnandum; veniret ad contionatorem eumque moneret; se illi rei rationem esse redditurum (806 863). Anno 1574, cum archidux Oeniponte in Bacchanalibus certamen equitum hastis concurrentium celebraret et tota civitas ad spectandum concurrisset, Canisius in templo collegii, etsi soli Socii, numero fere 17, et 2 mulierculae aderant, magna contentione per horam contionatus est (691). Ceterum ipse confessus est, contionandi laborem sibi „crucem" esse (301);

sciebat, aliquos ex auditoribus „observatores" et „insidiatores" esse" (628). Nec vero frustra laboravit; eorum, qui ad sacram mensam accedebant, numerus valde auctus est, praesertim postquam Gregorius XIII. communionem menstruam singulari indulgentia ornavit (710); quadraginta illis diebus anni 1575, quibus urbs oenipontana et omnes regiones vicinae multis terrae motibus conquassabantur, Canisii adhortationibus plurimorum animi ad paenitentiam scissi sunt (7 612-614).

Quae in hoc prooemio de rebus a Canisio gestis narrata sunt, magnam partem adhuc vel parum nota, vel prorsus ignota erant; quae si clar. D. *Paulus Drews* perspecta habuisset, nequaquam, credo, de Canisio scripsisset: „Thatsächlich ist sein Wirken etwa mit dem Jahre 1570 so gut wie abgeschlossen ... Seine Zeit ist vorüber. Ein unheimlicher Richterspruch hat ihn zur Unthätigkeit verurteilt. ... Er hat keine Fühlung mehr mit den deutschen Bischöfen" (Petrus Canisius, der erste deutsche Jesuit, Halle 1892, 129—130 132).

Ut aliquid de Canisii virtutibus dicam, suum in Germaniam amorem multis ille rationibus declarabat. Cum Gregorius XIII. romano Germanorum collegio reditum annuum 10000 ducatorum dare statuisset, Canisius cum Hoffaeo provinciali Mercurianum praepositum generalem rogavit, pontifici persuaderet, ut illius pecuniae dimidiam partem simili collegio in Germania instituendo adhiberet, alteram romano illi seminario attribueret (144). Eidem pontifici commendavit, ut minimum tres nuntios apostolicos in Germaniam mitteret; Germanis autem eos, qui germanicae linguae periti essent, fore omnium gratissimos (362). E sacro suggestu cum dolore civitates commemoravit, quae novissime ab imperio germanico avulsae essent (616 622). Memor erat cognatorum absentium; fratres sororesque propter religionem afflictos per epistulas solabatur et ad fidei constantiam adhortabatur: Calvinianorum contionibus et libris abstinerent; ne multum disputarent vel litigarent; catholicos libros legerent; sacramenta frequentarent; stipem saepe largirentur (33 85 245 508 525 567). Amicissimus erat iuventuti; adhuc usque in vico Arzl prope Oenipontem conservata est villa rustica, in qua his annis agricolarum liberis doctrinam christianam tradebat (603); adulescentes litterarum studiosos proceribus commendabat (309 311 353 359 [3] 413 523); cum Albertus V. dux a Societate petisset, ut Monachii curam contubernii studiosorum (excepta re domestica) in se susciperet, Canisius a praeposito provinciali sententiam rogatus respondit, „munus" id esse „sancte ambiendum potius, quam valde detrectandum" (287); et cum archiepiscopus salisburgensis seminarium suum Societati molestis cum condicionibus obtulisset regendum, Canisius seminarium, spretis molestiis, admitti debere iudicavit (394) [1]. Augustae capitulum cathedrale, quod Societati monasterium S. Crucis permittere nolebat, a Sociis „suaviter" tractari cupiebat, ne, ait, occasionem amittamus „de tali republica bene merendi et causam religionis in Germania promovendi" (279); eadem de causa optabat, ut praepositus provincialis erga cancellarium bavarum similesque magistratus magis „facilis et comes" esset (314), et Socii erga paucos illos principes catholicos, quos Germania haberet, „suaviter admodum", etiam cum incommodo suo, se gererent (289). Facile credi potest, hominem principibus adeo obsequentem ecclesiae praepositis promptissime oboedivisse; occurrunt in eius epistulis verba huiusmodi: „Quicquid superioribus visum fuerit, non gravatim amplectar" (37). „Meum est, maioribus obsequi" (109). „Ex voluntate superiorum totus pendeo, quorum voluntate nihil habeo antiquius" (392). Cum opus marianum absolvisset et doctis placere comperisset, magnopere inclinabat atque propendebat in similem librum de S. Petro Apostolo edendum; cui componendo iam varia litterarum monumenta collegerat; at Hoffaeus praepositus provincialis ei illo scribendi genere desistendum esse existimabat; qua sententia intellecta Canisius petrini operis cogita-

---

[1] „Pater Petrus Canisius, der bedeutendste Begründer des gelehrten Unterrichtswesens der Jesuiten in Deutschland": *Johannes Janssen* l. c. VII [1—12] 85. Canisius, „der eigentliche Begründer des jesuitischen Unterrichts in Deutschland": *Karl Lamprecht,* Deutsche Geschichte VI [1—2], Freiburg i. Br. 1904, 153.

tionem abiecit et se Hoffaei arbitrio plene permisit (430); qui eum in collegiorum visitatione „socium“ sibi esse voluit et bis viceprovincialem constituit (408 418 442 463 824).

Dixeris, sodales omnes huiusmodi virum summo honore et amore prosecutos esse. Verum „sine fumo flamma non ascendit“, inquit *Thomas a Kempis* (De imitatione Christi l. 3, c. 49, n. 2). Canisii patientiam imprimis exercebat ille ipse, qui in provincialis officio ei sucesserat, Paulus Hoffaeus. Vir hic erat valde bonus; Canisius testatus est, eum Sociis multa virtutum exempla praebere, prudenter agere auctoritate valere (9 55 155 230), visitationi „ingentem curam atque vigilantiam“ impendere (418). Gratias agamus Deo, ait aliquando, exhortationem ad Socios habens, quod talem nobis provincialem dat et conservat, cui omnes fidere et a quo „omnia bona exspectare“ possimus (775). Sed tantis virtutibus vitia aliqua adhaerebant; velut quod Hoffaeus consultores a praeposito generali sibi adiunctos raro consulebat (9 55 155 274); quod nimius erat in praescribendo (154); maxime autem, quod rigidior et paene iniquus erat et in seipsum, nimium ieiunando, et laborando (9 155 274), et in alios, „formidabilem magis quam amabilem“ interdum se praebendo (55 155 274 314) et nimis atris coloribus eos depingendo. Ita in litteris ad Mercurianum generalem datis aliquando de Canisio, auctore „Summae doctrinae christianae“, scripsit: „Non est theologus“ (785), et Menginum Guilielmi principis confessarium (quem supra dixi) ideo in melius non profecisse contendit, quod Canisius imprudenter se gessisset; at paullo post oportuit eum fateri, ne sua quidem industria Mengini mores emendatos esse (500 825 827); item a Mercuriano, Canisium significans, petiit, ne in Mengini causa „tot provincialibus“ uteretur; verum Canisium eam causam tractare ipse iusserat (500). Ipsius etiam Mercuriani generalis Hoffaeus censuram agebat tam liberam et acerbam, ut compluriens ab eo valde vituperaretur (500 577); sicut postea, cum Claudio Aquavivae praeposito generali datus esset „assistens“, tam inverecunde et obstinate in eum se gessit, ut tandem officio se abdicare quasi cogeretur. Canisius igitur, cum non solum rectoris oenipontani, sed etiam praepositi provincialis „consultor“ esset, pro muneris officio statis temporibus, quae in provinciali et in provincia notanda sibi viderentur, sive bona, sive mala, ad praepositum generalem libere perscribebat. Interdum haec verbis quoque cum aliis communicasse videtur; qui ad alios ea transmittebant; accedebat, quod nonnunquam scripta sua ex oblivione in conclavi relinquebat; quae deinde inventa in manus praepositorum veniebant et iis, cum aliqua facta sua improbari videbant, bilem movebant (429); praeterea Canisius ad libros componendos sodalium iam aliunde valde occupatorum saepe opem requirebat (785 787). Hoffaeus itaque de Canisii „mordacitate“ cum generali conquestus est (quamquam in eius scriptis, quae quidem supersunt, vix quicquam mordacitatis apparet) et ab eo petiit, ut Canisio prohiberet, ne de provinciae rebus quicquam ad generalem referret, nisi esset interrogatus (301): atque etiam eundem rogavit, ut, si Canisio in librorum latinorum scriptione perseverandum esset, in aliam eum provinciam mitteret (785). Hoffaeum imitati sunt ex Sociis aliquot, velut P. Michael Marius, qui de Canisio tam acerbe generali scripsit, ut ab hoc verbis severis castigaretur (826). Fateor mihi haec consideranti in memoriam redisse ea, quae in novissima Sancti Odonis Cluniacensis O. S. B. vita legeram: „L'austérité d'un religieux, son ardeur pour le travail, ses supériorités intellectuelles excitent contre lui les antipathies de tous ceux qui ne veulent pas ou ne peuvent pas le suivre dans cette voie“ (Saint Odon, par *Dom du Bourg* O. S. B., Paris 1905, 42).

Longe aliter de Canisio sentiebat Everardus Mercurianus praepositus generalis: qui ei 10. Martii 1576 scripsit: „Legi, quae ad me scripsisti de istius provinciae rebus. Quae omnia sunt eiusmodi, ut sperem non inutiliter aut a te scripta aut a me cognita esse. Tuum erit nos identidem adiuvare consueta scribendi diligentia“ (320); et 20. Februarii 1578: „Omnibus in rebus semper erit nobis gratissimum si R. V., quicquid ad Domini gloriam expedire iudicaverit, id ad nos libere deferat“

(438). Item Mercurianus a. 1579, cum visitatorem mittere statuisset, et a. 1580, cum novum provincialem creare vellet, ex Canisio quaesivit, quisnam ei videretur esse deligendus (486 531). Congregatio autem generalis, quae summam in Societate auctoritatem habet, a. 1573 Canisio iussu pontificis Romae versanti, etsi nullum ei suffragii ius erat, suffragium (exceptis electionibus quibusdam) impartita est, et patribus electoribus eum adiunxit, qui Tusculum ad pontificem profecturi erant, ut liberam generalis eligendi potestatem impetrarent (668 669). Neque minoris Canisium faciebant, qui de Societate non erant. Ita, ut testimoniis iam prolatis aliquot alia addam, Fridericus Martini, philosophiae professor in universitate ingolstadiensi, anno 1572, cum rector magnificus esset, in matricula universitatis sua manu notavit, Canisium esse virum „morum placidissimorum, pietatis rarae, eruditionis summae" (731). Anno dein 1578 Caspar Villalpandus canonicus complutensis, qui in concilio tridentino Canisium noverat, in libro Salmanticae edito eum virum sanctum et doctum vocavit, cuius orationibus sacris et virtutum exemplis multi ad ecclesiam reducti essent (755). Duobus annis post Petrus Cratepolius, ordinis Minorum Conventualium, in „Electorum Ecclesiasticorum Catalogo" Coloniae edito Canisii doctrinam et eloquentiam laudavit (823), et Valentinus Rotmarus, universitatis ingolstadiensis professor, in „Annalibus Ingolstadiensis Academiae" Ingolstadii vulgatis Canisium scripsit esse „fortem ecclesiae catholicae athletam, lumen inter doctores ecclesiae" (823).

Nuper haec opinio invalescere coepit: Opera sodalium malevolorum Canisium ex Germania Friburgum Helvetiorum amandatum esse, ut in recondito illo angulo et lateret et taceret. At rem aliter se habere ex hoc volumine patebit. Cum Societas Iesu collegium friburgense admittere pontificis imperio coacta esset, inter Bonhomium nuntium apostolicum et Hoffaeum provincialem convenit, ut sub finem anni 1580 ambo una simul Friburgum collegii incohandi causa ingrederentur, Hoffaeus autem inde Romam iret ad Societatis congregationem novi praepositi generalis eligendi causa indictam; sed cum proficiscendi tempus adesset, Hoffaeus in Bavaria tantopere aegrotavit, ut eius consultores existimarent, profectione helvetica ei supersedendum esse (841); satis fore, si suo tempore recta per Tirolim Romam iret; quare Hoffaeus litteris Monachium missis P. Caspari Haivodo mandavit, ut suo loco cum Bonhomio Friburgum peteret; at praeter omnem Hoffaei exspectationem Haivodus ei rescripsit: Se Monachio avocari non posse, quia inde de 5 % ad summum pontificem appellasset, et cotidie fieri posset, ut eius responsum illuc perferretur (585). Ita Hoffaeus in angustias adductus est; nam magistri, quia studia litterarum instaurata iam erant, in scholis detinebantur; praeterea unus ex professoribus ingolstadiensibus cum rectoribus lucernensi et augustano et ipso Hoffaeo ad multas septimanas Romam abituri erant; Manareus autem Societatis vicarius generalis Hoffaeum monuit, ut sodalem prudentem atque moderatum Friburgum mitteret (841); ita suprema quasi hora Hoffaeus in animum induxit, ut Friburgum ire iuberet Canisium, cuius usque ad id tempus in toto illo negotio nulla mentio facta erat (842). Dei igitur providentia, non hominum prudentia vel malevolentia Canisius Friburgensibus datus est; quibus, ut Bonhomius Hoffaeo scribens ait, illico fuit „gratissimus", propter no-

minis celebritatem et propter orationes sacras primis post adventum septimanis magno omnium, senatorum maxime, assensu habitas (596). Canisius quoque eam rempublicam, in qua septendecim postremos vitae annos acturus erat, sincero amore complexus est; in litteris enim Friburgo die 5. Ianuarii 1581 Romam missis populi et cleri humanitatem, comitatem, in catholica religione tuenda constantiam laudibus extulit; „dignissima", inquit, „certe mihi videtur haec respublica, cui pontifex maximus non sine divino nutu tantopere faveat, et cuius adiuvandae curam et operam seriam suscipiat Societas nostra" (600).

III.

TABULAE CHRONOLOGICAE VITAE CANISII

ab 1. Ianuarii 1572 ad 2. Ianuarii 1581.

Quae ad libros Canisii et ad similes res litterarias spectant, cursivis sive italicis litteris descripta sunt.

Numeris uncis inclusis, qui singulis sententiis adduntur, significatur, quibus potissimum libri paginis singula facta copiosius narrentur.

C. = Canisius, Canisii etc.

1572	—	*Latine editur Canisii „Parvus Catechismus Catholicorum" Annessiaci, Antverpiae, Dilingae, „Summa" Dilingae* (609).
1572	—	*Dilingae prodit (ut videtur) nova editio „Hortuli animarum" germanici (a C. primum a. 1563 curati)* (643).
1572	Initio	Canisius **Oeniponte** agit concionatorem aulicum Ferdinandi II. archiducis; consultor quoque est P. Hoffaei provincialis Germaniae superioris et P. Pastelii rectoris collegii oenipontani; a S. Pio V. contra Centuriatores Magdeburgenses scribere iussus, librum de B. Maria Virgine parat (2 8 612).
1572	Ian. 4.	Terra nocte proxima vehementer concussa C. pro contione dicit, quid ea de re sentiendum et faciendum sit (612).
1572	Ian. 6	Die Epiphaniae in templo S. Crucis dicit de gratia fidei et de Christo quaerendo atque honorando (613).
1572	Ian. ineunte vel medio.	Lud. Madrutius cardinalis Tridentinus Canisium rogat, ut inter se et Ferdinandum II. archiducem de imperio civili litigantes pacem componat (11).
1572	Circa med. Ian.	In supplicatione propter terrae motus instituta C. populum, ut Deum timeat et mores emendet, exhortatur (613).
1572	Ian. 13.	Dom. I. post Epiph. in templo S. Crucis de liberis recte educandis et de pietate tempore concussionis terrae singulariter colenda dicit (613 629).
1572	Ian. 20.	Dom. II. p. Ep. ibidem evangelium diei explicans, imprimis de coniugio recte instituendo contionatur (614).
1572	Ian. 27.	Dom. III. p. Ep. ibidem morum emendationem ex evangelio diei et ex principis mandato commendat (614).
1572	Feb. 2.	Die Purificationis B. M. V. ibidem de diei sacri ratione, de eius evangelio, de eius caeremoniis dicit (614).
1572	Feb. 3.	Dom. Septuag. ibidem de operibus ad salutem necessariis contionatur (614).

1572	Feb. 10.	Dom. Sexag. ibidem evangelium diei explicat (615).
1572	Feb. 17.	Dom. Quinquag. ibidem de diei ratione et evangelio ac de Bacchanalibus recte agendis dicit (615 631).
1572	Feb. 20.	Feria IV. cinerum ex diei epistola et evangelio et caerimoniis de Quadragesima recte incohanda ibidem dicit (615).
1572	Feb. 22.	F. VI. ibidem „charitatem et misericordiam erga proximum" commendat (615).
1572	Feb. 24.	Dom. I. Quadrag. ibidem ex evang. diei de tentationibus superandis et ieiunio servando orationem habet (615).
1572	Feb. 25.	Die S. Matthiae Ap. ibidem hunc laudat et ex evang. diei „opera misericordiae et charitatis fraterna" commendat (616).
1572	Feb. exeunte	**Halam** venit cum P. Elderen ibique cum Magdalena regina de P. Hermanutio Barbarae sororis confessario Ferraria avocando agit (16).
1572	Feb. 29.	F. VI. **Oeniponte** in templo S. Crucis ex evang. diei fideles ad poenitentiam exhortatur (616).
1572	Sub initium Martii	*„Commentariorum de Verbi Dei corruptelis Liber primus" (de S. Io. Baptista), adversus Centuriatores Magdeburgenses, Dilingae editur iterum, isque emendatus et auctus* (632).
1572	Mart. 2.	Dom. II. Quadr. in templo S. Crucis C. evang. diei explicans „novatores" refellit (616).
1572	Mart. 7.	F. VI. ibidem ex evang. diei de Deo Germanos puniente dicit (616).
1572	Mart. 9.	Dom. III. Quadr. ibidem de evang. diei et de paenitentia agenda dicit (616).
1572	Sub med. Mart.	Io. Thomam a Spaur episcopi brixinensis coadiutorem per litteras monet, ut quaedam in eucharistiae sumendae et ministrandae ratione corrigenda curet (21).
1572	Mart. 14.	F. VI. de ratione verae paenitentiae in templo S. Crucis orationem habet (616).
1572	Mart. 16.	Dom. IV. Quadr. ibidem ad praeceptum communionis paschalis illustrandum evang. diei utitur et, quibus de peccatis paenitentia agenda sit, dicit (616).
1572	Mart. 21.	F. VI. ibidem, quomodo paenitentia agenda sit, ex evang. diei declarat (617).
1572	Mart. 23.	Dom. Passionis ibidem de diei ratione, de eius evangelio, de confessione facienda agit (617).
1572	Mart. 25.	Die Annuntiationis B. M. V. ibidem „de vero huius festi usu" et de Maria salutanda dicit (617).
1572	Mart. 28.	F. VI. ibidem de peccatorum confessione recte facienda agit (617).
1572	Mart. 30.	Dom. Palmarum ibidem de animis ad sacram communionem parandis (ex evang. diei) et de hebdomade sancta rite peragenda agit (617 633).
1572	Apr. 3.	F. V. Coenae Domini ibidem communionem sub una specie defendit (617).
1572	Apr. 4.	Die Parasceves ibidem de passione Christi, eius verbis in Cruce prolatis, passionis fructu orationem habet (617).
1572	Apr. 6.	Dom. Paschatis ibidem de diei ratione et evangelio ac de Christi descensu ad inferos et resurrectione dicit (618).

1572	Apr. 7.	F. II. Paschatis ibidem de Christi resurrectione et de evang. diei contionatur (618).
1572	Apr. 8.	F. III. Paschatis evang. diei explicat et „de apparitione spirituum" dicit (618).
1572	Apr. ineunte vel medio	Regimini Austriae Superioris respondet de ratione iubilaei contra Turcas promulgandi et exsequendi (23).
1572	Apr. 13.	Dom. in Albis in templo S. Crucis ex evang. diei de Christi et iustorum omnium resurrectione dicit et stipis largitionem commendat (618 633).
1572	Apr. 20.	Dom. II. post Pascha in templo S. Crucis ex evang. diei de Christo bono pastore et de „lupis" acatholicis dicit (618).
1572	Apr. 27.	Dom. III. post Pascha et anniversario dedicationis templi ibidem de feneratione fugienda et de ecclesiarum cura habenda dicit (618).
1572	Inter med. Apr. et med. Mai.	*Philippus II. et proceres aliquot hispani a C. petunt, ut Postillam quandam scribat* (31 605).
1572	Maii 15.	Die Ascensionis Domini C. in templo S. Crucis de sacri diei ratione et evangelio orationem habet (619).
1572	Maii 18.	Dom. post Asc. ibidem de Christi ascensione (contra Ubiquistas etc.) et de animorum ad Pentecosten praeparatione dicit (619).
1572	Maii 23.	Ibidem in exsequiis Catharinae reginae Poloniae orationem funebrem habens, Catharinae virtutes laudat (634).
1572	Maii 23.	Cardinalem Ottonem Truchsess per litteras rogat, ut Gregorio XIII. pontifici dotationem collegii germanici commendet (46).
1572	Maii 25.	Dom. Pentecostes in templo S. Crucis de hoc die recte celebrando contionatur (619).
1572	Maii 26.	F. II. Pent. ibidem ex evangeliis Dominicae et ipsius diei de Dei erga homines et hominum erga Deum amore dicit (619).
1572	Maii 27.	F. III. Pent. ibidem, evangelio explicato, ostendit, quid Christiani Spiritui Sancto debeant (620).
1572	Iun. 1.	Dom. Trinitatis ibidem de baptismo (ex evang. diei) et de recto usu huius diei festi agit (620).
1572	Iun. 5.	Die festo Corporis Christi ibidem de „processione" reliquaque sollemnitate contionatur (620).
1572	Iun. 8.	Dom. II. p. Pent. de eucharistia reverenter ad aegrotos deducenda fideles monet et evangelium diei explicat (620 636).
1572	Vere et aestate	*Canisio auctore Andreae Vegae O. F. Min. opus de Iustificatione Coloniae emendate excuditur* (641).
1572	Iun. 15.	Dom. III. p. Pent. C. in templo S. Crucis evang. diei explicat (620).
1572	M. Iunio	Hoffaeum provincialem in visitatione collegii oenipontani adiuvat (52).
1572	Iun. 22.	Dom. IV. p. Pent. in templo S. Crucis ex evang. diei de remissione peccatorum consequenda agit (620).
1572	Aestate (ut videtur)	*Pragae a Sociis curatur altera „Parvi Catechismi Catholicorum" editio, eaque latina, bohemica, germanica* (639).

1572	Iun. 24.	Die S. Ioannis Bapt. C. in templo S. Crucis ostendit, quomodo dies ille celebrandus et Christiani omnes ex exemplo S. Ioannis reformandi sint (620).
1572	Iun. 29.	Dom. V. p. Pent. et die SS. Petri et Pauli App. ibidem de Petri fide, ecclesia, potestate orationem habet (620).
1572	Iul. 6.	Dom. VI. p. Pent. ibidem, quae sit vera ecclesia, ostendit et ex evang. diei „laborem manualem" commendat (620).
1572	Iul. 13.	Supremis S. J. moderatoribus admissionem collegii fuldensis commendat (50).
1572	Iul. 13.	Dom. VII. p. Pent. in templo S. Crucis indulgentiam iubilaei a Gregorio XIII. concessi pronuntiat et commendat (621 639).
1572	Iul. 16. (?)	Altera oratione (in ecclesia parochiali?), quid sit indulgentia, et quomodo consequenda sit, explicat (621).
1572	Iul. 20.	Dom. VIII. p. Pent. in templo S. Crucis evang. diei explicat et principis mandatum de eucharistia reverenter ad aegrotos deducenda pronuntiat (621 637).
1572	Iul. 22.	Die S. Mariae Magdalenae ibidem historia Magdalenae ad fidem catholicam confirmandam et morum emendationem inculcandam utitur (621).
1572	Iul. 25.	Die S. Iacobi Ap. ibidem ex evang. diei de regno Dei et correctione vitae dicit; Cyprium nobilem, stipem colligentem, commendat (621).
1572	Iul. 27.	Dom. IX. p. Pent. ex evang. diei adversus pseudoprophetas et recentes haereses ibidem orationem habet (622).
1572	Aug. 3.	Dom. X. p. Pent. in templo S. Crucis ex evang. diei opera misericordiae commendat (622).
1572	Aug. 10.	Dom. XI. p. Pent. et die S. Laurentii ibidem fidelibus, quomodo in rebus ad templum spectantibus peccetur, ex evang. Dominicae ostendit et eos ad confessionem et communionem hortatur (622 638).
1572	Aug. 15.	Die Assumptionis B. M. V. ibidem fideles monet, ut eum diem magni faciant, B. Mariam more maiorum honorent, mores emendent (622).
1572	Aug. 17.	Dom. XII. p. Pent. ibidem evang. diei a „novatorum" prava interpretatione vindicat; opera bona, imprimis orationem, commendat (622).
1572	Aug. 24.	Dom. XIII. p. Pent. et die S. Bartholomaei Ap. ex evang. diei caerimonias ecclesiasticas laudat et aequalium malam vitam reprehendit (623).
1572	Aug. 31.	Dom. XIV. p. Pent. ibidem ex evang. diei fidem et caritatem commendat (623).
1572	Sept. 2.	Rectore oenipontano munere levato et ex urbe profecto Canisius iussu Hoffaei provincialis „superiorem" agere incipit (93).
1572	Sept. 7.	Dom. XV. p. Pent. in templo S. Crucis evang. diei explicans, auditoribus inculcat, ut sacerdotes honorent (623).
1572	Sept. 8.	Die Nativitatis B. M. V. ibidem de sacro hoc die recte celebrando et de septem B. Mariae verbis dicit (623).
1572	Paulo post 13. Sept.	Balthasarem Arnoldt scriptorem suum Romam in collegium germanicum mittit (90 97).

1572	Sept 14.	Dom. XVI. p. Pent. in templo S. Crucis evang. diei ad pauperes consolandos et divitias caelestes auditoribus proponendas utitur (623).
1572	Sept. 21.	Dom. XVII. p. Pent. et die S. Matthaei Ap. ibidem ex historia Matthaei misericordiam Christi et fidelitatem Matthaei illustrat (623).
1572	Sept. 28.	Dom. XVIII. p. Pent. ibidem feneratores vituperat ac de celebratione diei dominicae et de missa dicit (623 641).
1572	Sub finem anni (?)	*Ioannem Iacobum Rabum rogat, ut Vitas Sanctorum a Surio latine editas germanice vertat* (661).
1572	Sept. 29.	Die S. Michaelis in templo S. Crucis docet, quomodo homines erga angelos se gerere eosque imitari debeant; deinde de mysteriis missae dicit (623).
1572	Oct. 5.	Dom. XIX. p. Pent. ibidem de evang. diei et de missa contionatur (624).
1572	Oct. 19.	Dom. XXI. p. Pent. ibidem ex evang. diei errores quosdam recentes refutat et fideles hortatur, ut „statum conscientiae suae“ considerent et se ad communionem parent; dein de missa dicit (624).
1572	Oct. 26.	Dom. XXII. p. Pent. ibidem ex evang. diei docet, quomodo aegroti se gerere debeant etc.; dein de missa dicit (624).
1572	Oct. 28.	Die SS. Simonis et Iudae App. ibidem de evang. diei, capitibus doctrinae apostolicae maxime necessariis, missa dicit (624).
1572	Nov. 1.	Die Omnium Sanctorum ibidem catholicum Sanctorum cultum adversus „novos Christianos“ defendit et de missa dicit (624).
1572	Nov. 9.	Dom. XXIV. p. Pent. ibidem ex evang. diei de veris falsisque amicis discernendis ac de oboedientia magistratibus civilibus ecclesiasticisque praestanda agit; dein de missa tractat (624).
1572	Nov. 11.	Die S. Martini ibidem eos vituperat, qui hoc die „ventri serviunt“; dein Martinum in exemplum proponit, evang. diei explicat, de missa dicit (625).
1572	Nov. 16.	Dom. XXV. p. Pent. ibidem ex evang. diei patresfamilias monet, ut suorum curam gerant; deinde sacramentorum frequentiam laudat et de missa dicit (625).
1572	Nov. 23.	Dom. ultima p. Pent. ibidem de evang. diei et de missa dicit (625).
1572	Nov. 25.	Die S. Catharinae Mart. ibidem ex evang. diei Catharinam laudat et „statum virginalem“ tuetur; dein de missa dicit (625).
1572	Nov. 30.	Dom. I. Adventus et die S. Andreae Ap. ibidem rationem sacri temporis ex institutione ecclesiae et evang. diei illustrat et Andream laudat (625).
1572	Dec. 6.	Die S. Nicolai ibidem de Nicolao, evang. diei, missa dicit (625).
1572	Dec. 7.	Dom. II. Adv. ibidem ex evang. diei ultimum iudicium considerandum proponit (625).
1572	Dec. 11.	Ibidem in pompa funebri Barbarae uxoris ducis ferrariensis precationes pro mortuis defendit et Barbaram laudat (626 642).

1572	Dec. 14.	Dom. III. Adv. ibidem ex evang. diei dicit de beneficiis Christi ea, quam Ioannes Baptista significaverit, ratione accipiendis (626).
1572	Dec. 21.	Dom. IV. Adv. et die S. Thomae Ap. ibidem de Thoma, de animis ad diem natalem Christi parandis (ex evang.), de sacerdotio dicit (626).
1572	Dec. 25.	Die Nativitatis Christi ibidem ostendit, hunc diem magni aestimandum et eo tum gaudendum tum dolendum esse (626).
1572	Dec. 26.	Die S. Stephani ibidem de Christo infante et de sacerdotio orationem habet (626).
1572	Dec. 28.	Die SS. Innocentium et Dom. infra octavam Nat. ibidem evangelium Innocentium explicat et de sacerdotio tractat (626).
1572 ad 1573	—	*S. Carolus Borromaeus catechismum Canisii in archidioecesis mediolanensis seminariis explicari iubet* (748).
1573	—	*Martyrologii germanici primum a. 1562 Canisii opera a Walassero in lucem emissi editio emendata Dilingae vulgatur* (644).
1573	—	*Sermonum S. Leonis Magni editio, primum a. 1546 a C. Coloniae facta, Venetiis iterum in lucem prodit* (645).
1573	—	*„Parvus Catechismus Catholicorum“ iterum excuditur Monasterii Westphalorum* (646).
1573	—	*Summa doctrinae christianae iterum latine editur Coloniae (et Leodii?); Novariae quoque eadem iterum excuditur* (645 646).
1573	—	*S. Hieronymi Epistolae aliaque eius scripta in usum scholarum a C. selecta iterum eduntur Lovanii* (645).
1573	—	*Dilingae prodit (ut videtur) nova editio „Hortuli animarum“ latini (a C. primum a. 1563 curati)* (643).
1573	—	*Canisii Precationes germanicae („Betbuch“) quintum eduntur Dilingae, cum eius Catechismo minimo* (646).
1573	—	*In „Donati Gotvisi (Wisarti)“ libro „Fides Iesu et Iesuitarum“ Socii, imprimis Canisius, a Marbachio et Piscatore (?) conviciis afficiuntur* (693).
1573	Ian. 1.	Die Circumcisionis Christi C. in templo S. Crucis de novo anno pie incohando agit, „xenia“ distribuit, de sacrificiis tractat (627 649).
1573	Ian. 4.	Dom. p. Nativ. ibidem evang. diei explicat et de sacrificio agit (627).
1573	Ian. 6.	Die Epiphaniae ibidem de ratione huius diei, de exemplo magorum, de missae sacrificio dicit (627).
1573	Ian. 8.	Polancus vicarius generalis S. J. mandatu Gregorii XIII. iubet Canisium Romam referre, quo loco religio catholica in Germania sit, et quomodo ad illam pontifex protestantes (suaviter) reducere queat (103).
1573	Ian. 11.	C. **Augustae** versatur (652).
1573	Ian. 12.—21.	Augustae congregationi provinciali (provinciae S. J. Germaniae Superioris) interest (652).
1573	Ian. 14.—21.	Eliguntur: 1. 2 Socii, qui cum Hoffaeo provinciali ad praepositum generalem eligendum et alia in Societatis congregatione generali constituenda, Romam eant; 2. 2 eorum „substituti“; dein C. deligitur, ut cum PP. Hoffaeo et Lanoio seligat, quae congregationi pro-

		vinciali proponenda, quae reicienda sint: postea quaeritur et constituitur, quid generali vel congregationi vel praeposito proponi debeat (653).
1573	Ian. 22.	C. et reliqui PP. congregati generalem proxime eligendum per litteras rogant, ne Hoffaeum provincialem officio levet (105).
1573	Ian. 23. (ut videtur)	Augusta C. Oenipontem versus proficiscitur (654).
1573	Febr. 7.	**Oeniponte** C. nomine Gregorii XIII. Ferdinandum II. archiducem de rationibus religionis catholicae in Germania instaurandae clam consulit (109 113).
1573	Febr. 9.	Oeniponte discedit (109).
1573	Sub 11. Febr.	**Augustae** iussu pontificis libros protestantium emit, Romam mittendos (108 110).
1573	Sub m. Febr.	*Rabus contionator aulicus adversus Marbachium edit librum, in quo Eisengreinium et C. eiusque sodales defendit et laudat* (656).
1573	Febr. 16. vel 17.	**Monachii** C. pontificis mandatu Albertum V. ducem adit eiusque de religionis instaurandae rationibus sententiam exquirit (113 118).
1573	Circa 17. Febr.	Cum Eckio ducis cancellario agit de adiuvando Brunnero, ministro zwingliano, ad ecclesiam catholicam aspirante (112).
1573	Sub exeuntem Febr.	**Salisburgum** venit. Cum Ioanne Iacobo Khuen archiepiscopo pontificis nomine de rebus religionis agit; inde revertitur **Oenipontem** (110 117).
1573	Sub exeuntem Febr.	*Salisburgi cum Io. B. Fiklero archiepiscopi consiliario de „Theologia iuridica", quam Fiklerus parat, consilia confert* (661).
1573	Sub m. Mart.	*Stephanus Isaak Catechismum Canisii hebraice vertere incipit* (663).
1573	Circa 10. Mart.	C. cum PP. Hoffaeo, Pisano, Peltano et Fr. Bauceno in Italiam proficiscitur (664).
1573	Circa med. Mart.	**Patavii** a rectore collegii hospitio illi excipiuntur. C. Ioannem Vincentium Pinellum invisit (?) (111 201).
1573	Sub 25. Mart.	Guilielmus Lindanus episcopus ruraemundanus petit, ut C. cum aliquot Sociis Noviomagum veniat Societatis eo inducendae causa (119).
1573	Ante 4. Apr. (ca. 2. Apr.)	C. cum comitibus **Romam** advenit (111).
1573	Inter ineunt. Apr. et exeunt. Iun.	C. ad Gregorium XIII. de sua ad principes legatione et de aliis germanicarum ecclesiarum rebus refert; eidem commendat, ut germanicum collegium Romae amplificet et similia collegia per Germaniam condat. Similia apud cardinales praestat (664—666).

1573	Inter ineunt. Apr. et exitum Iun.	C. Romae adulescentes collegii germanici etc. exhortatur, pietatis romanae exempla colligit, cum S. Philippo Nerio, Baronio etc. familiariter agit (666).
1573	Apr.—Iun.	*In bibliothecis cardinalis Sirleti, vaticana etc. Patrum sententias, imprimis graecas, de B. Maria V. et S. Petro colligit* (143 666).
1573	Apr. 15.	Societatis congregatio generalis III. (12. Apr. incohata) constituit, ut in electione praepositi generalis C. (cum 3 aliis) electores „includat" (667).
1573	Apr. 22.	Incohatur electio praepositi generalis, C. et 3 aliis Sociis electores custodientibus. Electione mandato pontificio de non eligendo quoquam hispano interrupta, C. cum aliis Sociis mittitur **Tusculum** ad Gregorium XIII. liberae electionis impetrandae gratia. Qua impetrata illi noctu redeunt **Romam** (667).
1573	Apr. 23.	C. eiusque sociis electores custodientibus P. Everardus Mercurianus eligitur praepositus generalis (668).
1573	Apr. 26.	C. ad congregationem generalem admittitur, excepta electione assistentium praepositi generalis (669).
1573	Apr. 26.	Consessui interest (669).
1573	Apr. 29.	Sessio. C. cum 6 aliis designatur ad notanda instituti S. J. loca concilio Tridentino repugnantia et ad colligendas difficultates constitutionum et bullarum S. J. (669 670).
1573	Maii 1.	*Ioannes Molanus professor librorumque censor lovaniensis Canisii „Institutiones et exercitamenta Christianae pietatis" omnibus litterarum studiosis commendat* (700).
1573	Maii 2. et 3.	C. P. Lamberto Auer rectori moguntino morienti adest eiusque supremam voluntatem litteris consignat (120).
1573	Iun. 5.	Sessio. Leguntur, quae C. eiusque socii de concilio Tridentino collegerunt, et praepositus generalis relaxationem quandam a pontifice petere iubetur (670).
1573	Iun. 16.	Sessio ultima. Congregatio generalis absolvitur (670).
1573	Iun. 22.	12—14 Societatis theologi (et in his Canisius?) bis congregati ad quaestiones de 5% respondent (671).
1573	Iun. 25.	Gregorius XIII., C. et 4 aliis Sociis instantibus, Societati pro septentrione multas tribuit facultates ad animas iuvandas (674).
1573	Paulo post 25. Iun.	C. cum PP. Hoffaeo, Peltano, Pisano, Mag. Gregorio de Valentia, Fr. Bauceno laico in Germaniam versus proficiscitur (678).
1573	Sub ineunt. Iul.	P. Valentiam febricitantem **Florentiae** ad tempus relinquunt (678).
1573	Iul.	Baucenum graviter aegrotantem **Ferrariae** relinquunt (678).
1573	Iul.	C. et Peltanus Hoffaeum febricitantem cum Pisano **Tridenti** relinquunt (678).
1573	Ante 28. Iul.	C. **Oenipontem** advenit; iterum de B. Maria V. scribere incipit (127).
1573	Iul. 28. vel paulo ante	**Halae** Magdalenam reginam invisit (679).

1573	Ineunte Aug. (ante 6.)	C. **Oeniponte** nuntio apostolico libellum supplicem a se scriptum tradit, quo Magdalena eiusque soror facultates petunt ad confraternitatem rosarii Halae instituendam spectantes (680).
1573	Inter 21. Iul. et 6. Aug.	Portia nuntius de adulescentibus pro collegio germanico colligendis cum Sociis agit (135).
1573	Aug. 16.	C. Casparem Gropperum nuntium apostolicum Roma venientem excipit (132).
1573	Aug. 17.	Coloniam ad P. Laur. Surium Cartusianum Breve Gregorii XIII. et vitam martyris cuiusdam mittit (133).
1573	Sub exitum Aug.	**Halae** Magdalena regina cum C. agit de Socio quodam Eleonorae sorori, qui Mantuae ipsius confessarium agat, concedendo (134).
1573	Aug. 30. (ut videtur)	Dom. XVI. p. Pent. C. **Oeniponte** de evang. diei contionatur (681).
1573	Sept. 6. (ut videtur)	Dom. XVII. p. Pent. ex evang. diei de exsequiis Christianorum dicit (681).
1573	Sept. 8. (ut videtur)	Die Nativitatis B. Mariae V. de septem verbis eius orationem sacram habet (681).
1573	Sept. 13. (ut videtur)	Dom. XVIII. p. Pent. de diebus dominicis pie peragendis dicit (681).
1573	Sept. 18.	Portia nuntius apostolicus C. Salisburgo novas collegii germanici constitutiones mittit et, ut pro eodem ipse aliique Socii adulescentes quaerant, mandat (136).
1573	Sept. 20.	Ferdinandus II. archidux C. 80 florenos annuos pro scriptore alendo assignat (688).
1573	Inter 28. et 30. Oct.	Portia nuntius Oeniponte cum C. de adulescentibus in collegium germanicum mittendis agit (137).
1573	Oct., ut videtur	*C. Gregorio XIII. per Portiam commendat Centuriatorum et Chemnitii refutationem* (683).
1573	Sept. vel Oct.	C. cardinali Sittico ab Hohenembs episcopo constantiensi suadet, ut Constantiae seminarium instituat (140).
1573	Oct. 15.	PP. Hoffaeus et C. suadent, ut pontifex collegium collegio germanico simile in Germania condat (144).
1573	Circa init. Nov.	*C.* ***Augustam*** *et* ***Dilingam*** *proficiscitur operis sui mariani absolvendi causa* (153).
1573	Nov. 14.	A praeposito generali confirmatur consiliarius praepositi provincialis et rectoris oenipontani (682).
1573	Nov. 30.	Dilingae Ioannem Egolphum a Knöringen episcopum augustanum adit; de collegio augustano cum eo agit; persuadet eidem, ut abbatem Sociosque fuldenses adiuvet (148).
1573	Nov. vel Dec.	Augustae Franciscanis oenipontanis Ferdinandi II. archiducis pecunia libros emit (684).
1573	Nov. vel Dec.	*P. Turriani adversus Freyhubium opus Ioanni Egolpho episcopo dedicatum eidem tradit* (141).
1573	Nov. et Dec.	C. Dilingae et alibi oppido „Weil der Stadt“ contionatorem quaerit (685).
1573	Circa 9. Dec.	Dilingae moratur (153).
1573	Circa med. Dec.	Per **Monachium** (ut videtur) transit (150).
1573	Dec. 21.	**Oeniponte** versatur (169).
1573	Dec. 21. vel 22	A Portia nuntio apostolico consulitur de loco Germaniae pro collegio pontificio deligendo (156).

1573	Dec. 30.	Per Portiam pontifici vehementer commendat, ut seminarium pontificium instituat Dilingae, et ut Sociis Augustae locum collegio instituendo aptum tribuendum curet (156 685).
1571 ad 1576	—	In domo rustica vici Arzl catechismum nonnumquam explicat (603).
1574	—	*Dilingae prodit nova editio „Hortuli animarum" germanici (a C. a. 1563 curati)* (700).
1574	—	*„Institutiones et Exercitamenta Christianae Pietatis" ab auctore recognita Antverpiae a Plantino iterum vulgantur* (699).
1574	—	*„Summa doctrinae christianae" latine iterum editur Antverpiae, Leodii, Novariae, Venetiis, et hispanice prelo paratur Compluti* (698).
1574	—	*Canisii „Epistolae et Evangelia", a Schwaygero canonico francofurtensi germanice reddita, Coloniae vulgantur* (701).
1574	Initio Ianuarii.	Ferdinandi II. archiducis consiliarii Canisio se praebent ad dissidium inter Ferdinandum et cardinalem Tridentinum componendum promptiores (703).
1574	Inter 2. et 6. Ian.	C. de collegio pontificio Constantiae condendo a Portia nuntio certior factus promittit se pontificis consilium adiuturum (157).
1574	Ian. 18.	Ferdinando II. auctore C. et Klöcklerus cancellarius **Sefeldiam**, religiosis peregrinationibus celebrem, inspiciunt et principi multa proponunt de cultu sacrae illius hostiae, miraculis clarae, amplificando (160).
1574	Febr. 7.	Dom. Septuag. C. **Oeniponte** in ecclesia collegii Societatis post meridiem librum Iob interpretari incipit (706).
1574	Febr. 14.	Dom. Sexag. ibidem ex Iob 1, 1 quattuor viri huius virtutes declarat (707).
1574	Circa med. Febr.	Tres iuvenes rotvilanos commendat, ut in collegium germanicum admittantur (178 184).
1574	Febr. 21.	Dom. Quinquag. in templo collegii Iob 1, 2—5 explicat (de Bacchanalibus recte agendis etc.) (707).
1574	Febr. 24.	Die Cinerum C. et Christoph. Klöckler cancellarius tirolensis Ferdinando II. archiduci plurima referunt et commendant ad sacras peregrinationes sefeldianas spectantia. C. in templo collegii de sacra Quadragesima et de Iob 1, 6 verba facit (185 707).
1574	Febr. 28.	Dom. I. Quadr. ibidem Iob 1, 6 interpretatur (707).
1574	Mart. 7.	Dom. II. Quadr. ibidem Iob 1, 7—12 interpretatur (707).
1574	Mart. 14.	Dom. III. Quadr. ibidem Iob 1, 12 explicat (707).
1574	Martio (post 5.) vel Apr.	In pompa funebri Helenae reginae sermonem habet (710).
1574	Inter 10. et 17. Martii	Portia nuntio apostolico auctore C. Ferdinandi II archiducis cancellarium adit; ad pacem inter archiducem et cardinalem Tridentinum componendam eum hortatur (703).
1574	Mart. 21.	Dom. IV. Quadr. in templo collegii Iob 1, 12—19 interpretatur (707).

1574	Mart. 25.	Die Annuntiationis B. M. V. ibidem de sacro hoc die et de Iob 1, 20—22 dicit (708).
1574	Apr. 11.	Dom. Paschatis ibidem de Christi resurrectione et de Iob 1, 21 contionatur (708).
1574	Apr. 18.	Dom. I. p. Pascha ibidem interpretationem primi capitis Iob absolvit (708).
1574	Apr. 25. (Maii 2.?).	Dom. II. (III.?) p. Pascha ibidem Iob 2, 1—3 explicat (708).
1574	Paulo ante fin. Aprilis.	Iulii Echter episcopi herbipolensis oratoribus romanis per Oenipontem transeuntibus consilia dat (210).
1574	Exeunte Apr.	C. et rector oenipontanus sententiam rogati censent non esse concedendum Bavariae duci, ut scholae philosophicae et inferiores a. 1573 Ingolstadio motae eo reducantur (203).
1574	Circa m. Maium	*C. amicorum coloniensium nomine P. Laurentii Surii O. Cart. „De probatis Sanctorum historiis" tomum quintum Romam ad Gregorium XIII. mittit* (217).
1574	Maii 2. (9.?)	Dom. III. (IV.?) p. Pascha in templo collegii Iob 2, 4 explicat (708).
1574	Maii 7.	Iulio Echter electo episcopo herbipolensi per litteras commendat cleri reformationem, protestantium reductionem, collegii Societatis amplificationem (209).
1574	**Maii 10.**	**Gregorio XIII. collegium germanicum, seminariorum institutionem, nuntiorum apostolicorum institutum, amplarum facultatum concessionem per litteras commendat (213).**
1574	Maii 16.	Dom. V. p. Pascha in templo collegii Iob 2, 5 6 interpretatur (708).
1574	Maii 23.	Dom. VI. p. Pascha ibidem de Iob 2, 7 8 verba facit (708).
1574	Maii 31.	F. II. Pentecostes ibidem de patientia Iob imitanda contionatur (708).
1574	Iun. 6.	Die SS. Trinitatis ibidem mane de sacro die eiusque evangelio; post meridiem de Iob 2, 7 8 verba facit (708).
1574	Iun. 13.	Dom. II. p. Pent. ibidem Iob 2, 9 interpretatur (708).
1574	Iun. 20.	Dom. III. p. Pent. ibidem iterum de Iob 2, 9 contionatur (708).
1574	Iun. 27.	Dom. IV. p. Pent. ibidem de blasphemia et de Iob 2, 10 dicit (708).
1574	Iul. 4.	Dom. V. p. Pent. ibidem iterum de Iob 2, 10 verba facit (709).
1574	Iul. 11.	Dom. VI. p. Pent. ibidem ex Iob 2, 10 de „arte vera loquendi" contionatur (709).
1574	Iul. 18.	Dom. VII. p. Pent. ibidem Iob 2, 11—13 explicat et novam indulgentiam iubilaei commendat (709).
1574	Iul. 25.	Dom. VIII. p. Pent. et die S. Iacobi Ap. Can. in templo collegii ex Iob 2, 11—13 de vera et falsa amicitia contionatur (709).
1574	Iul. 26. vel Aug. 1.	Die Dedicationis templi collegii ibidem de christiano usu templorum dicit (709).
1574	Aug. 1. vel 8.	Dom. IX. vel X. p. Pent. ibidem Iob 3, 1—4 interpretatur (709).

1574	Aug. 15.	Die Assumptionis B. M. V. et Dom. XI. p. Pent. Can. in templo collegii de Iob imitando et B. M. V. colenda dicit (709).
1574	Aug. 22.	Dom. XII. p. Pent. ibidem C. caput ultimum libri Iob explicans de vera paenitentia verba facit (709).
1574	Aug. 29.	Dom. XIII. p. Pent. ibidem Iob 4, 7—16 interpretatur (710).
1574	Sept. 1.	*C. Mercuriano praep. generali valde commendat, ut in provincia Germaniae superioris Socii aliqui constituantur „scriptores"* (236).
1574	Sept. 5.	Dom. XIV. p. Pent. in templo collegii ultimam contionem de libro Iob habet (710).
1574	Oct. 5.	Nicolaum Michaelium danum ex Lutheranismo reductum per litteras, ut Romae in collegium germanicum admittatur, commendat (242).
1574	Oct. 5.	*Viros doctos Romae degentes rogat, ut ad novam Conciliorum editionem coloniensem monumenta conferant* (243).
1574	Nov.	*P. Natalis cum PP. Canisio et Pisano de Patris Sa Scholiis in Evangelia edendis agit* (714).
1574	Nov. 11.	Die S. Martini C. in parochiali ecclesia oenipontana officio contionatoris fungi incipit; de praeparatione ad mortem et exemplo Martini dicit (715).
1574	Nov. 14.	Dom. XXIV. p. Pent. ibidem de oboedientia magistratibus praestanda (ex evang. diei) et de sacramento confirmationis dicit (716 729).
1574	Nov. 21.	Dom. XXV. p. Pent. ibidem evang. diei explicat (716).
1574	Nov. 25.	Die S. Catharinae ibidem ex evang. diei de virginitate etc. dicit (716).
1574	Nov. 28.	Dom. I. Adventus ibidem rectum huius sacri temporis usum commendat (716).
1574	Nov. 30.	Die S. Andreae ibidem de Adventu et de Andrea dicit (716).
1574	Dec. 5.	Dom. II. Adv. ibidem de extremo iudicio (ex evang. diei) contionatur (717).
1574	Dec. 6.	Die S. Nicolai ibidem de extremo iudicio (particulari et universali) et de Nicolao dicit (717).
1573 ad 1576	(exeunte a.) ad med. ann.	*P. Petro Ribadeneirae S. J. „Notas" sive emendationes et additiones mittit ad Vitam S. Ignatii 1572 ab eo editam* (250).
1574	Dec. 12.	Dom. III. Adv. in templo parochiali ex evang. diei de S. Ioannis Baptistae exemplo verba facit (717).
1574	Dec. 19.	Dom. IV. Adv. ibidem de doctrina S. Ioannis Bapt. dicit (717).
1574	Dec. 21.	Die S. Thomae ibidem populum, ut se ad Christi natalitia recte paret, hortatur (717).
1574	Dec. 25.	Die Nativitatis Christi ibidem de huius diei gaudiis et recta celebratione dicit (717).
1574	Dec. 26.	Die S. Stephani ibidem ex mandato praepositorum (archiducis etc.) populum de officio extremae unctionis tempore aegrotationis suscipiendae graviter monet (717).

1575	—	*„Parvus Catechismus Catholicorum“ iterum latine editur Antverpiae (bis), Dilingae (bis), Mediolani* (731).
1575	—	*S. Hieronymi Epistolae aliaque scripta in usum scholarum a C. selecta iterum eduntur Lovanii* (735).
1575	—	*Dilingae „Hortulus Animae“ latinus, 1563 Canisii opera, ut videtur, editus, iterum vulgatur, cum eiusdem, „Parvo Catechismo“* (734).
1575	—	*Duaci Epistolae et Evangelia Missalis Romani cum Canisii summariis eduntur* (735).
1575	—	*C. curante ipsius Precationes germanicae Dilingae sextum eduntur, cum catechismo minimo („Betbuch vnd Catechismus“* (733).
1575	—	*Catechismus minimus cum institutione ad confessionem et communionem Dilingae germanice editur (?)* (733).
1575	—	*„Beicht- und Communion Büchlein“ Dilingae iterum editur (?)* (733).
1575	—	*Melchior Braun parochus „Summae“ canisianae compendium germanicum Coloniae edit* (733).
1575	—	*C. curante S. Caroli Borromaei epistula pastoralis de sancto Iubilaei anno italice scripta Dilingae latine et germanice editur* (248).
1575	Ian. 1.	Die Circumcisionis Domini C. in ecclesia parochiali de nomine Iesu dicit et nomen „Societatis Iesu“ defendit (736 738).
1575	Ian. 2.	Dom. post Oct. Nat. ibidem iubilaeum hoc anno Romae agendum commendat (718).
1575	Ian. 6.	Die Epiphaniae ibidem de Magis protestantes refellentibus et catholicos monentibus dicit (718).
1575	Ian. 9.	Dom. I. p. Epiph. ibidem de iubilaeo et sacris peregrinationibus contionatur (718).
1575	Ian. 16.	Dom. II. p. Epiph. ibidem evangelium de nuptiis in urbe Cana actis explicans falsas protestantium interpretationes reicit et de nuptiis recte celebrandis dicit (718).
1575	Ian. 23.	Dom. III. p. Epiph. C. in ecclesia parochiali de miraculis dicit (718).
1575	Ian. 30.	Dom. Septuag. ibidem evang. diei et sacri temporis rationem explicat (718).
1575	Febr. 2.	Die Purificationis B. M. V. ibidem „de caerimonia processionis“ et, ex evang. diei, de Simeonis exemplo dicit (718).
1575	Febr. 6.	Dom. Sexag. ibidem ex evang. diei varia Oenipontanorum vitia vituperat (719).
1575	Febr. 13.	Dom. Quinquag. ibidem populum monet, ut Bacchanalia moderate agat (719).
1575	Febr. 16.	Die Cinerum ibidem fideles monet, ut Quadragesimae tempore diligenter utantur (719).
1575	Febr. 18.	Feria VI. ibidem de septem peccatis capitalibus sive mortalibus dicit (719).
1575	Febr. 20.	Dom. I. Quadr. ibidem ieiunium (ex evang. diei) commendat et de peccato superbiae dicit (720).
1575	Febr. 24.	Die S. Matthiae ibidem de evang. diei et de superbia agit (720).
1575	Febr. 25	F. VI. ibidem ex evang. diei de hominibus gravi culpa oneratis dicit (720).

1575	Febr. 27.	Dom. II. Quadr. ibidem precationes ex evang. diei commendat et superbos, praesertim ambitiosos, vituperat (720).
1575	Mart. 2.	F. IV. ibidem de ambitione et nimio corporum „ornatu" contionatur (720).
1575	Mart. 4.	F. VI. ibidem de superbiae fructibus et signis dicit (721).
1575	Mart. 6.	Dom. III. Quadr. ibidem de daemonis potestate (ex evang. diei) et de avaritia dicit (721).
1575	Mart. 9.	F. IV. ibidem aliquot avaritiae genera recenset (721).
1575	Mart. 11.	F. VI. ibidem de peccatis occultis avaritiae et maxime de feneratione dicit (721 741).
1575	Mart. 13.	Dom. IV. Quadr. ibidem ex evang. diei explicat, quid ad eucharistiam digne sumendam requiratur (721).
1575	Mart. 16.	F. IV. ibidem se, quod de „peccato luxuriae" palam loquatur, purgat et tuetur (721).
1575	Mart. 18.	F. VI. ibidem de luxuria eiusque causis et remediis dicit (721).
1575	Mart. 20.	Dom. Passionis ibidem populum, quomodo peccatorum confessio facienda sit, docet (722).
1575	Mart. 23.	F. IV. ibidem de „peccato gulae" contionatur (722).
1575	Mart. 25.	Die Annuntiationis B. M. V. ibidem de ratione diei sacri, salutatione angelica, eucharistiae sumptione dicit (722).
1575	Mart. 27.	Dom. Palmarum ibidem de ira et invidia ad populum verba facit (723).
1575	Mart. 30.	F. IV. ibidem de peccato invidiae dicit (723).
1575	Mart. 31.	F. V. in Coena Domini ibidem doctrinam de eucharistia contra varios haereticos defendit (723).
1575	Initio Apr.	Ferdinando II. archiduci litteras Mercuriani praepositi generalis tradit illiusque animum recusatione praeceptoris filiorum offensum placat (289).
1575	Apr. 1.	Die Parasceves in ecclesia parochiali „septem exitus Christi" patientis describit et remedia contra „acediam" proponit (723).
1575	Apr. 3.	Dom. Paschatis ibidem Christi „descensionem ad inferos" et resurrectionem enarrat (723).
1575	Apr. 4.	F. II. Pasch. ibidem de „collatione resurrectionis Christi et electorum" et evang. diei dicit (723).
1575	Apr. 5.	F. III. Pasch. ibidem ex evang. diei de vita aeterna contionatur (723).
1575	Apr. 10.	Dom. in Albis ibidem evang. diei interpretatur (723).
1575	Apr. 17.	Dom. II. p. Pascha ibidem sacerdotes honorandos esse ex evang. diei demonstrat (723).
1575	Apr. 24.	Dom. III. Pasch. ibidem populum ex evang. diei consolatur (723).
1575	Apr. 28.	*Roma advenit Salvator da Coldiscepoli novicius, ad C. in scribendo adiuvandum missus* (744).
1575	Maio	*C. postremum volumen Vitarum Sanctorum a Surio editarum Romam perferendum et pontifici tradendum curat* (292).
1575	Maii 1.	Dom. IV. Pasch. et die Dedicationis templi parochialis ibidem de bono et malo usu templorum dicit (723).
1575	Maii 8.	Dom. V. Pasch. (Rogationum) ibidem ex evang. diei de Deo rogando dicit (723).
1575	Maii 12.	Die Ascensionis Domini ibidem de sacro hoc die et de eius evangelio recte interpretando dicit (723).

1575	Maii 13.	*Cardinalem Madrutium per litteras rogat, ut Romae vitas Sanctorum et acta conciliorum colligenda curet* (292).
1575	Maii 13.	Cardinali Madrutio Goffinum iuvenem Romam petentem (postea martyrium passum) commendat (293).
1575	Maii 15.	Dom. p. Asc. in ecclesia parochiali de excommunicatione contionatur (724).
1575	Maii 21. (?)	Vigilia Pentecostes ibidem de baptismo Turcae cuidam conferendo dicit et eundem baptizat (?) (724).
1575	Maii 22.	Dom. Pentecostes ibidem de hoc die recte celebrando agit (724).
1575	Maii 23.	F. II. Pent. ibidem ex evang. diei de amore Dei et de peccatis in Spiritum Sanctum dicit (724).
1575	Maii 24	F. III. Pent. ibidem „de statu ecclesiae primitivae" contionatur (724).
1575	Maii 29.	Dom. SS. Trinitatis ibidem de officiis erga SS. Trinitatem et de baptismo parvulorum agit (724).
1575	Circa m Iun.	*Heidelbergae a Rodingo calviniano „Oratio" in Societatis homines, imprimis C., contumeliosissima habetur et typis vulgatur* (744).
1575	Iun.	*In synodo dioecesis varmiensis C. catechismus iubetur singulis annis populo explicari* (748).
1575	Iun. 2.	Die Corporis Christi C. in templo parochiali sollemnitatem hanc defendit et, quomodo cum fructu agi possit, ostendit (724 742).
1575	Iun. 5.	Dom. II. p. Pent. ibidem de peccatis contra eucharistiam dicit (724).
1575	Iun. 12.	Dom. III. p. Pent. ibidem evang. diei explicat (724).
1575	Iun. 19.	Dom. IV. p. Pent. ibidem ex evang. diei peccatores ad paenitentiam excitat (724).
1575	Iun. 24.	Die Nativitatis S. Ioannis Bapt. ibidem contionatur (?) (728).
1575	Iun. 26.	Dom. V. p. Pent. ibidem ex evang. diei adversus iudicia temeraria loquitur (724).
1575	Iun. 29.	Die SS. Petri et Pauli ibidem evang. diei explicat (725).
1575	Iul. 2.	Die Visitationis B. M. V. ibidem contionatur (?) (728).
1575	Iul. 3.	Dom. VI. p. Pent. ibidem ex evang. diei de primatu pontificis romani dicit et „laborem manualem" commendat (725 742).
1575	Iul. 10.	Dom. VII. p. Pent. ibidem ex evang. diei de iustitia christiana et de peccato irae loquitur (725).
1575	Iul. 17.	Dom. VIII. p. Pent. ibidem ex evang. diei opera misericordiae commendat (725).
1575	Iul. 22.	Die S. M. Magdalenae evang. diei interpretatur et moribus emendandis accommodat (725).
1575	Iul. 24.	Dom. IX. p. Pent. ibidem ex evang. diei fideles monet, ne „falsos prophetas" audiant neve eorum libros legant (725).
1575	Iul. 25.	Die S. Iacobi maioris ibidem evang. diei explicat (725).
1575	Iul. 31.	Dom. X. p. Pent. ibidem ex evang. diei instat, ut pauperes melius curentur (725).
1575	Aug. 7.	Dom. XI. p. Pent. ibidem ex evang. diei de „Christi fletu" et de „abusibus communibus" templorum dicit (726).
1575	Aug. 10.	Die S. Laurentii ibidem huius sollemnitatis fructum declarat (726).

1575	Aug. 14.	Dom. XII. p. Pent. ibidem ex evang. diei aliquot errores protestantium refellit (726).
1575	Aug. 15.	Die Assumptionis B. M. V. ibidem hanc sollemnitatem defendit et „de humilitate Mariae" dicit (726).
1575	Aug. 21.	Dom. XIII. p. Pent. ibidem evang. diei interpretatur (726).
1575	Aug. 24.	Die S. Bartholomaei ibidem „de erroribus circa potestatem civilem et ecclesiasticam" loquitur (726).
1575	Aug. 28.	Dom. XIV. p. Pent. ibidem ex evang. diei „praeceptum charitatis" explicat (726).
1575	Sept. 4.	Dom. XV. p. Pent. ibidem ex evang. diei populum exhortatur (726).
1575	Sept. 8.	Die Nativitatis B. M. V. ibidem canticum „Salve Regina" defendit atque enarrat (726).
1575	Sept. 11.	Dom. XVI. p. Pent. ibidem evang. diei explicat (727).
1575	Sept. 18.	Dom. XVII. p. Pent. in ecclesia parochiali ex evang. diei de cura mortuis impendenda dicit (727).
1575	Sept. 21.	Die S. Matthaei ibidem de evang. diei et de ieiunio quattuor temporum loquitur (727).
1575	Sept. 25.	Dom. XVIII. p. Pent. ibidem de feneratione verba facit (727).
1575	Sept. 29.	Die S. Michaelis de evang. diei et (ex eo) de angelis dicit (727).
1575	Oct. 2.	Dom. XIX. p. Pent. ibidem verba facit (?) (728).
1575	Oct. 9.	Dom. XX. p. Pent. ibidem contionatur (?) (728).
1575	Oct. 16.	Dom. XXI. p. Pent. ibidem contionatur (?) (728).
1575	Oct. 23.	Dom. XXII. p. Pent. ibidem contionatur (?) (728).
1575	Oct. 28.	Die SS. Simonis et Iudae ibidem evang. diei interpretatur (727).
1575	Oct. 30.	Dom. XXIII. p. Pent. ibidem contionatur (?) (728).
1575	Nov. 1.	Die Omnium Sanctorum ibidem de sollemnitate hac pie agenda (ex evang. diei) et de Sanctorum cultu dicit (727).
1575	Nov. 2.	Die Commemorationis fidelium defunctorum ibidem populum ad animas fidelium iuvandas exhortatur (728).
1575	Nov. 6.	Dom. XXIV. p. Pent. ibidem contionatur (?) (728).
1575	Nov. 11.	Die S. Martini ibidem de veris Christi famulis (ex evang. diei) et de Martini exemplo loquitur (728).
1575	Nov. 13.	Dom. XXV. p. Pent. ibidem contionatur (?) (728).
1575	Nov. 20.	Dom. XXVI. p. Pent. ibidem contionatur (?) (728).
1575	Nov. 25.	Die S. Catharinae ibidem evang. 10 virginum enarrat (728).
1575	Circa initium Dec.	Iuveni litterarum studioso stipendium annuum a coadiutore capituloque brixinensi impetrat (310).
1575 1576	exeunte anno vel initio anni.	Vicario generali dioecesis brixinensis aliqua commendat, quae ad iubilaeum proxime agendum utilia sint futura (311).
1576	—	*Oprodius episcopus suffraganeus ultraiectensis C. catechismum a se flandrice iussu Philippi II. versum et aliquantum amplificatum Ultraiecti edit* (752).
1576	—	*C. „Beicht vnd Communion Büchlein" (ut videtur) Dilingae iterum editur* (752).
1576	—	*Ioannes Perellius (Ioannes Iacobus Rabus) Sociorum discipulus „Dialogum" adversus Rodingi calviniani in Socios, imprimis C., contumelias Ingolstadii edit* (747).

1576	—	*„Summa doctrinae christianae" latine iterum Coloniae, hispanice Compluti editur* (730 751).
1576	—	*„Institutiones et exercitamenta christianae pietatis" Antverpiae iterum eduntur* (752)
1576	—	*Catechismus parvus latine Antverpiae, Cracoviae, Dilingae, gallice Antverpiae editur* (751).
1572 ad 1580	—	C. Oeniponte ad Socios collegii complures „exhortationes domesticas" (de regulis etc.) habet (606).
1576	Ian. 11.—19.	Oeniponte congregationi provinciali (provinciae S. J. Germaniae Superioris) interest (757).
1576	Ian. 12.	PP. Natalis et C. deliguntur, ut cum P. Hoffaeo provinciali seligant, quae congregationi provinciali proponenda sint, quae reicienda (757).
1576	Circa init. Febr.	C. cum comite Hier. de Portia Roma Monachium eunte in collegio prandet eumque, ut in causa Ernesti principis et P. Toleti Societati parcat, rogat (315).
1576	Febr. 2. (ut videtur)	Die Purificationis B. M. V. de caerimoniis diei et (ex eius evang.) de diebus festis recte agendis contionatur (759).
1576	Febr. 25. (ut videtur)	Die S. Matthiae Ap. evang. diei e sacro suggestu explicat (759).
1576	Aprili	*Boquinus professor heidelbergensis in libro contra Societatem edito C. catechismum calumniatur* (753).
1576	Apr. 6. (ut videtur)	C. ad Socios exhortationem habet de iubilaeo Societati a pontifice concesso (607).
1576	Apr. 20. (ut videtur)	Die Parasceves de passione Christi orationem habet (759).
1576	Apr. 23. (ut videtur)	F. II. Paschatis de Christi et omnium hominum resurrectione contionatur (759).
1576	Apr. 25.	Gregorius XIII. iubet C. cardinali Morono in comitiis imperii ratisbonensibus adesse (337).
1576	Maii 1. (ut videtur)	Die SS. Philippi et Iacobi App. C. contionatur (760).
1576	Maii 21.—26.	Cardinalis Ioannes Moronus, Roma Ratisbonam versus profectus, Oeniponte subsistit, cum C. consilia confert, eundem sibi deligit confessarium (345 346).
1576	Maii 25.	Cardinalis Moronus Oeniponte C. suasu Ferdinandum II. archiducem urget ad nobilitatem suebicam in fide conservandam, seminarium condendum, universitatem friburgensem instaurandam, episcopos et Socios fovendos, litem tridentinam componendam etc. (344).
1576	Circa exitum Iunii (post 21.)	C. **Dilingae** necessitates collegii et causam 5% pendendorum diligenter cognoscit, ut ea cardinali Morono explicare possit (346).
1576	Sub ineunt. Iul. (circa 2. Iul.)	Cum socio **Ratisbonam** advenit (351).
1576	Iul.—Sept.	Cum PP. Antonio et Avellaneda eorumque sociis in domo capellani episcopi ratisbonensis habitat. Multas confessiones aulicorum etc. excipit. De tempestate fuldensi sedanda agit. Cardinalis Moronus ei pecuniam donat et res necessarias prospicit (351 352 370).

1576	Inter Iul. et Sept.	C. cardinali Morono Ioannem Stempelium sodalitatis B. Mariae V. coloniensis praefectum commendat; item Ioanni Ertlino contionatori eystettensi usum exercitiorum sacrorum commendat (353).
1576	Inter Iul. et Sept.	C. iuvante P. Antonio cardinali Morono commentarium de Germaniae iuvandae rationibus componit (358).
1576	Iul. 22.	Dom. VI. p. Pent. C. Ratisbonae contionari incipit (352).
1576	Iul. 25.	Die S. Iacobi maioris contionatur (352).
1576	Iul. 29.	Dom. VII. p. Pent. contionatur (352).
1576	Inter med. Iul. et med. Aug.	Balthasarem a Dernbach O. S. B. abbatem principemque fuldensem a sediciosis potestate privatum per litteras consolatur (355).
1576	Aug. 5.	Dom. VIII. p. Pent. contionem habet (352).
1576	Inter 26. Iul. et 18. Aug.	Cardinalis Moronus C. 300 florenos dat ad collegium dilinganum iuvandum (371).
1576	Aug. 10.	Die S. Laurentii C. contionatur (352).
1576	Aug. 12.	Dom. IX. p. Pent. contionatur (352).
1576	Aug. 15.	Die Assumptionis B. M. V. contionatur (352).
1576	Aug. 16.	PP. C. et Antonio Delphinum nuntium apostolicum adeunt et, quid praepositus generalis de collegio Ratisbonae condendo sentiat, edocent (372).
1576	Aug. 19.	Dom. X. p. Pent. C. contionatur (352).
1576	Aug. 24.	Die S. Bartholomaei C. contionem habet (352).
1576	Aug. 26.	Dom. XI. p. Pent. contionatur (352).
1576	Aug. 28.	*Gregorius XIII. rogatu C. Sartorio typographo ingolstadiensi privilegium typographicum ad opus Mariale C. et 2 opera PP. Peltani et Pisani edenda tribuit* (354).
1576	Sept. 2.	Martinus de Schaumberg episcopus eystettensis C. aliosque Socios ad confessiones audiendas approbat (760).
1576	Sept. 2.	Dom. XII. p. Pent. C. contionatur (352).
1576	Sept. 8.	Die Nativitatis B. M. V. contionatur (352).
1576	Sub m. Sept.	*Perellii (Rabi) Dialogus pro C. etc. scriptus Ingolstadii germanice editur opera Ioannis Götz* (748).
1576	Sept. 9.	Dom. XIII. p. Pent. C. contionatur (352).
1576	Sept. 16.	Dom. XIV. p. Pent. contionatur (352).
1576	Sept. 21.	Die S. Matthaei contionatur (352).
1576	Sept. 23.	Dom. XV. p. Pent. contionatur (?) (352).
1576	Sept. 29.	Die S. Michaelis contionatur (?) (352).
1576	Inter 21. et 30. Sept.	*C.* ***Ingolstadium*** *transmigrat, Operi Mariano ibi typis exscribendo operam daturus* (376).
1576 ad 1577	Oct. 17. ad circa 12. Ian.	Bartholomaeus Portia nuntius apostolicus Ingolstadii commorans C. frequenter utitur (376 388).
1576	Inter Oct. et Dec.	*„Parvus Catechismus Catholicorum" Parisiis editur, ab Aegidio de Kanpuil in linguam britannicam translatus* (760).
1576	Dec. 9.	C. cum Portia nuntio apostolico de collegio Societatis Constantiae condendo agit (378).
1577	Ian. (Febr., Mart., Apr. ?).	Hieronymum comitem de Portia graviter aegrotantem saepe invisit (388 389).
1576 ad 1577	Oct.—Apr.	Operam dat, ut Sebastianus Flasch minister lutheranus ad fidem catholicam conversus accipiat, unde cum suis vivere possit (395).

1577	—	*Coloniae apud Calenium in lucem prodit „Opus catechisticum" sive editio emendata atque amplificata „Authoritatum" Scripturae et Patrum per P. Petrum Busaeum S. J. verbis „Summae" canisianae subscriptarum* (766).
1577	—	*„Summa doctrinae christianae" latine editur Coloniae* (764).
1577	—	*C. Catechismus in omnibus scholis reipublicae friburgensis explicari iubetur* (765).
1577	—	*Cardinalis Altaemps C. Parvum Catechismum Catholicorum cum precationibus Ingolstadii excudendum curat et in episcopatu constantiensi solum, seclusis aliis, explicari iubet* (765).
1577	Inter Febr. et Apr.	Pontificis iussu cum Sociis de alumnis pontificiis in convictum S. Ignatii admittendis agit (396 400).
1577	Martio	*Operis Mariani librum V. (ultimum) componit et excudit* (763).
1577	Mart. 21.	C. eiusque Socii iubentur adulescentes nobiles, qui in collegium germanicum admitti possint, quaerere (597).
1577	Inter 24. Mart. et 18. Apr.	Martinum de Schaumberg episcopum eystettensem (**Eystadii vel prope Eystadium**) invisit (401).
1577	Paulo ante finem Martii.	Proficiscitur **Landishutum** (399 771).
1577	A 31. Mart. ad 10. Apr.	Per hebdomadem maiorem diesque sacros Paschatis coram Guilielmo Bavariae principe contionatur (771).
1577	Mart. 31.	Dom. Palmarum contionatur (771).
1577	Apr. 3.	Contionatur (771).
1577	Inter exeunt. Mart. et med. Apr.	*Guilielmus (V.) Bavariae princeps C. opus Mariale componentis aliquando agit scriptorem* (772).
1577	Apr. 5.	C. die Parasceves contionatur (771).
1577	Apr. 7.	Dom. Paschatis contionatur (771).
1577	Apr. 8.	F. II. Paschatis contionatur (771).
1577	Apr. 9.	F. III. Paschatis contionatur (771).
1577	Circa med. Apr.	Pontificis iussu cum Sociis de alumnis pontificiis Dilingae in convictum S. Hieronymi admittendis agit (400).
1577	Ante 22. Apr.	**Augustam** advenit (403).
1577	Circa 22. ad 25. Apr.	Iussu Gregorii XIII. libros Philippi Eduardi Fuggeri inspicit et de iis ad cardinalem Rebibam refert (402).
1577	Post med. Apr. (?)	Apud Marcum Fuggerum coenans disputat cum Geizkoflero lutherano (773).
1577	Apr. 25. vel paulo post	***Ingolstadium*** *redit ad opus Marianum absolvendum* (402).
1577	Circa m. Iul.	*Opus Marianum („De Maria Virgine incomparabili ... Libros quinque") absolvit et in lucem emittit* (408 409).
1577	Sub m. Iul.	Hoffaeus praepositus provincialis Germaniae Superioris C. sibi adiungit socium in provincia visitanda etc. (408 463).
1577	Sub finem Iul.	C. Ingolstadio discedit (409).

1577	Aug. 1.	**Halae** in Tiroli degit (409).
1577	Aug.	P. Hoffaeum provincialem in collegio halensi visitando adiuvat (409).
1577	Circa 20. Aug.	Cum Hoffaeo **Oenipontem** transmigrat (410 414 415).
1577	A 20. fere Aug. ad 17. Sept.	Hoffaeum provincialem in visitatione collegii oenipontani adiuvat. Collegii libros „expurgat" (778 779).
1577	Sub exitum Aug.	Sex iuvenes suecos in collegium germanicum missos excipit et, quoad transitus in Italiam securior sit, Dilingae sustentandos curat (413).
1577	Inter med. et exeunt. annum (ut videtur)	In visitatione collegii alicuius (vel plurium collegiorum) de ea ad Socios exhortationem habet (775).
1577	Circa Sept. 17.	Cum Hoffaeo provinciali proficiscitur Dilingam (419).
1577	Circa Sept. 19.	Cum eo transit per **Monachium** (420).
1577	Circa 21. Sept.	**Dilingam** advenit (420).
1577	A 21. fere Sept. ad 20. Oct.	Hoffaeum provincialem in visitatione collegii dilingani adiuvat (420).
1577	Inter Sept. 22. et Oct. 19.	Cum Hoffaeo et 2 aliis Sociis a Marquardo de Berg episcopo principe augustano ad prandium vocatur (420).
1577	Autumno	C. hortatu sodalitas B. Mariae V. Ingolstadii instituitur (778).
1577	Circa Oct. 21.	C. cum Hoffaeo provinciali **Ingolstadium** advenit (421).
1577	A 21. fere Oct. ad med. Dec.	Hoffaei provincialis in collegio visitando socium agit; collegii bibliothecam lustrat et expurgat (426 780).
1577	Circa med. Dec.	Cum Hoffaeo proficiscitur **Monachium** (426).
1577	Dec. 24.	Excurrit **Landsbergam** ad sacra ministeria diebus natalitiis obeunda; inde revertitur **Monachium** (426).
1577 ad 1578	Dec. exeunte ad Ian. fere medium	Monachii Hoffaeum provincialem in collegio visitando adiuvat; collegii libros lustrat et expurgat (426 781).
1578	—	*Duaci et Parisiis Epistolae et Evangelia Missalis Romani cum C. summariis eduntur* (784).
1578	—	*„Summa doctrinae christianae" latine editur Veronae* (782).
1578	—	*„Parvus Catechismus Catholicorum" editur latine Antverpiae, Coloniae, Dilingae, Ingolstadii, Mantuae (?); italice Augustae Taurinorum* (783 784).
1578	—	*In „Fide Iesu et Iesuitarum" iterum (cum Donati Wisarti nomine) vulgata C. aliique Socii conviciis afficiuntur* (693).
1578	Ian., post med.	C. **Augustae** Hoffaeum provincialem in domo Societatis visitanda adiuvat (419 433).
1578	Ian. exeunte (ut videtur)	Cum Hoffaeo **Landsbergam** transmigrat (442).
1578	Febr. 6.	A Mercuriano praeposito generali iubetur cum consultoribus provinciae reliquis aliquem constituere, qui Hoffaei provincialis valetudinem curet (436).
1578	Febr.	In ecclesia parochiali contionatur (?) (442).
1578	Circa med. Febr.	*Mercurianus praepositus generalis C. Opus Marianum affert Gregorio XIII. Hic C. omni adversus Centuriatores scribendi officio liberat* (437).
1578	Febr. et Mart.	Dum P. Paulus Hoffaeus provincialis in Helvetia moratur, C. eius mandatu viceprovincialem agit (442).

1578	Sub Mart. 1.	**Landishutum** advenit (441 444).
1578	2. Mart. ad 7. Apr.	Guilielmi Bavariae principis rogatu coram eodem contiones quadragesimales et paschales habet. Turcam ad fidem instituit (445 789).
1578	Sub m. Mart.	Guilielmo auctor est, ut aulicos in pietatis officio contineat, templis celebribus indulgentias impetret, libros salutares spargat (443 445).
1578	Mart. 2.	Dom. III. Quadr. contionatur (789).
1578	Mart. 5.	F. IV. contionatur (789).
1578	Mart. 7.	F. VI. contionatur (789).
1578	Mart. 8	Romae congregatio cardinalium germanica constituit, ut C. cum Guilielmo duce clivensi de calice laicorum et rebus monasteriensibus agat (790)
1578	Mart. 9.	Dom. IV. Quadr. C. contionatur (789).
1578	Mart. 12.	F. IV. contionatur (789).
1578	Mart. 14.	F. VI. contionatur (789).
1578	Mart. 16.	Dom. Passionis contionatur (789).
1578	Mart. 19.	F. IV. contionatur (789).
1578	Mart. 21.	F. VI. contionatur (789).
1578	Mart. 23.	Dom. Palmarum contionatur (789).
1578	Mart. 26.	F. IV. contionatur (789).
1578	Mart. 28.	Die Parasceves contionatur (789).
1578	Mart. 29.	Sabbato Sancto in baptismo Turcae cuiusdam orationem habet (?) et eundem sollemniter baptizat (?) (724 789).
1578	Mart. 30.	Dom. Paschatis contionatur (789).
1578	Mart. 31.	F. II. Paschatis in templo S. Martini indulgentiam plenariam promulgat et commendat; dein de resurrectione Christi et Christianorum dicit (793).
1578	Apr. 1.	F. III. Paschatis contionatur (789).
1578	Apr. 5.	Romae complura Brevia conscribuntur, quibus C. Guilielmo duci Clivensi, Ioanni Guilielmo filio eius, consiliariis eius commendatur (791).
1578	Apr. 6.	Dom. in Albis C. Landishuti contionatur (789).
1578	Apr. 7.	In sollemnitate Annuntiationis B. M. V. (translata) contionatur (789).
1578	Paulo ante 12. Apr.	**Augustam** revertitur (444).
1578	Circa 12. Apr.	Cum Barth. Portia nuntio apostolico agit (448).
1578	Apr. 22.	**Landsbergae** adest P. Georgio Schornio S. J. urbis contionatori mortem obeunti (795).
1578	Maii 18.	Dominica Pentecostes domui a comite Helfensteinio Societati exstructae ritu sacro benedicit (796).
1578	Maii 21.	Monachio P. Hoffaeus provincialis et 15 novicii suo cum magistro Landsbergam adveniunt (796).
1578	Maii 22.	Domus probationis landsbergensis sollemniter aperitur (796).
1578	Inter Apr. et Iun.	*C. equitis ferrariensis scripta philosophica inspicit et iudicat* (440 452).
1578	Iun. 26.	**Monachii** Hoffaeus provincialis et C. ad Annam Alberti V. ducis uxorem arcessuntur; eius rogatu iuvenem, ut in collegium germanicum admittatur, commendant (451).

1578	Iul. 1.—12.	Monachii, ut videtur, cum Hoffaeo provinciali versatur (451).
1578	Aestate	*Agitur de praefatione Missalis Constantiensis a C. scribenda* (797).
1578	Aug. 1.—9.	C. **Landsbergae**, ut videtur, cum Hoffaeo moratur eumque in visitanda domo Societatis adiuvat; Sociorum libros lustrat (451 781).
1578	Brevi post Aug. 8.	**Halam** (cum Hoffaeo provinciali, ut videtur,) proficiscitur (451).
1578	Circa med. Aug.	**Brixinae** ab episcopo amplarum facultatum sacrarum confirmationem Sociis impetrat (797).
1578	Aug. et Sept.	Hoffaeum provincialem **Halae** in collegio visitando adiuvat (451 797).
1578	Sept. 16.	Magdalena archiducissa C. dictat epistulam ad Mercurianum praepositum generalem, qua de Societate queritur (454).
1578	Sept. 20.	C. ab Hoffaeo provinciali Hala mittitur **Monachium** ad Guilielmum Bavariae principem, propter P. Menginum confessarium rectoris officio levatum succensentem (457).
1578	Sub Sept. 23.	Animos Guilielmi et Mengini placat; disciplinae Societatis consulit (458).
1578	Sub finem Sept.	**Halam** redit. Cum Hoffaeo provinciali de Guilielmi et Mengini causa agit (459).
1578	Sept. 29. vel 30.	Io. Bapt. Castagna archiepiscopus rossanensis a Gregorio XIII. in Germaniam legatus **Oeniponte** cum C. (et aliis Sociis) de rebus Belgii etc. consilia confert (461).
1578	Oct.	C. Hoffaeum provincialem in collegio oenipontano visitando adiuvat (463).
1578	Oct. 19.	Interest (ut videtur) renovationi votorum religiosorum (464).
1578	Nov.	*Dusseldorpii „Parvus Catechismus Catholicorum" excuditur* (799).
1578	Nov.	**Augustae** C. Hoffaeo provinciali in Societatis domo visitanda adest (464).
1578	Nov. 7.	Versatur (ut videtur) Augustae (464).
1578	Nov. 16.	Augusta ad Balthasarem abbatem fuldensem litteras consolatorias dat (469).
1578	Paulo post 16. Nov.	**Dilingam** proficiscitur, Hoffaeo provinciali ad collegium visitandum operam commodaturus (472).
1578	Circa finem Nov.	C. a Guilielmo (V.) Bavariae principe accessitur **Monachium** (473).
1578	Ineunte et medio Dec.	Cum principibus de confessario mutando frustra agit; efficit, ut P. Mengini confessarii mores corrigantur (475).
1578	Dec. 24.	A Guilielmo principe evocatus cum eo de confessarii causa suaviter fausteque agit (478).
1578 ad 1579	—	*Catechismi canisiani explicatio in urbem agrosque lucernenses per cardinalem Altaemps et reipublicae magistratus inducitur* (765).
1579	Ineunte anno	*Holmiae suecica versio „Parvi Catechismi Catholicorum" canisiani typis exscribitur; ibidem idem liber germanice editur* (800).
1579	—	*„Parvus Catechismus Catholicorum" editur latine Cracoviae, Dilingae, Romae, Salmanticae* (802).

1579	—	*„Beicht- vnnd Communion-Büchlein" Dilingae iterum editur* (804).
1579	—	*Dusseldorpii in gymnasio iussu Guilielmi Iuliae Montiumque ducis, frustra obsistentibus earum terrarum ordinibus, C. catechismus iuventuti explicatur* (799).
1579	Ian 21.	*A Rudolpho II. imperatore C. catechismus, isque solus, Vindobonae in scholis germanicis explicari iubetur* (804).
1579	Vere	*Parisiis editur „Opus catechisticum" a doctoribus sorbonicis approbatum* (803).
1579	Circa exeunt. Febr.	C. cum Bavariae principibus de P. Mengino confessario agit (495).
1579	Circa 16. Mart.	**Landishutum** advenit ibique cum Guilielmo (V.) Bavariae principe de P. Mengino principum confessario in officio continendo et aula arcendo agit (493 495).
1579	Ab 18. Mart. ad 20. Apr.	Coram Guilielmo principe contiones quadragesimales habet (805).
1579	Mart. 18.	F. IV. post Dom. II. Quadr. dicendi initium facit fideles hortando, ut sacro hoc tempore pie utantur (806).
1579	Mart. 19.	P. Menginum principum confessarium hortatur, ut rectius se gerat (496 499).
1579	Mart. 20.	F. VI. aliqua ex evang. diei explicat et, cur prophetiam Ionae sibi sumpserit interpretandam, exponit (806 810).
1579	Mart. 22.	Dom. III. Quadr. Ion. 1, 1 2 explicat et ex evang. diei de daemone eiusque tentationibus dicit (807).
1579	Mart. 24.	F. III. de peccatis „in caelum clamantibus" et de Ion. 1, 3 dicit (807).
1579	Mart. 25.	Die Annuntiationis B. M. V. de salutatione evangelica et de Ion. 1, 2 3 dicit (807 810).
1579	Mart. 27.	F. VI. de fuga Ionae contionatur (807).
1579	Mart. 29.	Dom. IV. Quadr. evang. diei variis hominum ordinibus accommodat et Ion. 1, 6 7 explicat (807 810).
1579	Apr. 1.	F. IV. evang. diei explicat et de Ion 1, 7—12 dicit (807).
1579	Apr. 3.	F. VI. evang. diei et Ion. 1, 13—16 explicat (808).
1579	Apr. 5.	Dom. Passionis de sacri temporis ratione et de Ion. 2, 1—10 dicit (808).
1579	Apr. 8.	F. IV. ex evang. diei de animis ad communionem parandis loquitur; deinde Ion. 2, 1 2 interpretatur (808).
1579	Apr. 9.	F. V. de sacramento paenitentiae (ex evang. diei) et de Ion. 2, 2—10 dicit (808).
1579	Apr. 10.	F. VI. evang. diei et Ion. 2, 8—10 explicat (808).
1579	Apr. 11.	Sabb. evang. Dominicae proximae communionem sumpturis accommodat (809).
1579	Apr. 13.	F. II. de eucharistia sub una specie sumenda loquitur (809).
1579	Apr. 14.	F. III. Ion. 3, 1—5 explicat (809).
1579	Apr. 15.	F. IV. Ion. 3, 6—10 explicat (809).
1579	Apr. 17.	Die Parasceves Ionae historiam ad passionem Christi accommodat; dein de Christo crucem baiulante et in Cruce moriente dicit (809 812).
1579	Apr. 18. (17.?)	Sabbato sancto ad sacras virgines ordinis cisterciensis exhortationem habet (811).
1579	Apr. 19.	Dom. Paschatis de gaudiis paschalibus, fide, evang. diei dicit (809).

1579	Apr. 20.	F. II. Paschatis Ionae historiam ad Christi resurrectionem accommodat et de signis hominis vere christiani dicit (810).
1579	Maii 2.—9.	**Augustae** congregationi provinciali (provinciae S. J. Germaniae Superioris) interest (815).
1579	Maii 3.	C. et P. Rabenstein deliguntur, ut cum provinciali seligant, quae congregationi provinciali proponenda sint, quae reicienda (815).
1579	Maii 7.	C. deligitur, ut cum P. Torrensi dubia de facultatibus sacris et cum P. Paradinas res ad historiam S. J. spectantes colligat (816).
1579	Inter med. Maii et fin. Iun.	Hoffaeum provincialem **Monachii** adiuvat in collegio visitando (511).
1579	Iun 17.	Ante renovationem votorum religiosorum confessionem generalem (annuam) facit (818).
1579	Inter med. Aug. et med. Sept.	C. transmigrat **Dilingam** (518).
1579	Sept. 17. vel 18.	Curru ab Alberto comite de Fürstenberg misso **Blumbergam** cum sacerdote aliquo collegii dilingani vehitur (522).
1579	Inter exeunt. Sept. et med. Nov.	Comiti eiusque familiae sacramenta confessionis et communionis ministrat; eos et populum doctrina salutis instituit (521).
1579	Inter exeunt. Oct. et med. Nov.	Comitis curru cum socio revehitur **Dilingam** (520 523).
1579	Nov. 22.	Dilingae versatur (521).
1579 ad 1580	—	*Fischart satiricus in „Bienenkorb" et C. Catechismum et eiusdem exorcismum ottinganum petulanter deridet* (818).
1580	—	*„Summa doctrinae christianae" iterum latine editur Antverpiae* (819).
1580	—	*„Parvus Catechismus Catholicorum" iterum editur latine a. 1580 Coloniae, Cracoviae, Dilingae, germanice a. 1580 (1578? 1579?) Dilingae* (819).
1580	—	*Catechismus minimus iterum editur a. 1580 (1578? 1579?) Dilingae* (820—821).
1580	—	*Editur conficta paenitentiarii pontificii ad C. epistula „Von der Maulesel Auffrhur zu Rom", qua eucharistia, curia romana etc. sugillantur* (822).
1580	—	*„Fides Iesu et Iesuitarum", adversus C. aliosque Socios scripta, Erfordiae germanice (Jesuiter Spiegel) editur. Eadem „Fides" latine iterum, eaque amplificata, editur in „Doctrinae Iesuitarum praecipuis capitibus", Rupellae tunc primum vulgatis. In eodem opere Chemnitii et Boquini libelli in C. maledici iterum eduntur* (693 821).
1580	Initio	*Platzius Lutheranorum biberacensium contionator cum oratione quadam sua epistulam ad C. evulgat, qua eum et catholicos omnes sugillat* (528).
1580	Ab ineunte Ian. ad med. Febr.	*C. rogatu Ferdinandi II. archiducis praefationem in librum de miraculo eucharistico sefeldiano scribit ac librum ipsum emendat et Dilingae excudendum curat* (828).

1580	Ian. 29.	P. Paulus Hoffaeus Germaniae Superioris provincialis a Mercuriano praeposito generali C. sibi petit admonitorem et socium (824).
1580	Mart. 7.	C. Dilingae degit (534).
1580	Vere	Marquardus a Berg episcopus princeps augustanus Dilingae C. consilio operaque aliquotiens utitur (818).
1580	Apr. 3.	C. **Landsbergae** die Paschatis de causis gaudii paschalis orationem sacram (ad Socios, ut videtur,) habet (829).
1580	Apr. 8.	Mercurianus praepositus generalis C. constituit P. Pauli Hoffaei provincialis Germaniae Superioris admonitorem et consultorem (socium) (824).
1580	Maii 7. et 14.	C. **Augustae** moratur (536 824).
1580	Ab 8. Maii ad 16. Iun.	Dum Hoffaeus Germaniae Superioris provincialis in Helvetia versatur, C. „viceprovincialis“ officio fungitur (824—825).
1580	Ineunte et medio Iul.	C. **Halae** Hoffaeum provincialem in visitatione collegii adiuvat (542).
1580	Iul. 3.	Ad sodales congregationis marianae orationem habet (829).
1580	Iul. 7.	Confessionem generalem (annuam) facit (818).
1580	Iul. 9.	Ad Socios collegii ante renovationem votorum religiosorum exhortationem habet (830).
1580	Sub med. Iul.	Magdalena archiducissa C. arcessit cum eoque de confessario aliisque rebus agit; ille eius animum Societati reconciliat (545).
1580	Iul. 18.	Magdalenae rogatu C. germanicas eius ad Mercurianum praepositum generalem S. J. litteras latine reddit et Mercuriano mittit (545 547).
1580	Paulo post 18. Iul.	**Oenipontem** venit (542).
1580	Iul. 26. vel 31.	Die anniversario dedicationis templi Societatis in eodem contionatur (831).
1580	Sub exeunt. Iul. et init. Aug.	Hoffaeum provincialem in visitando collegio adiuvat (547).
1580	Aug. 5.	Ante renovationem votorum religiosorum sacram exhortationem ad Socios habet (831).
1580	Aug. 8.	A Guilielmo V. Bavariae duce de pravis libris e medio tollendis interrogatus commentarium Oeniponte mittit, quo ei suadet, ut cum episcopis censores inspectoresque constituat, catalogos componendos, libros quosdam emendandos, novos planeque catholicos conscribendos curet etc. (550).
1580	Aug. medio et exeunte	Ioannes Delphinus episcopus brixiensis a Gregorio XIII. conventui principum electorum Norimbergae habendo cum nuntii apostolici auctoritate interesse iussus C. iubet sibi in eo conventu (qui tamen postea dilatus et tandem omissus est) adesse (557).

1580	Circa med. Aug.	C. **Monachium** proficiscitur; ibi (ut videtur) Hoffaeum provincialem in collegio visitando adiuvat (562).
1580	Sept. 14.—19.	Congregationi provinciali (provinciae S. J. Germaniae Superioris) interest (833).
1580	Sept. 16.	Eliguntur duo, qui cum provinciali Romae in congregatione Societatis generali praepositum generalem eligant etc., et tres, qui in eorum, si legitime impediantur, locum substituantur; C. quinto loco eligitur. Deinde Petrus et Theodoricus Canisii deliguntur, ut cum Hoffaeo provinciali seligant, quaenam ex capitibus congregationi provinciali oblatis eidem proponenda sint, quae reicienda (833 834).
1580	Sept. 27.	C. **Augustae** versatur (568).
1580	Ineunte Oct.	C. **Dilingam** venit (577).
1580	Circa 4. Oct.	Ab Hoffaeo provinciali vituperatus, quod de 5% rigidiorem sententiam defendendo Sociorum pacem turbarit, et quod P. Haivodo, Guilielmum V. ducem ad causam 5% severius et imprudentius tractandam instiganti, adfuerit, veniam petit (577).
1580	Oct. 6.	Iterum ab Hoffaeo provinciali, ut sibi, quae de 5% egerit, ignoscat, petit (577).
1580	Oct. 27.	*Manareus vicarius generalis Societatis C. roganti permittit, ut libros de S. Ioanne Baptista et de B. M. V. recognoscat et iterum edat* (582).
1580	Oct. 31.	*Marquardus a Berg episcopus princeps augustanus Catechismum C. et in scholis et in ecclesiis dioecesis explicari iubet* (821).
1580 et 1581	Oct. vel Nov.	*C Defensionem quinque capitum Concilii Florentini cum nomine Gennadii patriarchae Romae editam et inde sibi missam ostendit Marquardo a Berg episcopo augustano; quo annuente eadem Dilingae iterum excuditur* (569).
1580	Nov. 21.	C. iussu Hoffaei provincialis in **Helvetiam** versus proficiscitur, Friburgi proxima hieme cum P. Ardreno fundamenta collegii iacturus (835).
1580	A 24. fere ad 26. Nov.	**Inzikofii** sacras virgines Augustinianas per aliquot dies consolatur, ad pietatem eas exhortando et confessiones earum excipiendo (845).
1580	Circa 27. Nov.	**Constantiam** venit (851).
1580	A 27. fere ad 30. Nov.	**Paradisi** aliquot diebus sorores Clarissas solatur; exhortationem sacram ad eas habet; earum confessiones excipit (848).
1580	Dec. 2.	Fr. Iod. Schwartz S. J. duce **Lucernam** advenit (851).
1580	Dec. 10.	Bonhomius nuntius apostolicus, cum PP. Canisio et Ardreno Friburgum petens, dum per **Bernam** transit, cum comitibus ibidem variis iniuriis et contumeliis afficitur (853).
1580	Dec. 10.	Bonhomius et C. **Friburgi** a magistratu et a iuventute litterarum studiosa perhumaniter excipiuntur (858).
1580	Dec. 10.	C. cum P. Ardreno in domo canonici cantoris habitare incipit (858).

1580	Dec. 12.	Bonhomius in senatu C. et Societatis collegium vehementer commendat; senatores pro C. sibi adducto ei gratias agunt (859).
1580	Dec. 18.	Dom. IV. Adv. C. contionandi munus in templo S. Nicolai ingreditur; de evangelio diei et animis ad Natalem Christi praeparandis dicit (862).
1580	Dec. 20.	Cum Bonhomio nuntio apostolico in monasterium **Marsens** venit (866).
1580	Dec. 21.	C. nomine Societatis a Bonhomio nuntio apostolico in omnium bonorum marsensium possessionem mittitur (867).
1580	Dec. 22.	Cum Bonhomio redit (ut videtur) **Friburgum** (868).
1580	Dec. 25.	Die Nativitatis Domini C. in templo S. Nicolai de huius sacri diei ratione et recta celebratione contionatur (863).
1581	Ian. 1.	Die Circumcisionis Domini C. in templo S. Nicolai de sacri diei ratione et de „xenio elargiendo“ contionatur (863).
1581	Ian. 2.	Senatus friburgensis Gregorio XIII. pro collegio instituto et C. misso gratias agit (861).

IV.

CATALOGUS LIBRORUM

ex quibus saepius in hoc volumine testimonia proferuntur.

Doleo, mihi volumen hoc paranti praesto non fuisse haec duo opera egregia: Volumen secundum operis „Nuntiaturberichte aus der Schweiz seit dem Concil von Trient, I. Abt., Dokumente“, ed. a Fr. Steffens et H. Reinhardt, Solothurn 1917, et librum „Der heilige Franz von Borja, von Otto Karrer S. J.“, Freiburg i. Br. 1921.

Propter spatii angustias fieri non poterat, ut omnium, quotquot huic volumini componendo adhibiti sunt, librorum tituli hic ponerentur; adhibiti enim sunt fere 650 libri; quare ii fere hic ponentur, qui compluries memorabuntur; reliqui autem in ipso volumine suis locis ponentur.

Numeris maioribus, in hoc opere titulo libri vel nomini auctoris adiciendis, non capita nec paragraphi, sed paginae vel columnae significabuntur; cum autem primum numerus latinus, deinde numeri arabici ponentur, primo volumen sive pars operis, ceteris significabuntur paginae vel columnae. Minoribus denique numeris et litteris adnotationes indicabuntur.

Agricola, Ignatius, S. J., Historia Provinciae Societatis Jesu Germaniae Superioris, quinque primas annorum complexa decades [sive Tomus I.]. Augustae Vindelicorum 1727.

Astrain, Antonio, S. J., Historia de la Compañía de Jesús en la Asistencia de España. Tomo I. San Ignacio de Loyola 1540—1556. Madrid 1902. Tomo II. Lainez-Borja 1556—1572. Madrid 1905. Tomo III. Mercurian-Aquaviva [primera parte] 1573—1615. Madrid 1909. Tomo IV. Aquaviva (segunda parte) 1581 ad 1615, Madrid 1913.

Backer, Augustin de, S. J., Bibliothèque des écrivains de la Compagnie de Jésus. Nouvelle édition. Tome I. Liège-Paris 1869. Tome II. Liège-Lyon 1872. Tome III. Louvain-Lyon 1876.

Berthier, Fr. J.-J. [O. Praed.], Lettres de Jean-François Bonomio Nonce apostolique en Suisse à Pierre Schnewly Prévôt de Saint Nicolas de Fribourg, aux Magnifiques Seigneurs de Fribourg et à d'autres personnages (1579—1586). Fribourg 1894.

Boero, Giuseppe, S. J., Vita del Beato Pietro Canisio della Compagnia di Gesù detto l'Apostolo della Germania. Roma 1864.

Bonhomini, Bonomio, vide „Berthier“ et „Steffens“.

Braun, Placidus [O. S. B.], Geschichte des Kollegiums der Jesuiten in Augsburg. München 1822.

Canisius, Petrus, S. J., De Maria Virgine incomparabili, et Dei genitrice sacrosancta, Libri quinque: Atque hic secundus liber est Commentariorum de Verbi Dei corruptelis, aduersus nouos et veteres Sectariorum errores nunc primum editus. Ingolstadii 1577.

[Canisius, Petrus] Alter Tomus Commentariorum de Verbi Dei corruptelis, adversus novos et veteres Sectariorum errores. In eo libris quinque disseritur de Maria Virgine incomparabili et Dei genitrice sacrosancta. Authore D. Petro Canisio Societatis Iesu Theologo. Secunda Editio multis in locis locupletata, et ab eodem nunc demum recognita. Ingolstadii, Anno Domini 1583.

Constitutiones Societatis Iesu cum Declarationibus auctore S. Ignatio de Loyola Societatis eiusdem fundatore. Romae MDCCCCVIII.

Daurignac, J. M. S., Histoire du Bienheureux Pierre Canisius de la Compagnie de Jésus, Apôtre de l'Allemagne. Paris 1866.

[Dorigny, Jean, S. J.] La Vie du Reverend Pere Pierre Canisius, de la Compagnie de Jesus. A Paris 1707.

Duhr, Bernhard, S. J., Die Jesuiten an den deutschen Fürstenhöfen des 16. Jahrhunderts. Freiburg i. Br., 1901 (Erläuterungen und Ergänzungen zu Janssens Geschichte des deutschen Volkes. Herausgegeben von Ludwig Pastor. II. Band, 4. Heft).

Duhr, Bernhard, S. J., Geschichte der Jesuiten in den Ländern deutscher Zunge. Erster Band: Geschichte der Jesuiten in den Ländern deutscher Zunge im XVI. Jahrhundert, Freiburg i. Br. 1907. Zweiter Band: Geschichte der Jesuiten in den Ländern deutscher Zunge in der ersten Hälfte des XVII. Jahrhunderts. 1. u. 2. Teil, Freiburg i. Br. 1913.

Egloffstein, Hermann Freiherr von, Fürstabt Balthasar von Dermbach und die katholische Restauration im Hochstifte Fulda. 1570—1606. München 1890.

Eichhorn, Ant., Der ermländische Bischof und Cardinal Stanislaus Hosius. 2 Bde. Mainz 1854, 1855.

[Fell, Georg] Pädagogische Schriften von Antonio Possevin S. J. Übersetzt von Georg Fell S. J. Einleitung. Possevins Leben und Schriften. In „Der Jesuiten Perpiñá, Bonifacius und Possevin ausgewählte pädagogische Schriften. Übersetzt von J. Stier, H. Scheid, G. Fell, Mitgliedern der Gesellschaft Jesu." Freiburg i. Br. 1901 (Bibliothek der katholischen Pädagogik, herausgeg. von F. X. Kunz. XI.).

Feller, F.-X. de, Biographie universelle ou Dictionnaire historique. Édition revue et continuée sous la direction de M. Ch. Weiss et de M. l' Abbé Busson. Tomes 8. Paris 1847—1850.

Feller, Richard, Ritter Melchior Lussy von Unterwalden, seine Beziehungen zu Italien und sein Anteil an der Gegenreformation. 2 Bde. Stans 1906 1909.

Fouqueray, Henri, S. J., Histoire de la Compagnie de Jésus en France des origines à la suppression (1528—1762). Tome I. Les origines et les premières luttes (1528—1575), Paris 1910. Tome II. La Ligue et le bannissement (1575 ad 1604), Paris 1913.

Garcia, Ramon, S. J., Vida del Beato Pedro Canisio, sacerdote profeso de la Compañía de Jesús. Madrid 1865.

Genoud, J., Le Bienheureux Pierre Canisius. Fribourg 1915.

Grisar, Hartm., S. J., Luther. 3 Bde. 1. u. 2. Aufl. Freiburg i. Br. 1911 1911 1912.

Gropper, v. „Schwarz."

Hansen, Joseph, Rheinische Akten zur Geschichte des Jesuitenordens 1542—1582. Bonn 1896. (Publikationen der Gesellschaft für rheinische Geschichtskunde XIV).

Hansen, Joseph, Nuntiaturberichte aus Deutschland 1572—1585 nebst ergänzenden Actenstücken. Erster Band. Der Kampf um Köln 1576—1584. Im Auftrage des k. preussischen historischen Instituts in Rom bearbeitet, Berlin 1892. Zweiter Band. Der Reichstag zu Regensburg 1576. Der Pacificationstag zu Köln 1579. Der Reichstag zu Augsburg 1582. Berlin 1894.

Hartzheim, Josephus, S. J., Bibliotheca Coloniensis. Coloniae 1747.

Hefele, Carl Joseph v., Conciliengeschichte. 7 Bände (Bd. 1—6, 2. Aufl., 5—6 besorgt von Al. Knöpfler). Freiburg i. Br. 1873 1875 1877 1879 1886 1890 1874.

Hilgers, Joseph, S. J., Der Index der verbotenen Bücher. In seiner neuen Fassung dargelegt und rechtlich-historisch gewürdigt. Freiburg i. Br. 1904.

Hirn, Joseph, Erzherzog Ferdinand II. von Tirol. Geschichte seiner Regierung und seiner Länder. 2 Bde. Innsbruck 1885 1887.

Historisch-politische Blätter für das katholische Deutschland. 156 Bände. München 1838—1915.

Hurter, H., S. J., Nomenclator literarius Theologiae catholicae. Editio tertia. Tomus I—IV Oeniponte 1903 1906 1907 1910. Tomus V. Partes 2 Oeniponte 1911 1913.

Janssen, Johannes, Geschichte des deutschen Volkes seit dem Ausgang des Mittelalters. Freiburg i. Br. I. Bd. 19. u. 20. Aufl., besorgt von Ludwig v. Pastor 1913; II. Bd., 19. u. 20. Aufl., besorgt von L. v. Pastor 1915; III. Bd., 19. u. 20. Aufl., besorgt von L. v. Pastor 1917; IV. Bd., 15. u. 16. Aufl., besorgt von L. v. Pastor 1896; V. Bd., 15. u. 16. Aufl., besorgt von L. v. Pastor 1902; VI. Bd., 15. u. 16. Aufl., besorgt von L. v. Pastor 1901; VII. Bd., 13. bis 14. Aufl., ergänzt und herausgeg. von L. v. Pastor 1904; VIII. Bd., 13.—14. Aufl., ergänzt und herausgeg. von L. v. Pastor 1903.

Ignatius a Loiola, S., v. „Constitutiones“, „Institutum“.

Institutum Societatis Iesu. 3 voll. Florentiae 1892 1893 1893.

Kröss, Alois, S. J., Der selige Petrus Canisius in Österreich. Wien 1898.

Kroess, Alois, S. J., Geschichte der böhmischen Provinz der Gesellschaft Iesu. I. Geschichte der ersten Kollegien in Böhmen, Mähren und Glatz von ihrer Gründung bis zu ihrer Auflösung durch die böhmischen Stände 1556—1619. Wien 1910.

[Krumbacher] Geschichte der byzantinischen Litteratur von Justinian bis zum Ende des oströmischen Reiches (527—1453) von Karl Krumbacher. Zweite Aufl., bearbeitet unter Mitwirkung von A. Ehrhard und H. Gelzer (Handbuch der klassischen Alterthumswissenschaften, herausgeg. von Iwan v. Müller. 9. Band, 1. Abteilung). München 1897.

Litterae apostolicae, quibus Institutio, Confirmatio, et varia Priuilegia continentur Societatis Iesu. Antverpiae M.DC.XXXV.

Lossen, Max, Der Kölnische Krieg, Vorgeschichte 1565—1581. Gotha 1882.

Mayer, Joh. Georg, Das Konzil von Trient und die Gegenreformation in der Schweiz. Erster Band. Stans 1901.

Mederer, Ioannes Nepomucenus, Annales Ingolstadiensis Academiae. Partes 4. Ingolstadii 1782.

Michel, L., S. J., Vie du Bienheureux Pierre Canisius, Apôtre de l'Allemagne et de Fribourg, d'après le P. J. Boero et des documents inédits, illustrée de nombreuses gravures. Société de Saint-Augustin 1897.

Migne, J.-P., Patrologiae Cursus completus. Series Latina. Tomi 221. Parisiis 1844—1864. Series Graeca. Tomi 161. Parisiis 1857—1866.

[Nadal] Epistolae P. Hieronymi Nadal Societatis Iesu ab a. 1546 ad 1577 nunc primum editae et illustratae a Patribus eiusdem Societatis. Tomi 4. Matriti 1898 1899 1902 1905. (In „Monumentis historicis Societatis Iesu“.)

Oddi, Longaro degli, Vita del Venerabil Servo di Dio il Padre Pietro Canisio della Compagnia di Gesù. In Napoli 1755.

Pfleger, Luzian, Martin Eisengrein (1535—1578). Ein Lebensbild aus der Zeit der katholischen Restauration in Bayern. Freiburg i. Br. 1908. (Erläuterungen und Ergänzungen zu Janssens Geschichte des deutschen Volkes. Herausgegeben von Ludwig v. Pastor. VI. Bd., 2. u. 3. Heft.)

Portia, vide „Schwarz".

Possevinus, Antonius, S. J., Apparatus sacer. Postrema hac editione quae nunc primum in Germania prodijt ab ipso Auctore recognitus. Tomi 2. Coloniae Agrippinae M.DC.VIII.

Prantl, Carl, Geschichte der Ludwig-Maximilians-Universität in Ingolstadt, Landshut, München. 2 Bde. München 1872.

Python, Petrus, S. J., Vita R. P. Petri Canisii S. J. Gallico Idiomate scripta a R. P. Ioanne Dorigny, nunc Latinitate donata, et multarum rerum accessione aucta. Monachii 1710.

Quellen und Forschungen aus italienischen Archiven und Bibliotheken herausgegeben vom königl. preussischen Historischen Institut in Rom. Bd. 1—16. Rom 1898—1913.

Raderus, Matthaeus, S. J., De vita Petri Canisii de Societate Iesu, Sociorum e Germania primi, religiosissimi et doctissimi viri, bono rei Catholicae nati, libri tres. Monachii 1614.

Rapp, Ludwig, Königin Magdalena von Österreich, Stifterin des königlichen Stiftes zu Hall in Tirol. Ein Lebensbild aus dem sechzehnten Jahrhundert. Zweite Auflage. Brixen 1899.

Räss, Dr. Andreas, Bischof von Strassburg, Die Convertiten seit der Reformation nach ihrem Leben und aus ihren Schriften dargestellt. 13 Bde. Freiburg i. Br. 1866—1880.

Reusch, Fr. Heinrich, Der Index der verbotenen Bücher. Ein Beitrag zur Kirchen- und Literaturgeschichte. 2 Bde. Bonn 1883 1885.

Reusch, Fr. Heinrich, Die Indices Librorum prohibitorum des sechzehnten Jahrhunderts gesammelt und herausgegeben. Tübingen 1886. (Bibliothek des litterarischen Vereins in Stuttgart. CLXXVI.)

Riess, Florian, S. J., Der selige Petrus Canisius aus der Gesellschaft Iesu. Aus den Quellen dargestellt. Freiburg i. Br. 1865.

Sacchinus, Franciscus, S. J., De Vita et Rebus gestis P. Petri Canisii, de Societate Iesu, Commentarii. Ingolstadii M.DC.XVI.

Sacchinus, Franciscus, S. J., Historiae Societatis Iesu Pars tertia siue Borgia. Romae M.DC.IL.

Sacchinus, Franciscus, S. J., Historiae Societatis Iesu Pars quarta siue Everardus. Romae MDCLII.

[Salmeron] Epistolae P. Alphonsi Salmeronis Societatis Jesu ex autographis vel originalibus exemplis potissimum depromptae, a Patribus ejusdem Societatis nunc primum editae. Tomus primus 1536—1565, Matriti 1906. Tomus secundus 1565—1585, Matriti 1907. (In „Monumentis historicis Societatis Iesu".)

Schellhass, Karl, Nuntiaturberichte aus Deutschland 1572—1585 nebst ergänzenden Actenstücken. Im Auftrage des k. preussischen historischen Instituts in Rom bearbeitet. Dritter Band. Die süddeutsche Nuntiatur des Grafen Bartholomaeus von Portia (Erstes Jahr 1573/74), Berlin 1896. Vierter Band (Zweites Jahr 1574/75), Berlin 1903. Fünfter Band (Schlussjahre: 1575 1576), Berlin 1909.

[Schellhass, Karl] Quellen etc., v. „Quellen und Forschungen" etc.

Schlosser, Georgius, S. J., Beati Petri Canisii S. J. Exhortationes domesticae collectae et dispositae. Ruraemundae 1876.

Schwarz, W. E, Die Nuntiatur-Korrespondenz Kaspar Groppers nebst verwandten Aktenstücken (1573—1576). Paderborn 1898. (Quellen und Forschungen aus

dem Gebiete der Geschichte in Verbindung mit ihrem historischen Institut in Rom herausgegeben von der Görres-Gesellschaft. V. Band.)
Schwarz, W. E., Zehn Gutachten über die Lage der katholischen Kirche in Deutschland (1573/76) nebst dem Protokolle der deutschen Congregation (1573/78). Paderborn 1891. (Briefe und Akten zur Geschichte Maximilians II.; II. Theil.)
Socherus, Antonius, S. J., Historia Provinciae Austriae Societatis Iesu. Pars prima. Ab exordio Societatis ejusdem ad annum Christi M.D.XC. Viennae Austriae MDCCXL.
Sommervogel, Carlos, S. J., Bibliothèque de la Compagnie de Jésus. Nouvelle édition. Bibliographie. T. I—IX. Bruxelles-Paris 1890 1891 1892 1893 1894 1895 1896 1898 1900. T. X. Tables. Par Pierre Bliard. Paris 1909.
Specht, Thomas, Die Matrikel der Universität Dillingen. I. Band (1551—1645). Dillingen a. D. 1909—1911. (Archiv für die Geschichte des Hochstifts Augsburg. Im Auftrag des Historischen Vereins Dillingen herausgegeben von Dr. Alfred Schröder. II. Band.)
Steffens, Franz, und Reinhardt, Heinrich, Nuntiaturberichte aus der Schweiz seit dem Concil von Trient. I. Abteilung. Die Nuntiatur von Giovanni Francesco Bonhomini 1579—1581. Documente, I. Band: Aktenstücke zur Vorgeschichte der Nuntiatur 1570—1579. Die Nuntiaturberichte Bonhomini's und seine Correspondenz mit Carlo Borromeo aus dem Jahre 1579. Solothurn 1906.
Steinhuber, Andreas, Kardinal, S. J., Geschichte des Kollegium Germanikum Hungarikum in Rom. 2. Auflage. 2 Bde. Freiburg i. Br, 1906.
Studien op godsdienstig, wetenschappelijk en letterkundig gebied. Deel 21—54. Utrecht 1883—1899. Studiën. Godsdienst, Wetenschap, Letteren. Deel 55—66. Utrecht 1900—1906. Studiën. Tijdschrift voor Godsdienst, Wetenschap en Letteren. Deel 67—74. Amsterdam 1907—1910. Nijmegen 1911—1916.

[Theiner, Aug.] Annales Ecclesiastici, quos post Caesarem S. R. E. Card. Baronium, Odoricum Raynaldum ac Iacobum Laderchium Presbyteros Congregationis Oratorii de Vrbe ab an. MDLXXII. ad nostra vsque tempora continuat Augustinus Theiner eiusdem Congregationis presbyter. Tomi 3. Romae 1856.
Theiner, Augustin, Schweden und seine Stellung zum heiligen Stuhl unter Johann III., Sigismund III. und Karl IX. 2 Theile. Augsburg 1838 1839.
Tinkhauser, G., Topographisch-historisch-statistische Beschreibung der Diöcese Brixen. 1. Bd. Brixen 1855. G. Tinkhauser's Topographisch-historisch-statistische Beschreibung der Diöcese Brixen. Fortgesetzt von einem Priester der Diöcese Brixen. 2. u. 3. Bd. Brixen 1879 1880. G. Tinkhauser's Topographisch-historisch-statistische Beschreibung der Diöcese Brixen. Fortgesetzt von Ludwig Rapp. 4. u. 5. Bd. Brixen 1887 1890.

Van Hoeck, E., S. J., De Jezuïeten te Nijmegen · Schets der werkzaamheden van de Sociëteit van Jezus te Nijmegen, in verband met de godsdienstige en staatkundige geschiedenis der stad · 's-Hertogenbosch-Antwerpen 1921.

Zeitschrift für katholische Theologie. 39 Jahrgänge. Innsbruck 1877—1915.

V.

NOTITIA CODICUM MANU SCRIPTORUM HUICQUE VOLUMINI ADHIBITORUM.

Huius voluminis epistulis actisque colligendis et illustrandis adhibiti sunt 220 fere codices fasciculique manu scripti, qui in variarum terrarum archivis bibliothecisque 48 asservantur:

Antverpiae in museo plantiniano (1);
Augustae Vindelicorum (Augsburg) in archivo curiae episcopalis (1);
Bernae (Bern) in bibliotheca urbis (1);
Bruxellis in bibliotheca regia (1);
Buscoduci ('s Hertogenbosch) in archivo quodam privato (1);
Carolsruhae (Karlsruhe) in archivo generali reipublicae badensis (3);
Colloredi (Colloredo) in archivo marchionis de Colloredo (1);
Coloniae Agrippinae (Köln) in archivo ecclesiae parochialis B. M. V. in caelum assumptae (1) et in archivo historico urbis (8);
Cracoviae in bibliotheca universitatis (1);
Dilingae (Dillingen) in bibliotheca lycei (3);
Eystadii (Eichstätt) in archivo curiae episcopalis (1);
Francofurti ad Moenum in bibliotheca urbis (1);
Friburgi Brisgoviae in archivo facultatis theologicae (1);
Friburgi Helvetiorum in archivo reipublicae (5) et in bibliotheca reipublicae (4);
Fuldae in bibliotheca maioris seminarii episcopalis (1);
Lucernae (Luzern) in archivo urbis (1);
Mediolani in bibliotheca ambrosiana (1);
Monachii (München) in archivis ecclesiae S. Michaelis (2), reipublicae bavaricae (Reichsarchiv) (16), status bavarici (Staatsarchiv) (1), universitatis (1), provinciae Bavariae superioris (1), in bibliothecis nationali (Staatsbibliothek) (3) et academica (3);
Oeniponte (Innsbruck) in archivo praefecturae (Statthalterei-Archiv) (15) et in museo ferdinandeo (1);
Pragae in bibliotheca canoniae strahoviensis, ordinis praemonstratensis (1);
Ratisbonae (Regensburg) in archivo curiae episcopalis (1);

Romae in archivo vaticano secreto (19), archivo vaticano Brevium (1), archivo regni italici (2), archivo collegii germanici (1), in bibliothecis vaticana (7), casanatensi (1), vallicelliana (1), Vittorio Emanuele (1), collegii germanici (1);
Septimancis (Simancas) in archivo generali regni hispanici (1);
Sigmaringae in bibliotheca principum de Hohenzollern (1); in
Societatis Iesu variis domibus (100);
Treveris (Trier) in bibliotheca urbis (1).

Praeterea huic volumini adhibita sunt folia aliquot omnino separata, quae nec certo codici vel fasciculo coniuncta, nec numero signata sunt.

Codices illos omnes describere longum est; quare hoc loco ii fere nominatim recensebuntur, quorum in hoc volumine usus erit frequentior; reliqui vero suis locis nominabuntur et, quantum res tulerit, describentur. Iuvabit etiam eam ad rem „Index alphabeticus nominum et rerum“ in postrema voluminis parte ponendus; ibi enim nominibus urbium, in quibus codices illi (exceptis codicibus Societatis) asservantur, ultimo loco addetur v. g. „archivum regium“, „bibliotheca universitatis“, et adscribentur paginae huius voluminis, in quibus archivi, bibliothecae, musei illius codices fasciculive erunt commemorati.

Codices omnes, praeter codices Societatis Iesu, ab urbibus denominabuntur, in quibus nunc asservantur. In descriptione singulorum codicum verbis primis, signis „ “ inclusis, nomen sive nota significabitur illa, quae in hoc ipso volumine, post nomen urbanum, codici designando adhibebitur.

Ubi autem cuiuscumque codicis nomini sive notae neque ullum praepositum erit nomen urbanum (velut „colon.“, „monac.“), neque aliis verbis, ubi codex ille exstet, significatum erit, ea ipsa re significabitur, Societatem Iesu in eius possessione esse.

Descriptionibus singulis addentur nomina scriptorum recentium, quos codicibus illis usos esse equidem comperi; recentium, inquam; qui enim ex veteribus usi sint iisdem, cognitu difficilius est, quia veteres aut nullo modo aut obscurius fontes suos indicare solebant.

1. Codex antverpiensis.

Antverpiae in museo plantiniano.

„Briev.“ Codex in 2°, corio albo colligatus. Inscriptio recens in dorso: „1572—1578 Brieven“. Incipit f. 2ª: „Je remercie grandement V. S.ᵉ du bon office“; terminatur in f. penultimo: „rempublicamque litterarum adjutura existimem“; ff. sign. 242 et aliquot ff. non sign. Continet epistularum a Christophoro Plantino typographo et bibliopola antverpiensi ab a. 1571 ad 1578 ad multos proceres, viros doctos, bibliopolas etc. (velut Guilielmum Sirletum et Antonium Granvellam cardinales, Guilielmum Lindanum episcopum ruraemundanum, Benedictum Ariam Montanum, B. Petrum Canisium, Iustum Lipsium, Antonium Muretum, Franciscum Toletum S. J., Franciscum Turrianum S. J.) datarum commentaria ab ipso Plantino scripta; quibus accedunt epistulae ad Plantinum datae et alia quaedam scripta.

Codice usus est *Max. Rooses*, Correspondance de Christophe Plantin, I, Gand 1884.

2. Codices colonienses.

Coloniae in archivo studiorum fundatorum („Archiv des Verwaltungsrats der Studienstiftungen", „Archiv des Gymnasial- und Studienstiftungsfonds"); codices hi nunc in archivo historico urbis asservantur.

[1a] „Epp. ad Kess. II". Vide infra n. 2.

[1b] „Epp. ad Reth." Vide infra n. 4.

1. „I. A. 17." Ita novissime signatus est Codex „Litt. Epp. var.", qui descriptus est in huius operis vol. I, p. LIV.

2. „I. A. 19." Titulus antiquus (olim in dorso, nunc f. 2a non sign.): „Epistol. ad R. P. L. Kesselium. I.m S. J. Rect. Coloniae. P. 2. ab 1572—ad 1574." Signatura recens: „Jes. 19." · Signatura novissima in dorso: „I. A. 19." Codex n 2°; ff. sign. 295. Incipit f. 1a (sign.): „1572, 12. Jan."; terminatur f. 295b: „mittit 15 florenos aulicos [?] Georgii aldernacensis [?]". Continet epistulas ad P. Leonardum Kesselium primum collegii S. J. coloniensis rectorem a. 1572, 1573, 1574 a multis Societatis Iesu sacerdotibus, ut B. Petro Canisio, Lamberto Auer, Theodoro Busaeo, Francisco Costero, Arnoldo Hezio, Iacobo Ledesma, Everardo Mercuriano, Petro Michael, Antonio Possevino, Nicolao Serario, Henrico Somalio, Hermanno Thyraeo, Antonio Vinck, Ioanne Zantheno et a multis aliis datas, easque maximam partem archetypas; quae temporis ordine dispositae sunt.

Codex usque ad a. 1773 collegii S. J. coloniensis erat. *Jos. Hansen* in libro „Rheinische Akten zur Geschichte des Jesuitenordens 1542—1582" (Bonn 1896) eum notavit (p. XXVIII) eoque usus est. Item eo usus est *Bern. Duhr* S. J., Geschichte der Jesuiten in den Ländern deutcher Zunge im XVI. Jahrhundert, Freiburg i. Br. 1907.

[2a.] „Litt. epp. var." Vide supra n. 1.

[2b.] „Reth." Vide infra n. 3.

3. „Un. 602." Ita novissime signatus est Codex „Reth.", qui descriptus est in vol. II, p. L.

4. „Un. 603." Ita novissime signatus est Codex „Epp. ad Reth.", qui de scriptus est in vol. III, p. LVIII—LIX.

3. Codex eystettensis.

Eystadii in archivo curiae episcopalis.

„Hist. coll. Ing." Descriptus in vol. II, p. LI.

4. Codices friburgenses.

a) Friburgi Helvetiorum in archivo reipublicae.

1. „Cod. iur. coll." Codex in 2°, in corio fusco ligatus. Titulus recens, in dorso impressus: „CODEX | JURIUM COLLEGII". Titulus antiquus in f. 2a: „Jndex Alphabeticus. Dominiorum et Iurium | Collegij. Anno Domini. 1675." Paginae numeris signatae 1167; praeterea in initio et in fine complura folia non signata. Codex continet exempla litterarum et publicarum et privatarum, quae pertinent ad fundationem, bona, iura abbatiae Humilis Montis seu marsensis, ordinis praemonstratensis, et collegii Societatis Iesu anno 1580 Friburgi Helvetiorum incohati, cui eodem anno bona omnia marsensia, abbatia illa sublata, a Gregorio XIII. rogatu reipublicae illius attributa sunt; his accedit descriptio praediorum et „Brevis Narratio Fundationis Collegij Friburgensis in Helvetia", ex primis hausta fontibus, et complura continens, quae in „Historia collegii" (v. infra p. LXXI) non sunt (p. 738—758). Litterae, quas dixi, ab anno 1524 ad finem fere saeculi XVII. pertingunt: ad collectionem enim a. 1675 factam postea complura addita sunt.

Codice usi sunt *Hél. Raemy de Bertigny*, Le Bienheureux Pierre Canisius. Fribourg en Suisse 1865, et *A. Büchi* in „Freiburger Geschichtsblätter" IV, Freiburg i. Ue. 1897.

2. „**Manual.**" Codex in 2°, membrana alba vestitus. Inscriptio antiqua in dorso: „C 1580 M 1580". Signatura recens ibidem: „120". Inscriptio antiqua in pagina adversa involucri anterioris: „Manual des täglichen Raths der Statt Frijburg von Ioannis Baptistae vnntz vff Natiuitatis Christi des M D LXXX Jars". Sequitur signum Guilielmi Techtermanni archigrammatei urbis et reipublicae friburgensis. Nec paginae nec folia codicis numeris signata sunt. Continet rerum in „consilio cotidiano" reipublicae friburgensis a d. 27. Iunii ad 30. Decembris 1580 constitutarum diarium sive registrum publica auctoritate compositum idque fere germanica lingua (aliqua gallice scripta sunt) et magnam partem ab ipso Techtermanno conscriptum; quibus in fine codicis adnotationes quaedam et apographa litterarum ad idem tempus spectantium addita sunt.

Codice copiose usus est *J.-J. Berthier* O. Praed., Lettres de Jean-François Bonomio, Nonce apostolique, Fribourg 1894.

b) in bibliotheca reipublicae et universitatis.

„**Hist. coll. Frib.**" Codex in 2°, in corio fusco conglutinatus. Inscriptio recens in dorso: „HISTORIA COLLEGII FRIBURGEN. AB ANNO 1578 AD 1771." Titulus antiquus in p. 1: „JNITIVM et PROGRESSVS COLLE gij Friburgensis in Nuithonia." Paginae sign. 481; praeterea aliquot pp. non sign. Librum hunc ante a. 1589 incohatum esse intellegitur ex eo, quod in historia anni 1587 P. Petrus Lovaniensis S. J. comparet vivus (p. 9); quem Kalendis Decembribus a. 1588 mortuum esse paullo post narratur (p. 11); immo etiam circa initium anni 1585 historia collegii ab eius initiis usque ad id tempus una manu atque uno quasi calami ductu videtur esse perducta; deinceps autem, ut videtur, usque ad a. 1772 singulis annis, quid superiore anno contigisset, est notatum. Primus autem huius historiae auctor fuit idem, qui (1582—1596) primus collegii huius rector fuit, P. Petrus Michael silesius († 1596); is sua manu scripsit historiam annorum 1578—1587, 1590, 1594. 1595. Per totum librum multa disposita sunt litterarum monumenta ad collegium totamque urbem spectantia eaque fere ad verbum ex archetypis expressa.

Codice usus est *H. Raemy de Bertigny* l. c. (v. supra p. LXX).

5. Codex monacensis.

Monachii in archivo reipublicae bavaricae („Reichsarchiv").

„**Augsb. Domk.**" Descriptus in vol. II p. LII—LIII.

6. Codices romani.

a) Romae in archivo vaticano secreto:

1. „**Germ. Vol. 80.**" Codex in 2°, membrana vestitus. Signatura recens in dorso: „Nunziatura di Germania 80"; signatura antiqua in dorso: „XXXIII. Germania. Portia nunt° all' Arciduca an. 1573. 74.—3082." In duas partes divisus est, quarum prior („I") ad annum 1573 pertinet et 308 paginas numeris signatas complectitur; altera („II") est anni 1574 et 417 paginas signatas continet; accedunt complures paginae vel vacuae, vel solam litterarum inscriptionem habentes: quae numeris non sunt signatae. Continet litteras archetypas, quas Bartholomaeus comes Purliliarum (Portia) abbas Modii et protonotarius apostolicus, a Gregorio XIII. nuntius in Germaniam superiorem missus, a d. 3. Iulii 1573 ad 30. Decembris 1574 de legatione sua ad Ptolemaeum Gallium cardinalem „Comensem" pontificis secretarium maiorem dedit. Has litteras omnes fere Minutius Minuccius (Minucci) Portiae secretarius scripsit; nonnumquam ipse Portia aliqua eis adnotavit.

Aliquot huius codicis epistulas vel integras vel ex parte edidit *Augustinus Theiner* Congr. Or., Annales Ecclesiastici, Tomus primus, Romae 1856. Omnes autem epistulas ex eodem codice typis exscripsit *Carolus Schellhass*, Nuntiaturberichte aus Deutschland 1572—1585, III, Berlin 1896, et IV, Berlin 1903.

2. „**Germ. Vol. 81.**" Codex in 2°, membrana vestitus. Signatura recens in dorso: „Nunziatura di Germania 81"; signatura antiqua: „XXXIX Germania Monsr Portia An. 1575, 76 A l' Arcid-Carlo 3083." Numeris signatae sunt eae solae paginae, in quibus epistulae vel similia scripta sunt; quae sunt numero 722; praeposita sunt iis duo folia, quae indiculum epistularum codicis (desunt tamen aliquot epistulae) continent, et interposita illis sunt folia complura, quae aut nihil aut solas epistularum inscriptiones habent. Codex incipit p. 1: „Avviano di Anversa con lettere di XIX del passato", et terminatur p. 722: „Exemplum litterarum ad Reuerendissimum Episcopum Spirensem"; complectitur Bartholomaei comitis Purliliarum sive Portiae (de quo supra n. LXXI) nuntii apostolici in Germania superiore litteras archetypas a Kalendis Ianuariis a. 1575 ad 26. Decembris 1576 ad Ptolemaeum Gallium cardinalem Comensem Gregorii XIII. secretarium maiorem datas, quas Minutius Minucci Portiae secretarius scripsit et Portia ipse subscripsit; quibus accedunt aliorum quorundam epistulae et scripta.

Aliquot huius codicis litteras posuit *Theiner*, Annales Ecclesiastici, Tom. 1 et et 2, Romae 1856; plurimas autem edidit *Schellhass*, Nuntiaturberichte IV (v. supra p. LXXI) et V, Berlin 1909.

3. „**Germ. Vol. 82.**" Codex in 2°, membrana vestitus. Signatura recens in dorso: „Nunziatura di Germania 82". Signatura antiqua: „XLIII Germania Nuntio Portia 1577. 78. 3084." Numeris signatae sunt eae tantum paginae, in quibus epistulae vel similia scripta sunt; quae sunt numero 742. Iis autem quinque folia non signata, quae indiculos Codicum „Germ. Vol. 84" et „Germ. Vol. 82" continent, praeposita sunt. Codex incipit p. 1 (sign.): „Illmo et R^mo Sig.^re Il Sig. Annibale di Capua passando" etc.; terminatur p. 742: „Humilis. et devotis. Servo Minutio Minelli." Complectitur Bartholomaei Portiae (de quo supra, n. 2) nuntii apostolici in Germania superiore epistulas archetypas (nonnullae earum autographae sunt) a d. 5. Ianuarii 1577 usque ad 13. Augusti 1578 ad Ptolemaeum Gallium cardinalem Comensem datas; quibus accedunt epistulae aliquot ad Portiam datae et alia quaedam scripta.

Codice usus est *Jos. Hansen*, Nuntiaturberichte aus Deutschland 1572—1585, 1. Band, Berlin 1892.

4. „Germ. Vol. 82^a" Codex in 2°, charta densa conglutinatus. Signatura recens in dorso: „Nunziatura di Germania 82 A". Signatura antiqua in dorso: „Registro Originale di Lettere del Porzia Nunzio in Germania 1576"; ff. sign. 192.; praeterea in initio 1 et in fine 2 ff. non sign. Codex incipit f. 1 (sign.): „Al Card.^le di Como · Illmo et R.^mo Sig.^re Scrissi a V. S. Illma da Udenheim"; terminatur f. 192: „et a monsig.^r Elgardo per congratulatione." Complectitur 4 partes, quae has habent signaturas eodem illo tempore factas: „Libro XXIIII", „Libro XXVJ.", „Libro XXXIJ", „35"; procedit autem pars I. a d. 5. Aprilis 1576 ad 20. Iunii 1576, II. a d. 4. Octobris ad 31 Decembris 1576, III. a d. 10. Augusti ad 6. Novembris 1577, IV. a d. 17. Novembris 1577 ad 13. Februarii 1578. Codex igitur litterarum his temporibus a Bartholomaeo Portia nuntio apostolico ex variis Germaniae civitatibus (ut Friburgo Brisgoviae, Ratisbona, Ingolstadio, Colonia etc.) ad cardinalem Comensem et ad alios viros graves eosque maxime germanos datarum apographa manu Minutii Minucci secretarii Portiae scripta continet.

Codice usi sunt: *Hansen*, Nuntiaturberichte I; *Schellhass*, Nuntiaturberichte III · V; *Fr. Steffens* und *H. Reinhardt*, Nuntiaturberichte aus der Schweiz seit dem Concil von Trient, 1. Abt., Dokumente, 1. Band, Solothurn 1906.

5. „**Germ. Vol. 103.**" Codex in 2°, in membrana colligatus. Titulus in dorso antiquus: „2 GERMANIA Mr V.° di Vercelli 79. 80. 81. Visitat.^e agli Suizzeri | Suces. Mr Santacroce N.° Cesareo Sett.^e 81. 2. | Mr Bonomio." Titulus in dorso recens: „Nunziatura di Germania 103."; ff. sign. 514; praeterea complura non sign. Continet epistulas et relationes archetypas, quas Ioannes Franciscus Bonhomius episcopus vercellensis a d. 17. Iulii 1579 ad 28. Decembris 1581, cum apud Helvetios

nuntii visitatorisque apostolici officio fungeretur et deinde apud Rudolphum II. caesarem nuntium apostolicum ageret, Romam misit; earum pleraeque cardinali Ptolemaeo Gallio sive Comensi, Gregorii XIII. secretario maiori, inscriptae sunt; aliquot ex iis ipsius Bonhomii manu, reliquae a Ioanne Antonio Caresana eius secretario sunt scriptae; his autem interpositae sunt multae epistulae vel archetypae vel eodem fere tempore transcriptae, quae ab episcopis, abbatibus, principibus etc. ad Bonhomium vel ab hoc ad illos datae sunt; accedunt aliquot iudicia (responsa), relationes etc.

Codice usus est *R. Feller*, Ritter Melchior Lussy, 2 Bde, Stans 1906 1909.

b) Romae in archivo collegii germanici et hungarici.

„All. coll. Germ.“ Codex descriptus in vol. I, p. LVII—LVIII.

c) Romae in bibliotheca casanatensi.

„D. II 36.“ Codex in 2°, vestitus membrana alba. Titulus antiquus in dorso: „BONOMI EPISC. VERCEL. | EPISTOLAE INEDITAE“. Signatura antiqua: „D. II. 36“; signatura recens: „Cod. 693“. Paginae numeris signatae: 1—679; 780—887. Continet apographa eodem tempore scripta epistularum, quas Ioannes Franciscus Bonhomius episcopus vercellensis et Gregorii XIII. apud Helvetios nuntius ac visitator a d. 7. Aprilis 1580 ad 25. Septembris 1581 de rebus potissimum reformationem ecclesiasticam spectantibus dedit ad Gregorium XIII., S. Carolum Borromaeum, B. Petrum Canisium, multos alios proceres tum ecclesiasticos tum civiles, velut ad episcopos basileensem, curiensem, lausannensem, sedunensem, ad abbates Augiae maioris, Campodunensem, S. Emmerami, Eremi S. Mariae, S. Galli, Faucensem, Isniensem, Kreuzlingensem, Lucellensem, Murensem, Ottoburanum, Rhenaugiensem, Stamsensem, Weingartensem, ad provinciales Augustinianorum, Iesuitarum, Minorum Conventualium, ad praepositum friburgensem in Helvetia, ad Ferdinandum II. archiducem, Albertum V. Bavariae ducem, dominos locorum (cantonum) helveticorum etc. Qui epistulas hasce descripsit, unus ex Bonhomii familiaribus et in legationibus germanicis, quas ille a. 1581—1587 obibat, eius comes, per aliquod saltem tempus, fuisse videtur; nam in Codice „Bonh. 2.“, in quem Bonhomius multarum epistularum a. 1584 a se datarum commentaria sua fere manu rettulit, ille (Lucas Burgus?) commentario epistulae Praga 28. Aprilis 1584 ad Doctorem Henricum Fabricium a Bonhomio datae aliqua ad eandem epistulam pertinentia ascripsit (p. 125).

Codice usus est *Feller* l. c.

7. Codices Societatis Iesu.

1. **„II. 42.“** Descriptus in vol. V., p. LXXV.

2. **„VI. 35.“** Codex in 4°, conglutinatus in charta densa. Inscriptio recens in dorso: „Professiones, Vota Coadj.orum varii Catalogi personarum sub P. Hoffaeo Provinciali“. Signatura novissima in dorso: „VI. 35“; signatura paullo antiquior: „XIII. Y“. Folia sign. 92; quorum multa sunt vacua; praeterea in initio 1 f. non sign. Incipit f. 1ª: † „Liber Professionum et votorum“; terminatur f. 88ᵇ: „Widman. Bauarus. (CT)“. Continet varios catalogos Sociorum provinciae Germaniae superioris, quos P. Paulus Hoffaeus praepositus provincialis a. 1572 conscribere coepit et usque ad a. 1580 exeuntem perduxit; velut Sociorum quattuor vota sollemnia professorum, scholasticorum, admissorum, dimissorum, sacerdotio initiatorum, mortuorum, sodalium ex aliis provinciis et in alias provincias missorum, omnium denique Sociorum, qui sub Hoffaeo in ea provincia fuerunt; quibus varia ad eorum personas spectantia adnotata sunt: his accedunt varia vota sollemnia et vota coadiutorum formatorum ab ipsis, qui voverunt, scripta vel saltem subscripta. Codici praepositus est recens indiculus rerum.

Codice hoc usus est *G. M. Pachtler* S. J., Ratio Studiorum et Institutiones Scholasticae Societatis Iesu per Germaniam olim vigentes I, Berlin 1887.

3. **„B. 10.“** Codex in 2°, colligatus in lignis corio albo vestitis et figuris impressis. Inscriptio antiqua in dorso: „ACTA CONGRE | GATIONVM PRO |

VINCIALIV. CVM RESPONSIS". Signatura novissima: „B 10": signatura paullo antiquior: „III. B". Incipit f. 4ª non sign.: „ACTA CONGREGATIONVM"; terminatur p. 565: „Romae 21. Octobris 1758. Laurentius Ricci"; pp. sign. 588; sed pp. 566—588 (quae perperam „266", „267" etc. signatae sunt) vacuae sunt; praeterea in initio 10 et in fine plurima folia non sign. Continet 59 congregationum provincialium in Societatis „Provincia Germaniae Superioris" ab a. 1568 ad 1758 habitarum acta a congregationum „secretariis" ex ipsorum officio conscripta; singularum congregationum decretis et propositionibus Romam ad praepositos generales delatis ac provincialium memorialibus cum iisdem praepositis communicatis adiuncta sunt „responsa" generalium. Liber „pro Superioris Germaniae provincialis Archiuio" conscribi coeptus est anno 1587; deinceps autem brevi post singulas congregationes et responsiones earum „acta" curantibus provincialibus vel secretariis ex archetypis exemplis in hunc codicem transcripta esse videntur; complura etiam ipsi secretarii vel scripserunt vel saltem subscripserunt. Actis praepositus est „Jndex Congregationum" temporum ordine compositus.

Codice usi sunt *Pachtler* l. c. (v. supra n. 3) et *Bern. Duhr* S. J., Die deutschen Jesuiten im 5%-Streit des 16. Jahrhunderts, in „Zeitschrift für katholische Theologie", 24. Jahrg., Innsbruck 1900, et „Geschichte der Jesuiten" etc., (v. supra p. LXX).

4. „**C. I.**" Codex descriptus in vol. VI, p. LV.

5. „**Can. 5.**"[1] Codex in 4°, membrana vestitus. Signatura recens in pagina priore involucri anterioris: „Canisiana 5"; signatura in dorso, eaque paulo antiquior: „Scripta | B. P. Canisii X. E."; signatura in pagina priore folii signati 1: „Scripta V. P. Canisii 36. Gorheim 22. September 1860"; numerus autem 36 et quae sequuntur lineis transmissis sunt oblitterata. Incipit in f. 1ª (cui in folio non signato „Index" rerum brevis recensque praepositus est): „† Summa in concionis in die Parasceues. Viel vnd hoch ist vns" etc.; terminatur f. 121ª: „nos ej arma suppeditamus, ignorantia, cupiditate et negligentia"; ff. sign. 121; praeterea in initio 1 et in fine 1 non sign.; unum alterumve f. (post f. 37) exscissum est. Codice Canisius usus est tum ad orationes aliquot sacras (ut in exsequiis reginae Poloniae et Helenae archiducissae a. 1572 et 1574 Oeniponte celebratis) adumbrandas, tum ad varia colligenda, quae ad contiones habendas et pietatem fovendam utilia esse possent, velut de vita et passione Christi, de libro Iob, „Etliche Gaistliche ubung die auch in täglichen gescheffen zu brauchen nutzlich sein" etc. Alia ab ipso Canisio, alia ab aliis, ut a PP. Hurtado Perez et Guilielmo Elderen, a Balthasare Arnoldt Canisii scriptore etc. scripta sunt Augustae Vindelicorum, Oeniponte, Friburgi Helvetiorum.

Codice usus est *Al. Kröss* S. J., Der selige Petrus Canisius in Österreich, Wien 1898.

Et hic codex et qui infra sub nn. 6—16 ponentur, vel a Canisio ipso vel eo curante circa a. 1580 Friburgum Helvetiorum perlati esse et usque ad Societatis suppressionem a. 1773 factam collegii friburgensis S. J. fuisse videntur.

6. „**Can. 22.**" Codex in 4°, fusco corio, figuris impresso, ligatus. Signatura recens in parte adversa involucri anterioris: „Canis. 22."; signatura paullo antiquior in dorso: „Scripta B. P. Canisii x. X"; signatura in f. 1ª (signato), postea lineis transmissis oblitterata: „Scripta V. P. Canisii 25. Gorheim den 22. Sept. 1860". Incipit in pagina aversa involucri anterioris: „Job olim lectus in 40 tempore Orig."; terminatur in pagina adversa involucri posterioris: „et seipsam irreprehensibilem exhibere"; ff. sign. 198; praeterea in initio 1 f. non sign., in quo est indiculus recens contionum codicis. Is continet commentaria orationum sacrarum, quas Canisius Oeniponte a d 30. Novembris 1572 usque ad 6. Ianuarii 1573 in templo S. Crucis ad

[1] Haec designatio et proximae 10 bene distinguantur oportet ab illis, quae fient per litteras cursivas sive italicas et numeros latinos; his enim significabuntur volumina excusa huius operis; v. g. *Can.* V = Beati *Petri Canisii* Epistulae et Acta, Vol. V.

Ferdinandum II. archiducem Tirolisque principem eiusque aulicos habuit, et contionum atque lectionum sacrarum de libro Iob, quas idem a d. 7. Februarii ad 6. Septembris 1574 in ecclesia collegii oenipontani habuit, et aliquot aliarum, quae a. 1573 et 1576 Oeniponte ab eo habitae esse videntur; accedunt aliqua notata „De aulicis et eorum uitijs", „De uirtutibus nobilium et aulicorum", „De dignitate et priuilegijs mulierum" etc. Canisius aliqua ipse scripsit; reliqua Balthasari Arnoldt et aliquot aliis dictata ac postea ab ipso recognita et emendata sunt.

7. „**Can.** 23." Codex descriptus in vol. IV, p. LXXV, n. 6, sub signatura „Can. X. Y", quam antea habuerat.

8. „**Can.** 29." Codex in 4°, membrana vestitus. Signatura recens in pagina adversa involucri anterioris: „Canisiana 29"; signatura paullo antiquior in dorso: „Scripta P. Canisii E. a"; signatura etiam antiquior in pagina priore folii primi, non signati: „Scripta V. P. Canisii 19. Gorheim 22. Sept. 1860". Incipit in eadem pagina: „Moyses schlug das Meer mit der Ruthen"; terminatur in pagina adversa involucri posterioris: „De modo communicandi .73."; ff. sign. 97, quorum aliqua vacua sunt; praeterea in initio 2 ff. non sign. Continet contionum quadragesimalium a d. 18. Martii usque ad 20. Aprilis 1579 a Canisio Landishuti (Landshut) coram Guilielmo (V.) Bavariae principe habitarum commentaria; quorum maximam partem Canisius scriptori alicui dictavit; aliqua capita ipse scripsit; omnia ipse recognovit et emendavit. His accedunt alia quaedam: „Index" contionum recens (in f. 2 non sign.), duae contiones de prophetia Ionae, exhortationes ad Socios et ad virgines sacras, notata ex sanctis Patribus etc.

Codice usus est *G. Schlosser* S. J., Beati Petri Canisii S. J. Exhortationes domesticae, Ruraemundae 1876.

9. „**Can.** 30." Codex in 4°, membrana vestitus. Signatura recens in pagina adversa involucri anterioris: „Canisian 30"; signatura paullo antiquior in dorso: „Scripta B. P. Canisii X. F. a"; signatura etiam antiquior in summa pagina adversa involucri anterioris: „Scripta V. P. Canisii 33. Gorheim 22. Sept. 1860"; numerus tamen „33", et, quae sequuntur, lineis transmissis oblitterata sunt. Incipit in eadem pagina: „E sermonibus Thomae a villa noua"; terminatur in pagina adversa involucri posterioris: „ut tandem ex ea rerum omnium opifex progrederetur, et ad nos loqueretur"; ff. sign. 184; praeterea ff. non sign. in initio 2 et in fine 1. Continet commentaria contionum Oeniponte in ecclesia parochiali a d. 10. Augusti ad 25. Novembris 1575 a Canisio habitarum et aliarum aliquot, quae a. 1576 ab eo habitae esse videntur; his accedunt duo „Indices", unus recens in initio codicis, alter ab ipso Canisio in fine eius positus, exhortatio ad Socios de iubilaeo habita, excerpta quaedam etc. Canisius aliqua ipse scripsit, reliqua Balthasari Arnoldt et aliis dictavit, quorum scripta dein recognovit et emendavit.

Codice usus est *Schlosser* l. c.

„**Can.** 31." Descriptus in vol. VI, p. LV—LVI.

10. „**Can.** 33." Codex in 4°, vestitus membrana. Signatura recens in pagina adversa involucri anterioris: „Canisiana 33"; signatura paullo antiquior in dorso: „Scripta B. Patris Canisii X. Ia"; signatura etiam antiquior in f. 1ª (sign.): „Scripta V. P. Canisii 32. Gorheim 22. Sept. 1860"; numerus tamen „32." et quae sequuntur, lineis transmissis oblitterata sunt. Incipit in f. 1ª non sign.: „Indicem vide ad calcem Canisian. 33"; terminatur in f. 196ᵇ: „Feria 2. paschatis. 193.": ff. sign. 196; praeterea in initio 1 f. non sign. Continet contionum quadragesimalium Oeniponte in ecclesia parochiali a d. 16. Februarii ad 4. Aprilis 1575 a Canisio habitarum commentaria; quae Canisius Balthasari Arnoldt et alteri cuidam scriptori dictavit et postea sua manu emendavit; f. 196 index contionum antiquus.

11. „**Can.** 34." Codex in 4°, albo corio, figuris impresso, ligatus. Signatura recens in pagina adversa involucri anterioris: „Canisian 34"; signatura paullo antiquior in dorso: „Scripta B. P. Canisii X. K. a"; signatura etiam antiquior in f. 1ª

non sign. „Scripta V. P. Canisii 13. [18.?] Gorheim 22. Sept. 1860"; sed „13." [18.?] et, quae sequuntur, lineis transmissis oblitterata sunt. Incipit in f. 1ª non sign.: „De adoratione Christi in Eucharistia"; terminatur in pagina adversa involucri posterioris: „Abyssus expensarum abyssum inuocat rapinarum"; ff. sign. 190; praeterea in initio 2 ff. non sign. Continet sacrarum orationum a Canisio Oeniponte a d. 28. Septembris 1572 ad 6. Ianuarii 1573 in templo S. Crucis coram Ferdinando II. archiduce Austriaeque superioris principe et a d. 11. Novembris 1574 ad 19. Iunii 1575 in ecclesia parochiali habitarum commentaria; quorum maximam partem Canisius Balthasari Arnoldt et aliis dictavit; aliqua ipse scripsit; omnia ipse recognovit et emendavit. In foliis 1 et 2 non signatis duo sunt contionum indices, hic recens, ille a Canisio scriptus. Accedunt alia quaedam; velut cum Canisius f. 189ᵇ sua manu notat multa proverbia latina „Germanice reddita"; v. g. „Sero sapiunt Phryges vmbsunst verstopfft man den brunnen wenn das kindt ertruncken ist. . . . Quandoque bonus dormitat Homerus Die besten schutzen felen auch etwan" etc.

12. „**Can. 35.**" Codex in 4°, membrana vestitus. Signatura recens in pagina adversa involucri anterioris: „Canisian 35"; signatura paullo antiquior in dorso: „Scripta B. P. Canisii | X. L, a"; signatura etiam antiquior in f. 1ª non signato: „Scripta V. P. Canisii 20. Gorheim 22. Sept. 1860"; sed „20." et, quae sequuntur, lineis transmissis deleta sunt. Incipit f. 1ª non sign.: „De peccato et mortali; de effectu eius" etc.; terminatur in pagina adversa involucri posterioris: „De mortali peccato"; ff. sign. 171; praeterea in initio 3 ff. non sign. Continet contionum Oeniponte in ecclesia parochiali a d. 28. Novembris 1574 ad 24. Februarii 1575 a Canisio habitarum commentaria, eaque maximam partem Balthasari Arnoldt scriptori dictata; Canisius aliqua ipse scripsit et omnia recognovit atque emendavit. In ff. 2 et 3 non sign. duo sunt contionum indices; hic a Canisio scriptus, ille recens; paginae aliquot vacuae sunt.

Codice usi sunt *Schlosser* l. c. et *Th. Mönnichs* S. J. in „Zeitschrift für katholische Theologie" 24. Jahrg., Innsbruck 1900.

13. „**Can. 36.**" Codex in 4°, in membrana alba colligatus. Inscriptio recens in dorso: „Scripta B. P. Canisii | X. Ma". Signatura antiquior in f. 1ª non sign.: „Scripta V. P. Canisii 35. Gorheim 22. Sept. 1860"; sed „35." et, quae sequuntur, lineis transmissis oblitterata sunt. Signatura novissima in f. 2ª non sign.: „Canisiana 36". Folia sign. 200; praeterea in initio 2 non sign.; aliquot folia vacua sunt. Incipit in pagina adversa involucri anterioris: „De merito Christi ut thesauro maximo"; terminatur in pagina adversa involucri posterioris: „nullus enim alius sua iustitia celum ascendere nisi Christus potest." Continet contionum, quas Canisius ab exeunte m. Decembri 1580 ad exeuntem m. Aprilem 1581 Friburgi Helvetiorum habuit, commentaria, eaque, Canisio dictante, a P. Roberto Ardreno S. J. et aliis scripta; aliqua ipse Canisius scripsit; reliqua ipse recognovit et emendavit. Accedunt aliquot „exhortationes" ad Socios habitae et varia „Miscellanea". In primis duobus foliis non sign. exstant duo contionum indiculi, alter antiquus et alter recens.

14. „**Can. 42.**" Codex antea signatus „Scripta B. P. Can. X. Sa" et cum hoc nomine descriptus in vol. II, p. LVII—LVIII.

15. „**Can. 43.**" Codex in 4°, non conglutinatus. Continet folia separata fere 80 variae magnitudinis (maxima eorum pars est in 4°), quae neque certo ordine disposita, neque numeris signata sunt; eorum alia ab ipso Canisio, alia Canisio dictante vel mandante ab aliis, alia aliter variis locis, velut Augustae, Friburgi Helvetiorum, Oeniponte, scripta sunt; valde quoque inter se differunt horum scriptorum argumenta: orationes sacrae ad populum, exhortationes domesticae ad Socios, precationes, considerationes theologicae etc.

16. „**Can. 51.**" Codex descriptus in vol. VI, p. LVI.

17. „**Congr. 1.**" Codex in 2° min., membrana alba vestitus. Signatura recens in dorso: „Congr. 1". Inscriptio antiqua in dorso: „Exempl. Actorum | General. |

Tom. Primus ad Congr. IX. Inclusiu." Incipit p. 1 sign.: „Congregatio 1ª. De Actis in Congregatione"; terminatur p. 598: „Nathanael Sotuellus Secretarius Societatis JESV. manu propria." Pagg. sign. 618; sed p. 599—618 omnino vacuae sunt: praeterea in initio 3 ff. non sign. Continet acta primarum 9 congregationum generalium Societatis, quae Romae a. 1558—1649 habitae sunt; ac primarum quidem quattuor congregationum acta eadem manu et eodem fere tempore (inter a. 1581 et 1593) in codicem relata esse videntur; reliqua vero variis manibus, paullo postquam singulae congregationes habitae sunt, videntur esse scripta; quibus varia monumenta historica ad congregationes illas spectantia inserta sunt. Actis praepositus est (ff. 2 et 3 non sign.) antiquus index chronologicus.

Codice hoc usus est *Ant. Astrain* S. J., Historia de la Compañía de Jesús en la Asistencia de España; Tomo II, Madrid 1905; Tomo III, Madrid 1909.

18. „**EN.**" Codex descriptus in vol. V, p. LXXII.

19. „**Epp. Ext. 28.**" Codex in 2°, conglutinatus in charta condensata. Signatura recens in summo dorso: „Epp. Ext. 28." Titulus recens in f. 1ª non sign.: „Epistolae Principum 1576—1585." Incipit f. 1ª (signaturae inferioris): „Reuerendissimo signore. A richiesta di persona à me grata"; terminatur f. 322ᵇ: „Die Societet, vnnterthönigst befilcht etc." Folia sign. 323; praeterea et in initio et in fine 1 non sign. Continet epistulas maximam partem autographas vel archetypas, easque temporis ordine dispositas, quas a d. 5. Ianuarii 1576 ad 7. Decembris 1585 ad Everardum Mercurianum et Claudium Aquavivam praepositos generales Societatis dederunt multi principes et alii viri auctoritate et generis nobilitate insignes, velut Rudolphus II. imperator, Philippus II. Hispaniae rex, Henricus III. Galliae rex, Stephanus Bathorius Poloniae rex, Sebastianus Lusitaniae rex, Serva Dei Magdalena archiducissa Austriae, Ferdinandus II. archidux idemque Austriae superioris princeps, Carolus archidux et princeps Stiriae et Carinthiae etc., Christophorus Bathorius voivoda Transsilvaniae, Guilielmus V. dux Bavariae, Teutonius a Braganza, Nicolaus Christophorus dux Radzivillius, Octavius Farnesius, Ioannes et Octavianus Fuggeri etc. Accedunt aliquot epistulae ad alios datae et alia litterarum monumenta.

Epistulis huius codicis usi sunt: *Aug. Theiner*, Schweden und seine Stellung zum heiligen Stuhl unter Johann III., Sigismund III. und Karl IX., 2 Theile, Augsburg 1838 1839; *Bernh. Duhr* S. J., Die Jesuiten an den deutschen Fürstenhöfen des 16. Jahrhunderts, Freiburg i. Br. 1901, et 5%-Streit, et Gesch. d. Jesuiten (vide supra p. LXXIV); *H. Fouqueray* S. J., Histoire de la Compagnie de Jésus en France II, Paris 1913; *Andr. Veress*, Epistolae et Acta Jesuitarum Transylvaniae temporibus principum Báthory. Vol. I II, Kolozsvár-Budapest 1911 1913.

20. „**G. Sup. 1.**" Signatura recens in summo dorso: „G. Sup. 1 GERM. SUP. | EPIST. GENER 1573—1579 1581—1587"; antea codex hic pars fuerat codicis sic signati: „Ger. Sup. Epist. Gen. 1573—1600"; inscriptio recens in dorso (infra signaturam): „GERM. SUP. | EPIST. GEN. 1573—1587"; incipit f. 1ª (sign.): „† Serenissimo Duci Bauariae. Quod T. Celsitudini" etc.; terminatur f. 197ᵇ (signaturae recentis): „ac nos deinde admonebit"; conglutinatus charta densa; 2° min. (formae romanae, quam vocant); ff. numeris signata 1—197; quorum numerorum pars prior, usque ad 145 incl., in superioribus foliorum marginibus manu antiqua, reliqua in inferioribus manu recenti posita est; praeterea et in initio et in fine 1 fol. non sign. Continet registrum archetypum epistularum, quas a d. 1. Iulii 1573 ad 26. Octobris 1576 Everardus Mercurianus, Societatis Iesu praepositus generalis, et a d. 21. Martii 1581 ad 16. Octobris 1587 Claudius Aquaviva, praepositus et ipse generalis, Roma in Societatis provinciam „Germaniae Superioris", Bavariam, Helvetiam, Suebiam, Tirolim complectentem, miserunt et ad multos Socios, velut Paulum Hoffaeum, Georgium Baderum, Ferdinandum Alberum praepositos provinciales, rectores augustanum, dilinganum, friburgensem (Helv.), halensem, ingolstadiensem, landsbergensem, lucernensem, monacensem, oenipontanum, sodales alios, et ad varios principes proceresque, ut Ioannem Egolphum a Knöringen ac Marquardum a Berg

episcopos augustanos, Iulium Echter episcopum herbipolensem, Martinum a Schaumberg episcopum eystettensem, Ferdinandum II. archiducem Tirolisque principem, Magdalenam eius sororem, Albertum V. ac Guilielmum V. Bavariae duces, Octavianum ac Philippum Eduardum Fuggeros, Swicardum comitem ab Helfenstein, senatum lucernensem, senatum urbis friburgensis Helvetiorum, universitatem ingolstadiensem, Ludovicum Pfyfferum etc. In numero Sociorum, ad quos epistulae sunt datae, sunt (praeter eos, quos dixi) Beatus Petrus Canisius, Theodoricus Canisius, Otto Eisenreich, Caspar Haivodus, Hieronymus Natalis, Theodorus Peltanus, Alphonsus Pisanus, Iacobus Pontanus, Gregorius Roseffius, Hieronymus Torrensis, Gregorius a Valentia, Conradus Vetter. Accedunt epistulae aliquot ad aliarum provinciarum sodales, ut Laurentium Magium, Oliverium Manareum, Eleutherium Pontanum, Hermannum Thyraeum, datae et aliquot alia documenta. Maiorem vel etiam maximam codicis partem epistularum commentaria sive adumbrationes constituunt; reliquae epistulae ex archetypis vel commentariis eodem fere tempore exscriptae sunt. In priore codicis parte variorum librariorum manus cernuntur atque in his manus P. Antonii Possevini, qui eo tempore Societatis secretarius erat (v. g. f. 14—17 20 21); altera autem pars (a f. 51) una fere manu scripta est.

Codice usi sunt: *Kröss*, Can. (v. supra n. 5); *Duhr*, Gesch. d. Ies., Ies. an Fürstenhöfen, 5%-Streit, Paulus Hoffaeus in „Zeitschrift für katholische Theologie", 23. Jahrg., Innsbruck 1899; editores operis „Epistolae P. *Hieronymi Nadal* Societatis Iesu", Tomi 4, Matriti 1898—1905.

21. **„Germ. 109."** Codex descriptus est in vol. VI, p. LIX.

22. **„Germ. 131."** Codex antea signatus „G. C. 67" et cum hac signatura descriptus in vol. III, p. LXV.

23. **„Germ. 134."** Signatura novissima in summo dorso: „Germ. 134." Inscriptiones sive signaturae minus recentes in eodem dorso: „EPP. GERMAN. II. | 1572." Incipit fol. 4. (non sign.): „T. 2. 1572. Punti di uarie lettere di edificatione di diuerse Prouincie"; terminatur f. 435[b]: „patri Magistro hyeronimo natali vicario generali societatis iesu Romae"; 2° mai.; conglutinatus charta densa; ff. numeris signata 1—435; praeterea et in codicis initio et per totum eius corpus multa folia non signata collocata sunt; epistulis praepositi sunt duo indices: alter antiquus brevisque (qui cum ipsis epistulis iam non plene congruit), alter recens copiosusque; sequitur (ff. 9) summarium quoddam formae minoris, multarum epistularum praecipua quaedam capita complectens, idque, ut videtur, ab Hispano aliquo ex ipsis epistulis excerptum. Continet epistulas plurimas anno 1572 ex Austria, Belgio, Bohemia, Gallia, Germania, Lithuania, Polonia Romam ad Sanctum Franciscum Borgiam Societatis Iesu praepositum generalem atque ad PP. Hieronymum Natalem et Ioannem Polancum eiusdem Societatis vicarios generales a Societatis hominibus, maxime a praepositis provincialibus et a rectoribus collegiorum, missas; aliquot tamen epistulae ad alios datae sunt; accedunt litterae „annuae" provinciae Germaniae Superioris (a praeclaro illo Iacobo Pontano scriptae) et collegiorum braunsbergensis, olomucensis, pragensis, pultoviensis, ruthenensis (Rodez), vilnensis, vindobonensis, relatio de missione badensi, monumenta similia. In numero Sociorum, qui epistulas dederunt, comparent Franciscus Antonio, Stephanus Arator, Robertus Ardrenus, Edmundus Augerius, Iacobus Avellaneda, Henricus Blyssemius, Petrus Busaeus, Theodoricus Canisius, Richardus Flaminius, Emericus Forslerus, Iacobus Gordonus, Edmundus Haius, Caspar Haivodus, Benedictus Herbestus, Paulus Hoffaeus, Leonardus Kessel, Nicolaus Lanoius, Laurentius Magius, Franciscus Marinus, Theodorus Peltanus, Alphonsus Pisanus, Iulius Priscianensis, Ioannes Rethius, Gregorius Rosephius, Petrus Skarga, Franciscus Sunyer, Hermannus Thyraeus, Franciscus Toletus (qui postea cardinalis fuit), Hieronymus Torrensis, Iacobus Vangrovecius (Wujek), Stanislaus Varsevicius. His aliisque sodalibus accedunt insignes aliquot viri, ut Maximilianus II. imperator, Ioannes Franciscus cardinalis Commendonus, Vincentius a Porticu nuntius apostolicus, Balthasar a Dernbach O. S. B. abbas princepsque

fuldensis, Franciscus Hurtado de Mendoza comes de Monteagudo et Philippi II. apud caesarem orator, Ioannes Grodecius praepositus brunnensis, Laurentius Surius O. Cart., Nicolaus Elgardus. Epistulae pleraeque autographae sunt; reliquarum aliae archetypae (manibus auctorum subscriptae), aliae eodem fere tempore ex autographis archetypisve vel exscriptae vel excerptae sunt; scripta autem est maxima epistularum pars lingua latina: reliquarum complures italice, aliquae hispanice scriptae sunt.

Codice usi sunt *Duhr,* Gesch. d. Jes. I, Hoffaeus, et *Kroess,* Can., et „Geschichte der böhmischen Provinz der Gesellschaft Jesu" I, Wien 1910. Aliquot eius epistulas edidit *Io. Sygański* S. J., Listy Ks. Piotra Skargi T. J., Kraków 1912.

24. **„Germ. 135."** Signatura novissima in summo dorso: „Germ. 135." Signaturae sive inscriptiones minus recentes in eodem dorso: „EPP. GERMAN. III. | 1574. G. Ep. coll. III." Incipit f. 1ª (sign.): „Salus in Christo Jesu Reuerendissime Pater et Domine · Frequentes hactenus literas ad fratres" etc.; terminatur f. penultimo, non sign: „de Spirensibus, ac Fuldensibus, ac de Herbipolensi Episcopo. X. 57"; 2° mai.; conglutinatus charta densa; ff. sign. 1—433 et multa non signata; signandi autem ratio parum est certa; qua modo epistularum, modo foliorum numerum significari dixeris. Epistulis praepositi sunt duo indices iique iis plane similes, qui sunt in „Germ. 134". Continet plurimas epistulas ex Austria, Belgio, Bohemia, Gallia, Germania, Moravia, Stiria anno 1574 Romam ad Everardum Mercurianum praepositum generalem Societatis Iesu ab iisdem fere, qui epistulas codicis „Germ. 134" dederunt, missas atque aliquot alia monumenta, ut litteras Maximiliani II., Balthasaris a Dernbach O. S. B. abbatis fuldensis, Francisci Hurtadi de Mendoza oratoris hispani, Nicolai Elgardi, Balthasaris Künig, Gervini Calenii etc. Epistulae huius codicis eiusdem paene sunt rationis, atque epistulae codicis „Germ. 134".

Codice usi sunt *Duhr,* Gesch. d. Jes. I, Jes. an Fürstenhöfen, Hoffaeus, et *Kroess,* Can., Böhm. Prov.; aliquot eius epistulas edidit *Sygański* l. c.

25. **„Germ. 136."** Signatura recens in capite dorsi: „Germ. 136." Signaturae sive inscriptiones minus recentes in eodem dorso: „EPP. GERMAN. IV. 1575." Incipit f. 1ª (sign.): „Jhesus. Admodum Reuerende Pater noster in Christo. Pax Christi. Cum his meis literis per Legatum" etc.; terminatur f. penultimo, non sign.: „1575 Posnaniae P. Jacobus Vangrouitius . . . Generalj Romae"; 2° mai.; conglutinatus charta densa; ff. sign. 1—509; quibus praeposita, interposita, adiuncta sunt multa ff. non sign.; in initio duo indices iis plane similes, qui sunt in „Germ. 134." Continet plurimas epistulas ex Austria, Bohemia, Germania, Helvetia, Lithuania, Moravia, Polonia Romam ad Everardum Mercurianum praepositum generalem Societatis Iesu ab illarum terrarum Sociis, maxime a provinciarum praepositis et collegiorum rectoribus et horum consiliariis, anno 1575 missas; quibus accedunt epistulae aliquot ab iisdem ad alios datae et nonnullae litterae externorum, ut Melchioris Giedroic episcopi Samogitiae, Guilielmi Lindani episcopi ruraemundani, Viti a Würzburg episcopi bambergensis etc. Epistulae huius codicis eiusdem fere rationis sunt atque epistulae codicis „Germ. 134".

Epistulis huius codicis usi sunt: *Duhr,* Gesch. d. Jes. I, Hoffaeus, *Kroess,* Can., Böhm. Prov.; editores Epistt. P. *H. Nadal; Veress* l. c ; aliquot epistulas edidit *Sygański* l. c.

26. **„Germ. 137."** Signatura recens in summo dorso: „Germ. 137." Signaturae sive inscriptiones minus recentes in eodem dorso: „EPP. GERMAN. V. 1576." Incipit f. 1ª (antea 5ª) sign.: „1577 Austriae. Jesus + Maria. Admodum Reuerende in Christo Pater. Pax Christi etc. Scripturus per Austriae prouinciam"; terminatur pagina altera folii penultimi, non sign.: „Jl Padre Francesco Sunyer, alli 29. di Aprile"; 2° mai.: conglutinatus charta densa: ff. sign.: 1 (= 5)—7 1—348; folia non signata et indices duo, sicut in „Germ. 136". Huius codicis epistulae pleraeque, immo paene omnes eiusdem rationis atque epistulae codicis „Germ. 136" sunt, nisi quod ad annum 1576 pertinent; accedunt litterae annuae provinciae austriacae in a. 1577 datae et epistulae aliquot externorum, ut Hieronymi Rozdrażewski, de quo

Can. V 44⁹, et Andreae Jeryni canonici vratislaviensis (qui postea episcopus vratislaviensis fuit).

Codice usi sunt: *Duhr*, Gesch. d. Jes. I, Jes. an Fürstenhöfen, Hoffaeus, 5 %, *Kroess*, Böhm. Prov.; Epp. *Nadal; Sygański* l. c.

27. „**Germ. 138.**“ Signatura recens in summo dorso: „Germ. 138.“ Signaturae sive inscriptiones minus recentes in eodem dorso: „EPP. GERMAN. VI. 1577.“ Incipit f. 1ª sign.: „ihesus. Molto Reuerendo in christo padre. Pax christi. Non ho scritto auanti questo tempo“; terminatur in pagina altera f. penultimi non sign.: „sed et Ordinis statuta conuellere et immutare“; 2° mai.; conglutinatus charta densa; ff. numeris signata 1—384, ex quibus tamen complura desunt; folia non signata et indices duo, sicut in „Germ. 136“. Epistulae paene omnes datae sunt a. 1577 et eiusdem fere rationis sunt atque epistulae codicis „Germ. 136“; aliquae earum datae sunt Luxemburgo; Sociorum epistulis accedunt aliquot aliae, velut Prioris generalis Cartusianorum, Niniani Winzeti O. S. B. abbatis monasterii Scotorum ratisbonensis, Venceslai Haugwicz de Byscupicz, Georgii Eder consiliarii caesarei, Ioannis Stempelii consulis goudani, Thomae Lentii canonici noviomagi etc.

Codice usi sunt: *Duhr*, Gesch. d. Jes. I, Hoffaeus; *Kroess*, Böhm. Prov.: Epp. *Nadal; Sygański* l. c.

28. „**Germ. 152.**“ Codex in 2°, conglutinatus charta densa. Signatura recens in summo dorso: „Germ. 152“. Inscriptio recens in dorso: „EPIST. GERMAN. 1571—1573“. Incipit f. 1ª (signaturae inferioris): „† Reuerende admodum Pater. Gratia et Pax christi. Mos est“; terminatur f. 345ᵇ: „Pultouia P. Sunier 28. di Febraro“. Folia sign. (in marginibus inferioribus) 345; praeterea et in initio et in fine 1 f. non sign.: in codicem imposita sunt 3 ff. separata, quae indices epistularum eius recentes continent. Codex epistulas continet autographas easque ordine temporis dispositas, quas a Kalendis Ianuariis 1571 ad 28. Februarii 1573 ad S. Franciscum Borgiam Societatis praepositum generalem et (Borgia 1. Octobris 1572 vita functo) ad Ioannem Polancum Societatis vicarium generalem ex Austria, Belgio, Gallia, Germania, Lithuania, Polonia plurimi Socii, imprimis praepositi provinciarum et rectores collegiorum dederunt; quibus paucae externorum epistulae accedunt.

Epistulis huius codicis usus est *Duhr*, Gesch. d. Jes. I.

29. „**Germ. 153.**“ Signatura novissima in summo codicis dorso: „Germ. 153“. Antea autem codex signatus erat: „G. Ep. XIV.“ Inscriptio recens in codicis dorso: „EPIST. GERMAN. 1573“. Incipit f. 1ª sign. (ponam numeros inferioribus foliorum marginibus impressos): „Pax Christi, † Reuerende in Christo Pater. Praesentium latores erunt Reuerendi patres Lambertus Auer“ etc.; terminatur f. 378ᵇ: „† Resp. p.ª Junij 1573“; 2° mai.; conglutinatus charta densa; ff. sign. 1—378; praeterea et in initio et in fine codicis 1 f. non sign.: in eundem codicem imposita sunt 2 folia (2°) duplicia, in quorum paginis 5½ epistularum indiculus recens exstat. Continet epistulas plurimas anno 1573 ab ineunte M. Martio ad exeuntem Decembrem ex Austria, Belgio, Bohemia, Gallia, Germania, Lithuania, Moravia, Polonia Romam ad P. Ioannem de Polanco Societatis Iesu vicarium generalem et ad Everardum Mercurianum eiusdem Societatis praepositum generalem a Societatis hominibus, maxime a praepositis provincialibus et a collegiorum rectoribus, missas; quibus accedunt aliquot epistulae ad alios vel ab aliis datae et aliquot alia litterarum monumenta. In numero Sociorum, qui litteras dederunt, sunt Balduinus ab Angelo, Franciscus Antonio, Iacobus de Avellaneda, Georgius Bader, Theodoricus Canisius, Franciscus Costerus, Iacobus Gordonus, Elisaeus Haivodus, Benedictus Herbestus, Arnoldus Hezius, Paulus Hoffaeus, Laurentius Magius, Petrus Michael, Ioannes Mortaigne, Laurentius Norvegus (Nicolai), Christophorus Parcianus, Theodorus Peltanus, Eleutherius Pontanus, Osvaldus Redlinger, Ioannes Rethius, Gregorius Rosephius, Henricus Somalius, Franciscus Sunyer, Hermannus Thyraeus, Iacobus Vangrovecius (Wujek), Stanislaus Varsevicius, Philippus Vidmanstadius, Didacus Ximenez etc. His accedunt aliquot viri insignes, qui de Societate non erant, ut Guilielmus Lin-

danus episcopus ruraemundanus, Hieronymus Rozdrażewski cathedralis ecclesiae vratislaviensis praepositus (postea episcopus vladislaviensis), Livinus Pontanius rector universitatis duacensis, Franciscus Hurtadus de Mendoza comes de Monteagudo Philippi II. apud caesarem orator, Dr. Georgius Eder consiliarius caesareus idemque scriptor egregius, Octavianus Fugger patricius augustanus etc. Epistulae fere omnes autographae vel archetypae sunt; earum maxima pars latine scripta est; reliquarum aliae scriptae sunt italice, aliae hispanice, aliae gallice. In codice autem ad temporis ordinem dispositae sunt.

Usi sunt hoc codice: *Duhr*, G. d. J. I., Fürstenh., Hoff.; *Kroess*, Can., Böhm.

30. **„Germ. 156.“** Signatura recens in summo dorso: „Germ. 156“. Inscriptio in eodem dorso: „EPIST. GERMAN. | 1576—1578“ (Antea hae epistulae aliter dispositae erant; quarum aliae ad „G. Ep. XVII“, aliae ad „G. Ep. XVIII“ pertinebant). Incipit f. 1ª (signaturae inferioris): „† Ihesus Maria † Admodum Reuerende in Christo .P. Pax eiusdem domini nostri Jesu Christi. Praecipua quae hic contigerunt“ etc.; terminatur f. 340ᵇ (eiusdem sign.): „Patri nostro Euerardo Mercuriano . . . Romae.“; 2° mai.; conglutinatus charta densa; ff. in marginibus inferioribus signata 1—340; praeterea et in initio et in fine codicis 1 f. non sign.; in eundem imposita sunt 2 folia (in 2°) duplicia, quae epistularum indicem recentem habent. Continet epistulas a 1. Aprilis 1576 ad 27. Aprilis 1578 ad Everardum Mercurianum Societatis Jesu praepositum generalem datas easque ex temporum ordine dispositas; quae ceteroquin, sive epistularum auctores horumque terras, sive res ipsas spectes, eiusdem fere rationis sunt atque epistulae codicis „Germ. 153“; aliquae tamen ad alios annos, ut ad a. 1579, pertinent vel datae sunt ad alios, velut ad Paulum Hoffaeum Germaniae superioris provincialem; in numero Sociorum, qui litteras dederunt, sunt Balduinus ab Angelo, Ioannes Jacobi Astensis, Ioannes Paulus Campanus, Robertus Clayssonius, Franciscus Costerus, Paulus Florenius, Ioannes Harlemius, Arnoldus Havensius, Paulus Hoffaeus, Nicolaus Lanoius, Laurentius Magius, Laurentius Norvegus, Eleutherius Pontanus, Henricus Somalius, Franciscus Sunyer, Hermannus Thyraeus, Stanislaus Varsevicius. Accedunt monumenta varia, ut relatio de rebus seminarii Anglorum duaceni (1576), epistulae externorum, velut Hieronymi Ganzhornn canonici herbipolensis, Arnoldi Mylii typographi coloniensis, Ioannis Stempelii consulis gondani etc.

Codice usi sunt: *Duhr*, G. d. J. I; *Kroess*, Can.; *Sygański* l. c.

31. **„Germ. 157.“** Signatura recens in summo dorso: „Germ. 157“. Inscriptio in eodem dorso: „EPIST. GERMAN. 1578—1579“ (Antea „G. Ep. XIX“ et „G. Ep. XX.“, ut supra, n. 30). Incipit f. 1ª (signaturae inferioris): „† Admodum Reuerende in Christo Pater Pax Christi etc. Facile meminit P. Vestra quid in hac Prouintia“ etc.; terminatur f. 318ᵇ; „D. Martinus del Rio 27 [correctum ex „23“] Decembris“; 2° mai.: conglutinatus charta densa; ff. in marginibus inferioribus signata 1—318; reliqua folia (cum indice) se habent ita, ut dictum est de „Germ. 156.“ Continet (ordinem temporis servando) epistulas a d. 2. Maii 1578 ad 27. Decembris 1579 ad Everardum Mercurianum praepositum generalem Societatis Iesu ex Austria, Belgio, Germania, Helvetia, Lotharingia, Polonia, Transsilvania datas a Societatis hominibus, maxime a provincialibus; ut ab Balduino ab Angelo, Andrea Boccatio, Francisco Costero, Ioanne Harlemio, Benedicto Herbesto, Paulo Hoffaeo, Alexandro Höllero, Nicolao Lanoio, Ioanne Lelesio, Laurentio Magio, Nicolao Minutio, Bonaventura Paradinas, Hieronymo Torrensi, aliis multis. Quibus accedunt aliquot externi, ut Ioannes ab Austria, Martinus Del Rio (postea S. J.), Balthasar a Dernbach O. S. B. abbas princepsque fuldensis, Raimundus Imhof patricius augustanus, Ioannes Lendicken et Michael Kniperus canonici lubeccenses, Alexander Farnesius princeps Parmensis etc. Addita sunt aliquot alia litterarum monumenta. Quae omnia sunt archetypa, praeter pauca, quae eodem fere tempore ex archetypis sunt exscripta.

Epistulis huius codicis usi sunt: *Duhr*, G. d. J. I, Fürstenh., Hoff.; *Kroess*, Can., Böhm.; *Veress* l. c.: *Sygański* l. c.

32. „**Germ. 158.**" Signatura recens in summo dorso: „Germ. | 158". Inscriptio in eodem dorso": „EPIST. | Germ. | 1580". Antea autem codex signatus erat: „G. Ep. XXI". Incipit f. 1ª (signaturae inferioris): „Ihesus. Pax Christi etc. Admodum Reuerende in Christo Pater. Quae de persona Rectoris"; terminatur f. 333ª: „obsequentissime subseruiam, si qua possim"; 2° mai.; conglutinatus charta densa; ff. in marginibus inferioribus signata 1—333; reliqua ut in „Germ. 156", nisi quod index est paginarum $2^1/_2$. Continet, ordinem temporis servando, epistulas (easque omnes fere autographas vel archetypas) ab 1. Ianuarii ad 28. Decembris 1580 ad Everardum Mercurianum Societatis Iesu praepositum generalem et Oliverium Manareum, qui Mercuriano Calendis Augustis mortuo vicarius generalis factus est, datas ex Alsatia, Austria, Bavaria, Belgio, Bohemia, Borussia, Hassia, Helvetia, Lithuania, Moravia, Polonia, Rhenania, Styria, Tiroli, Transsilvania a provinciarum et collegiorum Societatis praepositis rectoribusque et a sodalibus aliis; in quorum numero sunt Henricus Blyssemius, Franciscus Costerus, Iacobus Ernfelderus, Paulus Hoffaeus, Martinus Laterna, Laurentis Magius, Petrus Michael, Bonaventura Paradinas, Hurtadus Perez, Iulius Priscianensis, Fabianus Quadrantinus, Gregorius Rosephius, Petrus Skarga, Franciscus Sunyer, Hermannus Thyraeus; accedunt aliquot epistulae externorum, ut Martini Dhumii contionatoris Guilielmi V. ducis Bavariae, Godefridi Gropperi praepositi bonnensis, Eggerdi a Schwoben praepositi brunnensis, et alia litterarum monumenta nonnulla.

Codicis huius epistulis usi sunt: *Duhr,* G. d. J. I, Fürstenh., Hoff., 5%; *Kroess,* Böhm.; *Veress* l. c.; *Sygański* l. c.

33. „**Germ. 183.**" Codex descriptus est in vol. V p. LXXI—LXXII (cum signatura „E. C. II.", quam antea habuerat) et in vol. VI, p. LX; postea dissolutus, denuo compactus, novis foliorum numeris, qui in infimis foliorum marginibus positi sunt instructus est.

34. „**Hist. coll. Oen.**" Codex descriptus in vol. IV p. LXXVIII—LXXIX.

35. „**Hist. Soc. 41.**" Codex in 2° min. („forma rom."), conglutinatus in lignis charta vestitis. Inscriptio recens in dorso: „Hist. Soc. | 41. | SOCIETATIS | STATUS | ET NUMERUS | 1574." Incipit in f. 1ᵇ (sign.): „Ihesus. Index Prouinciarum"; terminatur f. 281ª (sign.): „12. de Toledo y .9. de castilla". Habet ff. sign. 281 et ff. non sign. in initio 2 et in fine 5. Continet plurimarum Societatis Iesu provinciarum et domorum in Europa, Asia, America constitutarum catalogos a. 1573 et 1574 Romam ad Everardum Mercurianum praepositum generalem missos, in quibus multa de Sociorum aetate, patria, officio, ingenio etc. notantur. Catalogis praepositus est Sociorum index alphabeticus per nomina (non cognomina) dispositus.

36. „**Hist. Soc. 42.**" Codex descriptus cum signatura „Def.", quam antea habuerat, in vol. IV, p. LXXVI.

37. „**Rh. Inf. 1.**" Signatura recens in dorso: „Rh. Inf. | 1". Inscriptio recens ibidem: „Pr. Rheni | et | German. | Super. | Litterae | Generalis. | 1576—81". Incipit f. 1ª fasciculi I.: „† Jhesus Maria. Moguntiae. P. Balduino ab Angelo Visitatorj. Non facile dixerim" etc.; terminatur f. 49ᵇ fasciculi II.: „sacrificijs commendem 5° Nouemb. 1580"; 2° mai.; conglutinatus charta densa. Codex duobus constat fasciculis, qui olim omnino separati erant; utrique praepositus est indiculus singularum epistularum chronologicus; ff. sign. 1—48 et 1—49; ff. non sign. eaque recentia 8. Fasciculus I. continet commentaria epistularum, quas ad provinciae rhenanae S. J. sodales, maxime autem ad eiusdem praepositos provinciales et rectores, dederunt a 5. Novembris 1576 ad 7. Iuli 1580 Everardus Mercurianus Societatis praepositus generalis et a 27. Augusti ad 26. Octobris 1580 Oliverius Manareus Societatis vicarius generalis et a 6. Aprilis ad 23. Decembris 1581 Claudius Aquaviva praepositus generalis; quibus accedunt variae epistulae ad externos, ut ad Danielem Brendel archiepiscopum moguntinum, Iacobum ab Elz archiepiscopum treverensem, Iulium Echter episcopum herbipolensem, Marquardum ab Hattstein episcopum spi-

rensem, Ioannem a Manderscheid episcopum argentoratensem, Felicianum Ninguardam O. Pr. episcopum scalensem, Nicolaum Elgardum auxiliarem episcopum moguntinum, Balthasarem a Dernbach O. S. B. abbatem fuldensem, decanum capitulumque paderbornense etc. Fasciculus II. continet commentaria epistularum, quas ad provinciae „Germaniae Superioris“ praepositum provincialem, rectores, sodales alios (atque etiam ad PP. Hieronymum Natalem et Antonium Possevinum) Everardus Mercurianus praepositus generalis a 5. Novembris 1576 ad 7. Iulii 1580 et Oliverius Manareus vicarius generalis a 6. Augusti ad 5. Novembris 1580 dederunt; quibus accedunt epistulae ad Magdalenam reginam (Austriae archiducissam), Ferdinandum II. archiducem Tirolisque principem, Albertum V. et Guilielmum V. Bavariae principes, Iulium Echter episcopum herbipolensem, Felicianum Ninguardam O. Pr. episcopum scalensem, Ninianum Winzet O. S. B. abbatem ratisbonensem, senatum reipublicae lucernensis, Fuggeros patricios augustanos, Martinum Eisengrein praepositum ottinganum, Raimundum Imhoff patricium augustanum etc.

Codice usi sunt: *Duhr*, G. d. J. I, Fürstenh.; editores Epp. *Nadal*.

VI.

EXPLICATIO

signorum et notarum („abbreviationum").

Sicubi signum * in adnotationibus et explicationibus comparebit, eo indicabitur, editorem fonte uti nondum (quod ipse norit) edito. Si quae autem ex ipsis epistulis monumentisque canisianis nunc primum in lucem erunt emissae, id ex hoc ipso intellegi poterit, quod iis post exempla manu scripta, ex quibus sunt typis transcripta, non erit ascriptus liber, in quo iam vel integra vel ex parte vulgata sint.

Notabitur:

Signo — —, aliquid in ipso fonte deesse;
punctis appositis (. . .), aliquid ab editore omitti;
uncis quadratis [ ], aliquid ab editore suppletum vel additum esse;
typis latius dispositis, Canisium aliosve non suis, sed ipsius Sacrae Scripturae verbis loqui.

„Autographum" = quod auctor sua manu scripsit.
„Archetypum" = quod auctore dictante vel mandante scriptum est.
„Commentarium" = scriptum, quo epistula vel oratio sacra etc. primum est praeparata vel adumbrata (Konzept, brouillon, minuta).
„Librarius" vel „scriptor" = qui epistulam etc. vel auctoris mandatu eodemve dictante scripsit, vel ex autographo, archetypo etc. transcripsit (secretarius, scriba, copista).
2^0 = in folio; 5 % = quinque pro centum, quini pro centenis (florenis etc.); † = mortuus; &, &c = et.

Notae quaedam a Canisio aliisque ad complura eaque satis diversa vocabula significanda ponuntur; attamen, quid singulis locis significetur, ex ipsa oratione et maxime ex verbis, quae notas illas proxime tum antecedent, tum sequentur, dignosci poterit. Similiter intellegetur, utrum v. g. nota „P." significetur „Pater" an „Patris" etc. Hoc autem loco vocabula fere solo casu, quem vocamus, recto ponentur.

A. = Altezza, Annus.
a. = annus, articulus.
Abt. = Abteilung.
Act = Actus Apostolorum.
adn., adnot. = adnotatio
Adv. = Adventus.
Ann. = Annales.
ap. = apographum, apostolicus.
Apc, Apoc. = Apocalypsis Beati Ioannis Apostoli.
apogr. = apographum
App. = Appendix.
arch., archet. = archetypum.
Arm. = Armarium.
art. = articulus.
Aufl. = Auflage
aut., autogr. = autographum, autographus.

B., b. = beatus.
B. M. V. = Beata Maria Virgo.
B. V. = Beata Virgo, Beatitudo Vestra.
Bapt. = Bapstlich.
Bd. = Band.
Bde. = Bände.
bearb. = bearbeitet.
Bibl. = Bibliothèque.

bo: me: = bonae memoriae.
Boem. = Boemia.
Br. = Breisgau.

C. = Canisius, Celsitudo.
c. = caput, circa.
C. T. = Celsitudo Tua.
C. V. = Celsitudo Vestra.
ca. = caput, circa.
Caes. Ma., Caes. Mai. = Caesarea Maiestas.
Can. = Canisius.
can. = canon.
Can. I, II etc. = Beati Petri Canisii S. J. Epistulae et Acta, Volumen primum, secundum etc.; de „Can. 5“ etc. vide supra, in Descriptione Codicum p. LXXIV[1].
canon. = canonicus.
cap. = caput.
Card. = Cardinalis.
Cels. = Celsitudo.
Cent. = Centuria.
cf. = confer.
Chr. = Christus.
clar. = clarissimus.
Cod. = Codex.
Col = Epistula B. Pauli Ap. ad Colossenses.
col. = coloniensis, columna.
coll. = collegium.
colon. = coloniensis.
comm., comment. = commentarium, commentarius.
Congr. = Congregatio.
Congr. Or. = Congregatio Oratorii.
contion. = contionator.
1 Cor, 2 Cor = Epistula Beati Pauli Apostoli ad Corinthios prima, secunda.
corr. = correctum.

D. = Decas, Divinus, Divus, Doctor, Dominus, Dottore.
d. = dies.
D. D., d. d. = Dat Dedicat, Doctores, Dono Dedit.
D. N. = Dominus Noster.
D. P. = Doctor Pater.
D. V. = Diva Virgo, Dominatio Vestra.
dc. = durchlaucht, durchleucht.
DD. = Doctores, Domini.
Dec. = Decas.
decr. = decretum.
dhc. = durchleucht.
dil. = dilinganus.
disp. = disputatio.
Dn = Prophetia Danielis.
Doc., Doct. = Doctor.
Dom. = Dominica.
Dr. = Doctor, Dottore.
Dt = Liber Deuteronomii.
Durchl. = Durchleucht.

E. = Ewer.
E. F. dhc., E: Fl: Durchl. = Ewer Furstliche Durchleucht.
E. L. = Ewer Liebden.
E. V. Gn. = Ewer Vurstliche Gnaden.
Ecci. = Ecclesiasticus.
Eccl. = Ecclesia.
Eccle = Ecclesiastes.
Eccli = Ecclesiasticus.
ed. = edidit, editio, editus.
edd. = ediderunt.
EE. = Ewere.
EE. GG. vnd H. = Ewere Gnaden vnd Herrligkeit.
eiusd. = eiusdem.
el. = electio.
ep. = episcopus, epistula.
Eph = Epistula B. Pauli Ap. ad Ephesios.
epist. = epistula.
Epp. = Epistulae.
Epp. *Nadal* = Epistolae Patris Hieronymi Nadal, Societatis Iesu.
1 Esr, 2 Esr = Liber primus Esdrae, Liber secundus Esdrae.
etc. = et ceteri.
Ev., ev. = Evangelium.
Ew. Fl. Gn. = Ewer Furstliche Gnaden.
Ex = Liber Exodus.
Ex. = Examen.
excl. = exclusive.
eystett. = eystettensis.
Ez = Prophetia Ezechielis.

f. = feria, folium.
Fasc. = fascicolo, fasciculus.
fel: me: = felicis memoriae.
ff. = folia.
fl. = florenus.
Fl. Dt. = Furstliche Durchleucht.
Fl. Gn. = Furstliche Gnaden.
fol. = folium.
Fr. = Frater.
frib., friburg. = friburgensis.
Frl, Ftl. = Furstlich.

Gal = Epistula B. Pauli Ap. ad Galatas.
Gen. = Liber Genesis.
gen. = generalis.
Germ. = Germania.
GG. = Gnaden.

Gio. = Giovanni.
Gn = Liber Genesis.
Gn. = Gnaden.
Gut. = Gutachten.

H. = Heilig, Herr, Herrligkeit, Heylig.
Hab = Prophetia Habacuc.
Hebr = Epistula B. Pauli Ap. ad Hebraeos.
Hist. = Historia.
Hung. = Hungaria.

I. = Iesus.
i. = im, in.
J.-C. = Jésus-Christ.
I. e., i. e. = id est.
I. V. D. = Iuris Vtriusque Doctor.
Iac = Epistula catholica B. Iacobi Ap.
Jahrg. = Jahrgang.
Idt = Liber Iudith.
Ier = Prophetia Ieremiae.
Jes. = Jesuiten.
Ill., Illust. = Illustrissimus.
Imp. = Imperator.
in. = iniens, initium.
incl. = inclusive.
inf. = inferior.
ing., ingolst. = ingolstadiensis.
inscr. = inscriptio.
Io = Evangelium secundum Ioannem.
Io. = Ioannes
1 Io, 2 Io = Epistula B. Ioannis Ap. prima, secunda.
Ion = Prophetia Ionae.
Ios = Liber Iosue.
Is = Prophetia Isaiae.
Iudc = Liber Iudicum.

k. k. = kaiserlich königlich.
Kais. Maest. = Kaiserlich Maiestet.
Kal. = Kalendae.
Kay. = Kayserlich.

L., l. = liber, Liebden.
l. c. = loco citato.
lat. = latinus.
Lc = Evangelium secundum Lucam.
lib. = liber.
libr. = librarius.
Luc. = Evangelium secundum Lucam.
Lv = Liber Leviticus.

M. = Magister, Maria, Maximus, Monsieur.
m. = memoria, mensis.
M. S. = Manu Scriptus.
Ma. = Maiestas.
1 Mach, 2 Mach = Liber primus Machabaeorum, Liber secundus Mach.
Maest., Mai. = Maiestet.
Mal = Prophetia Malachiae.
Mant. = Mantissa.
marg. = margo.
Matt. = Evangelium secundum Matthaeum.
Max. = Maximus.
May. = Mayestet.
Mc = Evangelium secundum Marcum.
me. = memoria.
med. = medius.
Mich = Prophetia Michaeae.
min. = minor.
Mon., mon. = Monachium, monacensis, monumentum.
Monum. = Monumentum.
mppr. = manus propria.
Mt = Evangelium secundum Matthaeum.

N. = Noster, Nostro.
n. = numerus.
N. F. = Neue Folge.
N. P. = Noster Pater, Nostro Padre.
N. P. G. = Nostro Padre Generale.
N. R. P. = Nostro Reverendo Padre.
N.-S. = Notre Seigneur.
Nah = Prophetia Nahum.
Nm = Liber Numeri.
nn. = numeri.
nr. = numerus.
Nunt. = Nuntiaturberichte, Nuntius.

O. = Ordo, Otto.
O. Cap. = Ordo (Fratrum Minorum) Capuccinorum.
O. Carm. Excalc. = Ordo Carmelitarum Excalceatorum.
O. Cart. = Ordo Cartusianus.
O. Cist. = Ordo Cisterciensis.
O. F. M., O. Fr. Min., O. Min. = Ordo Fratrum Minorum.
O. Min. Conv. = Ordo Fratrum Minorum Conventualium.
O. Min. Obs. = Ordo Fratrum Minorum regularis Observantiae.
O. O. = Oberösterreichisch.
O. P., O. Pr. = Ordo Praedicatorum.
O. Praem. = Ordo Praemonstratensis.
O. S. A., O. S. Aug. = Ordo Sancti Augustini.
O. S. B. = Ordo Sancti Benedicti.
O. SS. Salv. = Ordo Sanctissimi Salvatoris.
oblitt. = oblitteratus.

Oen., oen. = Oenipons, oenipontanus.
om. = omittit.
Opt. Max. = Optimus Maximus.
Or. = Oratorium.
Os = Prophetia Osee.

P. = Padre, Pars, Pater, Paternità, Paternitas, Patres, Petrus.
p. = pagina, pars, pater, post.
P. D. = Padre Dottore, Pater Doctor.
P. gr. = Patrologia graeca.
P. lat. = Patrologia latina.
P. M. = Pontifex Maximus.
p. m. = piae memoriae.
P. N. = Padre Nostro, Pater Noster.
p. Pent. = post Pentecosten.
P. T. = Paternitas Tua.
p. Trin. = post festum SS. Trinitatis.
P. V., p. v. = Paternità Vostra, Paternitas Vestra.
P. V. R. = Paternitas Vestra Reverenda.
1 Par, 2 Par = Liber primus Paralipomenon, Liber secundus Paralipomenon.
Pent. = Pentecoste.
Pet. = Petrus.
1 Pet., 2 Pet., 1 Petr, 2 Petr = Epistula B. Petri Ap. prima, secunda.
Phil = Epistula B. Pauli Ap. ad Philippenses.
Philem = Epistula B. Pauli Ap. ad Philemonem.
Pont. = Pontifex.
Pont. Max. = Pontifex Maximus.
PP. = Papa, Patres.
pp. = paginae.
praef. = praefatio.
praep. = praepositus.
praep. gen. = praepositus generalis.
princ. = princeps.
Privil. = Privilegium.
prooem. = prooemium.
Provinc., provinc. = provincialis.
Prv = Liber Proverbiorum.
Ps, Psal. = Liber Psalmorum.

q., qu. = quaestio.

R., r. = Respondetur, Responsum, Reverendo, Reverendus, Reverentia, Reverenza.
R. D. = Reverendus Doctor, Reverendus Dominus.
R. M. = Reverendo Maestro.
R. P. = Reverenda Paternità, Reverenda Paternitas, Reverendi Patres, Reverendo Padre, Reverendus Pater.
R. P. D. = Reverendus Pater Doctor.
R. P. N. = Reverendus Pater Noster.
R. P. N. G. = Reverendus Pater Noster Generalis.
R. P. T. = Reverenda Paternitas Tua.
R. P. V. = Reverenda Paternitas Vestra.
R. T., r. T., r. t. = Reverentia Tua.
R. T. P. = Reverenda Tua Paternitas.
R. V. = Reverentia Vestra, Reverenza Vostra.
R. V. P. = Reverenda Vestra Paternitas.
rect. = rector.
ref. = reformatio.
Reg., reg. = Regina, Reginalis, regius, regula, regularis.
Resp. = Respondetur, Responsum, Respublica.
Rever. = Reverendus, Reverendissimus.
1 Rg, 2 Rg etc. = Liber primus Regum, Liber secundus Regum etc.
Rhen. = Rhenus.
rhen. = rhenanus.
Röm. = Römisch.
Röm. Kay. (Key.) May. = Römische Kayserliche (Keyserliche) Mayestet.
Rom = Epistula B. Pauli Ap. ad Romanos.
Rom. = Romanus.
rom. = romanus.
RR. DD. = Reverendi Domini.
RR. PP. = Reverendi Patres.
RR. VV. = Reverentiae Vestrae.

S., s. = Sacer, Saint, Salus, Sanct, Sanctissimus, Sanctitas, Sanctus, Sant, Sein, Servus, sine, Societas, Su, Summus, Suo, supra, Suus.
S. A. = Sua Altezza.
s. a. = sine anno.
S. C. = Sua Celsitudo.
S. C. M. = Sacra Caesarea Maiestas.
S. D. = Servus Dei.
s. d. = sans date.
S. D. N. = Sanctissimus Dominus Noster.
S. H. = Seine Hayligkeit.
S. J. = Societas Iesu.
s. l. = sine loco.
s. l. et a. = sine loco et anno.
S. P. D. = Salutem Plurimam Dicit.
S. P. N. = Sanctus Pater Noster.
S. R. = Sua Reverentia, Sua Reverenza.
S. R. E. = Sancta Romana Ecclesia.
S. V. = Signoria Vostra.
saec. = saeculum.
Sap = Liber Sapientiae.
Ser. = Series.

sig. = sigillum.
sign. = signatus.
SJ. = Societas Iesu.
sq. = sequens.
sqq. = sequentes.
SS. = Sacrosanctus, Sancti.
ss. = sancti.
sup. = superior, Superiore.

T. = Tomus, Tuus.
t. = tuus.
T. P. = Tua Paternitas.
T. R., t. r. = Tua Reverentia, tua reverentia.
T. R. P. = Tua Reverenda Paternitas.
temp. = tempus.
Th. = Theologus.
Theol. = Theologia.
1 Thess, 2 Thess = Epistula B. Pauli Ap. ad Thessalonicenses prima, secunda.
Thr = Threni (Lamentationes Ieremiae prophetae).
1 Tim, 2 Tim = Epistula B. Pauli Ap. ad Timotheum prima, secunda.
Tit = Epistula B. Pauli Ap. ad Titum.
Tit., tit. = titularis, titulus.
Tob = Liber Tobiae.
Tom. = Tomus.
tract. = tractatus.
trid. = tridentinus.
Trin. = Trinitas.
typ , typogr. = typographus.

u. = und.
V., v. = verbum, vester, vide, Virgo, von, vostro, Vurstlich.
V. C. = Vestra Celsitudo.
v. g. = verbi gratia.
V. P. = Venerable Padre, Vestra Paternitas, Vuestra Paternidad.
V. P. R. = Vestra Paternitas Reverenda.
V. R. = Vester Reverendus, Vestra Reverentia, Vostra Reverenda, Vostra Reverenza, Vuestra Reverencia.
V. S. = Vostra Signoria.
V. V. R. R. = Vestrae Reverentiae.
v̈: Ei: = v̈wer Eierwürde.
vat. = vaticanus
Ven., vener. = venerabilis.
vers. = versus.
vic., vicar. = vicarius.
viceprov. = viceprovincialis.
Vol. = Volumen.
VV. = Verba, Vestri, Vostri.
vv. = verba.
vv. sqq. = verba sequentia.

Zach = Prophetia Zachariae.

VII.

EPISTULAE A CANISIO ET AD CANISIUM DATAE 1572—1581.

1769. CANISIUS cardinali **OTTONI TRUCHSESS** episcopo augustano et praenestino, imperii principi, Romae degenti.

Oeniponte ineunte (ut videtur) a. 1572.

Ex apographo, anno 1896 a D. Vincentio Nardoni exscripto ex apographo antiquo (eodem illo tempore scripto), quod exstat Romae in bibliotheca vaticana, Cod. vat. 6207 f. 208.

Praefatio editoris. Apographum antiquum sic iam olim inscriptum est: „Ex litteris Petri Canisij." Quae recte dici facile ex ipso apographo cognoscitur. Ceterum his litteris vel potius litterarum partibus nec tempus nec locus nec nomen eius, ad quem sunt datae, ascripta sunt. Quare haec omnia ex ipsis rebus, quae scribuntur, colligi oportet. Scribitur autem primum de „Onophrij" sive P. Onuphrii Panvinii (1530—1568) „contra Centuriatores" opere diu „desiderato"; doctissimus autem ille ordinis Eremitarum Sancti Augustini sodalis a. 1567 cum cardinali Truchsess agere coeperat de tribus voluminibus „Historiae Ecclesiasticae" in lucem edendis, quae paraverat adversus „Ecclesiasticam Historiam" secundum singulas Centurias conscriptam, quam Matthias Flacius Illyricus aliique theologi lutherani a. 1559 Magdeburgi vulgare coeperant (v. *Canisii* Epistulas III 29; V 522—523). Deinde a Canisio „prima pars" commemoratur „Authoritatum Sacrae Scripturae et Sanctorum Patrum, quae in Summa doctrinae Christianae Doctoris *Petri Canisii* . . . citantur"; quae pars a P. *Petro Busaeo* S. J. primum in lucem emissa est Coloniae m. Septembri a. 1569 (*Can.* Epp. VI 685—687). Ipse vero Canisius, cum hanc epistulam scriberet, „pro deipara pugnabat contra novatores"; iussus enim a S. Pio V. Centuriatores magdeburgenses refutare, post librum de S. Ioanne Baptista autumno anni 1571 a se editum (*Can.* VI 712) librum componebat de Beata Maria Virgine (qui a. 1577 primum in lucem prodiit); cui librum de Petro Apostolo addere volebat (*Can.* VI 487—494 699—703 etc.). Hanc igitur in rem Canisius his litteris per amicum vel fautorem „antiquitatis testimonia" petit a cardinali Guilielmo Sirleto, magnae eruditionis viro, Romae degente (de quo v. *Can.* III 134 [1] 241 402); nec sane frustra haec petit; nam epistula Oeniponte 23. Maii 1572 data (quae infra suo loco ponetur) „agit gratias de multiplici munere" scriptorum eiusmodi, a Sirleto sibi misso. Has ergo litteras Canisius inter m. Septembrem a. 1569 et m. Aprilem a. 1572 scripsit; et mihi quidem maxime probatur, eum circa initium a. 1572, non prius, scripsisse; Sirletus enim, iam antea „suam operam pollicitus" et his litteris ad eandem praestandam vehementer excitatus, Canisii desiderio sine mora satisfacere debebat; accedit haec ratio: Centuriae X. et XI. a. 1567, XII. 1569, XIII 1574 editae sunt (*Can.* III 29); Canisius autem scribit, „mirari se", quod „nihil amplius edatur" a Centuriatoribus; quae admiratio longe magis anno 1572 quam 1570 et 1571 congruit. Initio a. 1572 Canisium Oeniponte habitasse facile patet ex epistulis et monumentis huius voluminis.

Quaerenti denique, quis sit ille, qui in his litteris „dignitas tua" et „pietas tua" appellatur et a Canisio, ut cardinalem Sirletum in ipsius „erga se studio confirmet" et ad testimonia hortetur antiquitatis mittenda, rogatur, occurrit cardinalis Otto Truchsess de Waldburg, episcopus augustanus simul et praenestinus ac „protector nationis germanicae" apud sedem apostolicam (*Can.* VI 413), anno 1568 cum Canisio Romam profectus; cum Truchsessio enim Canisio iam inde a multis annis frequens erat commercium magnaque familiaritas (in litteris quoque, quae sunt *Can.* VI 376—383, hic cardinalis a Canisio „dignitas tua" et „pietas tua" appellatur); atque — id quod maximi est momenti — Truchsessio Romae 2. Aprilis 1573 mortuo, Canisius 15. Octobris 1573 ad cardinalem Hosium scripsit: „Cum in humanis esset D. Cardinalis Augustanus, . . . suam mihi operam humanissime praestabat apud Illustrissimum Cardinalem Sirletum, suaque intercessione multa mihi saepe impetrabat selecta ueterum testimonia, quae sanctissimae uirginis Mariae causam aliqua ex parte commendabant" (v. infra ep. 1857). Itaque Truchsess, cum has Canisii litteras accepisset, earum caput illud, quod de veterum testimoniis erat, exscribendum curavit et Sirleto misit, rogans, ut Canisio gratificaretur.

Refutatio Centuriatorum. De B. Maria V. et S. Petro scribens, testimonia veterum petit. „Naevi." Dubitationes.

— — Onophrij opus tamdiu desideratum breui edendum esse gaudeo, et cupio sane uidere, quid contra Centuriatores non solum ipse sed et alij siue historiographi, siue Theologi in lucem edent post hanc diuturnam expectationem[1]. Miror nihil edi amplius [a] Centurionibus[a] [?].

Multum sane debeo Illustrissimo et Reuerendissimo D. Cardinali Sirleto, quod immerenti mihi suam operam polliceatur in suppeditandis antiquitatis testimonijs, quae pro deipara pugnanti seruiant contra nouatores. Pergratum erit quicquid Vir tantus miserit[2]. Ego communibus tantum libris Patrum, quos excussos[b] habemus, utor. Graecos codices non reperimus facile. Et scio multa Romae scripta reperiri, quae nullus latine uerterit in Graecis authoribus, sicut in Cyrillo, Proculo[c], Amphilochio, Procopio, Flauiano, Caesario, Meletio[3]. Lippomanus e Graecis quaedam uersa suis rapsidijs[d] immiscuit, quae ad sanctorum spectant historias[4]. Ego certe pauca reperi hactenus apud uetustiores, quae insignem Deiparae laudem contineant, immo nonnunquam naeuos in B. Virgine collocare uidentur, ut Chrysostomus, Origenes, Theophilactus. Nihil uideo speciosius, quam quod apud

a) *Sic; suspicor autem, Canisium scripsisse* Centuriatoribus, *ita tamen, ut compendio quodam sive siglo, quod vocant, uteretur; quod siglum a librario vel antiquo vel recenti non sit recte intellectum.*
b) *Scribendum fuit* excusos.
c) *Scribendum erat* Proclo; *vide quae sub ipsas has litteras dicentur.*
d) *Scribi debuit* rhapsodijs.

[1] Ex Onuphrii Panvinii scriptis editus tandem est anno 1589 Veronae liber primus „De primatu Petri et Apostolicae sedis potestate" (*Dav. Aurel. Perini* O. S. A., Onofrio Panvinio e le sue opere, Roma 1899, 204).

[2] Sirletus ab a. 1570 usque ad mortem († 1585) „Sanctae Romanae Ecclesiae Bibliothecarius" erat (*Pierre Battifol*, La Vaticane de Paul III à Paul V, Paris 1890, 24). Vaticanae itaque bibliothecae praeerat. Praeterea ipse quoque, ut *Canisius* (De Maria Virgine, Ingolst. 1577, 15) ait, „locupletem et raram Bibliothecam" habebat.

[3] Vide, quae de his sub ipsas has litteras dicentur.

[4] De Aloysio Lipomano eiusque „Historiis de vitis Sanctorum" v. *Can.* VI 103[2].

Athanasium legitur: Sed sermo ille in Deiparam in dubium a quibusdam reuocatur, sicut et Missa seu liturgia Chrysostomi, Basilij, Iacobi[1]. Breuiter; authores pene omnes de Maria Deipara scribentes alij mihi non suppetunt, quam qui a Buseo citantur in prima parte testimoniorum Catechismo nostro respondentium, ubi de Angelica salutatione tractatur. Quocirca iterum atque iterum oro dignitatem tuam, ut amplissimi D. Cardinalis erga me beneuolentiam studiumque confirmet ac impetret ab eo, quicquid illi uisum fuerit nobis communicare, siue ad Virginis matris innocentiam et sanctitatem [sin]gularem, siue ad uitae illius historiam, et ex hac uita migrationem, siue ad praerogatiuas eius peculiares in hac coelestique uita spectet. Nullus est fere locus de Maria scriptus[a] quem non exagitent sectarij, ut illam in ordinem redigant. Operosum est calumnijs omnium respondere: tentabo tamen Christo duce in lucem proferre, quae ad matrem Domini uindicandam suppetent meditanti, etsi non uideam, quis antehac sit sedulo in hoc argumento uersatus. Promoueat hunc conatum tua pietas quaeso, corrasis undique testimonijs patrum, si quae fortassis apud doctos isthic reperiuntur. Ego me aduersarijs et [?][b] pro Maria iugulandum offeram libens. Quod autem de Maria dixi de Apostolo etiam Petro intelligi uelim. — —

Ex his litteris intellegitur, qua ratione quantaque diligentia Canisius grande suum de Beata Maria Virgine opus composuerit.

Commemoraverat ille iam a. 1566 in nova editione „Summae doctrinae christianae" Coloniae facta fere 30 veterum de Beata Matre Dei testimonia (p. 30—34); quae deinde P. Petrus Busaeus S. J., Canisio iuvante, in „Authoritatum", quas supra dixi, prima parte, Coloniae 1569 edita, integra typis exscripserat (p. 185—218). Sed iam plura et a notitia communi magis remota antiquitatis testimonia Canisius quaerebat, eaque maxime, quae ex Graecorum libris latine nondum versis possent hauriri. Hos auctores ipse in his litteris enumerat, sic exordiendo: „Scio Romae" eos „reperiri"; scire autem id poterat tum ex amicis Romae versantibus vel versatis, ut Alphonso Salmerone, Francisco Turriano, Ioanne Polanco, Caesare Baronio, tum quia ipse bibliothecas obierat romanas (*Can.* III 111 134 340; VI 171 368 577—581). Romae igitur exstabant opera graeca necdum, quod Canisius quidem nosset, latine reddita non solum „Cyrilli" — S. Cyrillum et Hierosolymitanum († 386) et Alexandrinum († 444) significari existimo — sed etiam S. „Procli" patriarchae constantinopolitani († 446), S. „Amphilochii" episcopi iconiensis (saec. IV), Procopii Gazaei († ca. 528) rhetoris et hermeneutae — nam hic, non Procopius Caesareensis († post 562) historicus significari videtur —, Flaviani episcopi antiocheni (saec. IV.) et fortasse S. Flaviani quoque patriarchae constantinopolitani († 449), Caesarii Nazianzeni († 368 vel 369), Meletii, sive episcopus ille antiochenus († 381) significatur sive Meletius episcopus lykopolitanus († ca. 325), sive uterque; opera dico horum auctorum nominibus ornata, sive vere illorum erant, sive iis erant supposita, ut „Dialogi quatuor" Caesario suppositi sunt.

Duo tamen scrupuli *Canisii* animum pungebant. In „Summa" Athanasium ipse produxerat admodum „speciosis" laudibus Mariam extollentem (Summa doctrinae

a) scriptum *apogr.* b) *Corrigendumne* etiam?

[1] De „naevis" illis, sermone in Deiparam, liturgiis vide, quae post ipsas has litteras dicentur.

christianae, Coloniae 1566, 33—34; Authoritates I 209), usus sermone illo „εἰς τὸν εὐαγγελισμὸν τῆς ὑπεραγίας Δεσποίνης ἡμῶν Θεοτόκου“ (*Migne*, P. gr. XXVIII 917 ad 940), qui et ante et post id tempus in numero operum Athanasii positus est; velut in „Divi Athanasii Operibus“, Parisiis a. 1581 latine editis (p. 420—426); verum iam aliqui sermonem illum „in dubium revocabant“; dubitationem haud multo post sustulit Baronius, plane demonstrando, eum auctoris esse posterioris (*Migne* l. c. 915—918). De „Missis“ etiam „seu liturgiis“, quae cum nominibus S. Iacobi minoris Apostoli, S. Basilii Magni, S. Ioannis Chrysostomi circumferebantur et ad Mariae honorem vindicandum proferebantur („Iacobus Apostolus in Liturgia siue Missa sua“, „Chrysostomus in Liturgia“ etc.: Summa l. c. 30—32; Authoritates I 185—186 208 ad 210), aliqui dubitabant; atque constat, eas saeculis superioribus multifariam mutatas et amplificatas esse; neque vero minus certum est, Basilium liturgiam composuisse (*O. Bardenhewer*, Gesch. der altkirchl. Literatur III, Freiburg i. Br. 1912, 146—147); Chrysostomi quoque liturgia, quod ad prima eius exempla attinet, fortasse ipsius iam aetate conscripta est; et liturgia illa urbis hierosolymitanae, quae a Iacobo primo urbis eiusdem episcopo nomen habet, antiquissima est et cum liturgia Basilii in synodo Constantinopoli a. 692 habita (can. 32) memoratur (*I. D. Mansi*, Sacrorum Conciliorum Nova Collectio XI, Florentiae 1765, 957. Liturgias ipsas posuerunt: *H. A. Daniel*, Codex liturgicus IV, Lipsiae 1853, 80—133 325—438; *F. E. Brightman* et *C. E. Hammond*, Liturgies Eastern and Western I, Oxford 1896, 31—68 113—143 307—344).

Cum denique Canisius queritur, quod „vetustiores“, ut Chrysostomus, Origenes, Theophylactus, „nonnumquam naevos in Beata Virgine collocare videantur“, satis liquet, singulares quasdam locorum aliquot evangelicorum interpretationes eius animo obversari, quibus Mariae virginitas perpetua, prudentia, sanctitas obscurari posse videbantur. Ita *Origenes* in Lc 2, 23 notat, Mariae vulvam, cum Christus nasceretur, apertam esse, et in Lc 2, 34 35, eam „scandalum in passione domini passam esse“, ita ut „infidelitatis gladio et ambiguitatis mucrone feriretur“ (Hom. 14 et 17 in Lucam; *Migne*, P. gr. XIII 1836 1845); *Theophylactus* autem scribit in eundem locum, eam fortasse sive, ut videatur („τάχα“, „ἴσως“), cum Christum crucifixum et mortuum videret, offensam esse de eoque dubitasse, et in Io 2, 4, Mariam perperam in nuptiis illis miraculum a Christo petisse ideoque „οὐκ ἀλόγως“ ab eo reprehensam esse (Enarr. in Ev. Lucae c. 2; Enarr. in Ev. Ioannis c. 2; *Migne* l. c. CXXIII 732 1188 ad 1189); et *Chrysostomus* in locum illum Ioannis similia dicit atque (alia eius dicta omitto), cum ex Mt 12, 46 narrat, Christi „matrem et fratres stetisse foras, quaerentes loqui ei“, de matre haec addit: „Φιλοτιμίας ἦν περιττῆς· ἐβούλετο γὰρ ἐνδείξασθαι τῷ δήμῳ, ὅτι κρατεῖ καὶ αὐθεντεῖ τοῦ παιδός“ (Hom. in Ioan. 21 [alias 20], n. 2 et in Matth. 44 [al. 45], n. 1; *Migne* l. c. LIX 130; LVII 464—465). Neque igitur mirum est, Canisium eiusmodi veterum sententiis in angustias redactum esse; nam et ipse *S. Thomas Aquinas* censebat esse „dicendum, quod in verbis illis Chrysostomus excessit“ (Summa theol. 3, q. 27, a. 4 ad 3). Hanc ob causam *Canisius* in Operis Mariani libro IV. caput (27.; postea 29.) posuit sic inscriptum: „Quo iudicio legendi sint Patres, sicubi Mariae Virgini parum esse propitij, vel dignitatem eius imminuere videantur: quid praeterea Veterum testimoniis quae obiiciuntur, sit a Catholico respondendum“ (De Maria Virgine incomparabili, Ingolstadii 1577, 516—522; Alter Tomus Commentariorum de Verbi Dei corruptelis, Ingolstadii 1583, 568—575).

1770. P. HIERONYMUS NATALIS vicarius generalis Societatis Iesu PP. PAULO HOFFAEO Germaniae superioris provinciali et PETRO CANISIO. Roma 5. Ianuarii 1572.

Ex apographo eiusdem temporis; in margine, eadem manu: „Padre Hoffeo Prouinciale Germania et al Padre Canisio.“ Germ. 109 f. 48ᵇ.

Praefatio editoris. Natalem ad Hoffaeum et ad Canisium separatas epistulas existimo dedisse, perinde atque 15. Decembris 1571 ad utrumque seorsim scripsit

(*Can.* VI 494—495); neque enim hi duo eodem tunc degebant loco (saltem id valde incertum erat); apographum vero, quod mihi praesto erat, iisdem aliqua ratione commune est: nam Natalis in ipsis litteris cum Canisio, in „Postscripto" vero cum Hoffaeo loquitur; haec monuisse satis fuerit; omnia hic pono ita, ut in registro posita sunt.

De confessariis uxorum ducum florentini et ferrariensis in Germaniam revocandis, rebus a S. Francisco Borgia apud Philippum II. gestis, „Catena" P. Saa.

Dopo l'ultima che scrisi[1] a V. R. non hò hauutta lettera sua; questa è per dirli, come essendo stato quì alquanti giorni il Padre Guillermo Gheldrense, et hauendosi intese le cause per le quali lui desideraua andarsene in Germania, et esser' libero di quel ministerio in che s'è occupato sei anni[2], ci è parso necessario che luj se ne ritorni in Germania con bona licentia della Regina Johanna; et cosi l'habiamo rimandato in Fiorenza scriuendo a S. A: che vogli darli bona licentia; si come per altra mia lettera hauera inteso V. R. Hora habbiamo inteso che la Regina li ha data licenza gratiosamente ma ad tempus, et per che[a] ritorni. Dopo questo li habbiamo scritto hieri et fatto li ogni instanza, che pigli questa occasione et se ne vada; et cosi penso si partirà presto, et passerà per Ferrara per disporre il Padre Laurentio, accio che possi etiamdio luj esser riuocato, nel che penso non sara tanta difficoltà. Et intendiamo che sia ancorà piu necessita di farsi di luj tal mutatione. V. R. ha da far ogni officio con la Regina Magdalena[3], accioche il padre Guillelmo non ritorni piu in Jtalia; perche cosi pensiamo sia piu seruitio di Dio, si come luj medesimo mi hà detto a me et come ancorà potrà a pieno informare a V. R. Benche credo non bisognarà fare molto grande sforzo; perche speriamo che la Regina Joanna non farà molta instantia, mà che hauerà a piacere che à lei li sia fatta. Non dubito che V. R. insieme col padre prouinciale alquale scriuo il medesimo, metterano in questo ogni industria, il che io gli raccomando molto. Et al Padre Guillermo potra V. r. metter nel ministerio che li parerà piu conueniente a maggior gloria de Dio. Et la medesima diligentia farano come hò detto, per riuocare il padre Laurentio.

a) *Hoc v. in apogr. supra versum scriptum est.*

[1] Has litteras vide *Can.* VI 494—496.

[2] Anno 1565, cum Ioanna regina, Ferdinandi I. imperatoris filia, Francisco, Cosimi de Medicis Etruriae ducis filio (qui postea magnus dux Etruriae fuit), et Barbara eius soror Alphonso II. Ferrariae duci nuberent, utrique a provincia Germaniae superioris concessus erat confessarius: Ioannae P. Guilielmus Elderen, Barbarae P. Laurentius Hermanutius (*Can.* V 118). Ceterum vide *Can.* VI 482—483 497. Franciscus dux liberius vivebat (*Alfr. v. Reumont,* Geschichte Toscana's I, Gotha 1876, 245 314).

[3] Magdalena, Ioannae et Barbarae soror, Halae collegio virginum a se instituto praeerat; quam Canisius Oeniponte, ubi Ferdinandi II. archiducis (qui Magdalenae frater erat) contionatorem agebat, brevi itinere adire poterat.

De N. P. generale non ho hauuto altre lettere dopo quelle di 13 di Nouembre [1] nelle quale scriue che doi giorni dapoi partirebbe per portogallo doue pensaua tratenersi poco, et esser in Roma uerso la pascha [2], benche hauendo d'andare [a] al Re di Francia come S. Santità mi ha detto è verisimile che si traterrano alquanto piu. Del Re Catholico come [b] intendiamo ha hauutte Sua Paternità, gratissime audiencie et è stato instrumento nell'incaminarsi bene negotij di molto seruitio de dio et ben della sua santa chiesa [3].

La Catena che il padre Canisio dimanda [c] del padre Emanuele [4] non e emendata, ne manco luj ha tempo adesso por riuederla. Altro non occorre . a di . 5 . di Gennaro 1572.

Exstant adhuc * litterae Roma 4. Ianuarii 1572 a *Natali* ad P. Elderen datae, quas ille in hac epistula ad Canisium data commemorat: „V. R.", inquit Natalis, „visitara le Regine in Spruch et jl P. Canisio di mia parte . . . et se non stara la il Padre Prouinciale [5] li andara a cercare per darli raggione di tutto il negotio et pigliar ordine da lui di quel che habbia da far . . . V. R. se ricordara che io li dissi alla partita sua che poteua dir alla regina [6] che io haueua negotij d'importanza per cometterli a V. R. che li negociase in Germania, et credo che le significai che negocio era quello, cioe che V. R. per mezo del Prouinciale del Padre Canisio et delle regine stesse procurasi con ogni efficatia che non sia rimandato in Jtalia, et che con la medessima diligentia et mezzi, procurasi che il P. Lorenzo sia riuocato, nel che V. R. so certo che fara un gran seruigio a dio, et seruigio alla Compagnia . ma che questi negotij non lo significasi a sua alteza, ne publicasi niente finche non fusse in Germania disponendo solo la cosa del P. Lorenzo come ho detto" (ex apogr. eiusd. temp.; Ital. 69 f. 39^b—40^a).

Canisius Natali respondit 1. Februarii 1572.

1771. CANISIUS **P. HIERONYMO NATALI** vicario generali Societatis Iesu. Oeniponte 10. Ianuarii 1572.

Ex epistula autographa (2°; 1 p.; in p. 4 inscr. et reliquiae sig.) et ex duobus commentariis autographis epistulaeque adiunctis (2°; uterque 1 p. est). Germ. 183 f. 200^a—203^b. Epistula usus est et aliqua ad verbum ex ea descripsit *Franc.*

a) *In ap. correctum ex* anche à andare. b) *In apogr. sequitur* è. c) *In ap. sequitur* non, *oblitteratum.*

[1] Hae litterae, Matrito 14. Novembris 1571 datae, typis exscriptae sunt in opere „Sanctus *Franciscus Borgia*" V, Matriti 1911, 641—642. S. Franciscum Borgiam, Societatis praepositum generalem, S. Pius V. a. 1571 comitem addiderat Michaeli Bonello, cardinali „Alexandrino", sororis suae nepoti, quem, foedus christianorum principum ad Turcas repellendos stabiliri cupiens, ad Philippum II. et Sebastianum Hispaniae et Portugalliae reges, et deinde ad Carolum IX. Galliae regem legabat.

[2] Pascha futurum erat d. 6. Aprilis.

[3] Haec negotia non solum ad foedus illud, sed etiam ad libertatem immunitatemque ecclesiae et ad res Societatis spectabant. De Philippi II. in Borgiam humanitate v. *Franc. Sacchinum* S. J., Historiae Societatis Iesu Pars tertia, Romae 1649, l. 7, n. 126—135, et *P. Suau*, Histoire de S. François de Borgia, Paris 1910, 501—514. Bonelli conatus haud prospere successisse ostendit *L. v. Pastor*, Geschichte der Päpste VIII, Freiburg i. Br. 1920, 326—330 382—385.

[4] P. *Emmanuelis Saa* S. J. „Scholia in quatuor Evangelia" et „Notationes in totam Scripturam sacram" postea saepe excusa sunt; v. *Can.* IV 2^4; VI 489.

[5] Paulus Hoffaeus. [6] Iohanna.

Sacchinus S. J., De Vita et Rebus gestis P. Petri Canisii, Ingolstadii 1616, 285 item ea usus est *Al. Kröss* S. J., Der selige Petrus Canisius in Österreich, Wien 1898, 190.

Confessarius Ioannae principis. Terraemotus pietasque inde orta. Profectio suebica. Scriptio contra Centuriatores. Varia in rectore collegii emendanda. Provincialis virtus et errata quaedam. Dissidia de 5%. Missio badensis.

† Pax Christi Jesu nobis aeterna,

Admodum Reuerende Pater.

Decimo quinto Decembris datas accepi[1], quae P. Guilhelmi[2] negotium rursus mihi commendabant, eum uero ipsum hoc loco expectamus. Quod enim ad Reginam Magdalenam attinet, misi statim illius ad sororem literas, quibus R. V. sententia confirmatur, ut ille Confessarius libere sinatur abire. Nec dubitamus, quin bona Florentiae princeps in illo dimittendo, sicut et antea significauit literis, se facilem praebitura sit. Reliqua ex meis literis, quas isthuc peruenisse confido, satis cognoscentur[3].

Magna hic animorum facta est concussio ex ingenti et frequenti terraemotu, qui adhuc per multa durat miliaria. Vnde supplicationes publicae institutae, ieiunia indicta, multorumque confessiones a nostris auditae sunt[4]. Nihil tale hominum memoria hic unquam accidit, aedificia passim conquassata multis annis uix poterunt reparari. Sed et collegij nostri domus iacturam passa est, egetque bona reparatione. Benedictus Deus qui sic terret peccatores et ad poenitentiam uocat, omnesque serio admonet, ut ipsi s e r u i a n t i n t i m o r e e t t r e m o r e[5].

Princeps noster de migrando in Sueuiam dicitur cogitare, meque ante hunc terraemotum admonuerat[a], quod cupiat me sibi comitem esse aestate uentura, cum suam ditionem Sueuiam[b] [?] perlustrabit[6]. Scripsi ea de re P. prouintiali[7] ante mensem, ut scirem eius iudicium, sed nihil respondit hactenus. Ego me totum permittam arbitrio superiorum, qui pro sua prudentia de me studijsque meis in Domino statuent. Videor aliquando in scribendo remissius agere, quod existimem non magnopere postulare superiores, ut magnos progressus faciam in reliquis quae superesse possent, edendis. Christo interim ago debeoque gratias, quod uarijs e locis ad me scribitur, Catholicis librum de Joanne pergratum esse, quem cum uoluptate Germani legant[8]. Sed et Ponti-

a) *A Canisio correctum ex* admonuit. b) *Sic; volebatne C. scribere:* Sueuicam ?

[1] Vide *Can.* VI 494—496.

[2] Elderen, confessarii Ioannae principis florentinae; v. supra p. 5[2].

[3] Has v. *Can.* VI 496—499. [4] Plura de hac re v. infra, monum. 1099.

[5] Ps 2, 11. Tob 13, 6.

[6] De terris suebicis, quibus Ferdinandus II. archidux Tirolisque princeps imperabat, v. *Can.* VI 493. [7] Paulo Hoffaeo.

[8] Canisius, Centuriatores refutare a S. Pio V. iussus, Dilingae 1571 ediderat „Commentariorum de Verbi Dei corruptelis Librum primum, in quo de Sanctissimi praecursoris Domini Ioannis Baptistae Historia Evangelica . . . pertractatur"; vide *Can.* VI 712.

ficem Maximum non postulare autumo, ut mature absoluantur reliqua, et fortasse mihi sit consultius, in hoc contionandi munere maiorem operam collocare, et successiuis tantum horis in scriptione uersari. Haec propterea repeto, ut R. T. iudicet de toto negotio, measque rationes omnes comprobem superioribus, qui[a] norunt proculdubio, quid expediat magis.

Quoniam uero tempus exigit, ut meam perscribam sententiam ueluti Consultor p. prouintialis nostrique Rectoris[1], de utroque in scheda inclusa moneo[b]. Facient autem superiores, prout illis diuina bonitas inspirabit. Commendo me et collegium hoc totum R. T. in Christo plurimum[c]. Oret pro nobis R. T. ut et bonorum expectationi, et instituto nostro satisfaciamus. Oeniponti 10 Januarij 1572.

R. T.

Filius Pet. Canisius.

† De P. Gerardo Pastelio Rectore Oeniponti.

Post discessum P. Prouintialis, qui ante mensem apud nos fuit, et collegium hoc utcunque turbatum ad quietem aliquam reduxit, coepit P. Rector offitium suum rectius facere, et indies ad meliora contendit, ut bene sperare liceat, si deo duce sic pergat, illum suo muneri satisfacturum.

Antea uero nimia uti coeperat libertate, in exteriore homine multa sibi permittens et indulgens, ut domesticis non bonum praeberet exemplum, et debitam non seruaret subordinationem siue cum P. Prouintiale, siue cum Consultoribus et Officialibus collegij[2], suoque ingenio et iudicio nimium fidere uideretur. Vnde multae et graues ad p. prouintialem querelae delatae fuerunt.

Optandum esset, ut bonus hic Pater in administratione rei familiaris esset cautior atque frugalior, qui aes alienum contraxit, et aliquot fortasse annis non poterit dissoluere: summa, ni fallar, ad florenos mille pertingit. Male interim audimus apud creditores, qui

a) quae *autogr.* b) *Sequuntur complura vv. lineis (ab ipso, puto, C.) transmissis ita oblitterata, ut vix legi possint; videntur autem haec fere fuisse:* Ac de Rectore me dubitare fateor, an nostris et collegio huic expediat ut in hoc suo munere diutius retineatur. c) *Sequuntur complura vv. perinde ac supra (v. adnot. b) oblitterata; videntur autem haec fere fuisse:* Optarim certe solidius caput hoc loco ubi Princeps cum aula sua et Consiliarijs nobilibusque viris multum nobis negotij praebent.

[1] „Petrus Canisius . . . Consiliarius Prouintialis et Rectoris": *Ita *Catalogus* oenipontanus a. 1572, quem supra dixi. In antiquo illo *„Officio Consultorum Provincialis et Rectoris" a. 1561 Roma in Germaniam misso (*Can.* III 177) haec praecipuuntur: „Singulis annis semel scribent generali consultores prouvincialis, quid sentiant de Patre Prouinciale, nisi res magni momenti urgeat crebrius scribere, et obsignatas mittant literas, quas praedictus Prouincialis non uideat. Tantundem sit dictum de consultoribus Rectorum nisi quod ter in anno Prouinciali, semel generali scribere debent iuxta constitutiones [*Constitutiones* S. J. P. 4, c. 17, n. 7]" (ex apogr. eiusd. temp., Cod. „II. 38" f. 85[b]—86[a]).

[2] Ex **Catalogo* oenipontano huius anni hoc intellegitur: Consultores erant (praeter Canisium) PP. Georgius Rotarius, Georgius Crispus, Caspar Obergasser; officiales praecipui Rotarius „minister et procurator" ac Crispus „praefectus scholarum".

se durius tractari putant, et ministeria nostra minoris facere uidentur, cum datam[a] fidem non praestamus.

Solet nimium liber et familiaris esse apud exteros, et minus se applicare uidetur, quam oporteat, ad studia sibi necessaria propter contiones habendas, in quibus non satisfacit populo[1]. Nec suam tueri nouit authoritatem, aliquando nimium uehemens et austerus domi et foris, aliquando leuior et remissior in homine exteriore.

Ex naturali propensione uidetur immodice liberalis et rebus aedificandis deditus, qui aegre se applicare possit ad rationem sui muneris, haerens tempusque consumens in negotijs exterioribus et alijs minus necessarijs. Periculose concipit suspitiones contra domesticos, et curiose scrutatur, quid de ipso dicatur, suasque tentationes male communicat fratribus aliquando, non satis constans in uerbis et moribus, ut uidetur. Timent illum Consultores quos raro consulit, et qui putant illum omnia potius ex iudicio suo quam alieno facere uelle. Praecipue iuuandus est, ut norit rectius collegium hoc[b] administare, et inprimis contracta debita soluere potius quam augere. Miror illi non magis esse cordi has angustias, in quibus ex parte rei familiaris saepe uersatus.

Sed quoniam coepit in multis sapere, et post ultimum P. Prouintialis discessum, quem dixi, offitium suum rectius obire, magisque applicare animum ad constitutiones et regulas nostras, bene de illo et tota eius functione spero, praesertim si plus tribuat admonitionibus et consilijs R. P. Prouintialis

Petrus Canisius manu propria.

† De P. Doct. Paulo Hoffaeo Prouintiale.

Dei gratia egregie ille suam tuetur authoritatem, et partim apud nostros, partim apud exteros prudentiam simul et aedificationem muneri suo congruentem ostendit, nec querelam de illo licet ullam audire, sed ut arbitror, omnibus in domino satisfacit.

Fortasse plus tribuere posset Consultoribus deputatis[2], et familiarius cum illis tractare negotia, quorum capita generatim indicat aliquando, non explicat, cum ad ea ipsa postulat responderi. Securius procederet credo, si saepius rogaret, ac remitteret aliquid de sua[c] grauitate, maioremque erga illos fiduciam declararet.

Jn his quae ad corpus et sumptus peregrinationum iumentumque proprium spectant, optarim illum sibi minus rigidum esse, ac omnino pendere ex iudicio Admonitoris[3], nec aliquam admittere singularitatem, uti uocant.

a) *Sequitur* illis, *oblitt.* b) *Sequitur* prudent, *oblitt.* c) *Sequitur* pro, *oblitt.*

[1] Contiones templi parochialis dicit. Plura v. infra, monum. 1099.

[2] Ex horum numero erant P. Alphonsus Pisanus (*Can.* VI 494[4]) et Petrus Canisius (v. supra p. 8[1]); quibus nescio an accesserint PP. Nicolaus Lanoius et Theodoricus Canisius; cf. *Can.* VI 573[1].

[3] P. Theodorici Canisii, rectoris universitatis collegiique dilingani (*Can.* VI 459). De officio „admonitoris" v. *Can.* VI 459[5].

Idem fauere uidetur illorum sententiae, qui putant licitum esse contractum accipientium quinque pro centum ratione mutui. At alij et plures e nostris Theologi[a] hanc opinionem minus tutam esse putant, sicut et Viennenses Theologi nostri a Cardinale Commendono interrogati, communem hunc Germanorum contractum damnauerunt[1]. Consultum prorsus duxerim, ut hac de re certi aliquid praescribatur tandem, ne hac in parte dissideant nostri, utque uitetur periculum ex parte Confessariorum, qui nunc libere absoluunt diuites et alios de peccato usurae omnino suspectos ob eundem contractum, quem nunc etiam Lutherani publice reprehendunt atque damnant[2]. Non ago de uiduis et pupillis[3], sed generatim de illo contractu, qui saepe offertur in poenitentiae sacramento, ut certi aliquid statuatur et definiatur.

Quoniam diu abest P. Schorichius in Marchionatu Badensi, et grauia tractat negotia, neque sine periculo inter haereticos et saeculares uersatur, fortasse ratio inuenienda esset, ut rectius cum p. prouintiale conueniret, atque is liberius coram quam per literas illum admonere posset, simulque audiret ex illo de statu rerum omnium saltem semel in anno. Vereor ne grauetur bonus ille Pater, aut etiam seipsum grauet supra modum[4].

Petrus Canisius manu propria.

† Admodum Reuerendo in Christo Patri, Doctori Hieronymo Natali, Vicario generali Societatis IESV. Romae.

De Canisio in *Catalogo Patrum et Fratrum Collegij Oenipontani . . . pro anno 1572" post m. Ianuarium 1572 manu ipsius P. *Gerardi Pastelii* rectoris scripto haec dicuntur: „Valet plurimum, docendo, concionando, conuersando, gubernando". Ibidem hoc legitur: „P. Antonius Guisanus, Flander, Aldenardensis annorum . 33. scholasticus approbatus, adiuuat P. Canisium in suo opere et Rectorem in concionando . . . aptus ad docendum et concionandum mediocriter"; verbum autem „mediocriter" ab *Hoffaeo* provinciali additum est (Germ. 131 f. 185). De eodem Guisano (cf. *Can.* II 279[5]; VI 184 623), ut semel hoc narrandi genus absolvam, in antiqua illa **Historia* collegii oenipontani notatum est, eum, cum P. Pastelius (m. Septembri a. 1572)

a) *Ita C. correxit ex* Theologis, *quod scripserat.*

[1] Vide, quae sub ipsas has litteras dicentur.

[2] Nescio an Canisius significet librum „Universa propemodum doctrina de usura" a. 1569 Basileae a Philippo Caesare Lutheranorum superintendente editum; de quo *Io. Ianssen* (et *L. v. Pastor*), Geschichte des deutschen Volkes VIII [1—12], Freiburg i. Br. 1894, 25. De aliorum protestantium adversus usuram conatibus v. ibid. 24—28.

[3] Qua ratione his 5% permitti posse censuerit S. Pius V., v. *Can.* VI 410.

[4] Ab anno 1570 P. Georgius Schorichius S. J. (de quo saepe in voluminibus superioribus huius operis dictum est) in marchionatu badeno-badensi (Baden-Baden) auctoritate episcoporum spirensis et argentoratensis et mandatu Hoffaei provincialis atque Alberti V. Bavariae ducis (cui Philippus marchio imperio nondum maturus in tutelam traditus erat) populo ex protestantismo ad ecclesiam catholicam reducendo, clero monasteriisque reformandis, officiis divinis instaurandis diligentem navabat operam et ex contionibus, scholis, catechesibus plurimos fructus colligebat; v. *Bernh. Duhr* S. J., Geschichte der Jesuiten in den Ländern deutscher Zunge I, Freiburg i. Br. 1907, 402—406; *K. Reinfried*, Religionsveränderungen im Landkapitel Ottersweier, in Freiburger Diözesan-Archiv N. F. XII, Freiburg i. Br. 1911, 90—94.

Oeniponte discessisset, ecclesiae parochialis contionatorem factum esse (Hist. coll. Oen. p. 10).

Quod Canisius his litteris Natalem monet, in Germania Societatis homines inter se „dissidere" de 5 %: id confirmatur et illustratur aliis epistulis ad eundem ex Germania datis. Ita P. *Laurentius Magius* praepositus provincialis Austriae *scripsit Vindobona 14. Aprilis 1572: „Quanto al caso delli .5. per cento già intese la R. V. chel parere uniforme di tutti noi era negatiuo: el padre Toledo ci disse essere anch' egli eiusdem sententiae." Et P. *Franciscus Antonio* S. J. Mariae imperatricis contionator Vindobona *29. Iulii 1572: „Ya muchas vezes creo que desta prouincia y de la de Bauiera auran escrito a v. R. sobre cierto genero de vsura de a .5. por .100. que aca se vsa. Por que quando el año passado vino el P. Toledo con el Jllustrisimo Comendon, v. R. se remittia a lo que ellos determinassen [1]: y como no se hiziesse nada, me ha parecido agora auisar a v. R. que entiendo auer alguna gran diferencia entre los nuestros. Por que por ciertas respuestas venidas de Roma [2], veo que algunos alla en Bauiera se gouiernan, y permitten aquella vsura: aca algunos la niegan, y otros la querrian seguir: y como aciertan a venir los Penitentes de Bauiera alguna vez aca, suele auer discordia en esto, como v. R. podra juzgar etc. he querido dezir esto, por que como leo casos de Conscientia, acuden a mi con muchas destas dudas, y no querria dezir contra de lo que de Roma se escriue, ni contra lo que hallo en los Dottores . . . y porque me dizen que se ha mudado aquella Constitucion que hizo Pio 5° super forma creandi census [3], si es ansi me holgaria mucho que v. R. me la hiziesse embiar" (ex autographis Germ. 134 f. 28^b 59^a).

Natalis Canisio respondit 23. Februarii 1572.

1772. Cardinalis **LUDOVICUS MADRUTIUS** episcopus tridentinus CANISIO. Roma (?) ineunte vel medio Ianuario 1572.

Ex autographo, de quo infra, ep. n. 1775.

Canisius Oeniponte Kalendis Februariis 1572 P. Hieronymo Natali Societatis vicario generali scripsit: „Scripsit ad me Jllust. D. Cardin. iunior Tridentinus, ut meam interponam operam ad componendum dissidium multorum annorum, quod inter ipsum et Principem nostrum durat, ac ualde quidem exacerbatum est."

„Dissidium" hoc inter cardinalem Ludovicum Madrutium, episcopum tridentinum [4], et Ferdinandum II. archiducem Tirolisque comitem de imperio civili in urbem terramque tridentinam erat; de qua re v. *Can.* VI 225 [3]. Ferdinandus urbem militibus occupaverat; Maximilianus II. imperator res publicas sequestris tradiderat administrandas; ad compositionem faciendam principes illos adducere imperator frustra conatus erat; litem illi apud eum a. 1571 instituerunt. Cardinalis eiusque capitulum cathedrale iam aliquot annis ante Tridento Rivam (Riva) transmigraverant (*Jos. Hirn,* Erzherzog Ferdinand II. von Tirol I, Innsbruck 1885, 291—302); hoc autem

---

[1] Vide *Can.* VI 416—417 445 [1]. [2] Vide *Can.* VI 390 416.

[3] De hac v. *Can.* VI 287 [3].

[4] Ludovicus de Madruzzo (ca. 1530—1600), ex praecipua Tirolis meridionalis nobilitate, cardinalis Christophori Madrutii episcopi tridentini ex fratre nepos, circa a. 1551 Christophori in episcopatu tridentino coadiutor, a. 1561 cardinalis, a. 1567 episcopus tridentinus factus, Romae habitabat; ubi etiam a. 1573 protector nationis germanicae constitutus est; qui postremis saeculi XVI. decenniis Romae auctoritate plurimum valebat atque inde a. 1582 et 1594 Augustam et Ratisbonam legatus ad comitia ordinum imperii venit (*A. Ciaconius* O. Pr. et *A. Oldoinus* S. J., Vitae, et res gestae Pontificum Romanorum et S. R. E. Cardinalium III, Romae 1677, 933—934: *J. Hansen,* Nuntiaturberichte aus Deutschland 1572—1585 II, Berlin 1894, 375—380).

tempore illum Romae degisse colligitur ex Canisii ad Natalem, quas supra dixi, litteris. Caeterum vide, quae de huius controversiae progressu et fine copiose scripsit *Ios. Hirn*, Der Temporalienstreit des Erzherzogs Ferdinand von Tirol mit dem Stifte Trient, in: Archiv für österreich. Geschichte LXIV 432—473.

1773. P. PAULUS HOFFAEUS S. J. praepositus provincialis Germaniae superioris CANISIO.

Augusta Vindelicorum (?) circa medium Ianuarium 1572.

Ex Hoffaei ad Natalem litteris autographis. Germ. 134 f. 209[a].

Ferdinandus II. archidux Canisium „cupiebat sibi comitem esse aestate" proxima, „cum suam ditionem suebicam esset perlustraturus." De qua re Canisius, ut ipse Natali scripsit (supra p. 7), Hoffaeum provincialem interrogavit. Is autem Augusta 22. Martii 1572 Natali scripsit: „Vt P. Canisius cum Archiduce peregrinaretur, iam consenseram eique ante duos aut tres menses scripseram, fieri posse."

1774. P. HIERONYMUS NATALIS Societatis Iesu vicarius generalis CANISIO.

Roma 26. Ianuarii 1572.

Ex apographo (A) eiusd. temp.; in margine, eadem manu: „Padre Canysio." Germ. 109 f. 50[b]. Quod apographum suppletum est ex litterarum Roma 29. Ianuarii 1572 a Natale ad P. Balduinum ab Angelo Societatis per Germaniam inferiorem praepositum datarum apographo (B) eodem tempore scripto, Germ. 109 f. 53[a].

Confessariis principum italarum in Germaniam redeundum est. Godefridus Zott bene se habet. Nova ex Germania scribenda. Pontifex militibus germanis consulit.

Molto piacer ho hauuto intendendo per quella di V. R. di 17. di Decembre[1], il buon officio che ha fatto con la Serenissima Regina, circa l'hauer la licentia per il Padre Guigliermo[2], il quale gia è partito di Fiorenza, et li ho scrito che passando per Ferrara dispongue il P. Lorenzo per far il medessimo et V. R. per amor del Signore lo procure con efficacia, per che come il medessimo Padre Guigliermo informara a V. R., et m'ha significato a me, sono magiori cause per le quale conuiene che quel P. se ritorne in Germania.

Quanto a quello che il Signor Zoto[3] dimanda di Godifredio suo figliolo · primo teniamo, non[a] esser inconueniente che lui stia fora del Collegio Germanico perche è buon giouane sicuro deuoto et studioso. 2° quanto al animo suo dice d'esser constante nel[b] desiderio d'intrar nella Compagnia il che di lui[c] sappiamo, et se procurato intender[d] auanti de serrarsi questa. Tertio non[e] essendo questo l'vltimo anno

a) *Hoc v. in A supra versum scriptum est.* b) *Ita in A correctum est ex* potrebe esser che se fusse alquanto refredato nel. c) *Ita in A correctum est ex* che de certo non. d) *Ita in A correctum est ex* se procura *(vel* procurara*)* intender meglio di lui forse. e) *Hoc v. supra versum scriptum est.*

[1] Has litteras v. *Can.* VI 496—499.

[2] Canisius Magdalenae reginae persuaserat, Ioannae sorori scriberet, ut Florentia in Germaniam redire sineret P. Guilielmum Elderen confessarium suum. Plura de hoc et de P. Laurentio Hermanutio v. supra p. 5—7.

[3] Sebastianus Zott regiminis oenipontani consiliarius; v. *Can.* VI 481 491 497 ad 498.

per finir li studij della Teologia[a] perche vorrebbe studiare quatro annj doppo li quali lui ha significato di uoler intrar nella Compagnia pare sarebbe poco a proposito distrarlo adesso delli studij, poi che de sanita si ritroua benissimo[b]; et per rispetto di questa et di far exercitio a modo suo etc. uolse habbitar fuora dil collegio. Lui è molto aprehensiuo, et imaginatiuo il che si non mutase potrebe dar trauaglio a chi hauese charico di lui se fusse riceuuto nella compagnia et come questo sia naturale, me pare che il Signor Zoto deue star consolato nel Signore della bontà et sufficienza del suo figliolo. V. R. lo saluti molto gratiosamente da parte mia.

Ho intesso quello che V. R. dice d' hauer il Duca Augusto[c] rinciuso quelli luterani di diuersi sette per farli conuenir[1], et sempre mi sera grato intender alcune noue delle cose di là quando occorrerano, quelle che io posso dir di qua è che li padri che furono mandati nell' Armata[d] contra il turco ritornorno sani et salui per la gratia del Signore[2], et si e mandato per ordine de su Santità[3] il Padre Jodoco con l' fratello antonio Vinc[4] in messina per aiutar la gente alemana che erano in estremo bisogno de persone che li administrassero li sacramenti. Sua Santità li diedi Amplissima Facolta d' assoluer d' ogni caso senza eccettare nessuno. a di 26. de Gennaro 1572.

Canisius Natali respondit 29. Februarii 1572.

1775. CANISIUS **P. HIERONYMO NATALI** vicario generali Societatis Iesu. Oeniponte 1. Februarii 1572.

Ex autographo (2°; 1¼ pp.; in p. 4 inscr. et reliquiae sig.); Germ. 183 f. 204a—205b. Eo usus est *Kröss*, Can. 190.

De confessariis principum italarum ope Magdalenae reginae et Canisii revocandis. Cardinali Tridentino petenti, ut Canisius inter se et archiducem pacem componat, satisfieri non posse. De S. Francisci Borgiae itinere. De libris novis.

† Pax Christi Jesu nobis aeterna,
Admodum Reuerende Pater.

Quinto die huius anni ad me datas accepi, quae tertio admonebant de P. Guilhelmi[5] negotio, quod iam sane confectum esse confido. Misi enim Reginae Magdalenae ad Joannam sororem scriptum proprium, et bis ego scripsi ad R. T. ut credam bonum Patrem hic pro-

a) Telogia *A; quinque vv. sqq. in margine addita sunt.* b) *Ita in A correctum est ex* bene. c) Augusta *A.* d) *In A haec sola sequuntur:* etc. a di 26. de Gennaro 1572. *Quare A compleretur necesse erat ex B, ubi haec sententia ita incipit:* Li Padri che andorno con la Armata.

[1] Quid de Augusto Saxoniae principe electore exeunte a. 1571 narratum sit, v. *Can.* VI 498.

[2] PP. Christophorus Rodericius et Ioannes Montoia cum quattuor aliis sodalibus a. 1571 S. Pii V. iussu classem adversus Turcas instructam comitati erant (*Sacchinus*, Hist. III, l. 7, n. 15 39 40).

[3] S. Pii V.

[4] Missi sunt ad milites germanos P. Iodocus Carcineus sive Carcaeneus (vide *Can.* III 148²) et Fr. Antonius Vinck (**Natalis* P. Trigoso S. J., Roma 29. Ianuarii 1572, Germ. 109 f. 55a; *Sacchinus* l. c. n. 44).

[5] Elderen; v. supra p. 5—7.

pediem adfuturum esse, cum et Magdalena cupiat illum remitti, illeque suam ad nos miserit sarcinam. Sperabat tamen soror, citra conditionem illum Florentiae dimittendum esse, quod quoniam obtineri hoc tempore non potuit, placet mihi sententia R. T. ut cum ad nos uenerit, haud facile illuc unde discessit, redire sinatur. Qua in re libenter faciemus, quod facere moniti sumus. Ad P. Prouintialem literas alligatas misi. et si quid ille praeterea iusserit, qui nunc agit Monachij, hoc loco fideliter exequemur, ut R. T. sancto et praeclaro desiderio satisfiat.

Quod ad P. Laurentium[1] Ferrariae habitantem attinet, existimat Regina Magdalena difficilius fore, ut soror eius Barbara hunc sibi ualde charum abire permittat, etsi non dubito multis modis illi et nobis expedire, ut hic quoque funis aulicus abrumpatur. Egi coram aliquando cum eadem Regina Barbara, quae audacter se mihi opposuit, cum conarer eundem Patrem ita petentem prouintiae huic restituere[2]. Quocirca uereor et ego, ne sit molestius hunc quam alterum Florentinum Confessarium reuocare, si res bona quidem uenia illius Reginae confici debeat. Experior mollem Reginae Magd. animum in eo, quod cogendam non putet sororem ob eius imbecillitatem[3], ut P. Laurentium inuita dimittat. Nec desunt Germanae matronae in istis aulis Jtalicis, quae dissuadeant prorsus Confessarij mutationem, earumque consilia non parum ualent apud[a] Ferrariensem Reginam. Sed aduentum P. Guilhelmi expectabimus, ut de re tota certius aliquid accipiamus, ac Reginam deinde Magdalenam imploremus tum ut sorori Joannae dissuadeat P. Guilhelmi reuocationem, tum ut uiam aperiat P. Laurentium ad nos remittendi. Quod si fortasse id effici nequeat bona uenia Reginae Barbarae, non fuerit fortasse abs re, si P. Laurentius Romam euocetur, et illic praeparetur ad hanc reuocationem qualicumque modo impetrandam obtinendamque, sicut in P. Guilhelmo feliciter factum esse cernimus. Sed de his rectius R T. iudicabit.

Scripsit ad me Jllust. D. Cardin. iunior Tridentinus[4], ut meam interponam operam ad componendum dissidium multorum annorum, quod inter ipsum et Principem nostrum[5] durat, ac ualde quidem exulceratum est. Videat quaeso R. T. uelit ne hac in parte meum defendere silentium apud optimum Cardinalem, eique rationem aliquam reddere, cur non expediat nos negotijs et turbis talibus immisceri, ex quibus maxima hic detrimenta in spiritualibus rebus, quae nostri sunt instituti propriae, reportare possemus, nullamque utilitatem consecuturi uideremur. Res nunquam in peiore loco fuit, pugnantibus apud Caesarem partibus, et exacerbatis utrinque animis uehementer. Princeps aegerrime ferret, ut plane arbitror, se hoc nomine per nostros

a) *Sequitur* Florenti, *a C. oblitt.*

[1] Hermanutium; v. supra p. 5—7. [2] Vide *Can.* VI 599.

[3] Barbara ipso hoc anno 1572 mortua est (*L. Rapp*, Königin Magdalena von Oesterreich[2], Brixen 1899, 17).

[4] Ludovicus Madrutius; v. supra p. 11. [5] Ferdinandum II.

interpellari, quem adire non sit facile, licet minora proponere aliquando cogamur.

Agimus loeti gratias Domino, qui P. N. Generalem [1] in Hispania non modo sanum, sed et felicem seruat in negotijs Ecclesiae conficiendis Reddat illum dominus incolumem Gallis et Germanis, si eos in reditu statuit inuisere, ut fecerat P. Laynez foel. mem. cum e Lutetia reuerteretur [2].

Cathenam P. Emanuelis [a], Summam P. Toledi et librum de Japonibus expectamus [3]. Hic nondum plane liberamur terrae motu. Roget pro nobis R. T. dominum, ut cum fructu contionemur in hac Oenipontana messe per Quadragesimam [4], et salutet quaeso R. P. Assistentes [5], quibus me reuerenter in Christo commendo. Oeniponti Kal. Februar. 1572.

R. T.

filius indignus

P. Canisius.

† Admodum Reuerendo in Christo patri nostro, P. Hieronymo Natali, Doctori Theologo et [Vica]rio generali Societatis nominis JESU. Romae.

Natalis Canisio respondit 19. Aprilis 1572.

1776. P. HIERONYMUS NATALIS vicarius generalis Societatis Iesu CANISIO. Roma 23. Februarii 1572.

Ex apographo eiusd. temp.; in margine, eadem manu: „P. Pietro Canisio." Germ. 109 f. 58b—59a.

Archiducem comitari Canisio licet; qui si id deprecari poterit, deprecabitur. Canisii scriptio. De 5% Commendonus et Toletus definient. P. Schorichius.

Ho riceuuto quella di V. R. delli 10 di gennaro et qua raccomandiamo al Signore quelli paessi quale è seruito uisitare con li terremoti; Quanto al acompagnar il principe [6] quando andara a uisitar il suo stato in sueuia, mi pare che domandandolo lui non seli puo negare, perche questo non è esser in corte predicare, et aiutare le anime etc.

a) *Sequitur* Consc. *a C. oblitt.*

---

[1] S. Franciscum Borgiam; v. supra p. 6.

[2] De Iacobi Lainii praepositi generalis S. J. a. 1562 Parisiis Tridentum ad concilium venientis itinere gallico et germanico v. *Lainii* Monumenta VI, Matriti 1915, 339—354, et cf. *Fr. Sacchinum* S. J., Historiae Societatis Iesu Pars secunda, Antverpiae 1620, l. 6, n. 70—72, et *Gius. Boero* S. J., Vita del Servo di Dio P. Giacomo Lainez, Firenze 1880, 247—251.

[3] De P. Emmanuelis Saa Catena v. supra p. 6; de P. Francisci Toleti S. J. Summa casuum conscientiae cf. *Can.* VI 490 [3]; de Litteris iaponicis sive indicis *Can.* VI 420 491 [3].

[4] Haec inceptura erat 20. Martii.

[5] P. Iacobo Mirone assistente Lusitaniae a. 1571 cum Borgia in Hispaniam profecto, Romae manebant praeter Natalem Hispaniae assistentem P. Benedictus Palmius assistens Italiae et P. Everardus Mercurianus Germaniae Galliaeque assistens (*Sacchinus*, Hist. III, l. 7, n. 12).

[6] Ferdinandum II. archiducem.

benche s'in qualche modo si pottesse scusar, non douerebbe lasciare di darsi la scusa. Il che scriuo ancora al Padre Prouinciale[1] et lo trataro ancora con nostro padre Generale[2] il quale con la gratia del Signore speriamo auer[a] [?] in Roma auanti la pascha.

Mi piace molto che il libro de V. R.[3] sia letto da germani con dilletto benche a mi non è cosa noua perche sempre sperai sarebbe cosi; Et quanto al scriuer di V. R. si desidera che faci quel progresso che senza detrimento della sanita si potra fare.

Il Caso de cinco per cento comissi[b] [?] sua santita[4] al Cardenal Comendone, et al Padre Toleto . accio che in Austria lo risoluesero, et io ho scrito al Padre Prouinciale che quando tornasi[c] [?] della legatia[d] [?] di Polonia li dimandino la risolutione, la quale V. R. potra intender da loro.

Il Padre Scoricio[5], sicome mi scriue il Padre Prouinciale ha da uenire a uedersi con lui, il che li sara molto utile come V. R. dice, et le altre cose che lei mi scriue, mi sono state grate, et me ne seruiro. per questa non occorre altro se non [che mi raccomando molto nelle orationi et sacrificij di V. R.][e]. Di Roma li 23. di Febraro di 1572.

1777. CANISIUS **P. HIERONYMO NATALI** vicario generali Societatis Iesu. Oeniponte 29. Februarii 1572.

Ex autographo (2°; 1 p.; in p. 4 inscr. et particulae sig.). Germ. 183 f. 206ᵃ—207ᵇ.

Magdalena regina curabit, ut confessarius sororis Ferraria avocari possit. Sociis aulae occludi debent. Mores P. Elderen. Scriptores. Transsilvania et Suecia. Libri novi.

† Pax Christi nobis aeterna,
Admodum Reuerende Pater

26. Januarij datas accepi. D. Zotus acquiescit[f] in responso R. T. de filio[6], fuitque hoc illi gratissimum.

Ante paucos dies uenit ad nos P. Guilhelmus[7], quocum Halam abij tractaturus causam P. Laurentij apud Reginam[8]. Promittit haec se breui scripturam ad sororem Ferrariensem[9], ut sinat suum etiam abire Confessarium, etsi consultum iudicat, ut eidem alter e nostris Jtalicae linguae gnarus Ferrariae surrogetur. Qua de re no-

a) arriuar? b) *Sic;* commise? c) *Vel* tornasino; *v. hoc obscurius scriptum est.* d) *Sic; corrigendum videtur:* legatione. e) se non etc. *apogr. Pro* etc. *autem ea fere, quae posui, ponenda esse intellegitur ex aliis apographis; cf. Can. VI 21 492.* f) acquiesit *autogr.*

[1] Paulo Hoffaeo. [2] S. Francisco Borgiae.
[3] Liber de S. Ioanne Baptista; v. supra p. 7.
[4] Pius V.; de hac re v. supra p. 10—11.
[5] P. Georgius Schorichius Badensibus operam navans; v. supra p. 10.
[6] Godefrido; v. supra p. 12. [7] Elderen; v. supra p. 5—7.
[8] Magdalenam.
[9] Barbaram, cui P. Laurentius Hermanutius a sacris confessionibus erat; vide supra p. 5—7.

luimus cum illa contendere, sat habentes quod praecipue curabamus, consequi, ut nobis assentiretur in reuocando fratre, quem intelligimus multis et grauibus de causis Ferrariae non sine magno periculo relinqui posse. Visum est interim P. Guilhelmo et mihi fore consultum, ut idem Pater in urbem uocatus primo quoque tempore nonnihil praepararetur ad futuram loci mutationem: deinde ut libera illi relinqueretur electio cuiusuis prouintiae ex tribus nostra, Rhenensi et Austriaca. Nec enim desunt causae, ob quas ille grauatim redeat ad nos, qui paruo etiam illius desiderio tenemur[a], sicut ipse sibi quoque persuasit. Vehementer opto, ut bonus ille pater, qui aliquando sui impos[b] [?] ac uelut emotae mentis esse solet, ex aula illa discedat, minusque sit aulicis foeminis, quam hactenus, familiaris. Vtinam posthac occludatur ostium nostris omnibus, ut cum Principibus et aulis nihil aut parum commercij habeant in foro interiore, et in domestica illa consuetudine, quae fortes etiam et ferreos animos aut frangere, aut emollire queat. Sed haec ego in sinum sapientissimi patris et superioris pro ea quam filius in communi causa debet, reverentia.

P. Guilhelmus dubitat, sit ne ad priorem conditionem authoritate Pontificis[1] reuocandus. Jubeo illum bono esse animo, minimeque diffidere maioribus, qui facile sint dissoluturi nodum, si quem inijciat Florentia. Scriptum est ad P. Prouintialem, uelit ne illum Augustam uenire: sicut cupere quidem ipse P. Guilhelmus uidetur, sed ambigo sane, an illi et nostris hoc fieri expediat. Paulatim, ut spero, libertatem aulicam in disciplinam collegialem conuertet, seque alijs conformabit pro simplicitate nostri instituti, quod utinam ab omni sorde et contagione uitae aulicae perpetuo uindicemus.

Oramus dominum pro R. P. Generali[2], ut uias et reditum eius in gloriam sui nominis prosperet. Speramus illum in Gallia uersari, et in Hispanijs confecisse aliquid, quod ad scriptorum negotium promouendum spectat, ubicumque tandem illi constituantur et alantur[3].

Gaudemus Germanis nostris locum in triremibus dari, ut seruire possint militibus. Vtinam in Transiluania et Suetia nostris etiam ostium aperiatur[4], sicut ex Austria iubent bene sperare.

Expectamus nouam editionem literarum Japonicarum, et cathenam D. Emanuelis[5].

a) *Ita C. ipse correxit ex* tenetur. b) *Ut ita ex* compos, *quod est in autogr., corrigatur, suadere videntur vv. sqq.; nisi C. scribere voluerit* uix compos *vel* haud compos *vel* non compos.

[1] Pii V.; significatur autem „conditio" sive munus confessarii Ioannae principis florentinae; v. supra p. 5.

[2] Francisco Borgia.

[3] Canisius vehementer optabat, ut aliqui de Societate constituerentur, qui contra haereticos scriberent; v. *Can.* VI 419 441 460.

[4] 1 Cor 16, 19. 2 Cor 2, 12. [5] Vide supra p. 6[4].

Oret pro nobis dominum R. T. ut cum fructu euangelizemus, et sanctum pascha nobis et alijs comparemus in Christo domino nostro[1]. Oeniponti pridie Kal. Martij 1572[2].

R. T.

filius indignus P. Canisius.

† Admodum Reuerendo in Christo patri, Doct. Hieronymo Natali Theologo, et Vicario generali societatis JESV. Romae.

Una cum his litteris Romam, ut videtur, missa est *epistula ab ipso P. *Guilielmo Elderen* S. J. Oeniponte 26. Februarii 1572 ad Natalem data; in qua ille haec scribit: „Ago gratias quas possum maximas Deo ter maximo, qui tandem uotis annuit meis, et me benigne ab aulicis istis miserijs purgatorio certe maximo liberauit, meque ad meos charissimos et desideratissimos Patres et Fratres OEnipontanos et Halenses perduxit incolumem. Peruenimus autem OEnipontum 22 Februarij, ubi laetus laetissimos Patres et Fratres et P. Canisium in osculo sancto excepimus, quo cum de rebus nostris et P. Laurentij iuxta mandatum R. P. V. contulimus, qui P. Canisius una mecum se Halam contulit et Reginam Madalenam inuisit, quam, uti et Ferrariensem, nomine R. P. V. salutauj et gratias egi de beneficio maximo nobis facto. Permouimus Reginam Madalenam uarijs rationibus propositis, quae quoque lubens de P. Laurentio ad sororem Ferrariam scribet. Sed dubitat illa nonnihil ne laterem lauet. Speramus tamen Dei gratia, Reg. Madalenam. P. Canisium et P. V. effecturam apud Ferrariensem ducissam, ut praedictus Laurentius reuocetur, eique Jtalus ex nostris substituatur uel alius si uelit, uti spero quoque faciet Florentina ducissa. . . . Putauit P. Canisius ut uel OEniponti uel Halae manerem donec certi aliquid de me statuatur“ (ex autogr.; Germ. 134 f. 236ª).

Natalis Canisio respondit 19. Aprilis 1572.

1778. CANISIUS **WENDELINAE VOM TRIEST** sorori, viduae Godefridi vom Triest consulis noviomagi.

Oeniponte m. Februario vel Martio (?) 1572.

Ex autographa P. Zantheni epistula, Cod. colon. „J. A. 17“ f. 193ª.

P. Ioannes Zanthenus S. J. noviomagus Noviomago, ubi et negotia, quae ad ipsius rem familiarem spectabant, curabat, et contionabatur, et collegio Societatis viam parare conabatur, anno 1572 (die incerto) Coloniam ad P. Ioannem Hasium S J. haec, praeter alia, scripsit: „Tandem aliquando mature quidem scriptas sed tarde traditas recepimus literas V. R. cum alijs et libris P. Canisij duobus cum quaternione in euang. Interpositi quidem fuere aliquot dies ex eo quod recepi, sed miror vbi tamdiu haeserint in itinere. . . . Laboraui in ijs quae R. T. petit quantum potui. Sed cum ob infestos plerosque amicos D. Henrici executores testamenti ne Canisius quidem attingere velit, nescio quid a me amplius fieri desideretur, vt etiam in testamento Joncker Jan eadem fere subest ratio. Misi etiam aut potius remisi in literis ad P Leonardum[3] P. Canisij literas binas. Quas soror vt ex manu nouit non censuit filijs ostendendas, imo plane noluit filios quidquam hac de re scire. Sed quia frater nil ad eam in literis meminit, et fallax est seculum, et libri a me Coloniae empti pro ea sunt soluti, nec de alijs vllum viderat indicium, et in similibus causis quandoque fallaciam experta est, non est mirandum si homines leuiter nolint excutere pecuniam cum nemo id libenter faciat. Tamen dixit visis literis[4] licet non intellectis non solum se hoc debitum libenter soluere sed etiam si longe maius esset.

[1] Rom 6, 11 23; 8, 39. 1 Cor 15, 31. Eph 3, 11 etc.
[2] Id est 29. Februarii 1572; is enim annus bissextilis erat.
[3] Kessel, rectorem collegii coloniensis. [4] Hasii ad Zanthenum, puto.

Sororem, ad quam Canisius litteras a Zantheno commemoratas misit, fuisse Wendelinam a Triest, colligi potest ex eiusdem Canisii epistula ad Wendelinam 1. Maii 1572 data; v. infra, ep. 1792; in qua etiam de Jacobo et Everardo Wendelinae filiis scribitur. Caeterum in Zantheni litteris complura sunt nonnihil obscura; quae excutere non vacat.

1779. P. IOANNES WILHELMI HARLEMIUS S. J., sacrae Scripturae et linguae hebraicae professor, CANISIO.

Lovanio (?) inter m. Ianuarium et Maium 1572.

Ex commentario epistulae Plantini, de quo dicetur infra, ep. 1791.

Christophori Plantini typographi antverpiensis rogatu a Canisio petit, ut ipse suas „Institutiones et Exercitamenta Christianae Pietatis", Antverpiae apud Plantinum a. 1566 editas, in quibus post „Parvum Catechismum Catholicorum" „Epistolae" et „Evangelia" dierum sacrorum cum orationibus, hymnis etc. ex libris liturgicis exscriptis ponuntur (v. Can. V 815), accommodet ad „Breviarium Romanum" et „Missale Romanum", a Pio V. ex decreto concilii tridentini restituta et primum Romae a. 1568 et 1570 (deinde Antverpiae quoque apud Plantinum) edita atque ad usum liturgicum omnibus ecclesiis praescripta, iis solis exceptis, quae suis propriis Breviariis et Missalibus iam 200 annos usae essent. Harlemii epistula periit; de qua plura infra dicentur.

Ioannes Willems sive Wilhelmi (ca. 1537—1578), quem ex urbe Haarlem (nunc regni neerlandici), unde ortus erat, Harlemium vocabant, primus de Societate publice docuit Lovanii; ibidem aliquamdiu collegii rector fuit; Bibliis „polyglottis", quae Plantinus excudebat, „Indicem biblicum" addidit; qui seorsim quoque editus est (*C. Sommervogel* S. J., Bibliothèque de la Compagnie de Jésus, Bruxelles-Paris 1893—1900, IV 113—114; IX 457; *E.-M. Rivière* S. J., Corrections et Additions à la Bibliothèque de la Compagnie de Jésus II, Toulouse 1912, 216; *Franc. Sacchinus* S. J., Historiae Societatis Iesu Pars quarta, Romae 1652, l. 6, n. 155—158; *Id.*, Hist. S. J. III, l. 4, n. 200).

1780. CANISIUS **IOANNI THOMAE A SPAUR** episcopi brixinensis coadiutori. Oeniponte sub medium Martium 1572.

De his Canisii ad Spaurium (de quo Can. VI 212) coadiutorem brixinensem (Brixen, urbs et dioecesis tirolensis) litteris vide infra, ep. 1782.

1781. CANISIUS **P. HIERONYMO NATALI** vicario generali Societatis Iesu. Oeniponte 20. Martii 1572.

Ex autographo (2°; $^3/_4$ p.; in p. 4 inscr.). Germ. 183 f. 208ᵃ—209ᵇ.

De opera a Magdalena regina ad confessarios principum italarum revocandos collata, P. Elderen Augustam non remittendo, litteris iaponicis.

† Pax Christi IESV nobis aeterna.

Admodum Reuerende Pater.

Mitto scriptum Reginae Magdalenae ad sororem Ferrariensem, ut P. Laurentius alio transferri possit pro arbitrio suorum superiorum [1].

[1] Vide supra p. 16.

Vellet interim et optaret aliquem e nostris alium Confessarium ab eadem Ducissa deligi et assumi, etiamsi non foret idem Germanus. Ego spero fore, ut non magnopere illa curet nostros, aut si quem nostrorum expetet, Jtalum illi muneri satisfacturum credo cum bona eius voluntate. Si neque illud placebit maioribus, non erit difficile rationes honestas recusationis adferre, ut sentiat se non esse contemptam. Scripsi antea, me in hanc descendisse sententiam, vt putarem de hoc negotio cum Regina non esse contendendum, cum facile uiderem me frustra laboraturum. Non parum illa praestitit, quod egregie promouerit causam P. Guilhelmi [1], ut is Florentia cum bona uenia dimitteretur, quodque nunc sororem Barbaram oppugnet, ut sinat et illa suum abire Confessarium, quem nouit aliquo defectu cerebri laborare. Non repetam quae superioribus de illo literis exposui: Christum rogo, ut uideam Ferrariae nostris parem libertatem dari, quae Florentiae contigit, ne simus aulis alligati, et hanc miseram seruitutem seruire cogamur. Vereor tamen, Barbaram Ducissam aliquanto duriorem fore, quam Joannam sumus experti, et tamen [a] nisi Ferrariae P. [b] Laurentius auferatur, facile rursus Joanna commouebitur, ut paulatim repetat suum quoque Confessarium. Verum his alijsque maioribus difficultatibus obsistet facile prudentia superiorum: ego me paratum offero, ut illorum consilijs paream, si quid praeterea hic faciundum putabunt.

P. Guilhelmus hic coepit animum recolligere, ut facilius Jtalicae libertatis, qua fruebatur, possit obliuisci. Ad Augustanam domum adspirat, sed quam conuenienter nescio [2]. Non facile reperiet apud nos alteram Florentiam. Dies paulatim adimet illi aegritudinem.

Expecto R. T. sententiam de negotio Cardinalis Tridentini, cui nondum quicquam respondi [3]. Nondum allatum est quicquam de rebus Japonicis, fortasse liber in Gallia excusus est [4]. P. N. Generalem non procul ab urbe esse confidimus. Hic mediocrem nobis messem confert Dominus, qui felix pascha toti donet societati. Ora pro nobis Reuerende Pater dominum, ut uocationi nostrae satisfaciamus. Saluto reuerenter P. Assistentes et P. Emanuelem Apostolicum contionatorem [5]. Oeniponti 20 Martij 1572.

Seruus in Christo P. Canisius.

† Admodum Reuerendo in Christo patri, Doct. Hieronymo Natali Theologo et Vicario generali Societatis IESU. Romae.

Natalis Canisio respondit 19. Aprilis 1572.

a) *Hoc v. a C. supra versum scriptum est.* b) *Sequitur* Lambe, *a C. oblit.*

[1] Elderen.

[2] Elderen ab a. 1560 ad 1565 in domo Societatis augustana unus e Canisii sociis fuerat; qui Augustae multos quidem amicos habuerat et procerum confessiones audierat, canonicis vero ecclesiae cathedralis valde fuerat ingratus (*Can.* II 845 857; IV 523 543 555 692 713; V 540). [3] Vide supra p. 11 14.

[4] Excusus est a. 1572 Parisiis; libri titulum v. *Can.* VI 491 [9].

[5] P. Emmanueli Saa a. 1571 datum erat munus contionandi in vaticanis aedibus ad familiam pontificiam (*Sacchinus,* Hist. III, l. 7, n. 17).

1782. IOANNES THOMAS A SPAUR cardinalis Christophori Madrutii episcopi brixinensis coadiutor CANISIO.

Brixina 20. Martii 1572.

Ex apographo eiusdem temporis; cui manu eiusd. temp. adnotatum est: „hae literae fuerunt nomine Reuerendissimi Coadiutoris scriptae". Oeniponte in archivo praefecturae (Statthalterei-Archiv), „Brixner Archiv X. 18. E", „Varia Decreta ad Reform. Eccl. Brix. ab A. 1572" f. 5ª. Litterarum summam posuit *Kröss*, Can. 191.

De eucharistia sumenda et ministranda. Ordo confessiones audiendi etc.

Reuerende Domine Canisj Charissime.

Vigesimo huius tuas literas accepi mihi pergratas, in quibus tuas continuas uigilias ad conseruationem episcopatus Brixinensis semper magis florere cognoui, cuius rei non leuiter me tibi deuinctum reperio, faxitque Deus ut possim animum meum gratum re ipsa successu temporis declarare. Et circa illos duos errores, quorum me ita fidenter certiorem reddis, fateor enim esse graues, tum in illis qui negligunt suo tempore accedere sacram synaxim [1], uel etiam non ita contrito corde, uel animi submissione, ut par est, sumunt. Tum etiam in porrigentibus cum saepius contingat porrigere quibus potius esset denegandum. Preterea cum non semper secundum ordinem administrentur sacramenta.

Modum insuper a te declaratum huic morbo medendi diligenter notaui; qui mihi plurimum placet, et forsitan, Deo dante, non parum conducet, quem statim mandarem executioni, si temporis angustia pateretur, propter imminentia festa Pascatis, at curabo quamprimum fieri poterit, ad omnium curatorum manus peruenire, et ad amussim obseruari, interim nolo te latere quod ordinem confessionis audiendae, cum certis alijs articulis acceperunt curati in initio quadragesimae [2]. Hisce ualeas ac me ut facis ames uelim, ac in tuis pijs orationibus me commendatum habeas. Datae Brixinae die, XX, Martij. 1572

Thomas Coadiutor Brixinensis.

Reuerendo in Christo patri Domino Petro Canisio, Doctori Sacrae Theologiae, ac Societatis Iesu per totam Germaniam Commissario generali [3], amico charissimo.

1783. P. LAURENTIUS SURIUS cartusianus coloniensis CANISIO.

Colonia circa m. Martium 1572.

Ex archetypa Canisii epistula, de qua infra, ep. 1788.

Commendat ei duos adolescentes Romam petentes.

Canisius Oeniponte 19. Aprilis 1572 Romam ad P. Hieronymum Natalem Societatis vicarium generalem epistulam misit, in qua haec

---

[1] Pascha futurum erat 6. Aprilis; quare fideles praeceptum communionis paschalis iam fere urgebat.

[2] *Fr. Ant. Sinnacher* testatur, Thomam sacerdotibus dioecesis suae per litteras 20. Februarii 1572 datas varia praecepta institutionesque dedisse, quae doctrinam christianam, baptismum, confirmationis sacramentum, matrimonium etc. spectabant: Beyträge zur Geschichte der bischöflichen Kirche Säben und Brixen in Tyrol VII, Brixen 1830, 584.

[3] At Canisius eiusmodi officium non habebat.

eum monebat: „Commendat et suis literis[a] *Nepotem mihi P. Surius, et solicitus est de illo bene in Vrbe collocando. Qua de re non potui non aliquid scribere* ad *Reuerendissimum nostrum Cardinalem*[1] *qui singularem illius adolescentis, qui est praeclarae indolis, rationem habebit, ut licet sit studiosus iuris, tamen Romanam imbibat pietatem. Non pluribus monebo R. T. quam incensam scio ad*[b] *bene merendum de bonis ingenijs Germanis. Cum eodem Surii Nepote mittitur studiosus alius Arnoldus Embricensis, Mihique a*[c] *P.*[d] *Surio commendatur, ut si qua ratione fieri possjt*[e] *ad Collegium Germanicum admittatur. Nam se paratum ostendit ad leges eiusdem Collegij rite seruandas, et ingeniosus uidetur adolescens, quem optarim aliquando Germaniae utilem esse. Mequidem authore non proficiscitur Romam, sed suasu P. Surij ut dixi. Ambit Collegialem illam conditionem, cuius ut particeps fiat, multum in R. T. situm esse puto. Eundem P. Surium aperte monebo, ne post hac mittat aliquem, nisi consensu Patrum Romae prius impetrato, ut ordine fiant omnia, et huiusmodi studiosis rectius consulatur.“*

Haec explicantur et illustrantur litteris, quas ad Natalem ipse *Surius* Colonia 15 Martii 1572 dedit; ita enim hic scribit: „Qui has reddit R. T. meus est ex germana sorore nepos, quem mitto Romam, vt isthic in vera pietate et catholica religione probe instituatur, et simul etiam det operam Jurisprudentiae, cui studio iampridem se addixit. Fuit quandoque conuictor in collegio Societatis vestrae, quod Coloniae est. Ego eum commendaui Pontifici Maximo, Cardinali Augustano, itemque Cardinali Amulio. Multum ei contulerit, si vos quoque vestram commendationem adiungere dignabimini. . . . Nihil fere a suis hic adolescens expectat, tantum habiturus, quantum Pontificis et Cardinalium liberalitate consequi poterit. D. Petrus Canisius, mihi a puero coniunctissimus, scripsit Cardinalem Augustanum ei patronum fore[2]. . . . Ego eum cupio longissime abesse a patria, quae tota addicta est Luteri placitis. Habet illic Canonicatum bene pinguem, volebantque Canonici vt apud ipsos resideret: sed noluit adolescens, ne illorum prauis exemplis corrumperetur. Ex illo Canonicatu posset etiam Romae viuere, sed absens prorsus nihil percipit. Parentes habent domi multas proles, quae non sinunt eum Romae sustentari illorum impensis. . . . Ad aliquot annos volo eum Romae degere, donec possit in Doctorem Juris promoueri. Habet in patria magnam consanguineorum et affinium turbam, quibus olim multum prodesse poterit, si fuerit Romae in Catholica religione bene confirmatus. Puerum haeretici corruperant fermento doctrinae suae, sed vbi Coloniam venit ad me et ad Patres. Societatis vestrae, facile eum in viam reuocauimus“ (ex autogr.; Germ. 134 f. 260[a]). Aliunde hoc intellegitur: Adolescens hic vocabatur et ipse Laurentius Surius et annorum erat fere 21 ac canonicatum habebat lubecensem (*K. Schellhass,* Deutsche und kuriale Gelehrte im Dienste der Gegenreformation [1572—1585], in „Quellen und Forschungen aus italienischen Archiven und Bibliotheken, herausgegeben vom königl. preußischen historischen Institut in Rom XIV, Rom 1911, 312“).

De altero autem illo adolescente, quem Canisio Surius commendavit, P. *Iacobus Boyman* S. J. a. 1638 vel 1639 in „Historia Gymnasii novi Trium Coronarum Societatis Iesu Coloniae“ (cf. *Can.* I LIX—LX) haec notavit ex „libro decanali“ facultatis

a) *Sequitur* suum, *a C. ipso, ut videtur, oblitteratum.* b) *In archet. correctum ex* ade.
c) *Sequitur* quoque, *a C. ipso (ut videtur) oblitt.* d) *Hoc (ab ipso C.?) supra versum scriptum est.*
e) *Ita C. correxit ex* posset.

[1] Truchsess; v. supra p. 2.

[2] Utrum ipsi Surio ita scripserit an Sociis coloniensibus, quibus Surius erat amicissimus, non liquet.

artium universitatis coloniensis et eiusdem „epitome“: „Arnoldum Embricensem“ 16. Martii 1571 in tentamine vel examine primum consecutum esse locum; eundem postea in Societatem Iesu ingressum et „Fritag dictum“ esse (Cod. „I 33“ f. 136[b] 137[a]). In collegii germanici catalogis (de quibus *Andr. Steinhuber* S. J., Geschichte des Kollegium Germanicum Hungaricum in Rom I², Freiburg i. Br. 1906, x—xi) Arnoldus hic non memoratur.

1784. CANISIUS REGIMINI AUSTRIAE SUPERIORIS.

Oeniponte sub ineuntem vel medium m. Aprilem 1572.

Ex archetypo (2°; 1 p.), ab ipso Canisio subscripto, quod exstat Oeniponte in archivo praefecturae, Pestarchiv XVIII 29. Litterarum particulam posuit *Hirn*, Ferdinand von Tirol I 175[1]. Iisdem usus est *Kröss*, Can. 191.

Praefatio editoris. Turcarum reprimendorum atque opprimendorum gratia S. Pius V. Roma 12. Martii 1572 ad omnes fideles apostolicas dedit litteras, quibus eos hortabatur, „ut unusquisque“ id bellum „vel personis vel facultatibus adiuvare vellet“. Omnibus, qui id fecerint, „plenissimam“, inquit, „et amplissimam omnium peccatorum suorum, de quibus corde contriti et ore confessi fuerint, et eandemmet quam Romani Pontifices praedecessores nostri crucesignatis proficiscentibus ad subsidium Terrae Sanctae concedere soliti fuerunt, veniam, remissionem et absolutionem“ tribuimus. Bona eorum, qui ad hoc bellum proficiscuntur, „sub beati Petri et nostra protectione suscipimus“ et in episcoporum tutela esse volumus; iidem „nullam de iis, quae dum fuerint in dicto bello quiete possident, sustineant quaestionem. . . . In quibusvis eorum causis et litibus a iudicibus, coram quibus vertuntur, omnino supersederi debere, donec de eorum obitu vel reditu certissime cognoscatur, statuimus et mandamus. Ad usuras quoque, si iuramento tenentur alicui, non cogantur, verum absoluti maneant et quieti“. Si quis vero eos ad usuras solvendas coegerit, censura ecclesiastica ad restitutionem cogatur. „Iudaeos vero ad remittendas ipsis usuras etiam per . . . saecularem compelli praecipimus potestatem, et donec eis remiserint, tam in mercimoniis, quam in aliis rebus et commerciis, sub excommunicationis sententia per ordinarios promulganda, universis christifidelibus iubemus communionem omnimodam ipsis hebraeis denegari.“ Mandat denique pontifex omnibus „locorum ordinariis“ „in virtute sanctae obedientiae“, ut statim has litteras „publicari et etiam per praedicatores ad populi notitiam devenire quam primum curent et faciant“ (*Bullarium* Romanum VII, Neapoli 1882, 967—969; antiquum litterarum exemplum, in folio separato typis exscriptum, exstat Oeniponte in archivo praefecturae, Pestarch. XVIII 29). Privilegia autem haec — notari hoc oportet — sunt illa ipsa, quae olim fidelibus cruce signatis eorumque adiutoribus a sede apostolica tribuebantur: id intellegitur ex bulla 14. Decembris 1215 data, qua Innocentius III. fideles ad bellum rei christianae et maxime terrae sanctae recuperandae gratia gerendum excitabat (*Bullarium* Romanum III, Augustae Taurinorum 1858, 300—304). Caeterum plenam poenitentiae debitae remissionem fidelibus iam anno 1095 obtulerat Urbanus II., cum eos in synodo claramontana ad primum illud bellum sub signo crucis gerendum invitaret; similiter postea alii pontifices, velut Paschalis II., egerunt; iis quoque, qui vel pecuniis vel aliis rationibus bella illa adiuturi essent, iam saeculo XIII. Clemens III. et Coelestinus III. aliquid indulgentiae promiserant (*Jos. Hilgers* S. J., Die katholische Lehre von den Ablässen und deren geschichtliche Entwicklung, Paderborn 1914, 76—78; *Fr. Beringer* S. J. et *Jos. Hilgers* S. J., Die Ablässe, ihr Wesen und Gebrauch I[14], Paderborn 1915, 56—57 76—78; *N. Paulus*, Die Anfänge des Ablasses in „Zeitschrift für katholische Theologie“, 39. Jahrg., Innsbruck 1915, 212—213). Huiusmodi „iubilaea“, quae vocantur, Ferdinandus II. archidux magni faciebat et, ut gratias illas nobilitas, magistratus, populus tirolensis consequi studerent, et suo sororumque religiosissimarum exemplo, et adhortationibus mandatisque publicis curabat (*Hirn* l. c. I 174; *Can.* VI 457 612). Attamen hisce annis aliquid difficultatis ex eo capiebat, quod iubilaea frequentiora erant ideoque timeri poterat, ne (ut Ferdinandus

a. 1571 ait) „apud populum in vilipendium venirent, praesertim si sub tali praetextu subsidia et collectae exigerentur" (*Hirn* l. c. 174[4]).

Quod autem ad Canisii commentarium, quem infra ponam, attinet, tempus quidem ei non est ascriptum; ex ipsis tamen rebus, quae in eo dicuntur, patet, Canisium de iubilaeo anni 1572 consultum esse ab archiducis magistratu sive „regimine" oenipontano; quod inprimis spectasse videtur urbem oenipontanam reliquaque loca et terras tirolensis comitatus, quorum „ordinarius" sive episcopus dioecesanus erat cardinalis Christophorus Madrutius episcopus brixinensis; quamquam eadem fere poterant et quaeri et responderi de reliquis Austriae superioris partibus, in quas archiepiscopus salisburgensis, episcopi tridentinus, curiensis, augustanus, alii iurisdictionem ordinariam habebant.

Qua ratione iubilaeum contra Turcas sit promulgandum, interpretandum, ad effectum deducendum.

†

Quod ad Pont. Max. diploma recens allatum attinet, uidetur illud non esse publicandum in Ecclesia, nisi authoritate Ordinarij primum accedente[1], qui fortasse constituet aliquid, ut hoc diploma suum optatum finem rectius consequatur. Parum enim aut nihil proderit generalem huius diplomatis exponere sententiam, nisi quaedam explicatius adiungantur de modo contribuendi sumptus ad hoc bellicum institutum pertinentes. Quare in huius diplomatis publicatione non puto properandum, sed maiorem temporis opportunitatem expectandam esse, ut cum fructu et luculenter omnia publicentur.

Ampla sunt beneficia quae in diplomate promittuntur, non quidem populo, sed primum ad hoc sacrum bellum proficiscentibus: deinde alios huic bello idoneos mittentibus: praeterea suas uel alienas expensas ad belli subsidium suggerentibus: et postremo suas eleemosynas in eundem finem erogantibus. Verum ut huiusmodi erogatio decenter ac utiliter fiat, maiorem ego lucem requiro.

Optarim inprimis Principes, Comites, Barones et nobiles tam pios reperiri, quibus iustissimi et sanctissimi belli contra impijssimum et immanissimum[a] hostem suscepti ratio, et optimi summique pastoris consilium, authoritas et beneficentia hoc opportuno tempore posset comprobari. Sed quantum ab illis impetrari possit nescio, nisi Germanorum quoque Principum, praesertim Catholicorum, consensus accedat.

Curandum erit ante publicationem, ut norit publicator, quibus priuilegijs gaudebant Cruce signati[2], quos constat ante nostram aetatem ad subsidium terrae sanctae soepe multumque profectos fuisse.

Requirit hoc diploma non uulgarem interpretem, si germanice reddendum est, sed facile hoc praestabit D. Schrenckius, aut alius e

a) immanissum *archet.*

---

[1] et [2] Vide, quae supra in praefatione editoris dicta sunt.

scribis aulicis [1]. Nullum sane apud nos uideo, cui in hac ipsa uersione fidamus.

Saluo meliore iudicio ita caensuit [a] [?] Canisius.

1785. WENDELINA VOM TRIEST, vidua Godefridi vom Triest consulis noviomagi, CANISIO fratri.

Noviomago ineunte vel medio Aprili (?) 1572.

Filios bene se gerere. P. Zanthenum Noviomagi cum fructu sacris ministeriis functum esse. Se librorum pretia solvisse. Plura vide infra, in ep. 1792, qua Canisius ad Wendelinae litteras (quae iam non exstant) respondit.

1786. P. IOANNES RETHIUS S. J. regens gymnasii Trium Coronarum coloniensis CANISIO. Colonia 15. Aprilis 1572.

Ex commentario, quod Rethius sua manu scripsit. Cod. colon. „Un. 602", Epp. f. 30b—31b. Maiorem epistulae partem ex eodem commentario posuit *Ios. Hansen*, Rheinische Akten zur Geschichte des Jesuitenordens 1542—1582, Bonn 1896, 614—615.

Geusii eorumque patroni. Penuria sacerdotum bonorum et facultatum sacrarum Matthisius. Confessio. Noviomagi Societatem petunt.

Reuerende Pater, magistratus Coloniensis pergit urbe mouere Geuseos [2]: licet Comes Palatinus, et tres alij imperij Principes ante festa natalitia per legatos suos pro illis intercesserint: et ab eodem, Saxone, et Brandenburgico [3] ante Paschae solemnitatem allatae fuerint literae in fauorem et patrocinium istorum hominum scriptae: ut taceam reliqua. Gratias nobiscum age Deo, et sanctis Coloniensibus [4]. Sed non procul hinc multae parochiae occupantur a sacerdotibus minime ad eam functionem idoneis: imo uix bonos et doctos inducere audemus uel possumus, ut in hac Germaniae parte extra Coloniensem episcopatum curam animarum suscipiant [5]. Quum enim uident non seruari

a) *Sic; corrigendum esse dixeris:* censuit.

[1] Iohannes Schrenk de Notzing, aulicae cancellariae Ferdinandi II. archiducis scriba, huius mandatu insignem illam operum arte factorum, armorum, codicum etc. copiam collegit et ex parte descripsit, quae ex Ferdinandi arce ambrasiana, ubi diu servata est, nomen habet („Ambraser Sammlung"; cf. *Hirn* l. c. I 175 [1] 349—353).

[2] Calvinianos ob sedicionem ex Belgio expulsos vel profugos. „Die Emigration", inquit *L. Ennen,* „barg für den katholischen Charakter der Stadt Köln große Gefahren im Schoße": Geschichte der Stadt Köln IV, Köln u. Neuß 1875, 855.

[3] Significari videntur hi tres principes electores iique protestantium patroni praecipui: Fridericus III. Palatinus, Augustus Saxo, Ioannes Georgius Brandenburgensis.

[4] Sanctis civitatis patronis, inprimis Tribus Regibus Magis, S. Gereoni cum sociis, S. Ursulae cum sociis, S. Severino, S. Cuniberto.

[5] Episcopatum hic vocare videtur terram illam, quae coloniensi archiepiscopo et in sacris et in civilibus rebus parebat; et sacerdotes, puto, significat potissimum illarum partium archidioecesis coloniensis, quae ducis clivensis et iuliacensis imperio subiectae erant; ibi enim et cleri disciplina et religio omnis misere iacebat; cf. *Can.* V 170 672—677.

canones et decreta summorum Pontificum: sciunt vero multos lapsos in haereses, et libros legisse prohibitos: casusque reseruatos considerant, et quam graue pastori sit, cum multorum offensione, illos conuersos ac poenitentes a se dimittere, qui ex quadam imperfectione ad alium confessarium pro absolutione se non recipient: dum auxilium ferre nequeunt, nonne satius Deo calamitatem proximorum commendare, quam semetipsos censuris ecclesiasticis implicare[1]? At interim dum bonus pastor[2] haberi non potest, lupi subintrant, et oues rapiunt, et dispergunt[3]. Hic si quid consilij habes, rogo imperti. Vndecimo die Aprilis obijt Gerardus Matthisius gymnasij Montani Regens praeclare de re literaria meritus[4]. Queso Deum pro anima ipsius precare. Sunt, qui scire desiderant, num aedenda sit ab Ingolstadiensibus, uel Dilinganis confessio illa Doctorum Ecclesiae, cuius spem praebuit R. P. Hieronymus Torrensis[5]. P. Ioannes Zanthaenus per aduentum et quadragesimam Neumagij concionatus est: permoti Neumagenses Societatis operam expetunt: uellet R. P. Leonardus[6] ad R. P. Praepositum generalem suam petitionem scriberent, et ad R. P. tuam[7]. Si quid literarum acceperis, rogo causam patriae apud P. Generalem, quantum potes, adiuua. Digna namque ciuitas illa uidetur, cui beneficium aliquod Societas praestet, quae tot Societati insignes operarios dedit[8].

Bene uale admodum Reuerende in Christo Pater. Plurimam R. T. salutem precatur R. P. Leonardus Chesselius Rector, et totum Collegium. Ora pro nobis omnibus et Coloniensi Ecclesia. Coloniae, anno Christi 1.5.72 die 15. Aprilis.

R. P. T. seruus in Christo Ioannes Rhetius

Doctori Petro Canisio Theologo Societatis IESV. Oenipontum[a].

Canisius Rethio respondit inter Maium et ineuntem Iulium 1572.

1787. CANISIUS cardinali **OTTONI TRUCHSESS** epicopo augustano etc. Romae degenti. Oeniponte circa medium m. Aprilem 1572.

Commendat ei Laurentium Surium canonicum lubecensem. Vide initium epistulae 1788.

a) *Hanc inscriptionem Rethius in capite commentarii posuit.*

[1] Ita in excommunicationis censuram implicabantur sacerdotes, qui sine singulari facultate homines a „casu" haeresis pontifici reservato absolvere „praesumebant" (*Can.* IV 508[1]). [2] Io 10, 11 14. [3] Io 10, 12.

[4] Indiculum librorum ab eo scriptorum posuit *Ios. Hartzheim* S. J., Bibliotheca Coloniensis, Coloniae 1747, 99.

[5] De hac „Quatuor SS. Doctorum" Confessione „catholica" v. *Can.* VI 737.

[6] Kessel, rector collegii coloniensis.

[7] De Noviomagorum litteris plura dicentur infra, ep. n. 1795; item de P. Ioanne Zantheno.

[8] Petrum et Theodoricum Canisios, Henricum Dionysium, Henricum et Ioannem et Petrum et Theodorum et Thomam Busaeos, Ioannem Zanthenum (de quo *Hansen* l. c. 362), Stephanum Loen (ibid. 783—785), Sibertum de Bronchorst (ibid. 783), Ioannem Iacobi Astensem (*Can.* IV 983) etc.

1788. CANISIUS **P. HIERONYMO NATALI** vicario generali Societatis Jesu. Oeniponte 19. Aprilis 1572.

Ex archetypo, manu P. Guilielmi Elderen S. J. scripto (2°; 1 p.; in p. 4 inscr. et reliquiae sig.). Canisius sua manu epistulam emendavit et subscripsit („Seruus" etc.). Germ. 183 f. 210ᵃ—211ᵇ.

Borgias. Confessarius ferrariensis. Visitator. Albertus V. Halbpaur. Archidux.

† Pax Christi nobiscum aeterna Admodum Reuerende Pater.

Commendat et suis literis *[etc., ut supra p. 22]*.

Nondum accepimus quicquam de reditu P. nostri Generalis[1], quem in Jtalia nunc uersari speramus, negotijs omnibus rite confectis, propter quae tam longam et difficilem subijt peregrinationem. Misi nuper Reginae literas ad sororem Ferrariensem scriptas, ut sinat ea Confessarium suum abire[2]. Has Romae redditas esse confido. Hoc unum adiungam de P. Laurentio liberando, in eo ipso situm esse plurimum, ut praesens excutiat iugum: nisi enim magnam in hac re uoluntatem Ducissae declaret, non putam[us] quicquam effectum iri literis Reginae Magdalenae.

Commendo me plurimum sacrificijs et precibus R. T. et patrum reliquorum, quos diu nobis Christus Dominus incolumes tueatur. Speramus et Visitatorem aliquem post tot annos, in hanc Prouinciam esse uenturum, qui laborantem P. nostrum Prouincialem[3] in quibusdam difficultatibus hoc tempore subleuet atque consoletur. Metuunt quidam uitae Alberti Principis[4] grauiter decumbentis. Bonus P. Hermes in sancta pace requiescat[5]. Princeps noster post Penthecostem, hinc abiturus uidetur[6], et ad munus Concionandi meam operam desideraturus, eamque illi praestandam esse putat P. Prouincialis. Æniponti 19 Aprilis. 1572.

Seruus in Christo P. Canisius.

† Admodum Reuerendo in Christo Patri, D. Hieronymo Natali, Vicario Generali [Societatis] JESv. Romae.

Postremis huius epistulae verbis aliqua addi oportet, quae aliunde sunt hausta. Putabat Canisius, Ferdinandum II. archiducem post Pentecosten (sive post 25. Maii) in Austriam anticam (cf. supra p. 7) abiturum et ad contiones ibi coram se habendas Canisii operam petiturum esse. Verisimile autem est, Ferdinandum hac petitione bisque contionibus aliud quoddam consilium, quod iam ceperat, occultare voluisse. Sic enim P. *Hermannus Thyraeus* S. J. provincialis rhenanus Herbipoli 13. Iunii 1572 P. Leonardo Kessel rectori coloniensi scripsit: „Ad R. Patrem D. Christianum nostrum [Halverium] scribit Prior Friburgensis ex sua Carthusia 4 Junij haec verba Accepi paucos ante dies literas de aduentu Reuerendi P. Canisij ad nos qui me conueniet

[1] S. Francisci Borgiae.

[2] Litteras a Magdalena regina ad Barbaram sororem de P. Laurentio Hermanutio datas; v. supra p. 19.

[3] Paulum Hoffaeum. [4] Alberti v. Bavariae ducis.

[5] Hermes Halbpaur S. J. (de quo *Can.* II 390 [2]) Fuldae inter contionandum apoplexia ictus vita cessit 13. Martii 1572 (*Sacchinus* Hist. III l. 7, n. 70).

[6] Vide quae sub ipsas has litteras dicentur.

de schola Societatis vestrae apud nos Friburgi instituenda iuxta voluntatem serenissimi archiducis nostri cuius quidem aduentum expecto, Et postquam commendasset nobis Patrem quendam bonum et doctum Germanum qui ex Hispanijs venit missus ex Capitulo ad prioratum quendam suscipiendum in quadam Carthusia non longe hinc dissita ait, Ego vices rependam pro mea virili in promouenda vestra apud nostrates Societate" (ex autogr.; Cod. colon. „I. A. 19" f. 62; particulam posuit *Hansen* l. c. 622). Deinde *Hoffaeus* Germaniae superioris provincialis Oeniponte 23. Iunii 1572 Natalem *monuit: „Fecit hic rumor de suscepta a Societate, causa Jngolstadiana circa cursum et paedagogium [1], vt nunc ad imitationem Bauaricam hic serio tractatum et conclusum sit ab Archiduce et Excelso Regimine, vt Friburgi non solum seminarium sicut Jngolstadij erigatur, sed vt etiam Societati Collegium illic instituatur cui etiam studia Theologica et Philosophica etc. tradantur: et Archidux circa Autumnum hanc rem coram confecturus est et iam in Vrbem ad Reuerendissimum Cardinalem Constantiensem Altemps [2] ante octiduum est perscriptum diligenter de applicanda quadam Abbacia vtrique Seminario et Collegio: haec vero omnia hic adhuc secreta sunt, nobisque nondum formaliter proposita, certa tamen sunt, decetque isthic adhuc secreta seruari. Nunc hoc solum dico, nullo modo expedire vt Friburgum reijciatur, si offeratur, ob multiplicem et Ecclesiae et Societatis vtilitatem quam maiorem (quo ad incrementum Societatis in personis, nam valde illic est bona et facilis gens) illic speramus quam Jngolstadij" (ex autogr. Germ. 134 f. 243^b). Neque tamen hoc anno Canisius Friburgum venisse videtur; neque ante a. 1574, quod equidem sciam, ea causa diligenter curari coepta est. Ceterum, quae posui, valent ad explicanda et ex parte corrigenda ea, quae sunt apud *H. Schreiber*, Geschichte der Albert-Ludwigs-Universität zu Freiburg im Breisgau II, Freiburg 1868, 307, et apud *Hirn* l. c. I, 215—216.

Natalis Canisio respondit 5. Iulii 1572.

1789. CANISIUS **P. LAURENTIO SURIO** cartusiano coloniensi.
Oeniponte post medium m. Aprilem (?) 1572.

De adulescentibus Romam petentibus et collegio S. J. coloniensi. Vide supra p. 22 et infra, ep. 1793.

1790. **P. HIERONYMUS NATALIS** Societatis Iesu vicarius generalis CANISIO. Roma 20. (19.?) Aprilis 1572.

Ex apographo eiusd. temp.; in margine, eadem manu: „Padre Canisio". Germ. 109 f. 63^b.

De P. Hermanutio ex aula revocando, P. Elderen Augusta (ne canonicos offendat) arcendo, lite cardinalis Madrutii, itinere Borgiae, martyriis Sociorum.

Ho riceuuto quelle della R. V. del [a] primo et ultimo di Febraio et 20. di Marzo et con questa ultima quella di la Regina Madalena per la duchesa de Ferrara la quale se gli manda, et speriamo che nostro padre Generale passando di là hauera fatto qualche officio con sua alteza, et bisognando come V. R. dice si uedra di chiamar a Roma (o altroue) il Padre Lorenzo [3].

a) *Duo vv. sqq. in apogr. supra versum scripta sunt.*

[1] Cf. *Can.* VI 449; at hoc ipso iam anno propter cursum philosophicum et gymnasium (quod nunc vocamus) Sociis a duce traditum inter hos reliquosque universitatis magistros lites ortae sunt; de quibus multa dicentur infra.

[2] Marcum Sitticum a Hohenems episcopum constantiensem.

[3] Laurentium Hermanutium, Barbarae principis ferrariensis confessarium; vide supra p. 17.

Non conuiene à modo nesuno che il Padre ghuilielmo stia in augusta per non offender di nuouo alli capitulari etc. et cosi lo scriuo al Padre Prouinciale[1].

Al Cardinale di Trento[2] è meglio che V. R. risponda facendolo capace che la sua intercesione saria per far dano nelli nostri ministerij, et non aiutar la causa etc. il che piu facilmente si fa per lettera. Tanto piu che se il Cardinale hauesi a pigliare benche senza causa qualche offensione, è meglio che questa non uenga sopra il generale, et per questo medessimo è pïu conueniente che la lettera non uenghi per uia nostra.

N. P. generale speriamo che a quest' hora non sta lontano da loreto · si è tratenuto tanto per esser stato indisposto tanto tra le montagne di Sauoia come ancora in Lombardia apresso Alesandria di doue ho lettera di · 7 · di questo che fra pochi giorni partirebbe la uolta di Loreto, piacera al Signore condurcilo a Roma con sanita et presteza.

Mando con questa a V. R. una copia del Martirio del Residuo delli Compagni del Padre ygnatio de Azeuedo[3] *etc.*[a] Di Roma li 20[b] [?] di Aprile 1572.

Apographo quidem huius epistulae dies 19. Aprilis ascriptus est; in autographis vero litteris 19. Maii 1572 datis, quibus Canisius ad eam respondet (infra, ep. 1796), eam 20. Aprilis datam esse affirmatur.

Ex postremis huius epistulae verbis cognoscitur, Canisio una cum ipsa missam esse relationem quandam; quam non calamo, sed typis descriptam fuisse intellegitur ex *Natalis* *litteris eodem die ad P. Laurentium Magium Austriae provincialem datis; eadem in *Natalis* *litteris Roma 22. Aprilis 1572 ad P. Balduinum ab Angelo Germaniae inferioris provincialem datis vocatur „una lettera del martirio de duodeci di nostri che erano il residuo de compagni del Padre Ignatio d'Azeuedo"; ac *Natalis* de ea tum Balduinum in his litteris, tum P. Hermannum Thyraeum provincialem rhenanum in *litteris eodem die ad eum datis monuit: „La faccia leger per li collegij et a chi li parerà" (ex apographis eiusd. temp.; Germ. 109 f. 63[a] 65[a] 66[a]). De sociis autem illis res ita fere se habebat: P. Ignatius de Acevedo Portu, e Lusitaniae urbe, ortus, praepositus provincialis Brasiliae, ubi multum laboraverat, a S. Francisco Borgia creatus, sodales 69 collegerat ad evangelium in ea terra disseminandum; qui medio fere anno 1570 Olissipone, in varias distributi naves, solverunt. Oneraria autem navis, qua Ignatius vehebatur, paulo post apud insulas canarias a piratis hugonottis Rupella e Galliae portu advectis, quibus Iacobus Soria calvinianus catholicisque infestissimus imperabat, capta est, atque ita Ignatius et 38 alii Societatis homines cum adolescente, qui se iis iunxerat, capitis damnati et immaniter trucidati, gloriosam pro fide catholica mortem obierunt. Reliqui autem Socii (quibus post Acebedium P. Petrus Dias praeerat) diu multum in mari iactati

a) *Quae hic supplenda sint, vide supra p. 16; atque hoc semel dictum satis esse debet.*
b) *Vide, quae sub has litteras primo loco dicentur.*

[1] De P. Guilielmo Elderen Natalis Paulo Hoffaeo provinciali *scripsit Roma 19. Aprilis 1572: „Jntendo che il Padre Guigliermo andarebbe à star in augusta il che à modo nessuno conuiene per non dar qualche offensione di nuouo benche passiua alli Signori capitolari [*correxi ex* particolari] (ex apogr. eiusd. temp.; Germ. 109 f. 63[b]).
[2] Ludovico Madrutio; v. supra p. 11 14.
[3] Vide quae sub ipsas has litteras secundo loco dicentur.

sunt; aliqui etiam domum remissi vel e Societate dimissi, ita ut m. Septembri anni 1571 non superessent nisi 14 vel 15; qui cum in unam collecti navim se tandem in Brasiliam perventuros esse sperarent, in praedonum protestantium naves quinque, quattuor gallicas, anglicam unam, quarum dux Ioannes Cadavillius (Cadovilius) erat, inciderunt, et duodecim ex eis in odium fidei catholicae ab illis necati sunt (Vita Francisci Borgiae a *P. Ribadeneira* Hispanice scripta; Latine vero ab *And. Schotto*, utroque S. J. sacerdote, Antverpiae 1598, 168—182; *Sacchinus*, Hist. III l. 6 n. 219—253; l. 7 n. 189—201). De priorum illorum quadraginta (quibus Pius IX. papa Beatorum Martyrum honores confirmavit et decrevit) morte Petrus Dias 18. Augusti 1570 ex insula Madera ad Leonem Henriques Lusitaniae provincialem scripsit, de reliquorum autem martyrio Franciscus Henriques rector collegii ulissiponensis Ulissipone 9. Decembris 1571 ex unius eorum, qui ex clade illa superstites erant, narratione ad Socios romanos epistulam dedit: „Carta escrita . . . aos Padres Assistentes em Roma que relata largamente o glorioso martyrio de Padre Pedro Dias, e seus companheiros em os mares de Brasil a 13 de Setembre de 1571“. Hae litterae italice versae ipsoque anno 1572 Neapoli typis exscriptae sunt (*Sommervogel* l. c. IV, 273—274); Canisio tamen missam esse conicio versionem latinam a Ioanne Petro Maffaeo S. J. factam, quae duobus annis post una cum versione litterarum Petri Dias addita est eiusdem *Maffaei* „Rerum a Societate Iesu in Oriente gestarum Volumini“, Coloniae 1574, 458—472. Sic enim *notatum inveni manu *romana* eiusdem temporis: „Alli 12. di Aprile. 72. si mandò l'epistola latina stampata in Napoli, sopra il martirio delli compagni del P. Ignatio Azeuedo etc. Austria, Polonia, Sup. Germania“ etc. (Hist. Soc. 42, Diuersi ordini, in a. 1572).

1791. CHRISTOPHORUS PLANTINUS architypographus regius, CANISIO. Antverpia inter medium Aprilem et medium Maium 1572.

Ex commentario vel potius commentarii apographo aliquanto post manu ignota scripto, quod est in Cod. antverp. „Briev.“ f. 123ª, et ex Canisii epistula autographa, quae est in Germ. 183 n. 261.

„Institutiones“ etc. Missali Breviarioque novis accommodandae. Summaria „Evangeliorum“ etc. amplificanda.

Reuerende in Christo Pater.

Pax Christi etc.

Scripsit[1] nuper meo rogatu ad Reuerendam Paternitatem Tuam P. Joannes Harlemius vt dignareris per aliquem tuorum curare institutiones Christianae pietatis a me impressas accommodari[a] [?] nouo missali, et breuiario[2], nam vbique quaeruntur nec plura habeo exemplaria: ad hoc opus (si forte non sit vobis horum librorum copia)

a) *Sic; scribendum fuisse videtur:* accommodare.

---

[1] Christophorus Plantijn sive Plantinus (ca 1514—1589), quem in Gallia prope Turones (Tours) natum esse tradunt, sub a. 1555 Antverpiae typographiam condidit, quae plus 300 annos ibi erat permansura. A. 1570 a Philippo II. architypographus regius est nominatus. Ut erat vir doctus et industrius, de litteris et religione optime meritus est, libros valde eleganter et emendate excudendo et opera utilissima in lucem emittendo, velut scripta SS. Augustini et Hieronymi, catechismos Canisii, maxime autem Biblia illa „regia“ sive „polyglotta“ quinque linguarum, quae Arias Montanus curanda susceperat. Adduci non possum, ut credam doctori *G. Kalff* scribenti: Plantin „was in t' geheim aanhanger van een kleine secte der hervormingsgezinden: Vragen des Tijds, 43. jaarg., Haarlem 1916, 40.

[2] Vide supra p. 19.

mitto cum his literis R. P. T. vnum missale cum Breuiario, et duo exemplaria institutionum tuarum. addidi etiam 4. exemplaria Catechismi tui[1], petunt vehementer Rex et magnates Hispani idque — —

Ita quidem in codice antverpiensi haec epistula terminatur; quid autem in eo omissum sit, satis certe colligi potest ex litteris autographis Oeniponte 19. Maii 1572 a Canisio ad P. Hieronymum Natalem Societatis vicarium generalem datis; in quibus Canisius haec ad eum refert: „Scripsit ad me Plantinus typographus, monetque tum Regis Philippi, tum Hispanorum magnatum quorundam nomine, ut parem fusiorem explicationem capitum doctrinae, quae breuiter indicaui[2] praefigens quaedam summaria lectionibus sacris, quae in templis diebus praesertim sacris proponuntur. Putant hunc laborem Parochis etiam usui fore.“

Reverendo in Christo patri D. Petro Canisio Societ. JESV Theologo Oenipontum.

Canisius, cum Natali 19. Aprilis 1572 scriberet, Plantini litteras nondum acceperat (v. supra p. 27); quare Plantinum puto inter medium fere Aprilem et medium Maium a. 1572 scripsisse. In Codice autem antverpiensi epistulae, quae has litteras proxime vel antecedunt vel sequuntur, circa initium a. 1575 datae sunt. Quare conicio, has litteras vel potius hanc litterarum partem a librario eo loco positam esse ex Plantini commentario eoque tam manco, ut quo tempore litterae datae essent, ex eo intellegi non posset.

1792. CANISIUS **WENDELINAE VOM TRIEST** sorori, viduae Godefridi vom Triest consulis noviomagi. Oeniponte 1. Maii 1572.

Ex apographo (A) saeculo XVIII. vel XIX. scripto (2°; 1 p). Exstat praeterea apographum (B) circa medium saeculum XIX. scriptum. Partem epistulae parvam posuit *H. J. Allard* S. J., Leven van den gelukzaligen Petrus Canisius S. J., Nijmegen [1897], 104 (ubi haud recte dicitur, epistulam 5. Maii datam esse). Item epistulae particulam posuit *F. van Hoeck* S. J., De Jezuïeten te Nijmegen, 's Hertogenbosch-Antwerpen 1921, 44.

Praefatio editoris. Etsi huic epistulae, cui ex sororibus Canisius scripserit, adnotatum non est, dubitari non potest, quin Wendelinae scripserit; in hanc enim optime conveniunt, quae de sororis viduitate et de Iacobo eius filio dicuntur: cum hac sola non pater tantum, sed etiam mater Petro Canisio erat communis; huic scribere solebat (*Can.* I 68 72 210; IV 494; V 331 446 531; VI 395; VII, ep. 1811, 1906); et epistulae, quas a Canisio ad eam datas esse aliunde constat, eiusdem fere argumenti et similis, ut ita dicam, coloris sunt, atque ea, quam infram ponam. Hoc quoque rationibus modo prolatis probatur: Epistulam hanc, quamquam ex exemplo satis recenti exscripta est, veram, non spuriam esse Canisii epistulam; linguae tamen genus excipias necesse est; scriptum est exemplum A lingua neerlandica recenti eaque

---

[1] „Institutiones Christianae Pietatis“ sive „Parvum Catechismum Catholicorum“ ipso anno 1572 iterum Antverpiae a se excusum significare videtur; v. infra, monum. 1096. De Canisii catechismis a. 1561, 1566, 1567, 1569, 1570, 1571 a Plantino excusis v. *Can.* III 787; V 806 814—814 825; VI 677 694 706.

[2] In libro „Lectiones et Precationes Ecclesiasticae“, a 1556 et 1557 seorsim edito, anno autem 1566 „Parvo Catechismo Catholicorum“ coniuncto et cum nomine „Institutionum et Exercitamentorum Christianae Pietatis“ apud Plantinum edito; v. *Can.* V 815. Postillam quandam (quam vocant) a Canisio scribi cupiebant; v. *Can.* VI 384—385.

sermone vlamico tincta (exeuntis saec. XVIII. vel ineuntis XIX.), non ea, quae saeculo XVI. vigebat; ne hac quidem Canisius scripsit; iam enim a. 1547 in Germaniam superiorem abiit; unde fiebat, ut patriam linguam paulatim dedisceret; quare cum a. 1565 ad aliquot dies Noviomagum redisset, non lingua neerlandica, sed „germanica" sive Germaniae superioris ibi contionatus est; eadem lingua scriptae sunt epistulae autographae, quas Canisius a. 1564, 1567, 1570, 1572, 1579 ad Wendelinam sororem et ad fratres dedit; cf. *Can.* IV 494; V 446 531; VI 395 421, et infra, epp. 1811, 2043. In apographo B sermonis genus neerlandicum usui nostri temporis aliquantum accommodatum est. Eius lectiones variantes proferam aliquot; omnes proferre non vacat. Epistulam igitur pono, ut est neerlandice versa.

Sororis filios ad timorem Dei adhortatur. Sorori commendat, ut quam saepissime sacram eucharistiam sumat et diligenter pauperes adiuvet. Fratribus sororibusque testamento carendum, ut heredes catholicam teneant fidem. De spe collegii noviomagensis et rebus pecuniariis.

Jesu Christi onzers Heere genade en vrede zy altyd met ons amen.

Liefste Zuster ik heb uit u schryven met genoegen verstaen, dat uwe beide oudste zoonen[1] zig wel en Christelyk gedragen. God wil hun sterken in de Godvrugtigheid en bewaren van[a] de booze, zondige en verkeerde weereld in dese eeuw, opdat zy geen plaets geven aen 't quaed gezelschap en aen de vleesschelyke onreine begeerten, Zy hebben grootere genade Gods noedig, willen zy op den regten weg blyven en hunne zielen bewaren[b] voor den boozen en listigen vyand, die lagen legt aen de jonge gezellen van Christus, opdat zy met onnutte, ligtvaerdige en schadelyke dingen zig ophouden; en alzoo de beste en edele tyd van de jonkheid[c] verliezen. De wereld is blind en vreest God niet, zoo dat de jongen en ouden niet herkennen en meiden die groote zonde van hovaerdigheit, de onchristelyke zorgloosheid in den Godsdienst, 't jammerlyk verlies van den goeden tyd en het ydel welbehaegen huns zelfs in al hun doen en laeten. Daerom vermaene ik hun beide Jakob en Everd[d] [?] uwe lieve kinderen[2]; dat zy God hunnen Schepper en Regter dikwils en ernstlyk aenroepen en bidden om eene sterke genade; dat zy zig en[e] hunne zielen in dezen tyd van[f] de snoode en zondige wereld moegen bewaeren, en zig teenemael anders gedraegen, dan de andere huns gelyken pleegen te doen en uit te spatten in alle ligtvaerdigheit in lacchen en speelen, in dansen en springen. Hoe zeegbaerder dat zy zyn en hoe meer zy zig van alle ligtvaerdigheit wagten, hoe meerdere gratien zy van God hebben te verwagten in dese en de toekomende wereld. Jk zeg niet, dat zy niet mogen vrolyk zyn; en dat zy zig teenemael

a) voor *B.* b) vrywaren *B.* c) jeugd *B.* d) Evert *B; corrigendumne* Goert? *Vide infra, adnot. 2.* e) *Sic recte B;* in *A.* f) strijd tegen *B.*

[1] De horum nominibus v. infra, adnot. 2.

[2] De Jacobo vom Triest cf. *Can.* V 326 334 444—448 662. „Everd" vero sive Everardus usque adhuc ignotus est; quare R. P. *L. van Miert* S. J., vir harum rerum valde peritus, suspicatur, librarium perperam scripsisse „Everd" pro „Goert" (Goert, Gaert, Govert = Godefridus); Godefridi enim vom Triest mentio fit anno 1588; idem Coloniae versatur a. 1597.

van de menschen zouden[a] afzonderen; maer ik raede hun getrouwlyk, dat zy met vreese leven ook in de wereldsche vreugden en hunne herten aen God bevelen, ook hun wezen en de meening tot God wenden op alle plaetsen, denkende, dat wy in dezen tyd niet konnen zoo godvreezende en zoo zorgvuldig zyn; als het wel van noode is. Daerom bid ik God den Almogende, dat hy plante in hunne gemoederen eene gestaedige vreeze en vlytigheid, opdat zy nimmer te los en ongebonden worden, ook zig meer voor God als de wereld schaemen, ook de valsche zoetigheid van s werelds wezen vermengen met eene zaelige bitterheid van de gedagte des doods en van het toekomende oordeel Gods, die en iegelyk zal loonen na zyne gedagten, woorden en werken[1].

Maer zoo veel u persoon, liefste zuster, betreft, zoo is mynen raed en begeere dat gy meer de geestelyke dan de wereldsche[b] zorgen ende zaken in agt neemt, dewyl gy hoe langer hoe ouder word en u billyk tot eene vreedzaemen en zaelige dood bereiden moet. Draegt zorge en oplettenheid op de kinderen, op het goed, op huisgenooten en vrienden; maer tragt nog veel meer naer een goed, rein, en zuiver gewisse, nadien al het tydelyk ydel is en de ziel boven alle goederen des werelds zal en moet gewardeerd en geagt worden. Bereid u dikwils tot de heilige biegt en vereenigt u hert met God uwen zaligmaker, zoo dik wils als het moogelyk is, want uwe zwakheid heeft zulk eene medecyne noodig en volgens uwen weduwelyken staet is 't regt en billyk, dat gy uwen toevlugt neemt tot Christus en zyn allerheiligste lichaem: sterkt ende troost u met dit waeragtig en kragtig h e m e l s c h b r o o d[2], zoo zullen uwe bekooringen zoo veel te geringer en lydelyker zyn. Leert de wereld hoe langer hoe meer te laeten en te haeten, want zy zal u niet lang behouden, en gy kent haere trouwloosheid, schalkheid, bedrog en elend. Stierd u hert tot [het][c] eeuwig Vaderland en zend voor u daer natoe eenen goeden zekeren schat[3], die moet gy verzaemelen uit veele werken van Christelyke liefde en bermhartigheid. Zyt dan mild en medelydende tegen den lieven armen, o p d a t z y u haest brengen en o p n e e m e n i n d' e e u w i g e T a b e r n a k e l e n[4]. Wat gy in u leven kant doen en geven, betrouwt dat niet aen uwe kinderen en erfgenaemen; want zy met zig zelven genoeg te doen vinden. Bid God ieverig, dat Hy ons beide verleene eenen zaligen tyd van uit dit jammerdael te scheiden en de ziel van het lichaem aftezonderen. Dat laetste uurie is 't beste. Zalig die regt en Christelyk leven en sterven in de liefde Gods[5] en in de eenigheid van de Heilige Katholyke Kerk. Ik

a) moeten *B.* b) tijdelijke *B.* c) *Suppletum ex B.*

[1] Cf. Mt 16, 27; Rom 2, 6; Apc 22, 12 etc.
[2] Ps 77, 24; Sap 16, 20; Io 6, 31 32.
[3] Cf. Mt 6, 20; 19, 21; Mc 10, 21; Lc 12, 33; 1 Tim 6, 19 etc.
[4] Lc 16, 9. [5] Cf. Apc 14, 13.

raede en begeere[a], dat gy en alle de anderen onze broeders en zuster[1] met elkander een vast besluit neemt en dat gy in u testament uwe kinderen en erfgenaemen ernstlyk verbind en aenbeveeld, dat zy, zouden zy in de ongenade Gods niet willen vallen, nooit afwyken van d' eenigheid en gehoorzaemheid van de Heilige Katholyke Kerk. Dat moet gy hun getrouwlyk en met de meeste nadruk opleggen en gebieden; als zy willen uwe lieve en getrouwe kinderen zyn en blyven.

God zy geloofd en gedankt, dat Meester Santen[2] by u geweest is en met vrugt gewerkt heeft in den wyngaerd des Heere[3]. Ik hope, God zal nog eens verder de genade geven, dat gy te Nimwegen een Collegie van de onze opregten en tot nut van veele zielen stigten zult. Twyffele ook daer niet aen. Daer zyn nog veele vroome herten, die dit Godzaelig werk gaerne zullen bevorderen, tot Gods eer en tot welzyn van de gansche stad. Maer ik weet ook wel, dat den boozen vyand allerley middelen zal in 't werk leggen, om zulk een Christelyk werk te beletten, en om te stooten. Maer den wil Gods zal geschieden[4].

Ik bedank u, liefste zuster, dat gy de boeken te Keulen hebt laeten betaelen[5]. hope ook, dat het geld voor uwen zoon te Augsburg schuldig reeds ontfangen is[6]. Doctor Derrik onzen broeder[7] doet u met alle broeders, zusters en vrienden hertelyk groeten. Desgelyks begeere ik, dat gy ze alle met uwe kinderen wilt groeten. God bewaere ons alle aen lichaem en ziel.

Te Inspruck op den eersten dag van Mey 1572.

Uwen oudsten Broeder
Doctor Petrus Canisius.

1793. CANISIUS **P. LEONARDO KESSEL S. J.** rectori collegii coloniensis. Oeniponte 1. Maii 1572.

Ex apographo circa a. 1651 ex autographo, quod Embricae (Emmerich) in collegio Societatis asservabatur, exscripto (cf. *Can.* VI 363). Cod. colon. „I. A 17" f. 2[b]. Primam sententiam ex eodem apogr. posuit *Hansen* l. c. 622[1].

— — Gratulamur successum studiorum in gymnasio vestro, et precamur dominum vt mittat tandem optatum Collegij fundatorem, absoluatque flagrantia desideria sancti et primi Patris nostri M. Petri Fabri in messe Coloniensi per nostros perfecte colenda · commendaui

a) raad u aan en wensch *B.*

[1] De Canisii fratribus sororibusque v. *Can.* V 335—336.

[2] Ioannes Zanthenus (van Santen) S. J. (cf. supra p. 18 26); de rebus ab eo Noviomagi gestis v. *G. A. Meijer* O. Pr., Katholiek Nijmegen I, Nijmegen 1904, 43, et *Van Hoeck* l. c. 41—47.

[3] Is 5, 7; cf. Mt 20, 1—8; Lc 20, 9—16 etc.

[4] Act 21, 14; cf. 1 Mach 3, 60; Mt 6, 10; Lc 22, 42 etc.

[5] Cf. supra p. 18.   [6] Vide *Can.* V 447.

[7] P. Theodoricus Canisius S. J., universitatis collegiique dilingani rector.

Collegium P. Surio. Salutatos cupio fratres in domino, qui Coloniensem vrbem et Ecclesiam spiritualibus bonis augeat. OEniponti Kal. Maij 1572.

Seruus in Christo P. Canisius.

Reuerendo in Christo Patri D. Leonardo Kessel, praeposito eorum [qui] sunt Societatis JESv Coloniae.

Kessel Colonia 27. Maii 1572 P. Natali scripsit: „Studiosorum numerus ultra 500" (*Hansen* l. c. 621). At collegium firmis illis redditibus, qui ipsis Societatis constitutionibus exigebantur, carebat, idque singulariter erat mirum eo, quod Beatus Petrus Faber, primus ex decem illis Sancti Ignatii sociis, iam anno 1544 Societati sedem constituerat Coloniae, quam civitatem ipse plurimum amabat et per Socios iuvari vehementer cupiebat (*Duhr*, Jes. I 10—14; *Can.* I 155—156; Cartas y otros escritos del B. P. *Pedro Fabro* I, Bilbao 1894, 386—397).

1794. P. HIERONYMUS NATALIS vicarius generalis Societatis Iesu CANISIO. Roma 2. Maii 1572.

Ex apographis eiusd. temp.; in marginibus, eadem manu: „Padre Canisio". Germ. 109 f. 66[b] 67[a].

Vitam S. Ignatii mittit.

Questa scriuo per acompagnar un libro che mando alla R. V. della vitta del benedetto nostro padre Ignatio[a] [che si è stampata come V. R. uedera, et per non farli pagar molto porto non mando se non un exemplare, ma con qual che occasione selli mandarano delli altri. . . . Di Roma li 2 di Maggio 1572].

Missa est Canisio cum his litterulis, ut ex ipsis intellegitur, vita Ignatii de Loiola, quam P. Petrus Ribadeneira, unus ex Ignatii praecipuis discipulis maximeque familiaribus sodalibus, iussu S. Francisci Borgiae praepositi generalis a. 1565—1569 Romae composuerat. Quae vita (omnium Ignatii biographiarum, si parvam illam, Vindobonae a. 1556 editam, de qua *Can.* II 31, excipias, prima) curante P. Dionysio Vasquez S. J. a. 1571 Neapoli a Iosepho Cacchio 500 exemplis 75 scutatorum neapolitanorum pretio (ut ex R. P. *Petri Tacchi Venturi* S. J. epistula quadam intellexi) typis exscripta est cum hoc titulo: „Vita Ignatii Loiolae, Societatis Iesu Fundatoris, Libris quinque comprehensa. In quibus initia ipsius Societatis, ad annum usque Domini 1556 · explicantur. Auctore *Petro Ribadeneira* Sacerdote Societatis eiusdem. Neapoli, M·C·LXXII. Cum licentia Superiorum". Editio haec nunc rarissima est.

Canisius Natali respondit 12. Iulii 1572.

1795. GUILIELMUS LINDANUS episcopus ruraemundanus CANISIO. Ruraemunda circa medium m. Maium 1572.

Ex Zantheni litteris autographis. Germ. 153 f. 42[a].

De Societate Noviomagum introducenda.

P. Ioannes Zanthenus S. J. Noviomago 14. Aprilis 1573 Romam ad P. Everardum Mercurianum vicarii generalis S. J. pro Germania et Gallia „assistentem" litteras misit, in quibus haec eum monebat de civitate noviomagensi (quae eo tempore ad episcopatum ruraemundanum pertinebat) et de Guilielmo Damasi Lindano (van der Lindt; de quo

a) etc. ut supra *apogr.; proxime autem hoc apogr. antecedit apographum epistulae ad P. Paulum Hoffaeum provincialem superioris Germaniae datae; ex quo ea, quae sequuntur, suppleri.*

Can. II 71³) episcopo ruraemundano (Roermond, Neerlandiae oppidum): „Scripsit cum anno superiori, tum non ita pridem R. P. Praeposito aut Vicario et V. R. et P. Canisio et mihi de Societate huc introducenda singulis binas literas. Egit ea de re priuato colloquio mecum saepe, et cum Capitulo Neomagensi ter tam voce quam scripto, et cum Senatu nostro per literas commendans institutum mirifice. . . . Est admodum amans Societatis, saepe et lubenter de ea quaerit tam coram quam per literas."

Zanthenus Noviomago 3. Martii 1572 P. Leonardo Kessel rectori collegii coloniensis *scripsit: „Proximo die Mercurij offeretur Senatui a Canisijs, Busaeis aliisque civibus de recipiendis 3 uel quatuor nostris iam pro initio ante Pascha vt minimum" (ex autogr.; Cod. colon. „I. A. 19" f. 18). *Kessel* autem P. Hieronymo Natali vicario generali Colonia 17. Martii 1572 *scripsit: „Progenies Canisiorum quae magna est et celebris, et Busaeorum, instant apud Senatum Nouiomagensem vt Societatem petant. Breui puto Senatum scripturum hac de re ad R. P. nostrum Prouincialem. Quo ad sustentationem, multi multa offerunt" (ex archetypo. Germ. 134 f. 259ᵃ). Exstat adhuc Indiculus plus quam 50 hominum noviomagorum, qui hoc tempore a senatu urbis et a capitulo collegiali S. Stephani, ut duo Societatis sodales in urbem „admitterentur", petierunt; quorum primus est „Prior Dominicanorum"; in reliquorum numero sunt 3 Busaei, „Theodorus Canisius" sen. et „iunior", Gijsbertus Canisius", „Jacobus Canisius" (*H. Allard* S. J., Canisiana V, in „Studiën" XXXIV, Utrecht 1901, 45—46). Neque frustra id petitum est; exstant enim litterae Ruraemunda 14 Maii 1572 a *Lindano* ad senatum noviomagum datae, quibus ille, quae senatus „de evocandis aliquot Societatis D. Iesu viris" decrevit, valde laudat et se eam rem tum Philippo II. regi tum Albano duci commendaturum esse promittit; die autem 15. Mai 1572 Lindanus Ruraemunda ad S. Franciscum Borgiam Societatis praepositum generalem litteras dedit, quibus eum rogabat, permitteret, ut P. Zanthenus cum socio aliquo Noviomagi maneret; utramque epistulam primus vulgavit *Allard* l. c. 45—47. Circa idem igitur tempus Lindanus Canisio (quem dudum noverat; v. *Can.* II 72) scripsisse videtur. Qui cum Canisio fortasse illud quoque desiderium communicavit, cuius mentionem *Zanthenus* fecit Noviomago 10. Iunii 1572 P. Natali *scribens: Noviomagi sunt „omnia pro Societate commodiora quam Ruremundae vbi Episcopus a nobis administrationem Seminarij desiderat" [1]. Idem *Zanthenus* Noviomago 21. Septembris 1572 Natali *scripsit: „Decanus et plaerique alij Societatis studiosi optarent P. Astensem quem Episcopus amat et Capitulum reueretur, aut P. Canisium ad tempus cinerum hic valde vtiliter posse versari (ex autographis. Germ. 134 f. 319ᵇ 425ᵇ). *Hermannus* autem *Thyraeus* S. J. provinciae rhenanae praepositus Moguntia 20. Aprilis 1572 P. Leonardo Kessel S. J. rectori coloniensi *scripsit de Noviomagis: „Literas R. P. Zanteni ad R V remitto, vbi senatus literas scripserit quantum fieri vocatio nostra permittet, conabor eius desiderio facere satis idque lubentissime mecum faciet R P Canisius, forte mercedis loco (cum rebus personisque Societatem promouerit civitas Neomagum) reddet illi Collegium Dominus (ex autogr., Cod. „IX Ba" [I 22] n. 13. Propinqui quoque Petri Canisii in sua diligentia perseverabant; 9. Iunii 1572 *Zanthenus* ad Kesselium *rettulit de bonis viduae cuiusdam iam per litteras publicas in usum traditis Societatis; rei „Executores" esse Canisium „Senatorem" eundemque P. Theodorici Canisii fratrem et „Canisium aedituum" (ex autogr.; Cod. colon. „I. A. 19" f. 56). Plura vide apud *Van Hoeck* l. c. 38—46.

---

[1] Lindanus, qui Noviomagi a. 1569 visitationem pastoralem, quam vocant, habuerat et a. 1570 iterum ibidem fuerat, hoc a. 1572 Ruraemundae synodum habuit dioecesanam (*Io. Knippenbergh*, Historia Ecclesiastica Ducatus Geldriae, Bruxellis 1719, 182—184).

1796. CANISIUS **P. HIERONYMO NATALI** vicario generali Societatis Iesu. Oeniponte 19. Maii 1572.

Ex autographo (2⁰; 1 p.; in p. 4 inscr.). Germ. 183 f. 212^a—213^b.

De novo pontifice, sua contra Centuriatores scriptione, evangeliorum explicatione, iuvene in collegium germanicum admittendo, scriptoribus constituendis, aliis Societatis rebus.

† Pax Christi Jesu nobis aeterna,
Admodum Reuerende Pater.

20 Aprilis datas accepi. Scribam ad Cardinalem Tridentinum [1], uti prudenter suadet R. T. mittamque ei literas per amicum facile.

De morte pont. Pij quinti, et de noui successoris matura electione iam facta cognouimus [2]. Faxit dominus, ut ad Ecclesiae utilitatem omnia in hac Apostolica cathedra conuertantur. De reditu P. N. Generalis [3] in urbem nihil adhuc percepimus, quem optamus diu nobis in domino superesse.

Propediem hic expectamus aduentum P. N. Prouintialis [4], ut ab hoc collegio primam inchoet uisitationem: agam et cum illo de M. Guilhelmo [5], quem rectius alibi quam Augustae collocari posse puto.

Quoniam cessat per Pont. obitum obligatio, quae me [a] ad scribendum contra Centuriatores impulit [6], iudicandum relinquo Patribus meis, an forte sit consultius me supersedere ab hoc labore in posterum, et curare potius alia, quae sunt vocationi meae congruentiora. Habebam prae manibus quae ad beatae uirginis defensionem spectant, sed [b] media forte pars operis tantum absoluta est. Quicquid superioribus uisum erit, non grauatim amplectar, etsi doleam me tot modis ad haec aliaque conficienda imparem et ineptum esse.

Scripsit ad me Plantinus typographus, monetque tum Regis Philippi, tum Hispanorum magnatum quorundam nomine, ut parem fusiorem explicationem capitum doctrinae, quae breuiter indicaui praefigens quaedam summaria lectionibus sacris, quae in templis diebus praesertim sacris proponuntur. Putant hunc laborem Parochis etiam usui fore [7]. Qua de re antea scripsi ad P. N. Generalem, cui uisum est, laborem illum in tempus aliud reijciendum esse [8]. Videat autem

a) *Hoc v. a C. supra versum scriptum est.* b) *Sequitur* ex, *a C. oblitt.*

[1] Ludovicum Madrutium; v. supra p. 29.

[2] S. Pio V. Kalendis Maiis a. 1572 vita functo, 13. Mai electus est pontifex cardinalis Hugo Boncompagnus, qui Gregorius XIII. nuncupatus est.

[3] S. Francisci Borgiae. [4] Pauli Hoffaei. [5] Elderen.

[6] Ea scriptio a Pio V. per Borgiam Canisio iniuncta erat. Qui, ut ex eius verbis cognoscitur, censebat se, ut scriberet, obligatum esse simplici praecepto. In hoc autem leges et praecepta inter se differre docent iuris ecclesiastici periti, quod magistratu vita cedente illae vim retinent, haec (nisi quid aliud plane constituatur) vi destituuntur.

[7] Vide supra p. 30, et quae de „opere postillari" Canisius scripsit *Can.* VI 384—385.

[8] Perisse videntur quae Canisius et Borgias ea de re scripserunt.

quaeso R. T. et adiuuet, ut quod utiliter et pie desideratur, alicui Theologorum e nostris, ubicumque uersetur, conscribendum demandetur. Nec dubito, quin ex ea conscriptione fructum capiet Ecclesia. Doctor Emanuel aptissimus ad eam rem uideretur, et aliquod iam nobis dedit specimen futuri operis in his, quae fratribus ad meditandum praescripsit tempore Quadragesimae[1].

Est bonus studiosus Germanus apud nos, idemque Bauarus ad sacros ordines adspirans, nec imberbis, qui cupit Romam accedere, et se Germanis alijs in collegio Germanico adiungere. Jmpetretur illi quaeso locus, ut ex gratia recipi possit, cum sit ualde modestus, et uere Germanicam sinceritatem exprimat, ut multis iam mensibus didici, quibus eo scriptore sum usus[2]. Expectabo responsum R. T. ut habeam quod respondeam. Optabat ille in autumno iter ingredi, si conditio desiderata quam dixi, apud Rectorem Germanici collegij[3] obtineri queat.

Speramus in lucem breui proditura scripta P. D. Salmeronis, quae in multos tomos excreuisse dicuntur. De scriptoribus in Societate nostra constituendis meminerit quaeso R. T. utinam in Hispania sit imperatum[a] [?] aliquid, ut plures Theologos exteros habeat Germania et Gallia non solum ad praelegendum, sed etiam ad contionandum et scribendum contra haereticos. Pugnant illi contra nos clamoribus, pugnis, et sanguinolentis manibus, ut testatur vtraque de nouis Martyribus historia, sed prior non dum ut optamus, edita[4]. Sic prouocamur ad arma contra insanos hostes sumenda spiritualia, quae spiritu, uirtute et doctrina constant. Ora pro nobis admodum Reuerende Pater, ut in uinea Domini[5] cum maiore fructu uersemur. Oeniponti 19 Maij 1572.

Seruus in Christo P. Canisius.

† Admodum Reuerendo in Christo Patri D. [Hierony]mo Natali, Vicario Ge[nerali Socie]tatis JESv. Romae.

Natalis Canisio respondit 5. Iulii 1572.

1797. P. ALPHONSUS SALMERON S. J. provinciae neapolitanae praepositus CANISIO.

Neapoli inter ineuntem m. Maium et medium m. Iunium 1572.

Ex libro „Epistolae P. *Alphonsi Salmeronis* Societatis Iesu, a Patribus ejusdem Societatis nunc primum editae" Tomus II, Matriti 1907, 311—318; in quem librum hae litterae transcriptae sunt (A) ex operum Salmeronis editione principe, de qua

a) *Sic; volebatne C. scribere:* impetratum? *cf. supra p. 17.*

[1] Hae P. Emmanuelis Saa meditationes exstabant, puto, ipsius manu scriptae vel auditorum calamis exceptae; de eius „Scholiis" et „Notationibus" typis exscriptis v. *Can.* V 2[4].

[2] Balthasar Arnoldt; v. *Can.* VI 625.

[3] Anno 1572 pro P. Ludovico Gagliardo factus est rector P. Sebastianus Romaeus (*Steinhuber* l. c. I[2] 88).

[4] Vide supra p. 30. [5] Is 5, 7; cf. Mt 20, 1—8; Lc 20, 9—16 etc.

infra dicetur, Tom. 16 p. 495—498. Eaedem litterae exstant (B) in „Alfonsi Salmeronis Toletani. . . . Disputationum in Epistolas Canonicas, et Apocalypsim Tomo quarto, . . . in ordine autem Tom. XVI.", Coloniae Agrippinae 1615, 388—390. Epistulae partes aliquas gallice versas posuit *L. Michel* S. J., Vie du Bienheureux Pierre Canisius, Société de Saint-Augustin, Lille 1897, 368; item epistulae partem hispanice reddidit *Ram. Garcia* S. J., Vida del Beato Pedro Canisio, Madrid 1865, 281; complura ex iisdem litteris germanice protulit *Flor. Riess* S. J., Der selige Petrus Canisius, Freiburg i. Br. 1865, 531—532.

Praefatio editoris: Alphonsus Salmeron (de quo *Can.* I 246 [3]) ab a. 1569, ut S. Francisci Borgiae praepositi generalis et multorum amicorum adhortationibus et petitionibus satisfaceret, Neapoli scripta sua, inprimis interpretationes Novi Testamenti, quas in praecipuis Italiae urbibus magna cum laude e sacro suggestu protulerat, prelo parabat (Epistolae *Salmeronis* II xxvi). Quare, cum 13. Februarii 1585 Neapoli diem supremum obiret, plurimos reliquit commentarios biblicos, eosque, ut P. *Bartholomaeus Pérez de Nueros* S. J. intima consuetudine ei iunctus epistula 20. Februarii 1585 data testatus est, ita absolutos et perpolitos, ut statim typis exscribi possent, „sin que de su parte tuviesse que reveer" (l. c. II 819).

Praeterea Salmeron, ut P. *Franciscus Foliani* S. J. eius librarius sive amanuensis, quem vocamus, 16. Februarii 1585 ad Claudium Aquavivam praepositum generalem rettulit, reliquit „vn libro di lettere dottissime · che scrisse a diuersi, sopra varii dubii della scrittura" etc. (l. c. 810). Itaque prima operum Salmeronis editio curantibus P. Pérez, quem dixi, et Fr. Christophoro Lopez S. J. facta est a. 1597—1602 Matriti tomis 16, et in ultimo tomo litteris illis „doctissimis" adiuncta est epistula, quae infra ponetur (*Sommervogel* l. c. VII 479—480; Epistolae *Salmeronis* I xxv—xxvii; *I. Eug. de Uriarte* S. J., Catálogo razonado de Obras anónimas y seudónimas de Autores de la Compañía de Jesús pertenecientes á la antigua Asistencia Española II, Madrid 1904, 505—508. 532). Hanc epistulam ad Canisium esse datam ex ipsa facile patet. Canisium Salmeron non solum absens ex eius libris et ex epistulis ab eo sibi missis (cf. *Can.* III 214—433), sed etiam praesens noverat; nam illi ambo a. 1547 concilio tridentino interfuere theologi et a. 1549—1550 in universitate ingolstadiensi theologiam tradiderunt (*Can.* I 246 250, 681—697); postea compluriens Romae inter se congressi sunt, velut a. 1558 et 1565. Quamquam autem epistulae Salmeronis tempus ascriptum non est, hoc vel obiter eam legentibus liquet: Scripta est aliquantulo tempore postquam Canisius „Librum de Corruptelis Verbi Dei" primum sive de S. Ioanne Baptista in lucem emiserat; quem autumno anni 1571 in Germania editum esse constat (*Can.* VI 712). Neque vero post m. Aprilem anni 1573 Salmeron scripsit; eo enim tempore cum Canisio erat Romae in congregatione generali Societatis (v. infra, monum. 1132): ubi cum eo fere omnia illa tractare poterat verbis, quae his tractat litteris. Ne post mensem quidem Iunium a. 1572 scripsit; nam in epistula queritur: „Quae [in Gallia et Germania] haereses potissimum serpant, qui libri in vulgus seducendum spargantur, [in Italia] nemo novit; . . . quanta difficultate legendi haereticorum libros facultas [in Italia] impetretur, etiam ab eis, qui cum Christi gloria et Ecclesiae fructu illos legere possunt, ambigere non vales"; haec certe in S. Pii V. tempora cadunt; tunc enim Romae ne praelatis quidem ea facultas concedebatur (*Can.* V 315; cf. V 222), atque etiam ipsum Salmeronem frustra eam a Pio petisse conici potest ex aliquot epistulis eius (Epp. *Salmeronis* II 191 283); verum Pio m. Maio 1572 vita functo, Gregorius XIII. iam proximo mense „benignamente" Salmeroni eam facultatem tribuit; de qua re cardinales inquisitores 12. Iunii 1572 litteras dederunt (l. c. II 282—285). Deinde hoc notari debet: Salmeron hac epistula respondet, ut ipse ait, ad litteras Canisii 8. Octobris datas et paulo ante 25. Decembris sibi traditas, in quibus Canisius ipsum urgebat, ut commentarios de sacra Scriptura absolveret et in lucem emitteret; hoc autem desiderio Canisii animus occupabatur m. Octobri anni 1571; nam 10. Octobris 1571 P. Hieronymo Natali Societatis vicario generali ille scripsit: „P. Salmeronem audio in opere suo egregios progressus facere,

quod periucundum est nobis, qui non dubitamus illum praeclara scripturum" etc. (*Can.* VI 481); ita, inquam, Octobri 1571; neque vero in litteris Canisii 15. Octobris 1572 ad eundem Natalem datis (infra, ep. 1821) quicquam tale reperitur; unde dicendum est, 8. Octobris 1571 Canisium scripsisse Salmeroni; cuius responsum ille 19. Maii 1572 nondum habuisse videtur; eo enim die Natali scripsit: „Speramus in lucem breui proditura scripta P. D. Salmeronis, quae in multos tomos excreuisse dicuntur" (infra, ep. 1796). Quare Salmeronem inter ineuntem Maium et medium Iunium has litteras dedisse censeo.

Canisium eiusque de S. Ioanne Baptista librum laudat. Ei de B. Maria Virgine scribenti gratulatur et calcaria adhibet. De S. Ildephonso sacra veste ab eadem donato. Canisium verum esse Germanum. Cur Itali contra protestantes scribere nequeant. De suis in scribendo difficultatibus.

Admodum reuerende et charissime Pater.

Si serius, quam par est et studium atque obseruantia erga te mea postulat, tibi respondere videor, id mihi adscribendum non esse, vel ex eo facile intelligere potes, quod literae tuae octauo Octobris die conscriptae, nonnisi appetente iam Natalis Domini festo, magna tabellariorum negligentia, mihi redditae sunt; in quibus sanê, ne quicquam dissimulem, plurima sunt, quae me maiorem in modum oblectarunt. Nam, vt illa praetermittam, quae nonnihil animum meum offendere posse non ignorabas, quod videlicet ab initio literarum tuarum, celata nonnihil arte, in mearum laudum praeconia excurreris ac profusis eloquentiae tuae viribus (quae neque profecto vulgaris est, nec prudentia, aut modestia Christiana destituta) in me exornando vsus fueris, eaque mihi tribuere volueris, quae nonnisi maximis, et clarissimis viris, doctrinaeque arcem tenentibus concedi solent: ista tamen omnia nobis deuoranda, ac boni consulenda esse ob eam potissimum causam duximus, quod videlicet a Patre Canisio, id est, a viro candidissimi ac syncerissimi pectoris essent profecta. Fortassis etiam eo tuus spectauit animus, vt non tam qualis ego reipsa essem; sed qualem me per aetatem ac studiorum meorum rationem esse oporteret, describeres: aut illud cogitabas, virtutem laudatam crescere; et ita me ampliores progressus facturum tibi pollicebaris. Adde, quod his laudibus veluti quibusdam calcaribus promptum tibi fuerit eo respicere, vt[a] me ad operis coepti, quod prae manibus habeo, molitionem, perfectionemque tacitis ac modestis incitares vocibus, atque inflammares. Sed vtcunque haec se habeant, omnia tuae epistolae verba officii, beneuolentiae, singularisque tui erga me amoris certissima sunt argumenta, nec in his quicquam est ab ingenii tui candore, lenitate, atque modestia alienum; vt omnes proinde rationes quouis modo tibi iure succensendi, mihi visus fueris amputasse.

In tuum illum, „De corruptelis verbi Dei", librum, quem, cum prius tibi literas darem nondum attigeram; tandem mihi inuestiganti incidere contigit; quem magna cum animi mei voluptate ad calcem vsque perlegi, et si quid est in me iudicii (quod sentio quam sit exi-

a) *Hoc v. deest in B.*

guum) aliud profecto mihi nihil spirare videtur, quam meum Petrum Canisium, id est, singularem et miram pietatem, reconditam eruditionem, Patrum diligentem lectionem, spectabiles cum haereticis congressiones, germanam et orthodoxam verborum Dei interpretationem: quae omnia ita tu eleganti stylo, perspicua atque polita oratione persequeris, lectores vt moreris, afficias, mirificeque oblectare videaris. Et vt ingenue, quid sentio [?][a], fatear, cum hactenus multorum Catholicorum non contemnendae elucubrationes contra Centuriatores in lucem prodierint[1]; nullae meo iudicio, tuis, aut iucundiores, aut vtiliores, aut, quod maximum est, nullae ad aduersariis persuadendum magis appositae, atque accommodatae hactenus extitisse visae sint. Tam blanda enim dictione illorum plagas contrectas, molliaque adhibes medicamenta, ab omnique conuitii specie, et asperiori verbo ita abstines, plane vt docere magis praeteferas, quam reuincere, sanareque potius, quam vulnera refricare videaris. Cum enim Ioannem Baptistam tuendum susceperis, ita eius virtutes detegis, detectas commendas, et commendatas lectorum cordibus infigis, vna vt opera, et Ioannem in coelum vsque efferas, et haereticum conficias, et verbum Dei a praua, et detorta Nouatorum intelligentia vindices, et ad amplectenda virtutum officia, cultu sermonis, perspicuitate, atque breuitate Lectorem cohortari coneris. Multa sane te beato Ioanni Baptistae propterea debere intelligo, qui tibi talem (vt mihi pium est credere) inspirauit scribendi rationem: quo bene fauente, tam gratam Deo, et Ecclesiae eius salutarem operam impendisti.

Sed iam maiora moliris, et pro beatae Deiparae gloria calamo decertare fortiter contendis, et gloriose. Macte virtute esto, et macte ingentibus ausis[2]. Spem magnam concipio, qua interim quodammodo lactor[b], et exulto, te, qui priori libro caeteros omnes vicisti; hoc posteriori facile teipsum superaturum. Nam si pro Christi seruo, etsi magno, tam feliciter dimicare tibi datum est: quid pro eius sanctissima, atque integerrima Genitrice, quae sua salutatione Ioannem in vtero sanctificauit, et prae gaudio exilire fecit[3], te non producturum sperare, ac polliceri debeamus? Nec enim illa pudicissima Iesu Christi mater, nostrique omnium pientissima parens, tibi eam deprecanti, atque

a) *Corrigendumne:* quid sentiam *vel* quod sentio? b) *Sic B, idque, puto, recte;* laetor *A.*

---

[1] Conradi Bruni „Admonitio catholica", Guilielmi Eisengrein „Catologus testium veritatis" et „Centenarius", Onuphrii Panvinii „Historia B. Platinae de vitis Pontificum" et „Chronicon Ecclesiasticum", Nicolai Harpsfeldii „Dialogi" ub Alano Copo editi, Francisci Turriani „De Hierarchicis Ordinationibus"; de quibus libris multa dicta sunt in huius operis voluminibus superioribus.

[2] „Macte virtute esto": *L. Annaeus Seneca,* Epistolae morales, ep. 66, n. 50; „Invida fata piis et fors ingentibus ausis Rara comes": *P. Papinius Statius,* Thebais l. 10 v. 384—385; „Sed tibi nunc quae digna tuis ingentibus ausis Ora feram . . .?: *C. Valerius Flaccus,* Argonauticon l. 2, v. 242—243.

[3] Cf. Lc 1, 39—45.

viriliter propugnanti, cui peculiari pietate es affectus, deesse poterit: quae omnibus fidelibus, etiam de se minime cogitantibus, se solet propitiam aduocatam, protectricemque praestare? Certe quanto acriori in proelio cum hostibus versaris, ac pro ampliori re inis certamen, et contemptius Haeretici, atque abiectius de Diua Virgine, vel sentiunt, vel praedicant, vel scribunt, tanto tu praesentiorem eius opem, et patrocinium experieris, quo eam ab omnibus contumeliosis Haereticorum cogitationibus vindices, eiusque dignitatem, gloriam, illustres denique, atque splendidos titulos in lucem eruas, atque tueare. Ingens, crede mihi, exinde meritis tuis fiet accessio, magnumque propterea ex tam glorioso certamine laudum cumulum reportabis.

Quod si veteres Patres, qui simpliciter pro virginitate inter fideles seruanda laborarunt, tantam sunt laudem apud posteros consecuti, eorumque scripta, tanta cum autorum gloria lectitantur[1]: quos putas edituros fructus, et promerituros laudum titulos, et triumphos, qui non tantum pro Genitricis Dei virginitate, sed etiam pro aliis eius amplissimis dotibus, et plane diuinis muneribus dimicant? Beatus Ildephonsus, Ecclesiae Toletanae Antistes, cum pro tuenda Diuae Mariae virginitate, contra quosdam sui temporis haereticos librum edidisset[2], hoc ille dignum suorum laborum praemium consecutus est, vt Beata Deipara magno Angelorum comitatu stipata, illi apparuisse feratur: et sacra veste, quae in Missae mysterio peragendo reliquis omnibus de more superponi solet, illum induisse[3]: quae vestis in ho-

---

[1] S. Ambrosii „De virginibus" et „De virginitate", S. Augustini „De sancta virginitate", S. Hieronymi „Adversus Iovinianum". Scripsere praeterea Ambrosius „De institutione virginis et. S. Mariae virginitate perpetua" et Hieronymus „De perpetua virginitate B. Mariae" (adversus Helvidium).

[2] S. Ildephonsus († 667) archiepiscopus toletanus composuit librum „De virginitate perpetua Sanctae Mariae adversus tres infideles" (Iovinianum, Helvidium, Iudaeum); v. *Migne,* P. lat XCVI, 51—110.

[3] In brevi quidem Ildephonsi vita a *Iuliano* († 690), qui post eum archiepiscopus toletanus fuit, scripta de casula illa sive planeta nihil dicitur; *Cixila* autem archiepiscopus toletanus († cã 783) narrat, B. Mariam virginem nocte quadam in templo cathedrali cum plurimis virginibus Ildephonso visam esse, sedentem in sede episcoporum, eique haec, praeter alia, dixisse: „Accipe munusculum de manu mea, quod de thesauro Filij mei tibi attuli: sic enim tibi opus est, vt benedictione tegminis, quae tibi danda est, in meo tantum die vtaris" etc.; haec Ildephonsum ipsum „sibi consciis et bene carissimis rettulisse"; deinde *Rodericus Cerratensis* O. Pr. in Ildephonsi vita saeculo XIII. scripta narrat, B. Virginem „vestimentum quod nos Albam vocamus", ei reliquisse, idque postea „in thesauro ecclesiae" repositum esse (*Migne* l. c. 43—50; *Acta Sanctorum,* Ianuarii Tomus II, Antverpiae 1643, 537; *Enr. Florez* O. S. Aug, España sagrada V³, Madrid 1859, 263—266 488—490). Nunc quoque in *Martyrologio Romano* legitur (23. Ianuarii) de S. Ildephonso: A Dei Genitrice „candidissima veste donatus est" (Editio typica Vaticana, in 8°, Romae 1913, 24—25). Caeterum doctissimus ille *Ioannes Mabillonius* O. S. B. testatur, „Albam absolute quandoque vocatam esse Casulam illam, quod ex panno albo confecta esset"; v. *P. B. Gams* O. S. B., Die Kirchengeschichte von Spanien II², Regensburg 1874, 248—249.

diernum vsque[a] diem magna religione in Templo Ouetensi asseruatur[1]. Vides in hoc exemplo quam mercedem tuis elucubrationibus polliceri possis. Donantur enim immortalitate libri pro Virginis matris gloria conscripti: igni exuruntur Haereticorum opera, si quae forsitan contra illos prodierint: tu vero illud poteris de tuo melius dicere, quod iactabundus quidam Poëta[2] de suo cecinit opere:

Iamque opus exegi, quod nec Iouis ira, nec ignis,
Nec poterit ferrum nec edax abolere vetustas.

Gratissimum, crede mihi, et commendatum reddes, et Matri et Filio tuum Sacerdotium; suscipiet de manu tua, quas illi obtuleris in sancto Altari hostias, tuumque proinde nomen, vel nolens, et inuitus immortalitati consecrabis. Est enim honestissimum, laudisque et gloriae plenum munus, illos propugnare, qui nos propugnant; illorum patrocinium sumere, qui semper nobis patrocinantur; eorum iustissimam causam apud homines agere, qui nostram plerumque minus iustam (tantum illi gratia valent) apud Deum agunt. Denique vt Euangelice loquar, illos confiteri coram hominibus, qui volunt, et possunt in postremo illo et contremiscendo iudicio nos confiteri coram Angelis Dei[3].

Quare non erat, cur apud me, te tantopere abiiceres, et hominem crassum, rudem, tardum, denique Germanum, et humi reptantem appellares; res enim ipsa aliud longe indicat; te videlicet acutum virum esse, acrem, promptum, et coelestia diuinaque mysteria penetrantem: nec tamen per Tapinosis figuram Rhetoribus notam, te loqui, quam per summam animi tui submissionem, Christianamque modestiam: in qua nihil est fictum, nihil callidum, nihil fucatum. Agnosco te praeterea verum Germanum, probeque germanizantem, siue illa vox Latina sit a Germano, quo caeteros quasi fratres complectuntur amore, siue propria illa, ac gentilitia, et a vestris maioribus excogitata, atque vsurpata vos ipsos compellandi ratio existat, vt admonuit Tacitus[4]: nam vel sic, quid est Germanus, nisi integer, siue totus homo, hoc est, integra humanitate praeditus, siue omnimoda fortitudine cumulatus, in qua nihil est debile, aut infirmum, nihil puerile aut muliebre: vnde quo magis te deprimere conaris, eo te altiorem, ac proinde commendabiliorem cunctis efficis; qui de te tam submisse sentias, tam

a) *In B perperam sequitur* ad.

[1] Ovetum, Oviedo, Asturiae urbs episcopalis; in thesauro cathedralis illius ecclesiae haec vestis olim quidem asservabatur, nunc vero desideratur (Epistolae *Salmeronis* II 314[b]).

[2] *Ovidius,* Metamorphoseon l. 15 v. 871 872. [3] Lc 12, 8.

[4] „Quidam . . . adfirmant . . . Germaniae vocabulum recens et nuper additum, quoniam qui primi Rhenum transgressi Gallos expulerint ac nunc Tungri, tunc Germani vocati sint. Ita nationis nomen in [*alii:* non] nomen gentis evaluisse paulatim, ut omnes primum a victore ob metum, mox etiam a seipsis invento nomine Germani vocarentur“: *Tacitus,* Germania c. 2.

modeste loquaris, teque in oculis tuis extenues, prorsusque vilipendas. Benedictus Deus, qui te, pro sua incomparabili bonitate, et Beatae Deiparae, et magni Domini praecursoris rara quadam et admirabili humilitate praestantium, imitatorem prius reddidit, quam eorum verbo et oratione propugnatorem.

Postremo videris me impellere ad excitandos eos, qui ex nostris fratribus, vel dicendi stylo valent, vel doctrinae opibus florent, vt arma pro Dei Ecclesia in Gallia et Germania vehementer laborante capiant, calamoque districto contra tot saeuientes haeresum pestes dimicent. Quod sane consilium zelo gloriae Christi, atque eius doctrinae vindicandae a te praestitum esse non dubito. Verum non ignoras, vir prudentissime, quanta sit inter nos et illos locorum intercapedo, vt quae apud illos gerantur, vix nostri cognoscere possint, aut serius quam opus esset, et opportuna pugnandi ratio postularet: quae haereses potissimum serpant, quae sectariorum opiniones regnent, qui libri in vulgus seducendum spargantur, nemo nouit. His enim, aut prorsus ignoratis, aut tardius cognitis atque perspectis, quid solidum, aut quid egregium et laudabile scribi possit, tibi cogitandum relinquo. A paucis retro annis, quam arctis legibus in Italia viuamus, ignorare non potes: quam difficilis haereticorum aditus in has Prouintias existat; quam interdicta nouorum librorum in eas importatio; quanta difficultate legendi haereticorum libros facultas impetretur, etiam ab eis, qui cum Christi gloria et Ecclesiae fructu illos legere possunt, ambigere non vales [1]. In causa igitur haec esse possunt, vt paucissimi existant, qui eius rei solicitudine et cura tangantur; et in id magis studiosi omnes propendent, quod legibus quodammodo caueri et non [a] vetari perspiciunt. Quo fit vt paucos Italia haeresum expugnatores habeat. Vt autem ad fortem militem spectat, dum in acie versatur, manus cum hoste conserere, illique minime parcere, sed caesim et punctim dimicare: ita ad eum extra aciem positum pertinet otiosum esse, et quae pacis sunt tantum meditari, consectarique. Vos igitur, qui in Germania, id est, in omnium haeresum colluuione agitis, in acie positi estis, hostes ceruicibus vestris impendent, vestrum est impigre decertare, et nouas quotidie pugnas suscipere, et superbum et ferocientem haereticum, et instar Goliath ad pugnam prouocantem, mucrone suo, hoc est, verbo Dei, quod ab illo pro tuenda sua falsa opinione producitur, eum confodere atque iugulare [2]. Nostrum vero est, qui in pace degimus, Catholicos in auita fide, et Patrum doctrina conseruare, et vobis belligerantibus fausta omnia atque prospera comprecari, quo victoria parta, solidum triumphum de domitis hostibus, et de Christo pastori recuperatis ouibus agere possitis.

a) *In A hoc v. perperam est omissum.*

---

[1] Vide supra p. 39. [2] Cf. 1 Rg 17, 8—10 51.

Non desunt tamen in Italia quidam, quos Deus peculiariter ad hoc munus scribendi contra haereticos euocauit, etiamsi illi ex nostris non sint: certe inter fratres Franciscus Turrianus (vt optime nosti) veteranus miles, numquam cessat aut dormit, noua in dies opera meditatur [1]. Ego vero, vt ingenue loquar, nouus tyro adhuc existo, ad hanc scribendi prouintiam (quae excelsa plane est, atque ardua, ac proinde perpaucorum) nonnisi vt serus hospes, ac peregrinus accessi; quam exiguum in illa praestare valeam, quantumcunque tu mihi blandiaris, et, pro tua in me pietate, lumina, praesidia, et ornamenta nescio quae mihi tribuas, ipsa experientia, cum calamum ad scribendum arripio, aperte edoceor: quicquid tamen ego in oculis tuis aut meis sim, in me recipio laborem vllum me non recusaturum, quoad postremam manum nostro operi imposuero (quod plane incultum est, impolitum, et rudis instar materiae, informe) vt tibi, efflagitanti, et tam anxie exigenti, et peramanter me excitanti, morem geram. In te enim promerendo, amando, atque etiam colendo, profecto cedo nemini. Illud vnum te admonitum volo, nostra haec scripta tam multa esse et tam rudia, vt non breui aliquo temporis interuallo, neque leui aliqua opera, sed seria et graui, ac veluti vrsorum more foetum lambentium [2], indigere videantur [a].

Quamobrem a te magnopere contendendum esse existimaui, vt huius rei melius, faciliusque praestandae gratia, vota tua atque pias preces, et eorum, qui tecum sunt fratrum ac patrum, pro tua erga me charitate, apud Deum interponere minime graueris: spero enim, quod expeto, facile hac ratione a Deo me consecuturum, ac te, tua sponte in hoc satis propensum, benigne meis postulatis assensurum. Bene vale, charissime pater; meque, si molestum non erit, certiorem reddas, an opus, quod de tuenda Virgine conscribis, ad vmbilicum perduxeris, et quando putas [b] [?] illud in lucem proditurum. Caue autem, ne posthac patiaris, me tanto tempore tuorum, quos edis, librorum lectione et fructu priuari: sed vbi primum editi fuerint, cura, vt ad Vrbem vnum aut alterum exemplum nostris mittatur impensis; nam inde facili negotio ad me, vbicunque ego fuero, statim transmittetur.

Desiderio, quod postremis huius epistulae verbis significatur, Canisius ex parte saltem satisfecit; cum enim a. 1577 librum de Maria Virgine in lucem edidisset, a. 1578 eiusdem exemplum Salmeroni mittendum curavit; v. infra, ep. n. 2015.

a) videatur *A B.* b) *Ita quidem A B; sed corrigendum esse videtur:* putes.

---

[1] De hoc v. *Can.* VI 31.

[2] Ursi pariunt „plurimum quinos. Hi sunt candida informisque caro, paulo muribus maior, sine oculis, sine pilo; ungues tantum prominent; hanc lambendo paulatim figurant“: *C. Plinii Secundi* Historia naturalis l. 8, n. 54. Lambunt certe ursi pullos (id quod alia quoque animalia faciunt), nec tamen eos lambunt, ut „figurent“, sed ut tergeant purgentque; et caeci quidem illi nascuntur, neque vero „informis caro“ sunt.

1798. CANISIUS **P. THEODORICO CANISIO S. J.**, rectori collegii dilingani.

Oeniponte inter ineuntem Maium et medium fere Augustum 1572.

Rogatu Wendelinae vom Triest sororis ipsorum aliqua ad eam pertinentia cum ipso communicat; v. infra, ep. 1811.

1799. CANISIUS cardinali **OTTONI TRUCHSESS** episcopo augustano et praenestino etc., Romae degenti. Oeniponte 23. Maii 1572.

Ex literarum Canisii ad Truchsessium apographo, anno 1896 a D. Vincentio Nardoni exscripto ex apographo antiquo (eodem illo tempore scripto), quod exstat Romae in bibliotheca vaticana, Cod. Reg. lat. 2023 f. 71, eadem manu antiqua sic inscriptum: „1572 · Ex litteris Petri Canisij Oeniponti 23 Maij", et ex autographa Canisii ad Natalem epistula, quae est in Germ. 183 n. 262. Apographo vaticano usus est *Ch. Dejob,* Marc-Antoine Muret, Paris 1881, 477. Eiusdem brevem summam posuit *J. A. Orbaan,* Bescheiden in Italië omtrent Nederlandsche Kunstenaars en Geleerden. 1. Deel. Rome. Vaticaansche Bibliotheek, 's Gravenhage 1911, nr. 197.

Antiquitatis testimonia missa et mittenda. Collegii germanici dotatio.

— — Ter accepi scripta illa, quae mitti ad me uoluit Illustrissimus D. Cardinalis Sirletus [1], digna certe illa humanitate et iudicio summo mittentis, et ad meum quidem institutum non parum accommodata [2]. Ingentes igitur ago gratias de hoc multiplici munere, quo me indignum prosequi non dedignatur, et oro reuerenter, ut e suis uasis diues patronus plus generosi uini proferat, meamque sitim expleat, quam nunc solito magis excitauit, cum istiusmodi gustum dedit. Ago et amplitudini tuae gratias, quae tum procurando, tum mittendo suam mihi operam praebet, ac etiam porro praebitura est, ut plane confido. — —

Dubitari vix potest, quin ad hanc Canisii epistulam ea quoque pertineant, quae ipse in litteris Oeniponte 13. Iulii 1572 ad Natalem Societatis vicarium generalem datis significat, cum sic scribit: „Rogaui Reuerendissimum D. Cardin. Augustanum, ut Pont. Max. commendet causam dotandi et fundandi collegij Germanici, ut rem cum titulo coniunctam habeat hoc pium, et ad Germaniam iuuandam cumprimis necessarium institutum.

Iosephus Schmid hanc epistulam ad cardinalem Stanislaum Hosium datam esse affirmat (Historisches Jahrbuch. Im Auftrage der Görres-Gesellschaft. XVII, München 1896, 88); sed si quis ea, quae dicta sunt supra (p. 2—3), expenderit, iam dubitare non poterit, quin cardinali Truchsessio Canisius scripserit. Ille autem litterarum caput illud, quod de Sirleto erat, suo mandatu descriptum ad eundem Sirletum misit.

1800. CANISIUS cardinali **LUDOVICO MADRUTIO** episcopo tridentino. Oeniponte m. Maio exeunte 1572.

Vide supra p. 37.

[1] Fortasse eadem scripta — quae erant antiquitatis testimonia ex codicibus exscripta; v. supra p. 2 — tribus diversis viis missa erant; ita certe, quia itinera erant infesta, scripta magni momenti ea aetate nonnunquam mittebantur.

[2] Canisius contra Centuriatores et de Beata Maria virgine scribebat et de S. Petro scribere volebat.

1801. P. PETRUS RIBADENEIRA S. J. CANISIO.

Roma m. Maio vel Iunio 1572.

Ex eo quaerit, quid de „Historia ignatiana" a se scripta sentiat. Plura vide infra, ep. 1805.

Ribadeneira hoc tempore P. Natalis vicarii generalis „assistentem" pro Hispania et Lusitania egisse videtur (*J.-M. Prat* S. J., Histoire du Père Ribadeneyra, Paris 1862, 210). *Natalis* Roma 29. Maii 1572 Hoffaeo Germaniae superioris provinciali *scripsit: „Gli mando anchora tre essemplari della vita del benedetto nostro padre, accio li faci V. R. legger in Reffettorij per li Collegij" (ex apogr. eiusd. temp.; Germ. 71 f. 70b). P. *Antonius Remirus* S. J., cum Neapoli 5. Maii 1572 primum libri exemplum in Hispaniam ad P. Antonium Araoz S. J. mitteret, de eo eidem scripsit: „Ay un orden de nuestro Padre que, á qualquiera parte que se embiare, se auise que no se muestre á ninguno de fuera de la Compañía hasta que su paternidad dé otro orden: quiçá querrá que primero, uisto por toda la Compañía, se auise lo que le falta ó sobra, para que se pueda remediar antes que se publique" (*Monumenta Ignatiana.* Ser. IV, T. 1, Matriti 1904, 712—713). Laudes a Canisio libro illi tributas v. infra, ep. 1805; postea tamen ille aliqua in eo reprehendit et auctori aliquot misit emendationes; v. infra, ep. 1912.

1802. CANISIUS **P. IOANNI RETHIO S. J.** regenti gymnasii Trium Coronarum coloniensis.

Oeniponte inter m. Maium et ineuntem Iul. 1572.

Ex commentario epistulae Rethii, ipsius manu scripto. Cod. colon. „Un. 602" Epp. f. 42.

Rethius Colonia 15. Iulii 1572 Lovanium ad P. „Ioannem Vilhelminum Harlemium" (v. supra p. 19) epistulam misit, in qua haec sunt: „Scire cupiebas, R. Pater, an in publicum exitura esset Doctorum ecclesiae confessio, quam R. Pater Hieronymus Torrensis promiserat. De ea scripseram ad R. D. Petrum Canisium, qui ad hunc modum respondet, Dormiuit hactenus, et dormit adhuc promissa illa Doctorum Quadriga[1], sed breui concludetur aliquid certi de illa, ut spero, absolvenda.

Ceterum vide litteras 16. Iulii 1572 datas, quibus Rethius Canisio respondit.

1803. CANISIUS **P. NICOLAO LANOIO S. J.** collegii ingolstadiensis superintendenti.

Oeniponte m. Iunio vel Iulio 1572.

Ex Lanoii epistula autographa. Germ. 134 f. 200a.

P. Nicolaus Lanoius S. J. (cf. Can. VI 494) Monachio 14 Augusti 1572 P. Hieronymo Natali vicario generali S. J. scripsit: „Cum superiori mense cum P. Martino Steuordiano apud Straubingenses adhuc diuersarer, ad me scripsit OEniponto Pater Canisius de vita Patris nostri Ferrariae decumbentis etiam ab ipsis medicis esse quodammodo proclamatum."

---

[1] Eo libro singulae doctrinae catholicae a protestantibus reiectae proponendae erant ipsis quattuor magnorum ecclesiae doctorum occidentalium (SS. Ambrosii, Hieronymi, Augustini, Gregorii Magni) verbis ex eorum operibus exscriptis; cf. *Can.* VI 737.

S. Franciscus Borgias, ex legatione pontificia Romam rediens (v. supra p. 29), Ferrariae ab ineunte m. Maio usque ad initium m. Septembris febri detinebatur (Sanctus *Franciscus Borgia*, Tom. V., Matriti 1911, 692—709; *Pierre Suau* l. c. 248—249). De Straubinga autem (Straubing, Bavariae inferioris oppidum) *Hoffaeus* provincialis Natali Augusta 3. Maii 1572 *scripsit: Se ab Alberto V. Bavariae duce rogatum, ut, cum Dr. Ionas Adler parochus straubingensis ad 2—3 menses urbe excedere vellet, contionatorem cum socio eo mitteret, id praestandum esse censuisse, ne dux aegrotans vel Eckius eius cancellarius, cui Adler ille „affinis“ esset, offenderetur (ex autogr.; Germ. 134 f. 215a).

1804. P. HIERONYMUS NATALIS vicarius generalis Societatis Iesu CANISIO. Roma 5. Iulii 1572.

Ex apographo eiusd. temp.; in margine, eadem manu: „P. Canisio“. Germ. 71 f. 83a.

Surius canonicus. Haud ita facile commendandi, qui Romam petunt. P. Hermanutius Ferrariae manebit. Visitator. Borgiae valetudo. Canisius scribere pergat, moderate tamen. Postilla. Scriptor. Nova.

Doi lettere credo habbiamo della R. V. l' una di 19. d' Aprile, l' altra di 19. di Maggio, alle quali si fa con questa risposta.

Jl Nepote di Surio[1], che uenne con la lettera di raccomandatione della R. V. al Cardinale d' Augusta è pur tuttauia nella sua famiglia con grauezza del Cardinale[2] per il che non basta, che habbi auisato il suo zio, che non mandi altro in questo modo, ma che anco siano gl' altri auisati, che in simili casi, si gouernino piu sagiamente, e quando V. R. scriuerà lettere di raccommandatione, o sarà ricercato per quelle, auuerta quel che promette, ò la speranza che da a quelli che 'l suo fauore ricercano, perche non sempre possono riuscire le tali promesse, come si desidera, etiam che alias fossero conueneuoli, o, non hanno 'l suo fine senza grauezza di quelli, a chi si raccommandano, e questo solo si scriue alla R. V. per auiso.

Del P. Lorenzo[3] non essendo hor tempo di trattare il remouerlo di Ferrara per buoni rispetti, s' aspettarà altro piu conueneuole, et il Visitatore, come N. Padre[4] sarà arriuato con sanita à Roma, che speramo con la Diuina gratia sarà presto per le migliori nuoue, ch' alla giornata riceuiamo procurarò si mandi, come V. R. dice etiam per aiutare il Prouinciale[5] nelle sue difficoltà.

Della mutatione del P. Guglielmo[6] s' è gia scritto per il passato al P. Prouinciale co 'l quale di cio V. R. potrà trattare.

Attenda pur Padre consolatamente a seguitar l' opera cominciata contra le Centurie gia che quel che fin' hora è fatto per la gratia del Signore ha hauuto felice successo, e non pensi esser liberato come scriue con la morte di Pio V^to di felice ricordatione ne esser trauaglio

[1] Laurentius Surius; v. supra p. 22.
[2] Cardinalis Truchsess in angustiis pecuniariis versabatur; cf. *Can.* V 31 74 386; VI 413 etc.
[3] Hermanutio; v. supra p. 27. [4] S. Franciscus Borgias.
[5] P. Paulum Hoffaeum. [6] Elderen.

alieno di nostra uocatione[1]. non però s' intende habbi con questa fatica a riceuer nocumento alla sanità, della qual desideramo habbi buona cura per seruitio del Signore et di quel che ricerca 'l Plantino non accade, che pigli solicitudine, ma piu presto attenda al suo ufficio e di cio si potrà un' altro tempo uedere quel che conuerrà farsi.

Nel Collegio Germanico adesso non ce luogo uacuo per quel Thedesco suo scrittore[2], ma potria esser, che al Settembre ci fosse, et all' hora sarà auisato, pur che sia tanto inanzi nelle lettere, che possi in quel Collegio esser aiutato. Le nuoue *etc.* Di Roma li 5. di Luglio 1572.

Ex postremis huius apographi verbis cognoscitur, in extrema epistulae parte cum Canisio nova quaedam communicata esse, quae, cum aliis registri locis iam essent posita, librarius hic iterum scribere nolebat. Quaerenti igitur mihi nova illa occurrerunt in registro Italiae complura, quae aut integra aut ex parte cum Canisio quoque communicata esse puto. Rectori collegii S. J. mantuani *Natalis* Roma 28. Iunii 1572 de Gregorio XIII. novo pontifice, cuius animum a Societate esse alienissimum fama erat (Sacchinus, Hist. III l. 8 n. 9), et de Sancto Carolo Borromaeo archiepiscopo mediolanensi et collegii mediolanensis fundatore haec *scripsit: „Il Papa al principio del Pontificato à petitione dell' Jllustrissimo Cardinal Borromeo concesse l'union dell' Abbatia d'Arona[3] et il luogo di Brera[4], per far vniuersità della Compagnia in Milano. . . . Saranno da sei giorni che S. Santità ha segnata la supplica, in modo che la cosa è gia sicura, ringratiato sia il Signore dil Collegio di Milano benissimo stabilito; et della Prepositura di Brera si haueranno mille scudi annui oltre del luogo, se ben per il uitto dei Monaci per adesso se ne leuano 800. fin che il Cardinal prouede d'altroue. Dell' Abbatia di Arona si piglia una entrata che basta per una casa di probatione in Arona stessa · et del luogo di Santo Fidele[5] si disegna far casa professa. Speriamo nel Signore che aiutara molto la Compagnia per mezo di questo Santo Pastore, per il quale tutti siamo obligati a pregare. . . . Jl Papa ha ordinato che tutte le bolle che stanno in piombo[6], che sono da tremillia, si spediscano in Jtalia fra tre mesi, et fuor de Jtalia fra sei.“ Idem *Natalis* eodem die Venetias ad P. Ioannem Perusium S. J. *litteras misit, in quibus de Gregorio XIII. haec narrabat: „Non ha uoluto intender niente pregandolo noi ci liberasse della cura della Penitentiaria di S. Pietro . . . S. Santità ad instanza del Signor Don Gio: di Austria ordinò subito che partisse all' Armata il P. D. Rodriguez[7] con un compagno concedendoli maggior gratie che non concesse Pio .V. et dicendo che ben si uedeua quanto frutto hauean fatto nell' Armata, poscia che quelli Signori li dimandauano etiam questo anno con tanta instancia. Ha etiam uoluto che il P. D. Toledo ritornassi a predicar in Palazzo, et cosi cominciò domenica passata, et generalmente in tutte le cose mostra amoreuolezza et affetione alla Compagnia et di hauer bonissimo concetto.“ Item idem *Natalis* eodem die P. Ioanni de Polanco Ferrariae versanti *scripsit: „Vna noua mé ricordo hora che non ho scrito, et è señal della beneuolentia del Papa

---

[1] „Librorum communi bono utilium“ scriptionem unum ex ministeriis Societatis Iesu propriis esse intellegitur ex compluribus Constitutionum S. J. locis, ut P. 3, c. 1, n. 18; P. 4, c. 6 O; P. 6, c. 2 C; P. 7, c. 4, n. 11.

[2] Balthasare Arnoldt; v. supra p. 38.

[3] Ordinis S. Benedicti.

[4] Haec fuerat praepositura ordinis Humiliatorum, iam per S. Pium V. exstincti (*Sacchinus* Hist. III l. 8, n. 187).

[5] Ibi collegium Societatis erat (*Sacchinus* l. c.)

[6] Cum bullae expediebantur, sigilla iis appendebantur plumbea.

[7] Christophorus Rodericius; v. supra p. 13.

uerso noi. Parlando il Cardenal Sirleto et supplicando a Sua Santita che hauessimo cura de cathecumini, et dicendo che noi ci scusauamo che non poteuamo farlo etc.; rispose Sua Santità che uolete monsignore si non lo posono far che li forziamo." Et eidem *Natalis* *scripsit Roma 2. Iulii 1572: „Hieri il Papa ha mandato à dire al P. Toledo, che si metta in ordine per tornar in Polonia, à trouar il Cardinal Comendon" (ex apographis eiusd. temp., Ital. 69, f. 91^a-93^a).

Canisius Natali respondit 29. Iulii 1572.

1805. CANISIUS **P. HIERONYMO NATALI** vicario generali Societatis Iesu. Oeniponte 13. Iulii 1572.

Ex autographo (2^0; 2 pp.; in p. 4 inscr.). Germ. 183 f. 214^a-215^b. Epistula usus est *Kröss*, Can. 191.

Historia ignatiana. „Agnus Dei". Collegium fuldense. P. Costerus et P. Zanthenus. Iubilaeum. Scriptores. P. Saa operis mariani censor.

† Pax Christi JESV nobis aeterna,

Admodum Reuerende Pater.

Ingentes ago gratias R. T. quae nuper ad me misit sacra dona (Agnus Dei uocant) et praeterea historiam Jgnatianam eleganter pie utiliterque conscriptam [1], ac diu desideratam nobis communicauit. Author eius libri meum de tota historia iudicium expetit, quod puto superuacaneum esse, cum exactos habuerit isthic iudices, et multis annis [a] non potuerit hoc opus non elaborate conscribi. Spero sane magno et salutari usui nobis fore hanc libri lectionem, quae tam praeclare monet de moribus et uirtutibus tum primo patri nostro, tum huic instituto maxime congruentibus.

Etsi meum non est rebus alienis curandis uacare, tamen dabit mihi ueniam spero R. T. si audeam rogare, ut habeatur ratio Fuldensis collegij, de quo multis mensibus desideratur tum responsum, tum consensus ex Vrbe, praesertim cum de nostris optime mereri uelit et pergat fundator, multis iam rebus paratis ad futurum collegium eiusque scholas, sicut procul dubio R. T. cognouit ex literis Rhenensis prouintiae [2].

a) *Ita C. correxit ex* pannis.

[1] De „Agnis Dei" vide, quae sub ipsas has litteras dicentur; de vita S. Ignatii a P. Petro Ribadeneira scripta supra p. 35 47.

[2] Balthasar a Dernbach (Dermbach) O. S. B., a 1570 (cum 22 esset annorum) abbas princepsque fuldensis electus, statim Socios Fuldam (ubi corpus S. Bonifacii, apostoli Germaniae, colitur) arcessere statuit, ut homines imperio suo subiectos ad ecclesiam catholicam, a qua paene omnes defecerant, reducerent; et cum a. 1571 a Societatis provincia rhenana contionatores aliquot accepisset, Fulda 29. Ianuarii 1572 Franciscum Borgiam praepositum generalem rogavit, ut „quamprimum puta circa paschale tempus proximum" sodales mittendos curaret, „qui ludum literarium aperirent"; iam enim cives nonnullos „magno secum futuri collegii desiderio flagrare"; accedere „magnum longioris morae periculum propter Catholicae fidei gravissimos adversarios" (*Aug. Theiner,* Schweden und seine Stellung zum Heiligen Stuhl" etc. II, Augsburg 1829, 298). Plura apud *Duhr,* Jes. I 128—129, et apud *G. Komp,* Die zweite Schule Fulda's und das päpstliche Seminar, Fulda 1877, 7—24.

Quod ad D. Franciscum Costerum attinet, si nondum is certae functioni destinatus est[1], multi magnopere profuturum putarent Coloniensibus, si posset hic illis restitui, ut cuius opera tum nostri, tum Catholici in schola Theologorum haud parum egerent. Parcendum uidetur bono seni P. Leonardo[2], cui succederet commode suo tempore D. Costerus, simulque utilem nauaret operam collegio promouendo ob eam qua illic praeditus est apud multos authoritatem, qua et P. Rhetzium[3] vincit. Sed hoc quoque cum uenia sit dictum, ut solum occasionem R. T. et Patribus praebeam de re tota in Domino statuendi, et Coloniensi Reip. subueniendi, quae mihi cumprimis promouenda uidetur in Germania.

Non monebo de P. Sancteno, nisi quod abhorrere uideatur a Pruttenica profectione, quodque putet se multo rectius uicturum[a] apud eos, quibus prodesse licet patria lingua[4]. Ego his rationibus parum moueor, et plusculum fortitudinis requiro in bono fratre. Judicium autem sit penes R. T. quantum illius imbecillitati hoc sit tempore indulgendum, de quo fortasse iam erit certi aliquid definitum atque perscriptum. Ego his de rebus ad alienam prouintiam spectantibus non monerem, nisi rogatus: quare si praeter decorum facio, monitus certe nihil in posterum tale scribam.

Rogo iterum, liceat ne bonum adolescentem[5] mittere, qui sumptus habeat in Germanico collegio quique ad sacros adspirat ordines, et mihi scriptorem fidum praestitit. Veniret ille lubens in autumno sequenti, si locus illi dabitur inter alumnos, estque Bauarus.

Hodie Bullam Jubilaei publicauimus[6]. faxit dominus, ut fructus optatus inde colligatur, et foedus Principum duret diu.

Rogaui Reuerendissimum *etc., ut supra p. 46.*

Auemus aliquid scire, de Theologis ex Hispania missis, deque scriptoribus constituendis. Quae res nouo Patri nostro Vicario diuinitus reseruata esse uidetur, ut suum sanctum zelum aduersus haereticos hoc modo declaret, posterisque testetur.

a) *A C. correctum ex* uicturam.

[1] P. Costerus officio praepositi provincialis, quod in provincia Germaniae inferioris sive Flandriae administrare a. 1565 coeperat, sub autumnum a. 1571 per Borgiam levatus erat (*Hansen.* l. c. 605[3]). [2] Kessel, collegii rectori.

[3] P. Ioannem Rethium, regentem gymnasii Trium Coronarum.

[4] De P. Ioanne Zantheno (v. supra p. 34—36), qui autumno a. 1571 Roma in Germaniam redierat, praepositi constituerant, ut primum Noviomagi res quasdam domesticas expediret, deinde rediret in Borussiam; fuerat enim in collegio braunsbergensi. Sed in Germania inferiore eo anno itinera a Geusiis infestabantur (*Sacchinus,* Hist. III l. 8, n. 233; *Hansen* l. c 600[5] 605 616 625).

[5] Balthasarem Arnoldt

[6] Iubilaeum dicit, quod Gregorius XIII. novus pontifex, occasionem sive causam ex ipsa sua electione nactus, fidelibus obtulerat; iubilaei autem bullam Canisius Ferdinandi II. archiducis contionator aulicus 13. Iulii in templo S. Crucis promulgavit; v. infra, monum. 1109.

Jmpetrauit M. Guilhelmus[1] excursum Augustam usque, sed hic mansurus per hyemem, ut decreuit P. Prouintialis[2], cum esset in collegij uisitatione.

Magni facio iudicium P. D. Emanuelis[3], et expertus sum ab eo multa perspici, quae alios fugiunt. Quare mallem ego sane ab illo quam alijs mea quae iam scripsi, iudicari et corrigi. Sed expectabo responsum R. T. quae fortasse aut oneratum illum, aut inuitum non grauandum putabit noua sarcina, praesertim mea de causa · mitterem alioquin ad Mariam spectantia, quae parte ex aliqua uideor absoluisse. Monueram autem, possemne in uniuersum ab hoc studio scribendi supersedere, cum non urgeat amplius authoritas Pij quinti Pont. Statuet autem R. T. pro sua uoluntate, me quidem paratissimum sentiet ad scriptionem omnem omittendam, in qua certe sentio, me multis saepe modis peccare, et spiritu fortasse tepescere. Oret pro me dominum R. T. et filij Canisij memor esse dignetur quaeso. Oeniponti 12.[a] Julij 1572.

Seruus et filius
Pet. Canisius.

† Admodum Reuerendo in Christo Patri, P. Hieronymo Natali Vicario generali Societatis Jesu. Romae.

Canisius vitio quodam calami vel memoriae his litteris diem 12. Iulii ascripsit; ascribere enim debuit diem 13.; nam in ipsis litteris ait: „Hodie Bullam Jubilaei publicauimus"; constat autem eam die 13. Iulii ab eo promulgatam esse; v. infra, monum. 1109.

Et his litteris intellegitur, Canisio a Natali missa esse signa cerea eius generis, quod „Agnus Dei" vocatur (cf. *Can.* I 771[8]). Horum magnam copiam Gregorius XIII. sacravit; velut a. 1573 (1572?) 250 eorum „casse" (capsas) in omnes terras mittendas (*Giampietro Maffei* S. J., Annali di Gregorio XIII, I, Roma 1742, 108).

Natalis autem Paulo Hoffaeo provinciali superioris Germaniae *scripsit Roma 29. Maii 1572: Per P. Ioannem Iacobi Astensem cum tribus comitibus in Germaniam euntem „mando a V. R. una scatula con 120 agnus Dei accio li distribuisca tra quelli della sua prouincia e specialmente aquelli che non ne haueranno, et se non fusse per rispetto di non grauar le caualgature che portano di queste et delle altre cose per le altre prouincie, gli hauerei mandato piu" (ex apogr. eiusd. temp ; Germ. 109 f. 70[b]).

Aliqua his litteris addo ex aliis epistulis exscripta, quae ad illas illustrandas utilia esse possunt. P. *Paulus Hoffaeus* provincialis Natali *scripsit Oeniponte 10. Iunii 1572: „Hic auspicatus sum Collegiorum meorum visitationem . . . P. Canisius satis bene habet sicut et caeterj laus Deo"; et *Oeniponte 23. Iunii 1572: „Cras hic vota renouabimus Christo prosperante, adest mihi P.P. D.D. Canisius et Pisanus . . . Perendie Deo volente auspicabor Halae visitationem" etc. Deinde P. *Ioannes Iacobi Astensis* Augusta Vindelicorum 28. Iunii 1572 P. Everardo Mercuriano assistenti *scripsit: „Tertia septimana a discessu ab vrbe id est 9 ab hinc die felices Oenipontum venimus. . . . Multis mecum egit Oeniponti R. P. Canisius de fructibus P. Zantheni factis in Nouiomago et dubius erat an retinendus ibi esset, verum cum ex me intelligeret aliam esse sententiam patrum Romae maneamus ergo ait in sententia patrum" (ex autographis; Germ. 134 f. 216[a] 242[a] 244[a]).

Natalis Canisio respondit 23. Augusti 1572.

a) *Sic; sed scribendum fuit:* 13. *Vide quae sub ipsas has litteras dicentur.*

[1] Elderen. [2] Hoffaeus. [3] Saa.

1806. P. IOANNES RETHIUS S. J. regens gymnasii Trium Coronarum coloniensis CANISIO. Colonia 16. Iulii 1572.

Ex commentario, quod Rethius sua manu scripsit, et sic (in capite commentarii) inscripsit: „Doctori Petro Canisio. Oenipontum." Cod. colon. „Un. 602". Epp. f. 43. Epistulae partes aliquas ex eodem commentario vulgavit *Hansen* l. c. 626[1].

De Patribus graecis latine reddendis. De tumultibus Geusiorum.

Admodum Reuerende in Christo Pater, literas R. P. T. recepi, et pro consilio gratias ago. Sunt autem quidam uiri docti et boni, qui in animum induxerunt, Graecos doctores Ecclesiae repurgare a uersionibus haereticorum. Quocirca effice queso per amicos tuos, quos habes plurimos rei literariae et religionis promouendae per quam studiosos, ut sciamus qui patres Graeci in Fuggerana, et in alijs superioris Germaniae bibliothecis scripti uel impressi graece asseruentur[1]: et num aliquis catholicus se socium reliquis in hoc sacro labore adiungere uelit. Hominibus enim pijs graue est, si graece nesciant, aut a Graecis scriptoribus abstinere, aut subsidio haereticorum uti. Sed oneri forte tibi sum: ignosce precor.

Quod ad uicinos nostros attinet: Germania inferior affligitur bello ciuili: Geuseorumque gens in Geldria castra posuerunt: in Zelandia uero et Hollandia aliquot oppida, et comitatum Sutphaniensem occupant. Quod malum tam uicinum cum quasi nostrum malum sit, Senatus conducto milite portas custodit: Clerus autem in collegijs, parrochijs, et coenobijs certas preces quotidie; sextis uero ferijs etiam litanias pro Belgica, et tota Ecclesia catholica recitat[2]. Pauca haec idcirco scribo, ut calamitatibus nostris compatiens Deum et sanctos eius exores, ne religionem catholicam in Belgica immutari permittant. Modica enim illic orthodoxae religionis immutatio permultum Catholicis in tractu Rhenensi incommodaret. Salutant R. P. T. et quot istic sunt patres et fratres, R. P. Leonardus[3], ac caeteri omnes, qui se sacrificijs et precibus uestris commendant. Coloniae, anno Christi 1.5.72. die 16. Julij.

R. P. T. seruus et filius in Christo
Ioannes Rethius.

Rethius in „*Ephemeridibus" anni 1572 haec notavit: „Die 8. Octobris adhortatus sum Theodorum Coisfeldium Coloniensem ordinis D. Antonij in Hostia ad Moenum[4], ut ex tomis R. P. Petri Busaei[5] insigniores in Catechismum R. P. Petri

[1] Doctissimus ille *Antonius Augustinus* (de quo *Can.* II 329¹) Lentia 11. Aprilis 1558 Onuphrio Panvinio scripsit: „In Augusta in casa di Gio. Giacomo Fucaro, e nella casa della città sono due librerie grandi di libri greci e latini": *Antonii Augustini* archiepiscopi tarraconensis epistolae latinae ot italicae, nunc primum editae a *Joanne Andresio,* Parmae 1804, 313. Item in bibliotheca Antonii Fuggeri († 1560) tot reperiri dicebant codices manu scriptos, quot essent stellae in caelo (*Lor. Werner,* Geschichte der Stadt Augsburg, Augsburg 1900, 288).

[2] Litanias significat Omnium Sanctorum; quae tunc maxime erant usitatae; cf. *Can.* IV 821 1018; V 569 722 etc. [3] Kessel, collegii rector.

[4] Canonici regulares ordinis hospitalis S. Antonii in urbe Höchst (tunc archiepiscopi moguntini imperio subiecta, nunc borussica) monasterium habebant.

[5] De his tomis v. *Can.* VI 685—689.

Canisij sententias selegat, et in sermonem Germanicum conuersas in tomo uno in forma octaua pro populo edat" (ex autographo. Cod. colon. „Un. 602" I f. 68[b]).

1807. CANISIUS **P. HIERONYMO NATALI** vicario generali Societatis Iesu. Oeniponte 29. Iulii 1572.

Ex autographo (2°; 2½ pp.); Germ. 183 f. 216[a]—217[b]. Eo usus est *Kröss*, Can. 199—200.

Commendationes „Centurialis labor". Pontificis benignitas. Hoffaei provincialis virtutes et errata (severior; valetudinis et consiliorum negligentior); 5⁰/₀; fratres laici. Rector loco movendus est; quia provinciali non oboedit etc.

† Pax Christi nobis aeterna

Admodum Reuerende Pater

Quinto Julii datas accepi. Curabo diligenter per me non commendentur facile, qui Romam proficiscuntur, ne quis omnino grauetur, sicut prudenter monet R. T. De Bauaro scriptore[1] sit liberum iudicium Rectori collegij Germanici, an locus illi possit impetrari. Non ueniet isthuc, nisi accepta primum uenia.

Quoniam uisum est R. T. ut Centurialem laborem non deponam de manibus, pergam sane tentare quod possum in hoc studij genere, et Christum precor, ut obedientiae sanctae satisfacere possim. Ne desint, quaeso laboranti preces R. T. et aliorum, quibus hac in parte cupio multum esse commendatus, praesertim ut sciam, uelim et possim eum in laborando tenere modum et assequi finem, quem sibi superiores proponunt, et a me flagitant.

Gratias agimus Christo, qui suum Vicarium[2] nobis adeo fauentem ostendit, ut gentem nostram animo uere paterno uideatur amplecti. Conseruet illum Christus diu Ecclesiae. diligunt illum quoque Germani[a], quos fortasse pro benignitate sua iuuerit magis quam adhibita seueritate.

Scripsi ante paucos dies pluribus. Abijt hinc P. Prouintialis, qui iussit, meam ut sententiam de se et Rectore nostro[3] mitterem ad R. T. Scribunt igitur alij quoque Consiliarij huius collegij[4].

De conualescentia Patris nostri Generalis[5] inter spem et metum haeremus ambigui. F a c i a t d o m i n u s nobiscum misericordiam[6] semper. Oeniponti 29 Julii 1572.

Seruus in Christo P. Canisius.

a) *Sequuntur vv.* quem spero, *a C. oblitt.*

[1] Balthasare Arnoldt; v. supra p. 49.

[2] De Gregorio XIII. P. *Ioannes Polancus* *scripsit Roma 29. Novenbris 1572 ad P. Stanislaum Varsovitium: „Il PP. hà confirmato nostro instituto et priuilegij in sua antica purità senza le restrittioni de suo predecessore etc." Et *Roma 27. Decembris 1572 ad P. Laurentium Magium: „Sua Santità . . . ci confirma, che potiamo usare . . . del priuilegio del promuouer li nostri senza farli professi" (ex apographis eiusd. temp.; Germ. 109 f. 102[b] 107[b]). Cf. *Can.* V 487—488.

[3] P. Gerardo Pastelio.

[4] PP. Georgius Rotarius, Georgius Crispus, Caspar Obergasser (* *Catalogus* oenipotanus anni 1572).

[5] Francisci Borgiae.

[6] Idt 8, 17; cf. Ruth 1, 8; Tob 12, 6; Lc 1, 72 etc.

† De P. Prouintiale Doc. Paulo Hoffaeo.

Experti sumus maiorem solito charitatem et diligentiam[a] eius in hoc collegio uisitando, magnumque nobis exemplum praebuit multarum uirtutum, quae in illo sane relucent.

Haeremus adhuc in ueteri difficultate, quomodo sit consulendum conscientijs accipientium quinque pro centum[1]. Promisit ille, se Romam esse scripturum, cum audierit omnium Theologorum sententias. Opto eximi nobis et exteris hunc scrupulum tandem, ut unum idemque dicamus et sentiamus omnes[2].

Videri posset bonus Pater plus effecturus in uisitationibus, si exhortationes adhiberet priuatas[b] ijs, quos in[c] publicis exhortationibus fortasse sic satis putatur perstringere et pungere. Adhibet praeterea et praelegit aliquando[d] scriptas exhortationes, quae non carent aculeis, et nescio an vulnerent magis quam sanent. Fortasse priuatis exhortationibus apud eos qui magis egent curatione, plus proficeretur, quam huiusmodi reprehensionibus scriptis ex charta pronuntiatis, cum alioquin non desit illi memoria et disserendi monendique facultas.

Videri potest in quibusdam scrupulosus et rigidus disciplinae exactor, unde fortasse · minus sibi conciliat animos fratrum, qui timere potius quam amare[e] superiorem adeo grauem uidentur.

Egere illum puto meliore et maiore cura sanitatis, cum non satis prospere ualeat, et uarijs prouintiae curis atque molestijs exerceatur. Vnde consultum fortasse sit, ut vbicumque degere[t,][f] ex parte corporis admonitorem haberet.

Parum utitur opera mea, et fortassis aliorum quoque Consiliar[iorum,][3] quacumque tandem de causa id fiat, siue fidat, siue non fidat [illo]rum consilijs. Est praeterea sollicitus, ut secreta sint om[nia,] quae in his collegijs fiunt: nec ulla est[g] fere communicatio fr[atrum] et Rectorum sibi mutuo scribentium. Fortasse in his maior ad[mit]ti moderatio et consolatio posset, ne uideamur in una prou[in]tia rigidiores esse quam in alia, sicut quidam audent dicere.

Non puto expedire, ut per collegia secum circumducat Christophorum fratrem, qui cum Doc. Lanoio proxime fuit Romae, quique

a) *Sequuntur vv.* in huius, *a C. oblitt.* b) *Sequuntur vv.* et publicas, *a C. oblitt.* c) *Sequitur* publicati, *a C. oblitt.* d) *Hoc v. a C. in margine additum est.* e) *Ita corrigendum esse ex* amorem, *quod C. scripsit, res ipsa ostendit.* f) *Quae hic et paulo infra uncis quadratis inclusa sunt, suppleta sunt eo, quod locis illis partes chartae abscissae sunt.* g) *Sic C. ipse correxit ex* sit.

---

[1] Vide supra p. 10–11.

[2] Cf. 1 Cor 1, 10; 2 Cor 13, 11; Phil. 2, 2; 3, 16. „Idem sapiamus, idem, quoad eius fieri possit, dicamus omnes, iuxta Apostolum": *Constitutiones* Societatis Iesu P. 3, c. 1, n 18; cf. etiam P. 8, c. 1, n. 8 et K; P. 10, n. 9.

[3] Vide supra p. 9. „Praepositi Provinciales, et Rectores Collegiorum . . . ad consilium aliquos, cum quibus res graviores, quae occurrunt, communicent (quamvis, eis auditis, penes Superiores sit statuendi facultas), designatos habeant": *Constitutiones* S. J. P. 9, c. 6, n 14

non aedificat fratres[1]. Optarim Patri grauiorem et commodiorem dari comitem.

Quod ad coadiutores temporales attinet, dubito, sit ne cum quibusdam crassis agendum crassius atque seuerius, ut propius ad officium reuocentur, neque pergant illi bonitate superiorum abuti, cum uident sibi tam multa permitti, ac timeri potius quam timere.

De Patre Pastelio Rectore Oeniponti.

Etsi P. Prouintialis ad illius imbecillitatem se multum accommodarit, ac suauiter prorsus cum illo egerit in hac uisitatione, tamen parum profecit, ut doleam sane superiorem ab hoc Rectore non magis amari ac respici. Cum iam iam abiturus esset P. Prouintialis finita Visitatione, duris uerbis Rector cum illo egit uelut expostulando, ut ex utroque cognoui. Neque cessat Rector suum retinere[a] morem, ut ferre non possit debitam superioris authoritatem in admonendo, praescribendo et exigendo, quae ad defectus collegij corrigendos pertinent. Subinde ad hunc ti[mo]rem redit, Mihi non fiditur, est contra honorem Rectoris, quid alij cogitabunt? Breuiter, omnia replentur suspicionibus, et toto iam triennio exercetur P. Prouintialis ab hoc Rectore plus satis, nihilque proficit patientia sua, et si quid scribit, statuit uel mandat, non iustum uidetur hic pondus habere. Vnde conqueruntur Consultores, huius collegij statum hac ratione non posse rite promoueri, cum Rector[b] pro suo arbitrio agat, et suauiorem in gubernatione modum non teneat, neque cum superiore suo conueniat, et in multis liberius procedat, quam licere et expedire uidetur. In munere contionandi[2] iam diu displicet auditoribus, quia se ad illud, ut ipse[c] fatetur, non potest applicare. Saepe contra Prouintialem queritur, sed iustam ego causam non uideo: et aperte testatur, se cum illo non facile posse conuenire. Timent Rectorem Consultores, nec audent se illi prodere, cum tam multa uideant inditia indignantis, et facile se conturbantis, ac se in multis etiam amantis superioris. Multa de illo mutando dixi P. Prouintiali, cuius ut spero, literas eadem de re accipiet R. T. Quoniam uero amo Rectorem, cupio sane illum his periculis, in quibus uersatur, cito liberari, et iudico expedire, ut P. Prouintiali cura permittatur Rectorem alium hic instituendi, utpote P. Martinum Leibenstain, uel P. Wendelinum, aut P. Matthiam[3]. Jd nisi fiat, haud puto huius collegij administrationi et debitae unioni recte consuli. Scripsit Romam P. Prouintialis cum hic esset, laudans

a) *Ita C. correxit ex* mutare. b) *Quinque vv. sqq. a C. in margine addita sunt.* c *Sequitur* uid, *oblitt.*

[1] Significatur, puto, Christophorus Amschamer salisburgensis, frater laicus, ingenio crassus difficilisque et ad paucos idoneus labores; qui postea ex Societate dimissus est; v. *Can.* VI 267[1] 292[3] 314.

[2] In templo parochiali; v. supra p. 9.

[3] Wendelinum Völck vel Matthiam Lakner.

praesentem gubernationem: sed postea rectius cognouit omnia, ut ipse mihi testatus est. Ego circa Octobrem hinc discessurus uideor cum Principe[1], et multis ut putant, mensibus abfuturus. Eoque magis rogo, ut R. T. huc remittat P. Prouintialem, cum is absoluerit uisitationem prouintiae, utque[a] plenam potestatem habeat in bono Rectore instituendo. Rector autem nusquam rectius quam Romae poterit, ut credo, curari, et habere rectius.

Sed haec saluo semper iudicio superioris.

Epistulam hic addo a P. *Georgio Rotario,* qui in collegio oenipontano „minister" sive domesticae disciplinae custos rectorisque adiutor et unus ex eiusdem rectoris consiliariis erat, ad Natalem vicarium generalem Hoffaei et Canisii monitu datam et a Canisio sigillo munitam Romamque missam; qua non solum, quae Canisius in Pastelio rectore sibi vituperanda esse censebat, confirmantur, explicantur, amplificantur, sed etiam, quantis molestiis idem Pastelius Canisium affecerit, plane ostenditur. Sic igitur Rotarius scripsit:

Jhesus. Molto Reuerendo in Christo Padre.

Pax Christi etc. Essendo mi ordinato della obedientia ch' io scriuesse a V. R. Paternita a questo tempo · alcune cose circa la persona del N. R P. Rettore Gerardo Pastellio, et dell stato di questo Collegio de Jsprunch. La quale cosa si bene mi e difficile, pure per hauer cosi paresso al R. P. Prouinciale Dottore Paulo Hoffeo · et anco al R. P. Petro Canisio · scriuero in Domino breuimente. Essendo l' anno passato mandato a questo Collegio dal R. P. Paulo Hoffeo da Dilinga · accio che aiutassi questo R. P. Rettore in Re Domestica · et in alijs, eranno fatti molti debiti fatti nel principio · et questi doi anni dal P. Gerardo Rettore insino da[b] 1200 fiorinj · li quali per gratia di Dio presto si pageranno tutti · escepto alla prouincia al quale si debbe vltra 500 fiorinj · questi debiti sono stati fatti a questo modo · trouando il P. Gerardo pochi prouisioni fatti, et quelli non cosi pretiosi · uolse faer noui et grandi. Come di molti vinj pretiosi et di lontano · panni assai fini et in quantita Tela etc. Casi pretiosi come di Holandia, parmesanj, Butiro etc. et in casa faer uestire tutta la famiglia patri et fratelli di nouo et faer faer grandi armarij artificiosi con molte serrature etc. del che et un subito si trouo il Collegio assai indretto. Luj interea facceua faer grandi conuitti · apponendo varij vinj inuitando li frati[2]: Gentilhuomini · et altri genti popularj · menandoli alla Cantina dando li varij sorti di vino, monstrando si a tutti buono Compagno, Dando grandi ricreationi alli fratelli et Patri in Mangiare et beuere etc. tutto questo auanti che io uenisse a questo Collegio · et quello l' ho inteso racontaer in Dilinga da molti · et dal steso P. Gerardo quando e uenuto a Dilinga a pigliar del licenciato ho inteso molte cosette. doue dispregiaua tutti li soi antecessori[3] come dire non sapeuano niente circa li gouernij · di maniera che tutto il modo di procedere di questo Collegio fu tutto renouato: ancora il medesimo ho inteso dire qui da molti · et ancora di questo ho uisto molte experienze et com assai dolore mio[c]. Luj di poi uolendosi monstrare liberal daua molte mancie, et molti danari li quali non si metteuanno a conto, et subito nel principio mando alla sua Matre .40. scudi doro come lui stesso mi ha detto, doue quando la prima uolta e uenuto il P. Prouintiale non s' hanno potuto trouare li Contti.

Lui uolentieri et spesso ua uisitare, gentilhuomini. et gentildonne · et quando ua fuora sempre resta 6 et[d] 7 hore fuora; et spesso torna la sera di poj la recreatione

a) *Sequitur* is, *a C. oblitt.* b) *In aut. sequitur* 102, *a Rot. oblitt.* c) *Hoc v. a R. supra versum scriptum est.* d) *Ita R. correxit ex* 6 et 7 hore*; deinde iterum addidit:* 7 hore.

---

[1] Ferdinandus II. archidux Canisium secum ducere volebat in Suebiam; v. supra p. 7.

[2] Franciscanos, puto, monasterii S. Crucis, Praemonstratenses wiltenses (Wilten) etc.

[3] Valentinum Voyt, Ioannem Dyrsium, Nicolaum Lanoium (*Duhr*, Jes. I, 190[1]).

et etiam dopoi l' oratione, ua uolentieri a conuitti et spesso, como heri sera et anco questa sera e andato con .3. Patri. delli quali il .P. Guilhelmo[1] e uno[a] · conuersando con li forastieri intendo che e molto effuso, legiero. et non serua la grauita religiosa · et questo ho inteso da doi Padri nostri principali. et molti come gentilhuomini et artisani si sono allienati dal Collegio per il suo modo di conuersare, et lui steso mi ha confessato, che molti non conuersano con lui, et lui dise che la causa e per che e[b] troppo graue, uolendo introdur la grauita religiosa in conuersando con forastieri · acchio che li altri fassino il medesimo. Ma dio lo sa si questa e la causa. Interim de illo sunt multae querelae apud externos.

Jn casa e molto legiero in conuersare con li Padri et fratelli · et non serua quella grauita che si ricerca in un superiore, in toccare li altri[2], in parlare di cose legieri, in far ridere. in parlare con li altri fuora del tempo ordinario detinere li altri nel tempo del oratione, non lassar li andare a dormire al suo tempo · in chiamar alcuni alla dispensa Cattina etc.

Jn casa e molto otioso · inquieto · et non lassa staer in pace li altri · et per questo speso ua fuora di casa per passar meglio il tempo[c]. Lui tiene volentieri danari in sua potesta et quasi sempre nè tiene si bene ha hauto ordine[d] dal P. Prouintiale che si mettessi tutti li danari in cassa secundum regulas procuratoris[3] etc.

E molto seuero in reprehendere et dare capituli alli altri Patri et fratelli · et per questo nasceno molte alienationi et discordie in questo Collegio. per che reprehende cosi seueramente · jnterim e molto singulare · dando male essempio de molte cosette all' altri.

Se lamenta speso del .P. Prouintiale, et .P. Canisio · del P. Prouintiale per che qui doi uolte che stato qui hai lassato[e] alcuni auisi a lui et alli consultori · per magior bene del Collegio et pace di ogni uno. Del .P. Canisio per che molte cose fa sensa sua licentia et ordine[4] et ha hauto gran paura che non diuentasse superintendente di questo Collegio[f]: et mi ha detto una [uolta][g] che non potria tal cosa patire. La causa e per che haueria di hauer piu rispetto al P. Canisio che non ha hauto al P. Lanoyo · molte cose sono ma non ho il tempo di scriuere[h] il tutto per che questo scriuo cum grandissimo timore · et in sua assentia et dio uoglia che[i] non lo uenga a sapere · per che e molto supicioso: et speso si ua a uisitare per questo effetto · massime al P. Canisio · al quale quando e fuora di camera circa tutte li suoi[k] scritti · et una uolta haueua scritto ill P. Canisio una lettra a V R del stato di questo Collegio et del suo diportamento · lui l' hebbe subito in li soi manj la quale credo non esser mai mandato[5], et questo non sa il P. Canisio. E molto dato a adperire le lettre daltri etiamdio superiori[6].

a) *Sequitur* comi *vel simile v., oblitt.* b) et *R.* c) *Sequitur* Luj, *oblitt.* d) *Rot. hoc v. bis scripsit.* e) *Sequitur* all, *oblitt.* f) Collegii *R.* g) *Hoc v. ut suppleatur, res ipsa exigere videtur.* h) *Sequitur* per, *oblitt.* i) *Sequitur* la *vel* lo, *oblitt.* k) *Sequitur* sap, *oblitt.*

[1] Elderen.

[2] „Vt grauitas et modestia, quae religiosos decet, seruetur, nemo alium, etiam ioco, tangat, preterquam complexando in signum charitatis, cum quis aut abit aut redit peregre“: *Regulae* Communes quae ad priuatum cuiusque bonum spectant, Romae, In AEdibus Societatis Iesu, Anno M.D.LXVII., reg. nr. 33, p. 7 non sign.

[3] „Pecunia, vndecunque ea prouenerit, in arca reponatur ad id designata; huius Rector clauem vnam, et ipse procurator alteram custodiat“: *Regulae* Procuratoris Collegiorum (s. l. et a., Romae in Collegio Societatis inter a. 1561 et 1570, ut videntur, excusae) nr. V, p. 2 non sign. Eodem modo se habet regula „Procuratoris Collegii“ V, in „*Regulis* Societatis Iesu“, Romae 1580, p. 185; nisi quod post verbum „alteram“ (clavem) additur „diuersam“.

[4] Canisius a. 1571 per Natalem vicarium generalem a rectorum oenipontani et halensis oboedientia exemptus erat (*Can.* VI 626).

[5] Litterasne significat 10. Ianuarii 1572 datas (quas v. supra p. 7—10)? Hae sane Romam missae sunt.

[6] „Particulares personae non impediantur si scribere uelint Generali, et literae

Fo fine perche non ardisco piu et questo scriuo in tre uolte per timore.

Di tutto questo · il R. P. Paulo Hoffeo Prouintiale · ha circato molti[a] messi di aiutare il Collegio et il P. Rettore: ma insino adesso poco si e adiutato · et adesso questa ultima uisita ill quale si e partito al 27 di Julio[b] [?] 72 in la sua partita dise al .P. Rettore et li persuasi essendo che si lamenta cosi · che saria buono che scriuesi a V. Paternita del tutto, etiam credo che bisogna trouare qualche rimedio per che questo Collegio non ua cosi bene in nel modo di procedere della Compagnia et secundum constitutiones et regulas nostras · omnia enim sunt uiolenta · et nunquam uidi talia etiam in seculo.

Et cosi fo fine pregando perdono alla sua diuina maiesta et a V. Paternita che cosi ardisco sindicare il mio superiore, il quale secondo li nostrae regulae doueria escusare[1]. et mi perdoni che tanto confuso scriuo per che il tempo non patisse. Molto mi racomando alle suoe sante orationi et sacrificij.

D OEniponti 29 Julii 1572. Non potui perlegere, quamuis omnia scripsi cum consideratione et praemissa oratione.

D. V. P.

Jndegno in Christo figliolo
Georgius Rotarius Leodiensis Minister.

† Admodum Reuerendo in Christo Patri Doct. Hieronymo Natali Vicegenerali Societatis JESV. Ad manus proprias. Romae. (Ex autographo [2°; 3½ pp; in p. 4 inscr. et reliquiae sig.] festinanter et quasi tumultuarie scripto; inscriptio tamen integra manu Canisii posita est. Germ. 134, f. 248. 249 et sq. non sign.).

Natalis Canisio respondit 23. Augusti 1572.

1808. P. ALPHONSUS PISANUS unus ex consultoribus Hoffaei provincialis Germaniae superioris CANISIO

Hala sub exitum m. Iulii 1572.

Ex Canisii epistula, de qua infra, n. 1809.

Canisius Oeniponte 31. Iulii 1572 P. Paulo Hoffaeo prouinciali scripsit: „Scripsit ad me D. Pisa, ut meam mitterem sententiam de cathedra Mauritiana.“

P. Alphonsus Pisanus in collegio halensi paucos aliquos Societatis fratres scholasticos „sacram scripturam privatim docebat“ (* *Catalogus* halensis in a. 1572, Germ. 131 f. 186[a]). Canisio autem ille scripsit auctoritate vel mandatu *Hoffaei* provincialis. Qui de cathedra illa ecclesiae collegialis et parochialis S. Mauritii, ad „patronatum“ Fuggerorum pertinentis (v. *Can.* VI 226), ad P. Hieronymum Natalem Societatis vicarium generelem haec * rettulit Augusta 6. Augusti 1572: „Scripsit D. Marcus Fuggerus, meque Monachio huc reuocauit, et denuo obtulit cathedram S. Mauritij, idem probante Capitulo S. Mauritij. quam ad tempus acceptauj, donec

a) *Sequitur* metsi, *oblitt.* b) *Sic; sed scribendum fuisse videtur* Junio *vel* Giugno; *vide supra p. 52.*

huiusmodi non aperiantur, nec eae quas Generalis ipsis rescribet“: * Praecepta „*de ratione scribendi* ex Decreto secundae Congregationis Generalis [1565]“, n. 13 (ex apogr. eiusd. temp.; Cod. „II 38“ f. 88[b]. Cf. etiam supra p. 58 [4]).

[1] „Omnes . . . nitantur resignationem, et abnegationem veram propriae voluntatis et iudicij habere, uelle ac sentire suum cum eo, quod superior uult et sentit, omnino conformantes. Cuius quidem Superioris uoluntatem ac iudicium, pro regula suae voluntatis et iudicij, sibi proponent, et sequentur“: *Quaedam* ex Constitutionibus Societatis Iesu excerpta, Romae 1567, f. 7[a] non sign. (Quae regulae paulo post aliquantum immutatae et „Summarium Constitutionum“ appellatae sunt.) Caeterum haec, si sane probeque intellegebantur, hanc Rotarii scriptionem exigebant potius, quam impediebant.

vel ipse alium inueniret concionatorem, vel donec R. V. rem probaret: vt autem probet expedit huic rep. et Societati et rogamus omnes". Expedire id censebat Hoffaeus propter spem collegii Augustae per Fuggeros condendi; Monachio 9. Ianuarii 1572 is Natali * scripserat: „Domini Fuggeri libere nobis donarunt Augustae annuos redditus 700 florenorum" (ex autographis. Germ. 134 f. 193[a] 217[a]); et cum, ut *Jacobus Pontanus* S. I. in * Litteris annuis provinciae Germaniae superioris Dilinga 1. Septembris 1572 ait, maxime optandum esset, ut Socii Augustae „Collegium ac templum haberent proprium", Fuggerorum opera ad id valde erat necessaria; de capitulo enim cathedrali idem Pontanus * notavit: „Dolendum id eorum machinis et conatibus impediri, quorum in hac vna re adiuuanda et procuranda omnes cogitationes, omniaque studia consumi debuerunt" (ex archetypo. Germ. 134 f. 153[a]).

1809. CANISIUS **P. PAULO HOFFAEO S. J.** praeposito provinciali Germaniae superioris. Oeniponte 31. Iulii 1572.

Ex autographo (3/4 pp.; in p. 2 inscr. et particulae sig.). Germ. 183 f. 218.

Contiones Augustae habendae. Rectoris oenipontani errata.

† Pax Christi domini nobis aeterna
Admodum Reuerende Pater

Scripsit ad me D. Pisa, ut meam mitterem sententiam de cathedra Mauritiana[1]. Video rationes utrinque concurrere, quae suadeant et dissuadeant oblatam cathedram acceptare. Putarim autem consultum, ut R. T. coram ageret Augustae negotium, bonamque spem faceret dominis Fuggeris, et polliceretur, se statim in urbem de illo esse scripturam. Vellem autem[a] rationes in utramque partem proponi Patribus. praecipua mihi uidetur illa, quae confirmat spem initiumque collegij Augustani, quod a Canonicis non potest expectari. Cardinalis[2] plane fauebit, si uoluerimus. Haec mea breuiter est sententia. Commendamus nos precibus et sacrificijs R. T. in Christo domino nostro. Oeniponti pridie Kal. Augusti 1572.

R. T.

Seruus Pet. Canisius.

† Mitto has per Hallense collegium. De nostro[b][3] hoc u[num][c] addam, quod statuerit nihil Romam scribere, ideoque se apud R. T. excusare. Non mihi placet haec sententiae mutatio, etsi dicat se uelle submisse agere erga Prouintialem. Nos mittimus recta Romam censuras de gubernatione, quae minus placere coepit[d] post abitum R. T. ob nouam libertatem et frequentiam in exeundo atque conuiuando[4]. Meliora sequentur uti spero. Scribat interim quaeso R. T. primo quoque tempore suum quoque iudicium Romam. Optarim huc redire R. T. ante Octobrem, hoc est, ante meum abitum, si fieri potest, ut

a) *Sequitur* utrinque, *a C. oblitt.* b) *Vide infra, adnot. 3.* c) *Hic ex autographo particula chartae evanuit vel abscissa est; similia de inscriptione epistulae acciderunt.* d) *Sequitur* ob *vel* ab, *a C. oblitt.*

[1] Vide supra p. 59. [2] Truchsess.

[3] His verbis *Hoffaeus* sua manu haec adnotavit: „intelligit Rectorem". De P. Gerardo Pastelio rectore oenipontano ab Hoffaeo graviter monito v. supra p. 59.

[4] Vide supra p. 56.

finis imponatur dubiae et suspectae administrationi. P. Georgius[a][1] aegrotus male habet cum capite[b][2] ob nescio quam contentionem · Queritur et Minister[3] non parum. Reliqua committo R. T. quae prospiciat quaeso collegio in his motibus ex parte capitis oborientibus ego posthac nihil de illis R. T. admonebo ad effugiendam omnem suspicionem.

† [Adm]odum Reuerendo in Christo patri · Doct. [Pa]ulo Hoffaeo, collegiorum Socie[ta]tis Jesu per superiorem Ger[m]aniam Praeposito prouintiali, Monachij.

Hoffaeus has Canisii litteras Romam ad P. *Hieronymum Natalem* Societatis vicarium generalem misit. Qui Roma 6. Septembris 1572 Hoffaeo * scripsit: „Ci piace che si acete la Catedra di Santo Mauritio, et con questa occasione se dia qualche spinta buona alli Signori Fugari della sancta intentione che hano di fundar Collegij in Augusta" (ex apogr. eiusd. temp., Germ. 109 f. 89[a]).

Mense Augusto a. 1572 P. Martinus Leubenstain Dilinga, ubi „ministrum" collegii egerat, Augustam abiit ad contionatoris officium in templo S. Mauritii obeundum (* *Historia* collegii Dilingani a. 1572, ut videtur, scripta, G. Sup. 98 f. 48[b]).

1810. CANISIUS **ERNESTO** Bavariae principi, episcopatus frisingensis administratori. Oeniponte 1. Augusti 1572.

Ex libro „De Iustificatione doctrina vniuersa, libris XV. absolute tradita, authore R. P. *Andrea Vega* Hispano, Magistro Salmanticensi", Coloniae 1572, f. A 2[a] — B 5[b]. Hanc editionem equidem diligenter sequar, nisi quod verba sacrae Scripturae, quibus Canisius nonnunquam usus est, pro more meo (cf. *Can.* I XXVIII) typis latius dispositis describam, et locos Scripturae aliorumque librorum, quos typographus antiquus in margine posuit, spatii lucrandi causa uncis rotundis inclusos, v. g. „(Luc. 1)", in ipsis litteris ponam, unumquemque locum ei fere litterarum capiti sententiaeque, ad quam spectat, adiungendo. Canisii litterae positae sunt etiam in huius operis editionibus Coloniae et Aschaffenburgi factis. *Lucas Waddingus* O. F. M. ex praefatione Canisii, „visi celeberrimi", ut ipse ait, eam exscripsit partem, qua Vega eiusque liber laudantur (Scriptores Ordinis Minorum, ed. 2[a], Romae 1806, 14).

Praefatio editoris: Andreas de Vega († 1560) segoviensis, ordinis Fratrum Minorum Observantium, diu Salmanticae theologiam docuit. A Carolo V. imperatore a. 1545 Tridentum ad concilium missus, praeclaram operam patribus concilii praestitit ad iustificationis doctrinam excutiendam et definiendam (Concilii Tridentini Diariorum Pars prima, ed. *Seb. Merkle,* Friburgi Brisg. 1901, 489 569; Concilii Tridentini Actorum Pars altera, ed. *Steph. Ehses,* Friburgi Brisg. 1911, 275 384[1] 431 438 598. Ibidem scripsit „Opusculum de Iustificatione, gratia, et meritis", quod a. 1546 Venetiis „expensis haeredum Lucae Antonii Iuntae" in lucem prodiit. Postea autem Venetiis „ad signum Spei" (non ascripto nomine typographi vel editoris) a. 1548 primum in lucem emissum est (in 4°) praecipuum eius opus: „Tridentini Decreti de Iustificatione Expositio, et Defensio libris XV. distincta, totam doctrinam iustificationis complectentibus"; „Andreas de Angulo" idem opus (in folio) excudit Compluti a. 1564; quam editionem coloniensis haec secuta est (*Waddingus* l. c. 14; *Hyac. Sbaralea* O. Min. Conv., Supplementum ad Scriptores Trium Ordinum S. Francisci, Romae

a) *Hoc v. a C. supra versum scriptum est.* b) *Vide infra, adnot. 2.*

[1] Georgius Crispus sive Krauss (de quo *Can.* V 89[3] etc.) „praefectus scholarum" (**Catalogus,* de quo supra p. 54[4]).

[2] *Hoffaeus* hic in margine adnotavit: id est Rectore; cf. supra p. 60[3].

[3] P. Georgius Rotarius; v. supra p. 57.

1806, 37; *Karl Werner*, Geschichte der apologetischen und polemischen Literatur der christlichen Theologie IV, Schaffhausen 1865, 460—461 510).

Errores de iustificatione, praecipuo doctrinae christianae capite, olim sparsos instaurari et valde amplificari per protestantes. Eorum magistros secum ipsos pugnare; mores corrumpi; SS. Patres a Luthero, Centuriatoribus, aliis contemni; Lutherum in caelum extolli. Canisio auctore Vegae librum de iustificatione emendate edi. Canisius Fabricium Ernesti praeceptorem laudet et ipsum Ernestum monet.

REVEREN-/DISS. ET ILLVSTRIS-/SIMO PRINC. AC DO-/MINO, DN. ERNESTO COMITI PA-/LATINO, VTRIVSQVE BAVARIAE DVCI, ET FRI-/SINGENSIS ECCLESIAE ADMINISTRATORI, / PETRVS CANISIVS THEOLOGVS IN / CHRISTO IESV S. P. D.

NIHIL EST DVBIVM, REVERENDISS. ET ILLVSTRISSIME PRINCEPS ERNESTE, varijs modis de IVSTIFICATIONE iam pridem disputari, et hoc Quaestionis genus in ECCLESIA vt grauissimum, sit et amplissimum esse, in quo viri sapientes et docti persaepe soleant desudare. Nam hic praecipuus Doctrinae CHRISTIANAE locus existit, qui in verbo DEI se nobis passim offert, et scriptis APOSTOLICIS sedulo inculcatur, quique a pijs pro dignitate nunquam potest expendi atque pertractari. Nec video sane, quo fructu multa in sacris literis mysteria penetrentur, si quod ad bene beateque viuendum maxime pertinet, de vera scilicet Iustitia homini comparanda, conseruanda, promouenda et absoluenda, id aut penitus ignoretur, aut parum studiose curetur. Certe ad Christiani hominis officium inprimis pertinet, de Christiana Iustitia, eiusque causis, partibus, officijs, finibus et effectis philosophari, tum ea quae ad iniustitiam fugiendam, solidamque in CHRISTO Iustitiam consequendam faciunt, ex DEI verbo percipere, totaque vita meditari, vt nimirum semel iustificatus, et de manibus inimicorum liberatus, sicut Zacharias loquitur (Luc. 1.), in iustitia et sanctitate per omnem vitam DEO seruiat[1]. Quin et Paulus (1 Tim. 3) non obscure commonstrat, omnem Scripturae Diuinae vsum et fructum, qui quidem latissime patet, huc referri oportere, vt cum ad alia CHRISTIANAE charitatis officia, tum ad institutionem quae est de Iustitia, proficiat Christianus, ac DEI homo perfectus, ad omneque opus bonum instructus[2] euadat. Eodem spectat quod a Petro (1 Pet. 2) scribitur, vt homines peccatis mortui, Iustitiae viuant[3]: quodque Ioannes (Apoc. 22) postulat, vt iustus adhuc iustificetur[4]: et quod Sapiens praecipit (Ecci. 18), Ne verearis ad mortem vsque iustificari[5].

Caeterum quemadmodum syncera de Iustificatione doctrina, praesertim si cum bona conscientia vitaque religiosa coniungatur, laudem et virtutem homini maximam adfert: ita nihil fere perniciosius, et ad Religionem euertendam pestilentius potest excogitari, quam cum hoc

[1] Lc 1, 74 75. [2] 2 Tim 3, 16 17. [3] 1 Petr 2, 24.
[4] Apc 22, 11. [5] Eccli 18, 22.

necessarium doctrinae genus, tetris vitiatum erroribus, in vulgus nefarie spargitur. Nouit hoc profecto Sathan, versutissimus ille et humanae saluti nocentissimus hostis (Matt. 13) qui lolium suum infelix purae CHRISTI sementi nunquam non admiscere conatur[1], quique per omnes aetates ECCLESIAE, suos subinde ministros cum ad alias purioris doctrinae partes labefactandas, tum ad propriam CHRISTIANAE Iustitiae tractationem quomodolibet corrumpendam, excitat atque submittit. Quare cum primum fideles Apostoli Dominico agro Euangelicum triticum inseuissent, suos etiam satores, qui superseminarent zizania[2], praesentes ille habuit, Simonis nempe magi familiam[3] (Act. 8): ex quo velut pestifero frutice, venenatarum herbarum, hoc est, immanium haeresum passim ingens coepit esse prouentus. Sic paulatim varijs artibus et nefarijs fraudibus id oppugnatum atque conuulsum est, quod ad astruendam vere piam de IUSTIFICATIONE sententiam partim Apostoli, partim eorum Discipuli longe lateque disseminarant. Quidam velut in ipso limine impingentes, fidem et libertatem Euangelicam immodice commendarunt, epistolis scilicet Paulinis offensi; quas Petrus haud temere dixit (2 Pet. 3) intellectu difficiles[4] esse. Ebionitae, sicut et Cerinthiani, qui ad Apostolorum peruenerunt aetatem, legem cum Euangelio misceri oportere finxerunt[5]. Sequuti sunt porro Manichaei, qui noua et impura multa, sicut et de Iustificatione, dogmata extruerent et propagarent. Accesserunt postea Aetiani, Eunomiani, Iouinianistae, Pelagiani[6], ab eodem quidem duce et magistro Sathana subornati, vt incorruptum hoc semen a Christo et Apostolis Ecclesiae, ceu fidae custodi, commendatum ac traditum, vel omnino tollerent, vel aliqua saltem ex parte deprauarent. Proinde sicut gnauos Sathanae operarios decebat, multos et perniciosos illi inuexerunt errores, quos nunc repetere supersedemus: ac licet diuersis itineribus progrederentur, tamen ad hunc vnum eundemque finem conspirarunt omnes, vt contra CHRISTI ECCLESIAM arma mouerent, ac diuinis de Iustificatione testimonijs, ad verae fidei ac doctrinae subuersionem sacrilege abuterentur.

IAM vero qui nouandae religioni hodie dant operam, de nulla re illi magis, quam de Iustificatione, tractant, inculcant, atque contendunt: hoc argumentum sibi potissimum sumunt, in quo suas vires et copias explicent: de hoc Christianae doctrinae loco, velut a se mira-

---

1 Cf. Mt 13, 24—30 36—43. 2 Mt 13, 25. 3 Cf. Act 8, 18—23.

4 2 Petr 3, 16.

5 Ebionitis, sectae iudaeo-christianae saeculo V. exstinctae, similes erant sectatores Cerinthi, adversus quem S. Ioannes apostolus evangelium scripsit. Caeterum — ut hoc semel dicam — non vacat hoc loco quaerere, num hi et reliqui, quorum mentionem Canisius in his litteris facit, ea omnia reipsa docuerint et fecerint, quae eos docuisse et fecisse ipse affirmat.

6 Eunomius sophista († sub 395) cum magistro suo Aëtio coelesyro († circa 370) caput erat Arianorum illorum, qui Filium ne similem quidem Patri esse contendebat. De Ioviniano v. *Can.* I 218[1]. Manichaei et Pelagiani satis noti sunt.

biliter illustrato, saepe ac multum gloriantur. Est interim facile iudicatu, inter veteris et praesentis Ecclesiae aduersarios in plurimis conuenire: et quod ad Iustificationem attinet, nunc eadem fere spargi defendique dogmata, quae iam olim, authore et impulsore Sathana, iactabantur. Nimirum virtutem bonorum operum eleuant, benefactorum necessitatem excludunt, iter ad felicitatem placidum et expeditum, minimeque laboriosum cunctis ostendunt. Sed eandem docendi rationem Simoniani profitebantur[1]. Arbitrium homini liberum tollunt: nec dissentiebant ab hoc dogmate Manichaei et Priscillianistae[2]. Fidem tanti faciunt, vt omnem hominis iustitiam et salutem ex illa sola pendere contendant, nullamque Iustificationem operibus tribuant. Tuebantur hanc quoque sententiam Eunomiani, vt sola fide hominem contentum esse iuberent. Affirmant, in virginitate et abstinentia nullam meriti rationem inesse, ne quid diuersum a Iouiniano sentiant. Promittunt remissionem peccatorum et Iustificationis gratiam credentibus omnibus, etsi nulla Confessio vel Satisfactio secundum Ecclesiae morem ac disciplinam adhibeatur. Sed aeque blandi ac faciles erant olim Massiliani, in quibusuis relapsis statim Ecclesiae reconciliandis[3]. Omitto caetera id genus exempla, quae nobis erudita praebet Antiquitas, cum hinc satis omnes intelligant, bene vetus ac familiare hoc esse studium et artificium Sathanae, quo Iustificationis doctrinam diuersis corruptelis obruere, ac tetris erroribus conspurcare conatur.

Est interim cur immortali DEO gratias ingentes agamus, qui turbulentos praesentis Ecclesiae hostes, cum hanc ipsam doctrinae partem oppugnant, haud sine singulari quodam iudicio corripit, publiceque castigat, minus vt illi Ecclesiam sua profana nouatione et schismatica separatione possint exagitare. An enim euidenti diuinae irae flagello non feriuntur, qui summis studijs, indefessis laboribus, perpetuis curis et editis infinitis pene commentarijs, hoc suum de Iustificatione saxum mouent quidem, sed iam tot annis tam male promouent, vere vt de illis cum Paulo (2 Tim. 3) dixeris, Semper discentes, et nunquam ad veritatis scientiam peruenientes[4]. Etenim quo eunt isti longius in disputando, quo plura edunt hac de re volumina, eo in grauiores labyrinthos et inextricabiliores nodos incidunt, vt seipsos etiam mundo ridendos praebeant, quod qui sapientes, immo et Euangelici dici haberique volunt, in suis de re tanta cogitationibus et adinuentionibus inaniter euanescant[5]. Confudit eos iustus Do-

---

[1] Sectatores Simonis Magi, qui „donum Dei existimaverat pecunia possideri" (Act 8, 20).

[2] Priscillianus hispanus, cum per sanctitatis et eruditionis simulationem errores Manichaeorum et aliorum disseminasset, a. 384 Treveris Maximi imperatori iusssu, quod magicas artes coleret, occisus est.

[3] Hi in terra massiliana (Marseille) saeculis V. et VI. de divina gratia doctrinam proferebant, qua se mediam quandam inter S. Augustinum et Pelagium viam sequi putabant.

[4] 2 Tim 3, 7.

[5] Rom 1, 21; cf. Ps 80, 13; 105, 29; Mich 3, 4 etc.

minus, et infelicibus Babylonicae turris (Gen. 11) aedificatoribus annumerauit, vt complere non possint opus quod male coeperunt[1], ex cuius informi, ac (vt ipsis tamen videtur) sublimi machina tantopere gloriantur. Spiritum ergo vertiginis[2] ille qui alta despicit, et humilia respicit[3] (Psal. 113 et 137), in fabros istos immisit, vt quae tot annos de Iustificatione fingunt et refingunt, nec ipsi quidem satis assequantur, et suum praeterea aedificium subinde mutent, ac diruant. Adeo non labij vnius et sermonum eorundem terram[4], vt scripturae verbis (Gen. 11) vtamur, sed multorum potius capitum hydram hic seipos esse declarant. Aliter enim de Iustificatione docent Vuittenbergenses et Lipsienses, quam Ienenses atque Mansfeldenses[5]. Cum Caluino Melanchthoni non convenit. Hieronymus Zanchus disputando reclamat Argentinensibus[6]. Heshusius[7] ob hoc argumentum se Philippo[8], Maiori, Ebero et Pfeffingero[9] palam opponit. Improbant plerique dogmata Osiandri, quem tamen Brentiani defendunt[10]. De sola voce Iustificationis contra eundem Osiandrum opiniones quatuordecim, easque plane dispares, extitisse legimus. Quin idem Osiander viginti numerat opiniones, in quibus de Iustificatione aliter atque aliter sentiant Vuittenbergenses. Iam vero an paucae et exiguae sunt corruptelae, quas in doctrina Iustificationis Ambsdorfius et Illyricus collegerunt[11], et de quibus praeceptori Philippo et Adiaphoristis litem intendunt, quod hi a germanis Luteri placitis defecerint, synceritatem Euangelicam adulterantes? Tum aperte testatur Gallus[12], sibi cum Philippo eiusque discipulis concertationem esse de lege et Euangelio, de Iustificatione et bonis operibus, de Sacramentis et vsu Caeremoniarum: ac de his quidem sublimibus Christianae doctrinae articulis, nulla inter ipsos ratione componi et

---

[1] Gn 11, 1—9. [2] Is 19, 14. [3] Ps 112, 6; 137, 6.

[4] Gn 11, 1.

[5] Cf. *Can.* II 915; III 86 239 381 801; VI 38 342—344 498 748

[6] Hieronymus Zanchi lombardus (1516—1590), ex canonico regulari S. Augustini calvinianus factus, Argentorati, ubi Sacram Scripturam explicabat, cum Ioanne Marbach lutherano in certamen venit.

[7] De Tilemanno Heshusio cf. *Can.* III 318 378[4] 490; IV 188 1020; VI 718 748.

[8] Melanchthoni.

[9] De Georgio Maiore v. *Can.* IV 350—351 368[5]; de Paulo Eber *Can.* III 490; IV 368[5]. Ioannes Pfeffinger (1493—1573), primum sacerdos catholicus, deinde protestantium lipsiensium minister, cum Melanchthone asseverabat, sacramenta quaedam, cultum Sanctorum, caerimonias varias ex rebus esse „adiaphoris", quae possent pacis gratia permitti etc.

[10] De Luca Osiandro „seniore" et de Ioanne Brentio v. *Can.* II 202[5]; III 363; IV 351; V 303; VI 38. De Andrea Osiandro cf. *Can.* I 551[1]; II 75[4] 798 915.

[11] Nicolaus ab Amsdorf (1483—1565), professor vitembergensis, „episcopus" naumburgensis, superintendens isenacensis, perinde ac Matthias Flacius Illyricus (de quo *Can.* I 636[1]; IV 301[5] 352 1026 etc.) Lutheri praecepta quam acerrime defendebat.

[12] De Nicolao Gallo sive Han v. *Can.* II 238; III 489 805.

transigi posse. Et in alio scripto, quod Illyricus et Gallus communiter ediderunt[1], nihil dissimulant, sed aperte confirmant, Maioristas legem cum Euangelio confundere, et articulum Iustificationis penitus corrumpere: sicut et ministri Lubecenses asseuerant, Maioristas adiaphoricis fraudibus fundamenta purioris doctrinae labefactare, et ECCLESIAM dissipare. Rursus quam est multiplex et amarulenta inter Illyricum et Strigelium Ienae habita, et postea in lucem edita, disceptatio[2]? Illyricus (in epist. ad Consiliar. Ducis Saxoniae) de antagonista suo ita iudicauit: *Victorinus donec clare et publice suos errores condemnauerit, erit mihi haereticus et anathema MARANATHA*[3]. Durat adhuc inter Flaccianos et Maioristas acris contentio de Iustificatione: et notum est colloquium Altenburgense, de hac ipsa re institutum, et in multorum mensium altercationibus frustra consumptum, quod maioris etiam distractionis flammas praebuit, grauemque tum populo, tum Principibus peperit offensionem[4]. Sic inter praecipuos Luteri discipulos doctrina dilacerata est, cum de vera sui praeceptoris mente ac sententia conuenire non possunt, ac interim se mutuo virulente proscindunt, immo et pro haereticis damnant. Nec obscurum est, quosdam a Lutero palam discedere, multoque aliter de Iustificatione, quam ille vnquam fecit, philosophari, sicut Caluinus, Bucerus, Martyr, Beza[5], Musculus[6], Stancarus, et Schuencfeldius[7], multis in locis et libris ostendunt, etsi ne hi quidem sibi constant per omnia. Heshusius (Lib. de peccato originis) cum plerisque alijs Illyricum merito repraehendit, eumque Manichaeum esse conuincit. Facit enim Diabolum creatorem, qui in genere humano nouas quasdam animas regnantes super totum hominem creauerit, easque in infinitum propaget. Fingit praeterea, hominem post lapsum imaginem gestare Sathanae, atque in eam transformatum esse. Tum docet, haec vocabula, Corruptionem, Defectum, Concupiscentiam, Inordinatam dis-

[1] Cf. *Can.* IV 368[5].

[2] Non Ienae, sed Vinariae (Weimar) (a d. 2. ad 8. Augusti 1560) disputarunt Flacius et Victorinus Strigel (cf. *Can.* III 489); uterque tamen aliquamdiu Ienae docuit. De disputationis editione v. *Can.* IV 368[5].

[3] Victorinus, „donec non clare ac publice suos errores condemnaverit, erit mihi haereticus et anathema Maranatha". Ita *Flacius* in „Epistola ad Consiliarios Principis Saxoniae" (Disputatio de originali peccato et libero arbitrio, inter Matthiam Flacium Illyricum et Victorinum Strigelium . . . habita, s. l. 1562, 386).

[4] De hoc colloquio v. *Can.* VI 342[5].

[5] De Martino Bucero v. *Can.* I 110[2]; de Petro Martyre Vermilio et Theodoro Beza *Can.* III 257[5] 363 378 490.

[6] Non Andream illum Musculum (1514—1581) saxonem, Lutheranorum brandenburgensium superintendentem generalem et Lutheranismi rigidi patronum, significat, sed Wolfgangum Musculum (1497—1563) lotharingum, ex Benedictino contionatorem protestantium augustanorum factum, qui deinde Bernae theologiam inter Zwinglianismum et Calvinismum quasi mediam docuit.

[7] De Francisco Stancaro v. *Can.* II 713[2]; de Caspare Schwenkfeld v. *Can.* I 551; II 795 907.

positionem, quae homini post lapsum tribuuntur, substantiam significare. Quid autem hoc aliud est, quaeso, nisi Manichaeorum deliria resuscitare, doctrinam de Iustificatione et originis peccato, corrumpere, prorsus execrandas haereses in Ecclesiam reuehere, ac fidei nostrae fundamenta euertere velle? Istorum igitur consilia dissipat DEVS[1], et praeiudicio manifesto declarat, eos nec vnitatis, nec veritatis afflari spiritu[2], qui tot annis non solum aduersus vnam sanctam et catholicam Ecclesiam, sed etiam inter se ipsos Andabatarum more pugnant[3], et post atroces pugnas consentire non possunt, non dicam in adiaphoris[a], sicut ipsi loquuntur, sed in praecipuo Euangelicae doctrinae capite, in quo secundum ipsorum sententiam Religionis cardo versatur. Nec solum alij ab alijs, sed etiam a seipsis dissident saepe, sicut Lutero et Melanchthoni est familiare, vt velut Proteus colorem[4], sic ipsi suas subinde sententias mutent, homines nimirum, ex Iacobi sententia (Iacob. 1), duplici animo[5] et instabiles[6], qui (Athanasio teste) in eadem sententia diu nequeant persistere: sed nunc in hanc, nunc in illam sese vertant, hodie affirmantes, quod cras iterum negent, vt sic eodem ore modo calidum, mox frigidum spirent[7].

Ex qua grassantium nunc dogmatum varietate, DEVM immortalem, quanta nunc distractio et confusio facta est doctrinae pulcherrimae simul et vtilissimae de hominis Iustificatione, vt populus qui plura de hoc argumento scripta nunquam vidit, nunquam etiam magis addubitarit, minusque crediderit in his, quae sanae et orthodoxae doctrinae congruunt. Interea mutantur, immo et passim abrogantur sacrosanctae religionis instituta: nec solum errores seruntur ex erroribus, sed et honestae vitae legumque laxantur, quin et plane rumpuntur vincula. Vnde Christiana iustitia, qua nihil antiquius esse

a) dicam inadiaphoris *typogr.*

[1] 2 Esr 4, 15; Ps 32, 10 etc.

[2] Io 14, 17; 15, 26; 16, 13; 1 Io 4, 6; et cf. Eph 4, 3—6.

[3] Litigant de rebus, quas nemo eorum intellegit. „More Andabatarum gladium in tenebris ventilans"; „clausis, quod dicitur, oculis Andabatarum more pugnare": *S. Hieronymus,* De perpetua virginitate B. Mariae c. 5; Adversus Iovinianum L. 1 c. 36 (*Migne,* P. lat. XXIII 198 272). Cf. etiam *Ciceronis* Epistolas familiares l. 7, ep. 10.

[4] Fabulosum illum deum marinum significat, qui efficiebat, ut modo tigris, modo leaena, modo ignis, modo aliquid aliud esse videretur; „formas se vertet in omnis": *Vergilius,* Georgicon 4, 411.

[5] Iac 1, 8. [6] 2 Petr 2, 14; 3, 16; cf. Iac 1, 8.

[7] *S. Athanasius* de Arianis: „*Εἰσὶ ποικίλοι καὶ παλίμβολοι τὰς γνώμας, ὡς οἱ χαμαιλέοντες ἐν τοῖς χρώμασι*": Epistola de decretis Nicaenae Synodi n. 1. „*Θαυμαστὸν οὐδὲν, εἰ πρὸς τὴν ἀλήθειαν οἱ Ἀρειανοὶ μάχονται, ὅπου γε καὶ τοῖς ἑαυτῶν προσκόπτοντες ἀλλήλοις συμπίπτουσι, ποτὲ μὲν λέγοντες πολλὰς εἶναι σοφίας, ποτὲ δὲ μίαν ἀποφαινόμενοι· καί ποτε μὲν τῇ κάμπῃ συνάπτουσι τὴν σοφίαν, ποτὲ δὲ συνυπάρχειν τῷ Πατρὶ καὶ ἰδίαν αὐτοῦ λέγουσι· καὶ ἄλλοτε μὲν ἀγένητον μόνον τὸν Πατέρα· ἄλλοτε δὲ καὶ τὴν σοφίαν αὐτοῦ καὶ τὴν δύναμιν ἀγένητον*" etc.: Oratio II. contra Arianos n. 40 (*Migne,* P. gr. XXV, 416; XXVI 232).

decebat, magis magisque repudiatur, improbitatis autem et impietatis formae ac species teterrimae sic ab omni propemodum aetate ordineque accersuntur, excoluntur, grassantur, vt pristinae iustitiae vestigia, quae nostrorum aetate Maiorum apparebant splendide, nunc tantum non ex hominum animis deleta et obliterata esse videantur. Nec mirum sane, quando de sola fide iustificante sic docetur ac discitur, vt vulgo absque timore et pudore vllo peccetur[a], et stulti homines ad summam vitae licentiam idcirco sibi promittant impunitatem, quod fide CHRISTVM teneant et appraehendant. Ita demum sibi licere putant quicquid libet, eo quod praeclare scilicet, vtut ipsi viuant, CHRISTI tamen tegantur Iustitia, et hac ipsa omnis iniustitia atque turpitudo credentibus, etiamsi obedientia et poenitentia nunquam accedant, statim abstergatur. Quod pessimae securitatis malum in animis hominum altas profecto iecit radices, quas vix arte humana liceat reuellere et funditus extirpare, praesertim cum propemodum insanabilis arrogantiae morbus accesserit, quo impediti homines, quantunuis inepti ac prophani, sacris de rebus et literis nihil non intelligere et iudicare se posse confidunt ac statuunt. Hinc tanta ingeniorum petulantia, tantumque in iudicando supercilium cunctos fere ordines oocupat, vt vel vilissimi et sordidissimi quique, tametsi nihil minus quam sacra didicerint, de hominis tamen iustificatione, alijsque abstrusissimis, huic argumento coniunctis, palam disputare, et contra doctissimos libere pronunciare minime vereantur. Quorum insaniae et temeritati si quis fortasse Maiorum vel Patrum authoritatem opponat, mox illi ad solitas tergiuersationes excurrunt, insultant maioribus, parum aut nihil tribuunt Patribus, rident Episcopos, Ecclesiae sensum et consensum respuunt, ac demum in praesenti controuersia simul Actores et Iudices esse contendunt. O mores, o tempora, cum tam impune licet sacra contemnere, sine legibus, sine iudicio iudicare, et pro suo quenque capite diuinis de rebus philosophari. At mihi non humanam et Euangelicam, sed Luciferanicam et intolerabilem profecto superbiam haec sapere videntur. Cur vero miremur, hoc extremo seculo, impudentiae et impietatis omnis feracissimo, tam modestos scilicet ac religiosos prodire discipulos, qui praeceptorum vitia propensis animis aemulantur? Dici certe non potest, quae quantaque sit nouorum istiusmodi magistrorum temeritas et audacia, cum in rescindendis et abolendis Ecclesiae Legibus et institutis, tum in authoritate Veterum conuellenda, reijciendaque.

Et quoniam in hunc locum incidimus, age parumper commonstremus exemplis, quantulum nouae doctrinae ministri et magistri, venerandis et antiquis Patribus deferant, immo quam in illosipsos petulanter insurgant: nimirum vt quod stulte his detrahunt, sibi demum stultius arrogent, praesertim ad sua de Iustificatione dogmata communienda. Non satis est Bezae et plerisque alijs, cum epistolam ad Romanos interpretantur, Ambrosium, Chrysostomum, Hieronymum

a) peccatur *typ.*

subinde sugillare, nisi verbis etiam contumeliae plenis, hos probatissimos Ecclesiae Doctores palam insectentur. *Certe hoc ausim dicere,* inquit Beza (in 3. cap. ad Rom.), Origenem hominem fuisse selectum Diaboli organum, *Apostolicae doctrinae funditus euertendae ordinatum.* Eundem, scribit, neque quid sit gratuita Imputatio, neque quid sit fides, neque quid Iustitia aut Iustificatio, intellexisse [1]. Etsi enim suos habeat naeuos Origenes, quos reiecit Ecclesia, nullus tamen Veterum ac Doctorum illi vnquam adeo fuit iniquus, vt tantam inscitiae Notam et singularem Doctrinae de Iustificatione deprauationem, illi summo Theologo, qui MAGISTER Ecclesiarvm dictus est, voluerit imputare. Et audet tamen cum Beza Melanchthon pronunciare, Origenem de fide quid sit, quidque Pavlvs de Iustificatione disserat, haud quaquam assequi, sed extra viam currere. (Lib. de Ecclesia . et in cap. 14 ad Rom.[2]) Crassior adhuc in censendo est Heshusius, qui simul amicum osculum praebet, et colaphum hostiliter impingit Origeni, cum de illo ita censet (Lib. de seruo arbitrio): *Origenes, homo doctus, immensi laboris, admirandae diligentiae, verum nullius iudicij, quod ad verum intellectum sacrarum literarum attinet.* Et rursus: *Vix vllam Pauli sententiam absque insigni et perniciosa deprauatione exponit: nobilissima vero testimonia, quae sunt fons omnis consolationis, non sine blasphemia inuertit*[3]. Quis vero pius ambigat, de sacris literis vni Origeni plus iudicij quam centum huiusmodi Theologis contigisse, qui cum Heshusio Diuinam Scripturam perniciose interpretantur? Pari vero maledicentia idem Heshusius Clementem Alexandrinum Origenis praeceptorem, et Pantaeni discipulum, ac Apostolorum temporum plane vicinum, persequi non erubescit. *Hic,* inquit (Ibidem), *vsqueadeo in doctrina Christiana rudis fuit, vt neque doctrinam de peccato originis, neque promissionem Euangelij intellexerit: ideo passim de Iustitia operum philosophatur, non*

---

[1] „Certe hoc ausim dicere, si haec sunt Originis cuius titulum praeferunt, hunc hominem fuisse selectum diaboli organum, Apostolicae doctrinae funditus euertendae destinatum. . . . Hic quoque laborauit Originis ingenium, qui quum neque quid sit gratuita imputatio neque quid sit fides, neque quid iustitia aut iustificatio, intelligeret, perfectam fidem in Abrahamo fuisse somniauit" (In Rom. 3, 20; 4, 3): *Theodori Bezae* Annotationes maiores in Novum D. N. I. Chr. Testamentum, s. l. 1594, II 38 46.

[2] *Melanchthon* in „Commentariis in Epistolam Pauli ad Romanos", cap. 14: Origenes, „in Rom. tractans hanc propositionem: Fide iustificamur, non ex operibus, . . . cum non attendat, quid agat Paulus, quid vocet fidem, quid sibi velit illa exclusiva: Non ex operibus, addit enarrationes confusas et perplexas, nec sibi constat. . . . Hi loci ostendunt Origenem currere extra viam, nec attendere, quid agat Paulus." Eadem verba sunt in *Melanchthonis* libro „De Ecclesia et autoritate Verbi Dei", cap. „De Origene": *Philippi Melanchthonis* Opera, Vol. XV., ed. *C. G. Bretschneider,* Halis Saxonum 1848, 749—750; Vol. XXIII, ed. *H. E. Bindseil,* Brunsvigae 1855, 610 - 611 (Corpus Reformatorum XV XXIII).

[3] Uterque locus ex Heshusio ad verbum descriptus est (De servo hominis arbitrio: et conversione eius per Dei gratiam adversus Synergiae adsertores. Autore D. *Tilemanno Heshusio,* Magdeburgi 1562, cap. VI; liber nec paginas, nec folia habet numeris signata).

secus ac si de Platonis Academia vel Zenonis Stoa prodiret[1]. O foedum calumniatorem, qui de viro doctissimo iuxta et laudatissimo tam abiecte et ridicule iudicat.

Idem est candor, eadem aequitas in Centuriatoribus (Cent. 2 c. 4), qui negant virum hunc maximum et peritissimum, peccatum originis cognouisse[2].

Ac tandem huc impudentiae prorumpit Heshusius, quem Beza (Lib. contra Claudium de Sainctes) vocat asinum calcitronem[3], vt his duobus, quos dixi, magistris Clementi et Origeni, acceptum ferendum esse dicat, quicquid de libero arbitrio affirmant Athanasius, Eusebius, Basilius, Nazianzenus, Epiphanius, Chrysostomus, Hieronymus. *Atque idcirco,* inquit (Lib. de seruo arbitrio), *id totum apud recte iudicantes minus ponderis in controuersiae diiudicatione habere debet*[4]. Tam friuolo demum argumento nititur Heshusius, vt suam de seruo arbitrio sententiam toties explosam, et ab antiquitate proculcatam, aduersus grauissimos et probatissimos illos Patres, quos sibi repugnare intelligit, aliqua ex parte defendat. De Chrysostomo idem Heshusius (Ibidem) pronunciat, quod Origenica philosophia imbutus, de viribus humanis perperam doceat, ac caeteris orthodoxis crassius loquatur, de libera scilicet hominis voluntate[5].

Centuriatores (Cent. 5 c. 4) Chrysostomum vocant bonorum operum immodicum Encomiasten, qui et synergiam voluntatis humanae passim defendat, et liberi arbitrij patronum agat[6]. *Nimis propensus est,* inquit Martyr (in cap. 3 ad Rom.), *ad tuendum liberum arbitrium et humanas vires*[7]. Nihil enim istis non est immodicum, quod modo syncere pium et orthodoxum docet atque confirmat Ecclesia. Idem Basilium

---

[1] Haec sunt in eiusdem libri capite eodem (v. supra p. 69 [3]).

[2] „Clementem [Alexandrinum] in omnibus scriptis suis nusquam apparet uim peccati originis, seu mali illius inhaerentis, intellexisse": *Centuria* II, c. 4, De peccato originali (Ecclesiastica Historia, integram Ecclesiae Christi ideam . . . secundum singulas Centurias . . . complectens . . . Per aliquot studiosos et pios *uiros in urbe Magdeburgica,* Basileae 1560, Cent. II, cap. 4, col. 58).

[3] In tribus quidem contra Claudium de Sainctes libris (Apologia prima, Altera Apologia, Ad repetitionem primam . . . responsio), qui exstant in „*Theodori Bezae* Vezelii Tractationum theologicarum" tribus voluminibus recognitis ab auctore et Genevae a. 1582 editis (vol. II p. 288—363; III p. 1—53) haec appellatio non apparet; sed notandum est, hanc esse duarum illarum Apologiarum editionem secundam; fortasse autem posita erat in Apologiae primae editione prima eo loco, ubi in editione altera Beza Heshusium vocat „ineptissimum" (vol. II p. 304; ibidem p. 306 *Beza* Heshusii et aliorum libros quosdam vocat „cloacas").

[4] Haec quoque in libri capite sexto, quod supra (p. 69 [3]) dixi, sunt.

[5] Ita *Heshusius* l. c., cap. V.

[6] *Centuria V,* c. 4, „De bonis Operibus" et „De libero arbitrio" (*Quinta Centuria* Ecclesiasticae Historiae, Basileae [1562], c. 4, col. 256 500 506).

[7] Verba quidem haec in commentarii illius editionibus basileensi (a 1560), tigurina (1569), heidelbergensi (1612) frustra sunt quaesita; sed scribit ille in cap. 5 (similia dicit in cap. 1): „Chrysostomus hoc loco cavendus nobis est. Ait enim, Paulum, . . . cum accedit ea, quae sunt a nobis, unum eum tantum proponere, nimirum

et Nazianzenum appellat (in cap. 11 ad Rom.) magnos ἐργοδιώκτας, hoc est, operum exactores, ac liberi arbitrij patronos[1], quasi hac in parte summi illi Graecorum Theologi hallucinentur.

Iam vero si vllus ex Patribus, inprimis quidem Augustinus, vbi de Iustificatione tractatur, summae semper fuit Authoritatis. Sed contra hunc etiam isti cristas erigunt, ac eius doctrinam nunquam satis laudatam, quae lucem scriptis Apostolicis maximam praebet, pergunt calumniari.

Chytreus (Lib. de studio Theologiae) obijcit, Augustinum sententiae Pauli de gratuita imputatione iustitiae CHRISTI[2], non satisfacere[3].

Schnepfius[4] in hunc modum scribit: *Augustinus veram et genuinam Ecclesiae de imputatiua iustitia sententiam nunquam est assequutus.* Quid vero, si quod Augustinus in Pauli scriptis non est assecutus, Chytreus, Schnepfius, Luterus cum tota sua synagoga, multo minus intelligere et assequi possint? Addit et illud Schnepfius, *Manifestum est, Diuum Augustinum haud leuium errorum semina vel iecisse, vel ab alijs iam sparsa auxisse et confirmasse*[5] (Lib. de eucharistia). Tum Philippus ita probat Augustinum, vt multa etiam in ipso improbet (Lib. de Ecclesia), vtpote quod Paulum saepe torqueat, ac perperam interpretetur, quodque vulgaribus sui seculi opinionibus subinde se vinci patiatur[6].

---

fidem: quam vult, ut nos ipsi de nostro adferamus. At nobis mordicus retinendum est, fidem quoque donum Dei esse, atque ab illo ad nos derivari": In Epistolam S. Pauli Apostoli ad Romanos D. *Petri Martyris Vermilii* Commentarii, Tiguri 1569, 225.

[1] *Petrus Martyr*, In Epistolam S. Pauli Apostoli ad Romanos, ed. 3., Basileae 1570, 571.

[2] Rom 3, 20—5, 21; 4, 1—25; 1 Cor 1, 30; Gal 2, 16—3, 27; 5, 5—6, etc.

[3] „Non omnino sententiae Pauli de gratuita imputatione iusticiae Christi satisfacit Augustinus": *David Chytraeus*, De studio Theologiae recte inchoando, Vitebergae 1561, f. 17^b—18^a. David Kochhafen sive Chytraeus (1531—1600) suebus, unus ex moderatioribus Lutheri sectatoribus, diu Rostochii (Rostock) in paedagogio et in universitate docuit.

[4] Erhardus Schnepff (1495—1558) heilbronnensis, sacrorum minister et professor tubingensis, deinde professor ienensis.

[5] Duae hae sententiae sunt in „Confessione *Erhardi Schnepffii* de Eucharistia", Francofordiae ad Moenum 1577 (libellus nec paginas, nec folia, nec capita habet numeris signata), in lo. cap. 6, etc.

[6] „Etsi autem interdum in eius scriptis figurae orationis occurrunt non satis explicatae aut incommodae, hae temporibus condonandae sunt, quia vulgi consuetudo quasdam figuras receperat, ut appellationem meriti . . . Non satis consideravit, quid in . . . votis vitii fuerit, quod erat obscurius. Vincebatur enim vulgaribus opinionibus sui seculi. Iam mos receptus erat faciendi vota". Ita *Melanchthon*, in libri „De Ecclesia et autoritate Verbi Dei" editione Vitembergae a. 1560 vulgata, cap. „De Augustino" (Opera l. c. XXIII, 621—626). Nec tamen legitur neque in hac editione, neque in editione libri „De Ecclesia" etc., quam Operum Melanchthonis volumen II. Vitembergae a. 1601 vulgatum continet (c. „de Augustino"), „quod [Augustinus] Paulum saepe torqueat, ac perperam interpretetur". Eane in prioribus sunt editionibus, Vitembergae a. 1539 (bis), 1540, 1550, Argentorati 1540, Basileae 1541 etc. factis? (Opera l. c. XXIII 587—590).

Fingit Heshusius (Lib. de seruo arbitrio), Augustinum plus aequo tribuere lib. arbitrio, neque dextre satis ab eo tractari negotium iustificationis [1]. Plura in eo desiderant adhuc Centuriatores (Cent. 5 cap. 4), quoniam naeuos ex prioribus seculi Doctoribus retinuerit, et in loco de Iustificatione non raro sese inuoluerit, bonisque operibus in quibusdam locis nimium adscripserit, quod nimirum etiam aliquid ad salutem prosint [2]. Verum enimuero quos isti naeuos deputant, nos Augustini virtutes ac veritatis testimonia possumus interpretari: nihilque referre putemus, quin et laudi tribuamus, si quaedam vir tantus cum alijs Patribus nunquam est assecutus, quae ad doctrinam et mysteria istiusmodi quinti Euangelij proprie spectant.

Repraehendit in eodem Augustino Pomeranus [3] (in Ionam. Rom. 5), quod commendare sane decebat, [iudicare eum] [a] charitatem [?] DEI diffusam in cordibus nostris per Spiritum sanctum [4], sic a Paulo dici, vt accipiatur de charitate nostra, qua diligimus DEVM et proximum, quae est impletio et opera legis [5].

Quid ad haec Pomeranus? *Negato Augustinum,* inquit, *ne Christum iustitiam nostram neges* [6].

Sic in re seria vir bonus ille nugatur, vt Augustini dictum et authoritatem eludat. Quasi vero si Augustinum ducem sequamur, et primas charitati tribuamus, negare simul oporteat CHRISTVM nobis factum esse iustitiam (1 Cor 13), immo et sapientiam, et sanctificationem, et redemptionem [7] (1 Cor 1), sicut Paulus, eiusque fidus interpres Augustinus, constanter praedicant.

Fuit demum Gregorius Massouita, tam praeposterae mentis et insani iudicij homo, vt si Stancaro (Lib. de Trinit. et mediatore) credimus, vnum Caluinum plus valere voluerit, quam centum Augustinos [8].

a) *Ut haec vel similia suppleantur, exigere videtur et tota haec Canisii oratio et locus Pomerani, qui illius animo obversabatur* („Per errorem iudicat Paulum illic dicere de charitate" *etc.; cf. infra adn. 5.*

---

[1] „Sciri necesse est, Augustinum quidem in prioribus suis scriptis, plus aequo tribuisse libero arbitrio": L. c. V.

[2] Haec dicuntur in *Centuria* V. c. 4. „De libero arbitrio" et „De bonis Operibus" atque c. 10. „Naeui" (l. c., c. 4 col. 501 507; c. 10 col. 1133).

[3] Ioannes Bugenhagen (1485—1558), patria pomeranus, unus ex intimis Lutheri amicis (de quo cf. *Can.* IV 883). [4] Rom. 5, 5.

[5] Rom. 13, 8. Augustinum ita „per errorem iudicare" scribit Pomeranus (Jonas Propheta expositus per *Johan. Bugenhagium Pomeranum,* D., Wittenbergae 1550 [liber nec paginas, nec folia habet numeris signata], cap 3., Tract. de vera Poenitentia).

[6] „Si dixerint, Augustinus sentit legem fidei esse charitatem, Responde, Augustinus non sentit charitatem nostram, id est, opera legis esse meritum iustificationis, quia hic aperte dicit. Non iustificamur factorum meritis, sed gratuita gratia. Si hoc tibi non permiserint, negato Augustinum, ne Christum iusticiam nostram neges": l. c. cap. 3. [7] 1 Cor 1, 30.

[8] Hoc de Gregorio „Brzezinio" Masovita, „Pinczovianae" ecclesiae ministro, narrat *Franciscus Stancarus* Mantuanus, de Trinitate et Mediatore Domino nostro Jesu Christo, Cracoviae 1562 (liber nec paginas nec folia habet numeris signata), cap. „adversus Io. Calvinum".

Sed hic non male fortasse quis responderit, quod pro Petro Lombardo lepide respondit idem Stancarus (Ibidem): *Plus valet vnus Augustinus, quam centum Luteri, ducenti Melanchthones, trecenti Bullingeri*[1], *quadringenti Petri Martyres, et quingenti Caluini. Qui omnes si in mortario contunderentur, non exprimeretur*, inquit, *vna uncia verae Theologiae*[2].

Longum sane ac infinitum prope foret, reliqua id genus commemorare, in quibus isti Momi[3], non dicam qua fide, naeuos, corruptelas et vitia Sanctorum Patrum singulatim numerant, ac praesertim in doctrina iustificationis odiose perstringunt. Nobis vero sat fuerit hoc loco subijcere, quid illi generatim de vniuerso semperque venerando Patrum coetu censeant, quam parum electis illis Dei organis, et praeclaris Ecclesiae luminibus deferant, nullus vt propemodum ipsorum palato satisfaciat ex his, qui totius antiquitatis et ordinis Christiani iudicio comprobantur. Neque solum posteriorum aetatum, quae mille ab hinc annis defluxerunt, sed et priorum, quae Apostolorum aetatem proxime sunt consecutae, Theologos vexant et verberant. Affirmat Melanchthon[4] (In caput 3 prioris ad Cor.), statim initio scriptores siue Patres supra fundamentum stipulas extruxisse, et doctrinam de iustitia fidei obscurasse[5].

Matthaeus Iudex (De pace Ecclesiae) ita loquitur: *Quia negligens fuit aetas post Apostolos, naeuos et stipulas multas miscuit*[6].

Testatur Aepinus (Comment. in psal. 19), veteres scriptores neque integris editis disputationibus pertractasse argumentum Iustificationis, quod eorum aetate haec res praecipue disputata non sit, neque satis commode de hoc argumento locutos esse[7].

Heshusius adhuc impudentius vociferatur (Lib. de seruo hominis arbitrio), sublimem Articulum nostrae religionis, de Iustificatione nimirum, in plerisque Patribus seu scriptoribus Ecclesiasticis sanioribus,

---

[1] De Henrico Bullinger v. *Can.* IV 351.

[2] Haec ad verbum ex Stancari libro, quem modo dixi (v. supra p. 72[8]), expressa sunt (cap. „Examinantur SS. Patrum authoritates), nisi quod a Canisio „Augustinus" positus est loco Petri Lombardi, qui est apud Stancarum.

[3] Homines obiurgandi et increpandi studiosi. *Μῶμος* enim sive Momus ferebatur esse deus Nocte matre, Somno patre progenitus, qui, cum ipse nihil operis faceret, reliquorum deorum opera carpere et improbare soleret (*Hesiodus*, Theogonia v. 214).

[4] Cf. 1 Cor 3, 12 13.

[5] „Alii vero stipulas supra fundamentum extruunt, ut statim initio scriptores obscuraverunt doctrinam de Iustitia fidei": *Melanchthon*, Commentarius in Epistolam Pauli ad Corinthios priorem, cap. 3. (Opera XV, 1067).

[6] *Matthaeus Iudex* (1528—1564) saxo, contionator magdeburgensis, professor ienensis, unus ex Centuriatoribus, ita scripsit in libro „De vera pace Ecclesiae, et de seditione duplici ecclesiastica, et politica", s. l. 1566, p. 28.

[7] Ad verbum haec expressa sunt (praeterquam quod post „argumento" omissum est „ubique") ex „Commentario in Psalmum XIX. Authore D. *Iohanne Aepino*", Francofurti 1545, f. I V[b]—I VI[a]. De Aepino v. *Can.* III 93[1].

improprie, et non sine corruptelis: in multis obscure et perplexe, in paucissimis solide et absque rationis fundamento[a] [?] exponi[1].

A qua sententia non discedit Chytreus, dum queritur (Lib. de studio Theologiae), *Non modo Basilium et Hieronymum, sed et plerosque Patres, propriam Euangelij de gratia DEI et Iustitia fidei doctrinam, quae praecipuum et proprium Ecclesiae patrimonium est, leuissime attingere, aut politicis opinionibus de iustitia legis obscurare et deprauare*[2].

Pomeranus, qui Luteri fuit aetate Pastor Vuittenbergensis, has voces barbaras et contumeliosas euomit (In Ionam): *Nostri Patres siue sancti, siue non sancti, nihil moror, excaecati sunt Montanico spiritu*[3] *per traditiones humanas et doctrinas Daemoniorum, in hypocrisi loquentium mendacium.* Et rursus: *In libris doctorum Ecclesiasticorum raro inuenies articulum Iustificationis pure expressum, ne in libris quidem B. Athanasij. Non pure, inquam, dicunt de Iustificatione, nisi forte quando citant Pauli verba de Iustificatione, in quibus tamen non persistunt, aut quando quidam ex eis optimi scribunt de gratia Dei contra Pelagianos: vbi tamen quaedam intermiscent, vt non satis videantur assequi sententiam Pauli et sacrarum literarum.* Ac ne sit finis maledicendi: *Quidam*, inquit, *ex illis doctoribus, cum multa docent, et ingentia volumina scribunt, ne soliciti quidem sunt, ut Christum per Euangelium syncere doceant: sed cum de Iustificatione et salute nostra dicendum est, dicunt quicquid in buccam venit.* Assuit tandem hoc praeclarum scilicet epiphonema: *Non debetis Patribus credere, qui ex vno ore frigidum et calidum efflant*[4].

Quid autem in vniuersos, eosque celeberrimos Patres impurius, quid in sanctissimos viros petulantius effutire poterat Pomeranus, a suo nempe magistro Lutero sic institutus? Hic etenim ne parum sit impudens, mendacium esse dicit (Sermone in festo S. Iacobi. et in Dominicam 13. et in ca. 25 Genes.), quod Augustinus, Ambrosius, Hieronymus Diuinas illustrarint literas[5], graues errores in omnium

a) *Puto corrigendum esse:* fermento; *nam hoc v. et apud Heshusium hoc loco est, et toti orationi magis congruit quam v.* fundamento.

---

[1] Haec ab *Heshusio* in libri prooemio dicuntur; cf. supra p. 69 [3].

[2] *Chytraeus* sic queritur in libro, quem supra (p. 71 [3]) dixi, f. 17[b].

[3] Id est: Acerbe severo et fanatico, quo primis ecclesiae saeculis secta Montanistarum movebatur.

[4] Haec omnia sunt in *Pomerani* „Jona Propheta exposito", cap. 3; vide supra, p. 72 [5].

[5] *Lutherus* in contione a. 1522 die S. Iacobi Apostoli (25. Iulii) habita: „Sagt, der vâter sprüch seyen tunckel . . . Dartzû wenn sy sagen, die vâter Augustinus, Ambro., Hiero. etc. Haben die schrifft erleucht, da liegen sy an. Dann sy habens nit erleucht, sonder die schrifft mit irem aigen liecht klar gemacht und ainen spruch zum andern gehalten. Das ainer den andern fein klar gemacht hat": D. *Martin Luthers* Werke, Kritische Gesammtausgabe, 10. Bd, 3. Abt., Weimar 1905, 236—238. Similiter *Lutherus* in una ex contionibus „Dominicae 13. post Trinitatis", evangelium illud Samaritani Lc 10, 25—37 explicans: „Der Priester", inquit, „bedeutet die heiligen lieben Väter, die vor Mose gewesen sind. Der Levit bedeutet das Priester-

Patrum Scriptis reperiri testatur[1], Hieronymum totum insanijsse, et sensu communi caruisse, quin et bestiam et stipitem eundem dicere non veretur[2]: Franciscum tam crassum et stultum fuisse miratur, qui paupertatem vltro deligeret, suisque fratribus iniungeret[3]: demum Thomae Aquinati (In assertionibus[a] contra Bullam Leonis), dum scriberet, non bonum, sed malignum adfuisse spiritum criminatur[4]. Sed

a) auersionibus *typogr. Caeterum ea, quae hic uncis includuntur, non hoc loco, sed paulo superiore ponenda fuerunt; v. supra p. 74 et infra, adnot. 1.*

---

thum des alten Testaments. Diese alle aber haben mit diesen Werken nichts ausgerichtet, sind vorüber gangen, wie dieser Priester und Levit thun. Darum, wenn ich gleich alle gute Werke hätte, Noah, Abrahams und aller lieben Väter, so hülfen sie mir doch nichts": Ita quidem Dr. Martin Luther's Kirchenpostille, herausgeg. von *J. G. Plochmann* II, 5. Bd, Erlangen 1828, 11—12. Novissima tamen illa editio vinariensis in contione a. 1523 Dominica 13. post Trinitatis (30. Augusti) habita priorem partem capituli modo positi, si res, non verba spectentur, habet, alteram partem („Darum, wenn ich gleich" etc.) non habet (12. Bd., Weimar 1891, 662). In oratione autem de capite 25. libri Genesis habita *Lutherus*: „Der lieben veter", inquit, „Historien sind so nerrisch anzusehen, das es fleisch vnd blut mus lachen, vnd fur narrheit halten. Es ist aber nur darūmb so gestellet, das sich die hoffertigen klugen geister dran stoßen, vnd zu narren werden": Vber das Erst buch Mose, predigete *Mart. Luth.* . . Gedruckt zu Wittemb. 1527 f. CCXXIII[a]. Eadem sunt in novissima editione vinariensi XXIV, 427. Vide etiam *Hartm. Grisar* S. J., Luther II, Freiburg i. Br. 1911, 655—656.

[1] „Quanti errores in omnium patrum scriptis inuenti sunt? Quoties sibiipsis pugnant? Quoties inuicem dissentiunt? Quis est qui non saepius scripturas torserit? Quoties Aug. solum disputat, nihil definit? Hiero. in commentarijs fere nihil asserit. Qua autem securitate possumus alicui niti, quem constiterit saepius errasse, sibi et alijs pugnasse, scripturis uim fecisse, nihil asseruisse, nisi autoritate scripturae nos omnia eorum cum iudicio legerimus?": *Martinus Lutherus,* Assertio omnium Articulorum M. Lutheri, per Bullam Leonis X. novissimam damnatorum, s. l. 1521, f. Aa IV. Eadem (scribendi ratione paululum immutata) sunt in recenti operum Lutheri editione (Werke VII, Weimar 1897, 98).

[2] „Inter Ecclesiasticos scriptores nulli fere sunt, qui ineptius et absurdius diuinas litteras tractarint, quam Origenes et Hieronymus". Et de Hieronymo „Multa uir ille (ea fuit oscitantia et hebetudo eius in scripturis intelligendis) impie scribit . . . homo nullius neque iudicij neque diligentiae": *Martinus Lutherus,* De servo arbitrio ad D. Erasmum Roterodamum, s. l. 1526, f. P VI[a]. R II ij[a]. N ij[a]. Item in „D. *Martin Luthers* Werke" XVIII, Weimar 1908, 723, 737. Caeterum puto, Canisii animo non hos locos, saltem non hos solos, sed alios quoque obversatos esse; quos equidem reperire non potui. Cf. *Hartm. Grisar* S. J., Luther I, Freiburg i. Br. 1911, 427.

[3] *Lutherus* in contione die Omnium Sanctorum habita: „Also köndt jr nun wol richten und achten, welche arm sein, Nemlich die den mut nit darauff legen. Aber nun sehet jr, wie sie die armut haben herauss gezogen in die eußerlichen armut. Als nemlich Franciscus, das doch ein frummer man gewest ist, Also das mich wundert, wie er so nerrisch unnd grob hie gestolpert hat, der sich hie hat in armut geben und seine Brüder in ein regel verfast, nit mehr zuhaben, wann von der handt zu dem munde, uber nacht nichts zu behalten, und hat das Ewangelium also herauss in zeitlich armut gezogen wider Christum": Werke, 10. Bd., 3. Abt., Weimar 1905, 404.

[4] Multum quidem S. Thomas in „Assertionibus" illis a Luthero carpitur, neque tamen hic locus in iis exstat. In „Postilla" vero est oratio in diem Exaltationis Sanctae Crucis (14. Septembris 1522 habita), in qua *Lutherus* mentionem facit Thomae

qui Patres, quantunuis de repub. Christiana benemeritos, tam superbe contemnit, ac tamquam rudes et ineptos magno supercilio despicit, quid illum de suo Theseo Philippo Melanchthone[1] putes iudicaturum? Hunc (In praefat. super annotat. Philippi in epist. ad Rom.) Apostolo Paulo facit proximum, huius in Paulinam ad Romanos epistolam commentarios tantopere laudat, vt non solum Hieronymi et Origenis libros prae illis negligat, sed et aliorum Patrum scripta, si cum Philippi annotationibus comparentur, meras nugas et ineptias esse non dubitet asseuerare[2]. Ornat Philippus vicissim Luterum, sicut et reliqui discipuli summis laudibus in coelum vehunt hunc suum reuerendum (vt vocant) Patrem, praeceptorem, prophetam, apostolum, Euangelistam, Eliam, Ioannem, et quid non denique[3]? Nam Erasmus Alberus[4] (Lib. contra Carolstadianos) hoc eidem tribuit elogium, post Apostolorum aetatem inter Doctores Ecclesiae Lutero peritiorem nullum extitisse.

Aquinatis, „dem man die tauben jns or maldt (ja ich mayn es seij ain junger teufel gewesst"): Werke, 10. Bd., 3. Abt., Weimar 1905, 335. Cf. etiam *Grisar*, Luther II 116, et *Heinr. Denifle* O. P., Luther und Luthertum I, Mainz 1904, 236 246 549 550[2].

[1] Theseum Atheniensium regem Pirithoo Lapitharum regi amicum adeo fuisse ferebant, ut etiam in infernum cum eo descenderet. Ita „Pirithoi fides" commemoratur ab *Ovidio*, l. 2 ex Ponto 6, 26.

[2] *Lutherus* in praefatione in Philippi Melanchthonis Annotationes in Epistolam S. Pauli ad Romanos (qui liber a. 1522 inscio Melanchthone a Luthero editus est) ipsi Melanchthoni Vitemberga 29. Iulii 1522 haec, praeter alia, scribit: „Ego quod impii Thomistae suo Thomae mendaciter arrogant, scilicet neminem scripsisse melius in sanctum Paulum, tibi vere tribuo: nam illis satan ille persuasit, sic de Thoma suo gloriari, quo impia eius dogmata et venena latius propagarent . . . Quin . . . dico, Hieronymi et Origenis commentarios esse meras nugas et ineptias, si tuis annotationibus comparentur . . . Sola Scriptura, inquis, legenda est citra commentarios. Recte de Hieronymo et Origene et Thoma hisque similibus dicis. Commentaria enim scripserunt, in quibus sua potius, quam Paulina et Christiana tradiderunt . . . volumus Paulo suam quoque gloriam salvam . . . sufficit tibi proximum Paulo esse": D. Martini Lutheri Opera latina, ed. *Henr. Schmidt* VII, Francofurti ad Moenum 1873, 491—492. In recentem (vinariensem) editionem operum Lutheri non est recepta haec praefatio.

[3] Cf. *Grisar* l. c. II 268 599 667; III 637[5]; ubi ostenditur, Lutherum a Melanchthone vocari non solum reverendum patrem et praeceptorem, sed etiam „Eliam", „prophetam", per quem Deus doctrinam suam hominibus revelaverit. Item Lutherum „novum Eliam" vel „tertium Eliam" appellaverunt Wolfgangus Rychardus, Ioannes Magenbuch, Flacius Illyricus, alii ex amicis et discipulis eius (Grisar l. c. I 461; II 134 667; III 359 857); alii denique eum ornaverunt nominibus prophetae, apostoli, angeli, Ieremiae, Pauli, Ioannis Baptistae (*Grisar* l. c. II 134; III 857).

[4] *Erasmus Alberus* hassus, discipulus Lutheri et protestantium neobrandenburgensium „superintendens", de Luthero scribit: „Da vnser Herr Gott den Römischen Widerchrist angreiffen vnd stürtzen, vnnd das klare, herliche liecht seines Evangelij der welt offenbaren wolt, da erwelet er ihm einen man nach seinem Hertzen, vnd gab ihm zu sölchem grossen werck, dergleichen nach der Aposteln zeit auff erden nie geschehen, alle disse schöne gaben. . . . Jn einem buch D Martini find man mehr kunst vnd guter lere, denn in allen bücheren, die nach der Apostellen zeit geschrieben vnd für handen sind": Widder die verfluchte lere der Carlstader, vnd alle fürnemste Heubter der Sacramentirer, zu Newenbrandenburg 1556, f. t II.

En tibi, quam gloriose isti suos colunt ac praedicant, ne frustra vulgo dicatur: Scabies scabiem fricat, et muli mulos scabunt[1]. Contra vero apud sectarios nihil fere contemptius est Patribus, quorum vita, doctrina, mors in conspectu totius Ecclesiae non potest non preciosa[2] videri, ac diuinis saepe testimonijs orbi commendatur.

Illyricus (Lib. de sectis et dissensionibus), ne praetermittam[a] [?] quicquam, quod ad Patres conuicijs lacerandos pertinet, Franciscum, Dominicum et Benedictum, viros in Ecclesia celeberrimos, per summam contumeliam haeresiarchas appellat[3].

Quid Martino Turonensi inter Episcopos illustrius? Et hunc virum plane Apostolicum faciunt Necromanticum Centuriatores[4] (Centur. 5. cap. 10): qui praeterea Germaniae Apostolvm nunquam satis praedicatum Bonifacivm, pseudoapostolum, ministrum etiam et mancipium Antichristi audent appellare, talemque describere, qui cardinem vniuersae pietatis de Iustificatione gratuita per solam in CHRISTO fidem, euerterit atque eliserit, quique articulorum fidei corruptelas passim inculcarit[5] (Centur. 8. c. 10. et in praefat. eiusdem centuriae).

Eadem pene censura perstringunt (Ibidem), ijsdem tetris notis infamant alios Germaniae nostrae primos fere et sanctiss. Episcopos, Vvilibaldvm Eistetensem, Lvdgervm Monasteriensem, Vvillebrordvm Traiectensem, et Corbinianvm Frisingensem, qui summa fide et laboribus maximis, multas in Germania Ecclesias instituerunt atque administrarunt[6].

a) *Sic typogr.; corrigendumne est* praetermittat *?*

---

[1] „Mutuum muli scabunt": *Marcus Terentius Varro,* Fragmenta Satyrarum Menippearum, Biponti II, 1788, 292. „Proverbio finiamus et ‚mutuum muli scabant'" [alii: scalpant]: *Decimus Magnus Ausonius,* Technopaegion, Praefatio Monosyllabarum, etc. (alii: Edyll. XII., praef.). [2] Ps 115, 15.

[3] Ordines Minorum, Praedicatorum, Benedictinorum eorumque varias familias „haereses et sectas" atque SS. Franciscum, Dominicum, Benedictum earum „deos" appellat: De sectis, dissensionibus, contradictionibus et confusionibus doctrinae, religionis, scriptorum, et doctorum Pontificiorum Liber. Authore *Matthia Flacio Illyrico,* Basileae 1565, 75 76.

[4] „Jn fine secundi Dialogi meminit Sulpitius [Severus] Martinum potuisse daemones agnoscere, et suis nominibus increpare: ac in primis Mercurium ipsi fuisse prae ceteris infestum, Jouem autem hebetem ac brutum a Martino uocatum. Haec sane si uera sunt, haud obscure indicant, Martinum nigromanticum fuisse": Quinta *Centuria,* c. 10 (l. c. col. 1393).

[5] Reapse S. Bonifatius a *Centuriatoribus* vocatur „Dromo Romani Antichristi" et „pseudoapostolus", qui „cardinem uniuersae pietatis, de iustificatione gratuita per solam in Christum fidem, in vertit atque elisit" et „articulorum fidei corruptelas passim inculcauit", „ut minister et mancipium Antichristi": Centuria VIII, in litteris dedicatoriis et cap. 10 (Octaua Centuria Ecclesiasticae Historiae . . . in ciuitate Vuismaria, per Auctores contexta, Basileae [1564] f. α 3 et col. 796).

[6] Corbinianus „mercenarius" „Deos alienos coluit, et nuptias damnauit". Willibaldus „jisdem erroribus imbutus fuit, quibus Bonifacius. Monasticen, seu doctrinam daemoniorum, de prohibendis nuptiis, magni fecit . . . Humanis traditionibus Deo cultum praestari opinatus est: ideoque eas cumulauit, et superstitionibus Romanam

Sed blasphemi sunt plane Centuriatores, qui vt nothos et spurios Ecclesiae Germaniae filios se esse demonstrant, antiquum et proprium Germanorum Apostolum, et eundem constantem CHRISTI martyrem Bonifacivm, non minus perfide abnegant, quam contumeliose insectantur: huius autem loco adsciscunt et Germanis obtrudunt, non Patrem, sed pestem Patriae, Germanicum (si Superis placet) prophetam Luterum, cuius voce ac ministerio, vt inquiunt, lux Euangelij quasi e tenebris Aegyptiacis reuocata est.

At o longe beatiorem in vtroque statu Germaniam, si haec suo Apostolo et Doctore primo contenta, tertio Heliae, quem vocant, et nouo Germanico prophetae, alijsque pseudoapostolis[1] et falsis prophetis[2] aditum et hospitium nullum praebuisset, neque lucem Euangelij vel doctrinae aliam, nisi a Bonifacio, eiusque socijs et primis in Germania Episcopis traditam, velut depositum Apostolicum, bona fide custodiuisset[3]. Ita profecto non tam tetris et horrendis errorum sectarumque tenebris immersa, non tot exitialibus motibus concussa, non tam grauiter et misere scissa deformataque iaceret nobilis Germania, sed vera fidei luce, et amabili pace, communique florentis Imperij libertate, et veteri tranquillitate laete adhuc et integre perfrueretur.

Quid, quod ijdem Centuriatores, cum omnes Ecclesiae peruestigant aetates, nullum reperire seculum possunt, quo incorrupta de Iustificatione doctrina, integre, hoc est, ex Luteri suaeque sectae sententia, sit tradita et conseruata? Non illis quartum placet seculum (Cent. 4. c. 4.), quod spectatissimos tulit Patres, Athanasium, Basilium, vtrunque Gregorium[4], Epiphanium, Chrysostomum, Ambrosium, Hieronymum, quod seculum in articulo Iustificationis de Apostolorum doctrina procul desciuisse queruntur[5]. Non placet tertium (Cent. 3. c. 4.), quod Tertullianus, Cyprianus, Origenes et Arnobius praestanti sua doctrina illustrarunt. Nam tunc etiam doctrinam de Iustificatione, adeo perplexe et confuse tractatam dicunt, vt verae doctrinae lucem propemodum amisisse videatur[6]. Non secundum et Apostolorum temporibus pro-

---

Synagogam auxit." Willibrordus „Pontificios errores plerosque habuit de uita monastica, et de traditionibus humanis, de primatu Romani Pontificis, de cultu sanctorum mortuorum, et similes." Ludgerus „Erroribus pontificijs de traditionibus humanis, et uita monastica imbutus fuit. Ac utrumque gladium episcopis competere, sensit contra Christi interdictum: Principes gentium dominantur: uos autem non sic: *Centuria* VIII cap. 10 (l. c., c. 10 col. 787 810 813 815).

[1] 2 Cor 11, 13. [2] Mt 7, 15; cf. Zach 13, 2; Mc 13, 22; 2 Petr 2, 1 etc.

[3] 1 Tim 6, 20; 2 Tim 1, 14. [4] Nazianzenum et Nyssenum.

[5] „Jam cogitet pius lector, quam procul haec aetas, in hoc articulo, de Apostolorum doctrina desciuerit": Quarta Centuria Ecclesiasticae Historiae . . . Per aliquot studiosos et pios *uiros in urbe Magdeburgica,* Basileae 1560, c. 4, de bonis operibus, col. 293.

[6] Ita in *Centuria* III, c. 4, De bonis operibus (Ecclesiasticae Historiae etc. [vol. I., ut supra p. 70[2]], Cent. III, c. 4, col. 53).

ximum, in quo Dionysius Areopagita[1], Clemens Romanus, Polycarpus, Ignatius, Iustinus, Irenaeus, Clemens Alexandrinus floruerunt. Coepit enim, vt inquiunt (In praefat. 2. centuriae), eo seculo Doctrina de libero arbitrio vitiari, nimium viribus humanis tributum est, Articulum Iustificationis non satis perspicue explicarunt, et operibus iustificatorum plus quam debebant, adscripserunt[2]. In his ergo primis, multoque amplius in sequentibus aetatibus Ecclesiae, si Centuriatoribus creditur, magna syncerae doctrinae inclinatio facta est: et vel ignota, vel obscurata neglectaque iacuit vera lux de libero arbitrio, de hominis Iustificatione, de gratuita remissione peccatorum, de bonis operibus, de Sacramentis, ac breuiter de summis capitibus Christianae doctrinae.

Quid multa? Quoniam affectis male oculis inuisa lux est, et in causa non bona latebras et effugia quaerunt versipelles: quaecunque piae vetustatis extant vestigia, instituta, exempla, testimonia, quae ipsorum placitis aduersa, et Catholicorum sententiae sunt consentanea, haec illi aut studiose supprimunt, aut maligne inficiantur, aut arte quadam obscurant, vel non sine vi ad naeuos et corruptelas detorquent. Igitur sub suam ferulam cunctos Patres reuocant atque castigant Aristarchi[3]: his foedam inscitiae notam inurunt, velut prima fidei et pietatis elementa nesciuerint, illos nefariae superstitionis arguunt: caeteros, vt in doctrina vindicanda negligentes, ex falsis sectae principijs calumniantur. Summa vero et praecipua querela, cur contra omnium aetatum Patres excipiant, in eo versatur, quod Euangelij fulgorem et fidei doctrinam, et iustitiam mere imputatiuam, in verbo DEI nullum seculum post Apostolos adspexerit atque retinuerit, sicut ipsi nunc faciunt, nescio quo nouo spiritu prae omnibus alijs illustrati, vt purum DEI verbum recte scilicet intelligant, et legitime interpretentur.

Sedenim caelum et terram Gigantes isti misceant, sursum deorsum voluant omnia, sacra simul et prophana confundant: nunquam tamen suis aut praestigijs, aut clamoribus, aut furoribus eo Catholicos adigent, vt a Columnis illis Domus DEI[4] firmissimis auellantur, et praeclara Ecclesiae lumina per quoslibet tenebriones aut obscurari penitus, aut vnquam extingui patiantur. Coaxent ranae omnes Aegyptiacae[5], insurgant et saeuiant cum armatis copijs Pharaonis[6], vniuersi demum Amalechitae[7] et incircuncisi Philistaei[8] agminatim con-

---

[1] Libros, qui cum nomine Dionysii Areopagitae primi Atheniensium episcopi a Paulo Apostolo ad fidem christianam adducti (Act 17, 34) circumferuntur, exeunte saeculo V. vel ineunte VI. compositos esse nunc plerique, nisi fallor, existimant.

[2] Haec dicuntur, incipiendo a „Coepit" in *Centuriae II.* praefatione (Ecclesiastica Historia, vol. I [ut supra p. 70[2]], Cent. II f. aa 2).

[3] I. e. iudices nimium critici; v. *Can.* III 280[2].

[4] Cf. Gal 2, 9; Apc 3, 12.

[5] Cf. Ex 8, 3—7; Apc 16, 13 14.

[6] Cf. Ex 14, 5-31; 4 Rg 23, 29; 2 Par 12, 2 3 etc.

[7] Cf. Ex 17, 8—16; 1 Rg 14, 48; 15, 2 etc.

[8] Idc 14, 3; 1 Rg 17, 26 etc.; cf. Idc 3, 1—3; 15, 9 etc.

spirent. Quid? an idcirco a complexu consensuque PATRVM perduelles isti nos abstrahent, et a praescriptis illorum terminis[1] bonorumque possessione legitimos haeredes extrudent, vt quod AVGVSTVM velut PATRIMONIVM, sancte a PATRIBVS traditum et relictum accepimus atque retinemus, id vel prodamus perfidi, vel deseramus ingrati, vel prodigamus insani? Auertat hanc tantam a nobis amentiam DEVS, eamque sensuum integritatem orthodoxis conseruet omnibus, vt non quid nouatores somniant, sed quid veteres illi sentiunt, rite animaduertant, ac pro dignitate ponderent, ne alioqui DEI VERBVM et Doctrinae CHRISTIANAE dijudicatio non PATRVM sapientiae, sed sectariorum libidini patere videatur.

At sinamus interim istos, qui non se minus a PATRIBVS, quam ab ECCLESIA nostra[a] nefarie praeciderunt, eoque ipso testantur, se huius ac superioris ECCLESIAE consensione atque communione alienos, hoc est, vere haereticos esse: sinamus, inquam, eos de suorum patrum et magistrorum doctrina, vel nuper nata, vel iam olim reiecta, et in multas partes concisa, superbe gloriari, immo et inter se hostiliter digladiari.

Illud autem ferre non possumus, et execrari debemus, vt quam ipsi EPISCOPIS et PATRIBVS adimunt Authoritatem, eandem vel sibi, vel suis magistris et collegis arrogent, etiamsi ANGELVS de caelo delapsus, contra communem PATRVM sensum atque consensum, vna cum nouatoribus omnibus euangelizaret[2].

Igitur quam a nobis fidem in re omnium maxima postulant, constanter illis negare cogimur, ut sciant se neque solos, neque praecipuos in VERBO DEI interpretando, et in Doctrina Religionis dijudicanda magistros ac arbitros esse, nullaque ratione illis inferiores [?][b] videri posse: sed longe praestare PATRES, quorum consentientem fidem et praeclaram doctrinam, singularis vitae sanctimonia commendavit, crebra et illustris miraculorum gloria, ac mirificus totius ECCLESIAE consensus tot seculis comprobauit.

Sed praesentis loci non est, longius isthaec persequi, quae nos propter hominum iniquitatem, Doctrinam Iustificationis scelerate corrumpentium, Patrumque verba inscite et maligne calumniantium, haud omnino voluimus praeterire. Vnde illud etiam intelligi potest, nullo vnquam tempore, cum sectarij signa in ECCLESIAM infesta mouerunt, Catholicis cum aduersarijs iniquiorem et difficiliorem extitisse conflictum. Siquidem Arriani, Macedoniani[3], Eunomiani, ac plures id genus haeretici, ante annos mille grassantes, veterum Scriptorum et PATRVM ECCLESIASTICORVM praeiudicio se suasque opiniones oppugnari patiebantur: nonnunquam ROMANI quoque PONTIFICIS et SYNODORVM

a) *Typ. hic addidit alterum* se. b) *Sic; sed res exigere videtur, ut dicatur* superiores.

[1] Cf. Prv 22, 28. [2] Gal 1, 8.
[3] Secta saeculo IV. orta, quae Spiritum Sanctum negabat esse Deum.

Episcopalivm iudicium minime recusabant. Nunc vero nihil tam sanctum, tam inuiolabile, firmum et ratum in Ecclesia potest reperiri, quod sibi nouatores sinant opponi: non Apostolicis Traditionibvs commouentur, non Pontificvm Sanctiones admittunt, non Ecclesiae ritibus et consuetudini acquiescunt: et demum, quae a Patribvs dicta, facta, instituta, tradita, scripta et confirmata sunt, ea vel nihili pendunt, vel in controuersiam reuocant impudenter. Et ne omnino quid certum atque firmum in Religione constet, incredibili obsistunt peruicacia, quo minus Sacrorum etiam Conciliorvm quantunlibet frequentium Authoritas suum pondus habeat, et salua in Ecclesia retineatur.

Ad TE porro redit oratio, Rever. et Illustrissime Princeps, quem ego, vti spero, ad praesentem tractationem, adeoque ad aetatis nostrae insaniam contemplandam non temere omnino deduxi. Tua enim et Episcoporvm omnium refert, de hoc miserando ECCLESIAE statu cognoscere, et pro ea qua polles dignitate, aliquando curare, vt Reipublicae Christianae tot miserandis modis afflictae, et exitialibus Sectariorum incursionibus dilaceratae, primo quoque tempore succurratur. Deinde sanctum est studium, quod tuam florentem decet aetatem, in Orthodoxa doctrina quae hodie tam grauiter oppugnatur, iudicanda vindicandaque versari, vt nimirum eo accuratius bonos in syncera religione confirmes, malorum vero consilia impiosque conatus dissipes, et verae Pietatis Hospitia vel passim instituas, vel instituta prouehas, conserues, atque defendas.

Ad haec non fuit abs re, vt arbitror, isthaec hoc loco praefari, quae ad sequens opus paratiorem animum redderent, vt in progressu libri, morem ingeniumque aduersariorum rectius noris, et si vsquam alibi, tum vero praecipue in doctrina Ivstificationis non deflectas a Patrvm sententia, quorum vtique grauissima semper fuit, et esse debet Authoritas in Ecclesia DEI. Etsi vero multi multorum Catholicorvm De Ivstificatione commentarij circunferuntur, qui et cum laude scripti sint, et vtiliter euoluantur, attamen operae me precium inprimis facturum putaui, si ex Theologis omnibus deligerem vnum, nec eum quidem vulgarem, de Jvstificatione tum dextre, tum erudite, tum copiose scribentem, qui vno volumine compraehensus, in Lectorvm gratiam euulgaretur. Prodest enim vehementer, de hoc trito quidem, sed difficili et amplo Argumento selecta quaedam extare, quae et studiosis satisfaciant, et pios commonefaciant saepe, et bonam quidem hominum partem aduersus eos, qui late et perniciose grasssantur, errores, salutaribus velut antidotis possint praemunire. Notus est enim APOSTOLICVS CANON, qui nostris hominibus non potest hodie satis inculcari (Hebr. 13), Doctrinis Variis Et Peregrinis Nolite Abdvci[1]. Et hunc quidem Theologvm delegimus R. P. ANDREAM VEGAM, virum cumprimis eruditum, parique sanctimonia, cum viueret, com-

[1] Hebr 13, 9.

mendatum, sed et CONCILII TRIDENTINI THEOLOGIS, quos praestantissimos fuisse constat, DOCTORVM iudicio annumeratum[1].

Quocirca GERVINO CALENIO viro humanissimo et de ECCLESIA praeclare merito[2] author fui, vt THEOLOGVM hunc, quem dixi, in Italia primum a Typographis male tractatum[3], et studiosis tamen valde commodum, nunc primum GERMANIS in GERMANIA eleganter ederet, atque fideliter ECCLESIAE communicaret.

Qua quidem in re cum spe nostra amplius aduigilatum sit, reticere de Bartholomaeo Laurente[4] nec possum, nec debeo, ingentes gratias illi studioso seni, et rei Typographicae apud CALENIVM vigilantissimo procuratori, a LECTORE deberi, quod in OPERE hoc VEGANO recte et castigate recudendo (nam corruptissimum Exemplar sibi propositum habuit) plurimum laborauit. Vt enim non vulgari intestatione [?][a] digni sunt, quorum oscitantia, nonnunquam et nequitia, bonorum AVTHORVM scripta misere deprauantur, aut neglecte admodum excuduntur: sic eximiam et publicam praedicationem illi promerentur, qui egregios aliorum labores bona fide in publicum efferunt, ac emendate curant excudi, praesertim in ijs, quae ad sanctae Fidei et Religionis nostrae profectum faciunt.

NIHIL hic dicam de CONCILIO TRIDENTINO, in cuius verbis explanandis Vega studiose versatur: quodque rite indictum, et multarum Nationum EPISCOPIS ac THEOLOGIS exquisite doctis instructum, neque paucis quidem annis celebratum, ac demum ex ECCLESIAE more confirmatum[5], non potest non legitimum et OECVMENICVM esse. Hanc praeclaram SYNODVM, quae suo quodam iure cum Veteribus certat, CATHOLICI quidem omnes excipiunt reuerenter, et velut eximium DEI beneficium ECCLESIAE collatum, magnopere probant. Caeterum quae SYNODVS eadem de IVSTIFICATIONE tradidit, tanti fiunt a SAPIENTIBVS, vt his qui aliter sentiunt ac docent, perpetuum dicant ANATHEMA[6] Nec dubium, quin grata etiam agnoscet Posteritas, hanc singularem et salutarem doctrinae lucem, quam aegri aduersariorum oculi ferre non possunt, Verbo DEI et consensui ECCLESIAE maxime consentaneam esse, sicut et VEGA luculentissime probat.

Illud dicam, permagni sane referre, vt ad manum habeamus quorundam testimonia scripta, qui velut oculati testes ACTIONVM dicti CONCILII, coram adfuere, vt horum etiam sententia et interpretatione nobis et posteris explicatiora reddantur, quae sunt in eadem SYNODO constituta[7]. Eoque charior in hoc OPERE nobis VEGA

a) *Corrigendum esse videtur* infestatione *vel* detestatione.

[1] Vide supra p. 61. [2] Vide *Can.* VI 72. [3] Vide supra p. 61.

[4] De Bartholomaeo Laurens noviomago, qui vulgo Poin dicebatur, v. *Can.* VI 688—689. [5] A Pio IV; v. *Can.* IV 474—475.

[6] 1 Cor 12, 3; cf. 1 Cor. 16, 22; Gal 1, 8 9.

[7] Hac ipsa de causa Societas Goerresiana (Görres-Gesellschaft) in lucem emittit grande illud gravissimumque opus „Concilium Tridentinum. Diariorum, Actorum, Epistularum, Tractatuum nova collectio".

esse debet, qui TRIDENTI doctissimos THEOLOGOS et sapientissimos PATRES tunc disserentes audiuit, cum de IVSTIFICATIONE multis est mensibus acerrime disputatum, ipseque cum disputantibus alijs sua sensa studiosissime contulit [1]. Ex cuius Viri scriptis docti facile depraehendent, quam fuerit idem in eruenda confirmandaque VERITATE laboriosus, quam praeterea solers et exercitatus in QVAESTIONIBVS obscurissimis atque grauissimis examinandis, quas ille quidem ad normam VERBI DEI libenter reuocare consueuit, sed ita, vt simul exponat, quid et antiquiores et recentiores THEOLOGI de re proposita iudicarint.

Cum vero duae sint partes OPERIS ab eodem VEGA perscriptae, in primo quidem de IVSTIFICATIONE tractat fusius, seque totum ad verborum CONCILII germanam interpretationem studet accommodare, quod OPVS toto fere biennio elaborauit.

In posteriore parte, quam prius idem AVTHOR scripsit ac edidit, aliquanto simplicior stylus est, et tractatio, quae ad docendum saepe lucem praebet, SCHOLASTICA, vt eo rectius perplexis et inuolutis QVAESTIONIBVS respondeatur: eaque contractius moreque Scholastico explicentur, quae prioribus libris QVINDECIM amplissime disputantur. Sed vtrobique nec ingenij acumen, nec docendi methodum neque in veteribus aut recentioribus THEOLOGIS exercitationem, neque in disputando demum perspicuitatem possis merito desiderare.

Hoc igitur OPVS, vt BAVARIS et GERMANIS omnibus commendatius fiat, sub tuo nomine in publicum prodit, tibique reuerenter a me nuncupatur, REVER. et ILLVSTRISSIME PRINCEPS, aptum illud haud dubie studijs tuis, nec etiam inutile Sacerdotibus et Clericis, praesertim quibus in hoc amplo EPISCOPATV FRISINGENSI praesul datus es atque administrator. Neque aliter certe docet VEGA, quam colendus Praeceptor et laudatus ille THEOLOGVS tuus D. ANDREAS FABRICIVS, quem tu libenter audis, et merito diligis, pro sua fide facere solet [2].

Habeas igitur vtrunque domesticum Admonitorem licet: quos si pro facilitate tua sequaris, et doctiorem, crede mihi, et sapientiorem te indies reddent. Ac duplici quidem nomine perges, quemadmodum praeclare coepisti, bene pieque monentibus obsecundare, tum vt MAIORVM PARENTVMQVE tuorum splendorem eximium conserues et augeas, quoniam inclyti HEROES et PRINCIPES BAVARI te progenuerunt, tum vt BONORVM omnium expectationi satisfacias, qui te dignum ECCLESIAE Antistitem, et EPISCOPALI, hoc est, Amplissimae simul et difficillimae DIGNITATI parem sperant et optant cernere.

Nos autem diuinae bonitati iure gratias agimus, cum laetis contemplamur oculis, hunc IVVENTVTIS tuae florem non luxu et ocio marcescere, sed praeclaris bonarum Artium et rerum Sacrarum studijs magis magisque splendescere, cumque consideramus GENEROSVM tuum

[1] Vide supra p. 61. [2] De hoc v. *Can.* VI, 99—100.

animum ad veram pietatem diuinasque Caeremonias natura esse propensum.

Testantur sane COLONIENSES, norunt SALSBVRGENSES, admirantur FRISINGENSES, quam rarum et excellens ORTHODOXAE religionis specimen, cum apud illos proximis annis degeres, palam praebueris, vera ut NOBILITATE et nobili PIETATE alios, genere quantunvis Illustres, facile antecellas[1].

Ego vero pro ea, quam ILLVSTRISSIMAE FAMILIAE vestrae Obseruantiam maximam debeo, non possum te non rogare et hortari ERNESTE PRINCEPS, vt quam apud Catholicos omnes de te opinionem et expectationem amplissimam concitasti, eam CHRISTO DVCE sustinere, immo et superare contendas, talemque te nobis et ECCLESIAE praestes, qualem PAVLVS APOSTOLVS iuuenem EPISCOPVM, suum nempe TIMOTHEVM, in ECCLESIA esse praecepit[2]. Bene vale in CHRISTO IESV REVER. et ILLVSTRISSIME PRINCEPS, teque his exorna moribus, qui summum aliquando ANTISTITEM DEO hominibusque commendent.

Oeniponti Calend. Augusti, anno post CHRISTVM natum M . D . LXXII.

Monitio, qua hae litterae terminantur, supervacanea non erat. Serpere enim coepit, si non hoc tempore, certe anno proximo rumor, Ernesti animum a vivendi genere ecclesiastico alienum factum esse. Qua de re *Bartholomaeus de Portia* nuntius apostolicus, cum exeunte Iulio et initio Augusti 1573 Oeniponte versaretur, Canisium interrogavit. Qui deinde Ebersberga 9. Octobris 1573 Romam ad cardinalem Comensem haec rettulit: „Mi souuiene, che il padre Canisio mi disse già, essersi ueduto segni di mente aliena del giouine, ben che mi sogiunse, per essere stato da i padri suoi de la compagnia di Ihesù messo in quelli essercitij spirituali, co i quali inducono i giioueni a resignarsi, era ben stabilito nel proposito di prima“ (ex huius litterarum partis, quae secretioribus notis scripta est, transcriptione eodem tempore facta, Cod. rom. „Germ. Vol. 80“ I p. 150—151; etiam [ex eadem transcriptione] apud *K. Schellhaß,* Nuntiaturberichte aus Deutschland 1572—1585 III, Berlin 1896, 152). De his autem exercitiis P. *Dominicus Menginus* S. J. rector collegii monacensis Polanco vicario generali S. J. Frisinga 6. Ianuarii 1573 *scripsit: „Jam per tres septimanas habeo Reuerendissimum Frisingensem in exercitiis spiritualibus, cuius olim multae fuerunt miseriae, nunc autem totus in alium mutatus, non parua spes boni de ipso affulget, et quidem non absque magna parentum admiratione et consolatione“ (ex autogr. Germ. 152 f. 278[a]). *Portia,* cum circa d. 18. et 19. Octo-

[1] Ernestus, Alberti v. Bavariae ducis filius, 17. Decembris 1554 natus, metropolitanarum ecclesiarum coloniensis et salisburgensis canonicus iam erat exeunte a. 1567 (*Can.* VI 99). Coloniae moratus est a 12. Novembris 1570 ad 2. Maii 1571 (*M. Lossen,* Der Kölnische Krieg. Vorgeschichte, Gotha 1882, 106—111). Anno 1569, cum Salisburgi degeret, ad S. Pium V. relatum est, eum in vitae rationem viro ecclesiastico vere dignam incumbere (*W. Goetz,* Beiträge zur Geschichte Herzog Albrechts V., etc., München 1898, 470). Monachio 23. Aprilis 1572 P. Dominicus Menginus S. J. collegii rector S. Francisco Borgiae praeposito generali de Ernesto *scripsit: „Aliquoties Frisingam ad Reuerendissimum vocati sumus, cuius confessionem excepimus, optimaque ej consilia dedimus: is enim nobis admodum familiaris est et fidit multum“ (ex autogr., Germ. 134 f. 197[a]). Ceterum cf. *Can.* VI 105.

[2] Cf. 1 Tim. 3, 1—7; 4, 7—16: 6, 11—21; 2 Tim 1, 6—14; 2, 1—23; 3, 14 15; 4, 1—5.

bris 1573 Frisingae cum Ernesto fuisset, Augusta 21. Octobris 1573 cardinali Comensi de eo scripsit: „Ha gusto della vita ecclesiastica, ha diletto de gli studii, . . . aspira, d' apparire un sole di religione tra queste tenebre dense di Lamagna, et come ho potuto veder' nella uita, nell' habito, ne costumi, ne discorsi et negl' essercitii, più rappresenta la persona del vescovo di quanti ecclesiastici, c' ho conosciuti sin qui. Ha ingegno elevato, uoluntà ardente al bene et maniera sopra gl' anni graue" (ex archetypo, Cod. rom. „Germ. Vol. 80" I p. 196; etiam apud *Schellhaß* l. c. III 189). Ernestus m. Martio a. 1574 Monachio profectus est, ut Romae — id quod et ipse et Albertus V. pater desideraverant — aliquamdiu viveret. „Romam concessurus", inquit *Iacobus Pontanus* S. J. in * „Annuis" monacensibus anni 1574, „Collegium inuisit, omnibusque salutatis, Rectorem, quem non secus atque patrem obseruat, aliquot diebus sibi abeunti praesto esse poposcit, cui denuo confessus cum esset, sacram synaxim percepit, atque ita demum sese in uiam dedit" (ex apographo medio fere saeculo XVII., ut videtur, scripto, quod exstat in „Annalibus Collegii Monachiensis. To. II" [I 45] p. 3).

In P. *Antonini Reginaldi* O. Pr. opere posthumo „De mente S. Concilii Tridentini circa gratiam se ipsa efficacem", Antverpiae 1706, p. 1600 haec sunt: Canisius „Vegae doctrinam nedum approbat, sed ita commendat, ut illum mentem Tridentini assecutum asserat"; iam vero in Vegae libro Canisii opera edito a Vega semel atque iterum „gratiae per seipsam efficacis necessitas propugnatur"; ergo Canisius quoque eam tenebat sententiam. Ita quidem Reginaldus: alii tamen negant, Vegam ita sensisse; v. *G. Schneemann* S. J., Controversiarum de divinae gratiae liberique arbitrii concordia initia et progressus, Friburgi Brisgoviae 1881, 152—159.

Ceterum vide *Can.* V, 805—806.

1811. CANISIUS **WENDELINAE VOM TRIEST** sorori, viduae Godefridi vom Triest consulis noviomagi.

Oeniponte 20. Augusti 1572.

Ex autographo (2°; $1^1/_2$ pp.; in p. 4 inscriptio). Epistulae particula gallice posita est in „*Collection* de Précis historiques" XXV, Bruxelles 1876, 78[2].

Propinquos ad patientiam et constantiam hortatur. Sacerdos quidam. Sorori curandum esse, ut liberi matrimonium contrahant. Eidem commendat, ut pauperes adiuvet et sacram communionem frequentet.

†

Jesu Christi gnad vnd frid sey mit vns in disen geferlichen zeiten. Dweil Got der almaechtig vns also haimsuchet, vnd mit der vatterlichen rûte straffet[1], so müßen wer das creutz mit gedult tragen, vnd allein auff die gnade warten. Es ist ain wenig, wen wir das zeittlich verlieren, dan das müssen wir doch hie verlassen, lasset vns allein bestendig bleiben im Catholischen glauben, vnd lieber alles leiden, dann das wir solten abweichen von der eynigkait vnd gehorsam der Christenlichen Kirchen. Jtzunder mögen wir vnsere hoffnung vnd vertrawen auff Gott setzen, dweil wir sehen, das er allein

[1] Germania inferior a Ferdinando Toletano Albae duce parum fauste erat administrata; iudiciorum severitate, vectigalium ingenti multitudine civium et fortunae exhaustae et animi irritati erant; a. 1572 in Geldria, Frisia, Hollandia, Zelandia sedicio orta est. Geusii illi calviniani, iuvantibus Hugonottis sive Calvinianis gallis, terroribus, rapinis, sanguine regiones catholicas implebant et in sacerdotes, monachos, sacras virgines ultima crudelitate saeviebant. Ipsa autem civitas noviomagensis hoc quidem tempore in Philippi II. potestate manebat; Canisii tamen extra urbem quoque bona habebant; cf. *Stimmen* aus Maria-Laach LXXXV, Freiburg i. Br. 1913, 39.

der Notthelffer ist, der vns scutzen vnd behuten kan. O wie ist es vns zu gůt, das wir lehrnen Gotsforchtig vnd andechtig werden, auch die b[öse][a] welt erkennen und zu [Go]tt lauffen in der nott. Gedencke liebste schwester an den geduldigen Job, was er gelitten hat vmb Gottes willen, ob er schon vnschuldig gewesen[1]. Jtzunder erkent man die außerwelten gehorsamen kinder Gottes, welche [all]es von der hand jhres Vatters annehmen, vnd dancken [fur] dise vatterliche strenge haimsuchung. Sei darumb [getr]östet liebste schwester, vnd wartet mit der heiligen Judith auff die gnad Gottes, der vns zu seiner zeit wirt trösten, vnd die seinen nit verlassen nach seiner verhaissung[2]. Jch hab billich mittleiden mit allen betruibten vnd verlassenen hertzen, welche in so grosse versuchung kommen, das sie kaum wissen, wie sie das creutz recht annehmen vnd brauchen sollen. Gott tröste sie alle, vnd in sonderheit vnsere liebe schwester sampt jren gantzen cloister zu Vamel[3], ich hoffe, sie werden sich erfrewen in dem creutz des herren[4], vnd auß der not ain tugend machen.

Der Priester von Marienwert[5] ist schon bey [Wien][b] [?] [ge]wesen, vnd ich hoffe [, er] wirt bald gen Rom kommen · wie ich dan weiter von jhm schreibe M. Joan von Xancten[6].

Liebste schwester ich bitte Got den hymmelischen vatter, das ihr allerley creutz lehrnet mit gedult vnd frucht tragen, vnd in sonderheit der kinder halben. Jst mihr leid, das sie euch nit sein gehorsamer und eingezogener, wie sie billich sein solten. Die iugend aber ist wilt vnd leichtwerdig bey diser sundigen welt, vnd kan nit allezeit begreiffen die gotselige ermanung vnd straffung. Höret aber nit auff, ewere mutterliche trew gegen jnen zu beweisen. Gott wirt auch gnad geben, das sie solche ermanunge annehmen vnd sich besseren, wie ich hoffe. Dweil sie aber also groß sein[7], willeicht were es radtsam, das ihr sie bald verh[a]irete in ewerem leben, so mögten sie verstendiger werden, vnd so het ihr mit jnnen desto weniger zu schaffen. Lasset euch das zeittlich nit so fast angelegen sein, dweil jr das guit noch in der hant[c] habt, so machet euch daruon ein schatz im hymmel[8], vnd verlaßt euch nit auff die kinder, das sie nach ewerem tod vil almußen verrichten werden fur jhre eltern.

a) *Quae hic et infra uncis quadratis inclusa sunt, ex autographo paene evanuerunt; illud enim mancum est.* b) *Nisi legendum sit* trient *vel* trier *vel aliquid aliud.* c) hat *autogr.*

[1] Cf. Ib 1, 22; 2, 10 etc.; Iac 5, 11. [2] Cf. Idt 8, 10—27.

[3] Vameliae (Vamel, Wamel) prope Tilam (Tiel) in monasterio Clarissarum erat Clara (Gerarda?) Canis; quam a. 1577 eiusdem monasterii abbatissam fuisse constat; v. *Can.* V 334—335. [4] Cf. Gal 6, 14.

[5] Mariënweerd sive „Insula B. Mariae", in Geldria, abbatia ordinis praemonstratensis, a. 1128 condita, post medium saeculum XVI. destructa (*L. H. Chr. Schutjes,* Geschiedenis van het Bisdom 's Hertogenbosch I, St. Michiels Gestel 1870, 388).

[6] P. Ioanni Zantheno S. J. Noviomagi versanti; v. supra p. 51 52.

[7] Filii natu maximi erant Iacobus et Everardus (Godefridus?); v. supra p. 32.

[8] Lc 12, 33; cf. Mt 6, 20; 19, 21 etc.

Dem doctor Derrich vnserm broider[1] hab ich geschreuen vnd geantwort nach ewerem begheren. Wir begheren beide, das jr nit vnderlasset alle vierzehentag zum disch des herren zu gehen, vnd ewere hertz zu stercken mit der gnaden[2] Christi in diser geferlichen zeit, da wir müßen vns besorgen am guit, leib vnd seel. Jtzunder ist es zeit zu wachen, zu betten[3] vnd inich Gott sich zu verzuinen vnd zu verainigen · dan wir nit wissen, was noch mögt vber vnd wider vns geschehen, vnd die feind schon vor augen sein. Der herr JESVS bewar vns am leib vnd seel in zeittlichem vnd geistlichem Amen. Datum zu Inspruck am XX Augusti, 1572. Grüsset mir alle bruider, schwester vnd fruindt.

Ewere eltester bruider

Doctor Petrus Canisius.

† Der ehrsamen frawen, Wendel von Triest, wedwe, meiner liebsten schwester. Zu [Nymmegen.]

1812. CANISIUS **P. IOANNI ZANTHENO S. J.** Noviomagi versanti. Oeniponte circa 20. Augusti 1572.

De sacerdote quodam ordinis praemonstratensis Romam petente. Vide supra p. 87.

1813. CANISIUS **P. GERARDO PASTELIO S. J.** rectori collegii oenipontani. Oeniponte 21. Augusti 1572.

Canisius, a reliquis rectoris collegii oenipontani consultoribus „coactus", ut admonitoris officio apud illum fungatur, eundem hortatur, ut varia in collegii administratione errata corrigat, inprimis autem, quae ea de re Hoffaeus provincialis constituerit, exsequatur. Plura v. infra, ep. n. 1815, initio.

In * Catalogo collegii oenipontani initio a. 1572 ab ipso *Pastelio* conscripto quatuor quidem „consiliarii" sive consultores rectoris (quorum nomina v. supra p. 8[2]) recensentur, neque tamen ullus eiusdem „admonitor" commemoratur. De officio admonitoris v. *Can.* VI 459[5]. In „Regulis Admonitoris" sub a. 1575 (nisi fallor) Romae recognitis haec sunt: „Admoneat Superiorem de ijs, quae maior pars Consultorum ei dicenda iudicauerit" (ex apogr. eiusd. temp.; Can. 10 p. 48).

1814. P. GERARDUS PASTELIUS S. J. rector collegii oenipontani CANISIO. Oeniponte 21. Augusti 1572.

„Amice" ei respondet ad admonitiones sibi factas. Plura v. supra p. 56—59 et infra p. 88.

1815. CANISIUS **P. PAULO HOFFAEO S. J.** praeposito provinciali Germaniae superioris. Oeniponte 22. Augusti 1572.

Ex autographo (2°; 3/4 p.; in p. 2 inscr. et particulae sig.), Germ. 183 f. 219. Epistula copiose usi sunt *Sacchinus*, Can. 330—331, et *Kröss*, Can. 200.

Canisius rectorem collegii modeste monuit et, ubi animo turbatum vidit, veniam ab eo petiit. Eius morum licentia ferri nequit.

---

[1] P. Theodorico Canisio, rectori collegii dilingani.

[2] Hebr 13, 9. [3] Mt 26, 41; Mc 13, 33; 14, 38; cf. 1 Petr 4, 7.

† Pax Christi Reuerende admodum Pater.

Discessit heri primum D. Comes[1] Viennam, heri ergo primum obtuli et ego scriptum meum P. Rectori[2], sumque precatus antea, ut patienter ac alacriter ferret hanc meam admonitionem, et in scripto idem repetiui, praesertim quod cogerer a Consultoribus alijs offitium facere admonitoris[3]. Ac hesterno quidem die dissimulauit aegritudinem animi, et scripto amice respondit, sicut uidebit R. T. e scripto adiuncto. Veni igitur ad illum hodie, et dixi me scripto respondisse ad ea quae desiderauit, et rupisse scriptum postea, quum putarem hoc scribendi officium non esse necessarium. Nam ea quae scripsissem antea, non omnia dici assertiue, sed et opinatiue, et consultiue, et ex aliorum informatione, nec esse tutum in specie declarare singula, sed odiosum potius et superfluum. Me quidem uoluisse ex charitate sapienti occasionem dare seipsum examinandi, et partim per[a] Officiales[4], partim per[a] Consultores cognoscendi de defectibus collegij, praesertim quod hactenus executio Visitationis et aliorum a R. T. ordinatorum expectaretur[5]. Hic coepit grauius et concitatius agere, et conqueri tam multa sibi tamque tarde obtrudi. Respondi, discessum Comitis expectatum fuisse, et antea[b] non licuisse commode de his agere, cum adeo illi familiaris esset, et circa illum prorsus occupatus uideretur, unde et post tot conuiuia pridie diei quam discederet ille, post dictas uesperi litanias[6] redijt domum. Minatus est praeterea, se missurum ad R. T. scriptum meum. Oraui ego ut faceret mitteretque integrum, et adiungeret scripta quoque consultorum, quibus urgentibus admonitorem egissem, meque posthac non facturum amplius[c] quod nunc primum fecissem, cum tam male acciperet: me non putare, quod contra regulam admonitoris egissem[7]. Haec summa negotij, nisi quod in fine ad placandum offensum rogaui ueniam supplex[d], quia sic conturbatum eum uidi, non quod iuste illum offensum crederem. Qua de re monendam duxi R. T. quae sciat numquam Rectorem toties exiuisse domum [?][e], tamdiu abfuisse, toties conuiuijs adfuisse domi et foris, sicut post

a) *Hoc v. a C. supra versum scriptum est.* b) *Sequitur v., quod ex parte a C. oblitteratum est et ex parte evanuit (*intempestiuum*?).* c) *Quattuor vv. sqq. a C. in margine addita sunt.* d) *Sequitur* si, *a C. oblitt.* e) *Corrigendum esse videtur* domu *vel* domo.

[1] Svicardum (Schweikard, Schweyckart) comitem ab Helfenstein significari puto, qui ab a. 1570 regimini Austriae superioris cum nomine vicarii principis („Statthalter") praeerat; de quo plura infra dicentur.

[2] Gerardo Pastelio. [3] Vide supra p. 54—61.

[4] Velut praeceptores, ianitorem, sacristanum etc. [5] Vide supra p. 56—58.

[6] Litanias Omnium Sanctorum dicit; quae pro ecclesiae necessitatibus communiter recitabantur; cf. *Can.* V 279—280; VI 214.

[7] „Ea modestia et humilitate officium suum obeat, ut subditum decet erga Superiorem, quem Christi loco habet: niti enim debet ne huius muneris occasione, reuerentia, atque obedientia interior uel exterior in ipso debilior reddatur . . . . Cum Superior remedium cuipiam rej admonitus non adhibuerit, Admonitoris erit cum debita submissione iterum et saepius eum commonefacere": *Regulae* Admonitoris n. 1, 5; cf. supra p. 58[3].

ultimam uisitationem. Jch maine das haißt sich mit dē freundt[a] letzen[1]. Scripsit et ille R. T. post acceptum scriptum meum, fortasse in prima illa perturbatione. Mihi non erit ingratum, si postulet R. T. scriptum ab illo meum, si forte[b] non miserit. Non dum nouit consultores in urbem scripsisse. Videat R. T. expediatne collegium hoc in tali manere[c] statu · grauiter queruntur P. Minister et P. Georgius[2], nec putant hanc gubernationem esse durabilem. Commendo me precib. et sacrificijs R. T. et aliorum in Christo domino nostro. Oeniponti 22. Augusti 1572.

Seruus in Christo P. Canisius.

† Admodum Reuerendo in Christo Patri Doct. Paulo Hoffaeo Theologo et Praeposito collegiorum Societatis JESV in Germania superiore.

Augustae aut ubicumque fuerit.

Hoffaeus has litteras Romam ad P. Hieronymum Natalem Societatis vicarium generalem misit. Quae confirmantur * epistula, in qua P. *Georgius Crispus* S. J. Oeniponte 30. Iulii 1572 ad Natalem, ut et suo „consultoris" officio, et Hoffaei provincialis iussis satisfaceret, de Pastelio haec, praeter alia, rettulit: „Optandum sane esset, ut . . . uitaret magis otium, orationi, abstinentiae, maturitati in gestibus uerbisque magis sese dederet, . . . unionis ac pacis fraternae inter se maxime et suos consultores studiosior esset, a quorum literis sibi metuens omnia suspecta habet, omnia perlustrat clam etc. Jn uniuersum loquendo, si toti administrationi magis attenderet, nec alium se factis ostenderet quam uideri uelit uerbisque praeseferat, omnis abesset domi forisque uel minima offensio, grauis enim nulla, quam scirem, hactenus accidit" (ex autogr., Germ. 134 f. 250[a]).

Quid apud Hoffaeum Canisii litteris effectum sit, ex eiusdem *Hoffaei* * epistula Monachio 28. Augusti 1572 ad Natalem data cognoscitur; Hoffaeus enim: „P. Pastelius", inquit, „Rector Oenipontanus in visitatione me non satis bene tractauit: patienter accepi, nec conqueri voluj, sicut ad totum triennium eius mores non sine Collegij quoque grauamine sustinui, semper sperans meliora; sed quo magis conatus sum ei me accommodare, eo minus effeci. Post visitationem denuo ad me scribitur rem male agi in Collegio, sicut literae ternae his adiunctae docent: Ego rem amplius non ferens, misi et suspendi executionem officij eius, constituto alio qui vicem eius gereret, eumque ad me Augustam euocaui. Jgitur P. V. exuat ipsum Rectoris officio, nam me Prouintiale non poterit amplius in hac Prouintia villicare[3]. An vero huius facti iustam causam habuerim iudicet P. V., iudicet P. V. ex his ternis literis et ijs, quas Consiliarij Oenipontani ad P. V. nuper dederunt: Vt autem bonum Patrem ab officio suspenderem, probarunt etiam mej Consiliarij" (ex autogr., Germ. 134 f. 203[a]).

1816. P. HIERONYMUS NATALIS vicarius generalis Societatis Iesu CANISIO. Roma 23. Augusti 1572.

Ex apographo eiusd. temp.; in margine, eadem manu: „P. Pietro Canisio". Germ. 109 f. 84.

Collegium fuldense. Universitas mussipontana. P. Zanthenus. Scriptores. Opus Marianum. Rector oenipontanus. Collegium germanicum.

a) *Sequitur* lets, *a C. oblitt.* b) *Ita C. correxit ex* meum, etiamsi. c) *Sequitur* conditione, *a C. oblitt.*

[1] I. e.: Hoc est, puto, cum amico profecturo iuste atque etiam nimium convivari.
[2] PP. Georgius Rotarius et Georgius Crispus: v. supra p. 54 [4] 57.
[3] Lc 16, 2.

Haueuo riceuuto quelle di V. R. di 12.[1] e 29. del passato, e quanto al negocio di Fulda, che ci raccomanda etiam per la sua raccomandatione, ce tanto piu a cuore, et gia molti giorni sono, che se gli fece fauoreuoli risposte et aspettamo quello, che 'l P. Hermano hauerà risoluto con l' Abbate, crediamo, che anco 'l P. Vinch[2] si sarà trouato insieme con 'l Prouinciale a trattar questo negocio co 'l detto Abbate, et speramo nel Signor hauerà buona riuscita[3].

Del P. Costero, se ben desiderariamo consolar li Coloniensi, però non si puo per adesso, perche bisognarà mandarlo all' Vniuersità, che 'l Cardinale di Lorena instituisce nella stessa Città di Lorena, et hauendo gia per quella buonissima entrata, et essendo accettata qua da noi saremo costretti mandarli presto gente[4].

Jl P. Zanteno sarà necessario che torni in Prusia per Sueuia, come gia se gl' è scritto, atteso, che questa e stata la dispositione di N. P. G.[5] nella quale non ci pare douer fare mutatione.

Di Spagna son uenuti alcuni Theologi, però l' haueriamo desiderato piu a nostro proposito, e per questo non si puo per adesso risoluer cosa certa circa li scrittori contra gl' heretici.

Quella parte, che tocca alla Madonna, la quale V. R. desidera sia reuista dal P. Emanuele[6], si uederà qua uolontieri doppo, che gl' hauerà posto l' ultima mano, e sara anco la reuista da i Theologi, e nel resto V. R. perseueri con buon' animo perche farà seruitio al Signor et a noi cosa grata.

Del P. Rettor d' Jspruch habbiamo inteso quanto ci scriue, e s' auisa al P. Prouincial di quel che ha da fare[7].

Di Roma li 23. d' Agosto 1572.

Quel giouane che ha da uenir per il Germanico[8] V. R. faccia, che sia in Roma al tempo della rinouatione cioe circa 'l prencipio d' ottobre.

Epistula ad P. Paulum Hoffaeum provincialem, ad quam Natalis Canisium remittit, eodem illo die 23. Augusti 1572 data est; in * qua *Natalis* de P. Gerardo Pastelio haec scribit: „Non hauendo lettere sue circa 'l negotio del Rettore d' Heniponto

---

[1] Datae erant 13. Iulii; v. supra p. 52. [2] P. Antonius Vinck.

[3] P. Hermannus Thyraeus provincialis rhenanus post medium m. Augustum Fuldam venit; ubi Balthasar a Dernbach abbas litteris 25. Augusti 1572 datis Societati monasterium Franciscanorum desertum et aedes pro scholis habendis tradidit et 1000 florenos annuos se daturum promisit (*Duhr*, Jes. I 129—130. *Hansen* l. c. 635[2]).

[4] Ipso hoc anno Carolus Guisius cardinalis Lotharingus, archiepiscopus remensis (Reims) et administrator episcopatus metensis (Metz), Romae cum Natali, probante Gregorio XIII., constituit, ut Mussiponti (Pont-à-Mousson) in Lotharingia et universitas et collegium 70 sodalium conderentur; qui sodales in universitate theologiam, philosophiam, litteras et humanitatem tradituri ac reditum annuum 3000 scutatorum aureorum habituri essent (*Henri Fouqueray* S. J., Histoire de la Compagnie de Jésus en France I, Paris 1910, 606—607.

[5] Francisci Borgiae praepositi generalis. [6] Saa.

[7] Vide, quae sub ipsas has litteras dicentur.

[8] Balthasar Arnoldt; v. supra p. 51 54.

non ci siamo risoluti della sua mutatione. Ci potrà auisar quanto prima e fra tanto non si mutarà, se non gli fosse notabile pericolo in cio." Hoc quoque *Natalis* monet: „„Se V. R. hauerà qualche giouane di buona espettatione che possi studiare nel Collegio Germanico il corso a che uogli gratificare, o, aiutare nel Signor potrà mandarlo con un' altro che 'l P. Canisio tiene . . . che gli sarà dato loco grato fra gl' Alumni del detto Collegio" (ex apogr. eiusd. temp.; Germ. 109 f. 84ᵃ): Hoffaeus igitur misit Gerardum Vossium, qui postea Romae cum de studiis theologicis tum de collegio teutonico S. Mariae de Anima optime meruit (ex autogr., Germ. 134 f. 303ᵃ; cf. *Steinhuber*, I² 27—28).

Non respondit *Natalis* Canisio ad ea, quae hic 29. Iulii de difficultatibus ex 5% oriundis scriperat (supra p. 55); attamen ea res ei cordi erat: Roma enim 30. Augusti 1572 P. Francisco Toleto S. J. (a Gregorio XIII. Vindobonam, inde in Poloniam redire iusso; *Sacchinus*, Hist. III, l. 8, n. 18) *scripsit: „Esos Padres en Alemanna tienen un grande embaraço mucho tiempo ha sobre el lleuar .5. por ciento. V. R. les haga esta caridad despues de auer entendido bien los particulares sacarlos desta duda, y uer, si ay uia alguna licita, y honesta, por laqual, o, todos, o algunos se puedan escusar, y mayormente las biudas, y pupilos. Aca se trato con V. R. y el P. Ledesma esta question, y se ser pudiere se embiaran con esta ciertas conclusiones, que entonces se hizieron. La resolucion suya V. R. me la mandera col primero" (ex apogr. eiusd. temp., Germ. 109 f. 88ᵃ). Neque tamen eo anno per Toletum res definita est. Dilinga autem 7. Novembris 1572 P. *Theodoricus Canisius* rector universitatis et collegii Natali de pactione sive „contractu", qui de 5% sumendis fieri solebat, *questus est: „Contractum illum Germanicum . . . esse . . . apertam vsuram, non solum Theologi et Jurisperiti Academiae Jngolstadiensis publice defendunt: sed et praecipuus Reuerendissimi nostri Jurisperitus, homo in rebus imperij, et Germanica praxi exercitatissimus [1], constanter affirmat. . . . Jtaque non video qua ratione plaeriqne ex nostris sacerdotibus, eiusmodi contractus iustificent, et nobis contra dicentibus succenseant, dicentes Romanos patres scripsisse, et P. Toledum confirmasse, non esse cuiquam propter hos contractus, etiamsi non rescindantur, negandam absolutionem" (ex autogr., Germ. 134 f. 186). P. *Ioannes Polancus* denique, qui Borgia 1. Octobris 1572 mortuo vicarius generalis electus est, Sociis austriacis Roma 29. Novembris 1572 *scripsit, causam illam, si non ante, certo in Societatis congregatione generali proxime habenda expeditum iri (ex apogr. eiusd. temp.; Germ. 109 f. 102ᵃ).

Canisius, cum 15. Octobris 1572 Natali ad has litteras responderet, eas 25. Augusti datas esse scripsit; at in registro et his litteris, et compluribus aliis in Germaniam missis dies 23. Augusti ascriptus est; qui erat dies Veneris; sabbatis autem tabellarii cursoresque publici in Germaniam proficisci solebant.

1817. P. PAULUS HOFFAEUS S. J. Germaniae superioris provincialis CANISIO. Sub exitum m. Augusti 1572.

De Societatis collegio a Carolo II. archiduce et Styriae, Carinthiae, Carniolae principe Graecii (Graz, Styriae caput) constituendo et per Germaniae superioris sodales — Graecium ad Societatis provinciam austriacam pertinebat — iuvando. Vide infra ep. 1818.

Protestantismus iam maximam terrarum illarum partem occupaverat (cf. *Can.* VI 367); Graecii fere 12 000 hominum habitabant; ex quibus non multo plus 200 catholici erant. Quare Carolus cum uxore Maria, Alberti V. Bavariae ducis filia, vehementer instabat, ut Societas collegium incoharet (*Ant. Socherus* S. J., Historia Provinciae Austriae Societatis Iesu I, Viennae Austriae 1740, 168—175; *Duhr*,

[1] Thomas Seld, puto; v. *Can.* VI 241 ⁷.

Jes. I 163—164; *Fr. Krones,* Handbuch der Geschichte Oesterreichs III, Berlin 1879, 328—330).

Natalis, vicarius generalis, Hoffaeo Roma 2. Augusti 1572 *scripserat: „Hauemo riceuuto una lettera di Viena di 19. di Luglio nella qual ci auisan esser morto in Gratz il P. Steffano Rimelio, et ci ha mosso a compassione uedendo la necessità, che hanno la di un Predicatore che possa supplire in suo luoco a sodisfattione di quel serenissimo Prencipe, et cosi la R. V. di gratia mandi subito a Vienna il P. Mattias Lacner [1], et gli sarà restituito il uiatico che gli darà, et se ci fosse qualche Thedesco Retorico, o, humanista sufficiente in quella lor necessitá, hauerò molto caro che gli proueda". Deinde in *litteris Roma 9. Augusti 1572 datis idem Hoffaeo denuo vehementer commendaverat (ex apographis eiusd. temp.; Germ. 108 f. 236ª 237). Natali *Hoffaeus* Monachio 28. Augusti 1572 haec, praeter alia, *respondit: „Mittam duos bonos fratres qui cursum absoluerunt, quique edificatiui sunt" et „statura decenti et honesta, et apti ad eas functiones ad quas petuntur". Praeterea mittam „P. Pastelium qui ad triennium vtiliter coram Excelso Regimine et Senatu Oenipontano concionatus est, vt Graecij saltem ad tempus concionētur, si tamen ire velit." Neque tamen Laknerum a se mitti posse; eum enim Halae necessarium esse. „Nesciunt sane Austriaci quid petant. Etsi enim Reginae [Magdalenae] cum Halensibus satisfaciat simplicitas Lacknerj, is tamen cathedrae archiducali non potest satisfacere siue spectes vires ingenij, siue vocis siue corporis, sed neque nisi puerilem habet praesentiam et staturam" (ex autogr.; „Germ. 134" f. 203).

·1818. CANISIUS **P. HIERONYMO NATALI,** vicario generali Societatis Iesu. Oeniponte 3. Septembris 1572.

Ex autographo (2°; 1 p.), Germ. 183 f. 220.

Penuria sodalium idoneorum. Initia collegii graecensis. Canisius „superior". Pestilentia.

† Pax Christi nobis aeterna Admodum Reuerende Pater.

Quoniam R. P. N. Prouintialis [2] mecum sua consilia communicauit, simulque monuit, ut meam sententiam isthuc perscriberem, quantum ad Graciense collegium per nostros operarios instruendum spectat, dicam ego breuiter, quid sentiam [3]. Doleo sane in Austriaca prouintia non reperiri, quales ad haec noui collegij fundamenta iacienda idonei esse possunt, et prouintiae nostrae non possum non compati, quae ex paucis admodum quos retinet, ac quorum opera non parum eget, tam multos mittere, et Austriacis donare cogitur. Nouit R. T. praecipuas Catholicorum reliquias si usquam apud Germanos alibi, certe in Bauaria et Sueuia conseruari: ad quas duas prouintias contra sectarios confirmandas et tuendas nostrorum opera inprimis desideratur. Nouit itidem, quam pauci hactenus Germani emergant e nostris, ut sua studia complere possint, et ad maturitaten aliquam adducantur. Desunt necessarij Theologi, contionatores pro messis magnitudine sunt[a] pauci, etiamsi noua non accederet Augustae cathedra [4]: et multorum iudicio

a) *Hoc v. a C. in margine additum est.*

[1] Lakner sive Lackner (de quo cf. *Can.* IV 648 [1]) Halae „ministrum" collegii agebat (**Catalogus* halensis „pro anno 1572". Germ. 131 f. 186ª); eum simul contionandi munere functum esse intellegitur ex Hoffaei litteris, quas mox dicam.

[2] Paulus Hoffaeus. [3] Vide supra, ep. 1817.

[4] In templo S. Mauritii; v. supra p. 60.

non satis prospectum est ijs locis, ubi nostri tum in scholis profitentur, tum in templis contionantur. Quae omnia idcirco a me repetuntur, ut rectius constet de huius prouintiae inopia et calamitate, quam augent aliae difficultates non uulgares cum ipsa collegiorum administratione coniunctae, et proculdubio a P. N. Prouintiale perscriptae. Quocirca non parum offerimus Austriacis, ut arbitror, quod illis mittimus P. Pastelium huius collegij Rectorem et M. Stephanum[1] in humanioribus literis praeceptorem, ac praeterea Rhetorem, simulque P. Schorichium, fortassis et P. Martinum Steuordianum[2]. Hos enim[a] omnes, ut intelligo, P. Prouintialis dabit, si bona uenia Principis Bauariae, quod ad duos posteriores attinet, id effici poterit. Interea uero P. Pastelius saltem ad tempus poterit contionari, et collegio necessaria praeparare: qui certe ad eam rem multo uidetur aptior quam P. Matthias Lachnerus iuuenis plane sacerdos, neque in his exercitatus functionibus, quae P. Pastelium iure commendant.

Coeterum ut de P. Pastelio plura subijciam, notae sunt isthic causae, ni fallor, ob quas bonus Pater hoc loco minus necessarius uideretur. Scripsit ergo P. Prouintialis, ut quum se offerret haec in Austriam mittendi occasio, hinc ille statim[b] Viennam peteret, suamque daret operam Graciensi collegio sub P. Laurentio[3] Prouintiale, cuius uoluntati se facilius ac etiam libentius fortasse[c] se accommodaret. Discessit igitur heri[d], meque reliquit ex uoluntate P. Prouintialis superiorem collegij, donec scilicet mittatur alius Rector, id quod breui fore confido et opto, planeque necessarium puto, praesertim cum hinc Princeps me assumpto discedet[4]. Sed veniet huc ipse quoque sicut promittit, P. Prouintialis, qui multos[e] fratres nouos nobis adiunxit, quando pestis Monachiensis postulat, ut in uaria collegia illi[f] distribuantur. De rationibus autem huius collegij alias dicam. Dominus IESVS gratiam mihi suam augeat, ut fratribus operam praestare utilem possim, idque per sacrificia et preces R. T. quibus nos unice commendamus. Oeniponti 3 Septemb. 1572.

Seruus in Christo P. Canisius.

Quae Canisius de Pastelio narrat, illustrantur *litteris ab ipso *Pastelio* Vindobona 17. Septembris 1572 ad Natalem datis. „Quanto", inquit ille, „apertiene

a) *Sequitur* opt, *a C. oblitt.* b) *Sequuntur vv.* in Austriam, *a C. oblitt.* c) *Sequitur* se, *a C. oblitt.* d) *Sequuntur vv.* bonus Pater, *a C. oblitt.* e) *Sequitur* huc, *a C. oblitt.* f) *Sic C. ipse correxit ex* nostri.

[1] Kreitzler sive Creutzler (*Socherus* l. c. 185). Stephanus ille carniolus (de quo *Can.* IV 256[5]; V 543 etc.) „theologiae positiuae studiosus, ualebit in scholis humanitatis et inferioribus nec uidetur fore ineptus ad conuersandum et gubernandum": *Catalogus collegii halensis „pro anno 1572" manu P. *Ioannis Rabenstein* rectoris scriptus (Germ. 131 f. 186[b]). Hoffaeus P. Ioannem quoque Hermannum provinciae austriacae, ad quam pertinebat, remisit, ut Graecii docere posset (*P. *Alph. Pisanus* S. J. Natali, Hala 2. Septembris 1572; ex autogr.; Germ. 134 f. 302[a]).

[2] Stevordianus Monachii contionabatur (cf. *Can.* VI 482); Schorichius ab Alberto V. Bavariae duce in marchionatum badensem missus erat; v. supra p. 10.

[3] Magio. [4] Vide supra p. 27.

a questa mia mutatione mi truouo in essa allegrissimo et con grande consolatione, per trouarmi allegerito di tanti et cosi graui pesi che haueuo in Jnspruch . . .; benche il modo di essa mutatione mi habbia dato alchuna admiratione et trauaglio; per essere stato alquanto forte, et insolito nella Compagnia, cioe per modo di depositione, repentino, con diffidentia et temore che io non facessi alchun rumore. . . . Non ho dubio alchuno che tutto sia proceduto di mala informatione, perche se la P. V. fosse stata bene informata de tutte le cose di quel collegio, realmente non si saria proceduto cosi." Ceterum ipse manet „prontissimo di fare tutto quello che mi sara della Obedientia ordinato" (ex autogr., Germ. 134 f. 71[b]). *Natalis* autem Roma 20. Septembris 1572 Hoffaeo *scripsit: „Sta bene secondo che uediamo per informatione che il Rettore di Jnspruch habbi chiamato a Augusta et che a quel Collegio si dia nouo Rettore pero il modo non ci e parso in tutto conueniente; . . . pero gia che è fatto pasi cosi" (ex apogr. eiusd. temp.; Germ. 109 f. 91[b]).

1819. CANISIUS **P. LEONARDO KESSEL S. J.** rectori collegii coloniensis. Oeniponte 5. Septembris 1572.

Ex archetypo a Canisio recognito et subscripto (2°; 1 p.; in p. 2. inscr. et pars sig.). Cod. colon. „I. A. 19" f. 104. Epistulae partem ex eodem archetypo posuit *Hansen* l. c. 630—631.

Studia theologica. Hugonotti in Gallia caesi. Calviniani in Belgio; martyres.

†

Pax Christi nobis aeterna Reuerende Pater

Ex Vrbe scriptum est ad me, Doctorem Costerum in lottharingiam destinari, quando sic postulat necessitas recentis Collegij instituendi[1]. Vtinam ergo alius nobis [?][a] Theologus detur, quemadmodum optarim sane, ad Societatem nostram et Theologicam facultatem isthic rectius promouendam. Agamus laeti gratias Domino, qui nouam et praeclaram Catholicis uictoriam dedit, non solum in Gallia, ubi fractae sunt ceruices Principum sectae Caluinianae[2], sed etiam in maritimo bello, quod classem Thurcicam nostris egregie subiugauit[3]. Mirabilis Deus[4] hoc anno et formidabilis aduersarijs Ecclesiae suae, quorum impetum tandem diuina uirtus conteret apud Belgas quoque. Prodest interim electis haec Domini uisitatio, quae nos etiam ad precandum reddit diligentiores, iustamque curam inijcit, ut nostris etiam rebus prospiciamus,

a) *Legendumne* uobis ?

---

[1] Collegii mussipontani; v. supra p. 90[4].

[2] Caedem illam significat, qua curante Catharina Medicaea, Caroli IX. regis matre, et iubente ipso Carolo a. 1572 die S. Bartholomaei (24. Augusti) et proximis diebus Parisiis primum, deinde in aliis Galliae urbibus, ut Lugduni, Tolosae, Bituris (Bourges), Rotomagi (Rouen), multi Calviniani cum Gasparo Colignio ipsorum capite quasi ex insidiis occisi sunt; quod facinus, ex subitis repentinisque, non praemeditatis Catharinae consiliis ortum, Carolus rex eiusque ministri ita narrabant ac describebant, ut nihil nisi iusta defensio adversus homines sediciosos scelestosque, qui familia regia sublata ipsum regnum una cum religione catholica evertere statuissent, fuisse videretur. Facinus illud, inquit *E. Vacandard*, fuit „un crime purement politique": Les Papes et la Saint-Barthélemy, in „Revue du Clergé Français" XXXVII, Paris 1904, 274.

[3] Dicitne victoriam apud Echinadas Insulas a. 1571 reportatam? Cf. *Can.* VI 487.

[4] Ps 67, 36.

si enim in uiridi Germania haec fiunt, quid in reliqua et arida et corrupta prorsus Germania futurum[1] putes? Expecto finem operis de iustificatione. Nihil enim adhuc ex nundinis accepi[2]. Nouiomagenses et Venlonenses[3] spero fortiter pugnaturos, priusquam se dedant miserijs Caluinianis. Consoletur Dominus afflictos et oppugnantes[a] [?], imo et deuictos in Germania inferiore. Spero multos in coelo martyres ex his pijs qui caesi sunt, euasisse[4]. Dicunt de captis etiam quibusdam Episcopis. Timemus nostris Louanij fratribus ac toti Gymnasio[5], quod libenter utique Sathan perturbabit. De P. Xantheno Romam scripseram, sed respondent ad illum esse perscriptum, ut antea, de adeunda Pruscia[6]. Commendari cupio sacrificijs ac precibus R. T. ac totius Collegij, multoque magis patronis Ecclesiae Coloniensis qui in hunc maxime mensem incidunt[7]. Oeniponti 5. Septemb. 1572.

Seruus in Christo P. Canisius.

Reuerendo in Christo Patri, D. Leonardo Kessel, eorum qui sunt societatis IESV Praeposito. Coloniae in bursa trium Coronarum.

1820. CANISIUS **P. LAURENTIO MAGIO**, provinciae Societatis Iesu austriacae praeposito.

Oeniponte circa initium m. Septembris 1572.

Ex Magii epistula autographa. Germ. 134 f. 107[a].

P. Laurentius Magius S. J. provinciae austriacae praepositus Praga 14. Septembris 1572 P. Hieronymo Natali vicario generali Societatis haec scripsit de P. Pastelio, quem Hoffaeus provincialis ad contiones Graecii coram Carolo II. archiduce habendas pro P. Lackner, quem Magius petierat, cum Fr. Stephano Kreitzler magistro in novo illo collegio futuro, miserat (v. supra p. 93): „Già intendo, che à Vienna è arriuato il padre Gerardo pastellio il quale mi scriue il Padre Canisio esser più idoneo, che 'l Padre Lachner con un' compagno mandato di Jspruck. . . . Con questi subsidij Padre, hò cominciato à respirare per conto . . . di Gratz."

1821. CANISIUS **P. HIERONYMO NATALI S. J.**

Oeniponte 15. Octobris 1572.

Ex autographo (2°; 2½ pp.), Germ. 183 f. 221.

Collegium fuldense. Scriptores. Confessarii principum. Collegium coloniense adiuvandum. Novi rectores. Halenses ad ecclesiam reducti. Iuvenes Romam missi Opus marianum. Borgias.

a) *Sic; sed Canisium dicere voluisse puto:* oppugnatos.

[1] Lc 23, 31.

[2] Opus Vegae et librorum nundinas francofurtenses dicit; v. supra p. 61.

[3] Venloa (Venlo), nunc civitas provinciae limburgensis regni neerlandici.

[4] Undeviginti catholici, iique maximam partem sacerdotes, in arce gorcomiensi (Gorkum) capti indeque Brielam (Briel) perducti et propter suam invictam in sacrae eucharistiae et romani primatus professione constantiam 9. Iulii 1572 a Calvinianis crudelissime trucidati, a Pio IX. in Sanctorum Martyrum album relati sunt.

[5] Universitatem significat. [6] Vide supra p. 51.

[7] Significari puto potissimum S. Aegidium abbatem, S. Maternum episcopum, S. Mauritium eiusque socios martyres, quorum dies festi diebus 1., 13., 22. Septembris agebantur (*Missale* S. Coloniensis Ecclesiae, Antverpiae 1626, f. B 5[b]).

† Pax Christi domini nobis aeterna.
Admodum Reuerende Pater

Accepi Romae datas 25[a] [1] mensis Augusti, adiunctasque misi ad Rhenensem Prouintialem [2], quem recreauerit credo R. T. in causa Fuldensis collegij. Abbas fundator [3] nostros inprimis expetere uidetur, et idoneus est locus ad messem amplam in domino excolendam.

Quod pauci ex Hispania Theologi ueniant, cum sane multis egeamus siue ad prouintiam hanc necessarijs professoribus instruendam, siue ad scriptores quosdam constituendos, patienter feremus, quousque dominus per R. T. meliora dabit tempora, et causam ipse suam promouebit. Expectamus aduentum ignoti P. Julij [4], et boni Patris Laurentij [5] reditum ex collegio Ferrariensi, quando Ducissa sanctae memoriae nullum illi et nobis praebet obstaculum [6]. Proderit autem huic fratri, ut secundum R. T. desiderium suae prouintiae restituatur, seque colligat, turbis relictis aulicis, sicut fecit et P. Guilhelmus [7], qui huic collegio seruire pergit Confessarius, et nullas adhuc accepit literas a Ducissa Florentina [8], quod ego lubens uideo.

De Doctore Costero fiat quod ad maiorem Dei gloriam fore iudicant Patres. Habebitur etiam ratio, uti confido, collegij Coloniensis, quod ornari maxime posset Theologo professore, cum res Catholica illic egeat pluribus operarijs, et non negligenda sint fundamenta, quae in urbe sancta iecit P. Faber piae memoriae [9]. Magni referre puto ad Germaniam restituendam, ut primum et ultimum in illa collegium, Viennense scilicet atque Coloniense, diligenter conseruentur ac promoueantur.

Jam intellexerit R. T. quanta sit facta nobis mutatio in utroque collegio, Hallensi et Oenipontano. P. Pastelius haud dubie Vienna scripsit, quomodo hinc fuerit a P. Prouintiali auocatus, et Austriacae donatus prouintiae sub eo praetextu, quod Grazium mitteretur, ubi tamen meliore indigebunt contionatore, ut ego plane arbitror. Habemus nunc P. Wendelinum hoc loco Rectorem, quem spero muneri suo satisfacturum, ut et Augustae fecit [10]. Rector Hallensis magnum sui desi-

a) *Vide infra, adnot. 1.*

---

[1] Scribendum fuit: „23". Vide supra p. 90.
[2] P. Hermannum Thyraeum.
[3] Balthasar a Dernbach O. S. B.; v. supra p. 50 [2].
[4] Priscianensis; vide, quae sub ipsas has litteras dicentur.
[5] Hermanutii. [6] Barbara (cf. supra p. 5 [2]) mortua erat paulo ante.
[7] Elderen. [8] Ioanna; cuius confessarius fuerat; v. supra p. 5 [2] 20.
[9] Beatus Petrus Faber; v. *Can.* I 98 [1] 669.
[10] De P. Wendelino Völck (cf. *Can.* VI 403) *Hoffaeus* Natali *scripsit Augusta 13. Septembris 1572: „Proximis diebus mittam P. Wendelinum Oenipontum, vt ante discessum P. Canisij aliquid de gubernatione illius Collegij ceu Vicerector discat: . . . P. V. quaeso confirmet P. Wendelinum Rectorem Oenipontanum" (ex autogr.; Germ. 134 f. 223[a]). Eum 4. Octobris rectorem factum esse narratur in **Historia* collegii oenipontani (Cod. „Hist. coll. Oen." p. 10).

derium reliquit Reginis[1] et exteris: credunt illum suis contionibus effecisse per Dei gratiam, ut media ex parte ciues Hallenses ex haereticis Catholici facti sint · Faxit Dominus, ut posthac ille utiliter etiam praesit Jngolstadij. Expectamus[a] P. Prouintialis aduentum, qui placet utcumque offensas Reginas ob hanc tantam sui collegij mutationem: et manebit fortasse per hyemem in Alpibus si permittent res Jngolstadiensis collegij, ut adsit utrique nouitio Rectori Halae et Oeniponti.

Ago gratias R. T. quod permiserit isthuc accedere Germanum adolescentem[2], in Germanico collegio, ut arbitror, iam collocatum, de quo mittendo scripseram.

Describitur nunc opus de beata uirgine: descriptum autem ut isthuc perferatur et iudicetur curabo, accepturus nostrorum quoque Theologorum censuras. Creuit hactenus liber sub manibus, quia foecundum argumentum exhibet, quod utinam ego recte tractem seruato decoro. Fulciat quaeso R. T. me laborantem suis precibus, ut pensum absoluam tandem, et bonorum expectationi faciam satis.

De P. N. Generalis in urbem aduentu nondum accepimus[3]. Diu Christus illum societati seruet, plenamque uictoriam Ecclesiae tribuat contra haereticos in Belgio, et aduersus Turcas.

Commendo me reuerenter sacrificijs et precibus R. T. ac P. Assistentium totiusque societatis.

Optaret P. Surius, nepotem suum[4] Pont. Max.[5] commendari, ratus fortasse, nos adeo Pontifici esse familiares: monuit autem illum Cardinalis Augustanus[6], monui et ego, non adeo esse facile et conueniens, talem in peregrinos curam alijs imponere atque commendare. Dominus JESVS nobiscum. Oeniponti 15 Octob. 1572.

R. T.

Filius P. Canisius.

Canisius has litteras ad Natalem dedit, quia nondum cognoverat, Kalendis Octobribus S. Franciscum Borgiam praepositum generalem — biduo postquam ex itinere Romam redierat — mortuum et 2. Octobris 1572 P. Ioannem de Polanco a Societatis professis Romae degentibus vicarium generalem Societatis electum esse (*Sacchinus*, Hist. S. J. III, l. 8, n. 30—34).

Ceterum quod Canisius in his litteris de adventu „ignoti P. Julii" scribit, ea spectat, quae a Natale Hoffaeo provinciali significata, ab hoc cum Canisio communicata erant. Roma enim 6. Septembris 1572 Natalis Hoffaeo *scripsit: „Qua habbiamo il Padre Giulio Priscianense, il quale si giudica asai a proposito per la necesità che V. R. ci propone, essendo Philosopho, et Eccellente humanista, et si buon

a) *Sequitur* aduentum, *a C. oblitt.*

[1] Magdalenae et Helenae. Pro P. Ioanne Rabenstein, qui collegium ingolstadiense regere iussus est, factus est rector halensis P. Matthias Lakner (*Duhr*, Jes. I 194[1]; *Ign. Agricola* S. J., Historia Provinciae Societatis Jesu Germaniae superioris I. Augustae Vindelicorum 1727, Dec. 4, n. 88).

[2] Balthasarem Arnoldt.

[3] Vide, quae sub ipsas has litteras dicentur.

[4] Laurentium Surium; v. supra p. 22. [5] Gregorio XIII. [6] Truchsess.

Theologo come V. R. desidera onde ci siamo risoluti nel signore darli questo aiuto del quale mostra hauere tanto bisogno, et in questo modo potra esser che oltra del Padre Canisio anche il Padre Pisa et Padre Pietano[1], attendano a scriuer contra li heretici come di la si desidera" (ex apogr. eiusd. temp., Germ. 109 f. 89[a]). Iulius Priscianensis (1542—1607) florentinus Societatem, cum 16 annorum esset, ingressus erat; qui cum per aliquot annos in universitate ingolstadiensi theologiam tradidisset, Dilingam venit; ubi bis rector fuit, per plurimos annos theologiam docuit et universitatis cancellarium egit; inprimis autem monachis Dilingae studentibus magistrum patremque se praebuit et de disciplina religiosa litterarumque studiis in Suebiae Helvetiaeque monasteriis amplificandis, sacra exercitia tradendo et libros bibliothecis providendo, egregie meritus est (*Thom. Specht,* Geschichte der Universität Dillingen, Freiburg i. Br. 1902, 266; *Duhr,* Jes. I 196 ³ 504—505).

1822. IOANNES THOMAS A SPAUR cardinalis Christophori Madrutii episcopi brixinensis coadiutor CANISIO.

Brixina 31. Octobris 1572.

Ex apographo eiusdem temporis; cui manu eiusd. temp. adnotatum est: „Nomine Reuerendissimi Coadiutoris." Oeniponte in archivo praefecturae, „Brixner Arch. X. 18. E", fasc. „Varia Decreta . . . ad Reformationem" etc. f. 5[b].

Iuvenem theologiae studiosum ei commendat.

Reuerende Domine Canisj amice charissime.

Redijt[a] Roma ad nos dilectus nobis Gothardus Hermanus[b], qui aliquot annos literis humanioribus, deinde philosophiae in uestro Collegio studuit, qui ut uidetur, non parum profecit[2]. Is proximis ordinationibus subdiaconatus ordinem sumpsit, cupiebat successiue relictis studijs ad presbiteratus ordinem peruenire et ita suae et suorum egestati suppetias ferre. At quia maxima sacerdotum, qui aliquid sciant penuria laboramus, et hinc omne malum oriri uidemus[c], deliberauimus praefatum iuuenem alicuius forsitan spei, ulterius in studijs alere, quo praelibata studia possit melius penetrare, et tandem usui huic episcopatui esse aliquando queat. Cum autem iuuenis iste sit plane dubius, quonam illi magis expediret petere, Vienamne an Ingilstadium[d] uel alio, iudicauimus consultius eum ad Paternitatem uestram dirigere a qua possit maturum consilium consequi: et tantundem exequi, quantum imperauerit Paternitas uestra, nihil omnino dubitans, quod si paruerit, poterit non nisi[e] optatissimos fructus tempore suo colligere. Et hisce ualeat Paternitas vestra, ac nos habeat in suis assiduis orationibus commendatos plurimum desideramus. Datae Brixinae ultima die Octobris, 1572.

Quid iuveni ille Canisius suaserit, non constat. *Sinnacher* affirmat, Seemannum in ingolstadiensi quoque et dilingana universitatibus litteris operam dedisse et

a) Reddijt *apogr.* b) *Scribendum fuit:* Seemannus; *vide infra, adnot. 1.* c) *Sic in apogr. correctum est ex* iudicamus. d) *Scribendum fuit:* Ingolstadium. e) *Ita corrigendum esse ex* nisi, *quod est in apogr., res ipsa ostendit.*

[1] Alphonsus Pisanus et Theodorus Peltanus.

[2] Gotthardum Seemann significari intellegitur ex epistula proxima (infra, p 99). In antiquissimo * *Catalogo* collegii germanici notatum est: „Gotthardus Seeman Brixinensis ingressus est in Collegium 2. Nouembris an. 1569" (Cod. rom. „All. coll. Germ. p. 23).

Dilingae magistrum artium creatum esse; deinde a. 1575 beneficium S. Oswaldi in cathedrali ecclesia, a. 1578 parochiam „Kastellrutt“ consecutus, cum Thomam coadiutorem in visitatione dioecesis comitatus esset, factus est a. 1580 parochus ipsius urbis brixinensis, a. 1586 ibidem canonicus („im Kreuzgang“), a. 1594 parochus albinensis (Albeins); quo officio annos haud paucos magno cum fructu functus est (*Steinhuber* l. c. I² 80; *Sinnacher* l. c. II 357; VII 612—613; *Hirn* l. c. I 269).

1823. ADAMUS AB ARZ cathedralis ecclesiae brixinensis canonicus nomine capituli cathedralis (?) CANISIO. Brixina 31. Octobris 1572.

Ex apographo eiusd. fere temporis, quod olim erat in tabulario episcopatus vel cathedralis capituli brixinensis, nunc autem exstat Oeniponte in archivo praefecturae, in fasciculo, de quo supra p. 98.

Iuvenem theologiae studiosum ei commendat.

Reuerende D. Canisi amice Charissime.

Redijt Roma ad nos dilectus nobis Gothardus Seemannus [1] institutus per aliquot annos tum in politioribus literis tum in aliquo philosophiae progressu in Collegio uestro germanico, qui, ut uidetur, non parum profecit, is proximis ordinationibus Subdiaconatus ordinem sumpsit. Cupiebat successiue relictis studijs ad Presbyteratus ordinem promoueri et ita suae et suorum aegestati subuenire. At quia nimium cognoscimus raritatem sacerdotum, qui aliquid scirent, talem esse, et hinc oriri omne malum, deliberauimus praedictum Juuenem ulterius in studijs alere, quo praelibata studia possit melius penetrare, ac tandem ad aliquem finem peruenire. Cum autem dici solet dimidium esse facti, quod bene incoepit, noluimus Juuenem aliquo relegare sine bono ac maturo consilio Paternitatis V. Reuerendae. Eum mittimus igitur istuc, ut dirigat gressus suos iuxta sanum consilium Paternitatis V. ac tantundem exequatur, quantum Paternitati Vestrae uidebitur esse consultum; Hisce Paternitatem Vestram rogantes, habeat nos in suis orationibus assiduis commendatos. Brixinae [ultima die Octobris, 1572][a] [?].

Librarius, qui hanc epistulam olim transcripsit, alius est atque ille, qui epistulam superiorem transcripsit; et cum huic adnotatum esset, eam nomine Thomae coadiutoris datam esse, illi, cuius nomine scripta esset, non est ascriptum. Equidem, cum et haec et totum illum fasciculum, in quo hae epistulae exstant, considero, in hanc venio sententiam: Idem quidem binas hasce litteras adumbravit vel composuit; sed una data est nomine coadiutoris; altera nomine capituli cathedralis data est ab Adamo ab Arz, eiusdem capituli canonico; qui multa eiusmodi negotia et Romae et Oeniponte et alibi tractabat atque aliquamdiu etiam „in spiritualibus per dioecesim Brixinensem Commissarius generalis“ erat; cf. *Hirn* l. c. I 225 314; II 65[1] 391.

1824. COLLEGII S. J. FERRARIENSIS sodales CANISIO. Ferraria circa m. Novembrem 1572.

Virtutes Barbarae filiae Ferdinandi I. imperatoris, Alphonso II. duci ferrariensi matrimonio iunctae, laudant et Canisio scripta mittunt, quibus extremum vitae illius tempus enarratur. Plura vide infra, monum. 1112.

a) Brixinae etc. *apogr.; qua ratione tempus epistulae superioris (supra p. 98) significari videtur.*

[1] De hoc v. supra p. 98.

1825. CANISIUS **P. IOANNI DE POLANCO** vicario generali Societatis Iesu. Oeniponte 4. Ianuarii 1573.

Ex autographo (2°; 1 p.; in p. 4 inscr., alia manu [quae P. Wendelini Völck esse videtur] scripta et reliquiae sig.). Germ. 183 f. 222a—223b.

Gratulatio. Monasterium augustanum Societati tribuendum. Congregatio provincialis.

† Pax Christi JESV et felix annus[a],

Admodum Reuerende Pater

Magnas domino gratias agimus, qui nobis superiorem dedit R. T. hoc tempore, et rogamus, ut hanc prudentem electionem prosperet ad communem nostrae societatis utilitatem[1].

Venit isthuc D. Nicolaus[2], qui praeclarum suae uirtutis specimen his mensibus dedit in Episcopatu Augustano, cuius uisitatorem coepit agere, nunc nostros etiam summa fide complectens. Multi et magni sunt Augustae uiri, quorum consilio commendabit Jllustriss. Cardinali causam monasterij[3] in nostros transferendi, quod unum et Dilingani et Augustani collegij rebus bene constituendis sufficere posset. Spero Deum negotio adfuturum, quod sine nobis per optimos amicos et Principes magnopere dicto Cardinali nostro commendatur. Quod[b] si nullus esset successus consiliorum, quae multa ille suggeret coram, tamen debemus gratiam optimo uiro, qui nostro[c] et Christi nomine non rogatus hanc longam et hoc tempore difficilem peregrinationem suscepit. Qua de re paucis monere uolui, ut gratior esset Patribus talis amici conspectus atque conuictus, qui cum eo ipso sua etiam consilia facile communicabunt.

Augustam breui proficiscentur nostri, ut congregationem prouintialem absoluant, et de mittendis Electoribus statuant[4]. Dominus IESVS in gloriam sui nominis diu incolumem nobis tueatur P. T. cui si antehae unquam, nunc uel maxime quidem indignus Canisius sese commendat, eiusque precibus cupit adiuuari. Oeniponti 4 Januarij 1573.

R. P. T.

Filius Pet. Canisius.

† Admodum Reuerendo in Christo Patri D. Joannj de Polanco Vicario [genera]li Societatis JESu etc. Romae.

Has litteras, ut ex ipsis intellegitur, secum Romam attulit Doctor Nicolaus Elgardus sive Elchardus. Is, sub a. 1547 propre Arlunum (Arlon, nunc urbs regni belgici) natus, Lovanii et Treviris litteris institutus, anno 1568, suscepto iam sacerdotio, in collegium germanicum admissus est; deinde a cardinali Ottone Truchsess

a) anus *autogr.* b) *Sic C. ipse correxit ex* Ac. c) *Duo vv. sqq. a C. in margine addita sunt.*

[1] Vide supra p. 97. [2] Elgardus; vide, quae sub ipsas has litteras dicentur.

[3] S. Crucis; de quo plura sub ipsas has litteras dicentur.

[4] Ex Constitutionum Societatis praescripto hanc congregationem haberi oportebat ad duos eligendos, qui cum praeposito provinciali Romam ad generalem eligendum et alia Societatis negotia in congregatione generali tractanda venirent; v. *Can.* IV 788.

Romae versante in augustanum ipsius episcopatum ad visitationes habendas missus est; eodem curante a. 1572 Augustae in ecclesia S. Mauritii canonicatum est nactus. Proximo autem anno, cum Gregorius XIII. Gasparum Gropperum nuntium in Germaniam mitteret, Elgardus eum comitatus est. Postea ipse in variis Germaniae regionibus pontificiis functus est legationibus et visitationes contionesque habuit. Anno autem 1578 Daniel Brendel archiepiscopus moguntinus Elgardum episcopum auxiliarem et vicarium suum per Thuringiam, Hassiam, Eichsfeldiam constituit: quod officium ille usque ad mortem († 1587) maximo cum animarum fructu administravit (*Steinhuber* l. c. I² 209—220; *W. E. Schwarz*, Die Nuntiatur-Korrespondenz Kaspar Groppers, Paderborn 1898, XXVIII—XXX). Is igitur ineunte a. 1573 Romam petiit, sperans iam effectum iri, ut Societati Augustae ad collegium instituendum scholasque habendas certa satisque ampla sedes daretur; id quod cardinalis Truchsess, Fuggeri, Ilsungi, alii proceres augustani iam inde a multis annis variis rationibus moliebantur (*Plac. Braun*, Geschichte des Kollegiums der Jesuiten in Augsburg, München 1822, 4—14; *K. Schellhass*, Nuntiaturberichte aus Deutschland 1572—1585 IV, Berlin 1903, XV—XXVIII). Profectionis elgardianae causam P. *Gregorius Roseffius* domus S. J. augustanae superior et cathedralis ecclesiae contionator epistula Augusta 22. Novembris 1572 data Polanco vicario generali sic *significavit: „Nuper egerunt domini Fuggeri per literas cum Reuerendissimo nostro pro parte monasterij S. Dominici, quae cum ad claustrum proprie non spectet, locatur externis et hospitibus, qui magnum equorum numerum isthic conseruant, et Reuerendissimus suam operam obtulit[1] · sed dum haec cogitant Ecce alia sese offert occasio Catholicis patronis continuandi diuturnas suas cogitationes de stabilienda Societate. Sunt hic inter caetera duo monasteria Canonicorum regularium S. Augustinj, eiusdem habitus et regulae, quorum vnum vocatur Sanctae Crucis · alterum diui Georgij, illius praepositus obijt ante aliquot hebdomadas[2], relictis post se tribus, ni fallor, sacerdotibus in conuentu, quorum neutrum dicunt ob causas graues eligi posse in praepositum. Sunt praeterea in S. Georgij perpauci, ita vt vtrobique ob personarum inopiam cultus diuinus, vt deceret, minime peragatur. Cum itaque videant dominj Catholici ex duobus conflarj posse vnum conuentum, vnde cultus diuinus non minueretur, imo augeretur, si nostri ad Sanctam Crucem, regulares autem coniuncti in S. Georgio degerent: inter illos conuentum est scribere ad Reuerendissimum nostrum tanquam ad ordinarium[3] pro impetrando consensu, se enim paratos esse apud Sedem Apostolicam laborare pro negotio tam vtili. Et ne videantur insidiari redditibus amplis huius monasterij, vt hac ratione nihil expendant pro fundatione Societatis, rogant vt omnes redditus Sanctae Crucis vna cum pauculis monachis transferantur ad S. Georgium, vt hac ratione commodius viuere possint[4]. Ad hoc impetrandum implorant auxilium principum et ducum vicinorum, qui idipsum a Reuerendissimo nostro petent, illis enim magni interest si haec vnica Ciuitas in bono conseruetur

---

[1] Cf. *Can.* V 249 511. De monasterio Dominicanorum landishutano, quod Albertus V. dux per pontificem in Societatem transferre cogitabat, *S. Franciscus Borgias* praepositus generalis Hoffaeo provinciali Roma 7. Aprilis 1571 *scripserat: „È bene, che dal suo canto V. R. dissuada questa cosa, come gl' e stato scritto, ò almeno che intenda 'l Papa, che noi non siamo inclinati ad accettare questo ne altri Monasterij; . . . noi non desideramo li Monasterij de Religiosi" (ex apogr. eiusd. temp.; Germ. 70 f. 164ᵇ).

[2] Georgius Faiglin, 29. Septembris 1572 mortuus (*Schellhass* l. c. IV XXIX), reliquit 5 „fratres conventuales" (*Schwarz*, Nunt. 18 20).

[3] „Questo monasterio è sotto la giurisdittione del vescovo di Augusta in temporale et spirituale": Cardinalis *Truchsess* Gregorio XIII. initio a. 1573 (*Schwarz* l. c. 20).

[4] „Tantummodo vacua aedificia petunt": *Elgardus* Gregorio XIII. initio a. 1573 (*Schwarz* l. c. 18).

statu.“ Hos Catholicorum „conatus si non iuuare saltem impedire non potui, ostendi quidem difficultatem magnam, cum dominus praefectus Sueuiae vtriusque [1], et dominus Joannes Fuggerus mihi animi sui consilia aperirent, sed illos plane ab incepto dehortarj et deterrere, praecipue tam principes viros non potui nec debui.“ Ipse Roseffius cum cardinali nihil de hac causa aget. „Succedat itaque negotium quomodocumque velit, nos insontes sumus. . . . Si de me quaerat V. P. quid mihi videatur, dico, primo aspectu mihi videri durum aliquem e suo nidulo deturbare, sed tamen ex altera parte videtur modum Societatis viuendj his temporibus accommodatissimum, quo Augustae ingens fructus conuehi posset in horrea domini, et quod illis bonis fratribus non tamen magna fiat iniuria, quandoquidem irent ad simile monasterium sui ordinis intra moenia Augustana (qui quales sint non dicam, V. P. petat supplicationem Catholicorum latine scriptam et videbit omnia ad longum) · arbitror Catholicos patronos habere iustam causam quaerendi et etiam conquaerendi. Hoc sibi persuadeat P. V. Societatem numquam facile habituram tam exoptatam occasionem erigendi collegium Augustae, sicut modo, est illud monasterium recens aedificatum, habet templum augustissimum, situm in salubri loco. Quod tamen minatur ruinam si sic relinquatur · nam post obitum praepositi coacti fuerunt consiliarij Jllustrissimi nostri, praeficere illis monachis (proh pudor) dominum Nicolaum Elgardum sacerdotem saecularem . . . in temporalibus vero saecularem ministrum Cardinalis“. Abeunti itaque Elgardo *Roseffius* *litteras tradidit Augusta 29. Decembris 1572 datas, quibus Polancum certiorem faciebat, Elgardum „a nostris patronis“ mitti „Romam propter negotium collegij“ eumque esse virum „multis nominibus commendandum et a nobis vnice amandum“ (ex autographis; Germ. 134 f. 225^a—226^a 231^a). Praeterea Elgardus secum Romam afferebat epistulas, quibus negotium illud, ut Canisius scribit, „per optimos amicos et principes magnopere commendabatur“: litteras dico Augusta 19. Novembris 1572 a Marco, Ioanne, Hieronymo Fuggeris et Gregorio, Ioanne Achille, Maximiliano Ilsungis communiter ad cardinalem Truchsess datas; quatuor quoque epistulas ad Gregorium XIII. datas a Ferdinando II. Austriae archiduce Tirolisque principe, Alberto V. Bavariae duce et Guilielmo filio eius maximo, Christina Lotharingiae ducis vidua Oeniponte 10. Decembris, Landishuto 13. Decembris, Fridberga 6. Decembris 1572; quas epistulas *Aug. Theiner,* Annales Ecclesiastici continuati etc. I, Romae 1856, in a. 1572 n. 26, typis exscripsit omnes, praeter ultimam, cuius brevem summam posuit *Schwarz,* Nunt. 14. His epistulis accedebant litterae commendaticiae ab Henrico Rehlinger et Christophoro Peutinger, urbis procuratoribus sive praetoribus (penes quos suprema potestas erat), datae (*Schellhass* l. c. IV xxx). Cum autem Theiner litteras illas Fuggerorum et Ilsungorum „impudentissimas“ vocet eosque viros de religiosorum illorum hominum existimatione eo solo consilio, „ut opulentissimum eorum monasterium quacumque demum ratione eis arripere liceret“, detraxisse dicat (l. c.), iuverit novisse, quid *Roseffius,* vir sane gravissimus, de iisdem senserit. Is Augusta 3. Ianuarii 1573 Polanco *scripsit: „Cum generosus dominus Joannes Fuggerus sponte mihi obtulisset literarum missarum per D. Nicolaum Elgardum Copias, vti vocant, easdem placuit paternitati vestrae transmittere. . . . Sunt nonnulla in literis patritiorum ad Cardinalem nostrum Reuerendissimum, quae dura videntur et nonnihil detrahere religiosis Sanctae Crucis, sed vtinam non essent tam vera, quam sunt verissima. Vix enim doctor Nicolaus Elgardus qui illis fuerat praefectus retulit pedem et secuta imo perpetrata res magni scandali ab illo Monacho Sanctae Crucis in quem vnicum tanquam dignum oculi illorum fautorum, qui pauci sunt boni conijciuntur [2]. Jnuentus nocturno tempore extra claustrum nescio quo in loco a cohorte militum qui circumeunt noctu ciuitatem, euasisse tamen dicitur relicto pallio gladio et pileo holoserico, taceo reliqua quae sparguntur hic de eodem“ (ex autogr., Germ. 152 f. 262).

Quod denique Canisius scribit, monasterium S. Crucis „dilingani collegii rebus bene constituendis sufficere posse“, id explicatur commentario italico, quem a car-

---

[1] Georgius Ilsung, caesareus Suebiae superioris et inferioris praefectus.

[2] De hoc cf. *Schwarz* l. c. 20 et *Braun* l. c. 15.

dinali *Truchsess* paulo post (m. Ianuario vel Februario 1573, puto) Gregorio XIII. traditum, primus edidit *Schwarz*, l. c. 19—23; Dilingae, ait cardinalis, universitatem, seminarium, collegium Societatis a se condita, aedificiis instructa, per multos annos pecuniis a se sustentata esse, neque tamen sibi facultates suppetere ad reditus annuos collegio in perpetuum assignandos; ideo timendum esse, ne post mortem suam saluberrima illa res ab episcopis vel capitulo intermittatur; petere se itaque a pontifice, ut ipse, quoniam reditus monasterii S. Georgii religiosis e domo S. Crucis eo transferendis abunde sufficiant, reditibus S. Crucis ad collegium dilinganum dotandum utatur, ita tamen, ut bona illa non tribuantur Societati, sed episcopatui dentur sive, ut dici solet, mensae incorporentur episcopali cum condicionibus instituto illi accommodatis.

Socii romani in ea causa modeste cauteque se gerebant. Ita cardinalis *Stanislaus Hosius*, qui ex cardinalibus „congregationis germanicae" erat et Sociis familiariter utebatur, Roma 11. Aprilis 1573 capitulo augustano *scripsit: „Hoc affirmare possumus, neminem unquam ex hac societate uerbum ullum ea de re nobis fecisse, aut uel minimam suspitionem dedisse suae propensae in causam hanc uoluntatis" (ex apogr. eiusd. fere temp.; Cod. monac. „Augsb. Domk." p. 314—315)

Polancus Canisio respondisse videtur 24. Ianuarii 1573.

1826. P. IOANNES DE POLANCO vicarius generalis Societatis Jesu CANISIO. Roma 8. Ianuarii 1573.

Ex epistulis Canisii autographa, quae est in Germ. 183 n. 269, et Thyraei archetypa, quae est in Germ. 152 f. 314—316, et ex epistularum ad Theodoricum Canisium et ad Balduinum apographis eodem tempore scriptis, quae sunt in Germ. 109 f. 109, et ex scripto archetypo eiusdem temporis, quod est in Hist. Soc. 42, Diuersi ordini, in a. 1573.

De opere mariano. Quaerit, quo loco religio catholica sit, et quomodo pontifex ad eam protestantes (suaviter) reducere possit.

Canisius Oeniponte 8. Februarii 1573 Polanco scripsit: „Binas accepi literas R. T. priores 8. et alteras 24. Januarij datas". Utraque epistula periit; ne apographa quidem in registris Polanci reperiuntur; id quod valde mirum non est; praeparanda enim erat congregatio generalis Societatis; multa quoque negotia cum Gregorio XIII. novo pontifice transigebantur; ideo Socii romani valde occupati erant et in registris epistularum alias quidem integras ponebant, alias vero breviter tantum notabant vel etiam prorsus omittebant. Quid autem 8. Ianuarii Canisio scriptum sit, aliqua ex parte colligi potest ex litteris Roma 10. Ianuarii 1573 a Polanco ad P. Hoffaeum datis; ubi ille de libro, quem Canisius adversus Centuriatores de B. Maria Virgine scribebat, haec dicit: „Al Padre Canisio si scriue animandolo à finire quella parte cominciata della Madonna et speramo sarà utile et grata". Simul alia quoque cum Canisio communicata esse intelligitur ex eius epistula, quam dixi; scribit enim ipse, Polanci litteras 8. Ianuarii datas significans: „Cum prioribus satisfacerem, scriptumque postulatum pararem, uix illud absolueram, et ecce" etc. Quodnam scriptum postulatum est? In codice rerum a supremis Societatis moderatoribus Roma in varias Societatis provincias missarum manu eiusdem temporis notatum est: „A di 10. di Genaio .1573. si mando una comune alli quattro Prouinciali di Germania, accio mandassino una informatione delli mezzi che potrebbe tener sua santità per

ridurre li heretici al grembo della santa sede etc." Et P. Hermannus Thyraeus provincialis rhenanus Moguntia 8. Februarii 1573 Polanco scripsit: *„Scire desideras R. P. quo in statu sint res catholicae religionis in Germania: et qua ratione promoueri possint".* Et P. Balduinum ab Angelo provincialem Germaniae inferioris Polancus Roma 10. Ianuarii 1573 monuit: *„Il Papa ha ordinato, che scriuessi ad alcuni de nostrj dessino auiso del stato della Germania et de i mezzi de aiutarla, V. R. faci questo officio quanto alla Prouincia sua, et quanto prima, et se li pare pigli il parer del Padre Costero et Padre Trigoso et se li parerà d 'alcun altro · et ci auisi di quello che sente et non si publichi questo ordine di S. Santità ma si esseguisca con secreto".* Dubitari igitur non potest, quin idem mandatum sit PP. Paulo Hoffaeo et Laurentio Magio, Germaniae superioris et Austriae provincialibus. Praeterea constat, Polancum eodem illo d. 10. Ianuarii P. Theodorico Canisio S. J. rectori collegii dilingani haec praecepisse: *„S' occorrera alcuna cosa de momento circa l' informatione del stato della Germania nelle cose appertenenti alla Religione, et delli mezi che potesse usar il Papa per aiutarla, scriualo et quanto prima perche sua Santità con gl zelo che Dio n. Signore li da d' aiutar il suo grege, mi ha commesso che io ricerchi in questo due cose il parer de alcuni nostri, et s' intende de mezi suaui che in tal modo aiutino che non si desse à temer (etiam per la heresia) di quello che tocca al dominio loro legitimo et questo facciasi con secreto, et presto per charità".* Quodsi Polancum a Theodorico Canisio hoc postulasse certum est, longe etiam certius est, eum idem a Petro Canisio postulasse.

Notatu dignum est, congregationem cardinalium „germanicam" a S. Pio V. 1568 institutam — Canisius unus ex praecipuis huius consilii auctoribus fuerat (*Can.* VI 581—583) — initio a. 1573 (si non ante) a Gregorio XIII. instauratam esse. In huius congregationis consessu a. 1573 uno ex primis Ianuarii diebus (ante 7.) habito cardinalis Zacharias Delphinus orationem habuit, in cuius exordio cardinales monebat, ipsos a pontifice congregatos esse „con intentione di consultar sopra quello, che fruttuosamente et suavemente fare o tentar si possa per non solo conservar le reliquie catholiche di Germania, ma per aiutare tutta quella provincia in re et negotio religionis et fidei." Iterum habita est sessio d. 7. Ianuarii, et ei interfuerunt cardinales Comensis, Varmiensis (Stanislaus Hosius), Truchsess, quinque alii (*W. E. Schwarz,* Zehn Gutachten über die Lage der katholischen Kirche in Deutschland [1573/76], Paderborn 1891, xvi—xvii 19; *Schellhass,* Nunt III xv—xix; *Hansen,* Akten 648).

Canisius Polanco respondit 8. Februarii 1573.

1827. CANISIUS et reliqui Socii Augustam congregati (praeter Hoffaeum) **PRAEPOSITO GENERALI** Societatis Iesu proxime eligendo.

Augusta Vindelicorum 22. Ianuarii 1573.

Ex litteris archetypis, a P. Wendelino Völckio S. J. scriptis (2°; 2 pp.; in p. 4 inscr. et pars sig.), quibus singuli nomen sua manu subscripserunt. Germ. 152 f. 294. Litterarum partes posuit *Duhr,* Jes. I 787.

Rogant eum, ne P. Hoffaeum officio provincialis levet.

Jhesus.

Pax Christi JESV.

Admodum Reuerende in Christo Pater.

Cum Reuerendus Pater noster Prouincialis Congregationem in hac prouintia ultimam celebraret Augustae[1], in communi illo conuentu non obscure prae se tulit, se Romae daturum operam, ut praesenti hoc se munere abdicaret. Visum est autem Patribus omnibus qui tunc aderant, non parum huius prouintiae interesse, ut suo ille loco maneat, minimeque mutetur in ea functione quam non modo nostrorum sed etiam Principum et externorum testimonio his annis proximis praeclare et feliciter administrauit. Nec dubitamus, multa et magni momenti incommoda secutura esse si nunc alium ille successorem acciperet, praesertim cum quaedam ab eo egregie coepta non facile ab alio possint absolui, et aeque commode transigi. Etsi uero Constitutiones nostrae praescribunt, ut tertio quoque anno mutetur Prouincialis, tamen haud prohibent ut putamus, aliquam hic dispensationem accedere propter commune Prouinciae bonum, sicut hactenus et saepe et sapienter factum esse nouimus[2]. Quocirca etiam atque etiam rogamus et obsecramus omnes, talem ut patrem et Prouincialem diutius retinere possimus, utque P. T. eiusdem rationibus et modestiae, et recusationi nullum tribuat locum, sed illum porro in priore confirmet munere, quod magna cum huius Prouinciae utilitate omniumque laude sustinet, nullus ut de illo iuste queri posse uideatur. Caeterum ut certior constaret fides, communi omnium consensu hanc peti confirmationem, uisum est singulis suum nomen adscribere, nullo quidem patrum excepto, qui Congregationi dictae interfuerunt. Datum Augustae Vindelicorum Die Vicesima secunda mensis Januarij quae erat S.S. Vincentio et Anastasio martyribus sacra. Anno partus Virginei millesimo, quingentesimo Septuagesimo tertio.

P. T. R.

filij in Christo

Petrus Canisius.	Gaspar Heiwodus
Nicolaus Lanoyus	Theodorus Peltanus
Alphonsus Pisanus	Henricus Arboreus
Theodoricus Canisius	Jo. Rabenstain
Hieronymus Torres	Mathias Lacknerus
Gregorius Rosephius	Wendelinus Volckius.

† Reuerendo admodum in Christo Patri Nostro N. N. Praeposito Societatis JESV Romae.

---

[1] De hac congregatione a d. 11. ad 21. Ianuarii 1573 sub P. Paulo Hoffaeo provinciali novi praepositi generalis Romae eligendi aliorumque negotiorum ibidem constituendorum gratia habita v. infra, monum. 1123.

[2] Hoffaeus m. Aprili 1569 nominatus erat provincialis; v. *Can.* VI 293. Generalis „constituat . . . Provinciales . . . Praepositos ad triennium, ut plurimum (quamvis et contrahi et prorogari etiam id spatium temporis possit, quando ad maiorem Dei ac Domini nostri gloriam id fore videbitur)“: *Constitutiones* S. J. P. 9, c. 3, n. 14.

In eandem sententiam iam 25. Iulii 1572 P. *Alphonsus Pisanus* P. Hieronymo Natali vicario generali *scripserat: „Visus est a Deo plane delectus Reuerendus P. Canisius pro Societatis fundatione in his partibus, Reuerendus autem P. Hoffaeus pro conseruatione et promotione, Ita ut si ille prouinciam relinqueret, valde sentiretur mutatio. Patres enim seniores jam sunt in eo statu ut Requie sint donandi, alij non habent eas partes ad agendum cum principibus Germanis etc. quae requiruntur" (ex autogr.; Germ. 134 f. 298ᵃ).

Everardus Mercurianus, praepositus generalis electus 23. Aprilis 1573, huic petitioni abunde satisfecit; neque enim unquam Hoffaeum provincialis officio levare voluit, atque ita ille onus portavit, donec, Mercuriano 1. Augusti 1580 mortuo, 5. Martii 1581 in quarta congregatione generali Claudio Aquavivae generali novo adiunctus est „assistens pro Germania".

1828. GREGORIUS XIII. Pontifex Maximus CANISIO.

Roma 24. Ianuarii 1573.

Ex apographo (A) saeculo vel XVI vel — hoc probabilius est — XVII. scripto, quod exstat Romae in archivo vaticano, Arm. 44, tom. 21 f. 260ᵃ—261ᵃ, nr. 338. Earundem litterarum commentarium (B) ab ipso, ut videtur, Antonio Buccapadulio secretario compositum exstat ibidem, Ep. Gr. XIII. Lib. III, f. 31ᵃ; in quo commentario Buccapadulius sua manu inscriptionem, tempus, nomen suum posuisse videtur. Litteras ex eodem commentario exscripsit *Theiner*, Annales eccl. I in a. 1573 n. I. Easdem (ex Theinero?) posuit *Gius. Boero* S. J., Vita del Beato Pietro Canisio, Roma 1864, 475—476; particulam posuit *Schellhass*, Nunt. III, xxii[3]; maiorem partem germanice vertit *Flor. Riess* S. J., Der selige Petrus Canisius, Freiburg i. Br. 1865, 425; litteris usi sunt *Sacchinus*, Can. 286; *Agricola* l. c. I D. 4, n. 55; *I. Dorigny* S. J., La vie du Reverend Pere Pierre Canisius, Paris 1707, 328—329; *Michel*, Can. 346 etc.; *Kröss*, Can. 196.

Iubet eum cum principibus aliquot agere et, quid egerit, Romae sibi referre.

Dilecto filio Petro Canisio ordinis Jesuitarum presbytero[a]
Gregorius P. P. XIII[b].

Dilecte fili salutem [et Apostolicam benedictionem][c]. Inter eas curas, quibus in hoc Pastorali munere Nobis a Deo assignato incredibiliter angimur, illam semper primam, grauissimamque esse duximus, quam huic muneri maxime conuenire, Deoque in primis cordi esse intelligimus, hoc est, quae in animarum salute omni studio, atque omnibus opibus quaerenda versatur: neque vllam tantam difficultatem esse posse existimamus, quae Nos ab hac curatione abstrahere debeat[d]: speramus enim Deum ipsum suae causae adfuturum, quem etiam scimus facile posse corda lapidea auferre, et carnea[1] reponere. Huic etiam curationi te pro tua caritate libentissime incumbere non dubitamus. Jtaque cum audiremus te huc venturum generalis uestri ordinis Capituli celebrandi causa[2], uoluimus te huius nostri desiderij adiutorem

a) *In A sequuntur vv.* De rebus Germaniae; *quae a librario addita esse facile patet.* b) *Hoc pontificis nomen deest in B.* c) *His vv. pontifices Brevia incohare solebant; cf. Can. III 64;* salutem etc. *A B.* d) *A perperam:* debent.

¹ Ez 11, 19; 36, 26.

² Qui hoc pontifici dicebant, aut instituti Societatis notitiam haud ita plenam habuisse, aut id pro certo sibi statuisse videntur: Fore, ut Canisius a congregatione provinciae suae designaretur „elector" novi generalis, vel ut ille saltem „extra or-

esse; cumque Ferdinando Archiduce Austriae, cum Duce Bauariae, et Archiepiscopo Salisburgensi[a] [1] ijs de rebus agere, de quibus fusius ad te[b] perscribet dilectus filius noster Cardinalis Comensis[2], eorumque sententijs, et voluntatibus perspectis, et cognitis, omnia Nobis cum veneris exponere. Adibis ad eos principes quos diximus quam primum poteris, curabisque hoc negotium quam diligentissime; veniesque ad Nos ut quid consilij capere oporteat sciamus, et quod agendum cognouerimus exequi possimus; quod ut facere ualeamus ora[c] Deum omnis rectae in Nobis uoluntatis, atque actionis effectorem. Datum Romae apud sanctum Petrum [sub Annulo Piscatoris][d] die .XXIIIJ[e]. Januarij .1573. [Pontificatus Nostri][f] Anno primo.

Ant. Buccapadulius.

1829. P. IOANNES POLANCUS vicarius generalis Societatis Iesu CANISIO. Roma 24. Ianuarii 1573.

Canisius Polanco 8. Februarii 1573 scripsit, se accepisse eius litteras „24. Januarij datas" (v. infra, ep. 1833). Quae iam non exstant; ex Canisii tamen epistula, quam dixi, colligi potest, Polancum scripsisse de pontificia Canisii ad principes aliquot legatione (v. ep. 1828), de eadem silentio tegenda, de libris protestantium Romam perferendis (cf. infra, ep. 1830).

1830. PTOLEMAEUS GALLIUS cardinalis Comensis, Gregorii XIII. secretarius maior, CANISIO. Roma circa 24. Ianuarii 1573.

De legatione; libris protestantium mittendis; itinere romano.

Ex litteris a Gregorio XIII. 24. Ianuarii 1573 et a Gallio 7. Februarii 1573 ad Canisium datis (supra p. 106 et infra, ep. 1832) cognoscitur, cardinalem Comensem circa d. 24. Ianuarii 1573 Canisio scripsisse et commentarium misisse latinum, in quo quaedam continebantur, de quibus Canisius pontificis nomine cum Ferdinando II. archiduce Tirolisque principe, Alberto V. Bavariae duce, Ioanne Iacobo Khuen a Belasy archiepiscopo salisburgensi agere deberet. Qui commentarius una cum cardinalis litteris perisse videtur. Ad litteras tamen illas pertinere dixeris, quae Sacchinus, Can. 286, complura in unum contrahendo, brevius quam clarius narrat: Canisius „literis . . admonetur, vt ipsius

a) *Sic in B librarius correxit ex* cumque Archiduce Ferdinando, Duce Bauariae, Archiepiscopo Salisburgensi. b) de quibus ad te fusius *Thein.* c) *Thein. haud recte:* valeamus. Ora *etc.* d) *Haec 3 vv. ut in Brevibus ponerentur mos ipse habebat.* e) *Th. haud recte:* XXIII. f) *Haec 2 vv. supplevi ex Th.; quae supplenda esse ex ipso eiusmodi litteras scribendi more rationeque usitata patet.*

---

dinem", ut dicere solemus, ad congregationem generalem ab ordinis moderatoribus evocaretur vel adduceretur (cf. *Constitutiones* S. J. P. 8, c. 3, n. 1 et A; c. 6, B; c. 7, A). Neque vero quicquam tale ei contingit; accersito tamen a pontifice Romam, qua ratione locus datus sit in congregatione, vide infra, monum. 1133 1135. Itaque corrigenda sunt, quae ea de re scripsit *Theiner*, Ann. I in a. 1573, n. I.

[1] Ferdinando II. (principe Tirolis etc.), Alberto V., Ioanne Iacobo Khuen de Belasy.

[2] Ptolemaeus Gallius; de quo *Can.* IV 243[1] et *C. P. O. v. Törne*, Ptolémée Gallio, cardinal de Côme, Paris [1907], 55–65 82 115.

Pontificis nomine certa mandata perferat . . .: adhaec Haereticorum voluminum, quae ad refutandum opportuna essent, bonum numerum comparet, mittatque in Vrbem; tum ipsemet accedat. Coram enim melius de morbis earum regionum, curandique ratione, quam per Commentarium actum iri". Ceterum, quid de Ferdinando II. et Alberto V. Canisio mandatum sit, intellegi potest ex Canisii relatione de legatione sua et ex epistulis inter Albertum V. et cardinalem Truchsess datis; vide infra, ep. 1837.

Rem in immensum auget *J. M. S. Daurignac*, scribendo: „Grégoire XIII. . . . lui ordonne . . . de venir à Rome et de lui apporter un exemplaire de chacun des ouvrages publiés par les hérétiques allemands: Histoire du Bienheureux Pierre Canisius, Paris 1866, 336.

1831. Cardinalis **STANISLAUS HOSIUS** episcopus princeps varmiensis CANISIO. Roma circa initium m. Februarii 1573.

Vide epistulam 1832.

1832. **PTOLEMAEUS GALLIUS** cardinalis Comensis, Gregorii XIII. secretarius maior, CANISIO. Roma 7. Februarii 1573.

Ex imagine photographica (A) apographi saeculo XVI. vel XVII. scripti, quod est Romae in archivo vaticano, Arm. 44, tom. 28, f. 20, n. xxxviii; cui apographo librarius ipse hunc inscripsit titulum: „P. Canisio." Est alterum quoque apographum (B) idque saeculo XVIII. vel XIX. scriptum, quod et ipsum inscriptum est: „P. Canisio", et exstat in Cod. „Vitae 123, Canisiana 256", f. 444. *Boero* has litteras posuit et latinas et italice versas (Can. 477 . 351); et *Daurignac* eas gallice reddidit (l. c. 339—340). Earundem partem posuit *Schellhass*, Nunt. III xxv [1]. Usus est iis *Kröss*, Can. 197.

Canisio non esse eundum ad archiepiscopum salisburgensem.

Multum Reuerende in Christo Pater. Superioribus diebus, Sanctissimi Domini Nostri iussu, scripsi tibi, et misi commentarium latinum, in quo quaedam continebantur, de quibus abs te agi S. Sanctitas uolebat, cum quibusdam Germaniae Principibus [1]. Sed postea re melius considerata, uisum fuit Jllustrissimo D. Cardinali Varmiensi [2] mutandum esse consilium [in] [a] ea parte, quae pertinet ad D. Archiepiscopum Salisburgensem [3], teque [i]llius conueniendi labore leuandum esse [b]. Sicut te ex eiusdem Jllustrissimi literis planius iam cognouisse credo. Quare cum S. Sanctitas praedicto [c] [?] Archiepiscopo nunc quod satis est scribat [d], poteris breue illud, quod tibi hac de causa missum fuerat [4],

a) *Quae hic et infra uncis quadratis inclusa sunt, suppleta sunt ex B; ex A enim ita evanuerunt, ut vix, immo ne vix quidem legi possint.* b) *In B desunt, quae sequuntur, usque ad* Quare *excl.* c) *Sic puto legendum esse hoc v., quod in A compendio quodam scriptum est;* de praedicto *B;* prefato *Schellhass.* d) *Ita Schellhass recte correxit ex* sciebat, *quod est in A; in B ex* sciebat *correctum est* sciat.

---

[1] Vide supra p. 106.

[2] Cardinalis Stanislaus Hosius episcopus varmiensis iam inde ab a. 1569 Romae morabatur (*Ant. Eichhorn*, Der ermländische Bischof und Cardinal Stanislaus Hosius II, Mainz 1855, 369 460).

[3] Ioannem Iacobum Khuen a Belasy. [4] Hoc vide infra, monum. 1126.

uel huc remittere, uel tecum, cum ueneris, afferre. Jn caeteris uero rebus mandatum eiusdem Sanctissimi exequi diligenter studebis, sicut te facturum esse non dubito. P.[a] tuae optimam ualetudinem, et diuinae gratiae praesidium opto. Romae die vij. Febr. M.D.LXXIIJ.

Cardinalis Comensis[b].

Eodem die Roma mandatu Gregorii XIII. scriptum est ad P. Felicianum Ninguardam O. Pr. (cf. *Can.* V 597; VI 311[2] 315), qui iam inde a 10 vel pluribus annis archiepiscopi salisburgensis in rebus sacris consiliarius et praecipuus administer erat: Efficeret, ut archiepiscopus quam primum pontifici de religionis instaurandae ratione scriberet; quodsi archiepiscopus ipsum ea de causa Romam mittere vellet, libenter eum laborem susciperet (*Schwarz*, Gutachten XXIX). Ea, quae ipse Ninguarda postea hac de re narravit, sunt apud *K. Schellhass*, Akten zur Reformthätigkeit Felician Ninguarda's, in „Quellen und Forschungen" I, 50.

Cardinalium varmiensis et comensis epistulae Canisio sero allatae sunt; ipse, ut erat promptissimus ad mandata pontificia exsequenda, ad archiepiscopum salisburgensem paulo post medium m. Februarium profectus est; v. infra, p. 110. Quid cum eo tractaverit, ex relatione ad cardinalem Comensem missa intellegetur; v. infra, ep. 1837. *Marcus Hansiz* S. J. archiepiscopatus salisburgensis historicus hoc solum scribit: A. 1573 ad archiepiscopum Fr. Felicianus Ninguarda O. Pr. rediit, „cui Gregorius etiam Petrum Canisium submisit": Germaniae Sacrae Tomus II, Augustae Vindelicorum 1729, 630. Haud recte *Paulus Drews* de Canisio: „Nach Salzburg ging er überhaupt nicht, da ihn davon ein Schreiben aus Rom zurückhielt": Petrus Canisius, der erste deutsche Jesuit, Halle 1892, 130.

1833. CANISIUS **P. IOANNI DE POLANCO** vicario generali Societatis Iesu. Oeniponte 8. Februarii 1573.

Ex autographo (2°; $^3/_4$ p.; in p. 4 inscr. manu P. Guilielmi Elderen S. J. scripta et maior pars sigilli), Germ. 183 f. 224ᵃ—225ᵇ. Epistulae partem verterunt italice *Boero*, Can. 349—350, gallice *Daurignac* l. c. 337—338 et *Michel* l. c. 346—347. Epistula usus est *Kröss*, Can. 196.

Scriptum de religione. Legatio ad principes. Librorum emptio. Pecuniae.

† Pax Christi JESV nobis aeterna,

Admodum Reuerende Pater

Binas accepi literas R. T. priores 8. et alteras 24. Januarij datas. Cum uero prioribus satisfacerem, scriptumque postulatum[1] pararem, uix illud absolueram[c], et ecce ad profectionem nouam ac inopinatam euocor. Meum est maioribus obsequi, et si possim, de nostra quoque Germania bene mereri, quando summus Ecclesiae pastor ut scribit, sui desiderij me uult adiutorem esse[2]. Heri apud nostrum[d] Principem quod fuit iniunctum munus obiui: cras ad reliquos duos ingrediar iter Christo duce, sed et Augustam petiturus ob libros emendos, qui desiderantur[3]. Seruabo fidem silentij, et res ipsa loquitur, non euulgandum

a) Paternitati *B.* b) *Ita B; A haec 2 vv. non habet.* c) *Sequuntur vv.* cum posteriores redderentur, *a C. oblitt.* d) *Ita C. ipse correxit; qui prius, ut videtur, scripserat* Heri cum nostro.

---

[1] De ratione religionis catholicae in Germania instaurandae; v. supra p. 103.

[2] Litteras Gregorii XIII. dicit; v. supra p. 106; Canisii de ea legatione relationem v. infra, ep. 1837.

[3] A pontifice iussus erat libros haereticorum, qui ad refutandum opportuni forent, Romam mittere; v. supra p. 108.

esse, quod inuidiam et periculum facile conflaret, si cognosceretur nostris demandari. Properabo igitur et colligam quae ad prouintiam susceptam pertinent: postea de scripto rectius aliquid statuetur, si tamen illud erit necessarium. Oret pro me dominum R. T. ut hoc difficili tempore conficiam omnia tum diligenter, tum feliciter, quemadmodum iniunctum est. Quodsi opus fuerit, excusari me posse confido, etiamsi ad literas Cardinalium[1] nihil rescribam: satis responsum fuerit credo, si mature isthuc ueniam rebus apud hos Principes expeditis.

Nihil sum, nec esse debeo sollicitus de uiatico[2]: quod autem ad libros haereticorum emendos attinet, non arbitror[a] desiderari, ut prouinciae nostrae sumptibus redimantur. Si quid autem pecuniae in hunc usum uelint expendere, per Oeconomum Jllustriss. Domini Cardinalis Augustani[3] facile numerabitur Augustae, si Domino oeconomi isthic restituatur. Ego interim mutuo sumam pecuniam, undecumque licebit, uel cum bibliopola[4] paciscar, neque commutabo uerbum de sumptibus[b].

Ad alia epistolae capita non minus coram, quam per literas commodum erit respondere. Dominus JESVS meam profectionem prosperet, cooperantibus P.[c] T. et Patrum aliorum precibus atque sacrificijs, quibus sane percupio diuinae gratiae commendari. Oeniponti 8 Februarij 1573.

P. T.

Jndignus filius
Petrus Canisius.

Admodum Reuerendo in Christo Patri, P. Joanni Polanco, Vicario Gene[rali So]cietatis JESu. Romae.

P. *Paulus Hoffaeus* provincialis Augusta 28. Februarii 1573 ad Polancum sic *scripsit de Canisii legatione et de sua et PP. Theodori Peltani et Alphonsi Pisani (quos congregatio provincialis ipsi adiunxerat; vide infra, mon. 1123) profectione ad Societatis cogregationem generalem, quam Polancus indixerat 11. Aprilis Romae incohandam: „P. Canisius apud me Monachij fuit vbi rebus suis foeliciter expeditis Salzburgum bene firma valetudine abijt. Visum autem est non tantopere vrgerj ipsum ad properandum (literis diligenter examinatis) quin posset redire Oenipontum Salzburgo, partim vt illic male ad tantum iter paratus rectius instrueretur, partim vt in nostro comitatu esset, ob meliorem optimj Patris curam quam ei debemus et praestabimus Christo adiuuante, et ipsius causa citius quam decreueramus vna cum

a) *Sequitur* illud, *a C. oblitt.* b) *Sequitur v. a C. oblitt.* (forte ?) c) *Sic C. correxit ex* R.

[1] Hosii et Comensis; v. supra p. 108.

[2] „Professa Societas . . . votum facit expressum Summo Pontifici . . . ad proficiscendum sine excusatione, non petito viatico, quocumque gentium eius Sanctitas iusserit, inter fideles vel infideles, ad res, quae ad divinum cultum et religionis christianae bonum spectant.“ „Qui a Summo Pontifice designatus fuerit, ut aliquo se conferat; seipsum liberaliter, re temporali nulla pro viatico per se vel per alium postulata, offerat“: *Constitutiones* S. J., Ex. c. 1, n. 5; P. 7, c. 1, n. 3.

[3] Truchsess. [4] Georgio Willer „seniore“; cf. *Can.* VI 330[3] 713.

ipso Oeniponto discedemus sicut spero post Judica[1]. Cogor partim propter P. Canisium partim propter D. Pisanum et equorum curam mecum adducere quendam bonum Coadiutorem" (ex autogr, Germ. 152 f. 340[a]). Adduxit igitur secum Jacobum Baucen sive Bausenum (de quo *Can.* V 629—630) fratrem laicum (v. infra, monum. 1130 1139). P. *Gregorius Roseffius* Polanco *scripsit Augusta 28. Februarii 1573: „Reuerendus Pater noster Prouincialis cum doctore Peltano et socio cras iter deo volente Romam uersus ingredietur. Properat enim propter P. Canisium, qui isthic auide expectatur" (ex autogr., Germ. 152 f. 343[a]). Oeniponte autem Romam profecti esse non videntur ante d. 10. Martii; v. infra, monum. 1130; deinde sub finem eiusdem mensis *Polancus* rectori collegii patavini (Padova) *scripsit: „Si son riceuute due di 15 [?] et 20 del presente · et ci piace la hospitalita usata à i nostri di Germania" (ex ap. eiusd. temp.; Ital. 69 f. 174[a]). Nec vero Romam illi advenerunt post 3. Aprilis; nam Polancus Roma 7. Aprilis 1573 Patri Valderrábano de uno ex provincialibus hispanis *scribens: „Llego", inquit, „quatro dias ha con sus companeros". Die autem 3. Aprilis idem *Polancus* P. Ioanni Suarez *scripserat: „Ya son llegados a Roma todos los demas Padres de España, ecepto" etc. „Antes auian llegado los de Alemaña superior" (ex apographis eiusd temp.; Hisp. 69 f. 154[b] 155[a]).

1834. CANISIUS **P. IOANNI RETHIO S. J.** regenti gymnasii Trium Coronarum coloniensis (?).

Oeniponte vel Augusta Vindelicorum (?) m. Februario (ineunte vel medio) 1573.

Ex commentario litterarum Rethii, quod est in cod. colon. „Un. 602", Epp. f. 101.

„Maguntiae · anno salutis 1573 · die 28. Februarij" Rethius „Danieli Brendelio Archiepiscopo Maguntino · Asschaffenburgum" scripsit: „Legi literas D. Petri Canisij de negotio Augustano, et ex D. Lamberto cognoui quam te in eo strenuum exhibueris".

His verbis hoc, nisi fallor, probabile redditur: Canisium Rethio scripsisse; fortasse tamen P. Lamberto Auer S. J., rectori collegii moguntini, vel etiam ipsi Danieli archiepiscopo, cui gratissimus erat (*Can.* V 294 729), scripsit. Cathedrale capitulum augustanum Danielem metropolitanum suum (dioecesis augustana tunc erat ecclesiasticae provinciae moguntinae) 10. Ianuarii 1573 rogaverat, ut Antonium Beirer, quem ipsi, neglecta Ottonis Truchsess episcopi sui prohibitione, 7. Ianuarii 1573 praepositum monasterii S. Crucis augustani eligendum curaverant, in eo officio confirmaret atque ita, ne monasterium illud (per pontificem) a canonicis regularibus S. Augustini ad Societatis homines transferretur, impediret (litterarum commentarium exstat in Cod. monac. „Augsb. Domk.", p. 240—241). Daniel vero litteris 22. Ianuariis 1573 datis id facere recusaverat (*Schellhass* l. c. IV xxx xxxii).

1835. CHRISTOPHORUS PLANTINUS Philippi II. Hispaniae regis architypographus CANISIO.

Antverpia inter 14. et 21. Februarii 1573.

Ex commentario manu ipsius Plantini scripto. Cod. antverp. „Briev." f. 49[a].

Nova editio „Institutionum et Exercitamentorum Christianae Pietatis".

Reuerendo Patri Harlemio nihil non debebam prius, nunc etiam magis me debere fateor[2]. Eam siquidem partem Euangeliorum et epistolarum quam nobis eius suasu nitide scriptam misisti[3]. Reuerende admodum in Christo Pater maximo cum gaudio accepi tantaque animi

---

[1] Post Dominicam Passionis, quae futura erat 8. Martii.

[2] Vide supra p. 19. [3] Vide supra p. 30 47.

voluptate perlustraui vt nunquam sperem me satiatum iri donec id quod reliquum erit operis accepero et variis formis in lucem edidero ad nostrorum paruulorum et plurimorum aliorum consolationem et vtilitatem maximam. Velim autem scire quid amanuensibus sit persoluendum. Nolim siquidem te neque aliquem tuorum sumptus eos ferre quos omnino impressio ferre debet. Rogo itaque vt hoc mihi significare digneris et qua in re gratificari tibi possim. Jnterea vero me tuis tuorumque precibus sanctis commendo et deum oro vt te nobis et reipub. suae Christianae quam diutissime seruet incolumem.

Reuerendo admodum Patri Domino Petro Canisio Societatis Jesu Theologo[a].

Probabile est, hanc epistulam inter 14. et 21. Februarii 1573 datam esse; in codice enim hi dies duabus epistulis, quae hanc proxime antecedunt et sequuntur, ascripti sunt; hoc autem litteris 27. Septembris 1573 a Plantino missis (infra, ep. 1853) certum efficitur: Eam a. 1573 vere aut aestate datam esse.

1836. CANISIUS **P. THEODORICO CANISIO S. J.**, universitatis collegiique dilingani rectori.

Monachio vel Oeniponte inter med. Febr. et ineunt. Mart. 1573.

Ex autographa Theodorici epistula, quae est Monachii in archivo regni bavarici, Cod. „Ies. Ing. 1359/I“ (cf. *Can.* I LV) f. 326—327.

De Brunnero ministro zwingliano ad fidem catholicam aspirante.

P. Theodoricus Canisius Dilinga 19. Martii 1573 Monachium ad Simonem Thaddaeum Eckium, Alberti V. Bavariae ducis cancellarium praecipuumque consiliarium, litteras misit, in quibus haec leguntur: „Non ita pridem scripsit ad me Doctor Petrus Canisius frater noster, se cum Magnificentia T. coram, de quodam Joanne Brunnero, concionatore Zwingliano in Turgauia[1]*, qui ad fidem Catholicam ardenter aspiret, familiariter egisse, adeoque apud eam id effecisse, vt si quando Neophytus hic in Bauariam cum vxore et liberis, quos duos habet, veniat, honestam sibi conditionem non defuturam certo persuasum habeat: si tamen haereses prius omnes abiuret, et Catholicae fidei professionem faciat. Scripsi ego hanc D. Canisij sententiam ad nobilem virum D. Sebastianum ab Herpsthaim, Canonicum Constantiensem, qui peculiarem huius Neophyti curam in se recepisse videtur. Js literas postremas vna cum formula fidei, ipsius Neophyti, ad nos transmisit . . . Videtur Brunnerus iste graece et latine non vulgariter doctus, acuto praeterea et raro ingenio.“ Quare Theodoricus Eckium per Christi amorem obtestatur, ut Brunneri causam sibi habeat commendatam.*

Petrum Canisium cum Eckio de Brunnero (Prunnero) egisse puto medio fere Februario, cum Monachii pontificis legatione apud ducem fungeretur (v. supra p. 110).

a) *Plantinus hanc inscriptionem in capite commentarii scripsit.*

[1] *Epistula autographa „Hüttlingae in Turgauia“ (Thurgau, terra helvetica) 1. Martii 1573 a *Brunnero* ad Sebastianum ab Herpsthaim cathedralis ecclesiae constantiensis canonicum et „Montis Olíueti“ (Ölenberg) praepositum data exstat Monachii in archivo regni bavarici, Jesuit. Ingolst. 1359/II f. 65 66.

Mense autem Septembri a. 1573 ducis nomine scriptum est ad universitatem ingolstadiensem, ut philosophiae tradendae munus in Brunnerum conferrent (*C. Prantl*, Geschichte der Ludwig-Maximilians-Universität in Ingolstadt, Landshut, München I, München 1872, 336—337); atque iam m. Decembri eiusdem anni physicam ille Ingolstadii docebat; postea hebraicae linguae praecepta ibidem tradidisse videtur; anno vero 1577 cum suis Ingolstadio discessit (*Prantl* l. c. I 336—337; *I. N. Mederer*, Annales Ingolstadiensis Academiae II, Ingolstadii 1782, 34). Exstat libellus in 4° a. 1584 Ingolstadii excusus cum hac inscriptione: „Professio catholica Joannis Brunneri Dockenburgensis [1]. Post haeresin, in qua natus, educatus, et annis circiter quatuordecim Concionator fuerat. Nunc Graecarum literarum et sanctae linguae Professoris ordinarii in inclyto . . . Archigymnasio apud Friburgum Brisgoviae" [2]. In quo libello, germanice quoque et gallice edito, Brunner affirmat, se lectione Sanctorum Patrum ecclesiae catholicae veritatem edoctum et aliorum librorum catholicorum lectione in fide catholica confirmatum eiusque amore incensum esse (*Andr. Räß*, Die Convertiten seit der Reformation II, Freiburg i. Br. 1866, 530—549).

1837. CANISIUS cardinali **PTOLEMAEO GALLIO,** Gregorii XIII. secretario maiori.

Oeniponte vel Roma inter initium m. Martii et initium Aprilis 1573.

Ex apographo (A) eiusdem temporis eoque Romae, ut videtur, scripto (2° formae romanae, quam dicunt; pp. 5; in p. 8 inscriptio, de qua post ipsas litteras dicetur); quod exstat in archivo vaticano, Cod. „De Germania Tom: 6." (Armar. 64.) f. 183—186. Litteras ex eodem apographo primus edidit (S) *Schwarz*, Gutachten etc. p. 29—33; cf. ibidem p. xxvii—xxviii. Iis usus est *Schellhass*, Nunt. III xxvii—xxix.

Quid ex Austriae superioris et Bavariae principibus (et ex archiepiscopo salisburgensi) acceperit: Non bellandum contra protestantes. Foedus adversus Turcas. Reformatio cleri. Electio regis Romanorum. Nuntii. Seminaria etc. Legatus ad comitia. Archiepiscopatus coloniensis et bremensis. Elector Saxoniae. Iurisdictio.

Summa eorum, quae ex utroque Principe D. Ferdinando Austriaco, et D. Alberto Bauaro, in hac missione [3] intelligi potuerunt.

Vtrique [a] pergratum fuit Pont. Max. scriptum [4], et salutationis officium, consil[iumque eiusdem] [b] de iuuanda Germania in hoc statu afflictissimo Religionis.

Qui ambo laudant adeoque necessarium putant summi Pastoris studium de pra[edicta] [c] [?] natione benemerendi · et ualde cupiunt, ut idem summus Ecclesiae Princeps ad [Germanos] [d] [?] lucrifaciendos, cogitationes curasque suas pergat conuertere, et ab eo instituto uere Ap. [5] nullis rationibus aut difficultatibus se unquam patiatur abduci.

Ac in eo quidem hi Principes consentiunt, ad ea media et remedia, ut sanentur Germani redeundum non esse, quae iam ante tentata,

a) Vtroque *A.* b) *Quae hic et infra uncis quadratis inclusa sunt, coniecturis suppleri necesse fuit; nam illae apographi partes putore consumptae sunt. Schwarz supplet solum* consiliumque. c) *Schw. censet esse supplendum:* praeclarissima Germanorum. d) eos *S.*

[1] Toggenburg, tunc comitatus abbatis Sangallensis O. S. B. imperio subiectus, nunc pars reipublicae sangallensis, foederis helvetici.

[2] Libelli exemplum vidi Eystadii in archivo curiae episcopalis.

[3] Vide supra p. 108. Canisius cum Ferdinando Oeniponte 7. Februarii et cum Alberto Monachii circa 17. Februarii egit; v. supra p. 110.

[4] Pontificis Brevia ad eos data vide infra, monum. 1124 1125.

[5] Id est: Apostolico.

nullum uel exiguum curandis Germaniae morbis fructum attulerunt· quemadmodum sunt Concilij celebratio, colloquia, et disputationes Theologorum, conuentus Principum, relaxatio legum ecclesiasticarum etc.

Etsi autem fore timent, ut Protestantes, si hoc illis impune liceat quomodolibet[a], aduersus catholicos agere, ui et armis, catholicos ipsos sint oppressuri, tamen ad bellum contra istos ecclesiae hostes, hoc tempore suscipiendum non audent hortari; praesertim quando ea deest commoditas rei bene transigendae, quae Carolo Caesari suppetebat[1], ad Lutheranos in Germania ui subigendos atque castigandos.

Consilia et monita Ferdinandi Archiducis.

Tria in medium praecipue adduxit, quae Pont. Max. ad promouendam in Germania[b] religionem hoc tempore spectanda et curanda putauit.

Vt magis magisque confirmet ac prouehat, quae ad stabiliendum foedus Principum, quod contra Turcas est susceptum pertinent. Nam si hoc foedus et catholicae classis optata Victoria bene succedat, multum momenti accessurum, tum ad augendam Pont. authoritatem, tum ad causam religionis contra schismaticos ubique gentium defendendam, tum ad numerum confederatorum noua et ingenti Principum accessione amplificandum. At opus[c] est interim singulari Pont. cura et uigilantia, ut, quae multos deterrent ab [hoc][d] foedere difficultates in tempore amoueantur, maior ut spes concipi possit, de futura durabili et firma coniunctione confoederatorum.

Quandoquidem misere iacet in Germania ordo ecclesiasticus, lapsaque est omnis fere disciplina Cleri, saltem in uno atque altero Episcopatu, ubi commodius id praestari poterit, initium aliquod reformationis proponendum esse, adhibito etiam si uelit Pont. brachio seculari; praesertim si res committi possit uicinis Principibus catholicis. Nec parcendum in re tanta esse Praelatis et canonicis cathedralium Ecclesiarum, illosque castigandos maxime, quorum nota et publica sit uitae turpitudo, ut sine magno religionis detrimento diutius ferri[e] non possint nec debeant. Praestare paucos in Ecclesijs bonos extare ministros quam tot discolos et milites potius quam clericos ali, cum totius populi scandalo.

Captandam esse Pont. occasionem omnem, ut suam beneuolentiam paternamque charitatem in protestantium animos queat insinuare, ac de illis benemereri. Id uero fieri posse, si quemadmodum Christi Vicarium decet, e r r a n t e s o u e s[2] ad ouile reuocet aliquando; si sapienter moneat de unitate Christiana sectanda, et de sectarum haeresumque confusione uitanda; si pereuntibus illis compati uideatur, si

a) quodlibet *S.* b) *A perperam:* Germaniae. c) opus opus *A.* d) *Ita etiam S.* e) *Correxi ex* fieri, *quod est in A.*

[1] Annis 1546 et 1547, tempore belli smalcaldici; neque vero Carolus V. victoriis satis usus est ad sedicionem comprimendam.

[2] 1 Petr 2, 25; cf. Ps 118, 176; Is 53, 6.

suum illis fauorem studiumque declaret; ut se illi a Pastore summo diligi, humaniterque tractari sentiant.

Praeterea probat et hortatur, ut S. D. N. commode molliterque tractandum curet Caesaris animum, eumque sibi magis ac magis studeat deuincire, ne aliqua ex parte ille ab Apostolica sede abalienetur. Consultum igitur fore putat, ut faueat etiam Pont. Caesari, suamque praestet operam ad futuram Regis Romanorum electionem, ex qua multa sane pendent, quae ad religionem in Germania bene constituendam spectant.

Commendat et confirmat singularem Pont. prudentiam in eo quod coeperit sua consilia cum Principibus Germanis communicare, et suum illis studium ac fauorem declarare. Hac enim ratione atque, ut uocant, confidentia, non solum animos Principum sedi Apostolicae firmius conciliari, uerum etiam ingentem aperiri fenestram ad causam religionis in Germania rectius procurandam confirmandamque.

Optat atque desiderat, in uasta Germania plures Apostolicae sedis Nuncios adesse, et ex his unum in Aula sua praesentem esse cupit, ad causam religionis et Cleri reformationem passim rectius promouendam. Aliquando Principibus gratiores fore putat Nuncios seculares, qui praeclarae nobilitatis laudem haberent, eiusque rei multas rationes reddidit.

Quae apud Bauariae Ducem Albertum accepta sint.

1 Iudicat is magnam discessionem, quae in Germaniae Ecclesijs facta est, corrigi et sanari non posse, nisi ad unitatem fidei catholicae redeatur. Huc non posse perueniri nisi suum officium faciat clerus in scandalis publicis amoliendis, quae totum sacerdotum ordinem Germanis inuisum et probrosum reddunt maxime, et haereticos quidem non parum in suo instituto confirmant · eodem profuturum iudicat.

2 Si Episcopi dent operam clericorum seminarijs erigendis.

3 Si homines docti et pij in Ecclesijs et collegijs canonicorum promoueantur.

4 Si Clerus subsidium adferat publicis Gymnasijs[1], ut docti et studiosi commodius queant sua studia promouere.

5 Si Pont. Romae fauere pergat collegio Germanico, et operam dare[a] ut plures in eo Germani adolescentes alantur, qui aliquando in patriam reuersi, fructum studiorum suorum in Germanicis Ecclesijs proferant, et Germanorum animos erga sedem Apostolicam propensiores atque deuinctiores reddant.

Ad causam religionis promouendam illud quoque profuturum arbitratur, ut in futuris Imperij comitijs, bonus et idoneus adsit Pont. Legatus, qui cum Ecclesiasticis[b] [?] simul et Protestantibus[c], cum amicis

a) *Ita in A correctum est (ut videtur) ex* daret. b) *Corrigendumne:* Catholicis? c) Potestantibus *A*.

[1] Universitates, quas nunc vocamus, significat.

et hostibus norit dextere uersari. Hunc Legatum Principibus notum, Caes. gratum, et rerum Germanicarum non imperitum esse oportere; qui ad omnes Imperij status grauem et luculentam habeat orationem: ut non solum catholici in fide sana confirmentur, sed Protestantes etiam ex errorum tenebris ad lucem ueritatis reuocentur. Sic auditores de animo et beneuolentia Pont. Max. certiores redderentur, et apud quosdam aduersarios non posset non ualere hacc amica et paterna commonitio.

Quod ad electionem Regis Romanorum attinet, idem Legatus suum etiam officium praestabit, praesertim apud tres Archiepiscopos electores[1] · quos tempestiue quidem praeparandos et admonendos esse putat; ut Rudolphum Austriacum Archiducem[2] eligendum sibi proponant · idem est iudicium Archiepiscopi Salisburgensis[3].

Jngentes agit gratias S. D. N. benignitati; quod adeo clementer faueat Ernesto filio, ut is queat ad Archiepiscopi[4] dignitatem assumi, et uicissim pollicetur se daturum omnem operam, ut in re catholica promouenda, sumptus et labores nullos defugiat, omnemque gratitudinem et reuerentiam declaret erga S. D. N.

Quod ad Archiep. Coloniensem spectat, et si nimis uerum esse putat quod rumore sparsum est, illum ad uxorem ducendam animum adijcere; tamen suadet placide illum et amice tractari, atque permoueri, ut suum tandem animum explicet; uelit ne muneri Ecclesiastico renunciare[5]. Putat praeterea fore consultum, ut Pont. Albano Duci[6] det negotium ex eodem Archiepiscopo intelligendi; an et quando uelit huic dignitati cedere, et Ernesto successori fauere. Vt autem certius constet, de modo Ernestum introducendi, consulendos putat canonicos Colonienses, eosque Praesbyteros in Ecclesia Metropolitana[7], quemadmodum rectius nouerit D. Andreas Fabritius[8], eiusdem Ernesti Legatus Romae commemorare.

---

[1] Danielem Brendel moguntinum, Iacobum ab Eltz treverensem, Salentinum ab Isenburg coloniensem.

[2] Maximiliani II. imperatoris filium natu maximum.

[3] Ioannis Iacobi Khuen de Belasy.

[4] Coloniensis; vide, quae paulo infra dicentur.

[5] Salentinus comes ab Isenburg, a. 1567 a capitulo electus, religionem quidem catholicam strenue tuebatur et archiepiscopatus sui rem pecuniariam misere perturbatam sua prudentia et diligentia optime componebat; at militarem potius quam ecclesiasticam vitam agebat; necdum fidei professionem tridentinam fecerat; neque sacerdotium, neque pontificiam confirmationem, neque episcopum auxiliarem habebat (*Schwarz* l. c. 24 77 85. *M. Lossen*, Der Kölnische Krieg, Vorgeschichte, Gotha 1882, 39 41 186 203—204). [6] Vide supra p. 85 [1].

[7] Anno 1569 ecclesia haec habebat praelatos canonicosque capitulares „illustres" 17; qui omnes vel comites vel liberi barones erant; eorum aliqui „calvinizabant"; complures moribus erant pravis; nemo erat sacerdos. His accedebant 8 canonici capitulares ex ordine „doctorum", iique presbyteri; qui et ipsi in electione archiepiscopi vocem activam, quam vocamus, habebant (*Hansen* l. c. 565. *Lossen* l. c. 18). [8] Vide supra p. 83.

De Archiepiscopo Bremensi electo[1] eiusque fratre[a] [?] D. Francisco[b] [?], qui Dux etiam Saxoniae dicitur[2], putat utrumque catholicum esse, sicut suis ipsi literis ad eundem Albertum Ducem datis ostendunt. Dubitatur interim, an hic Archiepiscopus ritum catholicum in suis Templis obseruet, quod fortasse Lutheranismus omnes occuparit Ecclesias, et priuatim tantum ille[c] sibi sacra curet celebrari. De his duobus quesiui etiam, sed nihil certi habere potui Salisburgae. Existimat Princeps Albertus, ex Archiepiscopis electoribus, rem planius certiusque posse cognosci.

Elector Augustus exiguam relinquit spem Archiduci Ferdinando, et Duci Alberto, ut ex Lutherano catholicus fieri et possit et uelit hoc tempore, quo multa et grauia illius conuersioni obstare uidentur. Quare non putant circa illum magnopere nunc laborandum esse, cum nulla fere inditia se offerant illum ad rem catholicam inclinare[3].

Archiepiscopus Salisburgensis quid de Germania iuuanda sentiat literis in vrbem datis, sicut monitus fuerat proculdubio declarauit[4] · inter alia uero desiderat maxime ut Pont. auctoritate componantur dissidia, quae inter Germanos Praesules et catholicos Principes, frequentia intercedunt, nec parum officiunt tranquillae et foelici administrationi Ecclesiarum, ob iurisdictionem Ecclesiasticam impugnatam.

Exemplum, ex quo haec transcripta sunt, Romae, non Oeniponte scriptum esse conici potest ex ipsa chartae illius forma romana; quae eo tempore in Germania, quod sciam, non erat usitata. Eadem autem manu, qua exemplum hoc scriptum est, in eius dorso (p. 8) notatum est: „Summa responsionis ex parte Archiducis Ferdinandi et Alberti Principis · Patris Canisij“. Caeterum ex rebus ipsis, quae in hoc commentario dicuntur, plane intellegitur, Canisium eius esse auctorem.

Pontifex principum responsa quamprimum cognoscere volebat (v. supra p. 107); et Canisius iussus erat secreto legatione fungi; quae, ut ipse ait, „invidiam et periculum facile conflatura erat“, si cognoscebatur Sociis eam esse „demandatam“ (supra p. 110). Quare sic censeo: Canisius haec aut Oeniponte, postquam Salisburgo in collegium oenipontanum redierat (circa initium m. Martii), aut Romae, statim postquam eo advenerat (circa initium Aprilis), scripsit: sin autem Oeniponte

a) *Sic etiam S; censet tamen Schellhass, ex* fratre *corrigendum esse* patre *(Nunt. III XXIII[1]); cf. infra, adnot. 2.* b) *Ita A S; legendumne* Friderico? *Vide infra, adnot. 2.* c) *A haud recte:* illi.

[1] Henricus dux lauenburgensis sive saxo-lauenburgensis a. 1567 electus erat; quem Pius V. confirmare recusaverat, quod eius parentes catholici non essent et ipse quoque suspectae esset fidei (*W. E. Schwarz,* Der Briefwechsel des Kaisers Maximilian II. mit Papst Pius V., Paderborn 1889, 79 88).

[2] Franciscus II., Henrici frater, ducatum Francisco I. patre superstite administrare coepit et usque ad a. 1619, quo vivere desiit, administravit (*Iac. Wilh. Imhofius,* Notitia S. Rom. Germanici Imperii Procerum, ed. 4, Stutgardiae 1699, 286—287). Fortasse tamen Canisius significare volebat Fridericum Henrici fratrem, qui tum metropolitanae ecclesiae bremensis praeposituram consecutus erat, tum ecclesiarum metropolitanae coloniensis et cathedralis argentoratensis canonicus erat. Henricus in litteris 9. Decembris 1572 Romam ad cardinalem Truchsess datis praeter gratias, quae ad ipsius confirmationem pertinebant, petierat, Friderico fratri permitteretur, ut „extra tempora“ iure constituta maiores ordines sumeret (*Schwarz,* Nunt. I 14—16).

[3] De Augusto principe electore Saxoniae ex protestantismo ad ecclesiam reducendo iam actum erat a. 1571; v. *Can.* VI 748—750. [4] Vide supra p. 108.

scripsit, scriptum ipse secum tulit, quo certius et occultius perferretur; eiusdem occultationis causa commentarium, etsi cardinali Comensi is destinatus erat, non huic, sed Polanco Societatis vicario generali tradidit; qui eum, perinde ac de P. Thyraei commentario fecit (v. infra, mon. 1121), recognoverit et aliena manu transcriptum, Canisii nomine non apposito, cardinali tradiderit. Exemplum tamen, quod nunc exstat, potius ex Polanci exemplo a librario aliquo curiae romanae exscriptum quam ipsum Polanci scriptum esse conici licet ex eo quod scriptor ille negligentius officio functus est, ponendo „Vtroque" pro „Vtrique", „Germaniae" pro „Germania", „opus opus" pro „opus" etc.

Quod ad bavaricam illam Canisii legationem attinet, iuverit aliqua addi ex epistulis inter Albertum V. ducem et cardinalem Ottonem Truchsess de Waldburg episcopum augustanum datis; quae sunt Monachii in archivo regni bavarici, „Religions-Akta des Röm. Reichs" T. IX f. 278—282 (epistularum Alberti ibi exstant commentaria vel apographa; Ottonis autem litterae archetypae sunt); inde enim intellegitur, Albertum non ad omnia, quae Canisius ei proposuerat, respondisse, sed complura diligentius expendenda et cum cardinali Ottone, cum hic Roma redisset, communicanda sibi reservasse. Cardinalis igitur *Otto Truchsess* Roma 31. Ianuarii 1573 duci scripsit: „Es hatt die Bapst. Hayligkeit dem patri Canisio ain Credens Breue an E. L. geschickt, vnd last E. L. bitten, si welle S. Hayligkeit vertreuwlich in der Religion mitt was mittel derselben zu helffen berichten. Das bitt ich E. L. och. Dan ich befindt das ir Hayligkeit in aller gůtte vnnd senffmuettigkaytt sich der sachen vnserm vatterlandt zu gutten fleyssig vnd ernstlich annemen will; wan S. H. nur wüste den modum dardurch was fruchtbars zuuerrichten, wie E. L. von Canisio weytter wirt vernemen. Hette dan E. L. was, das si nitt gern ainen yeden vertrawte, So wayss si mein Treuw vnd gehaim so ich zu ir furnemblich onuerlettzt biss in mein endt Tragen wirt, vnd mag ir gelegenhaytt mir ir gutt beduncken an ir Hayligkeit zu bringen in vertrauwen mitthaylen; do soll si aller gehaim vnd verschwigenhaytt sicher sein". *Albertus V.* ad has litteras 16. Februarii 1573 Monachii sibi traditas inde 20. Februarii 1573 cardinali respondit: „E. L. vnd freundtschafft vertreulich schreiben vom letzten Jan. haben wir bey nechster ordinarj entpfangen; vnd ist gleich darnach der Pater Canisius zue vns khumen; aus dessen mundtlichem anbringen wir mit sondern freuden vernomen wie gnedigist vnd vätterlich die päbst. heyligkeit es mit vns vnd der gantzen teutschen nation mainen[a]. Was vns aber fürnemblich Jm weg ligt, das wir die mitl diser Zeit nit sechen, noch hoffen khönnen, dardurch Jrer heyligkeit vätterliche wolmeinung Jren würcklichen fürgang erraichen möcht: das wellen wir mit E. L. vnd freundtschafft wills Gott, wann sy zue vns hieher khumen lieber mündtlich Jn vertrauen reden, als vns dessen gegen andern[b] weder mundlich noch durch schreiben vernemen lassen. Dahin wir dann dises hochwichtig werkh verschieben. Souil sich aber melden lassen, dauon haben wir Jn eil dem Canisio andeutung gethon, wie er E. L. vnd freundtschafft Zweifels on selbs bericht thun wirdet." Die deinde 21. Februarii 1573 *Albertus* Monachio eidem cardinali scripsit: „Als wir E. L. vnd freundtschafft gestern geschriben, das wir den Canisium beantwurt, also hat vns aber Jn seiner werbung allerlay gemengelt das wir für ain nodturfft geacht dieselb von Jne schrifftlich oder doch vns die Jnstruction sehen zelassen zubegern. Dessen hat er aber bedenkhen gehabt. Weil dann der handel wichtig, vnd er vns denselben gar weitleufig und mit vilen circumstantiis fürgebracht, die wir aus dem reden nit all haben fassen noch behallten khönnen, da doch an den vmbstenden der sachen nit wenig gelegen: So haben wir also ex tempore wie es die nodturfft erayscht nit darauf antwurten khönnen, sonder die sachen zubedenckhen genomen, vnd bis auf E. L. vnd freundtschafft heraus khunfft verschoben mit der wir vertreulich alle nodturfft reden wellen; haben wir E. L. vnd freundtschafft allein zue vnserer entschuldigung freundtlich melden wellen:

a) *In commentario sequuntur vv.* wie wir Jne aber darauf beantwurt vnd; *deinde haec obliterata et eorum loco posita sunt vv. quae sequuntur, usque ad* erraichen möcht *incl.* b) *Tria vv. sqq. in commentarii margine addita sunt.*

vns bey Jrer heyligkeit da es die nott eruordert wissen zu entschuldigen" (*Fr. Wimmer*, Vertraulicher Briefwechsel des Cardinals Otto an Albreht V., in „Archiv für die Pastoral-Conferenzen im Bisthume Augsburg" III, Augsburg 1852, 98—99; cf. Archiv II 479 481; v. etiam *Riess* l. c. 422[2]).

1838. GUILIELMUS LINDANUS episcopus ruraemundanus CANISIO.
Noviomago circa 25. Martii 1573.

Ex Zantheni epistulis apographis, quae sunt in Cod. colon. „I. A. 19" f. non sign. et in „Germ. 153" f. 42[a], et ex Lindani ad Socios Romae versantes epistula archetypa (ipsius manu subscripta), quae est in „Epp. Ext. 12" f. 121[a]—122[a]. Lindani litteris usus est *Van Hoeck* l. c. 47.

Societas per Petrum et Theodoricum Canisios Noviomagum inducenda.

P. Joannes Zanthenus S. J. Noviomago 15. Aprilis 1573 Coloniam ad Leonardum Kesselium collegii rectorem epistulam misit, in qua haec ad eum rettulit de Lindano episcopo: „Misi per M. Restium ante 10 dies literas Reuerendissimi ad P. Vicarium et P. Euerardum, et P. Canisium et literas Capituli Neomag. de Societate hic impetranda". Eadem de Lindano Zanthenus pridie illius diei ad P. Ererardum Mercurianum, Joannis Polanci vicarii generalis S. J. pro Germania et Gallia „assistentem", rettulerat. Planius etiam, quid Lindanus Canisio scripserit (epistula ipsa periit), cognoscitur ex litteris, quas ille Noviomago 25. Martii 1573 ad Polancum et reliquos Socios Romam praepositi generalis eligendi gratia congregatos dedit: „Quod multis", inquit, „hactenus verbis et scriptis, apud Collegium Canonicorum Sancti Stephani Neomagense egimus, vt Societati Vestrae hic locus esset, heri tandem impetrauimus. . . . Vt autem firmiora sint rei tam nobis, pijsque omnibus optatae exordia, optarim atque obsecrarim adeo vt huc destinare dignemini Ven: VV.[a] [?] et D. D. Petrum Canisium, et Theodorum[1] fratrem ad tempus saltem, vnacum Theodoro Busaeo, et confessario vno, atque duobus fratribus: quo maiora polliceri nobis possimus sanctae vestrae Societatis incrementa".

Mercurianus, qui 23. Aprilis 1573 electus erat generalis, Roma 15. Iulii 1573 Lindano *respondit: „Quia eo in loco Societatis nostrae res sitae sunt, ut uel iamdiu admissis Collegijs auxilia mittenda sint, fidesque fundatorib · promissa praestanda est, uel ipsi quos petitis Patres Canisius, Theodericus, et alij suam operam alijs in locis pernecessariam nauant, non possum, his praesertim initijs administrationis meae, in qua multa concurrunt undique, certi aliquid statuere. Jtaque cupio mihi dari tempus" ad rem cum provincialibus Rheni et Flandriae deliberandam: sperat tamen Mercurianus, se aliqua saltem ex parte „iustissimis desiderijs" Lindani et „Venerabilis illius Capituli" obsequi posse (ex apogr. eiusd. temp., Germ. 109 f. 117[b]).

1839. CANISIUS et P. IOANNES RETHIUS S. J. **P. HERMANNO THYRAEO** provinciae S. J. rhenanae praeposito et **P. LEONARDO KESSEL S. J.** collegii coloniensis rectori.
Roma circa 4. Maii 1573.

Ex apographo Romae ante d. 9. Maii 1573 a P. Ioanne Rethio S. J. scripto. Cod. colon. „Un. 603" f. 239[a]—240[b]. Litterarum mentionem fecit *Hansen*, Akten 647[1].

a) *Scribere voluisse videtur:* PP.

[1] Scribendum fuit: „Theodoricum": qui erat rector collegii dilingani; vide Mercuriani responsum.

Prooemium editoris. Litteras hasce Canisius scripsit rogatu et nomine P. Lamberti Auer S. J. rectoris collegii moguntini, qui „loco Prouincialis Rheni" (P. *Hermanni* Thyraei) ad tertiam congregationem generalem Societatis venerat, ut eiusdem *Acta habent (Cod. „Congr. 1", p. 97), et Romae 4. Maii 1573, singulari Gregorii XIII. benedictione munitus, ut P. Ioannes Rethius Roma 8. Mai 1573 Sociis germanis *scripsit (v. infra, post ipsas Canisii litteras), mortem obiit. Iuverit insignis huius viri, cuius in superioribus huius operis voluminibus saepe mentio facta est, brevem hic ponere laudationem eamque, ut omnino videtur, conscriptam a *Ioanne Busaeo* († 1611), qui, cum sub Auero rectore in collegio moguntino vixisset (*Hansen*, Akten 600), m. Novembri 1571 Romam missus erat (*Gerardus Busaeus P. Hieronymo Natali, Xanto 9. Septembris 1572; Germ. 152 f 236ª.), deinde autem plus 20 annos Moguntiae theologiam tradidit. P. Lambertus, inquit ille, „Romae olim Theologiae operam dederat, et tandem iam Doctor creatus Viennae professus fuerat. Concionatus quoque erat coram Caesare Ferdinando, et Nuncij Apostolici Commendoni socius in legatione ad Principes Germaniae etiam Haereticos fuerat. Erat ob incredibilem humanitatem caritatemque tum nostris tum externis carissimus; liberalitate in egenos tanta, ut uulgo Pater pauperum diceretur, sibi durus et asper, alijs benignissimus . . . Vidimus frequenter eum non solum exteriores, sed etiam interiores uestes sibi detrahentem, et alijs fratribus subministrantem; si quando publica aliqua poenitentia agenda, ille primas tenebat, si pauperibus, quod saepe contingebat, seruiendum, ille cum alijs cibum apponebat, potum infundebat, pecuniam numerabat. Multos magnos nobilesque uiros et foeminas ad Ecclesiam Dei reuocauit. Concionibus suis Spirensem clerum mouit, ut Societatem aduocarent . . .; ob cuius obitum nostri, ciuitasque Moguntina ita luxit, ac si parentem amisisset. Ipse Archiepiscopus DANIEL [Brendel], qui eum in medullis gerebat audito de morte nuncio a lacrymis se continere non potuit. Beatiss. Virgini fuit per omnem uitam deuotissimus. Vnde et impendente morte cum nonnullo moerore tangeretur, quod ad suos Moguntinos, quos tantopere dilexerat, et maxime ad optimum principem Danielem, qui multa ei negotia commendarat, redire non posset, ecce apparet ei Beatiss. Virgo MARIA magno beatarum animarum stipata numero, inuitans eum ad alteram uitam, tenensque manu pulcherrimam coronam quam in coelo promeruisset, atque ita solatio plenus spiritum reddidit. Hanc uisionem R. P. Hieronymo Natali, qui confessionem eius exceperat patefecit. Quae quoniam et in uulgus mox emanarat, magnus hominum in eius funere concursus factus est ad templum Patrum, certatim ad manus eius osculandas irruentium. Haec scribit, qui tum praesens adfuit, quantum meminisse potuit." Ita in *commentario, qui inscribitur: „Capita praecipua ex historia Collegij Moguntini excerpta"; quae capita sub initium saeculi XVII. Moguntia Romam missa esse videntur, et exstant in Germ. 118, f. 351ª—358ª.

Quae P. Lambertus Auer ante mortem, ut pro se fierent et darentur, petierit: Peregrinationes. Rosaria. Litaniae. Archiepiscopo commendanda. Fuldensia.

†

Quae P. Lambertus post mortem suam fieri desiderarit a P. Canisio, 2. Maij, 1573 . et die sequenti.

1 Vt duo uel tres fratres collegij Maguntini adiunctis quibusdam scholasticis proficiscerentur ad locum sanctum Eybingen [?][a], ubi iam antea ipse fuerat religionis ergo, ut gratias diuinae bonitati ageret, quod sanitatem mirabiliter consecutus esset per merita sancti illius, qui eo in loco specialiter honoratur, claretque miraculis[1].

a) *Sic apogr.; corrigendumne:* locum sanctum prope Bingen *vel similiter? Vide infra, adnot. 1.*

[1] Significari puto S. Rupertum sive Robertum (saec. IX.) comitem palatinum vel, ut ab aliis vocatus est, ducem Bingiae (Bingen). Sancta Hildegardis († 1179), cum prope locum, quo S. Rupertus mortuus sepultusque erat, monasterium benedic-

2. Vt inter eundum litaniam[1] decantarent, atque quum ad templum uenissent ea peragerent, quae hortatu bonae mulieris facienda illic esse discerent ueteri more, sicut solent peregrinantes.

3. Vt singulis donaretur rosarium ex nouis allatis, et in urbe a Pont. Max.[2] benedictis, singulis inquam scholasticis eo peregrinantibus.

4. Vt Maguntiae coram altari collegij litania Lauretana decantaretur, omnesque ipsum sacratissimae uirgini siue uiuum, siue mortuum commendarent recitato uno rosario.

5. Praeterea missi sunt Lauretum fratres duo ex urbe[3], qui sacra tria recitari curarent in cubiculo deiparae, et praeterea dicerent aliquot rosaria, ut supplerent quod ipse si sanus redijsset, facere constituerat quidem ac promiserat, sed iam minime posset. His dari sumptus ad iter necessarios uoluit.

Praeterea uoluit suo nomine reuerenter dici Reuerendissimo D. Archiepiscopo Maguntino, quod uiuens et moriens gratias illi ut optimo summoque patrono ageret ob collata beneficia plurima, quae tot annis in se sociosque suos Maguntini collegij liberalissime contulisset.

Deinde rogari eundem uoluit, ut commendatum sibi porro habere pergeret Maguntinum hoc collegium, totamque Societatem, in qua propter Christum fratres eadem charitate, qua ipsum Lambertum complecti et prosequi dignaretur: se uelut obedientiae filium[4] libenter ex hac migrare uita, licet libenter etiam Erfordiae, si superuixisset, suam operam Domino Reuerendissimo et Ecclesiae Maguntinae dare uoluisset[5]. Atque haec P. Rhetio ut uiua uoce coram exponeret Maguntiae praesente me et P. Adriano[6] commendauit.

Item rosaria quaedam Rectori Fuldensi[7] mittenda esse dixit, et per illius collegium specialiter S. Bonifacio uoluit commendari[8].

Pet. Canisius.

tinum eius nomine ornatum — mons S. Ruperti, Rupertsberg (prope Bingam) — condidisset, inde a. 1165 aliquas ex sacris virginibus suis conduxit Eibingam (Eibingen, vicus provinciae hasso-nassoviensis reipublicae borussicae); quare satis certum est, ibi quoque singulariter honoratum et invocatum esse S. Rupertum; cuius vitam quoque S. Hildegardis conscripsit. Mihi tamen probabile est, Aueri animo obversatum esse non „locum sanctum Eybingen" — eo tempore is nondum ita celebris erat —, sed locum sive montem sanctum S. Ruperti prope Bingam situm, vitio vero sive memoriae sive calami a Rethio ac fortasse etiam a Canisio Eybingam positam esse. Monte S. Ruperti a. 1632 a Suecis devastato, SS. Hildegardis et Ruperti sacrae reliquiae Eibingam translatae sunt (*Acta* Sanctorum Maii, Tomus III, Antverpiae 1680, 503—509; *Petr. Bruder*, St. Rupertus-Büchlein, Dülmen [1882], 66 68).

[1] Litanias Omnium Sanctorum; cf. supra p. 53[2].

[2] Gregorio XIII. [3] Roma. [4] 1 Petr 1, 14.

[5] Iam inde ab a. 1563 Daniel archiepiscopus frustra conabatur, Erfordiae (Erfurt, provinciae saxonicae reipublicae borussicae), quae urbs et in sacris et in civilibus rebus ipsius imperio subiecta erat, Societatis collegium instituere, cuius opera et urbis cives et eorum vicinos ad ecclesiam reductum iri sperabat (*Duhr*, Jes. I 422—423).

[6] Loeffio; vide, quae sub has litteras dicentur.

[7] P. Oswaldo Redling (*Hansen*, Akten 642—643; *Duhr* l. c. I 132[7]).

[8] S. Bonifatii, Germanorum apostoli et archidioecesis moguntinae (cum S. Marino) praecipui patroni, sacrum corpus Fuldae asservatur.

P. *Ioannes Rethius* S. J., qui cum P. Adriano Loeffio collegii treverensis sodali (et Auero) a provincia rhenana Romam ad congregationem generalem missus erat (*Hansen*, Akten 640 [2]), apographum, quod modo typis exscriptum est, ad PP. Thyraeum et Kesselium misit cum *litteris Roma 8. Mai 1573 a se datis, in quibus illos de Auero sic monebat: Quae post mortem suam fieri desiderauit, et a R. P. Petro Canisio annotata fuerunt, ex charta adiuncta intelligetis" (ex autogr., quod est in Cod. colon. „Un. 603" f. 241^a-242^b; litterarum commentarium a Rethio scriptum est in Cod. colon. „Un. 602", Epp. f. 115^b-117^a).

His igitur litteris acceptis *Thyraeus* provincialis Moguntia 30. Iunii 1573 ad Everardum Mercurianum praepositum generalem *scripsit: Archiepiscopum „vehementer mors vel transitus R. P. Lamberti sui commouit, pro cuius anima iussit sacra fieri in aula sua per P. Ludouicum [Bacrelium S. J.] quemadmodum et nos in tota prouincia hac animam eius domino commendauimus sacrificijs et orationibus patres ac fratres. Scripsit mihi R. P. Rethius de peregrinationibus pro eo instituendis [per no]stros et externos scholasticos, deque litanijs publice in peregrinatione et templo per scholasticos decantandis, et alijs, nescio quibus pietatis offitijs, quae omisi partim quod non putaui illa religiosis conuenire; partim quia non mihi a superioribus aut superiorum nomine praescribuntur, licet R. P. Canisius dicatur testis verax adfuisse cum huiusmodi fieri postularet R. P. Lambertus ante obitum suum, Curaui singulos sacerdotes tria sacra pro anima eius domino offerre et fratres ter orare, quod si R V indicet plura suffragia et quae in societate (quantum ego noui) insolita sunt pro eo fieri, libentissime parebo, Curaui in parochia S. Christophori [per] nostros sacrum vnum cantari pro defuncto, omniumque discipulorum precibus Deo commendatus fuit idem bonus pater" (ex autogr., Germ. 153 f. 109^a).

1840. CANISIUS **P. NICOLAO LANOIO** Germaniae superioris viceprovinciali [1]. Roma circa medium m. Maium 1573.

Ex Lanoii autographo. Germ. 153 f. 100^a.

P. Nicolaus Lanoius S. J. Monachio 15. Iunii 1573 Everardo Mercuriano praeposito generali haec, praeter alia, de P. Paulo Hoffaeo Germaniae superioris provinciali ineunte a. 1573 cum Canisio Romam ad Societatis congregationem generalem profecto [1] *scripsit: „La .S. R. et anche jl Padre Canisio hanno scritto incerca del mezzo Maggio che tanti erano li negotij de la Congregatione a trattar che le non bastauano alquanti mesi".*

Remedium inventum est: complura negotia per „definitores" mandatu congregationis expedita sunt; alia, quae minoris momenti vel faciliora erant, ad praepositum generalem remissa. Ita congregatio 16. Iunii 1573 absolvi potuit (*Institutum* Societatis Iesu II, Florentiae 1893, 222 226).

1841. P. IOANNES WILHELMI HARLEMIUS S. J. sacrae Scripturae etc. professor CANISIO.

Lovanio (?) vere vel aetate a. 1573.

Ex Christophori Plantini typographi antverpiensis litteris Antverpia 27. Septembris 1573 ad Canisium datis (infra, ep. 1853) hoc cognoscitur: Harlemius (de quo supra p. 19) vere vel aetate a. 1573 per litteras ex Canisio quaesivit: Placeretne ipsi, ut Plantinus novae editioni „Institutionum et exercitamentorum Christianae Pietatis" (cf. supra p. 31 [1]*) praeponeret Kalendarium Ioannis Molani, theologiae in universitate lovaniensi professoris (de quo Can. VI 667)?*

---

[1] Vide infra, monum. 1123.

In hoc Kalendario singuli dies non solum modo usitato (1., 2. Ianuarii etc.), sed etiam veterum Romanorum more (Kalendae etc.) signantur; et singulis Sanctis, quo anno sub quo principe mortui sint, et quis de iis scripserit, adnotatur.

1842. P. GREGORIUS ROSEPHIUS S. J. domus augustanae superior et cathedralis ecclesiae augustanae contionator CANISIO.

Augusta Vindelicorum 4. Iulii 1573.

Ex autographo (2°; 2 pp.; in p. 4 inscr. et reliquiae sig.). Germ. 153 f. 118ᵃ—119ᵇ.

Efficiendum, ut pontifex brevi monasterium S. Crucis Societati tribuat. Novus episcopus, Societatis amans, id non impediet.

Gratia et pax christi nobiscum. Amen etc.

Ex Venetia huc venerunt literae a Dauid Otho[1], sarcinas binas illaesas peruenisse indeque Romam missas, spero iam acceptas[2]. Literarum hac hebdomade nihil accepimus ex vrbe, 13 superioris mensis scripserat ad me p. prouintialis[3] quem speramus non longe abesse a sua prouintia. Quae scripsit doctor Nicolaus Elgardus dominis Fuggeris, satis magnam peperere admirationem domino Joannj, qui solus iam Augustae degit, auocatus enim dominus Marcus cum principe Alberto sese recreat. Quid enim timetis de voluntate Electj Episcopi, aut quid sententiam illius expectatis?[4] ex animo fauet societati, ex animo cupit collegium erigi Augustae, ut autem vestigia Antecessoris in hoc negotio ingrediatur contra Capitulum[5], hoc sane nec sanctissimus[6] petet a sua Reuerendissima dominatione, esset enim crabrones excitare, cum alias non desint miseriae quae pullulare videntur id est capitulum contra Episcopum. Satis sit suam d. Reuerendissimam libentissime admissuram quicquid in hoc sanctissimus rogantibus tot principibus[7]

---

[1] David Ott († 1579 vel 1580) Venetiis Fuggerorum negotia gerebat (*G. Lill*, Hans Fugger [1531—1598] und die Kunst, Leipzig 1908, 10[6] 13 172).

[2] Libri, puto, Romam missi erant; v. supra p. 108 110. [3] Paulus Hoffaeus.

[4] Cardinalis Truchsess reditum in episcopatum suum augustanum parabat, cum 2. Aprilis 1573 Romae morbo confectus est (*Schellhass*, Nunt. IV xxxii). Deinde 18. Maii 1573 a capitulo cathedrali electus est episcopus Ioannes Egolphus a Knöringen eiusdem capituli canonicus; de cuius in S. J. benevolentia et amore v. *Can.* VI 186 384. [5] Gregorius XIII.

[6] Vide supra p. 111. Capitulum Ioannem Egolphum in electione ad „capitulationem“, quam vocant, adegerat, qua episcopi ius potestasque in gratiam capituli iniquissime imminuebatur; et 22. Maii 1573 Egolphus in 48 capita iuraverat, quorum unum (45.) haec habebat: „Ut dominus episcopus translationem seu alienationem monasterij S. Crucis per quosdam cives Augustanos in favorem societatis Iesu in Romana curia quaesitam ac sub promotione piae memoriae defuncti cardinalis Augustani summo pontifici propositam, cui hactenus capitulum contradixit (ac praefatis oratoribus adeoque ipsi defuncto episcopo ratione ecclesiae Augustanae, per quam hoc monasterium fundatum et instauratum est, se fortiter opposuit), omnibus viribus avertere et dictum monasterium defendere ac ecclesiae suae ac ordini S. Augustini inviolatum conservare, tueri et protegere velit ac debeat (*Schellhass*, Nunt. IV 274).

[7] Horum nomina v. supra p. 102. Rudolphus quoque Hungariae rex in eam sententiam pontifici scripserat (Cod. monac. „Augsb. Domk.“ p. 357—361). Atque ipse etiam Maximilianus II. imperator duabus epistulis Vindobona 9. Maii 1573 datis et Gregorio XIII. et capitulo augustano rem commendaverat (*Schellhass* l. c. IV xxi).

statuerit · nec opus esse uel expetere uel expectare consensum noui Episcopi, cum nihil prorsus adhuc eorum agat, quae concernunt suam jurisdictionem[1] · nimium videtur si sanctissimus adeo sese demitteret, exequatur quod paterne principibus et patronis antea promisit, concludat quod Antecessorj tantopere placuit optimo Cardinali. Si quae difficultates suborientur, eae hic erunt concoquendae ex quibus speratur emersurum collegium Augustae, non sunt admodum curandae Tragediae quas minitantur fortassis Romae Agentes capitularium[2], vident omnes fauere huic causae, ideo experiuntur extrema. Judicant nostri patroni sanctissimum acceptis hinc inde ab vtraque parte[a] tot informationibus tandem[b] debere in meliori forma suam sententiam explicare, et jmperatorem executorem constituere, uel alios principes[3] commissarios, difficultates hic pulchre enodabuntur vt si non omnibus certe multis et melioribus fiat satis. Mitto copias literarum Serenissimj Archiducis Ferdinandj, qui absens cum alijs scribere non potuit[4]. Restituet V. Reuerentia copias has P. nostro Generalj[5] vt cum alijs asseruentur. Originales accipiet dominus Olgiatus[6]. Mira narrat dominus Achilles Ilsung de beneuolentia Episcopi erga nos, adfuit enim suae Reuerendissimae dom: per aliquot dies[7], et animum expiscatus est omnino, qui mihi haec et multo plura retulit.

V. Reuerentia pro sua erga Augustam miseram charitate hoc negotium promouebit quantum licuerit. Licebit autem tantum quantum patribus nostris videbitur, quibus post exactam informationem omnia commendamus · fiat in omnibus domini voluntas[8]. Orationibus V. R. nos commendamus. Augustae 4 Julij, qui est dies S. Vdalrici

a) b) *Hoc v. supra versum scriptum est.*

---

[1] Ne poterat quidem quicquam facere, quia nondum erat ab apostolica sede confirmatus.

[2] Ioannes Schencking (de quo *Can.* III 676; VI 377) et maxime Andreas Riparolus florentinus, iuris utriusque doctor (*Schellhass* l. c. IV xxxiii).

[3] Albertum V. Bavariae ducem et Ferdinandum II. archiducem Tirolisque principem.

[4] Gregorius XIII. ad principes illos et proceres 13. Martii Brevia miserat, per quae haec fere iis respondebat: Placere quidem sibi ipsorum consilia: antequam autem ad effectum illa deducerentur, cupere se certiorem fieri, num novus ille praepositus S. Crucis legitime electus non esset, et num timendum esset, ne, si Societatis homines in monasterium illud inducerentur, adversarii sedicionem concitarent (*Schellhass* l. c. IV xxxi). Responderunt illi, monasterium in Societatem transferri et posse et deberi; quae epistulae, ab Alberto V. 1. et 13. Aprilis, a Fuggeris et Ilsungis Augusta 30. Maii, a Ferdinando II. Oeniponte 18. Iunii 1573 datae cum epistula Maximiliani II., quam dixi, typis exscriptae sunt a *Theiner,* Ann. I in a. 1573 n. 2.

[5] Everardo Mercuriano.

[6] Ludovicus Olgiatus (*Can.* VI 286)? Bernardus Olgiatus, „pecuniarum camerae apostolicae generalis depositarius" (*Schellhass* l. c. III 117)? Olgiati, argentarii romani, saepe Fuggerorum et Velserorum augustanorum negotia gerebant, Societati autem amicos et benefactores se praestabant (Can. III 200; V 529[4]).

[7] Dilingae puto, ubi episcopi sedem habebant.

[8] Act 21, 14; cf. Mt 6, 10 etc.

patronj nostri sanctissimj, jn cuius Augustissimo Templo [1] hodie deo sit laus contionem habui.

V. Reuerentiae

filius in domino

Gregorius Rosephius.

Putatur gratissimum fore Electo Episcopo vt ante confirmationem suam sanctissimus nostrum negotium conficiat, ne postmodum capitulares illi molesti sint, iam sicut in alijs ita nec in hoc quicquam volet attingere. Ita autem explicandam sententiam a sua sanctitate, vt e medio tollantur jntercessiones et tergiuersationes Capitularium, ni enim hoc fiat resoluto quodam [a], semper causabuntur vt prolixitate temporis uel taedio afficiant nostros patronos uel ipsosmet principes.

† Admodum Reuerendo in Christo Patrj doctorj Petro Canisio Societatis Jesu Theologo. Jn absentia [detur Pa]trj Joannj Polanco. Romae.

Ipso illo die, quo Roseffius ita ad Canisium scripsit, Roma (4. Iulii) *Andreas Riparolus* capitulo augustano *scripsit: Cardinalem Moronum haec fere sibi significasse: Pontifex iam constituit, ut S. Crucis templum Societati daretur, bona autem omnia penes ordinem S. Augustini essent et manerent. Fuggeri enim aliique cives catholici urbis augustanae pontifici affirmarunt, ex suis facultatibus expensuros se esse, si monasterium illud Sociis daretur, 200 000 florenum ad „bona immobilia" iis emenda (ex apogr. eiusd. temp.; Cod. monac. „Augsb. Domk". p. 357—361). Deinde d. 8. Iulii Maximilianus II. et Albertus V. Brevibus pontificiis de Gregorii constitutione certiores facti et 15. Iulii episcopi augustanus et frisingensis eiusdem „executores" designati sunt (*Theiner* l. c., n. 2; *Schellhass* l. c. IV 35; *Schwarz*, Gut. 77).

Hoffaeus provincialis Mercuriano generali Augusta 15. Augusti 1573 *scripsit: „Hodie venerunt exempla literarum Pontificis ad Episcopum Augustanum et Frisingensem de re conficienda. Patritij optime sperant de foelici successu. . . . Hodie etiam accepit Episcopus Augustanus sui confirmationem a Pontifice" (ex autogr., Germ. 153 f. 159). At Spira 16. Augusti 1573 P. *Ioannes Rethius* S. J. regens gymnasii coloniensis „Trium Coronarum", qui Roma ex Societatis congregatione generali rediens Dilinga transierat, Hoffaeo *scripsit: „Reuerendissimus Dominus electus Episcopus Augustanus . . . ad coenam me cum regente collegij S. Hieronymi [2] redire iussit: qua peracta solus cum solo colloquium instituit de negotio Augustano: forte quia ante multos annos amicitiam inuicem contraximus. Dixit Pont. Max. ad instantiam Imperatoris, fratris eius Ferdinandi, et quorundam aliorum monasterium regularium nostrae Societati donasse: fauere se nobis fortunam istam: sed scire nonnullos ea re grauiter offensos: metuere ne monachi auxilium Senatus implorent, et ad status Imperij rem referant, cum in communibus contributionibus Imperij ipsi etiam aliquid contribuant. Existimare quosdam fore ut erectione scholae Augustanae dissipetur academia Dilingana. Et nescio quos alios timores prae se ferebat. Subindicabat praeterea sibi non gratum esse, si quid in aliorum praeiudicium, et contra uoluntatem fundatorum fieret. Malle se alium locum a iurisdictione ciuilis magistratus exemptum Societati nostrae Augustae assignari. Respondi mihi non satis cognitam causam esse: solum in hac mea peregrinatione aliqua de causa ista cognouisse. Putare autem minime scholam Augustae erigendam Dilinganae Vniuersitati

a) *Supplendumne* modo?

---

[1] Templum hoc eo tempore erat monasterii benedictini SS. Udalrici et Afrae.
[2] Christophoro Roseto (cf. *Can.* IV 529), puto.

obfuturam. Spem affulgere magnam ampliandi Augustae catholicam Ecclesiam ex iuuentutis ciuicae catholica institutione . Rogaui ergo nostris de alio loco prospiciat, et praedicta cum R. P. Petro Canisio communicet. Aiebat etiam se nostros ex animo diligere, et dolere quod non posset magis amorem suum erga nostros factis declarare. Rectori Dilingano [1] statim haec narraui. Ad tuam autem Reuerentiam tunc scribendi ocium non fuit, quia socij sequenti die summo mane abierunt. Sed nunc occasionem nactus prout recordor scribere uolui, quo R. T. cum R. P. Petro Canisio dispiciat quid facere conueniat (ex commentario vel apographo ipsius Rethii manu scripto. Cod. colon. „Un. 602", Epp. f. 147ª—148ᵇ).

1843. P. LEONARDUS KESSEL S. J. rector collegii coloniensis (?) CANISIO. Colonia m. Iulio 1573.

Ex commentario epistulae Rethii, ab ipso Rethio scripto. Cod. colon. „Un. 602" II f. 142.

De altera editione Operis catechistici Coloniae paranda.

P. Ioannes Rethius S. J. Oeniponte 28. Iulii 1573 sic scripsit ad P. Petrum Busaeum S. J., „sacrarum literarum professorem in Academia Viennensi", qui Opus catechisticum cum titulo „Authoritates Sacrae Scripturae et Sanctorum Patrum, quae in Summa doctrinae Christianae Doctoris Petri Canisii citantur", 4 partes sive volumina complectens, a. 1569—1570 Coloniae apud Gervinum Calenium in 4⁰, quod vocant, ediderat (*Can.* VI 685–689): „Cum Roma venissem Oenipontum, R. Pater, literas Colonia missas R. P. Canisius mihi legendas dedit de recudendo tuo opere catechistico. Ordine illo post textum subjicerentur sententiae, quo ad marginem citabantur, permiscerenturque Scripturae Patribus [2]. Imprimeretur autem in folio, et praefigeret R. P. Canisius praefationem ad Reverendissimum Dominum Eginolphum Augustanum Episcopum" [3].

Ex eo ipso, quod litterarum „Colonia missarum" auctor a Rethio non memoratur, probabile est, scripsisse P. Leonardum Kessel collegii rectorem, quocum Canisio a multis annis erat epistularum commercium; fortasse tamen scripsit ipse Gervinus Calenius vel P. Ioannes Hasius S. J., qui post Petrum Busaeum Canisii opus catechisticum curavit; v. infra, ep. 1913 et monum. 1209.

Rethius verbis, quae modo posui, haec adiunxit: „Re cum R. P. Canisio sic collata rogo quam possum obnixissime, ut Coloniam ad D. Gervinum Calenium quam primum poteris per Doctorem Georgium Ederum mittas, quicquid ad complementum illius operis hactenus annotasti, praesertim in appendicem de justificatione [4]. Quod si amanuensi cares, ne ea nos petere existimes, quae nimium onerosa homini occupatissimo forent, oro, ut loca solum adnotes, quibus sententiae asscribendae erunt, sententiarum deinde initium et finem, librum atque caput, epistolamque seu sermonem vel tractatum. Ne graveris, conducetur aliquis Coloniae, qui sententias fideliter transcribet. Quaeso, hanc petitionem nostram exaudi propter Christum et commune

---

[1] P. Theodorico Canisio.

[2] In „Summa" multae responsiones complures habent partes, et singulis partibus sua tum Scripturae, tum Patrum testimonia adnotantur; in prima autem Operis catechistici editione post unamquamque responsionem ponuntur primum omnes „Scripturae", deinde omnes „Patres"; v. *Can.* VI 687.

[3] Ioannes Egolphus a Knöringen paulo ante electus erat episcopus; v. supra p. 123[4].

[4] Huius appendicis (cf. *Can.* V 804) „auctoritates" in prima editione a Busaeo ad verbum expressae non erant; v. *Can.* VI 688.

bonum Ecclesiae! De parochis et multis aliis bene mereberis. Itali et Hispani probant laborem tuum, ac multiplicem ejus utilitatem agnoscunt libenterque fatentur". Rethio *Busaeus* litteris Vindobona 2. Septembris 1573 Coloniam missis, *respondit: „Literas R. V. Oeniponti scriptas accepi: quibus me iterum solicitari video ad operis catechistici perfectionem". Sed se huius perfectionis consilium iamdiu deposuisse et, cur ita statuisset, semel atque iterum significasse [1]. „Verum quia R. V. et R. P. Canisius armatis quasi precibus apud me vtuntur, quibus non acquiescere indecentissimum putarem, modo in potestate mea aliquo modo foret praestare quod petitur", se proximis „feriis vindemialibus" facturum, quantum fieri posset. At Vindobona 24. Martii 1574 *Busaeus* Rethium *monuit: Se mense Octobri superioris anni propositum exsequi voluisse nec tamen potuisse. Iam id sibi esse persuasum: Ex se nihil omnino posse sperari; ideo se omnem illam curam Coloniensibus vel aliis permittere debere (ex autographis. Cod. colon. „Un. 603" f. 249ª—250ᵇ 289).

„Simon Verrepaeus" sacerdos brabantinus (qui iuventutis ad litteras latinas et ad bonos mores institutionem multis editis libellis adiuvit) Rethio Mechlinia 25. Ianuarii [1574] *scripsit; „Est hic Canonicus quidam Licentiatus Theol. quj vbj nuper legisset Dictata D. Petrj Busaej in P. Canisij Catechismum egit mecum vt ea typis mandarj curarem, respondj, quamquam ipse quoque vehementer optarem ea typis excusa legere, me id tamen nequaquam ausum facere, nec scire an id auctorj gratum foret aut typis committj vellet: Quod sj auctor non maturet vt diuulgentur, erit fortassis qui ipsum praeuertet. Nam hic omnibus mire placere videntur" (ex autographo, cui Rethius ascripsit: Recepi Cal. Februarij anno 1574". Cod. colon. „Un. 603" f. 279ª). Petrus Busaeus Coloniae in superioribus scholis gymnasii Trium Coronarum catechismum explicaverat; Verrepaeus autem aliquamdiu Coloniae in iuvenum litteris studentium contubernio sub Sociorum disciplina vixerat (*Hansen* l. c. 685 [2] 784 785). Busaei „Dictata" numquam typis exscripta esse videntur.

1844. CANISIUS **IGNOTO CUIDAM.** Oeniponte 28. Iulii 1573.

Exstare Canisii epistulam autographam unius paginae in 2° eo loco dieque datam, cum sua inscriptione et particulis sigilli, affirmatur in libello „Autographen-verzeichnis zu Ehren der 400jährigen Geburtstagsfeier Dr. Martin Luthers am 10. November 1883 . . . von Otto Aug. Schulz in Leipzig" p. 4, n. 38; ubi eandem epistulam 75 marcis emi posse significatur. Empta est; sed eum, qui eam emit, latere velle accepi ex litteris a Schulzio Lipsia 13. Novembris 1889 ad me datis.

Epistulam ante a. 1883 Caroli Halm, professoris universitatis monacensis, fuisse cognoscitur ex libello „*Collectio* Halmiana" P. 2, p. 133. Fortasse haec epistula eadem est atque ep. 1845 vel ep. 1846.

P. *Paulus Hoffaeus* in *litteris 15. Augusti 1573 datis, qua Mercurianum praepositum generalem certiorem reddebat, se cum Canisio aliisque Sociis iam fauste Roma in Germaniam pervenisse: Oeniponte, inquit, „P. Canisius ad scribendum redijt, hactenus a concionandi munere ordinario liber" (ex autogr.; Germ. 153 f. 158ª). Corrigenda igitur sunt, quae ab *Agricola* (l. c. I D. 4, n. 52) et (ex Agricola, puto) a *Riess* (l. c. 427) affirmantur: Canisium, cum Roma redisset, non Oenipontem, sed Ingolstadium et dein Landishutum venisse.

1845. CANISIUS **P. HERMANNO THYRAEO S. J.** provinciae rhenanae praeposito. Oeniponte circa exitum m. Iulii 1573.

Ex Thyraei autographo. Germ. 153 f. 170ª.

De *P. Loeffio ad abbatem fuldensem mittendo.*

---

[1] Cf. *Can.* VI 484.

P. Hermannus Thyraeus S. J. provinciae rhenanae praepositus Moguntia 23. Augusti 1573 ita scripsit Mercuriano de Balthasare a Dernbach O. S. B. abbate principe fuldensi et de cardinali Ptolemaeo Gallio ac de P. Adriano Loeffio collegii treverensis sodali, qui ab Aprili ad Iunium Romae congregationi generali Societatis interfuerat: „Reuerendissimo domino Abbati Fuldensi tradam ego Breuia apostolica et literas Reuerendissimi Cardinalis Comensis, et quae P. Adrianus Romae promisit, Dei gratia praestare conabor, vt videlicet Reuerendissimus Abbas rescribat et frequentius scribat, sedisque apostolicae erga se fauorem agnoscat etc. Vrsit me P. Canisius vt ad liberandam fidem illorum Adrianum mitterem, verum cum Reuerendissimus Archiepiscopus Treuerensis eum ad se statim venire vellet etiam propter collegij sui negotia et fundationem [1] *; et R. P. V. dixisset Adriano vt a me intelligere' quid faciendum, mihique nihilominus eundum esset Fuldam, negotium totum in me suscepi".*

De variis abbatis petitionibus Romae in „congregatione germanica" actum erat 12. et 20. Iunii 1573 (*Schwarz,* Gut. 75—76.) Gregorius XIII. Roma 18. Iunii 1573 ad eum Breve dedit, quo ei potestatem faciebat monasterii fuldensis Franciscanorum a 20 et pluribus annis deserti et neglecti Societati ad collegium instituendum tradendi; accedebant duo Brevia 22. Iunii 1573 data; uno ad 3 annos abbati permittebatur, ut clericos qui 23 aetatis annos explessent, per quemlibet episcopum sacerdotio initiandos curaret; altero ad idem tempus ei cum certis condicionibus facultas tribuebatur suos ab haeresi absolvendi. Quae brevia typis erscripta sunt a *Io. Frid. Schannat,* Dioecesis Fuldensis, Francofurti ad Moenum 1727, 351—353. Litteras a Balthasare ad Gregorium XIII. Fulda 28. Decembris 1573 datas posuit *Theiner* Ann. I in a. 1573 n. 4.

1846. CANISIUS **P. LAURENTIO SURIO** cartusiano coloniensi.

Oeniponte circa initium m. Augusti 1573.

Ex litteris autographis Canisii, de quibus infra, ep. 1849, et Rethii, quae sunt in Cod. colon. „Un. 603" f. 302ᵃ.

*Canisius Oeniponte 17. Augusti 1573 P. Kesselio rectori coloniensi scripsit, se „nuper" ad P. Surium litteras dedisse in iisque mentionem fecisse „diplomatis" sive Brevis pontificii ad ipsum 2. Iulii 1573 dati (de quo plura infra, in ep. 1849). Nec dubium est, quin Canisius in iis litteris nepotem quoque illum Surii — nomen et ipsi fuisse videtur Laurentio Surio — commemorarit, qui Romam venerat, ut iuri studeret (v. supra p. 22 48); nam P. Ioannes Rethius regens coloniensis, cum Roma cum P. Adriano Loeffio redisset (v. supra p. 125), Moguntia 20. Augusti 1573 Kesselio *scripsit: „Nepoti R. P. Surij Romae R. P. Adrianus suadente R. P. Canisio mutuo dedit 22. coronatos."*

1847. CANISIUS **EVERARDO MERCURIANO** praeposito generali Societatis Iesu.

Oeniponte 11. Augusti 1573.

Ex autographo (2°; 1 p.; in p. 4. inscr. a P. Guilielmo Elderen S. J. posita); Germ. 183 f. 226ᵃ—227ᵇ.

---

[1] Iacobus ab Eltz archiepiscopus iam a. 1572 in animum induxerat Socios in urbem confluentinam (Koblenz), in qua archiepiscopi sedem habebant, inducere. *Thyraeus* in *litteris, quas modo dixi: „Reuerendus", inquit, „Pater Adrianus heri abijt hinc ad Reuerendissimum archiepiscopum Treuirensem inde Treuirim reuersurus ad curam recipiendam Nouitiorum."

Socii Roma in Germaniam redeuntes. Mittenda „Definitio theologorum", ad litem de 5 % finiendam. Visitator. Adiutor in scribendo.

† Pax Christi JESV nobis aeterna,
Admodum Reuerende in Christo Pater

Septimo huius mensis discesserunt hinc incolumes ambo, noster nimirum et Austriacus, P. Prouintiales [1]. Ac noster quidem Tridenti octo diebus substitit, ut febrim profligaret, quae prius M. Gregorium [2] ad tempus Florentiae fuerat remorata, sed hic quoque postea saluus accessit Dei gratia. Solus desideratur e nostris qui Romae fuerunt, Jacobus frater, qui uiuus ne sit an mortuus Ferrariae, ubi relictus ob febrim fuerat, dubitamus [3]. Praeterierunt etiam hac Patres Rhenenses [4], et Germaniae inferioris duo [5], ex quibus P. Eleuterius coeperat laborare, sed iam illum quoque restitutum esse speramus. Agimus igitur diuinae bonitati gratias [a], quae tot Patres et fratres huc saluos adduxit, ac profectionem utcumque prosperam dedit hoc tempore, quo feruet canicula, peregrinantibus. Austriaci confidunt, si duce Christo ante festum assumptae Virginis [6] Viennam esse peruenturos, illuc autem nauigio Halae assumpto properant. Haec breuiter indico, ut uoluntati utriusque dicti Prouintialis satisfaciam, quod cuperent Paternitati Tuae perscribi de saluo ipsorum aduentu atque discessu. Prouintialis autem noster Augustam et Bauariam petijt, sed qui sperat sequenti mense se nobis iterum adfuturum propitio Christo.

Maiorem in modum [b] optamus, primo quoque tempore ad nos mitti scriptam [c] definitionem Theologorum, qui de contractu quinque pro centum ratione mutui accipientium disputarunt [7]. Videntur enim quidam in hac parte rursus tergiuersari, ut sordidum illud lucrum et damnatum contractum excusent. Imponatur quaeso silentium huic controuersiae, quae plus satis nostram exercuit prouintiam, nec exiguum adfert periculum conscientijs, nisi certi aliquid et statuatur, et obseruetur. Quare percuperem, hoc negotium P. N. Prouintiali serio demandari, ne pergant nostri in eodem, ut sic dicam, luto uersari.

Non eget P. T. [d] me quidem monitore: sed liceat tamen suggerere quod saepe uenit in mentem, an expediat fortasse mitti ad nos pro Visitatore aliquem, utpote P. Natalem, aut alium ex Patribus. Posset is mitti cum P. Balduino [8], si uisum fuerit T. P.

a) *Sequitur* qui, *a. C. oblitt.* b) *In autogr. 4 vv. sqq. linea subducta (Romae, puto, per Societatis secretarium) sunt notata.* c) *Quinque vv. sqq. linea notata sunt, ut supra, adnot. b.* d) *Quae sequuntur, usque ad* pro Visitatore *excl., linea notata sunt, ut supra.*

[1] Paulus Hoffaeus et Laurentius Magius. [2] De Valentia; cf. infra, monum. 1139.

[3] Iacobus Baucenus frater laicus 24. Iulii 1573 Ferrariae exstinctus est; vide infra, monum. 1139. [4] Ioannes Rethius et Adrianus Loeffius; v. supra p. 128.

[5] Ex ea provincia praeter Balduinum ab Angelo provincialem PP. Maximilianus a Capella et Eleutherius Pontanus Romae congregationi generali Societatis interfuerunt (* *Acta* congregationis, Congr. 1 p. 97).

[6] Ante 15. Augusti. [7] Vide infra, monum. 1137.

[8] Balduinum ab Angelis dicere videtur; cf. supra, adnot. 5.

De me nihil habeo dicere, nisi quod pergo aliquid scribere contra haereticos, destitutus interim socio studiorum, quem Romae quidem expetiui[1]. Oret pro me P. T. dominum, ut sanctae obedientiae in omnibus satisfaciam. Saluto reuerenter P. Palmium, P. Oliuerium et P. Fonsecam una cum Patribus omnibus[2]. Dominus IESVS nobiscum. Oeniponti 11. Augusti, 1573.

P. T.

Jndignus filius
Petrus Canisius.

† Admodum Reuerendo in Christo Patri nostro P. Euerardo Mercuriano Praeposito [Gener]ali Societatis IESV. Romae.

Ex ultimis huius epistulae sententiis cognoscitur, Canisium eo tempore in libro mariano componendo iam non uti potuisse opera P. Antonii Guisani (v. *Can.* VI 703 714). Hoffaeo provinciali *Polancus* vicarius generalis Roma 10. Ianuarii 1573 *scripserat: „Si è uisto quello che il Padre Antonio guisano scriue, et il parer di V. R. circa di ciò pare qua à proposito" (ex apogr. eiusd. temp.; Germ. 109 f. 108b).

In *„*Catalogo*" autem personarum provinciae Germaniae superioris ab Hoffaeo provinciali Kalendis Januariis 1574 dato de eo dicitur: „Concionator Ger. [Oeniponte] Praefectus Bibliothecae, prae manibus habet ingens opus de confessione catholica 4 doctorum Ecclesiae conficiendum. Talentum concionandi satis bonum et scribendi" (ex Catalogi apographo saec. XVI. vel XVII. scripto. Hist. Soc. 41 f. 171b). De confessione illa v. supra p. 47.

Canisius vero hoc tempore vel maxime in scriptionem contra Centuriatores incumbere poterat, quia pro eo P. Ioannes Nasus O. F. M. (de quo plura infra) coram Ferdinando II. archiduce contionabatur (v. infra, monum. 1160 1165).

Hoffaeus tamen provincialis Monachio 12. Septembris 1573 Mercurianum *monuit: „Pater Canisius etsi non concionetur, ait tamen Princeps ipsum adhuc suum esse concionatorem, quo verbo idem Pater ligatus est nec tutum est alio ipsum mittere sicut videtur desiderare nescio ex quibus principijs. Cogor vero bonum patrem Dilingam mittere vt ibi in suo opere vsque ad Pascha pergat haud absque Collegij incommodo (ex autogr.; Germ. 153 f. 204b). Labitur igitur *Sacchinus*, cum scribit: Canisius a. 1573 Roma „Oenipontum reuersus Evangelici interpretis munus . . . repetiit (Can. 288). Item *Boero*, cum scribit: „Si nascose nel suo Collegio d'Inspruch, ripigliando le intramesse fatiche . . . del predicare alla corte, ciò che prosegui a fare per tre anni continui" (Can. 358).

1848. ELEONORA Ferdinandi I. imperatoris filia, Guilielmi Mantuae ducis uxor, CANISIO. Mantua circa medium m. Augustum 1573.

Ex autographis Canisii et Hermanutii epistulis. Germ. 183, n. 271; Germ. 153 f. 185.

Confessarium germanum, qui de Societate sit, petit.

Canisius Oeniponte 8. Septembris 1573 Mercuriano praeposito generali sic scripsit de Eleonora (1534—1594), Ferdinandi I. imperatoris filia, quae a. 1561 Guilielmo duci mantuano nupserat: „*Scripsit ad me*

[1] Vide, quae sub ipsas has litteras dicentur.

[2] 9. Maii 1573 a congregatione generali electi erant praepositi generalis „assistentes": Pro Italia P. Benedictus Palmius; pro Lusitania, Indiis Orientalibus, Brasilia P. Petrus Fonseca; pro Hispania, Peruvia, Nova Hispania P. Aegidius Gonzalez; pro Germania et Gallia P. Oliverius Manareus (**Acta* congr. l. c. p. 109).

Ducissa Mantuana, sollicite et uehementer orans, ut meam interponerem operam ad obtinendum ipsi Confessarium eundem, quo fel. mem. soror eius Ducissa Ferrariensis ad mortem usque non sine fructu usa fuisset". Et ipse ille P. Laurentius Hermanutius S. J., qui Ferrariae Barbarae, sorori Eleonorae, a sacris confessionibus fuerat (cf. supra p. 5[2]), Oeniponte 4. Septembris 1573 Mercuriano scripsit: *„Transactis negotijs Ferrariensib. 4.to Augusti inde discedens, Mantuam venj; Vbi a serenissima Ducissa 12. diebus tum valetudinis, tum etiam .s. Confessionis audiendae causa detentus fuj. Et cum iam denuo ad iter me accingerem: dixit Serenissima (me nihil minus cogitante) sese consilio et hortatu Jllustriss. Ducis Coniugis sui omnino et certo statuisse: ut ibi manerem, donec ipsa uel Jllustrissimus Dux Romam ad Reuerendam P. V. scribat: vt me ibidem sibi ac reliquae familiae in Confessarium relinqueret. Addens se velle abunde de habitatione et mensa uel extra uel in Aula, pro manentis commoditate, prouidere: Nihil tamen certi promittens quot e nostris ibi sint alendj (praesertim cum multum difficile videatur, si solus quis manere debeat) uel etiam an dux in animo habeat satisfacere testamento Patruj suj Cardinalis, qui dicitur in Testamento mandasse eidem Ducj, ut Collegium erigeretur Societatj[1]. Cuj ego admirans rej nouitatem, respondj: Hoc omnino, (mea quidem opinione) fieri non posse; cum quod Societas nostra, hanc consuetudinem non admittat, vbi Collegia non habeantur; tum quod ego a Superiorib. missus, et a Patrib. Germanis iamdudum expectatus fuerim[2]. Cuj responsioni aegre admodum auscultans, lachrymantib. oculis instanter deprecata est, ut rediretur ad se graues ob causas, et ne derelinqueretur . . . Scripsit haec etiam et consilij et auxilij causa, ad sororem Reginam Magdalenam et ad Reuerendum P. Petrum Canisium, quorum prudentiae et charitati plurimum tribuit."*

1849. CANISIUS **P. LEONARDO KESSEL S. J.** rectori collegii coloniensis. Oeniponte 17. Augusti 1573.

Ex autographo (2°; 1 p.; in p. 2 inscr. et pars sig.). Cod. colon. „I. A. 19" f. 215. Epistulae partes aliquot ex eodem autogr. posuit *Hansen,* Akten 649—650.

Nepos Roma rediens. Breve pontificium et vitam martyris cuiusdam P. Surio mittit. Gropperus nuntius. Opus catechisticum.

†

Pax Christi nobis aeterna Reuerende pater.

Redit ad uos nepos meus[3], qui Romam inuisit magno suo incommodo, et quum non reperisset quod venabatur[a], nec ego illum

a) venebatur *autogr.*

[1] De hoc testamento Herculis Gonzagae episcopi mantuani v. *Can.* IV 110 745.
[2] Cf. supra p. 96.
[3] Theodorus Ryswickij (1565—1625), ex Theodoro vel Theodorico Ryswick et Aegidia Kanis, Petri Canisii sorore ex patre, ortus? Iacobus Uwens, Henricus

promouere possem, ut studijs suis necessarium Moecenatem haberet, in patriam reuerti statuit. Admoneo per literas amicos, ne huc facile mittant similes, quos existiment opera mea commendari posse Patronis, praesertim qui otiosos uelint in studijs alere, illosque Belgas.

P. Surio mittit Pont. adiunctum diploma[1], cuius et ego mentionem feci in literis nuper ad illum datis · quare non scribo ad illum iterum, sed rogo amiciss. patrem, ut uitam uiri sancti quam adiunxi, suis etiam tomis interserat, si quis locus dabitur. Valde mihi placet historia recentioris quidem Martyris, sed eximij et aeterna digni memoria in Ecclesia Dei. Romae amicus mihi communicauit historiam, cuius exemplum et ego mihi seruo, nec de fide historiae quicquam dubitandum uenit[2].

Quod ad Reuerendissimum D. Gropperum Pont. Max. Nuntium attinet[3], heri ad nos ille primum uenit, et tardius ad uos, ut credo, uenturus est ob uaria negotia in itinere illi apud multos magnates conficienda. Commendatur nobis et collegijs omnibus peculiariter literis P. N. Generalis, quem ualetudinarium Romae reliquit[4]. Vtinam rebus collegij uestri, imo et totius gymnasij[5] opem adferat efficacem ac necessariam hoc tempore. Non frustra mittetur, ut speramus, ad tot principes, si tamen bene monenti Pont. uelint auscultare.

Opto scire, quomodo se habeat editio Catechistici operis quod Calenius parat[6], an et quando sit processura. Dominus nobiscum. Ora pro me Reuerende pater, et rem Coloniensem promoue. Vtinam

---

Uwens, ex Laurentio Uwens et Elisabetha Kanis, Petri ex patre sorore, orti? Cf. *Can.* V 335 661. Everardus vom Triest? Godefridus? Iacobus? Vide supra p. 32[3]. Circa a. 1576 „Rodolphus Risuich, Henricus Ouenus [Owens, Uwens], Iacobus Ouenus, Neomagienses. Doct. Petri Canisij nepotes“ Coloniae in Societatis convictu sive contubernio erant (ex **Catalogo* eiusd. fere temp.; „Hist. gymn. tr. cor.“ [cf. *Can.* I LIX] f. 162[a]).

[1] Vide, quae sub ipsas has litteras primo loco dicentur.

[2] Vide, quae sub ipsas has litteras secundo loco dicentur.

[3] Caspar Gropper (1519—1594) susatensis (Soest, Westphaliae urbs), iuris doctor, cum in patria et Xanti decanus, Coloniae „officialis“ archiepiscopatus et canonicus ecclesiae metropolitanae fuisset et a. 1558 cum Ioanne fratre, quem Paulus IV. cardinalem creaverat, Romam venisset, ibi a. 1560 auditoris Rotae officio fungi coeperat. Is igitur cum Nicolao Elgardo (v. supra p. 100), quem pontifex ei adiunxerat comitem, sub exeuntem m. Iulium 1573 Roma discessit; mandatum ei erat, ut cum episcopo capituloque augustano de monasterio S. Crucis Societati tradendo (v. supra p. 101), cum Guilielmo duce clivensi de Ioanne Guilielmo ipsius filio coadiutore episcopi monasteriensis constituendo, cum archiepiscopis coloniensi, moguntino, treverensi, episcopo herbipolensi, aliis de variis rebus ageret (*Schwarz*, Nunt. VIII—XLV).

[4] *Mercurianus* his *litteris, Roma 24. Iulii 1573 datis, rectoribus collegiorum Italiae et „utriusque Germaniae“ praecipit, ut Gropperum, qui „eximio charitatis affectu nostram Societatem in Domino complectitur“ et „amantissimus et de nobis optime meritus Dominus est“, „amanter et reuerenter excipiant et obsequium quod poterunt in Domino impendant“ (ex apogr. eiusd. temp.; Hist. Soc. 61, 1 p. 3).

[5] Universitatis. [6] Vide supra p. 126.

Belgici motus tandem felicem haberent exitum · uidetur iratus esse Deus et superiori et inferiori Germaniae. Oeniponti 17 Augusti 1573.

Seruus in Christo P. Canisius.

Reuerendo Domino, P. Leonardo Kessel, praeposito eorum qui sunt Societatis Jesu Coloniae.

1. Canisius huic epistulae, ut ex ipsa intellegitur, adiunxit Breve apostolicum Roma 2. Iulii 1573 datum ad P. Laurentium Surium cartusianum coloniensem; is cum librum suum, qui „De probatis Sanctorum Historiis. Tomus quartus" inscribitur, Coloniae a. 1573 in lucem emissum, litteris dedicatoriis 14. Februarii 1573 ad Gregorium XIII. datis ornasset eiusque exemplum eidem tradendum curasset, pontifex ei gratias egit, haec addens: „Vehementer laudamus tuum istud studium et laborem Sanctorum vitas colligendi scribendique et vulgandi"; simul eum certiorem reddidit, ipsius nepotem — huic quoque Laurentio Surio nomen fuisse videtur (v. supra p. 22 48) — a se Perusium, „qua in civitate vigent studia litterarum", missum ibique in „collegio Sapientiae" collocatum esse. Breve positum est a *Theiner*, Ann. I. in a. 1573, n. 7.

2. Praeterea Canisius historiam „recentioris martyris, Romae ab amico secum communicatam" Surio misit, ut eam suis historiis Sanctorum „intersereret". Quam autem historiam miserit, cognoscitur ex eius opere „De Maria Virgine incomparabili", l. 5, c. 19; ibi enim Andreae de Chio iuvenis graeci anno 1465 Constantinopoli per complures dies a Muhametanis crudeliter torti, compluriens per invocationem Beatae Mariae Virginis mirabiliter sanati, tandem (29. Maii) gloriosum pro fide christiana martyrium passi historiam posuit, a Georgio Trapezuntio cretensi (1395—1486), qui diu in Italia vixit, conscriptam; atque in prima quidem illius operis editione, Ingolstadii a. 1577 facta, huic historiae sic praefatur (p. 674): „Visum est Trapezuntij verba nondum (quod sciam) typis excusa proponere, ac mirabilem historiam, vt in Italia scriptam illam accepi, omnibus communicare"; quam praefationem in altera operis editione sive in „Altero Tomo Commentariorum de Verbi Dei corruptelis", Ingolstadii a. 1583 vulgata, sic immutavit (p. 736): „Visum est Trapezuntij verba, quae mihi primum amicus in Italia legenda obtulit, et deinde Colonienses probatis Sanctorum historiis inseruerunt, hoc loco repetere"; quibus verbis in margine paginae ascriptum est: „Tomo 7". Etsi autem ipse Surius, anno 1578 morte abreptus, operi suo hanc historiam non adiunxit, Iacobus Mosander tamen, eius in cartusia coloniensi sodalis, eam vulgavit a. 1581 in volumine, quod secundae editioni operis suriani addidit (Tomus VII. de probatis Sanctorum Historiis . . . opera atque studio F. *Iacobi Mosandri*, Coloniae 1581, 449—453). Ex hoc deinde libro historia illa transcripta est in „*Acta Sanctorum* Maii" Tom. VII, Antverpiae 1688, 185—188.

1850. CANISIUS **FRATRIBUS** sororibusque in Germania inferiore degentibus. Oeniponte circa 17. Augusti 1573.

Vide epistulae superioris (n. 1849) caput primum et cf. Can. VI 424—425.

1851. CANISIUS **EVERARDO MERCURIANO** praeposito generali Societatis Iesu. Oeniponte 8. Septembris 1573.

Ex autographo (1¼ p.; in p. 2 inscriptio quoque et particulae sigilli sunt), Germ. 183 f. 228.

Magdalena regina egit de confessario Eleonorae, ducis mantuani uxori, concedendo. Iuvenes in collegium germanicum mittendi. 5%.

† Pax Christi nobis aeterna Admodum
Reuerende Pater.

Scripsit ad me Ducissa Mantuana [1], sollicite et uehementer orans, ut meam interponerem operam ad obtinendum ipsi Confessarium eundem, quo fel. mem. soror eius Ducissa Ferrariensis [2] ad mortem usque [a] non sine fructu usa fuisset [3]. Nec ignoro, graues extare causas, quae optimam hanc matronam moueant, vt nostris potius et Germano praesertim, quam alijs sacerdotibus suam concredere conscientiam uelit ac optet. Quam ob rem alias quoque literas ad sororem, quae nobis uicina est, Reginam Magdalenam dedit, illius fauorem et opem implorans ad eundem Confessarium P. Laurentium impetrandum. Haec soror mecum nuper egit de rationibus rei conficiendae, ualdeque probat pia uota sororis Mantuanae, quam per literas etiam hortata est, ut nostris potius quam alijs in conscientiae negotio fidat: imo uero ut det operam collegio Mantuae instituendo, sicut Cardinalis demortuus Mantuani Ducis nepos [4] institui iusserat. Respondi ego, rem perdifficilem peti, nec satis consentaneam instituto nostro, cum unus tantum Confessarius ad unam curandam Principem expetitur, nulla futuri etiam collegij facta mentione: idcirco priusquam aliquid bonae spei sorori promittatur, consultum uideri, ut P. T. meis moneatur rogeturque literis de toto negotio: interea scribi posse Mantuam, nos Romae libenter acturos, et Romanum responsum hinc Mantuam esse missuros de hoc Confessario, qui nunc ad suas res in patria componendas abijsset, ac intra mensem huc se reuersurum esse confideret. Placuit tandem isthuc consilij dictae Reginae Magdalenae, quae in eandem fere sententiam sorori scripsit Mantuam, et si posset, illi persuadere uellet, ut certus Mantuae locus paucis e nostris assignaretur, qui una cum Confessario dicto quasi munirent uiam futuro collegio, si quidem [b] Ducis [5] consensus accederet. Habet iam P. T. summam negotij, quod pluribus explicabit suis etiam literis P. Laurentius, de quo statuat licet pro sua uoluntate, siue ut petat Austriam, sicut iam ante constitutum fuit, siue ut Ducissae Mantuanae uehementer optanti ad tempus gratificetur. Non dubito, quin P. T. in gratiam utriusque sororis breui nobis respondebit, ut non omnino hae generosae et [c] piae dominae negligi uideantur.

Ego neminem hactenus ad Germanicum collegium misi, neque missurus sum, quod ignorem P. T. sententiam, quibus nempe conditionibus obseruatis mitti uelit Germanos adolescentes, etsi audiam Pont. Max. animum in hoc promouendo collegio esse constantem et

a) *Sequitur* f, *a C. oblitt.* b) *Sequuntur vv.* hoc a, *a C. oblitt.* c) *Sequitur* pij, *oblitt.*

[1] Eleonora. [2] Barbara.
[3] P. Laurentium Hermanutium S. J.; de hac petitione v. supra p. 130.
[4] Hercules Gonzaga; v. supra p. 131. [5] Guilielmi.

serium[1]. Faxit Christus dominus, ut hoc pium institutum rite procedat, et optatum Germaniae fructum adferat tandem. Spero Germaniae Prouintiales libenter aduigilaturos, ut optimi quique studiosi mittantur, cum mittendi copia illis data fuerit.

Quod antea rogaui, nunc iterum rogo, ut moneantur nostri, quatenus admittere uel improbare debeant casus usurarios, de quibus Romae disputatum fuit, sed nihil hucusque definitum habemus[2]. Res enim in dubio sic relicta non caret periculo, et nouas parere potest contentiones.

Reuerenter me commendo precibus P. Tuae, P. Palmij, P. Oliue[rij][a] ac aliorum omnium Patrum in Christo domino, qui suam nobis gratia[m] augere dignetur. Oeniponti 8 Septemb. 1573.

P. T.

Jndignus filius
Petrus Canisiu[s.]

† Admodum Reuerendo in Christo Patri P. Euerardo Mercuriano Praeposito generali Societatis JESV. Romae.

Mercurianus Canisio respondit 3. (?) Octobris 1573.

Paulo planius ea explicari oportet, quae Canisius in his litteris de collegio germanico dicit. Gregorius XIII. iam aliquot mensibus ante constituerat, ut hoc collegium amplificaretur et stabiliretur (cf. *Schwarz*, Gut. 74—78; *Steinhuber* l. c. I² 91—92; *P. Tacchi Venturi* S. J., Diario concistoriale di Giulio Antonio Santori Cardinale di S. Severina, Roma 1903, 122). Ideo *Bartholomaeus de Portia* (de quo plura infra), cum 19. Iunii 1573 Roma in Germaniam superiorem cum nuntii apostolici potestate proficisceretur, hoc, praeter alia, habebat mandatum, ut inde in collegium germanicum adulescentes aliquot idoneos mitteret. Oenipontem ille 21. Iulii 1573 advenit, et usque ad 6. Augusti ibi mansit. Commendatum ei erat Romae, ut Oeniponte Societatis homines consuleret; quare de eiusmodi quoque adulescentibus quaerendis cum eis agere coepit (*Schellhass*, Nunt. III 21 25 33 40). De quo negotio Salisburgo 20. Augusti 1573 cardinali Comensi sic scripsit: „Non manchano, chi desiderano certa chiarezza, et massimamente i padri Giesuiti, che dicono, non douere manchar' ad essi molti, quando alcuni dubbij, c' hanno, li sieno spiegati, come sono a chi debbano far capo questi, che in diuersi luochi si raccogliessero, per esser' incaminati à Roma, et chi ad alcuni bisogni prouederà di viatico che consideratione si debba hauer' circa all' etá, dottrina, ingegno, religione, professione et nascimento. che commodi ò premij se gli possino proporre, uiuendo bene, et attendendo diligentemente à i suoi studii. Che all' opposito si ricerchi da essi, come si debbano per certo tempo prefisso dimorar', viver' in commune, pigliar' ordini sacri, con distintione o indifferenza di Nobili, et ignobili, et finalmente: à qual sorte di leggi del Collegio esser' soggetti · le quali particolaritadi, se fossero significate al Generale de' soddetti padri Giesuiti, à ciò n' auuisassero, ò i suoi prouintiali ouer' altri, che gouernano i collegij, assai tosto credarebbono, d' haver' commodità, d'inviare à quella uolta di buoni spiriti. Tutto questo m'è stato rifeto [riferito?] in nome de' suoi dal padre Canisio“ (ex archetypo, a Minutio Minucci Portiae secretario scripto, Cod. rom. „Germ. Vol. 80“ I p. 73; etiam [ex eodem archetypo] apud *Schellhass* l. c. III 91—92).

a) *Quae hic et infra uncis quadratis includuntur, in autogr. non comparent.*

---

[1] Vide quae sub ipsas has litteras dicentur.
[2] Vide supra p. 91.

1852. BARTHOLOMAEUS DE PORTIA apostolicus in Germania nuntius CANISIO. Salisburgo 18. Septembris 1573.

Ex Portiae ad cardinalem Comensem epistula archetypa, a Minutio Minucci secretario scripta. Cod. rom. „Germ. Vol. 80" I p. 129—130. In bibliotheca vaticana, Cod. 6413 f. 243^b—244^b, exstat summarium quoddam epistulae, a cardinalis Ioannis Moroni secretario scriptum; qui in margine quoque nonnulla notavit. Integram epistulam ex archetypo, cum summario illo collato, edidit *Schellhass* l. c. III 123—138.

Praefatio editoris. Die 19. Iunii 1573 Bartholomaeus comes de Portia sive comes Purliliarum (Purciliarum) protonotarius apostolicus († 1578) Roma discessit, a Gregorio XIII. auctoribus cardinalibus congregationis germanicae (*Schwarz*, Gut. 74) cum „nuntii" nomine ad Ioannem Iacobum Khuen de Belasy, archiepiscopum salisburgensem, Ferdinandum II. archiducem Austriaeque superioris (Tirolis etc.) principem, Carolum archiducem et Styriae, Carinthiae etc. principem missus (*Theiner*, Ann. I in a. 1573, n. 8). Cui hoc inprimis mandatum erat, ut provinciam ecclesiasticam salisburgensem, cuius maxima pars in principum illorum terris sita erat, ex decretis concilii provincialis a. 1569 Salisburgi habiti reformandam curaret. Portia (qui paulo ante dioecesim aquileiensem haud sine fructu visitaverat et cum Carolo archiduce fauste egerat) sacerdos quidem erat saecularis; sed abbatiam S. Galli mosacensem (Mosacum, Modium, Moggio) in terra, quam Friuli vocant, sitam in commendam, ut dici solet, acceperat; qua etsi sub m. Maium a. 1573 se abdicasse videtur, postea quoque abbas Modii nonnunquam vocabatur. De hoc viro, qui proximis annis frequens cum Canisio habiturus erat commercium, *Iosephus Hansen* scribit: „Aus seinen zahlreichen Berichten tritt er uns als ein klarer, sachlich denkender Kopf, als geschickter Unterhändler entgegen, der seiner schwierigen Aufgabe wohl gewachsen war": Nuntiaturberichte aus Deutschland 1582—1585 I, Berlin 1892, 9—10. Et *Carolus Schellhass* de eodem testatur: „In ihm vereinigte sich ein klarer Blick . . . mit einem guten Gedächtnis. . . . Er war eine zähe Natur und durchaus lauteren Sinnes . . . Das Zeugnis, daß er überall sein Bestes gab und stets mit größtem Eifer bei der Sache war, wird man Portia nicht versagen können: Nuntiaturberichte aus Deutschland 1572—1585 V, Berlin 1909, cxvi—cxvii. Portiae adiunctus erat legationis socius et adiutor Ioannes Schencking, canonicus augustanus (*H. Biaudet*, Les Nonciatures Apostoliques permanentes jusqu'en 1648, Helsinski 1910, 281; *Schellhass*, Nunt. III xx xxxvi—xlvi). Die 8. Augusti 1573 Gregorius per cardinalem Comensem Portiam certiorem fecit: Statuisse se collegio germanico annuum certumque 10000 ducatum reditum dare, quo pro 25 fere alumnis, qui modo in eo sustentarentur, 100 alerentur; et quoniam Portiae adulescentes aliquot idonei quaerendi essent, iam ei mitti ordinem sive leges collegii, adulescentibus illis eorumque parentibus monstrandas, ut quae in collegio observanda essent, illi scirent (*Schellhass* l. c. 73). Simili ratione Ioannes quoque Delphinus et Gasparus Gropperus nuntii apostolici moniti sunt (*Schwarz*, Gut. XLVI—XLVII; *Steinhuber* l. c. I^2 95). Ceterum in „ordine" illo hoc quoque definitum erat: Quales esse deberent, qui mitterentur. Integrum ordinem primus typis exscripsit *Schellhass* l. c. III 413—420.

Novas constitutiones collegii germanici mittit et, ut Socii adulescentes pro eo colligant, mandat.

Bartholomaeus de Portia nuntius apostolicus Salisburgo 18. Septembris 1573 Ptolemaeo cardinali Comensi Gregorii XIII. praecipuo administro haec, praeter alia, scripsit: „Ne fra tanto restarò di publicar' gl' ordini, che m' ha inuiati del nuouo Collegio Germanico, à fine che secondo il disegno di S. Santità s'indrizzi à quella uolta ò parte, ò il numero prefisso di giouani: et perche i Padri Jesuithi, secondo l'au-

uertimento suo[1], *potranno dar piu facile, et fedele indrizzo de gl' altri, come quelli, che ne maneggiano, et instruiscono molti, co 'l presente Corriero scriuo al padre Canisio con la copia de gl' articoli*[2], *a ciò co 'l mezzo suo, et de' suoi d'Jnglostat, et di Thelinga ne parecchi alquanti, che al ritorno mio in Jspruch s' incamineranno, piacendo à Dio, per Roma, potendosi creder', che non sieno per manchar' di quelli, che goderanno uolentieri d' un tanto benefitio, poi che communemente in questa Prouintia tanto si commenda, et essalta questa charitateuole, et ueramente paterna demostratione di S. Beatitudine.*"

Ebersberga 9. Octobris 1573 *Portia* cardinali Comensi scripsit: „Da Ispruch, douendo à quest' hora hauer fatta la sua diligenza il Padre Canisio, darò con maggior fundamento ragguaglio à V. S. Illustrissima di ciò, che passa in questa materia, isborsando con ogni prontezza, secondo il suo commandamento, il danaro per il uiatico à quelli, che si uedessero bisognosi" (ex archetypo, Cod. rom. „Germ. Vol. 80" I p. 153; etiam apud *Schellhass*, l. c. 147—148). Oeniponte vero (quo inter 28. et 30. Octobris iterum venerat) 30. Octobris 1573 ad eundem cardinalem *Portia* haec rettulit: „Credeuo, che 'l Padre Canisio . . . n' hauesse ammassato certo numero per relatione de' suoi Padri di Bauiera, ma giunto, ch' io sono ho trouato, che sei fastiditi dall' aspettar erano da se stessi incaminati à quella uolta. Mi promette però, che s' harranno de gl' altri" (ex litteris archetypis. Cod. rom. „Germ. Vol. 80" I, p. 205—209; cf. *Schellhass* l. c. 192 196). Postridie tamen eius diei Martinum Dumium, philosophiae doctorem et dioecesis frisingensis sacerdotem, Oeniponte Romam in collegium germanicum mittere potuit cum *litteris commendaticiis ad cardinalem Comensem datis, in quibus testabatur: Sibi Monachii agenti P. Dominicum Menginum S. J. collegii rectorem aliosque homines pios ac doctos affirmasse, Dumium eo beneficio dignum esse. „Ma il giuditio, et la stima, che ne fà qui il Padre Canisio, che ottimamente lo conosce, mi conferma non solamente nella conceputa opinione della sua dottrina, ma nella speranza, che non debba alcuno di sua natione far miglior riuscita di lui" (ex archetypo. Cod. rom. „Germ. Vol. 80" I p. 215). Martinus Dhum, ex pago Röhrmoos prope Dachoviam (Dachau, Bavariae superioris) ortus, postea de religione optime meruit tum Monachii, ubi contionator aulicus, consiliarius ducis ecclesiasticus, canonicus ecclesiae B. Mariae V. fuit, tum Bambergae, ubi seminarium rexit, in ecclesia cathedrali contionatorem egit etc. (*Steinhuber* l. c. I² 296—297).

1853. CHRISTOPHORUS PLANTINUS Philippi II. regis Hispaniae architypographus CANISIO. Antverpia 27. Septembris 1573.

Ex commentario manu ipsius Plantini scripto et emendato. Cod. antverp. „Briev." f. 74ᵃ.

Plantini morbus. „Institutiones et Exercitamenta" cum Kalendario Molani. Nova editio cum figuris.

Morbus grauis et diuturnus quo Benedictus sit Dominus afflictus fuj obstitit quo minus tuae Jnstitutiones pietatis[a] [3] Francofurtum his proximis nundinis[b] peruenerint[4] etiamsi paulo ante absoluta fuisset

a) *Sequuntur vv.* a me, *oblitterata.* b) *Sequuntur vv.* etsi ante Pentecosten a me missae, *oblitt.*

[1] Cf. supra p. 135.

[2] Secretarius cardinalis Moroni his verbis haec in margine ascripsit: „s' usi diligenza in preparar le cose di qui" (*Schellhass* l. c. 124ᵇ). [3] Vide supra p. 30 111.

[4] Nundinae autumnales Francofurti ad Moenum 9. Septembris incohabantur et 15 dierum erant: v. *Can.* VI 376².

impressio haec cuius exemplar vnum hic mitto quae certis de causis non ita mihi placet quod operae[a] [?] praescriptum meum non seruauerint maxime in edendo cathechismo praefixo tam paruis typis quod factum est propter absurditatem qua vsus est collator initio Epistolarum et Euangeliorum a quibus inchoata est impressio[b] mea dum a R. P. T. expectabatur responsio ad litteras P. Harlemi de praefigendo Kalendario Molanj[1] · compositor siquidem dum vehementiore morbo affligerer audiens reseruari quaedam praeponenda inceperat[c] [?] signaturam eius a. C. relinquendo A. B. praeter meum praescriptum. Sperabam etenim me habito a R. P. V. de dicto Kalendario responso curaturum numerarj paginas et auspicaturum dictum Kalendarium a noua signatura qua continuassemus in Catechismo tanquam separatim ab alio[d] libro. Vnde factum est vt dum paulo melius haberem et me consulerent de primis folijs edendis coactus fuerim excogitare modum quo totus paruus cathechismus vnico folio vt vocamus in 16⁰ nempe duobus quaternionibus comprehenderetur[e] [2] et alij duo praecedentes alia signatura vt plerumque fit initio librorum denotarentur. Quoniam vero interea nullum responsum a R. P. V. [acceperamus][f], hoc Kalendarium Molanj praeponere non dubitaui persuasus a R. P. Harlemio nostro qui propter suam insperatam et subitam in Holandiam profectionem iam nihil scribere potuit sed festinando cum me visitaret iniunxit vt R. P. V. salutem plurimam ex se adscriberem moneremque se binis suis quas ad eam antehac dedit litteris ab ea pro sua tamen commoditate responsionem expectare atque de Kalendario illo Molani iudicium et voluntatem pro alia editione suarum Jnstitutionum quam ilico maiori aliquanto forma et cum figuris elegantioribus in aere excisis meditamur si Dominus Deus vitam et valetudinem concesserit vt iam speramus. Quamobrem rogamus etiam vt R. P. V. velit[g] nobis significare id quod vel displiceat vel desiderat[h] [?] in hac prima vt possimus quicquid erit corrigere, vel addere. Jnterea vero Dominum Deum praecabimur vt R. P. V. valetudinem firmam et prosperitatem in se omnem dare et augere dignetur per Jesvm Christum Dominum nostrum Antverpiae 27.[i] Septembris 1573.

Reuerendo[k] admodum in Christo Patri Domino Petro Canisio Societatis Jesv Theologo. Oenipontum.

Canisius Plantino respondit 21. Decembris 1573.

a) *Sic; volebatne scribere* operarij? b) *Sic Plant. correxit ex* Euangeliorum quae primo impressae. c) *Vel* praeconceperat *vel simile v.; Plant. primum scripserat:* Molanj. Is siquidem imprudenter et praeter praescriptum nostrum. d) *Sequuntur vv.* quam praescripseram inchoari, notari A et ita prosequi, *oblitt.* e) *Sic Pl. correxit ex* contineretur, *quod scripserat.* f) *Sic Pl. correxit ex vv.* Quoniam vero nullum responsum a R. P. V. interea acceperamus suasit mihi P. Harlemius noster vt praeponerem. *Ex quibus vv. cognoscitur, supplendum esse* acceperamus. g) *A Pl. corr. ex* dignetur. h) *Sic; sed Pl. scribere voluisse videtur aut* displicet vel desiderat, *aut* displiceat vel desideret; *ac pro* desiderat *aut* desideret *ponendum fuit, puto,* desideratur *aut* desideretur. i) *A Pl. corr. ex* postrema. k) *Pl. hanc inscriptionem in capite commentarii posuit, praeter ultimum v., quod post 1573 posuit.*

[1] Vide supra p. 122.

[2] In hac editione (quae accuratius describetur infra, monum. 1157), catechis-

1854. EVERARDUS MERCURIANUS praepositus generalis Societatis Iesu CANISIO. Roma 3. (?) Octobris 1573.

Ex apographo (obscurius scripto) eiusd. temp.; in margine, eadem manu: „P. Canisio". G. Sup. 1 f. 2b.

Uxori ducis Mantuae confessarius dari nequit. Collegia mantuanum et germanicum. 5%. Canones congregationum.

Litterae T. Reuerentiae 8 superioris[a] mensis datae mihi redditae fuerunt quibus exponis Reginae ac Serenissimae Duchissae Mantuanae[1] desiderium de P. Laurentio Hermanutio confessario alijsque nonnullis habendis e nostris[2]. Ego vero vtvt credo vos intelligere quantum hae missiones aulicae[b] obsint N.[c] Societati tamen hoc vnum magnopere cupio vt tum in hac re tum in huius modi alijs quo ad eius fieri possit suauiter aditum principibus intercludamus cum praesertim ne ipsis quidem coniugibus duchissarum Nostri confessarij sint vsquequaque accepti. Jtaque T. R. me excusabit cum propter operariorum necessitatem tum quod idem ipse pater Laurentius iamdudum destinatus est Austriacis qui eum iterum atque iterum efflagitarunt.

De Collegio autem Mantuano nihil est quod nunc agatur[d]. Quamobrem pro sua prudentia curabit T. Reuerentia ne quis e nostris hoc negocium vrgeat.

Quod attinet ad alumnos Germaniae isthinc mittendos cum res Collegij Germanici nondum penitus confectae sint a patre Prouinciali Offeo poterit expectari si quid hac de re expedierit vt scribamus[3].

De casibus conscientiae iam rescriptum est decisionem fuisse missam ad Patrem Offeum[4] quae quamquam fortasse breuior fuit quam optabatur tamen distracti multis occupationibus eiusmodi alia[e] quae mihi valde cordi sunt explicare minime[f] potuimus quod Deo dante fiet cum paulo[g] plus[h] otij[i] nacti erimus.

Mitto ad T. Reuerentiam canones extractos ex 3bus congregationibus formulam etiam congregationis prouincialis et vicarij officium quae omnia hic aedita sunt[5]. T. Reuerentiae *etc.* Roma 3 (?)[k] octobris 1573.

Missus est Canisio, ut ex his litteris intellegitur, libellus, qui inscribitur: „CANONES TRIVM CONGRE= GATIONVM CENERA= [sic!] LIVM SOCIETATIS | IESV. | Auctoritate tertiae congregationis | confecti. | ROMAE, In collegio Societatis IESV | M. D. LXXIII. | *Cum facultate Superiorum.*" 16°; pp. sign. 83; praeterea

a) *Sic vel similiter ex* huius, *quod librarius posuit, corrigendum esse liquet ex proximis verbis; quae ad Canisii epistulam 8. Septembris datam pertinent.* b) *Sequitur* N. Societati, *oblitt.* c) *Sequitur* obsint, *oblitt.* d) *Sequitur* Jtaque, *oblitt.* e) *Hoc v. supra versum scriptum est.* f) *Ita in apogr. correctum est ex* explicanda (?), no. g) paluo *apogr.* h) *Hoc v. supra versum scriptum est.* i) *Sequitur v. obscurum et oblitteratum.* k) *Sic, ut videtur. Legendumne vel corrigendum 7 vel 9? Vide, quae sub ipsas has litteras dicentur.*

---

mus, cum testimoniis Sacrae Scripturae etc., occupat paginas signatas 1—32; quem sequuntur in paginis signatis 33—514 „Lectiones et Precationes".

[1] Eleonorae. [2] Vide supra p. 130. [3] Vide tamen supra p. 136.

[4] Hanc de 5% „decisionem" vide infra, monum. 1137.

[5] Vide quae sub ipsas has litteras dicentur.

fol. tit. et 1 fol. vacuum in fine; p. 51—61 „Formula Congregationis Prouincialis a tertia Generali Congregatione approbata"; p. 62—67 „Officium Vicarii Generalis a Tertia generali congregatione approbatum". Hi igitur canones, quos ex actis et decretis congregationum „ad observationem et praxim communem desumi ac solos vulgari" ipsa congregatio tertia iusserat (decr. 9 [15] post el.: *Institutum* Societatis Iesu II, Florentiae 1893, 220), significantur, cum in *Codice rerum Roma in varia Societatis loca missarum etc. notatur: „A dì 7. di ottobre .1573. si mandorno li Decreti delle congregationi stampati al Padre Salmeron, Padre Bobadiglia, a Austria, ala superior Germania, et al padre Canisio, et al Rheno, a lombardia . al padre Dionisio etc." (Hist. Soc. 42, Diuersi ordini, in a. 1573).

Difficultas quaedam Canisio orta esse videtur (v. infra, ep. 1864) ex litterarum harum capite illo, quo alumnis in collegium germanicum mittendis iubebatur ad tempus supersedere; certe ut eiusmodi alumnos quaereret, ab eo petebat *Bartholomaeus de Portia* nuntius apostolicus; qui Oeniponte 2. Decembris 1573 cardinali Ptolemaeo Gallio scripsit: „De' Giouani da inuiarsi al Collegio Germanico . . . quando . . . il padre Canisio, che n' è informato, et ricercato da me, ne conduca ò indrizzi alcuno da Sueuia, ò da Bauiera, oue al presente si truoua, si manderanno secondo gl' ordini hauuti à quella volta" (ex archetypo; Cod. rom. „Germ. Vol. 80" I p. 264; etiam apud *Schellhass* l. c. III 256). Ceterum cf. supra p. 136.

Canisius Mercuriano respondit 22. Decembri 1573.

1855. CANISIUS cardinali **MARCO SITTICO AB HOHENEMBS** episcopo principi constantiensi, Romae degenti.

Oeniponte m. Septembri vel Octobri 1573.

Ex Canisii ad Mercurianum litteris autographis. Germ. 183 n. 272/263.

Suadet ei, ut Constantiae seminarium instituat.

Canisius Oeniponte 22. Decembris 1573 Everardo Mercuriano praeposito generali scribens, haec ad eum rettulit de cardinali Marco Sittico ab Hohenembs sive Altaemps[1] *(qui unus ex cardinalibus „congregationis germanicae" fuisse videtur [Schwarz, Gut. 74; Schellhass, Nunt. III xv*[6]*]) et de P. Paulo Hoffaeo S. J. praeposito provinciali Germaniae superioris: „Scripsi nuper ad Jllustriss. Cardinalem Constantiensem, sicut hortatus est Pater noster Prouintialis, eique suasi, ut de Germanis etiam studiosis Constantiae fouendis, et uelut in seminario nutriendis bene mereri dignaretur. Rationes adiunxi, ob quas Germanicum Romae collegium non sufficere uideretur, ut omnes in eo sustentarentur, ac Pontificem Max. praeclare facturum, si faueret eiusmodi seminario, quod in meditullio quasi Germaniae constitueretur*[2]*, ac Romano Germanorum collegio pulchre responderet, ut alterum alteri uicariam quasi operam praeberet."*

Seminarium Constantiae in Suebia instituendum significare videtur etiam *Portia* nuntius apostolicus, cum Oeniponte 3. Novembris 1573 Romam ad cardinalem Comensem haec refert de Ferdinando II. archiduce (qui petierat, ut primum quidem

---

[1] Marcus Sitticus (1533—1595) Pii IV. nepos ex sorore, a militia ad vitae genus ecclesiasticum transiit monitu avunculi, a quo a. 1561 cardinalis creatus est; ab a. 1561 ad 1589 etiam episcopus constantiensis fuit; a. 1567 Constantiae synodum dioecesanam habuit; plerumque tamen Romae habitavit.

[2] Canisius Germaniae nomine Helvetiam quoque complectitur; cuius magna pars ad episcopatum constantiensem pertinebat.

pontifex „commissarium“ aliquem constitueret, qui cum aliquo ex ipsius consiliariis, quae monasteria quorum ordinum in Austria superiore exstarent, ex quo tempore illa essent deserta, quos haberent reditus annuos, cognosceret, deinde autem idem pontifex re omni intellecta, quanta redituum illorum pars seminariis condendis impendi posset, definiret [*Schellhass* l. c. III 68—69]): „'L Padre Canisio truoua l'animo di sua Altitudine grandemente acceso di far' un seminario in Sueuia, parte che merita d'esser aiutata, et fauorita per il gran merito, c'ha quella Nobiltà con la religione catholica, et l'altro in Tirolo, oue n'è bisogno, et mi soggiunge saper certo, che que' Monasterii sono già fa buon tempo uoti, che ruinano, et che per parer suo non si può far' meglio, che aiutar l'intentione di questo Prencipe, massimamente essendo la petitione con tanta riserua, quant'è della dignità, et authorità di S. Beatitudine“ (ex archetypo. Cod. rom. „Germ. Vol. 80“ I p. 224; etiam apud *Schellhass* l. c. 202—203). Cardinalis autem *Comensis*, antequam has litteras accepisset, Portiae Roma 15. Novembris 1573 scripsit: „Il padre Canisio ha scritto a l' illustrissimo signor cardinal d'Altemps un pensier suo di metter una parte di questo collegio germanico in Constanza, et non sono dispiacciute le ragioni, che dice; nondimeno se gli farà sopra piu matura consideratione per risolver poi quel che sarà il meglio“ (*Schellhass* l. c. III 228—229). Dein *Portia* Oeniponte 11. Decembris 1573 ad cardinalem Comensem haec rettulit: „Al . . . Padre Canisio, il quale si mostrò desideroso, ch'io sollecitassi la risolutione del negotio da lui proposto à Monsignore Illustrissimo d' Altemps in materia del Collegio da fundarsi in Costanza, risposi ch'era tanta prudenza in N. Signore per conoscer' l'utilità della sua proposta, et tanto zelo di riparar' la disciplina Ecclesiastica, che non era bisogno d'altra instanza mia“ (ex archetypo, Cod. rom. „Germ. Vol. 80“ I p. 265; etiam apud *Schellhass* l. c. 256—257).

Quod ad tempus epistulae a Canisio ad cardinalem Sitticum datae attinet, non scripsit ille ante 8. Septembris; nam si prius scripsisset, in litteris 8. Septembris 1573 ad Mercurianum praepositum generalem datis epistulae mentionem fecisset: neque scripsisse videtur post medium Octobrem; scripsit enim hortatu Hoffaei; hic autem 15. Octobris 1573 Mercurianum monuit, seminarium instituendum esse Augustae vel Monachii, non Constantiae; v. infra, ep. 1858.

1856. P. FRANCISCUS TURRIANUS S. J. CANISIO.

Roma circa m. Octobrem 1573.

Ex Canisii autographo, de quo infra, ep. 1864.

De suo adversus Freyhubium libro.

Canisius Oeniponte 22. Decembris 1573 Everardo Mercuriano praeposito generali de Ioanne Egolpho a Knöringen episcopo augustano, quem m. Novembri 1573 Dilingae adierat (v. infra ep. 1861) haec scripsit: „Reverendissimo Augustano librum P. Turriani coram obtuli, sicut idem ad me scripsit: fuitque grata illi operis dedicatio ab ipso authore profecta. Expecto nunc certi aliquid, ubi et quando sit liber edendus. Nam Caesar seuere statuit aliquid in typographum Dilinganum, ut nesciam quid de illo futurum sit“ [a].

Ex his verbis intellegitur, Canisium Dilingae Ioanni Egolpho opus manu scriptum tradidisse, quo P. Franciscus Turrianus adversus Andream Freyhub, theologiae protestantium in universitate lipsiensi professorem, defendebat suum „De Hierarchicis Ordinationibus ministrorum Ecclesiae“ librum anno 1569 Dilingae a Sebaldo Mayer excusum (*Can.* VI 683). Quae defensio sic inscripta est: „Francisci Turriani Societatis Iesv, aduersus Capita disputationis Lipsicae Andreae Freyhub,

a) *P. Antonius Posservinus Societatis secretarius in margine huius capitis scripsit:* Turriani liber acceptus et oblatus Augustano fuit gratus.

de Ecclesia, et de Ordinationibus Ministrorum Ecclesiae. Ad Reverendiss. D.D. Ioannem Egolphvm Episcopvm Avgvstanvm." Optabat autem Turrianus, ut hoc quoque opus Dilingae a Mayero excuderetur. Verum hic Maximiliano II. imperatori in odium venerat; ipso enim hoc anno doctissimi illius et religiosissimi viri Georgii Eder (de quo *Can.* I 667[7]) aulae caesareae consiliarii („Reichshofrath") „Euangelische Inquisition Wahrer und falscher Religion . . . Mit Röm. Kay. May. Freyheit" etc. typis exscripserat, in quo ille non solum protestantium errata et vitia plane acriterque demonstrabat, sed etiam „Christianos aulicos" ac principum consiliarios vacillantes claudicantesque vehementer reprehendebat; id quod Maximiliano eo magis displicebat, quod liber approbationem theologicarum facultatum vindobonensis et dilinganae atque etiam privilegium typographicum ipsius imperatoris prae se ferebat [2]. Quare hic, a protestantium „patronis commotus", ut *Caspar Gropperus* nuntius apostolicus cardinali Comensi scripsit, Edero hoc, praeter alia, „severe praecepit", ut librum „revocaret et singula exemplaria" sibi „traderet" (*Schwarz,* Nunt. 236); praeterea senatui augustano praecepit, ut 500 libri exempla, quae superessent, tolleret atque deleret, et Egolpho a Knöringen episcopo augustano mandavit, ut privilegii typographici litteras a Mayero auferendas curaret [1] (*Schellhass,* Nunt. III 300[6]; *Janssen* l. c. V[1—12] 414—417; *N. Paulus,* Reichshofrath Dr. Georg Eder, in „Historisch-politische Blätter" CXV, München 1895, 81—86; *O. H. Hopfen,* Kaiser Maximilian II. und der Kompromißkatholizismus, München 1895, 367—374). *Bartholomaeus a Portia* nuntius apostolicus Oeniponte 23. Decembris 1573 cardinali Ptolemaeo Gallio notis secretioribus scripsit de Edero: „Di cui il padre Canisio dice essersi uedute lettere, per le quali non si assicura di non douer sentire ne la persona lo sdegno de l'Imperatore, affermando, di hauerlo prouato molto più acerbo contra di sè, da che Monsignor Nuntio Delfino, et lo Ambasciatore di Spagna [2] lo hanno con gagliardi officij fauorito" (ex archetypo; Cod. rom. „Germ. Vol. 80" I p. 304; etiam apud *Schellhass* l. c. III 294—301). Unde expedire visum est, ut Turriani adversus Freyhubium opus Dilinga Coloniam mitteretur, ubi cum titulo, quem supra posui, caesarisque privilegio „apud Geruinum Calenium, et haeredes Ioannis Quentelij" in lucem emissus est (*Sommervogel* l. c. VIII 117—118); emissus autem est a. 1574; nam Carolum Sommervogel, cum a. 1573 ponit, errare ipsa Canisii verba ostendunt: annum 1574 ponit *Phil. Alegambe* S. J., Bibliotheca Scriptorum Societatis Iesu, Antverpiae 1643, 140.

1857. CANISIUS cardinali **STANISLAO HOSIO,** poenitentiario maiori, episcopo varmiensi. Oeniponte 15. Octobris 1573.

Ex apographo, a. 1896 a D. Vincentio Nardoni exscripto ex apographo antiquo (eodem fere tempore scripto), quod sic inscriptum est: „Particula epistolae Canisii de suo labore · ex epistola Petri Canisij .15. Octobris 1573 ad Cardinalem Varmiensem" et exstat Romae in bibliotheca vaticana, Cod. Reg. lat. 2023 f. 70. Epistulae

---

[1] P. *Iacobus de Avellaneda* S. J. Francisci Mendozae de Monteagudo hispani apud imperatorem oratoris confessarius in *litteris secretis Vindobona 18. Octobris 1573 ad Philippum II. Hispaniae regem datis questus est, iniusto prorsus rigore Ederum tractatum esse; „Tomase por cubierta vna cosa que en estas tierras es muy friuola que en el libro se dice, cum priuilegio caesaris no auiendo su magestad sauido nada desto, porque es costumbre de los impresores poner aquello de vna vez que se lo conceden para los demas libros sin tocar nada dello al autor ni es menester presentarlo en consejo antes de imprimirse al reues de como alla en españa se haze" (ex apographo recenti epistulae archetypae, quae exstat Septimancis [Simancas] in archivo generali regni hispanici, Secretaria de Estado, Leg. 669 f. 92).

[2] Ioannes Delphinus et Franciscus de Mendoza comes de Monteagudo; significantur, puto, Ederi litterae die 23. Octobris 1573 ad Martinum Eisengrein datae; quae vulgatae sunt ab *Hopfen* l. c. 372—373.

mentionem fecit *Ios. Schmid,* Hist. Jahrbuch XVII 88. Brevem eiusdem summam posuit *Orbaan* l. c. n. 197.

Veterum testimonia de B. Maria V. a cardinali Sirleto mittenda.

— — Cum in humanis esset D. Cardinalis Augustanus [1], qui aeterno Christo uiuat, suam mihi operam humanissime praestabat apud Illustrissimum Cardinalem Sirletum, suaque intercessione multa mihi saepe impetrabat selecta ueterum testimonia, quae sanctissimae uirginis Mariae causam aliqua ex parte commendabant [2]. Nunc Romae nullum habeo, quem demortui Cardinalis loco mihi uel patronum, uel intercessorem deligam in hoc ipso negotio rite promouendo, nisi Illustrissimam dignitatem tuam, quae aliquando efficiat quaeso, ut sentiam eundem doctissimum Cardinalem Sirletum meis fauere studiis, et contra haereticos arma praebere, praesertim ex Graecis petita scriptoribus, qui apud illum maxime delitescunt. Doleo uehementer, quod Michaelis cuiusdam testimonio destituar, quod ille mihi postremo luculentum tradidit de Mariae in coelos assumptione [3]. Vtinam praeclarus ille locus iterum ab aliquo transcriptus ad me destinetur, et si praeterea erit quicquam post meum discessum [4] in Ephrem uel alio graeco scriptore obseruatum. Nolim ego importunus uideri, qui tot singularibus beneficiis, quot graecorum patrum testimonijs ab humanissimo illo patrono uideor esse cumulatus, sed confido interim maiorem eiusdem beneuolentiam et liberalitatem mihi non defuturam, si uestra nunc accesserit auctoritas, meumque illi studium comprobarit. — —

Haec litterarum pars ipsius Hosii mandatu, puto, ex archetypo exscripta et cardinali Sirleto tradita est. In iisdem litteris Canisius Hosio munus poenitentiarii maioris a Gregorio XIII. ipsi paulo ante commissum (*Eichhorn,* Hosius II 466—469) gratulatus esse et simul ad tantum onus portandum animum addidisse videtur.

Hosius Canisio respondit (ut videtur) 8. Maii 1574.

1858. P. PAULUS HOFFAEUS S. J. praepositus provincialis Germaniae superioris suo et CANISII nomine **EVERARDO MERCURIANO** praeposito generali Societatis Iesu. Monachio 15. Octobris 1573.

Ex Hoffaei ad Mercurianum litteris autographis, Germ. 153 f. 266^a—267^b. Praeterea exstat summarium quoddam Romae eodem paene tempore ex autographo exscriptum (de quo plura post ipsas has litteras dicentur), in Rom. 157 n. LVII. Autographi vel summarii brevem summam posuit *Steinhuber* l. c. I^2 94. Summario illo romano usus esse videtur *Sacchinus,* Can. 286—287.

Praefatio editoris. Ex Hoffaei epistulis autographis (Germ. 153 f. 230 233) patet, eum initio m. Octobris Oeniponte, ubi Canisius degebat, fuisse. Tunc, si non ante, Hoffaeus audivit, Gregorium XIII. collegio germanico annuum reditum 10000 du-

---

[1] Hic Romae 2. Aprilis 1573 mortuus erat; v. supra p. 123 [4].

[2] Canisius de Beata Maria Virgine adversus Centuriatores scribebat; v. supra p. 2.

[3] Testimonium hoc Michaelis Glycae historici byzantini exeunte fere saeculo XII. mortui Canisius ex ipsius „Annalium“ Parte III (*Migne,* P. gr. CXXXVIII 440) latine versum posuit in opere „De Maria Virgine incomparabili“, l. 5, c. 5. (Ingolstadii 1577, p. 564).

[4] Canisius a. 1573 ab ineunte m. Aprili ad exeuntem Iunium Romae fuit.

catum dare et eodem 100 adulescentes Romae sustentare statuisse. Deinde Hoffaeus, cum Monachio plurimis de rebus Romam ad Mercurianum praepositum generalem referret, ei de illo quoque pontificis consilio „suam cogitationem proposuit“; quam, ut ipse ait, „etiam P. Canisio communicaverat“; Canisius autem eam, saltem quod ad rei summam attinet, probavit; quare Hoffaeus eo de consilio et suo et Canisii nomine scripsit; hoc et ex tota Hoffaei oratione intellegitur, et aliunde confirmatur; velut cum summarium huius capitis, quod Romae Mercuriani mandatu conscriptum est, sic incipit: „Propono Paternitati V. quae Patri Canisio, et mihi occurrerunt“.

A pontifice in Germania condendum esse collegium adulescentibus ad humanitatem et philosophiam instituendis; qui dein Romae in collegio germanico theologiae operam daturi sint.

Parcat mihi P. V. si de Collegio Germanico simplicem meam cogitationem propono, quam etiam P. Canisio communjcauj. Satis laudare et admirari non possumus optimi Pontificis in Germanos munificentiam: sed timeo ne Collegij istius fructus tantis impensis non satis respondeat. Multi enim Romam mittentur, sed forte p a u c i erunt e l e c t i[1]. Longa siquidem docuit experientia paucis Germanis prodesse aërem Romanum, quum habeant corpora male compacta vt verendum sit ne opus sit breui et quidem magnis sumptibus multos remittere, et alios recipere de quorum valetudine nil certius h[...] potest. Jtem fiet quod plaerique ibi iudicabuntur inepti. Jtem plerique erunt discoli, Jtem aliqui beneficium non aestimabunt et abire volent sicut fert germanorum iuuenum inconstantia praesertim, vbi sibi sapere videntur aliquid. Haec mihi certissima esse videntur, nam vt plures Germani[a] tot annis Romae maneant vel sani[b] vel quieti[b] donec post Rhetoricam Philosophiam et Theologiam mediocriter absoluant, pro miraculo habebo. Huc accedit si multi infirmi et discoli sint ante tempus remittendi, Germaniam malis querelis implebunt et reliqua iuuentus Germana incipiet partim ab vrbe metuere, partim beneficium vilipendere, suamque salutem corporalem nolle communj periculo exponere. Adde etiam hoc Romam longe abesse, haereticos[c] ex hoc beneficio parum terreri, Catholicos parum aedificari cum ignorent quid agatur, nec rei celebritate se delectare queant absentes, sicut vniuersa Germania recrearetur et pium hoc opus a d t e r t i u m c o e l u m[2] eueheret laudibus si in suo gremio coram rem videret quae etiam haereticos plane excaecaret et exanimaret. Non desunt pleraque alia incommoda quae facile cuiuis obiter cogitanti occurrent. Meum igitur puerile consilium hoc est vt illa[d] 10000 ducatorum per medium diuidantur, pars vna Romae Collegio Germanico seruiat, pars altera in Germania Collegio Romano tribuatur hac ratione vt 5000 aureis fundetur alicubi in loco salubri et celebri Germaniae[d] Collegium Romanum in quo alantur Germani honesto numero vsque ad absoluta studia philosophica, [et po]stea mittantur Romam in Collegium Germanicum ad absoluenda

a) *Sic Hoffaeus correxit ex* aliquis Germanus. b) *Sic H. correxit ex* sanus vel quietus. c) *Sequitur* uel etiam eo, *oblitt.* d) *Hoc v. ab H. suprà versum scriptum est.*

[1] Mt 20, 16; 22, 14. [2] 2 Cor. 12, 2.

tantum studia Theologica. Varia hinc sequerentur commoda primo quidem si quis in Germania deprehenderetur ad hoc institutum non idoneus vel valetudinis vel malitiae causa, is absque grauamine et sumptu[a] e Collegio dimitteretur. 2º certamina ingeniorum instituj possent vt pro loco seu susceptione decertarent. 3º hoc alliceret plurimos ad scholas si spem conciperent fore vt aliquando susciperentur, essetque[b] in Germania haec scholarum frequentia e re Ecclesiae. 4. Si qui constantes perseuerarent in literis et moribus vsque ad finem philosophiae, hi tum securius Romam ad theologiam mitterentur corporibus firmioribus et certior de illis ipsorumque constantia[c] spes foret. 5 cumque non cogerentur diu Romae manere, hoc eorum sanitati conseruandae foret etiam optabilius. 6. satis superque discerent Romae in moribus Ecclesiasticis tempore studij theologici, satisque confirmarentur in obseruantia sedis Apostolicae. 7. maiorem praeberet Collegium Germanicum Romae aedificationem si non tot iuuenes illic essent, sed potius aetate grandiores. 8. Romanum quoque Collegium quod in Germania erectum esset testimonium foret[d] in oculis omnium insignis [b]euolentiae sedis apostolicae erga Germanos: qui sanctam sedem magis amarent, faciliores que ad obedientiam forent: contra vero vti supra dixi ex intuitu huius Collegij haeretici[e] exanimarentur etc. 9. Episcopi reliqui facile huic Collegio in eodem oppido sua seminaria quoque adiungerent et hinc enasceretur sancta quaedam seminariorum aemulatio cum meo iudicio tantum non certissimum sit, Episcopos singulos sua singula seminaria rite instituere non posse quod non inueniantur idonei institutores sicut iam quorundam Episcoporum conatus fuere decepti. 10. quam facile esset vt huius Romani Collegij reditus a Principibus et praelatis augerentur vt suo tempore ex eo aliquos pro sua messe habere possent. Forte dicis illa 10 000 ducatorum sine magno incommodo sic diuidi non possunt, et in Germania collocari: At inquam maiora incommoda accident, maiorque fiet iactura sumptuum in eos qui Romae ex pueris futuri essent inutiles. Taceo quod iuuentus in aëre paterno ad finem vsque philosophiae rectius et firmius valeret. Quod ad locum, eligerem Augustam (vt etiam haec ciuitas hoc spectaculo aedificaretur) vel certe Monachium, Constantia quidem esset bona sed malus illic est aër: Denique de loco sapientes et Medicj essent consulendi. Fui ego primitiae Collegij Germanici[1] et quam[f] [?] opto[f] [?] vt consultissime instituatur. Posset autem Summus Pontifex suo loco semper aliquem in Germania inspectorem habere qui Romani Collegij esset protector quique curaret vt sedi Apostolicae per omnia

a) *Duo vv. sqq. ab H. supra versum scripta sunt.* b) *Haec 2 vv. ab H. in margine addita sunt.* c) *Sic H. correxit ex* esset. d) e) *Hoc v. supra versum scriptum est.* f) *Obscurius scriptum:* et peropto?

[1] Hoffaeus ex numero 19 illorum adulescentum erat, qui omnium primi in collegium venerunt, m. Novembri et Decembri 1552; ex quo collegio Hoffaeus a. 1556 in Societatem Iesu transiit (*Steinhuber* l. c. I² 17 39 44).

satisfieret. Principes Germaniae Catholici lubentes forent huius Collegij quoque protectores: Sed nec reditus in periculo forent si in annua pecunia non in fundo penderentur, possentque quouis anno in casu rescindj. Neque ego dubito si ita fiat quin etiam magna nobilitas huic Collegio instituendos suos liberos traderet: At Romam nemo sane aut perpauci nobiles suos mittent filios. Dominus Jesus rem bene vertat. cuj peropto hoc meum qualecunque consilium esse gratum sacrificium. sicut etiam opto statum praeteritum Collegij Germanicj huius mej consilij monitiuum isthic exemplum existere: maximi enim sunt facti sumptus sine vlla fere vtilitate Germaniae in eos qui vel diu isthic viuere non potuerunt vel tolerari ob malos mores minime debuerunt[1]. Et nisi fallor, qui prius hic noti fuissent, si postea deficerent, magis vereri deberent coram Germanis turpem illam ingratitudinis notam, imo cum aedificatione omnium possent puniri. Haec eadem res vera quoque causa existeret vt in Germania plenum aliquod Societatis Collegium bene dotatum haberemus quo nunc cum magno nostro incommodo caremus: Deberet enim nisi fallor hoc Romanum Collegium in Germania a Societate dirigi et institui: quae res etiam ad omnium aedificationem magnam pareret Societati laudem et opinionem ad maiorem Dej gloriam. Et quid mirum si iuuentus multo magis recrearetur hac locorum varietate, quam si tot continuis annis in vno Romano aëre haerere debeat? Nemo etiam ignorat quod eodem sumptu plures ali possint in Germania quam in[a] Jtalia; sed finem facio tandem. . . .

Haec Mercuriano eiusque consiliariis adeo placuerunt, ut ea cum summo pontifice vel cum „congregatione germanica" communicare statuerent, ita tamen, ut aliquantum contraherentur. Exstat adhuc huius summarii exemplum in Sociorum usum scriptum, cui neque a quo, neque ad quem, neque quando epistula illa sive commentarius datus esset, adnotatum est. Ita igitur id incipit: „Jesus † M. Propono Paternitati V. quae Patri Canisio, et mihi occurrerunt, circa collegium Germanicum. quod tam insigni beneficentia audiuimus isthic a Pontifice Maximo institui. Primum est illa .X. millia aureorum per medium diuidantur" etc. Sequuntur 10 „commoda", quae Hoffaeus recenset; item quae de loco, „inspectore", principibus, nobilitate dicuntur; terminatur commentarius verbis: „Peropto hoc meum qualecunque consilium esse gratum sacrificium". Hanc, cum ita scripta essent, iterum, antequam librario traderentur transcribenda, recognita et emendata sunt: P. *Antonius Posserinus*, Societatis secretarius, primam commentarii partem sua manu sic *correxit: „Propono Paternitati V. quae Patri Canisio, et mihi occurrerunt, circa collegium Germanicum. Si fundetur alicubi, in loco salubri, et celebri Germaniae Collegium Romanum, cui pars aliqua prouuentuum assignetur, in quo alantur Germani honesto numero, usque ad absoluta studia philosophica" etc. Praeterea, ut immutationes minoris momenti omittam, ex „commodis" secundum („Certamina" etc.) sublatum est. Ita igitur immutatus commentarius traditus esse videtur pontifici vel cardinalibus; cf. infra, ep. 1863.

Attamen Hoffaeum *Mercurianus* Roma 23. Novembris 1573 *monuit: „Quae T. Reuerentia proponit de collegio Romano in Germania erigendo, alumnisque Ponti-

a) *Hoc v. supra versum scriptum est.*

[1] Hoffaeus — optimus ceteroquin homo — tum de se tum de aliis acrius iudicare et res verbis exaggerare solebat; cf. *Duhr*, Ies. I 782—792.

ficijs in eo potius quam Romae instituendis, nobis ita probantur, ut tamen cupiam quotiescumque eiusmodi alia sese uobis ad nos obtulerint scribenda, ea mature prius cum uestris pertractetis" (ex apogr. eiusd. temp., G. Sup. 1 f. 4[a]).

1859. CANISIUS **GEORGIO DE ILSUNG** patricio augustano, caesareo Suebiae praefecto etc. Oeniponte 16. Octobris 1573.

Ex *Lucae Osiandri* „Verantwortung, Wider die zwo Gifftspinnen, Georgen Scherern, vnd Christophorum Rosenbusch, beide Jesuiter: welche auss der trewhertzigen, fridfertigen, Christlichen Warnung, (vor der Jesuiter blutdurstigen Anschlägen, vnd bösen Prakticken) als auss einer wolriechenden Rosen, lauter Gifft gesogen", Tübingen 1586, p. 60. Ex Osiandri libro epistula et latine posita et germanice versa est in „*Christophori Rosenbuschs* Replica. Auff dess Calumnianten Lucae Osiandri Verantwortung wider die Jesuiter", Ingolstadt 1586, p. 83—84.

Augustam ei veniendum esse collegii Societatis causa.

— — De Augustano negotio multis monere non attinet, quod sapientiae vestrae, si Augustae esset, praesentia multo sane melius habere posset[1]. Nam[a] ex literis nostrorum intelligo, rem non optimo loco esse, et incerta fluctuare consilia, quia difficili nauigationi desit peritus Nauclerus: Ideoque maiorem in modum petunt et rogant, vt suum reditum praestantia tua, quo ad eius fieri potest, maturare dignetur[2]. Nec enim expedit sane tanti negotij fundamenta probe jacta deseri, et causam bonam male promoueri, *etc.*[b] Hoc vnum precor, vt se quam primum (tua praestantia)[c] Augustanis reddat, ac bonorum desiderio, qui rem[d] feliciter coeptam finiri tandem exoptant, pro sua pietate satisfaciat, *etc.*[e] Oeniponti 16. Octob. Anno · etc.[f] [?] 1573.

Quamquam has litteras primus (cum Canisii nomine) vulgavit Lucas Osiander Lutheranorum stugartiensium contionator et Catholicorum, maxime Iesuitarum, inimicus hostisque infensissimus (v. *Can.* VI 675—676), censendum tamen est, eas veras esse, non fictas; id enim tum scribendi genus ipsaeque res, quae scribuntur, suadent, tum plane fatetur Christophorus Rosenbusch Osiandri adversarius: nomine autem Rosenbuschii se tegit ipse P. Gregorius Rosephius (Roseffius) S. J. (*Duhr*, Jes. I 829 ' 842), qui Augustae ab a. 1566 ad finem illius saeculi cathedralis ecclesiae contionator fuit et Sociis augustanis per multos annos praefuit.

Canisium uni ex proceribus augustanis, qui institutionem collegii Societatis moliebantur, scripsisse affirmat *Osiander* (l. c. 56—60); *Roesephius* autem (l. c. 98) significat, eum scripsisse „an einen edlen, gestrengen Herrn, welcher nit allein vierer

a) *Tria vv. sqq. apud Os. maioribus typis descripta sunt.* b) *Hoc v., etsi apud Os. et Ros. cursivis typis descriptum non est, significare videtur, aliquam epistulae partem hoc loco omitti; 3 vv. sqq. apud Os. et Ros. cursivis typis descripta sunt.* c) *His uncis (qui apud Ros. non sunt) significatur, puto, vv. ipsis inclusa ex parte litterarum paulo ante omissa (cf. supra, adnot. b) huc translata esse.* d) *Quinque vv. sqq. et v.* satisfaciat *apud Os. et Ros. maioribus typis exscripta sunt.* e) *Ut supra, adnot. b.* f) *Hoc v. (quod non est apud Ros.) hoc loco perperam positum esse videtur.*

[1] Amici quidem Societatis augustani, imprimis Fuggeri et Ilsungi, impetraverant, ut Gregorius XIII. monasterium templumque S. Crucis Societati tradi iuberet (v. supra p. 125); verum capitulum cathedrale id exsequi gravabatur (*Braun*, Koll. in Augsb. 14—17; *Schellhass*, Nunt. IV, XXXIV—XXXVII; *Schwarz*, Nunt. XII ad XVI). De hoc quoque capitulo dici potuit, quod de aliis quibusdam scripsit *Sigmundus Riezler:* „Der Grund lag hauptsächlich darin, daß die Domkapitel in der strengen Gesellschaft Jesu mit richtigem Gefühl den gefährlichsten Gegner ihres religiösen Schlendrians witterten": Geschichte Baierns VI, Gotha 1903, 254—255.

[2] Apud Maximilianum II. imperatorem fuisse videtur (*Rosenbusch* l. c. 195).

Römischer Kayser Rath, vnd in grossen Aemptern gewest, ja im gantzen Reich wegen seiner Erfahrung, Fürsichtigkeit vnnd auffrechten Gemüt respectiert gewesen": quae verba in neminem alium, quod sciam, conveniunt, quam in Georgium Ilsung a Tratzberg, caesareum Suebiae superioris et inferioris praefectum, imperatorum illius temporis gratia florentem; cf. supra p. 102.

Osiander hac epistula, sive eam interceptam, sive furto ablatam, sive alia ratione allatam acceperat (*Rosenbusch* l. c. 98—101), in libro illo maledicentissimo (cf. *Duhr* l. c. 827—829) usus est ad odium Canisio eiusque sociis apud vulgus concitandum; qui Augustae sedicionem facere et protestantes caedibus evertere voluissent. Quare *Rosephius* Canisii litteris utraque lingua, ut dixi, prolatis haec adnotavit: „Lieber, was ist doch böses inn disen Worten, wil geschweigen auffrührisch? Wolte Gott, Canisius wäre inn der nähe[1], wie trewlich wolte ich jhn von diesem Handel, den Osiander so gross macht, gefragt haben. Wie wurd der fromm alt Gottselig Mann gleichwol auß Mitleyden lachen, daß Osiander so seltzamer Abenthewrer, der auss nichts etwas machen wil, contra regulam Philosophorum, Ex nihilo nihil fit. Ja Osiander aber ist ein vergotter Mann. Jst doch nicht ein Silben darinnen, die man vbel kündt ausslegen, wil geschweigen ein Mordtsach darauss machen" (*Rosenbusch* l. c. 84—85).

1860. CANISIUS **ELEONORAE** Guilielmi Mantuae ducis uxori.

Oeniponte paulo post medium Octobrem 1573.

Ex Canisii ad Mercurianum epistula autographa, de qua infra, ep. 1864.

Canisius Oeniponte 22. Decembris 1573 ad Everardi Mercuriani praepositi generalis litteras Roma 3. (?) Octobris 1573 ad se datas (v. supra p. 139) respondens, haec de P. Laurentio Hermanutio S. J., quem Eleonora sibi petierat confessarium (v. supra p. 130), scripsit: „Quemadmodum P. T. postremis literis ad me datis postulauit, ad Principem Mantuanam scripsi, ac molliter illius tractaui animum, ut excusarem, quo minus ille qui iam ante Austriacis promissus erat P. Laurentius, Mantuam mitteretur."

1861. SOCIUS aliquis collegii S. J. fuldensis (**P. OSWALDUS REDLING** rector?) CANISIO.

Fulda paullo post medium Novembrem 1573.

Ex imagine photographica litterarum autographarum Ioannis Egolphi episcopi, quae sunt Monachii in archivo regni bavarici, Österr. Literalien Nr. 3 (Österr. Religionssachen I) Bd. X, T. 1 f. 94—96.

Principes Saxoniae et Hassiae abbatem, ut protestantismum permitteret et Iesuitas pelleret, urserunt. Mandatum caesareum. Saxo se purgare conatur, vel 1000 Iesuitas permittens. Monachi contumaces.

Dilingа 30. Novembris 1573 Ioannes Egolphus a Knöringen, qui paullo ante electus erat episcopus augustanus, Alberto V. Bavariae duci haec, praeter alia, scripsit: „Dem Fuldischen mandieren hab ich seither mitt vleis weitter nachgefragt, befündt das solche sachen durch auss noch also geschaffen, wie Jungsten E. gnaden, durch mich ein schrifft vberschikt worden[2]. Heutt dato aber khumpt alhie zu mir D. Petrus Canisius

[1] Friburgi in Helvetia degebat.

[2] Balthasar a Dernbach O. S. B. abbas princepsque fuldensis, cum complura mandata dedisset, quibus id spectabat, ut monachi sui ad regulam S. Benedicti observandam reducerentur, a beneficiis ecclesiasticis homines indigni arcerentur.

zeigt mir an es schreib ime einer ex Societate von Fulda wie der Apt, Jr der Iesuiter halber, ietzundt ein Zeitthero in grosser bekhümmernuss gestanden sonderlich dieweil er also ernstlich von Saxen vnd Hessen beschikt worden[1], *Er Abbt aber hab auff etlicher gutherziger Catholischer Christen gutachten nitt vntherlassen zu Speyer gegen solchem Saxischen vnd Hessischen mandieren vmb ein Mandat*[a] *de non offendendo anzuhalten, welches Jme auch*[b] *[?] ervolgtt*[2], *So hatt er auch einen seiner Rhät desshalben zu dem Churfursten zü Saxen geschikt, vnd für solches mandieren vnd abschaffen so dem Religion*[c] *[?] strakhs zu gegen*[3], *gebetten usw. welchem der Churfurst selbsten audienz geben, vnd vnther anderem vermeldt er mög seinem Herren dem Apt zü Fulden wol anzeigen, Er dörff sich die beschikhung, so gleichwol in seinem Namen geschehen nichts jrren oder bekhümmern lassen dan er Churfurst solche nitt gern abgehn lassen aber von Jren etlichen so embsig vnd vilfeltig darumb ersuecht worden, das ers letzlich gleichsam bewilligen müessen usw., vnd letzstlich vermeldt, wan der Apt von Fuld an der anzal der Iesuiter so er diser zeitt nitt genueg, so möcht er leiden das er noch ein Thausendt hette usw. vnd wurdt doch*[d] *ermeltem Canisio darneben geschriben, das Jme Apt noch allerlei instantiae von seinen aignen München, so sich an die Ritterschafft vnd die Lutherischen rhäte gehencktt, begegnen*[4], *vnd wer meines erachtens ein gutt werkh, wan ermeltem apt*

a) *Sequitur v. oblitteratum, quod iam non potest legi.* b) *Hoc v. obscurius scriptum est.* c) *Sic: sed puto, Egolphum scribere voluisse:* Religion friden; *cf. infra, adnot. 3.* d) *Duo vv. sqq. in margine addita sunt.*

Societatis collegium fuldense augeretur et ornaretur (*H. v. Egloffstein,* Fürstabt Balthasar von Dermbach, München 1890, 5—7), Fulda 26. Augusti 1573 urbis fuldensis civibus copioso gravique mandato (quod posuit *I. Fr. Schannat,* Dioecesis Fuldensis, Francofurti ad Moenum 1727, 356—363) interdixit, ne alium contionatorem nisi catholicum audirent neve aliter nisi sub una specie sacram eucharistiam sumerent.

[1] Augustus princeps elector Saxoniae, Guilielmus lantgravius hasso-cassellensis, Ludovicus lantgravius hasso-marburgensis et per litteras (*Duhr,* Jes. I 130) et per legatos (21. Octobris Fuldam advectos) a Balthasare petierunt, ut catholica religione instauranda — ipsi enim protestantes erant — supersederet et imprimis Iesuitas e finibus suis expelleret; qui legati etiam civibus aliisque, ne abbati oboedirent, persuadere studebant (*Egloffstein* l. c. 8—10).

[2] Camera imperialis mandato caesareo Spira 13. Novembris 1573 dato decano, capitulo, nobilitati abbatiae fuldensis interdixit, ne vel abbatem, vel eius propinquos, ministros, famulos, vel maxime Societatis homines ullo modo offenderent: quod mandatum posuit *Schannat* l. c. 364—366.

[3] „Pace religionis" Augustae Vindelicorum a. 1555 facta libertas religionis aut catholicae aut lutheranae tenendae dabatur solis imperii ordinibus („statibus") et civitatibus liberis atque equitibus sub solius imperatoris dominationem subiectis; horum autem erat constituere, utram religionem homines in ipsorum dicione constituti sequi deberent; praeterea eiusdem pacis articulus IX. sic habebat: „Es sol auch kein stant den andern, noch desselben undertanen zu seiner religion tringen, abpracticieren oder wieder ire oberkeit in schutz und schirm nemen"; v. *Can.* V 244[5] 245[5].

[4] „Capitulares" illi, pravos mores emendare nolentes, iam 3. Novembris 1573 una cum equitibus a nobilitate delectis abbatem adierant et ab eo postulaverant,

ein schreiben von der Kay. Mayestet zu procurieren sein möcht darin eine[a] Fortsetzung des Collegij daselbsten wa nitt geschafft, iedoch aller gnedigst gerhatten wurde, vnd waferr es E. gnaden nitt bedenklich das sie neben mir, oder für sich selbsten, Jme auch ein Trostprieflin hetten schreiben lassen · der gutte junge herr, so nitt vber .2. Catholische rhät welche auch[b] nitt von Adl in mille negotijs stektt. Bit E. gnaden wellen den sachen Jrem hohen verstandt ferner nachgedenkhen, vnd negotium Religionis wie bisherich sonderlich hoc in casu, threulich lassen angelegen sein."

Albertus V., cum iam 27. Novembris 1573 Balthasarem abbatem per litteras consolatus esset, 27. Februarii 1574 in eandem sententiam ei scripsit. Idem Maximiliano II. imperatori causam Balthasaris commendavit duabus epistulis, quarum una sub exeuntem m. Octobrem 1573, altera inter m. Decembrem 1573 et Februarium 1574 data est. Maximilianus autem 24. Februarii 1574 abbatem certiorem fecit, se ipsi fore praesidio; eodem tempore ad ordines fuldenses, Augustum saxonem, Guilielmum hassum mandata dedit, quibus eorum facta reprobabat (*Egloffstein* l. c. 17 ad 19; *Janssen* l. c. IV [1—12] 438—439).

Socius ille fuldensis, qui Canisio scripsit, ipse P. Oswaldus Redling (Redtlingen, Ridlingen), collegii rector (de quo *Can.* V 426), fuisse videtur. Canisium autem data opera cum Ioanne Egolpho episcopo litteras eius communicasse colligitur ex litteris Oeniponte 9. Decembris 1573 a *Bartholomaeo Portia* nuntio apostolico Romam ad cardinalem Comensem missis; ubi Portia scribit: Collegii fuldensis tuendi causa „per uia del padre Canisio sarà fatto offitio con l' eletto d' Augusta" (ex archetypo, Cod. rom. „Germ. Vol. 80" I p. 267; ex eodem apud *Schellhass*, Nunt. III 265). Idem *Portia*, cum Oeniponte 23. Decembris 1573 cardinali Comensi scriberet, haec, praeter alia, cum eo notis secretioribus communicavit: „Il padre Canisio tornando di Bauiera riferisce, che su'l partir suo di là, il Signor Duca era auuisato, che il moto de Principi contra l'Abbate di Fulda cessaua, ma che lo ammutinamento d'alcuni del suo capitolo et feudatarij continuaua, et che si farebbe un compromesso ò ne la Camera Jmperiale, ò ne l' Imperatore, di che staua S. Eccellenza mal contenta, aspettando da la remissione, ò in l' uno, ò in l' altro modo, poco felice exito" (ex transcriptione eodem fere tempore facta, Cod. rom. „Germ. Vol. 80" I, p. 303—304; etiam [ex eadem transcriptione] apud *Schellhass* l. c. 299—301). Ceterum ex Portiae verbis coniciamus licet, Canisium, cum Dilinga et Augusta Oenipontem rediret (v. supra p. 141 144), circa medium m. Decembrem per Monachium transisse ibique causam abbatis et collegii duci commendasse.

1862. CANISIUS **CHRISTOPHORO PLANTINO** Philippi II. Hispaniae regis, architypographo. Oeniponte 21. Decembris 1573.

Vide infra, ep. 1868.

1863. CANISIUS **P. PAULO HOFFAEO S. J.** praeposito provinciali Germaniae superioris. Oeniponte 21. vel 22. Decembris 1573.

Ex Hoffaei autographo. Germ. 153 f. 370[a].

Hoffaeus Monachio 30. Decembris 1573 Mercuriano praeposito generali scripsit: „P. Canisius scribit Pontificem scire cupere quo nam in loco Germaniae pars Collegij Germanicj commodius esse possit."

a) *Sequitur* mitt, *oblitt.* b) *Hoc v. supra versum scriptum est.*

---

ut Iesuitas statim pelleret et magistris protestantibus scholam latinam traderet: atque 6. Novembris decanus capitulumque Sociis imperaverant, ut ex urbe terraque fuldensi abirent (*Egloffstein* l. c. 10; *Duhr* l. c. 130).

Haec ad Hoffaeum epistula a Canisio ipso commemoratur in litteris 22. Decembris 1573 ad Mercurianum ab ipso datis (infra. n. 1864); quae ad illam planius intellegendam utiles sunt. Ad eandem spectant ea, quae cardinalis *Comensis*, communem illum Hoffaei et Canisii commentarium Gregorio XIII. traditum (v. supra p. 144) et consilia inter Portiam nuntium apostolicum et Canisium collata (v. supra p. 141) significans, Roma 5. Decembris 1573 eidem Portiae scribit: „Hauendo il Padre Canisio fatto scriver più a longo quà, di quello che haueua detto a V. S. circa l'erigere qualche Collegio in coteste parti, le ragioni sono parse così buone, et efficaci à la Santità di N. Signore che ha preso risolutione di farlo. Et però ha ordinato che io ne scriva a. V. S. acciò uadi molto ben considerando in qual luogo di costá sarebbe meglio collocato esso Collegio, sì per il frutto, che se ne potesse cavare, come pur tutti gli altri rispetti, et anche se vi fusse comoditá di unirui qualche Monasterio di quelli, che sono uoti, o male andati, benchè N. Signor non mancherá di proveder del suo in quel che fará bisogno in mantener circa 40 figliuoli · sopra tutto credo che bisogni hauer l' occhio di erigerlo oue sia qualche Collegio frequente di Iesuiti, essendo necessario riposar questa Santa opera principalmente sopra l' industria, et bontà loro. Quando ella hauerá pensato, et ponderato ogni cosa, dará diligente auuiso di tutto acció si possa far piú fondata risolutione" (ex apographo recenti, exscripto ex archetypo, quod exstat Colloreti in archivo marchionis de Colloredo-Mels, „Busta 4, Corrispondenze" fasc. C. f. 28; etiam apud *Schellhass* l. c. III 261—263). Portiae tradita est haec epistula 21. Decembris (*Schellhass* l. c. 294).

1864. CANISIUS **EVERARDO MERCURIANO** praeposito generali Societatis Iesu. Oeniponte 22. Decembris 1573.

Ex autographo (2°; 3 pp.; in p. 4 inscr. manu P. Guilielmi Elderen S. J. posita et particulae sig.), Germ. 183 f. 229a—230b. Epistula usus est *Duhr*, Jes. I 795.

De iuvenibus in collegium germanicum mittendis et seminario pontificio Dilingae condendo. De collegiis constantiensi, augustano etc. Lectionem librorum prohibitorum et absolutionem haereticorum facilius permittendam esse. Propter 5°/0 non recte convenire inter Dilinganos et provincialem. Hunc monitore indigere.

† Pax Christi et felix annus,
Admodum Reuerende Pater.

Quemadmodum *[etc. ut supra p. 148]*.

De Germanis ad Germanicum collegium destinandis nihil ero sollicitus, sed omnem eius rei curam Patri nostro Prouintiali[1] relinquam. Gaudeo interim ex Rhenensi et Austriaca prouintia studiosos Romam proficisci, qui postquam Pontificiam liberalitatem experti fuerint, haud sine fructu, ut spero, afflictae patriae restituentur. Hortatur nos Reuerendissimus Nuntius Apostolicus de Portia, ut selectos adolescentes isthuc mittamus ex hac prouintia quoque: dehortantur autem nostrorum literae[2]: ut idcirco nonnulli admirentur, unde isthaec consiliorum discrepantia oriatur[a].

a) *Huic capiti P. Antonius Possevinus Societatis secretarius in margine ascripsit hoc summarium:* Nuntius de Portia hortatur, ut selecti adolescentes mittantur, quod nostri dehortantur.

[1] Paulo Hoffaeo.

[2] Hoffaei? Nolebat certe dehortari Mercurianus (v. infra, ep. 1866); sed eius verba, quae posita sunt supra p. 139, ita, nisi fallor, accipi poterant.

Scripsi nuper ad Jllustriss. Cardinalem Constantiensem *[etc., ut supra p. 140]*[a]. Qui Cardinalis[1] nihil meis quidem respondit literis, sed ut nunc intelligo, rationes meas cum Pont. Max.[2] contulit, ac rem omnem in eum statum adduxit, ut scribat Cardinalis Comensis ad D. Nuntium[b], Sanctissimo Domino Nostro meas rationes probari, eiusque iussu deligendum esse locum erigendo huiusmodi seminario magis opportunum in hac parte Germaniae[c][3]. Contulit deinde sua mecum consilia D. Nuntius, et utrique nostrum fuit uisum operae pretium, ut Dilingae potius quam alibi tales studiosi alerentur, praesertim cum expresse moneat Pontifex, vt alicui collegio nostrae societatis ijdem alumni instituendi committantur. Haec propterea repeto uenerande Pater, ut de re tota certius cognoscatur, et ego excusatus etiam habear, qui ex P. N. Prouintialis uoluntate occasionem quidem aliquam ad ista consilia ineunda praebui, sed ut non putarem hanc leuem deliberationem eo esse progressuram, tantumque apud Pont. Max. ualituram. De collegio Constantiensi praecipua mihi cura fuit, ad quod locum Princeps noster Cardinali petenti concesserat[4], eoque nomine ad hunc scribere cogebar. Scio interim meo conuenire muneri, nihil ut ego grauius in urbem perscribam, nisi re primum ad P. T. delata, quod etiam facere conabor perpetuo. Judicent interim Patres mei, an confirmandam putent hanc sententiam, quam dixi, de promouendis rationibus Dilingani collegij per hanc occasionem[d]. Alioquin nulla se offert spes illud[e] diu conseruandi, si legitima dotatio quaeritur, et paulatim numerus nostrorum illic commorantium, ut iam fieri coeptum est, imminuetur. Nullum sane in Germania est gymnasium siue in studijs, siue in disciplina hodie florentius, quodque maiorem fructum praestat huic nationi. Quare si summus Pontifex probe cognosceret, quanti sit momenti ad religionem promouendam hoc collegium, quamque debilibus fundamentis nitatur, facile applicaret animum, ut opinor, ad rationes illius prouehendas, neque minus de praeceptoribus quam de discipulis alendis fortasse sollicitus foret. Nisi tempus non permittit modo, ut de hac praesentis collegij necessitate dicamus, ad notam scilicet cupiditatis effugiendam, dum nostra nimium curare uidemur istis, qui solum aliena et publica spectant commoda. Sed scripsi Patri nostro Prouintiali, ut pro sua prudentia dispiciat ac iudicet, quod ad maiorem Dei gloriam pertinere putarit[5].

a) *P. in margine:* Quid egerit de alumnis cum Cardinali Constantiensi. b) *Sequitur* iubere. *a C. oblitt.* c) *In margine vv.* Nuntius de Portia *a P. scripta, sed deinde oblitterata sunt.* d) *P. in marg., ut supra:* Vt cogitetur an promouendae hic sint rationes Collegij Dilingani pro alumnis. e) *Sequitur* cons, *oblitt.*

---

[1] Marcus Sitticus ab Hohenembs. [2] Gregorio XIII. [3] Vide supra p. 140.

[4] Ferdinandus II. archidux, cui urbs constantiensis reliquaque Austria antica („Vorderösterreich") parebat, cardinali Sittico significaverat, probari sibi, quod monasterium illud mulierum, quod „Sanct Peter an der Fahr" vocabatur, Sociis daretur (*Konr. Gröber*, Geschichte des Jesuitenkollegs und -Gymnasiums in Konstanz, Konstanz 1904, 4). [5] Ceterum vide, quae sub ipsas has litteras notabuntur n. 1.

Fui superioribus diebus Augustae ac Dilingae[1], ut quae ad opus meum absoluendum pertinent, felicius expedirem, quod proximo quidem anno, si fauebit Dominus, in lucem exibit, et Bauariae Duci nuncupabitur. Debemus gratiam eidem principi et Augustano Episcopo, qui sedulo egerunt causam Fuldensis abbatis, ut nostris contra haereticos assisterent ac patrocinarentur[2]. Quod ad[a] Augustanum monasterium attinet, existimant ijdem principes alijque sapientes consultius fore, ut ad pacificationem aliquam ueniatur, frustra enim et cum magno nostrorum odio a Fuggeris Romae certari, ut nostris monasterium hoc[3] consignetur, sat igitur esse, si[b] Canonici locum nobis ad collegium erigendum assignent, sicut etiam suadet Episcopus. Temporis exulcerati ratio ferre non uidetur, ut ad rigida quaedam remedia, quibus cogantur uel inuiti Canonici, procedatur. Haec obiter, ut quae in profectione cognoui et cum P. Prouintiale mihi assentiente contuli, hoc loco indicem[c].

Quod ad casus P. T. reseruatos in facultatibus illis recens isthic a Pont. Max. impetratis attinet, hoc unum reuerenter dicere liceat, quod fortasse Patres si coram adessent, nostris compaterentur in Germania laborantibus, quum in parochos et sacerdotes quosdam peregre uenientes incidunt, eosque aliter consolari non possunt, nisi ut dicant, Scribam Romam, tentabo an obtineri possit facultas legendi libros, et absoluendi haereticos[4] etc. Scripserunt quidem Dilingani aliquid eiusmodi, sed in expectando responso longa mora est, et fortasse periculosa. Vtinam P. Benedictus[5] coram intueretur praesentem necessitatem, fortassis cum alijs etiam Patribus ad soluenda istorum uincula propensum animum declararet. Ego rem totam P. T. charitati maxime commendo, solumque precor, ut uideat, possitne facultas plenior concedi[d] saltem P. nostro Prouintiali et Rectori Dilingano[6], cum uterque tali gratia minime abusurus uideatur. Parcat autem mihi P. T. si pro afflictorum consolatione haec liberius suggero, et quamcumque iniungat poenitentiam imprudenti filio[e].

a) *Sequitur* caus, *oblitt.* b) *Sex vv. sqq. a P. linea subducta notata sunt.* c) *P. in margine huius capitis:* De monasterio Augustano. Et frustra a Fuggeris Romae certari, ac cum odio nostrorum. Sat esse si canonici dent locum ad collegium aedificandum ut suadet Episcopus quod et probat prouintialis et temporis ratio. d) *Septem vv. sqq. a P. linea subducta sunt.* e) *P. in margine huius capitis primum quidem scripsit:* Vt laxentur casuum reseruatorum Facultates: *deinde autem pro* Facultates *posuit* limitationes.

---

[1] Canisius 11. Novembris Oeniponte aberat; 2. Decembris sperabant eum brevi eo rediturum; circa 9. Decembris Dilingae erat (*Schellhass*, Nunt. III 220 254 272).

[2] Quid Albertus V. Bavariae dux et Ioannes Egolphus a Knöringen episcopus princeps augustanus ea in causa egerint, vide supra p. 148—150.

[3] S. Crucis; cf. supra p. 123—125.

[4] Mercurianus ex facultatibus a Gregorio XIII. Societati „pro arbitrio praepositi generalis" concessis sibi reservaverat facultatem lectionis librorum haereticorum iis, qui de Societate non essent, permittendae et facultatem sacerdotes externos potestate absolvendi ab haeresi instruendi; v. infra, monum 1138.

[5] Palmius, Mercuriani „assistens" pro Italia.

[6] P. Theodorico Canisio.

Monet ac iubet temporis ratio, ut de nostro P. Prouintiali nonnihil dicam, utpote indignus eius consiliarius[a] [1]. Primum sit, quod egere omnino uidetur admonitore liberiore, quam nunc est Rector Dilinganus, quum inter utrumque non optime conueniat, et alter alterum nimium timeat[b] [2]. Praecipuam esse causam puto, quod P. prouintialis et uiua uoce, et scripto nimium declarauerit sibi displicuisse sententiam Dilinganorum doctorum[3] circa contractum illum usurarium, quodque prohibuerit hac de re illos domi colloqui, uel Romam scribere, et eos etiam qui scripsissent, incusarit. Doleo contristari fratres insolita superioris austeritate, et praeterea offendi responsis illius non satis, ut arbitror, solidis et exactis, fortassis etiam a communi doctorum sententia discrepantibus. Postea dixit se in urbem retulisse omnia, sed neque sic sanantur uulnera, et debita doctorum quorumdam cum suo prouintiale unio dissoluitur potius quam corroboratur[4]. Oraui ergo saepe, et iterum oro summopere, ut lapis hic offensionis tollatur, certique aliquid constituatur Theologis et Confessarijs[c] huius prouintiae circa conclusiones Romae pronuntiatas, in quibus uariae nostris difficultates emergunt, ut Dilingani monebunt[d] [5]. Si alia causa non esset, haec fortasse sufficeret ad mittendum nobis tandem Visitatorem, in cuius sinum nostri effunderent arcana sua, et per quem paulo suauior esset gubernatio, ut Prouintialis amaretur magis quam timeretur[e] a filijs, minusque imperiosus et grauis uideretur[f]. Sed hac de re sit iudicium penes T. P.

Deinde non abs re fore putarem, P. Prouintiali adiungi aliquem Consiliarium, ne ita solus de omnibus definiret, parum, uti uidetur, cum suis absentibus consiliarijs[6] conferens de ijs, quae ad gubernationem

a) *P. in marg.:* Scribit de Patre Prouintiali. b) *P. in marg.:* Vt alium habeat admonitorem liberiorem. c) *Sequitur* huius, *a C. oblitt.* d) *A P. in marg. notatum est:* De casibus reseruatis Vsurae V. pro centum repetit etc.*; sed v.* reseruatis *postea ab eodem oblitteratum est.* e) *Sequitur* in, *oblitt.* f) *P. in marg.:* Visitator mittendus.

[1] De hoc officio v. supra p. 8 [1] 88 [7].

[2] *Hoffaeus* iam ineunte a. 1574 *notare poterat de P. Alphonso Pisano: „Nuper factus Admonitor Prouincialis" (apogr.; „Hist. Soc. 41" p. 213).

[3] Hoffaeus PP. Theodoricum Canisium et Casparem Haivodum de 5% severius sentire existimabat: Haivodus iam exeunte Ianuario 1573 commentarium contra „contractum germanicum" a se compositum Romam ad Societatis vicarium generalem miserat (Germ. 152 f. 305[a]): ceterum vide, quae de hac controversia post ipsas has litteras dicentur.

[4] *Hoffaeus,* Polanco vicario generali Augusta 24. Ianuarii 1573 *scribens, sic questus erat: „Optarem nostros Dilinganos sui officij et obedientiae reuerentiaeque erga suum superiorem moneri ne ante tempus zeloque non secundum scientiam plus sapiant vel audeant quam oportet: plura hic non dicam, dicam vero coram, qui mihi videor plaerisque solum nominalis vel pictus Prouincialis esse, qui sibi nescio quid ex vrbe praesidij contra suum superiorem polliceri solent" (ex autogr.; Germ. 152 f. 296[a]). [5] Hae „monitiones" post ipsas has litteras ponentur.

[6] Eius consiliarii sive consultores erant praeter duos illos Canisios PP. Alphonsus Pisanus et Ioannes Rabenstein; hic Ingolstadii, ille Halae degebat: cf. infra, monum. 1143.

spectant[a]. Egeret praeterea monitore, qui circa corporis curam illum in officio contineret, ut minus austerus esset sibi, ut minus ieiunaret ac[b] laboraret · ut aliquando admitteret cibum conuenientiorem, quem etiam oblatum respuit. Nunc coepit festis diebus duas contiones habere[1], ad pagos et aegrotos exit, ac fortasse nimium studet alios humilitate et mortificationis studio praeire. In his admonitor ordinarius parum efficere potest, quia procul abit, et parum intelligit de suo Prouintiale, quid quantumque faciat[c].

Jgnoro an mandato P. T. factum sit, ut uetuerit Prouintialis, ne quisquam ad ipsum scribat[d], Admodum reuerendo patri[2], et quod necesse sit[e] apertas omnium literas mitti, quae antea sigillo Rectoris obsignabantur[3], quodque moleste ferre uideatur, ut fratres mutuis se literis subinde[f] consolentur[g]. Optarim ut suam charitatem explicaret magis, non tanta grauitate seruata, siue in scribendo, siue in conuersando, et agendo. De prudentia nihil dubito, ualdeque cupio diu nobis illum dei bonitate relinqui, qui multarum uirtutum exempla declarat, seque uere religiosum ostendit. Sed non expedire puto, ut se memorem demonstret acceptae uelut iniuriae, quod contra ipsum Romam scriptum esse norit a quibusdam: multoque minus conferre uidetur, ut prohibeat Doctoribus sua dubia in urbem referre, uel de illis inter se conferre, quodque magis eos amplectatur, qui cum ipso sentiunt in rebus disputabilibus, uti uocant, alios uero auersari uideatur. Quibus de rebus fortasse maiorem praebebit lucem P. Lanoius, si a P. T. rogetur, cum rationes huius prouintiae perspectas omnes habeat, magnumque sui desiderium nobis reliquerit bonus et ualde amatus etiam ab exteris senex, qui vtinam redeat[h] [4]. Reuerendissimo Augustano *[etc., ut supra p. 141]*. Commendo me plurimum sacrificijs et precibus P. T. ac omnium P. Assistentium in Christo JESV domino nostro. Oeniponti 22 Decemb. 1573.

P. T.

filius minimus

Pet. Canisius.

Admodum Reuerendo in Christo patri nostro, patri Euerardo Mercuriano, societatis Iesu Praeposito generali, ad manus proprias. Romae.

a) *P. in marg.:* Vt Prouintiali Consiliarius adiungeretur · ne solus decerneret. b) *Sequitur* uigil, *a C. oblitt.* c) *P. in marg.:* Jn Eius Victu et laborib. nimia austeritas. d) *Duobus vv. sqq. (a P., ut videtur) linea subducta est.* e) *Sequitur* clausas, *a C. oblitt.* f) *Hoc v. a C. in margine additum est.* g) *P. in marg.:* De prohibitione ne sibi scribatur admodum R. P. h) *P. in marg.:* a P. Lanoio habebitur maior lux.

[1] Monachii, ut videtur.

[2] Haec prohibitio certe non congruebat cum institutione de Sociorum ratione inter se scribendi et appellandi, quam S. Franciscus Borgias praepositus generalis a. 1565 ad provinciales (consulendo tamen, non praecipiendo) miserat; v. *Can.* V 191—192. [3] Litterasne Romam mittendas significat? Cf. infra, post ep. 1973.

[4] De P. Nicolao Lanoio v. supra p. 47.

Duo harum litterarum capita aliqua indigere videntur illustratione:

1. Quod Canisius scribit, se Portiae nuntio apostolico suasisse vel commendasse, ut Dilingae potius quam alibi seminarium pontificium conderetur: paulo postquam Mercuriano scripserat, consilium mutasse vel temperasse videtur idque ea de causa, quam aliqua ratione in ipsis hisce litteris ad Mercurianum datis significaverat: Religioni ei erat sententiam proferre, antequam praepositi provincialis aliorumque virorum gravium sententiam intellexisset. Die igitur 23. Decembris 1573 Oeniponte *Portia* cardinali Comensi scripsit: Die 21. Decembris sibi allatas esse cardinalis litteras 5. Decembris datas (de quibus supra p. 151). „Subbito c' hebbi le sodette lettere di V. S. Illustrissima, mandai à chiamar' il Padre Canisio per intender da lui il parer suo intorno al luoco più accommodato all' erettione d' un nuouo Collegio in queste parti con tutto ciò, che mi significa per il pio desiderio di S. Beatitudine, il quale fece meco lunghe, et uarie considerationi sopra questa materia senza fermarsi in alcuna: et pur hora che aspettauo qualche conclusione per far' anch' io la mia, ueduta c' hauessi la sua risolutione, m' ha fatto saper' essere necessario differir' all' altro Corriero per poter con piu maturo consiglio deliberar', et scriuere" (ex archetypo; Cod. rom. „Germ. Vol. 80" l. p. 300—301; etiam apud *Schellhass*, Nunt. III 299).

Proximo igitur tabellario *Portia* litteras tradidit, Oeniponte 30. Decembris 1573 datas [1], in quibus haec cum cardinali Comensi communicabat: „Quanto al luoco oue si potesse dalla pia liberalità di N. Signore educare un certo numero di giouani per seruitio delle chiese di questa Prouintia, di che non se le puote Con l' altro corriero per l' angustia del tempo dare risolutione, ho da dir le, che dopo lunghi discorsi fatti co'l Padre Canisio siamo uenuti in parere, che non sia bene pensare à luochi d' uniuersità soggette à Prencipi per l' assoluta authorità, che uogliono hauerui sopra, con la rilassata uita, che ui si mena poco accommodata al fine santo di S. Beatitudine [2]. Crediamo in oltre, che l' erigere cotal collegio, oue non ci sia qualche principio sarà cosa molto lunga, et piena di difficoltà, si come si uede in quelli, che perseuerano in mostrarsi feruenti d' instituire seminarii, ne però truouano la uia di cominciare non che di finire [3], però inclina il Padre à desiderare, che N. Signore applichi l' animo ad effettuare la pia intentione sua in Dilinga [4]; Muoue à questo per la residenza ordinaria, che fà in quella Terra il Vescouo d' Augusta, da cui saranno i studiosi molto più aiutati, et fauoriti, che non sarebbono da Prencipi temporali; per la scuola, che di gia u' è et firmata, et accresciuta, non potendossi perauentura darne alcun' altra, che le sia pari in Germania, tanto per copia, et sufficienza di professori, quanto di scolari; per l' isquisita disciplina non co[mmune] [?] à gl' altri luochi, essendo di quella sola il gouerno integro in mano della compagnia, à che s' aggiunge essere ella tutta Ecclesiastica, il che non si stima di poco momento, potendossi dubitare, che se le professioni legale, et di medicina ui fossero, con minore ò quiete, ò commodità s' attenderebbe à gl' essercitii, che più speditamente informano gl' operarii per il ministerio Ecclesiastico; per il Clero ch' è in quella Terra più reformato di quanto si uede in infiniti luochi, oltre che u' è la stampa [5], et la uicinità d' Augusta, c' ha frequentissimo comertio con Jtalia: è contigua appresso alla Bauiera, et alla Sueuia prouintie piu dell' altre della superiore Germania

---

[1] De tempore harum litterarum v. *Schellhass* l. c. III 443.

[2] Ingolstadium ducum Bavariae, Friburgum Brisgoviae principum Austriae anticae imperio subiecta erant.

[3] Velut Ioannes Iacobus Khuen de Belasy archiepiscopus salisburgensis et cardinalis Marcus Sitticus ab Hohenembs episcopus constantiensis, Ferdinandus II. princeps Tirolis.

[4] Dilinga et in ecclesiasticis rebus et in civilibus episcopis augustanis parebat.

[5] Typographia universitatis: quam Sebaldus Mayer diligenter scienterque administrabat.

fertili di catholici; in modo che se si risguarda ò al Signore nel cui stato sarà posto il Collegio, ò alla disciplina, ò alla maniera dell' ammaestrare ò alla commodità non pare, che à questo tempo si presenti luoco, ò di minori difficultà, ò d'auantaggi maggiori di Dilinga; Casa per il bisogno crede, che s'harà con poca spesa, se sarà ricercato il Vescouo d'Augusta [1] di cui promettono ogni aiuto per isecutione di si santa opera; et perche presuponeuo io, ch'era bene piegare altroue per multiplicare le scuole gia che quella era incaminata si risponde, che hauendola il Cardinale di felice memoria d'Augusta [2] ridotta senz' alcuna dotatione, ne bastando il successore per le grauezze de' debiti à mantenerla, sarà necessario, se non è aiutata, che si dissolua con grandissimo danno della Prouintia (ex archetypo, Cod. rom. „Germ. Vol. 80" II, p. 411—417, etiam apud *Schellhass* l. c. III 443—446).

Interea vero Gregorius XIII. eadem re serio considerata in sententiam abierat a Portiae et Canisii sententia (quam ipse quoque paulo ante tenuerat) diversam. Roma enim 19 Decembris 1573 *cardinalis Comensis* Portiam de altero collegio pontificio in Germania instituendo (unum iam incohatum erat Vindobonae) monuit: „Hora ho da dirle, che la Santità Sua dopo longa discussione ha risoluto di farlo in Constanza, mossa a ciò da molti rispetti et cause degne di consideratione . però V. S. potrà farlo sapere al p. Canisio, acciò che aiuti con l'opera et conseglio suo a indirizzarlo quanto prima, massime che monsignor illustrissimo d'Alta-Emps scriverà et darà tutti gli ordini, che bisognano per poter essequir la mente di S. Beatitudine; ma non occorre però moversi adesso a far cosa alcuna, perchè manderemo noi di qui al più lungo fra 15 giorni una instruttione di tutto quel, che s'haverà a fare per il compimento del negocio" (*Schellhass*, Nunt. III 262 291).

Ad has litteras 2. Ianuarii 1574 Oenipontem perlatas *Portia* respondit Oeniponte 6. Ianuarii 1574: „Quanto alla risolutione di N. Signore d'erigere l'altro Collegio nella città di Costanza, s'attenderà l'instruttione, che V. S. Illustrissima disegnaua fra XV. giorni di mandare per compimento d'opra si santa, di che n'ho già fatto auisato il Padre Canisio à ciò si prepari, come promette, d'aiutarla co'l consiglio, et attioni sue" (ex archetypo, Cod. rom. „Germ. Vol. 80" II p. 3; etiam apud *Schellhass* l. c. III 302).

2. Canisius Mercurianum certiorem facit, Societatis moderatores romanos a Sociis dilinganis de difficultatibus, quae in „conclusionibus Romae pronuntiatis" de 5% (quas vide infra, monum. 1137) „emergant", monitum iri. Iam die autem 12. Septembris 1573 P. *Theodoricus Canisius* rector dilinganus Mercuriano *scripserat: „Quod ad resolutionem contractus germanici attinet, accepimus eam breuissimis sententijs comprehensam: sed, quantum intelligere potui, nec dum difficultas omnis sublata videtur. Primo, quia sententiae plaeraeque valde sunt generales, nec videntur doceri vel suaderi tuto posse, nisi cum multis cautionibus, quarum nulla ibi fit mentio. . . . [Contractus Germanicus] iam Romae damnatus videtur. . . . Magnum videtur in praxi harum resolutionum posse esse periculum, nisi a doctis Theologis, et non a solo Patre Prouinciali illarum legittimus vsus tradatur". Deinde Dilinga 22. Ianuarii 1574 Mercuriano *scribens haec de Hoffaeo provinciali notavit: „Jn casu germanico 5. pro . 100 multis displicuisse videtur modus eius procedendi. Nam tantum non cogere nos visus est, vt a restitutione omnes excusaremus, qui contractu illo hactenus vsi essent, et vt redditum vtrinque redimibilem, eodem precio cum irredimibili 5. permitteremus . . ., contra communem omnium Doctorum, quos vidimus, sententiam. Aliqui se Patri opposuerunt, et Romanorum Patrum responsiones post congregationem generalem factas, plane deprauari contenderunt. Jtaque Pater de sua illa seueritate multum remisit: sed res tamen scrupulis adhuc non vacat. Doctores omnes huius prouintiae, vno Patre Pisano excepto, diuersam a Patre Prouinciali sententiam, priuatim et publice, in scholis et Concionibus, iam inde a principio docuerunt. Similiter et vicinarum prouinciarum Theologi" (ex autographis,

[1] Ioannes Egolphus a Knöringen. [2] Otto Truchsess a Waldburg.

Germ. 153 f. 201[a] et Germ. 135 n. 111). At contra *Hoffaeus* Mercuriano Augusta 1. Mai 1574 *scripsit: „Quidam mei Theologi videntur pleraque denuo in dubium vertere quae Romae sunt tanto labore totque testibus resoluta de 5. pro cento etc. Jd quidem ego ne faciant prohibeo, sed ita tamen, vt qui mihi non acquiescit, possit in Vrbem replicare. . . . Plerique etiamnum haesitant, cui tandem in dictis contractibus quiete et secure fidere debeant" (ex autogr.: Germ. 135 n. 145. Cf. *Duhr*, Jes. I 717—718).

3. Hoc denique iuverit notari: Quod Canisius in his litteris monebat: Non expedire, ut monasterium S. Crucis in Societatem transferretur, id, cum diu certatum esset, tandem omnibus placuit; atque ita id monasterium penes sacrum illum ordinem augustinianum mansit; et de Antonio Beirer canonico regulari, cui ob mores parum probatos officio praepositi movendo Societatis amici eo tempore plurimum operae dabant, in **Historia* collegii Augustani manu Socii alicuius eaque satis antiqua testatum est: „Hic . . . deinde Societatis nostrae patronus singularis et fautor exstitit, uitamque religioso homine dignam transegit" (Cod. „Hist. coll. Aug." [qui est Friburgi Helvetiorum in bibliotheca reipublicae; cf. *Can.* II LI—LII] p. 61—62). Quas laudes anno 1727 P. *Ignatius Agricola* S. J. provinciae Germaniae superioris historicus non solum confirmavit, sed etiam auxit (l. c. I Dec. 4., n. 76—78); et *Maximus Mangold*, qui eiusdem provinciae tempore Societatis supressae (1773) provincialis fuerat, postea affirmavit: Usque ad illud tempus monasterium S. Crucis et collegium augustanum semper „sancta necessitudine arctissime inter se connexa manserunt" (Origo collegii Societatis Iesu ad Sanctum Salvatorem Augustae Vindelicorum, Augustae Vindel. 1786, 23—24).

Mercurianus Canisio respondit 16. Ianuarii 1574.

1865. P. IOANNES WILHELMI HARLEMIUS S. J. CANISIO.

Lovanio ineunte a. 1574.

Vide infra, ep. 1868. Ad eandem epistulam pertinere videntur ea, quae infra, ep. 1888, Canisius scribit a „M. Harlenio" ad se relata esse de nova quadam editione Patrum.

1866. EVERARDUS MERCURIANUS praepositus generalis Societatis Iesu CANISIO.

Roma 16. Ianuarii 1574.

Ex apographo vel commentario eiusdem temporis, quod ab ipso P. Antonio Possevino Societatis secretario scriptum esse videtur; in margine, eadem manu: „P. Canisio." G. Sup. 1 f. 5[b].

Collegia germanicum et constantiense. Hoffaeus. 5%. Monasterium S. Crucis. Liber Turriani.

Jesus

†

M.[1a][?]

Sane mihi gratae litterae fuerunt quas 22 superioris mensis ad me dedisti[b]: et nescio qui nam ij sint[c] e nostris qui dehortantur, quominus selecti adolescentes ex Germania mittantur ad collegium Germanicum[2]. Quod hactenus actum est cum Cardinali Constantiensi[3] placet. Sed ut nos hic apud Pontificem aliam huius negotij curam

a) *Vide infra, adnot. 1.* b) *Ita in apogr. correctum est ex* dedistis. c) *Duo vv. sqq. supra versum scripta sunt.*

---

[1] M. = Maria; fortasse tamen in solo hoc apographo vel commentario hoc nomen positum est. [2] Vide supra p. 151. [3] Vide supra p. 140—141.

suscipiamus, ipsique tractemus, non satis uidetur opportunum: ne nostra uideamur agere[a]. Si quid tamen occasionis se obtulerit, qua[b] promoueri negocium posse uideamus, non desistam proponere ijs ad quos haec administratio pertinet. De P. Prouinciali quae monuistis[1] grata fuerunt, daboque operam ne frustra scripta sint.

Concionibus sollemnium horum dierum festorum[2] factum est, quo minus P. Toletus[c] potuerit fusius explicare quae P. Theodoricus de v. pro centum ad nos misit[3]. Rescriptum tamen est ad eum, et ut[d] fusius rescribatur, curabo. Quod uos illum per uestras literas monere cupio.

De Augustano monasterio probamus consilium uestrum: idemque fere summus Pontifex probauit, eaque de re ad P. Gregorium Rosephium litteras dedi[4].

Gaudeo librum P. Torrensis gratum Reuerendissimo[e] Episcopo Augustano[5] accidisse. Nos hic Domino adiuuante valemus, idemque uobis omnibus optamus. Vestris orationib. et sacrifitijs *[me commendo]*.[f] Romae 16. Januarij 1574.

1. *Litterae, quas Mercurianus de causa monasterii S. Crucis augustani Sociis rogatu Fuggerorum et Ilsungorum per Gregorium XIII. tradendi a se ad P. Rosephium. domus augustanae superiorem, datas esse scribit, datae sunt Roma 19. Decembris 1573. „Rationes", inquit *Mercurianus*, „quas [T. R.] affert in literis suis 14 nouembris datis cur negotium monasterij intermittendum sit donec res conquiescant retulimus Ponti: Maximo quas ille ita probauit ut a negotio supersedendum esse existimet tantisper dum Episcopus fortior sit de cuius animo optime sperat, quamuis bonus ille praelatus multis difficultatibus circumseptus sit . . . bono animo sum fore ut omnia prospere succedant, si qui isthic sunt e nostris, et rem Deo commendabunt et ipsi studebunt qua ratione iuxta nostrum institutum quam gratissimi Diuinae bonitati euadant. Ad T. Reuerentiam pertinebit animos istorum patronorum ita tractare et fouere, ut nihil de suo erga nos studio remittant. . . . Ac fortasse non expediet illis dicere quid cum Pontifice Maximo a nobis actum sit ne nos illorum studium impedire (quod certe nollemus) existiment" (ex apogr. eiusd. temp.; G. Sup. 1 f. 5[a])

2. Quod autem ad Theodoricum Canisium scriptum esse *Mercurianus* ait, *litteras significat Roma 21. Novembris 1573 ad eum datas, in quibus haec sunt: „Serius respondeo ad literas Reuerentiae Tuae quas ad me scripsit 12[a] die septembris quod qui casus conscientiae a uobis discutiendi Romanis nostris Theologis proponebantur non potuerunt absolui propter aliarum rerum multitudinem . . . Jtaque partem illorum mitto . reliqua fortasse sequens tabellarius feret" (ex apogr. eiusd. temp.: G. Sup. 1 f. 4[b]).

a) *Sequuntur vv.* Si quid tamen ad id quod scripsistis perti, *oblitt.* b) *Sequitur* he *vel simile v., oblitt.* c) *In apogr. correctum ex* Toledus. d) *Sequitur* resc, *oblitt.* e) *Hoc v. supra versum scriptum est.* f) etc. *libr. Suppleri haec ex Mercuriani litteris Roma 21. Augusti 1573 ad Hoffaeum datis (G. Sup. 1 f. 2a).*

---

[1] P. Hoffaei consiliarios significat: e quorum numero erat Canisius: vide supra p. 154.

[2] Christi natalitia et epiphaniam cum octavis significat. Toletus in Vaticano ad pontificem dicebat (*Sacchinus,* Hist. III, l. 5, n. 38).

[3] Vide, quae sub ipsas has litteras dicentur n. 2.

[4] Vide, quae sub ipsas has litteras dicentur n. 1.

[5] De hoc P. Turriani libro Ioanni Egolpho a Knöringen dedicato v. supra p. 141.

1867. CANISIUS et CHRISTOPHORUS KLÖCKLER cancellarius tirolensis **FERDINANDO II.** archiduci, Austriae superioris principi.

Sefeldia 18. Ianuarii 1574.

Ex archetypo, ab ipsis Canisio et Klöcklero subscripto (2°; pp. 20; p. 19 vacua est; in p. 20 inscriptio), quod exstat Oeniponte in archivo praefecturae (Statthalterei-Archiv), „E Kloster Seefeld, II Nr. 34". Litterarum brevis summa est apud *G. Tinkhauser*, Topographisch-historisch-statistische Beschreibung der Diöcese Brixen, fortgesetzt von einem Priester der Diöcese Brixen, III, Brixen 1881, 98. Iisdem usus est *Kröss*, Can. 204.

Praefatio editoris: In Tiroli saeculo XVI. nullus locus piis fidelium peregrinationibus magis frequentabatur quam Sefeldia sive Seefeld, vicus prope Zirlam (Zirl) situs et quinque fere horis ab urbe oenipontana distans. Huius celebritatis hanc fuisse originem tradunt: Anno 1384 Oswaldus Mülser, eques nobilis principisque procurator („Pfleger"), Sefeldiam ex arce in vicino monte sita, in qua habitabat, venit et, superbia quadam et errore (ut putant) captus, a sacerdote, ut unam ex maioribus illis hostiis, quibus ipsi sacerdotes in sacro faciendo utuntur, eamque consecratam sibi pro communione daret, flagitavit atque extorsit: quam vero ipse, ad sinistrum altaris latus constitutus, vix acceperat, cum petra, in qua stabat, emollir[illegible] [illegible]uasi aperiri coepta est, perinde ac si equitem devoratura esset, sicut olim terr[illegible] [illegible]a-verat Core et Dathan et Abiron (Nm. 16, 23—33). Oswaldus igitur, cum u[illegible] ad femur petrae iam esset immersus, dextera ad altare lapideum extenta se sustentabat, lapide illo interim cerae instar ita emollito, ut hominis digiti in eo impressi [illegible]re-rent; ac sacrae illius hostiae, ubi ea equitis linguam tetigit, color albus ex parte in colorem sanguinis immutatus est; quare sacerdos illico ex Oswaldi ore illam extraxit. Oswaldi autem uxor domi relicta, cum miraculo illi ad se relato ne post novum quidem miraculum coram ipsa patratum fidem adiungere vellet, repente in insaniam incidit in eaque misere periit. Ipse vero Oswaldus ad solidam magnamque conversus est paenitentiam. Religiosissime deinceps colebatur sacramentum pretioso sanguine, ut aiebant, conspersum [1]; quem cultum sibi gratum esse Deus signis atque portentis declarabat (Von dem hoch vnd weitberhümpten Wunderzeichen . . . auff dem Seefeld . . . Warhaffte vnd gewisse *Historia*, Dilingen 1580, 5 44; *Tinkhauser* l. c. III 91—102; *Sinnacher* l. c. V 589—592; *Hirn* l. c. I 265—267). Ideo Ferdinandus I. imperator — id quod iam Maximilianus I. sibi proposuerat — Sefeldiae monasterium (quod sacris virginibus ordinis S. Augustini tradere volebat) exstruere coepit; quod tamen ante saeculum XVII. absolutum non est. Deinde Ferdinandus II. archidux, ut erat pietatis per Tirolim amplificandae studiosissimus, in animum induxit novum Sefeldiae sacellum aedificare, et sacrae illius hostiae per duo fere saecula miro modo conservatae in sacellum suum transferendae facultatem a. 1573 a Gregorio XIII. impetravit; de indulgentia tamen, quam Ferdinandus simul pro sacello petierat, pontifex se constituturum respondit, cum sacellum illud esset aedificatum (*Hirn* l. c. I 266; *Schellhass*, Nunt. III 144 201; V 274). Neque vero mirum est archiducem hac in causa ea sibi sumpsisse, quae episcopi fuisse dixeris; nam principes illi in rebus sacris curandis, maxime in iis, quae „temporalia" vocabantur, multum sibi licere sive recte (ex concessionibus pontificiis vel legitima consuetudine) affirmabant, sive perperam dictitabant.

Se Sefeldiae privilegia sacra et res pretiosas inspexisse et de miraculo eucharistico equitis illius quaesivisse. Multa proponunt quae pertinent ad bona conservanda, historias gratiarum miraculorumque litteris consignandas, visitationes canonicas

[1] De huiusmodi miraculis sanguinis Domini vide, quae disseruit clar. Dr. *Franc. Schmid,* Die eucharist. Wundererscheinungen im Lichte der Dogmatik, in „Zeitschrift für kathol. Theologie" XXVI, 492—517.

habendas, hospitium peregrinantibus parandum, res divinas rite perpetrandas, indulgentias 1000—3000 annorum et amplissimas absolvendi a peccatis facultates impetrandas, domunculam sacramentariam et alia construenda.

Durchleuchtigister Furst · Gnedigister herr · Auf E. F. dhc[1]: durch derselben gehaimen Rath, vnnd Obristen Hof Canntzler Herrn Johann Freyherrn zu Schneperg[2] etc. angetzaigten gnedigisten beuelch, haben wir vnnß an gestern nachmittag hinauf das Seefeldt verfüegt, dartzue dann E. F. dhc: Tyrollische Camer vnnß ain Schlittenfur, verordnet, vnnd Martin Ganndtner zu Zierl · als Kirchenprobst[3] des Gotshauß auf dem Seefeldt schrifftlichen beuelch zuekhommen lassen, damit Er zu vnnserer ankhunfft alda, vnnd auf vnnser beger nit allain alle zu bemelts Gotshauß behaltnussen vnnd Truehen (· darinnen die briefliche Gerechtigkhaiten vnnd gewarsame, auch annderes jn verwarung liget.) gehörige Schlüssel vnnß zuestelle, sonnder auch vnnserm habenden beuelch nach, jn allem dem so wir an jne begern wurden, allen gueten bericht vnnd antzaigung gebe, vnnd zum besten verhilfflich sein sollte, d[illegible] auch also gehorsamblich nachkhummen. Deßgleichen hat vnnß E. F. dhc.: Rath · vnnd Pfleger auf Vellenberg[4] Jacob Zoller von Zollerßhausen, die anndern zu solcher behalltnussen auch gehörige Schlüssel alhie vberanntwurtten lassen.

Darauf haben wir zu vnnserer ankhunfft alssbaldt ain groẞe wolbeschlagne, vnnd verwarte Truehen, so in der Sacristey gemelts Gotshauß steet, mit berüerten des Zollners, auch des Kirchenprobsts schlüssel, durch jne Ganntner vnnd jn beysein des Herrn Pfarrherrs auf dem Seefeldt[5] eröffnen lassen, darinnen ain khlaines Trüchlin mit des Gotshauß brieflichen gerechtigkhaiten verschlossen gewesst. Jn welchem durch vnnß eröffneten Trüchlin wir befunnden, etwa vill Ablassbrief, als nemblich von zwayen Bäpsten Sixto quarto et Paulo Secundo[6], Jtem von acht vnnd zwaintzig Cardinäln, vnnd dann von Siben Bischoffen, zu sambt ettlichen Silbern vnnd ains tails vergülten Klainatern, auch khlainen bildern, Paternostern[7], vnnd anndern dergleichen, so zu dannckhbarer antzaigung der erlanngten gsundthait, vnnd sonnst aller annderer durch das hoch wurdig Sacrament gewürckhten, vnnd erlanngten gnaden, jn bemelt Gotshauß verehrt vnnd geopffert worden,

Mher zway Jnuentarien. So jm 1562. Jar, durch weyllundt Michael Schennckhen, vnnd Andre Frölich, als von den herrn Camer

---

[1] Id est: Ewer Furstlichen durchleucht.
[2] Dr. Jo. Wellinger.
[3] Ita vocabantur laici, qui nomine civium vel domini saecularis cum ecclesiastico ecclesiae rectore eiusdem ecclesiae bona administrabant.
[4] Castrum sive arx in valle Oeni.
[5] Thomae Paur (*Tinkhauser* l. c. III 105).
[6] Hic 1464—1471, ille 1471—1484 ecclesiae praefuerunt.
[7] Serta precatoria („Rosenkränze"); v. *Can.* IV 27—28.

Räthen Oberösterreichischer Lannden verordneten Commissarien aufgericht worden,

Nach ersehung derselben Ablaßbrief · haben wir darauß vernommen · das beede obernennte Bäpst Sixtus vnnd Paulus nit vber Siben Jar, Die Cardinäll aber vnnd Jeder in'sonnderhait nit mher dann ainhundert Täg, vnnd die Bischoffen, auch Jeder insonnders viertzig täg Ablass gegeben haben, als nemblich den jhenigen die das Gotshauß zu vnnderschidlichen darinnen benanten Festen, oder sonnst besuechen, jr gab, Steur, hilff, vnnd allmuesen zu erhalltung des Gotshauß raichen vnnd dargeben, oder dem Gotsdienst daselbs beywonen, doch denselben allen annderst nit, dann das Sy mit vorgeender rew vnnd laydt jre gethane Sündt zuuor gebeichtet haben,

So gibt auch vorernennter Pabst Sixtus dem Pfarrer auf dem Seefeldt sonndern gwallt, durch drey taugenliche Layen Priester[1] oder Ordensleüth, aller der jhenigen, So gemelt Gotshauß auf den tag der Kirch weych, vnnd den Funfften Sontag jn der vassten, so Judica genannt, besuechen, beicht zuhören, vnnd Sy von jren beganngnen Sünden vnnd lastern doch ausserhalb der feel, so dem Römischen Apostolischen Stuel vorbehalten sein, zu absoluiern.

Wir haben auch vnnser Nachfrag gehabt, ob ainicher glaubwürdiger schein der Historj, so sich mit dem hochwürdigen Sacrament jn der Person Oswald Mülsers zuegetragen, verhannden, aber annderst nichts befinnden, oder erkhundigen khünden, dann das vnnß hiebejligender abdruckh zuegestellt worden. Gleichwoll werden wir bericht, das vor drey oder vier Jarn Herr Georgius Crispus auß der Societet Jesu Priester[2], vnnd gedachter E. dhc: Rath vnnd Pfleger zu Vellenberg fleissige erkhundigung der Historj halben auf dem Seefeldt, auch zu Stambs jm Closter[3] (· alda gedachter Mülser begraben sein sollt.) gehalten, Was Sy aber erfaren haben, tragen wir diser zeit khain wissen, Sy werden aber auf E. F. dhc.: beuelch sonnder zweyffel selbst desshalben bericht geben,

Anndere zum thaill büecher, vnnd ainstails briefliche gwarsamj, vnnd gerechtigkhaiten, sollen des Herrn Pfarrherrs vnnd Kirchprobsts antzaigen nach, bej E. dhc: Tyrolischen Camer oder vorgedachtem Pfleger zu Vellenberg jn verwarung ligen · vnnd behalten werden,

Dessgleichen sollen E. F. dhc: ain sonnders buechlin vom Pfarrherr zu derselben Hannden genomen haben,

Auß welchem allem · villeicht ain mherer grundt vnnd schein der vorangeregten Historj, auch was sonnsten das Gotshauß Seefeld belannge erlernet werden möchte,

---

[1] Sacerdotes saeculares.

[2] De hoc collegii oenipontani sodali v. *Can.* V 89[3]; VI 626, et supra p. 8[2].

[3] Usque adhuc floret in Tiroli monasterium stamsense (Stams) ordinis cisterciensis, in superiore valle Oeni situm; cuius sacerdotes nunc Sefeldiae et parochiam regunt et reliqua sacra administrant.

Hieneben aber E. F. dhc: vnnser vnnderthenigist bedennckhen antzutzaigen, hielten wir gehorsamist darfür,

Erstlich, das alle vnnd jede des Gotshauß Seefelden monumenta, brief, vnnd Clainater, jn ain bessere vnnd mher versorgte, vnnd verwarte behaltnus dann die bissher gewest, als nemblich zu ynnsprugg in E. dhc: Schatz, oder sonnst in ain annder gewelb gelegt vnnd verwart werden sollen, wie dann der Kirchenprobst selbst auch darumb angehalten haben soll.

Zum anndern, das des Gotshauß ornamenta, Silbergeschmeid vnnd Klainater, so verhannden, vnnd auch khunfftigklich daheer verehrt vnnd geopffert werden zu zierd, anraitzung, vnnd erweckhung mherer andacht des gmainen Volckhs, so die Kirchen besuechen gebraucht, oder da man deren sonnst nit bedurfftig zu mherern nutz des Gotshauß mit bewilligung des Ordinarij verkhaufft, oder sonnst zu gellt gemacht, verwenndt, vnnd angelegt werden sollen.

Zum dritten das der Pfarrer, so woll auch der Messner, der schreiben vnnd lesens khundig sein sollt, alles vnnd yedes, was zu der Ehr Gottes jn solche kirchen jederzeit verehrt, geschenncklıt, vnnd aufgeopffert, also auch die wunderzaichen, so sich mit denen Personen die dise kirchen besuechen, zu dannckhparer gedechtnus dergleichen gaben, oder auch wechsine bilder, vnnd annders jn die kirchen geben, verordnen oder auf vnnd anhennckhen lassen, derselben bericht vnnd antzaigen nach zuetragen vnnd begeben fleissig vnnd aigentlich jn ain sonnders dartzue gemacht Buech zu ewiger gedechtnus · mit bestimmung des tags · Monats, vnnd Jars vertzaichnen vnnd aufschreiben sollen,

Zum vierdten, damit an vnnd in verrichtung des Gotsdienst, auch alles annders, was jme dem Pfarrer, durch ain sonndern beuelch oder Jnstruction auferlegt würdet, desto weniger manngl vnnd abganng erscheine, sonnder solchs alles mit angelegnem fleiß volltzogen werde, So sehe vnnß auch jn vnnderthenigkhait für rathsamb an, das mit bewilligung der Bäbstlichen hayllighkait, oder des Ordinarij · järlichen durch ain Prelaten, oder anndre hiertzue qualificierte Gaistliche Person, ain jeder Pfarrer, vnnd seine Gsellpriester, wie sich gebürt, ordenlich visitiert, vnnd die befundenen männgl · gebrechen, vnnd vnordnung. Es sej bej jme vnnd seinen Gsell = Priestern, oder in der Kirchen corrigiert, reformiert, gebessert vnnd abgestellt werden [1], vnnd zu sollicher visitation möchte der Kirchprobst, doch allain jn dem was das Temporal antrifft auch getzogen, vnnd von jme notturfftiger bericht genomen werden,

Wie wir dann auch zum Fünfften jn sonnderhait für ain vnuermeidliche notturfft achten, das ainem Pfarrer ernnstlich eingebunden,

[1] Sacerdotes Sefeldiae curam animarum gerentes et ad episcopum brixinensem et ad Ferdinandum II. archiducem intemperantiae, iniuriarum, morum turpium (inter a. 1570 et 1590) delatos esse narrat *Hirn* l. c. I 91.

vnnd dessen nit erlassen werde, zum wenigisten ainen gsellpriester bej sich zuhallten, damit die jhenigen Personen so von anndern ortten, zu solchem Gotshauß jre verlobte Kirchfarten verrichten, jederzeit den Gotsdienst, mit lesung vnnd anhörung der hailigen Meß, gehaben, vnnd jr andacht desto mher verrichten mügen

Vnnd wie vnnß angetzaigt, so hat ain gselbriester ain besonndere behausung, vnnd zu besserer vnnderhaltung desselbigen, hat E. F. dhc: Tyrollische Camer, dem Pfarrer ain addition oder zuepueß vorhin gegeben, welche jme aber, seyder Er khainen gselbriester gehalten, abgestrickht, vnnd nit mher geraicht wirdet,

Zum Sechsten, weill sich sonnderlich zu den hailligen fürnemen Fessten, vnnd wie wir bericht vier oder fünffmhall jm jar von allen ortten ausser vnnd jnner Lanndts vill andechtige Personen, mannlichs vnnd weyblichs geschlechts jn grosser antzall, auf das Seefeld zuerrichtung jrer andacht, vnnd voltziehung gethaner glübden, verfügen vnnd ankhomen, welche aber manngl der herbrig halber nit woll vnnderkhommen mügen, sonnder in Städlen oder Scheürn, bej nächtlicher weyl one vnnderschid vnnderainnander ligen sollen. So möchte nit vnrathsam sein, das zu verhüettung besorgender ergernuß vnnd leichtferttigkhait hierinnen mit zuerichtung ainer besonndern whonung, bej vnnd jn dem alberait vor gueter zeit angefanngten Closterbaw oder in annder weg · solchen Bilgern zu gnaden fürsehung beschehe · welchs wir nit für ain gering werckh der barmbhertzigkhait hielten, dardurch auch vmb souill desto mher frembde Personen, dises Gotshauß zubesuechen bewegt vnnd angeraizt werden möchten,

Zum Sibenden, wiewoll die Jndulgentz vnnd ablass so wie oben gemelt, von Bäbsten, Cardinäln vnnd Bischoffen, disem Gotshauß gegeben vnnd mitgethailt vor jaren vnnd derselben zeit nit für gering gehalten, sonnder mit grosser andacht angenomen worden, So möchte doch bej vnnsern zeiten, angezaigter ablass vnnd Jndulgentz, villeicht ain schlechts ansehen haben, vnnd wenig geacht werden, damit dann den Christglaubigen andechtigen Personen desto mher vrsach vnnd anraitzung gegeben, mhergemelte kirchen, vnnd das hailig bluet vilmallen zubesuechen, auch in jren zuesteenden Gaistlichen vnnd leiblichen ob vnnd anligen mherer trost, gnad vnnd hilff, von Gott dem Allmechtigen zuerlanngen, So were vnnser gehorsamist guetbedunckhen das E. F. dhc: bej der Bäbstlichen hayligkhait vermitlst derselben an jetzo alhie habenden Bäbstlichen Nuntij [1], mit jnformierung vnnd vnndterricht dises alten vnnd weytt berüempten Gotshauß, von wegen der wunderbarlichen, vnnd von souill Jaren heer daselbst erhalltnen hochwurdigen, mit dem hailigen bluet gesprenngten Hostien, vnnd mit villen für vnnd für, dardurch vnnd darbej bestettigten, bewisnen, vnnd noch täglich ertzaigenden grossen ansehlichen wunndertzaichen, her-

[1] Bartholomaei de Portia; v. supra p. 136.

khomens, gstalltsamj vnnd gelegenhait, nit allain vmb confirmierung der hieobangeregten Bäbstlichen Cardinalischen vnnd Bischofflichen Jndulgentz vnnd ablass, welche gedachtem Nuntio in originalibus woll möchten für vnnd aufgelegt werden, Sonnder auch vmb vnnd von wegen jrer Bäbstlichen Hayligkhait newer mhererer, volkhomener vnnd reichlicher ablass vnnd Jndulgentz angehalten werden, als nemblichen, das alle die jhenigen Personen, Mann vnnd weyblichs Geschlechts, so offt dieselbigen von ferrem, vnnd zum wenigisten vber ain meill wegs zu fuess auf das Seefeld zu vilgemeltem Gotshauß auß andacht geen, dieselbigen solten jedesmals, so offt Sy solche andechtige Raiß vnnd Kirchfart zu fuess verrichten, auch Rew vnnd Laydt vber jre Sündt haben, vnnd vor angeregtem hochwürdigen Sacrament mit andacht vnnd auf jren Khnien zum wenigisten fünff vatter vnnser, sambt fünff Aue Maria, in die hailigen fünff wunden Christj Jhesu vnnsers hayllanndts, betten, ainthausent Jar wharer apostolischer Jndulgentz vnnd ablass haben,

Die jhenigen aber, die vber angeregten Kirchganng vnnd gebett, noch dartzue jr Steur, Hilff vnnd Allmuesen, zu vnnderhalltung der kirchen raichen vnnd geben wurden, oder die So armuet vnnd vnuermügens halber, solchs nit vermöchten, darfür vor mhergemeltem hochwurdigen Sacrament, für alles ob vnnd anligen, der wharen Catholischen Christenlichen Kirchen ainen Rosenkranntz abermals mit andacht vnnd khnienndt betten wurden, die sollen dopplten, das ist zwaythausent Jar ablass vnnd Jndulgentz haben, Welliche aber noch darüber mit vorgeender Rew vnnd Laydt jre Sünden daselbst Gott vnnd dem Priester beichten, vnnd sich absoluiern lassen, auch darauf communiciern, die sollen dreymhall souill das ist 3000 · Jar Jndulgentz vnnd ablass haben [1],

Das alles solte von den jhenigen, die jm jar ausserhalb hernachbemelten Festen, sonnsten jrer glegenhait nach obgemelter massen die Kirchfart vnnd andacht volbringen, verstannden werden, Welche aber zu ettlichen fürnemen, hailigen Festen, als nemblichen auf den dritten Oster oder Pfingst Feyrtag, jtem auf den hailigen Fronleichnamstag, oder in desselben octaua, also auch auf den tag der kirchweyhe, oder an Sannt Osswald als desselbigen Gotshauß Patron tag [2], dasselbig Gotshauß vber ain meyll zu fuess geendt besuechen, vnnd fünff vatter vnnser, vnnd funff Ave Maria da betten, beichten, vnnd communiciern, dieselbigen sollten, durch den Pfarrer oder anndere Priester, die alssdann mit seim vorwissen vnnd willen daselbst beicht hören, von allen jren gaistlichen verhaissung vnnd glübden allain

---

[1] Vide de his 1000—3000 annorum indulgentiis, quae sub ipsas has litteras dicentur.

[2] S. Oswaldi regis Northumbriae et martyris († 642) memoria potissimum 5. Augusti (alicubi 7. vel 9. Augusti) agitur.

die zway Vota Religionis et Castitatis aussgenomen [1], auch von allen jren Sünden vnnd lastern ob es gleichwoll fäall weren, die sonnsten allain dem Babstlichen Apostolischen Römischen Stuel vorbehalten seyen, absoluiert, vnnd entlediget werden,

Jetzgemelter besonnnder Ablass vnnd Jndulgentz, von verdienten Schulden vnnd Pein, sollten auch thailhafftig sein, die so auf den tag, da das offtgedacht hochwurdig Sacrament, von vnnd auß dem jetzigen alten ortt, da es biß hieher in verwarung gestannden, jn die newe erbawende Furstliche Capell, mit gebürender Solennitet verruckht vnnd transferiert würdet darbej andechtigkhlich erscheinen,

Welche aber obligender Leibsschwachhait, oder Alters halben solche Rayß, vnnd Kirchfart auf das Seefeldt zuuerrichten verhinndert wurden. aber doch anndere Christliche Personen von jrentwegen dahin verordnen vnnd schickhen, also auch die jhenigen, welche mhergedachtem Gotshauß jn jrem letsten willen was verschaffen oder legieren wurden, dieselbigen sollten jn obberüertem volkhomnem ablass vnnd Jndulgentien nit weniger begriffen sein, vnnd sich derselben zuerfrewen vnnd zugetrösten haben, als wann Sy selbs aigner Person, alles wie obsteet voltzogen, vnnd aussgericht hetten.

Damit auch menigklich obgehörter gnadenraicher newer, gegebner, apostolischer Jndulgentz vnnd ablass wissen empfachen vnnd haben möchte. So sollten dieselbigen ablass vnnd Jndulgentien nit allain auf dem Seefeld, sonnder auch durch das ganntz Lanndt diser Frl: Grafschafft Tyroll bej den Pfarrkirchen, auf den Canntzlen, durch die Pfarrer, Seelsorger, vnnd Prediger mit Christenlicher vermanung, sich dartzue geschickht vnnd empfenngklich zumachen, offenlich verkhündt, vnnd publiciert werden,

Es solte auch ain jeder Pfarrer auf dem Seefeld allen müglichen fleiss ankheren, damit zu aussthaillung aines solchen theuren Schatz der hailigen Jndulgentz vnnd ablass, auf obermelte sonndere Fesst vnnd täg, gelerte, geschickhte, vnnd taugenliche Beichtvätter alda bej der kirchen befunnden werden, vnnd auf das der Gotsdienst, auf dieselbigen täg vnnd zeiten mit mherer jnnbrunstiger Christenlicher andacht gehalten vnnd bsuecht wurde, So solle der Pfarrer schuldig sein, mit dem geleütt, gsanng, auch zierung der altar vnnd kirchen, auch anndern zu der andacht anraitzenden Ceremonien vnnd Solenniteten zu den Vespern, vnnd den Göttlichen Ämptern gebürende vnnd fleissige bestellung vnnd verordnung zethuen,

Diss vnnd dergleichen so zu dem dienst vnnd Ehr Gottes gehörig, vnnd durch den Pfarrer vnnd seine Gsellpriester obgehörter maß vnnd zeiten verricht werden sollte, möchten durch den Prelaten, oder die jhenige gaistliche Person, dero die järliche Visitation beuolhen würdet,

[1] Vota ingrediendi in ordinem religiosum et servandi perpetuo castitatem perfectam.

jn ain sonnder Jnstruction oder vergriff gestellt vnnd verfasst, vnnd damit demselben allen, durch den Pfarrer vnnd seine Caplän, gehorsamblichen glebt vnnd nachkhomen wurde, zu der järlichen visitation zeit fleissige nachfrag, vnnd erkhundigung gehalten, auch jn sonnderhait ain guetes aufmerckhen gehabt, damit alle vnnd jede kirchen zierd vnnd ornat gebürender massen verwarlich gehallten vnnd versorgt, auch alle dinng, andechtigklich, zierlich, vnnd ordenlich, sowoll von dem Pfarrern vnnd seinen Caplänen, also auch dem Messner gehanndlt vnnd verricht werden,

Von wegen des newen gepawen der Capell, darein offtermellt hochwurdig Sacrament transferiert werden soll, Dieweil wir denselbigen recht zu besichtigen diser zeit nit dartzue khomen khünden, wir auch one das der gepew vnuerstendig sein, wissen E. F. dhc: wir khain bedennckhen antzutzaigen, an dem will aber nit wenig gelegen sein, das derselbig also angericht werde, damit die jhenigen, so das haylig bluet etwan jn grosser mennge besuechen, dasselbig mit andacht sehen, vnnd anpetten mögen[1].

Vnnser vnnderthenigist guet bedunckhen were auch das für die kranncken, oder auch anndere Communicanten, das hochwurdig Sacrament des Altars, nit wie bissanher, jn der Capell, vnnd an dem ortt, da die Monstrantz mit der hayligen Hostia verschlossen gehallten, Sonnder das zu gebürlicher verwarung desselbigen, wie jn, vnnd bey allen anndern Pfarrkirchen gebreüchig, ain Sacrament Heüsslin[2], jn dem Chor gemacht, vnnd zuegericht, dabej auch ain ewiges liecht erhallten werden sollte, vor welchem dann die Pfarrkhinnder, wie auch die frembden, so dahin von wegen besuechung des hailigen bluets khumen, jedertzeit mit gebognen khnien, jr gebett vnnd andacht zuuerrichten hetten,

Souill die Sacristej berüert, halten wir darfür das dieselb zu erhaltung der kirchen manicherllay vorraths, Messgewanndt, ornat, vnnd Büecher nit sonnders bequem, sonnder gar zu feücht vnnd töblich[3] seye, möchte derhalben villeicht herniden bej dem Tauffstain, vill ain glegenlicher vnnd lüfftiger zuegericht vnnd erbawt, auch dartzue ain thaill von dem newen Closterpaw gebraucht werden,

---

[1] *Sixtus IV.* in litteris indulgentiarum 20. Novembris 1472 datis sacramentum hoc esse dicit, „sicut accepimus, per octuaginta annos non sine miraculi specie integraliter conservatum, et ut pie credere fas est, pro orthodoxe fidei exaltatione quibusdam guttis sanguinis mirabiliter respersum" (*Tinkhauser* l. c. III 122).

[2] De his domunculis v. *Can.* I 11[14]. Anno 1577 (vel 1567: cf. infra, ep. 1874) visitatores ecclesiastici parocho praeceperunt, „quod in posterum non retineatur venerabile Sacramentum in armario sacrarii, sed praeparetur ei in ecclesia locus conspicuus, ut a Christifidelibus adorari et debitus honor exhiberi possit". Sacra hostia miraculis celebris a. 1576 in altari sacelli a Ferdinando II. exstructi reposita est (*Tinkhauser* l. c. III 105).

[3] „Tobeln, töbeln (tébln), nach eingeschlossener, dumpfer, feuchter Luft riechen, dadurch verderben": *I. A. Schmeller,* Bayerisches Wörterbuch, 2. Aufl., bearbeitet von *G. K. Frommann,* I, München 1872, 581.

Das alles haben E. F. dhc: wir zu referieren, vnnd für vnnser gehorsamist bedennckhen antzutzaigen, jn demüettigister vnnd schuldiger vnnderthenigkheit nit verhallten sollen, Jedoch steet solches alles zu E. F. dhc: (· dero wir vnnß zu gnaden in demuettigister, vnnd vnnderthenigister gehorsame beuelhen ·) gnedigistem willen vnnd wollgefallen,

Vnnser, vnnd mit der fuher auf dem Seefeld aufgewenndte Zerung, hat auf E. F. dhc: Camer Räthe beuelch, obgenannter Ganndtner betzalt, Datum auf dem Seefeld den 18.ten Januarij, Anno 1574.

E. F. dhc:

Demüetigiste gehorsamiste
vnnd vnndterthenigiste
Caplan vnnd diener,

Christoph Klöckler D.
Cancellarius Tirolensis.
Petrus Canisius
Theologus Societatis Jesu mppr.

An die Frl: dhc: Ertzhertzog Ferdinandj zu Osterreich etc. vnnsern gnedigisten Herrn ·

Inscriptioni alia quadam manu eiusdem temporis ascriptum est: „Zu Hannden Jrer F. Dl. gehaymen Rats vnnd Obristen Hof Canntzlers. Herrn Johann Freyhern zu Schneberg etc."

Notatu dignum est, Canisium (cum Klöcklero) in his litteris Ferdinando II. archiduci commendare, ut a pontifice pro sacra aede sefeldiana indulgentias 1000, 2000, 3000 annorum petat. Fortasse Canisius Romae inscriptionem legerat in porticu ecclesiae S. Eusebii positam, qua significabatur, eos, qui diebus quibusdam ad eam ecclesiam venturi essent, indulgentiam 1000 annorum et 120 dierum consecuturos esse (inscriptionem posuit *Al.-M. Lépicier* O. Serv. M., Les Indulgences II, Paris 1903, 188—189). Atque basilicae lateranensi iam a S. Silvestro I. (314—325) in certos dies indulgentias annorum 1000 pro Romanis eorumque vicinis, 2000 pro Thuscis et Lombardis, 3000 pro iis, qui „maria transmearent", concessas esse ferebant (*Ioannis Diaconi* liber de Ecclesia Lateranensi, in [*Io. Mabillonii* O. S. B.] „Musei Italici" Tomo II, Luteciae Parisiorum 1689, 562—563; de indulgentia quadam 1000 annorum v. *P. Fr. Kehr,* Regesta Pontificum Romanorum: Italia pontificia I, Berolini 1906, 86); ac saeculis XV. et XVI. indiculi indulgentiarum huius generis (1000—12 000, immo et 100 000 annorum), quibus ecclesiae quaedam romanae instructae essent, in Germania quoque excudebantur (*N. Paulus* in „Historisch-politische Blätter" CLV 316—325).

Cum autem omnes complurium milium annorum indulgentias confictas esse censeant multi theologi, velut Ioannes Gerson, Dominicus a Soto, Theodorus a Spiritu Sancto, Benedictus XIV. etc. (*Theodorus a Spiritu Sancto* O. Carm. Exc., Tractatus dogmatico-moralis de Indulgentiis II, Romae 1743, 246—247; *Benedictus* XIV., De synodo dioecesana l. 13, c. 18, n. 8, [II, Ferrariae 1760, 409—410]), alii aliquas eius generis indulgentias revera concessas esse existimant (cf. *Lépicier* l. c. II 187 190); et cardinalis *Robertus Bellarminus* S. J. hoc quidem fatetur: Pontifices indulgentias concedere non solebant nisi tot annorum, quot annorum poenitentiae iniungebantur; quae summum in totam vitam (quae numerum 100 annorum vix umquam excedit) iniungebantur; attamen simul monet: „Non videtur negandum, posse aliquos reos fieri poenitentiae agendae secundum Canones, per spatium aliquot millium annorum": De Indulgentiis, et Iubileo l. 1, c. 9 (Coloniae 1600, p. 55—56). Ceteroquin

notum est, Leonem XIII. a. 1898 omnes 1000 et plurium annorum indulgentias irritas esse iussisse; cf. tamen *Hilgers,* Lehre von den Ablässen 30; *Beringer-Hilgers,* Die Ablässe I [14], 30 153.

Ferdinandus II. ad has litteras 5. Februarii 1574 per regimen Austriae superioris respondit.

1868. CHRISTOPHORUS PLANTINUS Philippi II. regis Hispaniae architypographus CANISIO. Antverpia 23. Ianuarii 1574.

Ex commentario manu ipsius Plantini scripto et emendato. Cod. antverp. „Briev.“ f. 82[a].

De „figuris“ in Canisii „Institutionibus et Exercitamentis“ ponendis earumque inscriptionibus etc. De imagine SS. Trinitatis.

Jgnoscat quaeso mihi vestra pietas eximia quod prius non miserim hunc fasciculum neque eius litteris 21 superioris mensis Oeniponti datis[a]. Jllum namque cum ego a R. P. Harlemio[1] eodem ipso die recepissem quo easdem litteras existimaui me posse eadem opera et dictum fasciculum et responsum de Jconibus[2] mittere. Et quoniam intererant adhuc tres dies antequam hinc solueret Posta sperauj me posse mittere exemplum ipsum dispositionis Jconum ad dictum D. Harlemium et ab eo responsum etiam habere satis mature antequam discederet nuntius. Sed frustratus sum mea spe non semel tum propter nuntij Louaniensis tarditatem aut negligentiam tum propter varias alias causas quae interea nobis obuenerunt. Vnde maxime doluj et doleo me vel horulam[b] expectasse quin ilico miserim dictum fasciculum et responsum meum id quod nunc tandem facio: Placent R. P. Domino Harlemio et mihi superscriptiones et subscriptiones imaginum quas misisti: neque solum vsui erunt libro R. P. V. sed et separatim poterunt edi. Proinde rogo et obsecro vt eas omnes figuras quas iudicabis fore vtiles ad excitandam pietatem, et deuotionem, et recordationem beneficiorum diuinorum nobis praescribere digneris vna cum suis ad hunc iam inchoatum modum suprascriptionibus et subscriptionibus neque est quod verearis sumptus nos facturos in pictore vel sculptore. Libenter namque paullatim quicquid potero et quo ad vixero in gratiam religionis Christianae praestare conabor. Neque vt spero deerit nobis nostra merces et sempiterna retributio.

R. P. Harlemius monuit me in Jmagine S. Trinitatis depingenda opus esse non mediocri propensione[c] ne secus quam deceat pingatur. Ego vero ab illo rogaui vt consilio suo et aliorum piorum virorum in hac describenda nos iuuaret. Ego vestram quoque sententiam de ea libentissime expectabo ne quid fiat (vt saepissime audio factum)

a) *Supplendum esse videtur:* responderim. b) *Sic Plant. ipse correxit ex* me tamdiu. c) *Sic; primum Plant. scribere voluerat:* cogitatione.

[1] De P. Ioanne Wilhelmi Harlemio S. J. collegii lovaniensis sodali v. supra p. 19.

[2] Hi in nova editione libri canisiani „Institutiones et Exercitamenta Christianae Pietatis“ inscripti a Plantino ponendi erant; cf. supra p. 30 111—112.

praeter decorum. Dominus JESVS vestram eximiam pietatem nobis diu conseruet incolumem. Antuerpiae 23. Januarij 1574.

Reuerendo admodum in Christo P. Domino Petro Canisio[a].

1869. PP. PETRUS CANISIUS et ALPHONSUS PISANUS, S. J., **EVERARDO MERCURIANO** praeposito generali Societatis Iesu.

Oeniponte sub 26. Ianuarii 1574.

Ex archetypo manu P. Antonii Guisani S. J. contionatoris oenipontani (cf. supra p. 130) scripto (2°; 4 pp.). Germ. 135 f. 156[a]—157[b]. Eo usus est *Sacchinus*, Hist. IV, l. 1, n. 82 83.

Praefatio editoris: Ioannes Nas sive Nasus (1534—1590) ex oppido Eltmann (nunc procinciae Franconiae inferioris regni bavarici) ortus, arte sartor, cum hac et illac peregrinando opificibus operam praeberet, a fide catholica defecit, sed aliquanto post ad eam rediit. Postea Monachii a Franciscanis de Observantia primum numero fratrum laicorum ascriptus, dein ad litterarum studia admissus est (*J. B. Schöpf* O. Min., Johannes Nasus, Bozen 1860, 5—11; *Parth. Minges* O. F. M, Geschichte der Franziskaner in Bayern, München 1896, 91—93). Anno 1559 Ingolstadii in album universitatis est relatus (*Val. Rotmarus*, Annales Ingolstadiensis Academiae. Ingolstadii 1580, f. 128[b]). Contionator constitutus, Ingolstadii, Ulmae, Straubingae, Monachii, alibi magnam apud auditores gratiam iniit multumque utilitatis iis attulit: eloquens enim, acutus, facetus, impiger erat et orationem ad populi captum ingeniumque accommodabat. Scribendo quoque valebat; et cum ministri contionatoresque protestantium catholicos libris conviciorum et calumniarum plenis impeterent, Nasus, coactus, ut ipse ait, ad oves defendendas et lupos repellendos, ab a. 1565 6 „Centurias" et alios libros germanicos edendo acerrimum contra Lutherum, Heshusium, Gallum, Rauscherum, alios multos gessit bellum, ea haud ita raro utens sermonis acerbitate ac rusticitate, qua adversarios non aequabat quidem, sed aliqua tamen ratione imitabatur (*Janssen* l. c. V [1—12] 365—377). Interea ab ordine Minorum guardianus ingolstadiensis et commissarius per Germaniam generalis factus et a. 1571 Romam ad capitulum generale evocatus est (*Schöpf* l. c. 38 40). Romae Sanctus Pius V. singularem ei benevolentiam declaravit; quare cardinalis Otto Truchsess Roma 9. Iunii 1571 Alberto V. Bavariae duci *scripsit: „Es hatt die Bapst: Hayligkhait den frommen P. Johannem Nasum gern gehöret, ime vatterlich zu gesprochen och E. L. halb angeredt . . . Er hatt gar gutte facultates ad absoluendum etc. erhalten, jst fir war ain waydlicher Mann" (ex autogr.; Monachii in archivo regni bavarici, „Hochstift Augsburg 4. S. II, n. 92" f. 448[a]). Rediens eodem anno in Germaniam, Brixinae ad munus contionatoris in ecclesia cathedrali obeundum a canonicis adductus est; cum autem vere anni 1573 Canisius Romam venire a Gregorio XIII. iussus iam non posset Oeniponte ad Ferdinandum II. archiducem dicere, Nasus contiones illas (quae in ecclesia S. Crucis monasterio Franciscanorum coniuncta habebantur) suscepit et a principe contionatoris archiducalis nomine ornatus est; in quo officio eum Ferdinandus etiam, cum Canisius Oenipontem redisset, permanere voluit (*Hirn* l. c. I 249—255; supra p. 130). Minus tamen bene, quam cum archiduce, Naso conveniebat cum viris religiosis urbis oenipontanae. Adversabantur ei Franciscani itali, qui monasterium S. Crucis tenebant (*Hirn* l. c. I 250), querebantur Societatis homines, se cum animorum fidelium offensione a Naso ex ipso sacro suggestu plus minus aperte perstringi et sugillari, atque eundem interdum alia quoque, cum contionaretur, parum caute prudenterque proferre. Quibus querelis Romam usque perlatis, *Bartholomaeus de Portia* nuntius apostolicus malo remedia afferre iussus est (*Schellhass*, Nunt. III 24). Is itaque Oeniponte 28. Iulii 1573 Romam ad Ptolemaeum cardinalem Comensem haec de Naso rettulit: „Come huomo tanto

a) *Pl. hanc inscriptionem in capite commentarii posuit.*

dechiarato contra gl' heretici, et c' ha infinito concorso et credito, sì che fa frutto notabile, pare, che si debba, quanto si può, conseruar', procurando, di comprimer' con gentil maniera quello ferreo et uiuacissimo spirito: il che conoscono et ricordano, che si faccia, la Serenissima Regina Maddalena, et i medesimi padri Giesuiti, con i quali ho lungamente discorso" ; constat autem aliunde, Portiam cum nullo Sociorum magis quam cum Canisio consilia conferre consuevisse (cf. supra p. 137 141). Deinde *Portia* haec de Naso addit: I padri Giesuiti „non restano pienamente sodisfatti delle sue frasi, quasi che con soverchia, licentia et mordacità et parli, et scriva . . . essendo peccato solo d' imprudenza, come mostrano di creder', pare, che possi bastar' l' admonitione, che douerà hauer' forza, di far desister' dalle punture de' pulpiti, dubitando io, che la stretta, et charitateuole unione non segua, poiche i primi dispareri nascono da cose, che tuttauia stanno in piede, come à dir', della predica, che tiene qui il Nas, ch' era prima de' padri Giesuiti: da certa dimanda d' un giardino posseduto da padri Franciscani in Inglostad, uniuersità del signor Duca di Baviera, che i padri sodetti fecero à quel Prencipe, et da certe stanze di questo Conuento, consignate al Collegio de Giesuiti, le quali hor in uno, hor in un' altro luoco hanno tentato, et questi, et quelli d' occupare". Portia ergo Nasum clementer monuit: „et perche egli, difendendosi con impeto, conforme al genio suo, mi uoleua mostrar che non li mancaua causa, di lamentarsi di loro come quelli, c' haueano cercato, di leuarlo dal pulpito d' Inglostad, et da questo con molte cose poco degne d' esser' scritte, che gl' erano state riferte, et all' opposito non hauerli mai risposto nè in offesa, nè in intentione, d' offenderli", nuntius iterum graviter eum hortatus est; „à questo rispose, che se gl' hauea ingiuriati in priuato ò in publico, era per dimandarli parimenti perdono" ; in sacro quoque suggestu se linguae moderatarum promisit (ex Portiae litteris archetypis; Cod. rom. „Germ. Vol. 80" I p. 22—25; etiam, ex iisdem litteris, apud *Theiner*, Annales I in a. 1574 p. 514—518, et apud *Schellhass* l. c. III 47—50). Neque vero diu Nasus promissis stetit. Nam Hala 11. Ianuarii 1574 P. *Alphonsus Pisanus* Mercuriano praeposito generali de eo *scripsit: Erat „olim paruo tempore discipulus lectionum nostrarum theologicarum Jngolstadij . . ." Est „affectus aliquibus beneficijs a Societate nostra, sed offensus nostris, partim propter leues et insufficientes causas, partim potissimum propter suspiciones suas, et malorum hominum apud eum detractiones de Societate, partim ex jnuidia, (ut putatur) erga Patres Societatis . . . is jam vltra decem forsan annos, a tempore fere, quo coepit concionari, concionatur contra Societatem, in varijs locis Germaniae. Societas vero silentio, patientia et beneficijs hactenus conata est ipsum emollire, ille autem quotidie audacior euadit, et indies euasurus videtur. . . . Nunc plane judicatur non esse dissimulandum. Agitur enim de graui quodam schismate. Haeresin non audeo dicere. Concionatur interdum haeretica, id tamen magis videtur facere ex jgnorantia, quam ex haeresi, ni fallor . . . nulla est domus OEniponti, in qua non fiat sermo passim, alijs dicentibus contra monachum, alijs contra Jesuitas, vtrinque contra Ecclesiae ministros, ita scandalizatur, et scinditur populus . . . Legatus cogitat de prohibendis illi concionibus. . . . Cogitauimus ut paretur Scriptum, in quo describantur hec scandala, quod jam fere paratum est, illud Scriptum cuperem ego videri a R. P. Prouinciali, a Reuerendissimo Legato, a P. Vestra, et a Sua Sanctitate, et ab ijs, quos ipsi judicarent" (ex autogr.; Germ. 135 n. 179). De eodem scripto *Hoffaeus* provincialis Oeniponte 26. Ianuarii 1574 Mercurianum *monuit: Nostrj me huc euocarunt, vt coram considerarem, quid agendum esset in Tragica illa Nasiana causa, quae semper proficit in peius, de qua hic mitto instructionem a P. Canisio et P. Pisano (quorum sequor consilia) confectam" (ex autogr.; Germ. 134 f. 155). Vide etiam *Bernh. Duhr* S. J., Die Jesuiten an den deutschen Fürstenhöfen des 16. Jahrhunderts, Freiburg i. Br. 1901, 90—91.

Ioannis Nasi contionatoris aulici eruditio, indoles, loquendi scribendique ratio. Cur Sociis parum amicum se praebeat. Quae incommoda inde oriantur. Eius doctrinae quaedam et de Sociis dicta.

†

Jnstructio de tragoedia quadam Oeniponti excitata.

Author huius tragoediae dicitur F. Joannes Nasus, ordinis S. Francisci de obseruantia, qui superioribus annis in Bauaria uixit, homo in artibus et Philosophia parum uersatus, et Latinae linguae uix peritus, ingenio ardens ac uehemens, ualde irritabilis, ad contentiones natura propensus, satis etiam praesumptuosus atque ceruicosus, ut alijs non facile cedat: et nec sibi quidem constat in his quae docet et affirmat. Placent interim uulgo eius conciones et scripta, praesertim ob admixtam singularem dicacitatem, et quoniam salibus et iocis abundat: in quibus aliquando non cauet obscoenitatem, sibique permittit plurimum. Prudentes uero hoc mordax et scurrile dicendi scribendique genus in eo reprehendunt, uelut haec petulantia non congruat religioso[1]. Plaerique mirantur homini frenum non inijci, qui tam libere et illoto uelut ore profundat soepe illa, quae destruunt, non aedificant audientes, praesertim Oeniponti, ubi ex potioribus multos sibi fauentes et patrocinantes habere dicitur. Monuit illum interim Nuncius Apostolicus[2], monuerunt Domini Brixinenses, Consiliarij quoque Bauarici, et qui Oeniponti dicuntur Domini de regimine, qui scriptum obtulerunt Principi, ne sineretur hic frater tam licenter abuti munere concionandi, sed ut ad modestiam loco et tempori necessariam reuocaretur[3]. Jlle uero, a multis soepe monitus, adeo non se corrigit, ut etiam audacior et amarulentior fieri uideatur, sicut ex posterioribus concionibus colligere licet. Jactat interim hoc sibi priuilegium Romae datum esse, quod dicatur et sit concionator Apostolicus, quibusdam etiam facultatibus instructus et munitus[4].

De causa, principio et progressu
huius tragoediae.

Coepit hic frater primum Jngolstadij contra Societatem Jesu insurgere illamque tum libris editis, tum concionibus publice insectari. Jdem postea fecit Monachij ex odio fortasse et inuidia, cum uideret suum ordinem passim collabi, et hoc nouum Societatis institutum apud Germanos in scholis et templis non infelices habere progressus. Vidit et Oeniponti Societatis huius homines in pretio haberi, eorumque authoritatem, tum apud Principem et eius consiliarios, tum apud alios non parum ualere. Praeterea inuenit Oeniponti quosdam in eandem Socie-

---

[1] „Mordax“ illud scribendi contra protestantes genus singulariter displicebat Canisio; v. *Can.* II 72—77; VI 337. Qui aliquando quidem „Centuriam tertiam Nasi de corruptis Lutheri biblijs“ lutheranae cuidam mulieri dari debere censuit (*Can.* VI 351); sed postea Nasi libros (aliquos, puto) in collegiis aliquot Societatis „includendos“, ne facile a quibusvis legi possent, curavit; v. infra, monum. 1219. Ceterum perperam Nasus vocatur „ennemi secret de l'Église romaine“ apud *Daurignac* l. c. 331—332; ubi etiam plura de eo parum recte dicuntur.

[2] Hieronymus de Portia. [3] Vide *Hirn* l. c. I 255.

[4] Utrumque vere et recte dicebat (*Schöpf* l. c. 38; cf. supra p. 170).

tatem male animatos: uel quod Patrum horum operam in fide propugnanda[a] [?], et praesertim ad haereticos ex Comitatu Tyrolensi eijciendos conferre dolerent, uel quod illi frequentem usum Sacramentorum et Christianae pietatis exercitia singulari studio in suis concionibus commendarent. Conatus est igitur frater, ut antea soepe, ita nunc etiam Oeniponti dictae Societatis honorem et exercitia extenuare, et illorum hominum sibi gratiam simul conciliare, qui de Societatis Patribus male sentiebant, uel blandius aliquod docendi genus desiderabant. Tales autem et alios infirmos, imo et haereticos hic frater commouit suis concionibus, ut non solum ipsi, sed etiam plaerique plaebaei, a dicta Societate magis ac magis alienentur, et quasi delectentur his turbis, magnisque rumoribus, qui ob has Nasi conciones longe lateque ad Jtaliam et Bohemiam usque sparguntur. Vnde illud etiam consequitur, ut numerus illorum imminuatur, qui antea solebant Societatis conciones audire, et Sacramenta Oeniponti frequentare, illorumque Patrum uti ministerijs, a quorum consuetudine non parum se alienatos esse declarant. Nec solum Jesuitae, quos uocant, pro uulgi fabula coeperunt haberi, sed et multi in fide perplexi redduntur, ut se nescire dicant quid credant, pij uero anguntur et tristem huius tragoediae finem expectant, totumque oppidum perturbatur et Nasaeistis impletur. Jnterim haeretici erigunt cristas, nec obscure gloriantur, Catholicis obijcientes, quod inter ipsos factiones ac sectae uigeant, quia Franciscani cum Jesuitis dissideant in doctrina religionis.

Quod ad fratris huius doctrinam suspectam attinet, siue per ignorantiam, siue ob lectionem haereticorum, siue ex contentionis studio et linguae petulantia in loquendo peccat, inter alia quidem dissuadere populo conatur frequentem usum confitendi et communicandi[1]. Jd uero ab initio facere coepit sub praetextu abusuum, quos ex parte Confessariorum et aliorum frequenter communicantium in medium odiose produxit, et supra modum exaggerauit. Jnsinuat peccata uenialia non esse confitenda, nisi sint homines Ecclesiastici. Dicit a se non haberi bonos et pios, qui hebdomadatim peccata sua confitentur, quoniam de Dei bonitate diffidant. Docet haereticos non leuiter damnandos et excludendos, sed humaniter cum illis agendum esse: quasi magistratus in haereticis coercendis nimium hodie faciat. Non raro admiscet suis concionibus phrases haereticorum, praesertim loquens de fide et libero

a) *Sic; sed propter ea, quae sequuntur, corrigendum esse opinor:* ad fidem propagandam*: nisi forte post* propugnanda *aliquid omissum est.*

---

[1] *Nasus* ipse Oeniponte 30. Ianuarii 1573 Melchiori de Fabri (*Hirn* l. c. I 235[1]) parocho clusano (Klausen) et Sociorum fautori scripserat: Nequaquam se dicere, „offt beichten sei nit guet"; falsissime eum rumorem de se spargi (*Jul. Jung,* Zur Geschichte der Gegenreformation in Tirol, Innsbruck 1874, 17—18). Sed Portia quoque sex post mensibus Nasum monuit, multorum animos offensos esse eo, quod confessionis communionisque frequentiam haud ita commendasset, ut commendari debuissent (*Schellhass,* Nunt. III 49).

arbitrio, alijsque materijs hoc tempore controuersis. Dicit quod opera bona disponant tantum hominem, sed non mereantur uitam aeternam. Asserit non leuiter etiam iudicandos et puniendos, qui prohibito tempore contra legem Ecclesiasticam carnibus uescuntur. Vult tolerabilius esse die festo Missam intermitti quam concionem. Exaggerat hominum infirmitatem, consolatur libenter peccatores, impugnat soepe hypocritas et sanctimoniam externam. Tuetur communem contractum usurariorum, quasi cuilibet liceat a quolibet quinque pro centum ratione mutui accipere. Prouocat ad iudicium populi: multaque alia haereticis usitata suis adiungit concionibus, quae auditoribus non possunt non esse grata hoc tempore Vnde multi suspectae et nouae doctrinae homines ad illum audiendum confluunt, qui et fatentur se non optare alium si possent Lutheranum audire doctorem: cum ille ex Coruini Spangenbergij et aliorum haereticorum postillis [1] suas conciones depromere uideatur.

Vt uero clarios constet quomodo se gerat hic frater cum Patribus Societatis Jesu, notandum est in primis, quod ab ijsdem nulla in re sit hucusque laesus, imo etiam beneficijs affectus, cum illorum antea discipulus fuerit in schola Jngolstadiana. Praeterea dicti Patres in suis concionibus toto anno et diutius cauerunt, ut licet ab illo soepe oppugnarentur et in uulgi odium pertraherentur, nihil tamen ad sui defensionem et illius iniuriam adferrent. Sed et Rector Collegij Oenipontani [2] aliquoties hunc Fratrem inuisit, humanissime cum illo tractauit, de praesentibus scandalis et incommodis cauendis amice monuit, multisque modis illum studuit Societati conciliare. Nihilominus ille priorem amarulentiam prae se ferre pergit, et multis conuitijs Societatem aspergit [3], ac eius existimationem uelut apertus hostis labefactare, horumque Patrum institutum exagitare contendit. Obijcit illis studium artium et Philosophiae quod in scholis profitentur, taxat aedificia Collegiorum, uelut nimium sumptuosa et illustria, dicit Germaniae salutem a magnis Collegijs et scholis non pendere, Christum et Apostolos homines fuisse sine literis, S Franciscum parum literaturae et doctrinae tribuisse, simplicitatis autem studio excelluisse. Oppugnat priuilegia Societatis, quae Parochis et secularibus sacerdotibus odiosa reddere conatur, praesertim circa usum Sacramentorum. Eo produxit populum ut intelligant omnes ad Societatem referri, quod contra hypocritas et templa angularia solet adferre, quodque proponit de pseudoprophetis in Christi nomine uenturis [4], siue sint albi, ut loquitur, siue nigri ordinis aut Societatis. Praemonuerat auditores se palam dicturum, quosnam peteret et oppugnaret. Tandem in Circumcisionis Domini die [5] sic Jesuitas perstrinxit, ut sentirent omnes ad Societatem frequentes eius

[1] De postillis Antonii Corvini (Rabe, Rabener), Ioannis Spangenberg, Cyriaci Spangenberg v. *Can.* IV 672 [7]. [2] P. Wendelinus Völck.

[3] In litteris ad Melchiorem de Fabri datis Societatem Iesu „sectam", Socios „Heuchler", „diekische Füchslein", „Luziferische geister" vocavit (*Jung* l. c. 11—24).

[4] Cf. Mt 24, 5 11 24; 1 Io 4, 1. [5] Kalendis Ianuariis a. 1574.

inuectiuas pertinere. Ac breuiter occasionem omnem captare uidetur, ut suos auditores contra Societatem eandem concitet et inflammet. Vnde nomen Jesuitarum quod usurpant germani nuper ualde proscidit, sumpta occasione a Jesu nomine, dicens in frequentissima concione hoc nomen Christianis nullis conuenire, quia nomen esset diuinitatis proprium, et Saluatorem significare, ideoque cauendum esse, ne homines se saluatores facere uideantur. Praeterea hoc nomen longe sublimius esse quam dei nomen cum in se Trinitatem et Christi personam ac incarnationem contineat. Hinc a Paulo dici nomen hoc esse super omne nomen[1]. Taxauit ergo eos qui hoc Jesu nomen sibi usurpant, uel illo parsim utuntur in libris, parietibus, ianuis et uexillis, cum sint alioquin intus daemones, raro autem et reuerenter et in summis periculis hoc nomen assumendum esse: et Judaeos quidem maiore reuerentia prosecutos fuisse nomen Josua, sic enim dixit pro Jehoua. Sed et S. Bernardino uetitum fuisse dixit a Pon. Max. ne Jesu imagine uteretur in concionibus ob reuerentiam, cum tamen contrarium probari facile possit[2]. Si nemo potest dicere, inquit, dominus Jesus nisi in Spiritu s.[3] peccant, qui passim illud usurpant. Demum indicauit proprium esse pseudoprophetarum et praecursorum Antichristi, ut hoc sibi nomen imponant et tribuant dicente Domino, Multi uenient in nomine meo[4], ut reliqua praetereantur.

---

[1] Phil 2, 9.

[2] S. Bernardinus Senensis (1380—1444), insigne illud ordinis Minorum decus, nomen Iesu in tabella vel tela aureis litteris exaratum et solis radiis cinctum e sacro suggestu populo cotidie ostendere eiusque cultum commendare solebat. Cum autem illam ob causam Bernardinus ab adversariis de haeresi et idololatria accusatus esset, Martinus V. a. 1420 tabella illa eum interdixit. At postquam Bernardinus, adiuvante Sancto Ioanne Capistrano, Romae egregie se purgavit, Martinus eius in cultu nominis Iesu propagando diligentiam magnopere probavit; ac cum sub Eugenio IV. iterum Bernardinus accusatus esset, ille litteris apostolicis 7. Ianuarii 1432 datis eum omni suspicione liberavit eiusque agendi rationes magnopere laudavit; ex quo tempore et simulacra nominis Iesu, et reliquus huius nominis cultus magis magisque in ecclesia propagata sunt (*Luc. Waddingus* O. F. M., Annales Minorum X², Romae 1734, in a. 1420 n. 2 3; in a. 1432 n. 2—5; Vita Bernardini a *Franciscano* quodam ei aequali et familiari conscripta, in *Analectis Bollandianis* XXV, Bruxellis 1906, 317—323 328—330; Der heilige Bernardin von Siena, von *Paul Thureau-Dangin*, übersetzt von P. *Ambr Götzelmann* O. F. M., München 1904, 78—105). Nasum tamen hac in re aliqua ratione excusari posse puto; eius enim animo obversatum esse videtur factum illud, quod *Augustinus Patricius* in „Summa Conciliorum Basileensis" etc. a. 1480 conscripta refert: In concilio basileensi a. 1438 circa m. Augustum (quo tempore synodus illa iam non erat legitima) „actum est de cultu tabellae nominis Iesu; quem frater Bernardinus Senensis . . . introduxerat. Et cum a multis reprobaretur cultus ille, et Arelatensis cardinalis assereret, Bernardino a Martino pontifice fuisse prohibitum ne id ultra faceret, affirmatum est post prohibitionem semper ab eo cultu abstinuisse Bernardinum, et res indiscussa est et dimissa": Acta Conciliorum (ed. ab *Io. Harduino* S. J.) IX, Parisiis 1714, 1148.

[3] 1 Cor 12, 3.

[4] „Multi venient in nomine meo, dicentes: Ego sum Christus; et multos seducent": Mt 24, 5. Canisius Kalendis Ianuariis a. 1575 Oeniponte ex ecclesiae

Jgitur ut breuiter dicatur hic aulicus concionator occasionem omnem captare uidetur auditores contra Societatem eandem concitandi et inflammandi, tantumque profecit, ut multi cum Patribus Societatis agere non audeant, uelut in hoc etiam Principis gratiam, quem Jesuitis offensum putant, sibi magis possent conciliare. Jnterea libet alijs alia fingere et spargere contra Societatem, quae non parum impediunt horum Patrum ministeria, ac nocent etiam scholae; multumque ponderis detrahunt, non solum personis et rebus Societatis, sed negotio Catholicae religionis, et ijs operibus exercitijsque pijs, quae hactenus Oeniponti per Patrum conciones, lectiones, exhortationes et administrationem Sacramentorum ad Dei gloriam cum multorum fructu promouebantur.

„Instructionem" hanc Mercuriano eo consilio missam esse, ut cardinalibus et pontifici ab eo ostendi posset, intellegitur ex ipso sermonis genere, quo scripta est. Quod autem ad eius auctores attinet, meminerat certe Pisanus, Nasum Ingolstadii contra se concionatum esse (id quod Nasus ipse a. 1573 fassus est [*Jung* l. c. 17]); ac Canisius fortasse audierat, qua ratione ille res Straubingae anno 1558 a Canisio et 1566 a se ipso gestas inter se contulisset; Fabrio enim *Nasus* 30. Ianuarii 1573 scripserat: „So waiss ich, dass so oft der D. Canisius zu Straubing einen Menschen bekhert hat, also, daß Ir etlich tausend ad unitatem khommen sein" (*Jung* l. c. 21). Haec et alia eorum animos a Naso aliquantum alienare poterant, ita ut facilius sinistra crederent et dubia in malam partem acciperent. Ceteroquin viri illi erant graves, prudentes, pii, et *Iacobus Pontanus* in *Litteris annuis provinciae Germaniae superioris S. J. Dilinga 1. Augusti 1574 datis narrat, „concionatorem famosum illum clamitasse": Esse „morem crebro communicandi nouum, Ecclesiam vnam communionem quotannis imperare, Parochorum potestatem nostra nimis ampla potestate imminui.... Denique ex Societate Iesu antichristj societatem faciebat" (ex archetypo, quod exstat Coloniae in archivo studiorum fundatorum, Cod. „I. I. 721" f. 233); ac vel sola Nasi ad Fabrium epistula, quam dixi, sufficit ad demonstrandum eius animum in Socios haud semper propensum, immo etiam nonnunquam ab iis aversum: huiusmodi autem aversione fieri potest, ut incerta pro certis ducantur et unius errata plurimis vitio vertantur; ut cum *Nasus* Fabrio scribit: Ingolstadii Iesuitas praetendisse, „dass niemandt khundt absolviern ad salutem nisi esset Jesuita"; id se ex iuvene quodam litterarum studioso audivisse. Item scribit, Iesuitas sacram confessionem in proditionis officinam („ein Verraterei") convertere; omnia familiarum secreta ab iis in confessione explorari et deinde evulgari; „das sey ein schelmerey"; eos „Beichtfelscher" esse (*Jung* l. c. 16 17). Magnopere quoque Canisii Pisanique scriptum confirmatur a *Portia* nuntio apostolico, Oeniponte 24. Februarii 1574 ad cardinalem Comensem de Naso scribente: „M'occorre à dirle, che essendo huomo di natura molto rozza, et spirito indomito, con tutto ch'io mi sia spesso risentito, non s'è mai potuto conseguir', che in pulpito non detrahi à i padri del Giesù mostrando d'essercitar' con essi un' immortale inimicitia non senza giubilo grande di quelli, che sono in qualche opinione di claudicare: finalmente dicendo io à S. Altezza [1], che, se seguiua, harrebbbe mosso N. Signore [2] ad inhibirli la predica, pare, che si sia operato alquanto: ma nel tempo, che s'è astenuto di lacerarli, è passato in queste due ultime prediche ad altre cose più pericolose, come sono: pigliar per thema di ragionar' contra quelli, che troppo attribuiscono all' opere; far' comparatione, se sia meglio udir' la predica, ò la messa, et determinar' assolutamente per la predica; . . . di queste innouationi s'ascriuono per cagioni il fasto nato, et cresciuto dal concorso grande, c'ha

---

parochialis suggestu sodales suos, quod „Iesuitae" et „Societas Iesu" appellarentur, purgavit, nulla tamen Nasi facta mentione; v. infra, monum. 1181.

[1] Ferdinando II. archiduci. [2] Gregorium XIII.

per la copia del dir', dall' applauso d' alcuni et dalla superfitiale dottrina" (ex archetypo; Cod. rom. „Germ. Vol. 80" II p. 50—51; etiam apud *Schellhass*, Nunt. III 358—359). Neque solos Iesuitas, sed etiam Franciscanos suos Nasus sibi infensos reddebat. Ita in monasterio monacensi, in quo disciplina seraphica optime vigebat, Nasus ad *Felicianum Ninguardam* O. Pr. visitatorem apostolicum delatus est, quod, cum „commissarius" ordinis esset, aliqua „cum magno damno et jactura provinciae" et „contra institutum ordinis et decreta capitulorum generalium" fecisset et fratres ipsum de „placitorum" suorum ratione interrogantes „statim excommunicatione latae sententiae excommunicatos declararet". Item Landishuti fratres Ninguardae dixerunt, „totam provinciam perturbari" a Naso, et guardianus vir optimus addidit, se ab eo Romae in capitulo generali „falso insimulatum" esse (*Schellhass*, Ninguarda, in „Quellen und Forschungen" etc. I, Rom 1898, 248—249 257—258). *Nicolaus Elgardus* quoque, cum Franciscanos bambergenses invisisset, Ratisbona 4. Octobris 1575 cardinali Comensi scripsit: Postquam Nasus Franciscanorum per Germaniam commissarius creatus est, apud eos „mirae coeperunt oriri tragoediae" [1] (*Schwarz*, Nunt. 320). Attamen fatendum est, haec in eo vitia indolis potius quam voluntatis fuisse et magna ex parte praeclaris virtutibus compensata esse. „E", inquit *Portia*, „di buona vita, studioso, laborioso, amando la solitudine et desideroso, di retirarsi; non ambisce; si scopre zelante; fatica incredibilmente et con la predica continua et con lo scrivere" (*Schellhass*, Nunt. III 47 48 50). Praeter polemicos libros homileticos quoque et catecheticos composuit. „Der Leistungen eines Nas", inquit *Ioannes Ianssen*, „hätte auch der Jesuitenorden sich rühmen dürfen" (l. c. VII 512); et — id quod etiam magis memoratu dignum est — R. P. *Ioannes Schöpf* O. Min., Nasi biographus, ex eius operibus complures profert locos, quibus Societatem ille tuetur et laudat (l. c. 41). Itaque cardinalis Comensis 17. Aprilis 1574 Gregorii XIII. mandatu ei scripsit, ut Centuriatoribus Magdeburgensibus responderet (quamquam hae litterae, mutato consilio, ei traditae esse non videntur); et ab eodem pontifice Nasus a. 1580 auxiliaris episcopus brixinensis ipsius episcopi rogatu nominatus est (*Theiner*, Annales I in a. 1574 n. CXI; *Schellhass*, Nunt. IV 11—12 47—48; *Hirn* l. c. I 256); Ferdinandi quoque archiducis gratia florens, apostolicos labores ad mortem usque strenue sustinuit, vir in numero columnarum ecclesiae germanicae et praecipuorum reformatorum terrae tirolenis merito habitus.

Ad *Hoffaeum* redeo. Is in *litteris Oeniponte 26. Ianuarii 1574 datis, quibuscum „Instructionem" Mercuriano mittebat, hunc monuit: „Vidi sane nostros contristatos: audio etiam et experior populum, ac plaerosque etiam deuotos et amicos esse alienatos . . . [Princeps] totus est Nasianus . . . [Nasi] causa etiam nunc silentes et patientes Principis contra nos iram et indignationem non obscuram ferre cogimur. Cupiuissent mej publica in concione contra Nasi dogmata et naenias erumpere, non obstantibus quibuscunque periculis: Eos cohibuj, cum in mora non esset periculum, donec quid P. V. nos facere vellet, huc celeriter perscriberet. Quamobrem . . . si nobis sit postponenda ira Principis et periculum" collegiorum „negligendum, ego ipse conscendam Cathedram, . . . etiam vita mea saluti huius populi postposita; qui quidem populus nostro silentio perpetuo non aedificatur, imo vero humano et turpi nostro timore scandalizatur. Quaeso, Pater, liceat nobis ad maiorem Dei gloriam sancte audere aliquid siue in faciem Principis, siue coram populo. Quid enim nouj aut magnj, si propter zelum Domus Dei [2] et salutem populi [3] ad tempus nobis aliquid sit patiendum (quicquid tandem illud) vel etiam hinc commigrandum, . . . praesertim cum meo firmo iudicio Germania sine martyrum sanguine sanari integre non possit" (ex autogr.: Germ. 134 f. 155). Ad haec *Mercurianus* Roma 13. Februarii 1574 Hoffaeo *scripsit; „Praeter orationes, et sancta sacrificia,

[1] Clar. D. Dr. *Iosephus Hirn* de Naso scripsit, antequam hae relationes in lucem emissae essent; quas si cognovisset, fortasse Naso Socios incusanti (l. c. I 235—236 255) minorem fidem tribuisset.

[2] Ps 68, 10. Io 2, 17. [3] Hab 3, 13.

quibus Deo dante uos adiuuabimus, et quibus muniri uos credimus, haec uidetur ineunda esse ratio. Primum ut qua hactenus patientia obtrectationes, et iniurias hominis illius perpessi sunt nostri, eadem et reliquas posthac excipiant patientissime omnem solicitudinem in Dominum Jesum, cui cura est de nobis, proijcientes[1]. Neque enim uideo quid consequi possimus ex publica nostrorum responsione aduersus Nasum, nisi ut alienum iam ipsius Principis animum magis a nobis abalienemus. Deinde uidetur hoc mihi consilium hac in re capiendum, ut TR aliique e nostris [curent][a] [?], ut Pontificis nuntius de toto negotio, atque item de patientia nostrorum diuturna, certiorem faciat Summum Pontificem, atque etiam ab eius Sanctitate remedium aliquod petat quo furens Nasi animus compescatur et Princeps ipse intelligat non societatis nostrae tantum sed Germaniae et Sanctae Sedis Apostolicae causam agi" (ex apogr. eiusd. temp.; G. Sup. 1 f. 6[a]). Fortasse hae Mercuriani litterae Oenipontem nondum erant allatae, cum Canisius ibidem in templo Societatis frequentiam sacrae communionis adversus Nasum defendebat; ita tamen moderate et modeste id ille fecit, ut Nasum ipsum non tam accusaret, quam excusaret et tueretur; v. infra, monum. 1165.

1870. M. IOANNES ULLANUS, urbis rotvilensis contionator, CANISIO. Rotvila circa initium m. Februarii 1574.

Ex imagine photographica litterarum archetyparum Portiae, quae sunt in archivo vaticano, Germ. Vol. 80, II p. 48—49. Litterarum partem typis exscripsit, reliquae partis summam germanicam posuit *Schellhass*, Nunt. III 354[2].

Adulescentes collegium germanicum petentes commendat.

Bartholomaeus Portia nuntius apostolicus Oeniponte 20. Februarii 1574 Romam ad Ptolemaeum cardinalem Comensem litteras misit, in quibus haec ad eum referebat: „La communità di Rotbil[2], che si scriue Republica, posta nella Diocese di Costanza, indotta dalla fama, che in quelle parti è sparsa della pia institutione di N. Signore à benefitio della natione Alemana[3] ha eletti tre giouani da inuiar' al Collegio in Roma di miglior' indole, et costumi, et di maggior' espettatione, che tra loro si sieno ritrouati, drizzandoli sotto la guida d' un Dottore à quella uolta: Jquali giunti in questo luoco con lettere d' essa Republica che fà ampla fede della bontà, et uirtù de' sodetti, et co 'l testimonio appresso del padre Canisio, che del medesimo è auuisato, et certificato dal Parocho molto buono di quella Terra, mi pregano instantemente ad accompagnarli con qualche offitio presso à V. S. Jllustrissima. Jo dopo l' hauer' isposto l' ordine, che da lei tengo di ragguagliarla prima della Patria, conditioni, et qualità de' soggetti proposti, non ho potuto finalmente negare di sodisfarli, uedendo la costante uoluntà, in che stanno d' effettuar' in ogni modo il loro disegno".

Adulescentes illos Canisio commendatos esse a parocho rotvilano scribit Portia: sed exstant adhuc *litterae autographae „*M. Joannis Vllani* Ecclesiastae Rotuuilani"

a) *Vel* efficiant *vel simile v. supplendum esse facile patet.*

[1] 1 Petr 5, 7; cf. Ps 54, 23.

[2] Rottweil, urbs libera vel imperialis (nunc regni wurttembergici), vicinis plurimis ad protestantismum transgressis, constans erat in fide catholica (*Chr. Fr. v. Stälin*, Wirtembergische Geschichte IV, Stuttgart 1870, 386—387 758).

[3] Collegium germanicum significatur, quod Gregorius XIII. renovaverat et copiose dotaverat; v. supra p. 136.

Rotvila 2. Februarii 1574 ad Everardum Mercurianum Societatis praepositum generalem datae, in quibus ille scribit, tres „adolescentulos" illos a se Romam cum litteris suis illis mitti et Mercuriano vehementer commendari (Germ. 135 f. 412 413); quare existimo Canisio quoque scripsisse Ullanum: qui nescio num etiam parochiam rotvilanam administraverit. De iuvenum illorum nominibus etc. v. infra, ep. 1873.

1871. Regimen Austriae superioris mandatu **FERDINANDI II.** archiducis CHRISTOPHORO KLÖCKLER cancellario tirolensi et CANISIO.

Oeniponte 5. Februarii 1574.

Ex commentario (2°; 12 pp. dimidiatae), quod exstat Oeniponte in archivo praefecturae, Kloster Seefeld IV (N. 61—109) E. 92.

Ad ipsorum relationem sefeldianam respondetur: De miraculis a Canisio accurate cognoscendis et describendis, diplomatis rebusque pretiosis asservandis, novis donationibus et gratiis singillatim notandis, instructione pro parocho etc., visitatione, capellano, deversorio novo, indulgentiis, confessariis, domuncula sacramentaria, sacristia.

Die[a] Ftl. dc. Ertzhertzog Ferdinand zu Österreich etc. vnser gnedigister herr haben derselben Raths vnd O. O.[1] Cantzlers herrn Christoffen Klöckhler beider Rechten Doctors vnd herrn Petri Canisij der heiligen Schrifft Doctors auß der Societet Jesu gethane schrifftliche Relation, wassmassen sy die anbeuolhene Commission auf dem Seefeldt verricht, sambt jrem darneben angehängten räthlichen guettbedunckhen der lenge nach mit gnaden angehört, vnd nemben jr ftl. dc. solliche jr gehorsamiste fleissige verrichtung der Sachen zue gnedigistem guetten gefallen an. Wellen auch jr ftl. dc. jnen beiden hierauf [?] sotanen jren bescheidt gnedigist vnuermeldt nit lassen.

Souil anfenglich die historj, so sich mit dem hochwirdigen Sacrament jn der Person oswaldt mülssers zuegetragen, anlangt[2]. Dieweil sy die baide herrn Commissarien dissmals auf dem Seefeldt keinen andern glaubwirdigen Schein befinden oder erkundigen künden, alss allain den vbergebenen abdruck, so jnen hiemit wider zuegestelt wirdet, So wolten jr ftl. dc. genedigist — —[b], daß der herr Doctor Canisius, so [?] wie [?] dann jr ftl. dc. jne hierumben mit gnaden ersuechen, dise bemüehung auf sich laden, vnd diser Historj plan [?] bey herrn Georgio Crispo auß der Societet Jesu, vnd jro ftl. dc. Rath vnd Pfleger zu vellenberg, Jacoben Zoller zu Zollershausen[3] auch andern ortten wo nun hieruon waß grundtlichs zuerkundigen vermuettlich, mit allem fleiss nachfragen, vnd also nit allain dieselb Historj sondern auch alle bey disem hochwirdigen Sacrament, vnd durch dasselb bissher zu jeder zeit beschechne wunderzaichen, souil man nun davon auß den vilen Zettln, so hinder dem hohen altar aufm Seefeldt verhanden, vnd andern dergleichen documenten mit jren Circumstantien jn Erfahrung bringen

a) *Commentarium hoc tam male scriptum est, ut complura verba vix, alia ne vix quidem legere potuerim; ac quod ad haec attinet, singulorum loco ponetur — ; obcuris autem dubiisque verbis apponetur [?].* b) gern sechen ?? beuelhen ??

---

[1] I. e. Ober-Österreichischen (Austriae superioris).
[2] Vide supra p. 160. [3] Vide supra p. 161.

kan, ordenlich jn zwai vnderschidliche büecher, daß ain jn Teütscher, vnd daß ander lateinischer sprach beschreiben thätte, wie dann er herr Doctor Canisi dise beschreibung wol aufs schicklichist vnd gründtlichist inß werck zubringen würdet wüssen. Solliche zwai Büecher solten alssdann bei dem Gottshauß daselbst aufm Seefeldt vertraulichen [?] aufbehalten, vnd waß sich künftig für weitere wunderzaichen alda zuetragen vnd begeben, auch darein verzaichnet werden.

Auß dem Büechlein so jr ftl. dc. zu derselben handen vom Pfarrer aufm Seefeldt genomben, kan man sich kainerlai berichtes, so zu angeregter beschreibung dienstlich, erholen. Dann nichts anderst darinn begriffen, dann allain ain solliche verzaichnuß, wie jr ftl. dc. durch derselben gehaimben Rath vnd Obristen [?] Hof Cantzler herrn Johann Freiherrn zu Schneperg, etc. jnen beiden herrn Commissarien gleich alß sy oben aufm Seefeldt gewest, vberschicken lassen.

Waß dann sonst die andern Puncten vnd artiggl, darüber ermeltte bede herrn Commissarien vnderschidlichen jre guettbeduncken angezaigt, betrift,

Da lassen erstlich die ftl. dc. jr genedigist gefallen, daß alle vnd jede deß Gottsshauß Seefeldt monumenta, vnd briefliche gewarsami vnd gerechtigkaiten jn ain bessere [?] verwarte [?] behalttnuß als nemlich jn jrer ftl. dc. Stattgewelb hieher gebracht, vnd gelegt werden, vnd sy die bede herrn Commissarien, sollen jrer ftl. dc. jr — räthlich guettachten durch wene, vnd mit waß ordnung jr ftl. dc. sollichß verrichten lassen möchten, gehorsamist anzeigen.

Zum andern, jst jrer ftl. dc. gnedigister willen, vnd sy haltten ess für daß thuenlichiste, daß deß Gottsshauß ornamenta, Silbergeschmeid, vnd Clainotter, so verhanden, vnd auch künftigclich daher verehrt, vnd geopffert werden, zu zierd, anreitzung, vnd erweckung merer andacht deß gemainen volcks, jn die neue Capellen, darein daß hochwirdige Sacrament zuetransferiern [?], gebraucht [?], vnd keineß wegß anderst wohin verwendt, vil weniger zu geltt gemacht werden sollen.

Zum dritten, Jst jrer ftl. dc. gnedigist wolgefellig, daß durch den Pfarrer vnd Messner daselbsten alles waß jeder zeit jn solche kirchen geschenckt, verehrt, vnd aufgeopffert wirdet, jtem was auch für wunderzaichen beschehen, etc., vermüg beider herrn Commissarien guettbeduncken mit allen vmbstenden fleissig verzaichnet, vnd dieselben wunderzaichen volgendß [?] auch jn baide Büecher so durch den herrn Canisium wie vorgemelt zuverferttigen ordenlich eingeschriben werden sollen.

Jr ftl. dc. beuelhen auch gnedigist, daß die bede herrn Commissarien nit allain desselben dritten Puncten halben, sondern auch waß sonst zu gebürender ordenlichen verrichtung deß Gottesdienst, auch anderß, ainem Pfarrer seinem Gesellenpriester, vnd messner allenthalben auferlegt vnd eingepunden werden möchte, ain Jnstruction stellen,

vnd jrer ftl. dc. vbergeben. Jm fall aber jres erachtens solliche Jnstruction durch den Prelaten, oder die jenige Geistliche Person, die zur visitation darumben bei dem ordinario[1] anzuhaltten, verordnet wirdet, fuegsamber gestelt vnd verfasst werden möchte, oder solte, so lassen eß jr ftl. dc. auch darbei bewenden, doch müeste alssdann auch jn hernach bemelttem Concept an herrn ordinarium die andeuttung darauf beschehen.

Gleichsfals souil zum vierdten die gerathne visitation dises ortts betrifft, Solten sy baide Commissarien ain Concept verfassen, vnd jrer ftl: dc. zuestellen, wassgestalt jr dc. den herrn ordinarium hierumben, vnd noch dise schierst kombende Fasten[2] ainen anfang mit solcher visitation zumachen ersuechen möchten.

Zum fünftten betreffendt daß ainem Pfarrer ernstlich eingepunden werden solte, zum wenigisten ainen Gesellpriester bei sich zuhaltten. Da haben jr ftl. dc. gnedigist bedacht, daß eß ettwo pesser vnd rathsamber sein möchte, die sach dahin zurichten, damit ain Gsellpriester alda sonderbar, vnd nit durch jne Pfarrern vnderhaltten wirde. Damit aber jr ftl. dct. sich desto pesser hierüber zuentschliessen, so sollen merbemeltte baide Herrn Commissarien, wo sy dessen hieuor kein wüssen hetten, sich aigentlich erkundigen, waß ain Pfarrer zum Seefeldt järlichen für ain vnderhalttung vnd einkomben hat, vnd jr. ftl. dc. desselben, dessgleichen waß vorhin ainem Pfarrer zu pesserer vndterhalttung ainigen gsellpriesters für ain addition oder zuepuess von Tirolischer Camer geben worden, sambt jrem weitern guettbeduncken berichten.

Zum Sechsten, von wegen zuerichtung ainer neuen wohnung, damit die Personen vnd Pilger, so sich durchß jar, vnd sonderlich zu den heiligen fürnemen Festen vil dahin verfüegen, desto pesser alda vnderkomben möchten. Da will sich Jrer ftl. dc. gnedigisten erachtens ain solliche wohnung jn dem altten angefangenen Closterpaw, neben vnd zusambt dem, daß eß ainen grossen vncosten erfordern wurde, nit wol füeglichen zuerichten lassen. Jr ftl. dc. haben aber der sachen ferner vnd dahin nachgedacht, nach dem vor jarn zwai wirttsheüser aufm Seefeldt gwest, vnd man daß ain hatt [?] abgehen lassen, vnd allain jn dem ainen der zeitt wirttschafft gehalten wirdet, daß man derwegen vmb der jederzeit dahin kombenden Pilgeren bequemlichern beherbergung willen, vnd dieweil one daß ain nambhaffte grosse landtstrassen alda durchgeht, daß ander abgangne wirttshauß auch wider autbringen, vnd wirttschafft darinn anrichten möchte. Vber welliches denn sy die bede herrn Commissarien, vnd waß auch jr ftl. dc. sollicheß also inß werk zubringen, für ain hilf vnd gnad darzue thuen vnd be-

[1] Apud episcopum brixinensem (cardinalem Christophorum Madrutium; qui, Romae degens, episcopatum per Thomam a Spaur coadiutorem regebat).

[2] Quadragesima proxima incipienda erat d. 24. Februarii.

willigen möchten, jr räthlicheß guettbeduncken jrer ftl. dc. gehorsamblich eröffnen sollen.

Zum Sibenden, die Jndulgentz vnd ablass belangend, vnd wassgestalt jr ftl. dc. bej der Bäpstlichen heyligkait nit allain vmb Confirmierung deren, so hieuor von etlichen Bäpsten, Cardinaln vnd Bischoffen daheer gegeben worden, sondern auch vmb vnd von wegen jrer bäpstlichen heyligkait neuer, merer, volkombener, vnd reichlicher ablaß vnd Jndulgentz anhaltten möchten, etc.[1] Darüber haben jr ftl. dc. sich noch wohl dissmal nit entschliessen künden, sondern disen puncten jrem Christenlichen Catholischen gemüet nach weiterß zuerwegen jn bedacht genomben.

Damit auch volgendts nach erlangung merer Jndulgentzen, zu den bestimbten sonderbaren Fessten vnd tägen, an gelerten, geschicktten und tauglichen Beichtvättern alda bei der kirchen vmb souil weniger mangl erscheine. So vermainen jr ftl. dc. daß allwegen zu denselben Fessten vnd zeiten etliche solliche Priester auß dem alhieigen Jesuitter Collegio, vnd auch von den Franciscaner ordenß Personen hienauf geschickt, vnd verordnet werden möchten. Darüber wollen aber jr ftl. dc. obermelte bede herrn Commissarien mit jrem weittern bedencken auch gnedigist vernemben.

Ferner. So haben jr ftl. dc. sich auf jr der beder herrn Commissarien räthlich guettachten, gnedigist entschlossen, vnd bewilligt, ain newes Sacraments heüsslein jn den Chor machen vnd zuerichten, darbei auch ain ewiges liecht erhalten zulassen, damit hinfüran für die krancken, vnd andere Communicanten daß hochwirdig Sacrament deß alttarß jn demselben Sacramentheüsslein, vnd nit wie bissher jn der Capell bej der Monstrantz mit der heiligen Hostia verschlossen gehaltten werde.

Letstlich souil di ijtzig Sacristej alß die zu erhalttung der kirchen allerlai vorraths, messgewandt, ornat, vnd Büecher nit sonderst bequem, sondern gar zu feücht vnd töblich geacht wirdet, anlangt · Da wellen jr furstliche durchleucht so paldt eß füeglichen beschehen kan, alle gelegenhait alda selbsten — gnedigist vnd nodurftiglich besichtigen, auch alssdann — bedacht sein wie diser mangl auch gepessert, und etwa ein andere glegenlicher, vnd lüfftiger Sacristej zuegericht, vnd erpaut werden möchte.

Sollichß alleß haben jr fl: dc. mergedachten baiden herrn Commissarien jn gnaden nit verhalten wellen, vnd eß beschicht daran jrer furstlichen durchleucht gnedigiste wolgefellige meinung.

Actum Jnssprugg. Den .5. Februarij Anno 1574.

Klöckler et Canisius communibus litteris Ferdinando archiduci responderunt 24. Februarii 1574.

[1] Vide supra p. 165 168.

1872. CANISIUS **EVERARDO MERCURIANO** praeposito generali Societatis Iesu. Oeniponte 8. Februarii 1574.

Ex autographo (2° formae rom.: 1 p.; in p. 4. inscr. manu P. Guilielmi Elderen S. J. posita et reliquiae sig.), Germ. 183 f. 231ᵃ—232ᵇ.

Errata rectoris. Provincialis. P. Nasus. Novae Regulae.

† Pax Christi JESV nobis aeterna,
Admodum Reuerende Pater.

Accepi P. T. literas, 16 Januarij ad me indignum datas, nec habeo quod respondeam, nisi me gaudere de uoluntate et sententia P. T. eisdem literis explicata, siue quod ad P. Prouintialem, siue ad[a] contractum illum, qui nostros adhuc torquet ac dissociat[1], attinet.

Cogor nunc meam dicere sententiam de huius collegij Rectore P. Wendelino[2], qui anno superiore ualde distentus fuit cura aedificiorum, ut huius collegij fabricam multis annis intermissam absolueret[b]: Fecit id quidem non sine graui labore ac perpetua contentione, dum vndique sumptus et nummos necessarios corradit, uariasque superat difficultates saepe incidentes. Sed noua interim debita contraxit, et sumptus saepe non necessarios fecit, eaque fortasse plus satis neglexit, quae ad integram collegij disciplinam curandam spectabant. Monitus est P. Prouintialis[3] de uarijs, quae in illo desiderantur: ideoque nobiscum haeret hoc tempore, vt hunc nouitium Rectorem instruat de officio[c] rectius obeundo. Quare cum speram meliora, non repetam uetera, in quibus ille partim Principem[4] et aulicos nonnullos ob immodicam in dicendo et aedificando libertatem offendit, partim Consultoribus[5] non satisfecit, quod sine consilio et ex proprio sensu in gubernando progrederetur, neque ad praescriptas nobis regulas sese satis accommodaret. Dat operam modo P. Prouintialis, ut de omnibus ille[d] rectius discat iudicare, et sapientius regere domesticos, qui certe hoc loco non leuiter[e] oppugnantur, egentque prouido superiore, praesertim ob eas molestias et tentationes, quas aula uicina, et contionator nouus aulicus nobis ingerunt[6], sicut alias ad P. T. scriptum esse puto. Quod superest,

a) *Hoc v. supra versum scriptum est.* b) *Sequitur* idque, *a C. oblit.* c) *Sequitur* suo, *a C. oblit.* d) *Hoc v. supra versum scriptum est.* e) *Ita C. correxit ex* grauiter.

[1] Pactionem de 5% dicit; v. supra p. 154 159.

[2] Canisius unus ex consiliariis sive consultoribus P. Wendelini Völck rectoris oenipontani erat (v. infra, monum. 1143). Mandatu autem Mercuriani P. *Antonius Possevinus* Societatis secretarius eiusdem praepositis provincialibus Roma 14. Ianuarii 1574 scripserat: „Patres provinciales curent, ut unusquisque rector faciat, ut sui consultores de ipsis rectoribus scribant quamprimum iuxta regulas consultorum" (*Hansen* l. c. 658[1]). De regulis illis v. supra p. 8[1].

[3] Paulus Hoffaeus. [4] Ferdinandum II.

[5] PP. Petro Canisio, Guilielmo Elderen, Georgio Crispo, Gasparo Obergasser; v. infra, monum. 1143.

[6] P. Ioannes Nasus O. Min.; v. supra p. 170. Hala 28. Martii 1574 P. *Matthias Lacknerus* collegii rector Mercuriano *scripsit: „Hic non desunt miseriae propter vnicum Monachum, qui quantum etiam Halensibus obfuerit, non dicam, satis in aperto

commendo P. T. collegium hoc uniuersum, quod antea nunquam grauius oppugnatum fuit, ut quotquot in eo degimus, superiorum nostrorum prudentia, charitate et precibus adiuti, cum maiore fructu uersemur. Oeniponti 8 Februarij 1574.

P. V.

Jndignus filius
Petrus Canisius.

Valde cupimus reformatas uidere Regulas, quae non poterunt omnibus nobis non esse gratae ac salutares[1].

† Admodum Reuerendo in Christo Patri nostro, Euerardo Mercuriano, Societa: [JE]sv Generali Praeposito. Romae.

Patres quoque Georgium Crispum et Guilielmum Elderen in epistulis, quas consultorum officio satisfacientes his diebus ad Mercurianum dederunt, de Völckio rectore questos esse cognoscitur ex Mercuriani *epistulis Roma 25. Aprilis 1574 ad eosdem datis (ex apographis eiusd. temp.; G. Sup. 1 f. 8^b 9^b).

De collegii autem „molestiis et tentationibus", quas Canisius commemorat, *Iacobus Pontanus* in *Litteris annuis, quas supra p. 176 dixi, haec notat: Cum P. Nasus ex sacro suggestu Socios carperet, „haereticj oleum camino addentes multa in nos maleuole confingebant. Quocirca rumor toto Principatu serpebat, Jllustrissimum Principem de Oenipontanis patribus male sentire, de illis exigendis cogitare". Verumtamen brevi res in melius mutata est: Die 21. Aprilis 1574, qui erat decimus post festum paschale, *Wendelinus Völck* Mercuriano generali *scripsit: Archidux Patrem Nasum „hac quadragesima per internuntios serio monuit, ut se a calumnijs et ab omnj specie mali abstineat . . . Archiducis uero animum placatum nobisque reconciliatum esse, ex multis signis conijcere potuj". Et *Oeniponte 6. Iulii 1574: „Comittere nolui, quin pauculis V. R. Paternitati significarem uexationes et rumores praeteritos omnino euanuisse, Deo laus, nosque in magna pace et tranquillitate uiuere. . . . Ad festum sanctissimae Trinitatis (quod est patrocinium templi nostri) idem serenissimus Archidux, per me ad diuinum officium inuitatus, non solum clementer annuit et comparuit, sed et . . . respondit, se hac de causa lubentius ad nos uenire, ut omnibus et publice testetur suum beneuolum in nos animum, seque nobis uelle fauere et plura" (ex autographis, Germ. 135 f. 168 170). Ceterum v. *Duhr*, Jes. an Fürstenh. 91.

Mercurianus Canisio respondit 18. Martii 1574.

1873. CANISIUS **PTOLEMAEO GALLIO** cardinali comensi, Gregorii XIII. secretario maiori.

Oeniponte circa medium m. Februarium 1574.

Commendat tres adulescentes, qui a republica rotuilana (Rottweil) Romam mittuntur, ut in collegium germanicum admittantur; v. supra p. 178.

---

sunt omnia, uerendum quod longo tempore damnum non resarcietur, quae etiam res magna pars morbi Serenissimae [reginae Magdalenae] fuit cum sit Religionis catholicae zelosissima" (ex autogr.; Germ. 135 f. 182).

[1] Iam prima Societatis congregatio generalis (1558) praepositum generalem iusserat regulas examinare (decr. 133); deinde secunda (1565) decreverat, ut regulae officialium „examinarentur et contraherentur", regulae scholasticorum a generali, si necesse esset, emendarentur etc. (decr. 28, 57, 66 post el.); tertia (1573) autem constituerat, ut „generales" quoque regulae sive „Summarium Constitutionum", quod

Horum unus in litteris commendaticiis *Ullani* contionatoris rotvilani ad Mercurianum datis (v. supra p. 178) „Ioannes Georgius Sachs" vocatur. In antiquissimo autem **Catalogo* collegii germanici haec sunt: „Joannes Arnholdt Dioecesis Constantiensis missus a P. Canisio, et Legato Apostolicae Sedis Oenipontano [1], incoepit Logicam, uenit 17. Aprilis 1574, annorum 28. Discessit 12 Aprilis 1580. Jo. Georgius Sacchs Rottweilanus [a] Dioecesis Constantiensis missus a Legato Oenipontano incoepit Logicam, annorum 17 uenit 17 Aprilis 1574 [b]. Discessit Sacerdos 11 Maij 1582. Parochus Merspurgensis [2]. Melchior Stor [3] Rottweilensis [c] dioecesis Constantiensis missus a Legato Oenipontano incoepit Logicam annorum 20 uenit 17 Aprilis 1574 [d]. Discessit Sacerdos 11 Maij 1582 — factus Theologiae Doctor Senis. Ingressus est Societatem in Germania" (Cod. rom. „All. coll. germ." p. 43—44).

1874. CANISIUS et CHRISTOPHORUS KLÖCKLER cancellarius tirolensis **FERDINANDO II.** archiduci, Austriae superioris principi.

Oeniponte 24. Februarii 1574.

Ex epistula archetypa (a Klöcklero scripta?), cui Canisius quoque sua manu nomen subscripsit (2°; pp. 28; quarum tres postremae sunt vacuae), et ex „punctorum" a Canisio additorum exemplo manu ignota scripto (2°; 1¼ pp). Oeniponte, in archivo praefecturae, „E Kloster Seefeld II." Nr. 34. Punctorum alterum exemplum, idque eadem illa manu scriptum, est ibidem, „Kloster Seefeldt IV. (N. 61—109)" E. 79. Epistula usus est *Kröss,* Can. 204.

Canisius se sacrarum peregrinationum sefeldianarum originem progressumque describere posse, antequam de capitibus quibusdam certa testimonia nactus sit, negat. Miracula tamen magis recentia describet. Quanta diligentia in posterum nova miracula notari oporteat. De sacri loci litteris pretiosisque rebus locis securis reponendis. De „inventariis". De officiis divinis ex fundatoris praescripto faciendis. De ecclesiae, sacerdotum, aeditui reditibus aliisque subsidiis. De variis rebus principis rogatu eodemque iuvante ab episcopo per visitatores reformandis et instituendis. De deversorio peregrinorum. De confessariis.

Durchleuchtigister Furst. Gnedigister Herr.

E. F. dhc: auf vnnser gehorsamiste Relation, der durch vnnß auf dem Seefeld verrichter Commission eruolgt, vnnd vnnß zuegestellt gnedigist Decret. Haben wir in vnndterthenigister gehorsame, empfanngen vnnd vernomen [4], vnnd sollen darauf E. F. dhc: jn demüetigister gehorsamister vnndterthenigkhait, von articull zue articull, nit verhallten, das souill anfennckhlich belannget, die beschreibung der Historj, so sich mit dem Hochwurdigen Sacrament, jn der Person Osswald Müllsers zuegetragen, vnnd dartzue aller bej disem hochwürdigen Sacrament, vnnd durch dasselb bissher zu jederzeit beschehner wunderzaichen etc., das jch Doctor Canisius vnbeschwerdt, ja gehor-

a) *Hoc v. alia manu antiqua additum est.* b) *Quae sequuntur, usque ad* Merspurgensis *incl., alia manu antiqua addita sunt.* c) *Hoc v. alia manu antiqua additum est.* d) *Quae sequuntur, usque ad* Germania *incl., alia manu antiqua addita sunt.*

dicitur, a generali eiusque assistentibus examinaretur et, si opus esset, emendaretur (decr. 27 post el.): *Institutum* S. J. II 185—186 201 206 208 225. De regulis communibus et officiorum a S. Francisco Borgia generali a. 1567 recognitis v. *Can.* VI 82.

[1] A Portia nuntio apostolico; v. supra p. 135.

[2] Meersburg, oppidum ad lacum brigantinum situm, nunc reipublicae badensis.

[3] Alias: Stör; is († 1634) postea per 14 annos rector collegii Societatis augustani fuit (*Duhr,* Jes. II [1], 228 [4]). [4] Vide supra p. 179.

samist willig were, E. F. dhc: gnedigistem ersuechen nach, mich diser bemüehung zu vnnderfahen, Jch hab aber souill berichts, von Herrn Geörgen Crispo, vnnd E. F. dhc: Rath, vnnd Pfleger zu Vellenberg, herrn Jacoben Zollern von Zollersshausen, noch auß den brieflichen vrkhunden, vnnd schrifften, so durch gedachten Pfleger, vnnß zuegestellt worden, oder auch sonnsten, noch zur zeit nit erlernen, vnnd erkhunndigen khünden, wie es in, vnnd zu beschreibung diser historj die notturfft erfordert, vnnd sich woll gepüren wollte, sonnderlich souill hiebeiligende Puncten betrifft[1], darüber jch vnnderschidlichen, satten, vnnd bestenndigen vnnderrichts bedürfftig, waher aber, vnnd beij whem jch mich dessen erhollen möchte, mir verborgen ist, Dann obwoll jch Canntzler jn der Schatz Registratur auch nachsuechen lassen, ist doch nichts dienstlichs befunden worden, Was mir Canisio aber E. F. dhc: ferrer gnedigist auflegen[2], dem khumme jch jn willigister gehorsame nach, Damit aber die miracula vnnd zaichen, so sich durch crafft, vnnd würckhung dises hochwürdigen Sacraments zuegetragen, jn die zway vnnderschidliche Büecher E. F. dhc: gnedigistem willen vnnd maynung nach jn Teutscher vnnd Lateinischer sprach, mit jren Circumstantien desto ordenlicher beschriben werden, so mochte nit vnrathsam sein, ain Canntzlej Person, auf das Seefeldt zuschickhen, mit beuelch, das dieselbig, alle vnnd jede zetl, so hinndter dem hochen altar, auch alle anndre schrifften, so vmb ainiche beschehne wunnderzaichen, deß ortts vorhannden, vnnd zubefinnden, fleissig abschreyben, auch was vnnd wieuill, derwegen, dem herrn Pfarrer bewisst, aigentlich vertzaichnen, vnnd mir Canisio volgenndts behenndigen sollte. Wir haben gleichwoll vnnder anndern schrifften ain verzaichnuss der wunnderzaichen, von jetzigem herrn Pfarrer, gedachtem herrn Zoller zuͤegeschickht, befunnden, was vnnd souill sich derselben, jn zeit Er Pfarrer daselbst gewesst, begeben haben sollen[3], die seyen aber also geschaffen, auch so schlecht vnnd kurtz on alle circumstantien vertzaichnet, das Sy mhererthails nit schrifftwürdig, vnnd dieselben als wunnderzaichen zubeschreiben bedennckhlich sein möchte. Als nemblich da ainer oder mher mit schwerer Leibsschwachhait vnnd kranckhhait beladen gewest, vnnd wann sich der oder dieselben, auf das Seefeld zum hayligen bluet, mit ainem lebendigen Opffer verlobt, das es sich vmb Sy gebessert hab etc. So wurdet, souill die khunfftig zuetragende wunnderzaichen antrifft von nötten sein, das die jhenigen, mit denen sich dieselben begeben, oder die von jrentwegen, die kirch vnnd walfarten auf das Seefeldt verrichten, wie vnnd welcher massen, wann,

---

[1] Haec „puncta" sub ipsas has litteras ponentur. [2] Vide supra p. 179.

[3] Apud *Tinkhauser* (l. c. III 105) refertur, Oeniponte in archivo praefecturae exstare fasciculum „Seueldische Wunder" inscriptum, cuius tertia pars sic incipiat: „Volgen hernach die Wunderzaichen, so pei den heiligen pluet auf dem Seeueldt geschechen vnd von mir Thoma Paur pfarrherrn von 1565 vnz auf 1573 zusammen geschriben".

vnnd wo solche wunnderzaichen beschehen, auch aller annderer vmbstennd gestalltsame vnnd gelegenhait halben, mit fleiss examiniert werden, wa auch möglich were, zu mherer begleübigung solcher wunnderzaichen vast dienstlich, das von den Obrigkhaiten, der ennden sich dieselben wunnderzaichen zuegetragen, glaubwirdige vrkhunden fürgetzaigt wurden, dann es gehört ain Juditium vnnd Discretion zue solcher beschreibung, damit derselben desto mher glauben gegeben, vnnd annders in die hiertzue verordnete büecher nit vertzaichnet, dann allain das, so man für ain Miracul oder wundertzaichen aigentlich vnnd proprie dauon zureden, erkhennen khan, Sonnsten möchte solche beschreibung, für fabelwerckh gehallten, oder anndern natürlichen mitteln, krefften, vnnd würckhung mher als Gottlichem gwallt zuegemessen, vnnd also nur verlacht werden.

Von wegen aller vnnd jeder des Gottshauss Seefeldt, monumenten, brieflicher gewarsame vnnd gerechtigkhaiten, durch when, vnnd mit was Ordnung dieselbigen, souill deren noch auf dem Seefeldt, in der eysen Truchen ligen, hieher gepracht, vnnd sambt denen, so vorgemellter Zoller bissher in seiner verwarung gehapt, oder die noch bey E. F. dhc: Tyrollischen Cammer verwart ligen, jn das allhieig E. F. dhc: Schatzgewelb gelegt werden, da hiellten wir gehorsamist darfür, das dem Kirchenprobst [1] auferlegt wurde, das Er die auf dem Seefeldt, in derselben eysen Truchen ligende Bebstliche Bullen, begnadigungen vnnd anndere briefliche gerechtsame, aintweder in solcher Truchen, oder sonnsten woll verwart hieher füeren lassen sollte, vnnd das alssdann dieselben, vnnd die anndre monumenta, briefbüecher, vnnd schrifften, so alhie ligen, gegen dem hieuor aufgerichten Jnuentarien besichtiget werden, ob die noch alle, wie Sy jnuentiert worden, verhannden, vnnd da ain abganng befunnden, wa dieselbigen abgenngig brief, vnnd schrifften hinkhomen, nachgefraget, damit solcher abganng wider erstattet, auch nachgeendts, ausserhalben deren brief, büecher, vnnd schrifften, dero man täglichen nit enntraten khan, jn gegenwerttighkait, zwayer E. F. dhc: aines auß der Regierung, vnnd des anndern der Camer mittel verordneter Räth, wie sonnsten gebreüchig, jn obuermellter, oder ainer anndern woll versorgten Truchen vnnd behalltung, jn das berüert Schatzgewelb, die Schlüssel aber zu solcher Truchen oder behaltnus, möchten zu den anndern des Schatzgewelbs schlüssel, gelegt, vnnd verwart, auch hernacher zu jeder fürfallenden notturfft mit eröffnung solcher Truchen oder behalltnus vnnd heraussnemung aines oder mher briefe, die Ordnung, wie mit den anndern jm Schatzgewelb verwartten schrifften vnnd briefen gebraucht vnnd gehallten werden.

So soll dann, wie wir bericht, Marthin Ganndtner Zollner zu Zierl, als Seefeldtischer Kirchenprobst, von wegen des angefangten newen

---

[1] Martino Ganndtner: v. supra p. 161.

Capellenbaws, des Gotshauß ornata, jn seiner verwarung daselbst zu Zierl haben, Dieweill Er aber ain Gastgeb, vnnd in seiner behausung solche ornata nit zum sicheristen verwart mögen werden, wie Er dann selbst bey E. F. dhc: Camer-Räthen angehallten, vnnd gebetten, dieselben an ain sicher gewarsam ortt zu transferiern, biß nach Vollenndung des angeregten gepaw . da nun hierinnen noch khain verordnung beschehen, dweil es nit rathsam ist, das solche Kirchen ornata bej jme bleiben, So werden E. F. dhc: bey derselben Camer gnedigist zuuerordnen, vnnd zubeuelhen wissen, damit dieselben mitlerweill, auch hieher gefüert, vnnd nach ersehung des Jnuentarij, ob dieselbige vollig, vnnd on abganng verhannden, auch erlüfftterung vnnd besserung, da es von nötten were, jn ain wolversorgte behaltnuss gelegt werden,

Das dann durch den Pfarrer vnnd Messner daselbst alles, was jedertzeit in solche kirchen geschennckht, verehrt, vnnd aufgeopffert würdet, jtem was auch für wunderzaichen beschehen, mit allen vmbsteenden vertzaichnet, vnd dieselben wunderzaichen volgends auch jn baide obangedeütte büecher ordenlich eingeschriben werden, da bleibt es bej solcher E. F. dhc: gnedigisten Resolution. Jedoch würdet von nötten sein, das der Pfarrer vnnd Mesner, also qualificiert seijen, das Sy solches verrichten khünden, jnen auch dasselb jn jrer annemung zu der Pfarr, vnnd Messnerdienst jn sonnderhait, auch daneben eingebunden werde, wann nambhaffte vnnd ansehenliche miracula, bey, vnnd durch würckhung dises hochwürdigen Sacraments beschehen, das Sy aintweder die jhenigen Personen, so jnen dieselben wunderzaichen antzaigen, hieher zu der hiertzue verordneten gaistlichen oder weltlichen Person, weissen, oder da denselben sich desshalben hieher zuuerfüegen vngelegen, oder beschwerlich fallen wollte, das der Pfarrer, vnnd Messner alssdann aigentlichen bericht, jnmassen oben gemellt, von jnen einnemen, vnnd vertzaichnen, vnnd solchen bericht nachmals den jhenigen, so alhie dartzue verordnet vnnd dessen beuelch haben wurde, fürbringen, damit dieselben wunderzaichen, mit merern fleiss, vnnd ordenlicher weder bissher auf dem Seefeldt beschehen, jn die bayde büecher beschriben werden, Vt uidelicet cum Juditio describantur quo maiorem apud posteros habeant fidem, quod hactenus minus fuit obseruatum, fortassis ob prioris seculi simplicitatem. Khündte man aber, so geschickhte, taugenliche Pfarrer, Gesellpriester, oder Capplän auf dem Seefeldt haben, denen solche fleissige, vnnd aigentliche beschreibung der wunnderwerckh in die bayde büecher woll zuuertrawen, wie wir doch besorgen, dergleichen Priester werden an ain solches ortt, one stattliche vnndterhalltung, schwerlich zubekhomen sein, so möchte man diser müche, vnnd cosstes, mit dem hieher, vnnd wider hinaufraysen vberhept sein, Gleichwoll vnnsers gehorsamisten erachtens, nit so hoch von nötten, oder daran souill gelegen, sonnder woll vnnderlassen werden möchte, die wunnderzaichen sambt den verehrungen jn Lateinischer sprach zubeschreiben.

Was vber das von wegen gebürender ordenlicher verrichtung des Gottsdiensts, auch annders, ainem jeden Pfarrer, auch den Gsellpriester vnnd Messner, allenthalben auferlegt, vnnd eingepunden werden möchte etc., da befinnden wir in ainem buech, so jn pretter, eingepunden, vnnd mit rottem leder vbertzogen, bey anndern schriifften alhie, die in des Zollers verwarung seyen, liget, ain vertzaichnus, vnnd ordnung, wie sich ain Pfarrer gegen dem kirchenprobst, auch seinen Capplänen, dessgleichen der Kirchenprobst gegen jnen, hallten, was auch für Gotsdienst, vnnd wie derselbig durch den Pfarrer, mit seinen Capplänen gehallten vnnd verricht, jtem was denselben darfür järlichen gegeben werden soll. Vnnd dann was der Pfarr einkhommen sey, allso ist auch jn vorgemellter beder, als domals verordneter Commissarien Herrn Georgen Kraussen[1], vnnd des Zollers schrifftlichen Relation, ain Memorial begriffen, auf den Pfarrer gestellt, warauf er nemblich selbst bedacht sein, vnnd bey seinen Gesellpriester vnnd den Messner zubeschehen verordnen, auch darob hallten soll. So vermag der Stifftbrief weyllundt Hertzog Fridrichs zu Österreich, vnnderm dato . Jn die Jacobi Apostoli Anno 1431. das ain jeder Pfarrer auf dem Seefeldt jn Sannt Osswaldts kirchen daselbs zwo ewig meß täglich, on vnndterlaß vngefärlich hallten aine . jn der Ehr Gottesleichnam[2], die annder von der zeit aines jedlichen tags oder ain Seelmeß, Darumben hat hochgemellter Hertzog Fridrich zu solcher kirchen verschafft vnnd gegeben, ain vnnd viertzig marckh ewiges gellts, Meraner müntz, auf den Zoll zu Zierl, hat jme auch, vnnd seinen nachkhumen, das Jus patronatus zu diser Pfarrkirchen vorbehallten. Welche Stifftung nachgeendts jm 1499.[ten a] Jar, durch der Zeit Bischof Vlrichen zu Brichssen confirmiert worden[3],

Ob nun diser Stifftung gemess, die beede Messen, täglichen gelesen, wie auch alles annders jnnhallt der angeregten ordnung, vnnd vertzaichnuß, oder Memorials gehallten werden, Das haben E. F. dhc. auß dem woll gnedigist abtzenemen, das der Pfarrer vnnsers wissens ain guette zeit heer gar khainen Gsellpriester gehapt, vnnd noch nit hat. So er doch drey Capplän zum beichthören, vnnd andern Gottesdienst zuuerrichten haben sollte. Jedoch wirdet jme vnnsers bedennckhens, bej nun vill Jar heer gewerten theürungen, da alles in höchste jmmerwerende staigerung gerathen, vnnd khaine pesserung, wollfaille oder abschlag zuuerhoffen ist, vnmöglich sein, bey jetzigem manngl der Priesterschafft, auch nach gelegenhait seines einkhomens vnnd in ansechung, das seid der Zeit, die spalltungen in der Religion eingerissen, vnnd die andacht fast allenthalben erloschen ist, bey weittem nit souill,

a) *Scribendum fuit* 1432.[ten]; *vide infra, adnot. 2.*

---

[1] P. Georgii Crispi S. J. [2] In honorem Corporis Christi (eucharistici).

[3] Hae fundationis litterae, a Friderico I. Austriae duce et Tirolis principe 25. Iulii 1431 datae et ab Udalrico II. episcopo brixinensi 31. Iulii 1432 confirmatae exstant apud *Tinkhauser* l. c. III 91—93.

als damals in die Stöckh geopffert vnnd verehrt würdet, die drey Capplän, mit speiss vnnd tranckh vnnd dermassen wie berüerte ordnung aussweiset, zu vnndterhallten, Welches alles dem Ordinario [1] oder seinem hiertzue verordneten Commissario. Jn der Visitation, darumben bey Jme ordinario anzuhallten (· wie vnnser gehorsamist guetbedunckhen ist·) zu besserer seiner nachrichtung fürgepracht werden soll, damit Er sich desto fuegsamer darüber zuenntschliessen haben, was in dem allen, dergleichen was sonnsten, ainem jeden Pfarrer, auch den Gsellpriester, oder Capplänen, jrer vnndterhalltung, vnnd der Pfarr gefell, vnnd einkhumen gemäß, auftzulegen, vnnd einzupinnden sey, darauf alssdann ain Jnstruction, durch den Ordinarien vnnd Visitatorn nach erwegung aller gelegenhait verfasst werden möchte.

Was gestallt E: F: dhc: den herrn Ordinarium vmb anstellung ainer ordenlichen Visitation mhergemellts Gottshauß ersuechen möchten etc. Were solches schreyben an jn Ordinarium vngefärlich auf nachuolgende maynung zustellen,

Wie das Sannt Osswaldts kirch auf dem Seefeldt, so ettwan ain filial oder zuekirch der pfarrkirchen zu Tellffs [2] gewest, zu ainer sonnderbaren, aigen Pfarr daselbst, durch E. F. dhc: vorfordern, als Lanndtsfursten diser Grafschafft Tyroll, loblicher vnnd seeliger gedechtnuss, erigiert, gemacht vnnd aufgericht, von denselben fundiert, dotiert, vnnd mit järlichen Einkhommen versehen, auch dermassen bedacht, vnnd begabt worden, das ain Pfarrer daselbst, mit sambt dreyen Capplänen, vnnd gesellpriester jr notturfftig vnndterhalltung gehapt, vnnd den Gestifften Gottsdienst, mit singen, lesen, beichthören, vnnd raichung der hailigen Sacramenten, woll, vnnd stattlich verricht hetten. Vnnd were dises Gotshauß von wegen des wunnderbarlichen hochwurdigen Sacraments, des leibs vnnd bluets Christj, so seyder der, mit der Person weyllundt Osswaldt Mülsers, als gewesten Pflegers auf Schlossberg zuegetragner historj, von derselben zeit an, biß anher, vnnd noch heutigs tags, vnuersert, vnnd augenscheinlichen erhallten, vnnd gesehen wirdet, vnnd der vilfelltigen ansehenlichen Miracull vnnd wunnderzaichen, so sich durch Gottliche würckhung, dises hochwürdigen Sacraments, gar nachendt alle jar zuegetragen haben, vnnd noch beschehen, von grosser mennge volckhs, hochen vnnd nidern Stanndts Personen, Männer, vnnd weyber alle jar, sonderlich aber zu ettlichen fürnemen Festen, die von nachenden vnnd weitten ortten, daselbst ankhummen, mit hertzlicher Christenlichen andacht besuecht, vnnd mit jren Opffern vnnd Gaben verehrt worden, vnnd noch verehrt. Welche Walfarten gleich woll, von der zeit an, alls allerlay, vnnser wharen alten Christenlichen vnnd Catholischen Religion widerwerttigen Secten, jn Teutschlannden eingerissen etwas, vnnd nit wenig abgenomen, aber doch von

[1] Episcopo brixinensi (cardinali Christophoro Madrutio.
[2] Telfs, pagus tirolensis ad Oenum haud procul Oeniponte situs.

den auß vnnd jnnlenndischen Catholischen, noch järlichen nit in khlainer antzall andechtigklich verricht werden,

Nun weren E. F. dhc: nit weniger als derselben loblichiste Vorelltern, auß Christenlicher andächtiger bewegnuss genaigt, dises löblich Gottshauß, noch mher zuerheben, zuzieren, vnnd alle guette Ordnungen, zu lob vnnd Ehr des Allmechtigen, vnnd dises hayligisten Sacraments, fürzenemen, vnnd antzerichten, Wie Sy es dann alberait mit dem werckh ertzaigt, vnnd sonnderlich anjetzo ain newe Capellen daselbst jn der kirchen erpawen liessen, darein die Monstrantz, mit der mherermelten hayligen hostien des leibs vnnd bluets Christj, auss der vorigen Capell transferieret werden sollte. So weren auch E. F. dhc: gnedigist bedacht, für dises Gottshauß zu trosst vnnd guettem derjhenigen, so das haylig bluet daselbst, von weitten vnnd nachenden ortten, fürnemblich zu ettlichen sonnderbaren hochen Festen des Jarß besuechten, jr Christenlich andacht, mit jren Opffer, vnnd verehrungen, beicht, vnnd Communion, auch sonnsten bey halltung des Gottsdiensts, mit jrem gebett, auch raichung des allmuesen verrichten wurden, vber die zuuor bej solchem Gotshauß habenden, vnnd vor villen jaren erlanngten Babstlichen, Cardinalischen, vnnd Bischoflichen Jndulgentzen, bey jetziger Bäbstlicher hayligkhait, noch mherere vnnd reichlichere Jndulgentz vnnd ablaß zuwerben, vnnd verhoffenlich außzepringen, Es befänden aber E. F. dhc: das bey den Pfarrern, vnnd souill die versechung vnnd verrichtung, des vor vill jaren woll vnnd löblich angeordneten Gottsdiensts, antreffe, merckhlichen abganng vnnd manngl, auch anndere gebrechen, missgebreüch vnnd vnordnungen, darinnen wenndung vnnd einsehens zethuen, auch dieselben abtzestellen, vnnd dagegen guette, nutzliche, Christenliche ordnung fürtzenemen, bei disem weitberüempten Gottshauß, die notturfft erforderte. Welches aber füegklicher, vnnd fürstenndiger nit, als durch ain gebürende Visitation vnnd Reformation beschehen muchte. Dieweill dann dises Gotshauß, jn vnnd vnnder des Brichssnerichen Bistumbs Chrisum[1] vnnd gaistlicher Jurisdiction gelegen, So ersuechten E. F. dhc: jne ordinarium, das Er zue fruchtbarer anstellung, vnnd verrichtung ainer solchen, zu disem vorhabenden Christenlichen werckh erspriesslichen Visitation vnnd Reformation taugenliche geschickhte Commissarien mit dem fürderlichisten abfertigen, damit doch noch jetzt eingeende Fasten ain anfanng mit solcher Visitation gemacht, wa dieselb nit gar, zu ennd gepracht werden möchte etc. Den wollten E. F. dhc: derselben hiertzue qualificierte Commissarien, so dem Bischofflichen Visitatori, allen guetten, dienstlichen vnnd bestenndigen bericht geben, auch alle gelegenhait vnnd notturfft antzaigen vnnd fürbringen sollten, zuerordnen, vnnd Sy also samentlich souill jr jedem hierinnen zuhanndlen gepürte, die sachen fruchtbarlich verrichten wurden,

---

[1] Potestatem sacram significat.

Was ain Pfarrer auf dem Seefeldt järlichen für ain vnndterhalltung vnnd Einkhummen hab, wirdet in abangeregtem weyllundt Kayser, damals Khunig Maximilian loblichister gedechtnus[1] abschid vnnd Ordnung jm 1491. jar datiert befunnden, das ainem jeden Pfarrer auf dem Seefeldt jn allen Stöckhen[2] der drittayll, vnnd der kirchen die zwen thayl, was darein gefellt, vnnd gegeben wirdet eruolgen vnnd zuesteen, aber das gellt vnnd annders, so auf duldt oder anndern tagen[3] gesamblet, vnnd zuwegen gepracht worden[a] [?], soll one mittel, vnnd genntzlich der Pfarrkirchen bleiben. Dessgleichen soll Er khain thayll auß der Wachsspüchssen haben, jtem aus der Püchssen so auf dem altar in der Sacristey steet, soll der Pfarrer, souill an gellt auch den dritten, vnnd die kirchen die zwen thayll haben. Mher hat höchstermelter Khunig Maximilian beuolhen, vnnd verordnet, das vber angetzaigten enntschied, auch vber das, so er Pfarrer vor hat, auf ain jede Cottember, alle dweyll sein Maiestet solches nit abschafft, ainem Pfarrer daselbst, von der bemellten Pfarrkirchen nutzen, gegeben sollen werden, Sechs gulden, bringt ain ganntz jar vier vnnd zwaintzig gulden, nach lautt desselbigen, an Cipprian von Sernthein Pfleger zu Herttemberg[4], vnnd den Kirchprobst, an Sannt Barbaren tag[5] Anno 1494. aussganngen beuelchs etc. vnnd dann für die wissmad, so zum widen auf dem Seefeldt gehörig gewest, hat weyllundt Ertzhertzog Sigmundt[6], ainem jeden Pfarrer auf dem Seefeldt alle jar auß der Camer verordnet zugeben solang vnntzt[7] jnen, an ainem anndern ennde, souill güllt aussgetzaigt würdet benanntlich Siben Marckh das ist beschehen am Freyttag, vor Philippi vnnd Jacobi des 1484.ten Jarß[8] etc. Ob vnnd was ain Pfarrer weitter für Einkhumen hab, oder jme zu seiner, auch aines gesellpriesters vnnderhalltung, addition oder zuepueß von der Camer, oder auß jrem beuelch dem kirchenprobst gegeben worden, oder noch gegeben vnnd geraicht werde, jtem ob angeregte Possten der 24. ffl. auch der Siben Marckh noch richtig, vnnd dem Pfarrer järlichen betzallt, oder jn annder weg vergnüegt werden, wie es auch mit der behausung, darinnen ain gsellpriester sein whonung gehapt haben soll, beschaffen, Ob vnnd warumb dieselbig verenndert worden, vnnd ob dieselbig nit wider hertzue gepracht, vnnd ainem Capplan, oder gesellpriester eingegeben werden möchte, vnnd was für ain Com-

a) *Vel* werden.

[1] Maximilianus I. (1459—1519) a Germaniae principibus electus rex a. 1486. Hungariae quoque rex ab a. 1490 appellabatur; die autem 10. Februarii 1508 „electi Romanorum imperatoris“ nomen sumpsit.

[2] Arcas dicit pilis ligneis ferreisve infixas vel affixas.

[3] Diebus stati mercatus (*Dan. Sanders,* Wörterbuch der deutschen Sprache I, Leipzig 1860, 328) et aliis.

[4] Hörtenberg, arx prope Telfs sita (iam diruta vel collapsa). [5] 4. Decembris.

[6] Sigismundus († 1496), filius Friderici I. („Friedrich mit der leeren Tasche“). Tirolim Maximiliano I. cessit a. 1490.

[7] Unntzt = bis (quoad, donec). [8] 30. Aprilis 1484.

petentz jme, vnnd waher zuschöpffen, vnnd zuraichen, damit er für sich selbs hausen, vnnd sich vnndterhallten möchte, dann vnnsers gehorsamisten erachttens sollte nit vnrathsam sein, wie es auch E. Fl: dhc: für besser vnnd rathsamer gnedigist bedenckhen, die sach dahin zurichten, das der gesellpriester alda sonnderbar, vnnd nit durch jne Pfarrer vnndterhallten wurde, vnnd nit im Pfarrhof oder Widem sonnder ain abgesönnderte whonung, vnnd hausshaltung haben möchte. Das alles mueß bej E. F. dhc: Tyrolischen Camer, vnnd villeicht auch bej dem Kirchprobst aigentlich erkhunndiget werden, Derhalben werden E. F. dhc: derselben Cammer gnedigisten beuelch zugeben wissen,

Sonnsten befinndt sich auß ainer vertzaichnuß, so jetziger kirchenprobst den 20.ten Maij · anno 1567 · vbergeben, das das järlich Einkhommen der Kirchen auf dem Seefeldt, in ainer Summa vnnd zusammen thuen solle 157. gulden 22. kr.[1] Das versteen wir ausserhalben desjhenigen, so in die Stöckh gefellt, dauon wie oben angetzaigt, die zwen thaill der Kirchen, vnnd dann das gellt, so auf duldt oder annder täg gesammellt, Mher alles wachs, Cleinat, vich, khlain vnnd gross, oder annders das in die Sacristey gegeben wirdet, das alles one mittel, vnnd vnuerhinndert des Pfarrers oder seines Vicarj der kirchen eruolgen soll, wie obberüerter Khunig Maximilians abschidt mit sich pringt. So hat ain Messner (· so Gottsförchtig, erber, frum, aufrecht, auch des schreibens vnnd lesens erfaren sein soll, deme woll zuuertrawen sey, wie er auch bürgschafft geben mueß ·) 16. gulden besoldung, vnnd das hauß sambt der Stallung, vnnd Pawstadel, so anainanndern ist, vnd darinnen er Messner haust, das gehört dem Gotshauß allain zue, Mher hat er zway stuckh güetter, als ain Wissmad, das man nennt derokrims, welches järlich zwelff fueder hew tragen soll. Gleichwoll werde es mit grossen vncossten eingearbait, dergestallt das das mad weytt im Kraiss, vnnd wenig abgebe. Das annder Stuckh ist ain änngerle, welches man anpawen mag, vnnd bej Sechs Stär[2] Samen anfellt, jtem das er Eerung oder schannckhung, mit sampt dem kertzen machen, vnnd das so er vmb das Gottshauß verdient järlichen zu gnieß zuempfahen hab, als vngeuärlich bej zehen oder ailff gulden, wie disen bericht mhergedachter Ganndtner, als Kirchenprobst, herrn Jacoben Zoller vom 27.ten Nouembris anno 1570. zuegeschriben hat.

Alssdann weitter E. F. dhc: von wegen beherbergung der bilger, vnnd annderer, so sich durchs jar, vnnd sonnderlich, zu den hayligen fürnemen Festen, dahin verfüegen, dises gnedigist nachgedennckhen haben, weill vor jaren zway wiertsheüser aufm Seefeldt gewest, das ain aber abganngen, vnnd allain in dem anndern der zeit wiertschafft

[1] Kreutzer (nummi crucigeri; 60 crucigeri = 1 florenus rhenanus).

[2] Stör = mensura quaedam, italice staro, stajo, latine sextarius (?). Cf. *Sanders* l. c. II[2] 1162 et *I. C. A. Heyse,* Fremdwörterbuch, 11. Aufl., Hannover 1853, 844—845.

gehallten werde, das das abgangngen wiertshauß auch wider auftzebringen, vnnd wiertschafft darinnen angericht werden möchte etc. Darüber aber E. F. dhc: ,vnnd was derselben, solches also jns werckh zupringen für ain hilff, vnnd gnad darzuthuen, vnnd bewilligen möchten, vnnser gehorsamist räthlich guetbedunckhen erfordern. Nun haben wir aber wie es mit der abganngnen wirtschafft vnnd behaussung geschaffen, oder wer sich dieselben wider auftzepringen, vnnd wiertschafft darinnen zuhallten, vnndterziehen, vnnd dartzue zubewegen sein möchte, gar khain bericht, villweniger khünden E. F. dhc: wir dess, auch der hülff halben, vnnser gehorsamist bedennckhen nit antzaigen, sonnder hiellten vnndterthenigist darfür, das E. Fl.: dhc: von derselben Tyrolischen Cammer bericht vnnd rathsam guetbedunckhen nemen, die möchten (· wo sy zuuor nit gnuegsam bericht hetten ·) villgemellten Kirchenprobst, auch Ludwigen Auer, als der alhie diser zeit, an der ynpruggen hausshablichen whonet, vnnd wie vnnß bewisst zuuor ettliche jar sampt seinem vatter, die wierttschafft auf dem Seefeldt getriben, vnnd versehen hatt, hierüber mit jrem vnndterricht vernemen, villeicht wurde sich gedachter Ludwig auer, da mit jme desshalben gehanndlt, bewegen lassen, weill er ain zimblich vermögen haben soll, die abganngen behaussung vnnd wierttschafft wider auftzurichten. Vnnd were nochmals vnnser gehorsamist guetbedunckhen, das solche fürsechung, von wegen beherbergung der pilger, auf angetzaigten, oder ain anndern weg, mit dem eheisten es sein möchte, in das werckh gericht, vnnd nit eingestellt wurde, dann dardurch wirdet vrsach vnnd anraitzung gegeben, das vmb souill mher pilger, vnnd anndere Personen, jnner vnnd ausser Lanndts, sich zu solchem Gottshauß verfüegen, vnnd desto lennger mit verrichtung jrer andacht alda, fürnemblich zu den bestimpten sonnderbaren hochen Festen, pleiben werden,

Souill die beichtvätter, die hienauf zu den bestimpten sonnderbaren Festen vnnd tägen zuuerordnen betrifft, were vnnser gehorsamist guetachten, das diser articull, jn der Visitation dem Ordinario oder seinen Commissarien, auch fürgepracht, vnnd mit jme tractiert werden sollte, wie solche anstellung vnnd verordnung der beichtvätter, am fueglichisten beschehen möchte. Dann sonnsten nach ausweissung, weyllundt höchstgedachts Kayser Maximilians enntschiedts, vnnd ordnung, wie die in angeregtem, mit rottem leder vbertzogenen buech begriffen, dem Pfarrer auf dem Seefeldt gepürt, vnnd er schuldig sein soll, sampt seinen dreyen Capplänen oder gesellpriester daselbst, beichtzuhören, wie jme auch one das von Rechtswegen die Administration der Sacramenten ditz ortts, als Pastori zuegehört. Da sich aber der Ordinarius ainer anndern Ordnung, vnnd sonnderlich das von hieauß Priester oder Ordenssleüth, zu beichtvätter hienauf zu angeregten Festen zuuerordnen vnnd zuschickhen sein sollten, enntschliessen wurde, alssdann hette er dem Pfarrer zubeuelhen, vnnd auftzelegen, das er solchen verordneten beichtvätter khain eintrag oder verhinnderung

thuen sollte. Wir hielten aber gehorsamist darfür, das diser articull einzustellen, biß die Bäbstliche Jndulgentz erlanngt, vnnd wie sich gepürt allenthalben jm Lanndt publiciert wurden, alssdann were noch früe genueg, von wegen verordnung der beichtvätter die sachen an Ordinarium gelanngen zulassen. Wie man auch danzemal bedacht sein müesste, wa, vnnd bey whem dieselbigen Beichtvätter, jr herberg haben sollten, dann in den wiertsheüsern were es von wegen des gmainen ankhomenden volckhs ganntz vnbequemlich, Der Pfarrer oder Gesellpriester aber, möchten sich der beherbergung, da jnen die auferlegt, wie auch herwiderumb die Beichtvätter bej dem Pfarrer, oder gesellpriestern die herberg zunemen, sich auch beschweren, weyll sy zu solchen Festen von wegen des beichthörens ettlich täg daselbt verharren müessen,

Letstlich gnedigister Furst vnnd Herr, haben wir vnnder anndern schrifften, auch ain bericht, von wegen obermellten Commissarien, den 26.ten Julij · Anno 1567.ten vbergeben befunnden, darinnen sy allerhanndt abganng, vnnd menngl, bej disem Gotshauß, antzaigen, Was darauf eruolgt wissen wir nit, aber einsechens vnnd wenndung zuthuen (· da es zuuor nit beschehen ·) hiellten wir ain notturfft zusein,

Wie dann bissher, mit des Gotshauß Einkhumen gehauset, wohin, auch wie dasselbig verwenndt oder angelegt worden, darüber möchten E. F. dhc: von derselben Rath vnnd Pfleger zu Vellenberg gemelltem Zoller bericht nemen, weill er, ettlich Jar her, bej aufnemung des Kirchenprobsts Raittungen gegenwerttig gewest, dieselben auch sambt anndern des Gotshauß sachen, jn seiner verwarung gehapt, wie auch villeicht nit vnrathsam, das ain Superintendent, vber mhergemellts Gotshauß verordnet wurde, der in solchem, vnnd allem anndern, sein fleissig aufsehen, vnnd beuelch hette, des Gotshauß wolfart jedertzeit mit angelegnem fleiss zubefürdern, vnnd wo sachen fürfüellen, die jme zuuerrichten zuschwer, oder dermassen beschaffen sein wurden, das E. F. dhc: oder derselben Regierung oder Camer darinnen beschaydt zugeben von nötten sein wollte, das ers alssdann, an E. F. dhc: dero Regierung, oder Camer mit seinem bericht prinngen, vnnd sich alda beschaidts erhollen sollte. Was aber anstanndt haben möchte, das sollte biß auf die järliche Visitation verschoben werden.

Welches alles E. F. dhc: auf derselben gnedigist Decret vnnd beuelch, wir in demüetigister vnnderthenigister gehorsame nit verhallten sollen, vnnd thuen E. F. dhc: als vnnserm gnedigisten Herrn vnnd Lanndtsfursten vnnß zu gnaden alletzeit gehorsamist beuelhen, Datum Ynnsprugg den 24.ten Februarij, anno 1574.

E. Fl.: dhc:

Demüetigiste gehorsamiste vnnd vnndterthenigiste Capplan vnd diener,

Christoph Klockler D.
Cancellarius Tirolensis.
Petrus Canisius Theologus.

Postscripta · Gnedigister Furst vnnd herr, die Brief, Buech, vnnd schrifften, darauf sich diser vnnser gehorsamister bericht referiert, ligen in ainem Trüchlin, mit zwayen Schlössern verschlossen, so vnnß sambt den Schlüsseln dartzue, mhergemelter herr zoller vberanntwurt hat. Die sollen auf E. F. dhc: gnedigisten beuelch, derselben, oder whem, vnnd wie sy es verordnen, zuegestellt vnnd behenndiget werden, Datum Vt s[1]:

An die frl: dhc: Ertzhertzog Ferdinannden zue Österreich etc. vnnsern gnedigisten herrn ·

Adiunxit Canisius his litteris, ut ex ipsis intellegitur, haec „puncta" sive capita a se composita: Damit die Seefeldische historij bej vnnd mit dem heyligen Pluet geschechen, der Fl. Durchlaucht etc. genedigisten befelch nach, mit allen jren documenten vnd circumstantien recht vnnd ordenlich beschriben möchte werden, begert man vnderthenigclich, als vil miglich, ain grundtliche instruction auf die Neün volgenden puncten, vnnd was sunst weiter zu der sachen dienen vnd helffen möchte

Erstlich, ob nit ettliche glauwirdige[a] [?] schrifften vorhanden, welliche sollichem heyligen wunderzaichen vom anfanng zeugnus geben[2], vnnd die insonderhait so woll des Priesters, als des Oswaldt Milsers pflegers zu Schlossberg melden, was wessens vnd standts derselbig Oswaldt gewesen, wo er gelebt vnd gestorben.

Fürs annder, zu wellicher zeit diß obgemelt wunderzaichen geschechen, vnder wellichem Tyrolischen Grafen oder Landtsfürsten, auch vnder wellichem Bischof zu Brixen.

Zum dritten, souil die Seefeldische khürchen belanngt, ob dieselbige vor oder nach — sollichen grossen wunderwerckh erpawet[3], vnnd durch wem, auch was sunst ferners derselbigen khürchen ersten stifftung vnnd dotation betrifft.

Zum vierdten, ob nit alte schrifftliche zeugnus von des obgemelten Milsers Eheweib[4], von jren vngelauben vnd volgendter straf.

Zum fünfften, wer doch · der Parciual weinecker gewesen, der die heylige hosti soll mit grosser solennitet in die monstranzen verfassen haben lassen, vnd ob er dasselbig aus aigner bewegnus, oder villeicht aus fürstlichen oder Bischoflichen befelch gethon habe.

a) *Corrigendum esse videtur:* glaubwirdige.

---

[1] I. e. ut supra.

[2] Complura testimonia non aequalia quidem, sed antiqua et valde gravia, ut Leopoldi pii principis tirolensis (a. 1399), Friderici I. (de quo supra p. 189), Sixti IV, (v. supra p. 161), Maximiliani I. imperatoris (1518), sunt apud *Tinkhauser* l. c. III 91 99 103 122.

[3] Ampla haec ac pulchra ecclesia (quae adhuc exstat) saeculo XV. gothico structurae genere aedificata est.

[4] Dorothea de Starkenberg (*Tinkhauser* l. c. III 93—96).

Zum sechsten, Ob nicht schrifftlichs zu finden von den ersten daselbs geschechene wunderzaichen mit denen, die sich auf Seefeldt verlobt.

Zum Sibendten, was massen, vnd durch was mitl die Walfart vnnd Gottes dienst auf den Seefeldt ye lennger, ye mer befurdert worden vnnd zuegenommen habe.

Zum achten, ob nit die fürnembsten daselbs beschechnen oder allerlay glauwirdige[a] wunderzaichen schrifftlich verfasst, oder vorhannden seyen.

Zum Neünten vnnd letsten, was hochen personen baider Stennden disem Gottzhauß vnnd wunderzaichen für zeugnus geben haben.

Ea, quae Canisius et Klöcklerus 18. Ianuarii et 24. Februarii 1574 ad cultum hunc eucharisticum amplificandum praestari debere censuerant, magnam partem ad effectum deducta sunt; nam a. 1580 Dilingae vulgatus est liber, quo miraculum illud diligenter enarrabatur (v. infra, monum. 1255); a. 1582, si non prius, parocho a Ferdinando II. principe adiunctus est sacerdos „beneficiatus"; a. 1604 cura sacrorum tradita est monasterio ordinis Eremitarum S. Augustini, quod ab eo anno usque ad a. 1785 Sefeldiae stetit; quod autem ad indulgentias attinet, etsi indulgentiae 1000 et plurium annorum non videntur esse concessae — fortasse ne petitae quidem sunt —, Gregorius XIII. a. 1575 et Clemens VIII a. 1599 indulgentias plenarias certis cum condicionibus concesserunt (*Tinkhauser* l. c. III 106—108. 122. 125—126; *Sinnacher* l. c. VIII 144—145; IX 757—758).

1875. P. IOANNES RETHIUS S. J. regens gymnasii Trium Coronarum coloniensis CANISIO. Colonia 16. Martii 1574.

Ex commentario manu ipsius Rethii scripto. Cod. colon. „Un. 602" Epp. f. 263a—264b. Epistulae partes aliquot ex eodem commentario edidit *Hansen* l. c. 675; quibus usus est *Duhr*, Jes. I 771.

Praefatio editoris. Rethius a. 1573 una cum Canisio, a Gregorio XIII. arcessito, Romae congregationi generali Societatis (ab Aprili ad Iunium) interfuit (v. supra p. 125). Italici autem huius itineris (cuius „diarium" adhuc exstat) opportunitate usus est ad multos viros doctos in variis urbibus invisendos et ad scribendum excitandos (*Hansen* l. c. XXX 640—641); atque ex uno hoc anno 1574 plus 150 epistulae supersunt a Rethio rei litterariae apud catholicos iuvandae gratia datae (*Jos. Klingenberg*, Johannes Rethius, in „Das Marzellen-Gymnasium in Köln 1450 bis 1911", Köln 1911, 55).

Collegium germanicum floret. Patres graeci vertuntur. Suffridus Petrus. Plantinus ad graecas Patrum editiones iuvandus. Gropperus nuntius apostolicus. Nuntius ad Belgas.

Gratulor tibi, R. Pater, et Germaniae, quod iter tuum Romanum fructuosum fuerit. En conspicis conatuum tuorum gloriosos fructus. Obtinuisti enim quod uolebas: Pontifex Maximus amplum seminarium Germanicum Romae erexit: optimae expectationis adolescentes cateruatim in illud se recipiunt, redituri aliquando probe instructi ad euangelium Christi euangelizandum populis, qui in Germania pseudopraedicantium imposturis misere ab Euangelio traducti fuerant ad haereses improbissimas. Deus magnifice ac splendide labores tuos remunerabit in coelo. Quod de meis conatibus quaeris, minus quidem

a) *Vide p. 196, adnot.* a.

foeliciter, non tamen omnino male cesserunt. Nam in transferendis Graecis patribus sedulo laborant, Iacobus Billius[1], Gentianus Heruetus[2], Bonauentura Vulcanius[3], Vilhelmus Canterus[4], et Albertus Hero[5], homines orthodoxi, quorum translationes, uti confido, uiris doctis et Ecclesiae ualde placebunt. Egregiam autem mihi in eodem laboris genere spem praebuerunt M. Antonius Muretus[6], Iulius Gabrielius[7], Ioannes Baptista Gabius[8], Fabius Beneuolentius[9], Viuianus Bru-

---

[1] Iacobus de Billy (1534 vel 1535—1581), Gallus nobilis, O. S. B., abbas monasteriorum S. Michaelis in Eremo et SS. Mariae et Petri de Ferrariis (Ferrières), latine vertit Opera SS. Gregorii Nazianzeni, Ioannis Damasceni, Isidori Pelusiotae, „vir", ut *Antonius Possevinus* S. J. ei aequalis ait, „optimus et solide catholicus" (Apparatus sacer I, Coloniae 1608, 781).

[2] Gentianus Hervet (1499—1584) prope Aurelianum (Orléans) natus, doctor sorbonnicus, aliquamdiu Romae cum cardinalibus Polo et Cervino et Tridenti in concilio versatus, denique canonicus rhemensis, praeter multos libros latine et gallice de rebus theologicis (contra Calvinianos) et de rebus philosophicis scriptos edidit versiones latinas easque satis accuratas operum Clementis Alexandrini, complurium librorum S. Basilii, S. Ioannis Chrysostomi, Theodoreti episcopi cyrensis, Historiae Lausiacae Palladii etc. (*H. Hurter* S. J., Nomenclator literarius Theologiae catholicae III[3], Oeniponte 1907, 296).

[3] Bonaventura Vulcanius sive Smet (1538—1614) sacerdos brugensis hoc tempore Bruxellis morabatur (*Hansen* l. c. 636[2]); postea ad Calvinianos transgressus Leidae litteras graecas docuit; qui Callimachum, Moschum, Bionem latine vertit (*F. X. de Feller*, Biographie universelle, nouv. éd., par *Weiss-Busson* VIII, Paris 1850, 371; *Hansen* l. c. 686[1]). S. Cyrilli Alexandrini libri „Adversus Anthropomorphistas" et „De adoratione in spiritu et veritate" a Vulcanio latine Coloniae a. 1573 editi comparent in *Georgii Vvilleri* „Catalogo novo, ex nundinis autumnalibus" etc., Franckfurt am Main 1573, f. A 4[a].

[4] Guilielmus Canter (1541—1575) ultraiectensis, artis criticae peritus ac multorum auctorum graecorum et latinorum versione vel editione clarus, Lovanii et vitam a rebus publicis valde semotam egit et admodum pie mortuus est (*Feller* l. c. II 380; *Hurter* l. c. 221[a]).

[5] Albertus Hero († 1589) snecanus (Sneek, civitas regni neerlandici), theologiae doctor coloniensis, Coloniae philosophiam in gymnasio laurentiano docuit, ibidem a. 1580 librum „De providentia Dei" edidit, prope Dusseldorpium a. 1589, cum munere pastorali fungeretur, mortuus est" (*Franc. Sweertius*, Athenae Belgicae, Antverpiae 1628, 301—304; *Hurter* l. c. 160).

[6] Marcus Antonius Muretus (1526—1585), Mureto (Muret) prope Augustoritum (Limoges) ortus, maximum in viris humanitatis studiosis nomen habens, cum Parisiis (in collegio S. Barbarae) et Tolosae magister fuisset, hoc tempore Romae in collegio Sapientiae docebat; paulo post ibidem sacris ordinibus initiatus est (*Feller* l. c. VI 151—152).

[7] Iulium Gabrielium sive Gabrielli († 1579) nobilem eugubinum et Possevino, ut hic ipse testatur, „peramicum" Rethius Romae convenerat; is, cum a. 1569 Xenophontis Cyropaediam Venetiis latine edidisset, a. 1573 tres orationes S. Gregorii Nazianzeni latine a se versas cum scholiis suis Antverpiae apud Plantinum in lucem emisit (*Possevinus* l. c. I 989; *Chr. G. Jöcher*, Allgemeines Gelehrten-Lexikon II, Leipzig 1750, 819—820; *Hansen* l. c. 641).

[8] Ioannes Baptista Gabius veronensis Romae in collegio Sapientiae linguae graecae praecepta tradebat (*Hansen* l. c. 641).

[9] Fabium quoque Benevolentium senensem Rethius Romae convenerat; is librum de quinque dogmatibus cum Graecis controversis, qui sub nomine Gennadii patri-

norius, Matthaeus Deuarius[1], Pompilius Amasaeus[2], Stephanus Carolus professor Bononiensis[3], Bernardinus Felicianus[4], Ioannes Baptista Rasarius[5], et Reuerendissimus Gabriel Alexandraeus Suffraganeus Tridentinus[6]. Quibus se adiungeret Suffridus Petrus Frisius catholicus, doctus et laboriosus[7]. Verum is de uictu et uestitu suo, et familiae suae solicitus est. Viuendum siquidem illi est ex laboribus, et si ex his non licebit, ex alijs necesse erit, et si hi alijs praeponendi, ex ijsdem subsidium uitae expectandum putat, quoniam uxor illi et liberi sunt alendi. Quaeso itaque exhortare aliquem uel Episcopum, uel Principem, ut tenuitati Suffridi suis opibus subueniat. Christophorus Plantinus ex cuius officina prodiere praeclara illa uolumina biblica uariarum linguarum[8], Graecorum Theologorum opera ea lingua imprimeret, qua scripta sunt, si Principes, aut Episcopi, aut alij opulenti homines exemplaria suppeditarent, et partem sumptuum: ipse in singulis operibus omnium authorum quartam partem sumptuum ferret. Graue non esset (ut quidem ego existimo) Archiduci Austriae Ferdinando, nec Duci Bauariae Alberto, nec Archiepiscopo Salisburgensi[9], nec compluribus alijs, ut unus in Athanasij, alius in Chrysostomi, alius in Epiphanij, alius in Damasceni, alius in alterius peruetusti graeci Theologi libros excudendos nummorum aliquid impenderet. Ecclesiae autem Catholicae, si minus necessarium, utile certe foret, ueterum Graecorum theologorum uolumina graece impressa apud typographum Catholicum extare. Haec propono, ut si quid opis adferre possis, adferas R. Pater. Summum Pontificem (uti spero) nunquam poenitebit clarissimum doctorem

---

archae circumferebatur, ex graeco sermone in latinum transtulit; plura v. infra, ep. 2071.

[1] Matthaeus Devarius sive Devaris graecus (cretensis? corcyrensis?) Romae in domo Alexandri cardinalis Farnesii semper fere versabatur; qui copiosum „De graecae linguae particulis" commentarium (tribus voluminibus Lipsiae 1835—1842 iterum editum) composuit et Catechismum Romanum graece vertit (*Jöcher* l. c. II 95; *Hansen* l. c. 641; *Conr. Bursian,* Geschichte der classischen Philologie in Deutschland, München u. Leipzig 1883, 787—788).

[2] Pompilius Amasaeus duo Polybii fragmenta latine a se versa a. 1543 Bononiae edidit; ibidem a. 1550—1584 graecas litteras tradidit (*J. Chr. Adelung,* Fortsetzung und Ergänzungen zu Chr. G. Jöchers allgemeinem Gelehrten-Lexiko I, Leipzig 1784, 687).

[3] Carolus (Carlo?) a. 1573 latinum de aliquot Demosthenis orationibus commentarium edidit (*Adelung* l. c. I 125).

[4] Ioannem Bernardinum Felicianum (alias „Regazola") O. S. B. Rethius Venetiis viderat; is litteras elegantiores Ticini (Pavia) tradidit et, praeter alia, complures Aristotelis et Galeni libros ex graeco in latinum transtulit (*Jöcher* l. c. II 549).

[5] Ioannes Baptista Rasarius sive Rasario (1517—1578) prope Novariam (Novara) natus, medicus beneficentia clarus, eloquentiae et linguae graecae praecepta per plus 20 annos Venetiis tradidit et varios Georgii Pachymerii, Ammonii, Xenocratis, Hippocratis, Galeni libros latine reddidit (*Feller* l. c. VII 163).

[6] Gabriel Alexandraeus sive Alexandrini (cf. *Hirn* l. c. I 362).

[7] De hoc vide, quae sub ipsas has litteras dicentur.

[8] De his vide supra p. 107 [2]. [9] Ioanni Iacobo Khuen de Belasy.

Gasparem Gropperum ablegasse in Germaniam. Vtinam mittat et in Belgicam regis Hispaniarum Nuncium cum potestate legati a latere. Metuo enim ne multa uulnera ibi sint, quae Summi Pastoris medicam manum quam maximopere requirant: quibus curatis omnes tempestates, quibus grauiter illic concutitur Ecclesia, omnipotenti sua iussione misericorditer, ut pie sperandum est, sedaret clemens et benignus Deus. Hunc precare pro uniuersa Belgica, uenerande et per quam dilecte Pater. Salutat R. P. Rector collegij R. P. Leonardus Kesselius, idem salutem precatur P. Vilhelmo Elderen, cui et caeteris R. Patribus ac charissimis fratribus meis etiam uerbis rogo salutem dic. Coloniae. anno 1574 · die 16. Martij.

R. P. T. inutilis seruus

Ioannes Rethius.

Petro Canisio doctori Theologo Societatis IESV. Oenipontum[a].

Rethio, ut has litteras scriberet, stimulos admoverat *Suffridus Petri;* cum enim Rethius Petrium ad S. Maximi Confessoris Scholia in Dionysium Areopagitam et Georgii Pachymerae Paraphrases in eundem latine reddenda hortatus esset (id quod ex Petrii ad Rethium *litteris Lovanio 15. Decembris 1573 datis intellegitur) et se tum aliis, tum Canisio, ut Petrio pecuniam providerent, scripturum significasset, *Petrius* Rethio Lovanio 8. Martii 1574 *respondit: „Cum ex propositi tui constantia integritatem animi metiendam in praesenti negocio ducam Reuerende Pater, equidem per me stare non patiar, quo minus paraphrasis et commentaria simul in Dionysium ex graecis latina fiant. Jtaque quod de Domino D. Petro Canisio, ac de Abbatibus istis facturum te promisisti, id vt facias, et quantum quidem in te erit, ad effectum perducas, oro atque obsecro, et fidei tuae committo" (ex autographis; Cod. colon. „Un. 603" f. 229[a] 268[a]—269[b]). Suffridus Petri (1527—1597) ex Rynstmageest prope Dockum Frisiae civitatem ortus, cum litteras et humanitatem Erfordiae docuisset et secretarium bibliothecariumque Antonii cardinalis Granvellae egisset, Coloniae professor iuris et, uxore mortua, canonicus ecclesiae 12 Apostolorum factus est; ordinum quoque Frisiae historiographus est constitutus; is, praeter alia, quinque orationes de utilitate linguae graecae composuit, complures Plutarchi, Athenagorae, Sozomeni libros latine vertit adnotationibusque illustravit, de illustribus Ecclesiae scriptoribus opus valde utile (Coloniae 1580) edidit (*Posserinus* l. c. II 437; *Feller* l. c. VI 462—463; *Hartzheim*, Bibl. Colon. 301).

Canisius Rethio respondit 24. Iunii 1574.

1876. EVERARDUS MERCURIANUS praepositus generalis Societatis Iesu CANISIO. Roma 18. Martii 1574.

Ex apographo eiusdem temporis; in margine, eadem manu: „P. Petro Canisio." G. Sup. 1 f. 8[b].

De rectoris oenipontani administratione iuvanda. De regulis.

Parum habeo quod ad literas Reuerentiae T. 8. Februarij datas respondeam, nisi quod gratum mihi fuit quod de Rectore Oenipontano[1] mihi significauit, qui quando Consilijs ac monitis P. Prouincialis[2] iuuabatur, spero in Domino bonum illum Patrem ita profecturum, ut posthac in eadem ne cadat incommoda. Tuae uero charitatis erit interdum illum de ijs docere, quae T. Reuerentia cum reliquis Consultoribus in

a) *Rethius hanc inscriptionem in capite commentarii posuit.*

[1] P. Wendelino Völck. [2] Hoffaei.

Domino iudicabit illi esse proponenda: ea tamen ratione, ut simul animus illi addatur, potius quam laqueus eius administrationi inijci uideatur. Regularum quas T. R. petit reformationi opera datur. Interim eae, quae iam prodierunt cum interna charitatis lege[1] satis amplam occasionem dabunt, ut in eis sese nostri exerceant . *etc.* Romae 18. die Martij 1574.

Quanti Mercurianus ea, quae Canisius de Volckio rectore eum monuerat, fecerit, magis etiam, quam ex litteris modo positis, intellegitur ex *epistula Roma 25. Aprilis 1574 ad ipsum illum rectorem data; in qua *Mercurianus* (incommoda quoque a P. Naso Sociis illata commemorans) haec scribit: „Ex literis Consultorum T. Reuerentiae atque item Prouincialis magnum in Domino solatium coepi, T. Reuerentiam administrationi istius Collegij sedulo operam dare, rerumque praeteritarum peritiorem te indies factum ut iam bono in statu res uestrae futurae sint si alacriter quod inchoatum est perficiatur. Ego sane non dubito quin ea · quae perpessi estis hactenus incommoda · sint ad gloriam Domini maiorem cessura · si interioris nostrorum disciplinae et regularum obseruationis potissima ratio habeatur. Nam ita Dominus ijs organis utetur quae ad sui nominis propagationem aptiora et magis disposita cognouerit. Quam ad rem magni momenti est et maioris quam forte uerbis assequi possim si ij qui praesunt saepe cum suis Consultoribus tractent cum de regularum obseruatione iuxta modum procedendi Societatis tum de alijs negotijs praesertim de proximorum aedificatione. Haec mi Pater cupio T. Reuerentiae esse cordi“ (ex apogr. eiusd. temp., Germ. Sup. 1 f. 8^b).

1877. COLLEGII PATAVINI S. J. sodales CANISIO.

Patavio inter Ianuarium et medium Iunium 1574.

Vide infra, primum caput epistulae 1888.

Canisius Patavii, ubi compluriens, ut a. 1565, 1569, 1573 erat, divitem quoque illum et pereruditum virum Ioannem Vincentium Pinellum († 1601) cognovit, qui litterarum colendarum causa Neapoli Patavium transmigraverat, pretiosos ibi tum codices manu scriptos, tum libros colligebat, ad multos per Europam homines doctos litteras dabat; sic enim *Pinello* Patavio 2. Decembris 1573 P. Ioanni Rethio gymnasii Trium Coronarum coloniensis regenti, qui eum eodem anno Patavii convenerat (*Hansen* l. c. 641), *scripsit: „Hebbi pochi di sono una sua con la data di Colonia del primo di settembre . . . desidera da me nota de miej libri manuscritti, che non sono ancora stampati, pensando forse, ch' io n' habbia copia · il che non è in uerità, non hauendo io in materia theologica, cosa di momento, che non sii stampata · con tutto ciò noterò nella fine di questa lettera certe poche cose, nelle quali se mi si darà occasione di seruire la P. V. et il R. P. Canisio, sij certa, che me 'l reputarò à somma uentura · al quale P. Canisio sono molto affettionato, et priego la .S. V. à fargli l'imbasciata“ (ex autogr.; Cod. colon. „Un. 603“ f. 260^a). *Rethius* huic epistulae hoc adnotavit: „Recepi anno 1574. die 14. Februarij“.

1878. P. THEODORICUS CANISIUS S. J. universitatis collegiique dilingani rector CANISIO. Dilinga circa finem m. Martii 1574.

Ex Portiae litteris archetypis, a Minutio Minucci eius secretario scriptis. Cod. rom. „Germ. Vol. 80“ II p. 96. Litteras ex archetypo primus edidit *Schellhass*, Nunt. III 403—404.

De episcopi augustani infirmitate.

---

[1] Ad Societatem promovendam, ait *S. Ignatius* in prooemio Constitutionum, „interna charitatis et amoris illius lex, quam Sanctus Spiritus scribere et in cordibus imprimere solet, potius quam ullae externae Constitutiones adiutura“ est: *Constitutiones*, Prooem. n. 1.

Portia nuntius apostolicus Oeniponte 7. Aprilis 1574 Romam ad cardinalem Comensem haec rettulit de Ioanne Egolpho a Knöringen episcopo augustano Dilingae versante: „Intendeuo dal Padre Canisio per auuisi, che ordinariamente hà dal fratello rettore in Delinga, che Mons. vescovo si truoua in così mali termini di sanità, che non admette alcuno, per amico, ò parente charo che sia, à ragionamenti o a uisita".

1879. P. IOANNES ZANTHENUS S. J. CANISIO.

Colonia ineunte vel medio a. 1574.

Ex commentario epistulae Rethii, ipsius manu scripto, quod est in Cod. colon. „Un. 602" II f. 350^b—351^a.

P. Ioannes Rethius S. J., regens gymnasii „Trium Coronarum" coloniensis; Colonia 3. Septembris 1574 haec, praeter alia, ad Canisium rettulit: „Iacobus Riswich sororis tuae filius, conuictor noster, singulis septimanis confitetur et communicat, ualde desiderat admitti in Societatem nostram. Mater autem eius cuperet per R. P. T. Romae illi impetrari locum in collegio germanico, de qua re P. Ioannes Zanthaenus ad R. T. alias scripsit, et iterum scribit. Adolescentulus iste annorum est circiter sedecim, rhetoricae classis".

Ex „Postscripto" epistulae 5. Octobris 1574 a Canisio ad Fabricium datae (infra, ep. 1905) aliqua ratione probabile efficitur, Canisium, num Iacobus in collegium germanicum recipi posset, sciscitatum esse. Ceterum de Iacobo Rijswick, Noviomagi ex Theodorico (Theodoro?) van Rijswick et Aegidia Kanis (v. *Can.* V 335 660—661) orto, in * „*Catalogo* collegii coloniensis anni 1578" notatum est, eum esse „annorum 20", in Societatem autem Iesu ingressum esse a. 1577 „m. Aprili"; est „Magister in artibus" et „medius lector inter Rhetoricam, et poeticam"; „edidit vota simplicia tantum" (Cod. „Hist. gymn. tr. cor." f. 175^b). Deinde, cum Monasterii Westphalorum et alibi magistrum et contionatorem egisset et comitatui rietbergensi (Rietberg) ad fidem catholicam reducendo egregiam operam navasset, a. 1606, dum milites aegrotos curat, pestilentia abreptus est (*Duhr*, Jes. II [1] 46—47 62—63). In Collegii germanici catalogis nomen Iacobi huius non exstat.

1880. P. PAULUS HOFFAEUS S. J. praepositus provincialis Germaniae superioris CANISIO ceterisque consultoribus suis et aliquot aliis Societatis sacerdotibus.

Ingolstadio (?) circa medium m. Aprilem 1574.

Ex autographa Hoffaei ad Mercurianum epistula. Germ. 135 f. 145.

Quaerit de cursu et paedagogio Ingolstadium reducendis.

Hoffaeus provincialis Augusta 1. Maii 1574 ad Mercurianum praepositum generalem haec rettulit de universitate ingolstadiensi, in qua propter cursum philosophicum et paedagogium a. 1571 ab Alberto V. duce Societati eique soli tradita tam acres ortae erant inter Socios et reliquos academicos controversiae, et hi tantas Sociis difficultates exhibuerant, ut Societas tandem pacis causa et duce, consiliariis, professoribus probantibus m. Septembri 1573 scholas philosophiae, rhetoricae, literarum humanitatisque cum magistris et Societatis fratribus scholasticis Monachium transferret, solis duobus de Societate theologiae professoribus Ingolstadii relictis (I. N. Mederer l. c. II 10; Duhr, Jes. I 59—60): „Jngolstadij cum

nuper essem[1], *cognouj Academiam ob nostrorum absentiam valde frigere: D. Eysengreinium Academiae Superintendentem de salute Scholae absque Societatis praesidio plane desperare: Academicosque suis consilijs turpiter esse captos: bonam studiosorum partem abijsse, denique reliquorum multos nostrum discessum deplorare et alio quoque commigrare velle: interim Scholam Dilinganam et Monachiensem numero et fama vbique [cresc]ere. Post pascha*[2] *illuc missi sunt Principis Consiliarij*[3], *vt prolabenti Schol[ae op]em ferrent: at consilium ipsis aliud suppetere non audio, quam vt nostrj reuocentur. . . . Tempestiue meos consiliarios*[4] *et quosdam alios Patres suam de nostro Jngolstadiensi reditu sententiam rogaui; eam hic mitto: asscripsi et meam donec breui mittam forte firmiorem, vt cum opus fuerit, habeat P. V. quod respondeat Principi, vel etiam Pontifici, si eum forte Princeps inuocare velit*" [5].

Quas quaestiones Hoffaeus Patribus illis proposuerit, colligi potest ex Canisii et Völckii responsis ante exitum m. Aprilis Hoffaeo missis; v. infra, ep. 1881.

1881. CANISIUS et P. WENDELINUS VÖLCK rector collegii oenipontani **P. PAULO HOFFAEO S. J.** praeposito provinciali Germaniae superioris. Oeniponte paulo ante finem m. Aprilis 1574.

Ex litteris autographis Völckii (2°; 3⅓ pp.) Romam ad Everardum Mercurianum praepositum generalem missis ab Hoffaeo; qui chartae, qua eas operuerat, haec inscripsit: „Sententia P. Canisij et Rectoris Oenipontani de causa Jngolstadiana." G. Sup. 99 f. 72a—75b.

Quamquam variae rationes suadent, ut scholae philosophicae et inferiores Ingolstadium reducantur, praepositus generalis, ut duci petituro id praecise deneget, rogandus est propter magna incommoda exiguumque fructum; saltem condiciones quaedam duci constitui debent.

† R.[6] ad primam quaestionem[a].

Vt breuiter ad quaestiones propositas respondeamus, arbitramur Jllustrissimo Principi Bauariae[7] paucis esse respondendum, si cum P. Prouinciali agat uel agendum curet, de nostris Professoribus et Lectoribus[8] Jngolstadium reuocandis: Satis erit fortasse huius negotij difficultatem et magnitudinem excusare, et tempus deliberandi petere cum quibusdam more Societatis.

Ad 2.am q.[b][9] Omnino res conferenda uidetur cum P. nostro Generalj explicatis illi rationibus utriusque partis, Siue rogent bauarici, de

a) *Haec 4 vv. a Völckio in margine scripta sunt.* b) *Haec 3 vv. in margine posita sunt.*

[1] Exstat epistula 11. Aprilis 1574 ab Hoffaeo Ingolstadio data (Germ. 135 f. 101).

[2] Post 11. Aprilis.

[3] Horum praecipui (Simone Thaddaeo Eckio mortuo) fuisse videntur Wiguleus Hundt, Onuphrius Perbinger, Erasmus Vendt; cf. *Mederer* l. c. II 10.

[4] De his v. supra p. 8 [1] 55 [3].

[5] Gregorio XIII.

[6] I. e.: „Responsio" vel „Respondetur" vel „Respondemus". Quid Hoffaeus quaestiones has proponendo spectaverit, vide supra ep. 1880.

[7] Alberto V. duci.

[8] Magistros significant cursus philosophici et paedagogii sive scholarum inferiorum (rhetoricae etc.).

[9] I. e.: quaestionem.

classibus inferioribus Jngolstadij restituendis, siue de cursu philosophico iterum suscipiendo.

Jn partem affirmatiuam adduci possent haec argumenta; Non offendendus, sed leniter tractandus magisque nobis conciliandus Princeps, quo nullus in hac Prouintia melius de nostris est meritus, Et adhuc mereri posse uidetur. Vix effugiemus ingratitudinis notam apud multos et magnos Si tali Maecenati serio petenti contradicamus, sed potius illorum suspicionem confirmabimus, qui putant nos, laboris fugientes et quietis proprijque commodi[a] magis ac magis efficj. Princeps necessitate quadam adactus nostrum requirit obsequium, in his quae praestare posse, imo et debere uidemur ad conseruandum et promouendum tale[b] Gymnasium[1]: quod non solum Bauariae, sed etiam toti Germaniae variam et publicam vtilitatem adferret, si bene constitutum esset. Sicut dissolutio in cursu philosophico et classibus inferioribus facta; causam praebuit, ut Societatis nostrae honor[c] et existimatio passim imminueretur, aut certe in dubium uocaretur, sic eiusdem cursus et inferiorum classium restitutio, magnopere conducet ad[d] laesi honoris compositionem, et ad multorum etiam Principum gratiam nobis conciliandam et augendam. Magnae charitatis uidetur opus et officium esse proprium, acceptarum iniuriarum obliuisci, de calumniantibus et aemulis bene mereri, et nulla ex parte bono deesse publico propter quorumlibet importunitatem, duritiem, amarulentiam uel iniquitatem[2]. Ea sunt tempora quae satis docent statum catholicae Religionis, sicuti alibi passim, sic etiam apud Bauaros bonorum et doctorum Professorum opera uehementer egere, eosque non facile posse aliunde peti et accipi, licet magna stipendia proponantur: Est praeterea celebre nomen huius Gymnasij, Ex cuius felici successu multum fructus accepit, et adhuc accipere potest causa Religionis, apud Germanos nunc maxime promouenda. Jgitur minime negligenda uidetur haec occasio, cum Christus per talem Principem nostros in hanc messem euocare uidetur, nihilque a nobis aliud postulat, quod ab hoc instituto sit alienum imo quod illi ualde consentaneum[3] et[e] quod alijs in locis usitatum esse solet, ut suam nempe operam tribuat Vniuersitatibus promouendis et cohonestandis.

Jn Partem negatiuam isthaec occurrunt.

Nequaquam consultum uidetur, graue hoc onus et pondus iterum suscipere, quod post multos labores, uariasque difficultates[f] et re

a) *Tria vv. sqq. in margine addita sunt.* b) *Hoc v. supra versum scriptum est.* c) *Duo vv. sqq. supra versum scripta sunt.* d) *Hoc v. supra versum scriptum est.* e) *Quatuor vv. sqq. supra versum scripta sunt.* f) *Quatuor vv. sqq. supra versum scripta sunt.*

[1] Universitatem ingolstadiensem. [2] Vide supra p. 202 et infra p. 205.

[3] Ita *S. Ignatius* in Societatis Constitutionibus: „Propter rationem boni universalioris", inquit, „auxilium impensum Universitatibus, quo solent multi confluere, qui, si iuventur, ipsi operarii esse ad alios iuvandos poterunt", aliis ministeriis „debet" praeferri": P. 7, c. 2 D.

diligentissime discussa uix tandem potuimus deponere, et ante paucos menses aegre admodum deposuimus.

Priusquam nostri Gymnasio restituantur tam multa uidentur exigenda et impetranda esse, ut exigua spes detur conditiones necessarias tum a Principe, tum a Professoribus consequendi.

Etiamsi Princeps annueret per omnia nostrae voluntati quod difficile futurum uidetur, tamen probabilis est timor, multa et magna nostris obstacula fore in ipsa executione praesertim ob Academicos, qui sicut inter se nunquam non altercantur, ita multo minus cum nostris diu poterunt conuenire, semperque pergent, siue Jngolstadij, siue Monachij sicuti hactenus factum est contra nostros[a] excipere, et liberam nostrae Societatis disciplinam oppugnare[b] sicut omnino timendum uidetur.

Nullo pacto expedire uidetur, ut nostri suscipiant pedagogium quod uocant, si non omnino sint Professores[c] ad manum idonei et exempti, qui more et iure Societatis nostrae possint ac debeant iuuentutj praeesse, illamque communibus legibus subijcere, sicut in alijs fit vniuersitatibus, Societati immediate subiectis[1]: Verum haec exemptio et disciplinae ratio, non uidetur locum habere in tam paruo oppido, ubi Rector est ordinarius Vniuersitatis[2]: Et quatuor facultates reguntur a 4.^{or} Decanis: Et certa iam diu inueterata statuta priuilegiaque, suum hucusque cursum habuerunt[d].

Nostri[e] foelicem rei successum sperare non posse uidentur, nisi ualde fauentem et efficacem habeant patronum loco Principis sibi assignatum partim Jngolstadij, partim Monachij, vt pro suo quidem instituto in profitendo et legendo uersentur: Seque contra aemulos omnes tueantur. Sed ualde difficile est talem reperire patronum qui uelit et possit pro Societate pugnare, et cum opus est aliorum inuidiae et odio se pro nobis exponere, Et nonnunquam toti Vniuersitati reclamare.

Jnueteratum uidetur odium, quod multi contra nostros multis abhinc annis collegerunt, in singulis fere facultatibus, ut nulla quidem ratione se per nostros facile placari[f] sinant, utque diuturnam et firmam cum nostris alant concordiam: adeo cerebrosi, amarulenti, contentiosi et querulosi uidentur, qui per omnia fere nostros ac nostrorum conatus[g] suspectos habent, et minimis in rebus facile offenduntur[3]. Non capiunt

a) *Sequitur* accipere, *oblitt.* b) *Quatuor vv. sqq. in margine addita sunt.* c) *Quatuor vv. sqq. supra versum scripta sunt.* d) *Sequuntur vv.* Vix lic, *oblitt.* e) *Hoc v. antecedunt vv.* Vix lic *(secundo scripta); quae deinde oblitterata sunt.* f) placare *aut.* g) *Sic in aut. correctum est ex* fere nos.

[1] Ut Dilingae et Romae.

[2] I. e. universitas sub eius ius et iurisdictionem subiuncta est, et ipse summam rei administrat.

[3] Ingolstadio 13. Ianuarii 1574 P. *Ioannes Rabenstein* S. J. collegii rector Mercuriano *scripsit: „Magnam iam pacem experimur cum omnibus Ciuibus et Academicis“ (ex autogr.; Germ. 153 n. 100). Unde collegeris (id quod aliunde quoque cognoscitur), superiorum illarum turbarum non solos „Academicos“ illos, sed etiam aliquos de Societate fuisse auctores.

nec probare possunt eam libertatem institutj, quam ab illis impetrare primum oporteret, nec est uerisimile consensuros Consiliarios Principis, imo potius offenderentur, si sumptus ad plenum Collegium Jngolstadij constituendum, ut res ipsa postulat, desiderarentur.

Denique ne rem poenitendam agamus, sacius est ab initio negare id Principi quod petitur, quam de conditionibus ineundis frustra laborare, uel penitendum[a] negotij exitum cernere, multisque nostros periculis exponere, quae tali in loco superari, uel ad certam mediocritatem adduci non posse uidentur.

Quae cum ita sint negatiuam hanc partem magis amplectimur et amplectendam putamus, siue de Classibus inferioribus tantum, siue simul de lectionibus etiam philosophicis restituendis urgeamur, licet tollerabilius adhuc onus uideatur nostros circa classes inferiores, quam circa philosophicum cursum uersari. Sed optabilius existimamus ad neutrum onus redire. Praecipua uero difficultas, quae[b] ex parte Principis nos serio[c] solicitantis incidere posse uidetur, sic auerti poterit, sicuti postea dicetur.

Ad tertiam quaestionem.

Satis erit Patrem nostrum Generalem praemonere, ut[d] Principj Romae causam urgentj, se constanter opponat et ad nullam tractationem conditionalem descendat, cum res iam ante multum et grauiter discussa fuerit, et multa se hinc inde offerunt[e][?] impedimenta: quae pro loci et temporis ratione paulatim augerj potius, quam amoueri et caueri posse uidentur. Jdcirco eundem Principem merito precabitur, ut ne sinat redire nostros ad prius pistrinum in quo multum molestiae deuorandum, paruus autem fructus colligendus[f] et instituti nostri disciplina et ratio uiolanda esset. Poterit etiam et aliorum patronorum intercessio adhiberi, si qui erunt idonei ad P. N. Generalem excusandum apud eundem principem. Praecipue autem iuuabit si P. Generalis initio se alienum ostendat ab omnj huius negotij tractatione, cum Princeps autoritatem illius[g] implorauerit.

Ad 4.[tam] q.

Quod ad Principem mitigandum attinet, si aegre ferret repulsam, nostrisque minaretur, aut etiam[h] redditus imminuere uellet, quod tam sapientem Principem facturum non putamus, praesertim auditis firmissimis rationibus, quae nos cogunt tantam crucem fugere ac deprecari, non tamen aliud eidem Principi respondendum uidetur, quam quod cupimus ipsi et Bauariae seruire et prodesse semper saluo nostro instituto, quod[i] in re tam graui, et post certam experientiam deserere et mutare non possimus, sine magnis et grauibus incommodis et motibus, quos probabiliter scimus consecuturos, non obstante qualibet ipsius Principis ordinatione et constitutione.

a) *Sic a V. correctum est ex* tristem. b) quam *aut.* c) *Hoc v. supra versum scriptum est.* d) *Sequitur* urge, *oblitt.* e) *Sic; corrigendum esse videtur* offerant. f) *Sequitur* esset, *oblitt.* g) *Sequitur* implorabit, *oblitt.* h) *Sequitur* circa, *oblitt.* i) *Sequuntur vv.* bona conscientia, *oblitt.*

Ad 5.^{am} q.

Non uidetur opus[a] solicitudine, ne Pontifex Maximus[1] ob Principis opportunitatem[b] [?] nos urgeat et cogat facere quod instituto repugnat, satis autem erit P. N. Generalem praemonere, ut quando uidebitur Pontificem de re tota faciat certiorem: Dubium autem esse potest an expediat id fieri, nisi Pontifex ipse, de hoc agendi dederit occasionem; Nos illud expedire non putamus.

Ad 6.^{tam} q.

Quantum ad conditiones duodecim uel plures propositas attinet, quae a Patre Generalj essent proponendae et ab ipso Principe obtinendae, si nostri omnino iugum Jngolstadianum subire debeant: Dicimus primum huiusmodi conditiones posse contrahi, ut sint pauciores, et minus offendant bonum et prudentem Principem eiusque Consiliarios, ita tamen ut principalia quae ad nostrorum libertatem uindicandam pertinent non taceantur: Dicimus itidem, non probabile uideri, quod P. noster Generalis, tam multa in tractatione ipsa sit a Principe postulaturus, sed remittet se potius ad Prouincialem data illi secreta informatione secundum quam procedere debeat. Tertio dicimus non parum a Principe nos obtenturos si consentiat planeque iubeat nostros pro ratione sui instituti, libere gubernare et constituere totam artium facultatem, sicuti alibi in suis Collegijs facere solent. Jtem ut idem Princeps consentiat et iubeat nostros pro exemptis haberi, quantum ad alias facultates excepta Theologica, ita ut sicuti alij de Vniuersitate subsunt Rectori et Decano Facultatis, ita nostri siue professores, siue discipulj subsint Prouinciali et alijs ab illo ipso constituendis ex nostra Societate: Rursus ut Jngolstadij noua sit nostris fabrica Collegij plenarij in quo alj possint 70.ta personae. Sed timemus eiuscemodi conditiones ex parte Principis et Bauarorum tam arduas fore, ut ad illas nolint descendere, nostrisque tantas exemptiones[c], libertates, structuras et plenarij Collegij dotationes polliceri[d]: Jdcirco consultius fore putamus, simpliciter negare si Princeps petere uelit et urgere suam petitionem: ne cogamur cum aliquo periculo et damno nostro uicissim ea petere, quae uix sine indignatione[e] et offensione quadam Bauarorum proponere et petere posse uidemur hoc tempore.

Hoffaeus sua manu has posuit subscriptiones: „Rector Oenipontanus et R. P. Canisius." Ipsi vero PP. Völckius et Canisius de industria, puto, tum nominibus suis, tum loco et tempore ascribendis supersederunt; poterant enim hae litterae, dum ad Hoffaeum perferuntur, in manus incidere eorum, quos oportebat non cognoscere, a quo scriptae essent. Praecipuum autem litterarum auctorem fuisse Canisium ipsa rerum experientia et animi moderatio, quae ex iis elucent, ostendere videntur; dicendi quoque genus, nisi fallor, canisianum est.

a) *Sequitur* tanta, *oblitt.* b) *Sic aut.; sed malim legere:* importunitatem. c) *In aut. correctum ex* exceptiones. d) *Sequuntur vv.* atque praestare, *oblitt.* e) *Sequitur* obtinere, *oblitt.*

---

[1] Gregorius XIII.

Hoffaeus sua manu his litteris haec *ascripsit: „Omnino mihi probatur patrum sententia vt principi reditum nostrum Jngolstadianum petenti, negatiue respondeatur, et prima quidem vice nulla cum ipso alia tractatio ineatur donec secundo idem petat fortius. Ego etiam Monachio ni fallor breui maiorem de re tota lucem isthuc dabo. Paulus Hoffaeus".

Exstat *Responsum eadem de re a P. *Theodorico Canisio* S. J. universitatis collegiique dilingani rectore et P. *Gasparo Haivodo* S. J. eiusdem universitatis professore communiter datum, ex quo haec pauca pono: „Princeps ipse vt Jngolstadium relinqueremus author nobis fuit, ... gubernatur a suis consiliarijs qui Jesuitis parum fauent. ... [Principi] respondendum videtur non posse nos quicquam in his quae iam facta sunt mutare ... Si reditum importune Princeps vrgeat, ... intelligat oportet ... hoc vnum superesse medium vt tota Academia Societati gubernanda tradatur" (ex archetypo Theodorici Canisii et Gaspari Haivodi manibus subscripto. G. Sup. 99 f. 77^a—79^b). Ceterum vide etiam, quae de his controversiis scripsit *Luz. Pfleger,* Martin Eisengrein, Freiburg i. Br. 1908, 95—102.

Mense Maio proximi anni (1575) *Mercurianus* Hoffaeo *scripsit: „Quod ad paedagogium Jngolstadij pertinet, nostrosque eo remittendos T. Reuerentiae ac tuorum Consultorum sententia satis nobis probatur scilicet nobis nulla ratione expedire ut iterum illud onus suscipiatur" ... Existimo tamen „e re futurum totique Bauariae non mediocriter in Domino profuturum si Jngolstadij aliquis nostrorum numerus esset, qui cum nostris Theologiae Praeceptoribus studia serio possent absoluere. Nam ut Theologia a nostris in ea ciuitate praelegatur: atque adeo uberius quam factum sit omnes hoc expedire sentimus atque ita Jngolstadianum Collegium nostrum esset istius Prouintiae quasi seminarium, e quo uel missiones, uel Theologi suo tempore euocarentur" (ex apogr. eiusd. temp.; G. Sup. 1 f. 27^a—28^a).

1882. CANISIUS **IULIO ECHTER A MESPELBRUNN** episcopo herbipolensi, Franconiae orientalis duci [1]. Oeniponte 7. Maii 1574.

Ex libro „Virorum doctorum epistolae selectae, ad Bilib. Pirchheymerum, Joach. Camerarium, Car. Clusium et Julium Episc. Herbip. datae. Ex autographis nunc primum edidit et illustravit *Theod. Frid. Freytagius* Phil. D. Rossor. Imper. a consil.", Lipsiae 1831, 112—114. Freytag in libri praefatione „Dorpati Livon." 13. Augusti 1830 data affirmat, se epistulas illas edere ex codice in 2°, 122 epistulas saeculi XVI. complectente et „Sammlung einiger ... merkwürdigen Original-Briefe" inscripto, quem modo ipse possideat; quas epistulas putat ab ipso Iulio episcopo collectas, a. 1631 a Suecis sub Gustavo Adolpho rege Herbipolim expugnantibus et exspoliantibus captas et in Sueciam asportatas, inde in Livoniam, quae paulo post finem belli triginta annorum in Suecorum ditionem redacta est, translatas esse. Postea tamen Canisii epistula ex eo codice exsisa vel etiam codex ipse dissolutus esse videtur; anno certe 1893 Albertus Cohn librorum codicumque veterum mercator berolinensis Canisii epistulam 5. Maii 1574 ad Iulium Echterum datam venalem proposuit. Hoc quoque notandum est: Freytagius quidem affirmat, se „verborum interpunctionem et scribendi rationem" in singulis epistulis „accurate

---

[1] Julius Echter (1545—1617), cathedralis ecclesiae herbipolensis decanus constitutus a. 1570, episcopus electus 1. Decembris 1573, universitatem, seminarium, valetudinarium Herbipoli fundando et plurimos Francones ad ecclesiam reducendo, multa alia praeclare gerendo, maximam consecuturus erat laudem (*Vit. Brander,* Julius Echter von Mespelbrunn, Würzburg 1917, 35 41—42). De quo Herbipoli 4. Decembris 1573 et 29. Martii 1574 P. *Georgius Bader* S. J. collegii rector Mercuriano praeposito generali *scripsit: „Tum in nostris, tum in alijs scholis, omnibus ad uirtutem, pietatem, diligentiam, suo exemplo calcar addidit, ... uir doctus, pius, antiquae religionis acerrimus propugnator, ordinis nostri amantissimus" (ex autographis; Germ. 135 n. 73, Germ. 153 f. 351^a). Vide etiam *Duhr,* Jes. I 123—124.

servare"; sed eum in canisiana hac epistula verborum scriptionem saepe ad scribendi ration… suae aetatis accommodasse facile deprehendet, quisquis aliquot Canisii episti… autographas viderit. Epistulae particulam ex archetypo posuit *Hansen,* Akte … 681[1]; aliam eius particulam ex Freytagio posuit *Ant. Ruland,* Serapeum, 28 …rg., Leipzig 1867, 9—10.

Ei epicopatum gratulatur, animum addit, collegium commendat. Eius oratores romanos iuvit.

Reverendissime Domine et Jllustrissime Princeps.
Gratia Christi Jesu nobis aeterna.

Quo gratior et jucundior est eritque mihi semper memoria praestantis ecclesiae Herbipolensis, quae me indignum aliquando libenter excepit, et humanissime fovit[1], eo nunc uberiorem inde voluptatem capio, quod certo sciam, non sine singulari divini numinis providentia esse factum, ut Amplitudo tua ad novam hujus ecclesiae ac totius Franconicae ditionis administrationem pervenerit. Benedictus pater misericordiarum Deus[2], qui talem ovili suo pastorem dedit, qualem sapientes et pii non immerito desiderabant, quique in demortui antistitis locum jure quodam surrogatus videri potest. Ego vero non tam arrogans et impudens ero, ut prudentissimum et maximum praesulem, charissimumque patriae suae principem multis aut doceam aut moneam. Jllud ego animo Christum Opt. Max. precor, suam ut gratiam pietati tuae multis modis collatam conservet ac augeat, praesertim ad nova hujus functionis fundamenta solide jacienda. Non deerunt, sat scio, multae et ingentes difficultates, quae sanctis Dignitatis tuae conatibus undique objiciantur, et partim in Clero partim in populo facile suborientur, qui leges dare quam accipere malint. Sed enim nullae tantae sunt aut invicti[a][?] Sathanae, aut fallacis mundi artes, fraudes ac vires, quas divinus ille timor et catholicae religionis amor, veraeque pietatis zelus non profliget ac dissipet. In promptu sunt divinae promissiones, quibus Christiani magistratus omnes in summis etiam angoribus atque periculis merito suos animos fulciunt et sustentant. Plena est exemplis antiquitas, quam potenter Episcopis ac Principibus adfuerit saepe Deus, cum Ecclesiasticum ordinem reformarent, suosque subditos ad Christianum officium revocarent. Quare nihil dubitabo de summa summi Dei bonitate, simulque pia constantia et constanti pietate tua eum rerum successum mihi et Franconiae polliceri, quem hoc sane tempus susceptique muneris amplitudo, et bonorum expectatio maxima non immerito desiderare videntur. Caeterum de Collegio nostro Herbipolensi, quod inde ab initio mihi curae fuit, cupio sane vehementer et oro reverenter, illud ut Celsitudini tuae sit maneatque

a) *Omnino videtur esse corrigendum:* invidi.

---

[1] Canisius a. 1564, 1565, 1567, 1568 Herbipoli cum Friderico a Wirsberg episcopo et aliis de rebus religionis egerat, in cathedrali ecclesia multas contiones habuerat, apud Franciscanos doctrinam christianam pueris explicuerat etc. (*Can.* IV 1045; V 127 504 702; VI 185). [2] 2 Cor 1, 3.

inprimis commendatum. Quo illic plures e nostris alentur, eo major suppetet copia ministrorum et operariorum, qui de Clero et populo Herbipolensi adeoque de tota Franconica messe velint et possint bene mereri Domino cooperante[1]. Is vero sicut praeclare coepit, ita clementer etiam pergat suis divinis donis pietatem tuam ornare atque provehere, ut Cleri mores optime reformentur, et lapsi ad verae fidei synceritatem reducantur, omnesque Franconiae ordines in officio Catholico recte contineantur. Non ita pridem Reverendus Dominus Decanus una cum D. sigillifero Romam properans[2] hac transiit: utrique meam operam obtuli, et de quibusdam in hoc itinere observandis non gravatim suggessi: Utinam vero sit in me aliquid, quod in Amplitudinis Tuae ac istius ecclesiae Herbipolensis gratiam Canisius unquam praestare posset: suam certe observantiam et gratitudinem debitam bona fide per omnem occasionem praestaret. Quod superest me totum et nostri ordinis homines omnes Celsitudini Tuae, velut singulari patrono, etiam atque etiam in Christo commendo.

Aeniponiti 7[ma] Maji Ao. 1574

Illustriss. Celsitudinis Tuae

Servus in Christo
Petrus Canisius.

P. *Hermannus Thyraeus* S. J. provincialis rhenanus Herbipoli 18. Iunii 1575 Mercuriano praeposito generali de Echtero *scripsit: „Fecit exercitia . . . generalemque totius vitae confessionem, vsus cilicio et disciplina . . .; retinuit suum Confessarium Monachum S. Francisci cui cum esset decanus, confiteri solebat" (ex autogr.; Germ. 136 f. 346[a]).

1883. Cardinalis **STANISLAUS HOSIUS**, poenitentiarius maior, episcopus varmiensis, CANISIO. Roma 8. Maii 1574.

Ex „D. *Stanislai Hosii* . . . Operum Tomo secundo" (post Hosii mortem a *Stanislao Rescio* [Reszka] eius secretario edito), Coloniae 1584, 386, Rescius sic inscripsit hanc epistulam: „Petro Canisio Theologo Societatis Iesu. Epistola CCXIX. Monet vt fortes permaneant in persecutionibus"; integrum autem epistularum corpus: „D. Stanislai Hosii . . . Epistolae ad diuersos, CCLXXVI. Collectae et in Ordinem redactae per Stanislaum Rescium" (l. c. p. 145). Exstat Romae in bibliotheca vallicellana „*Hosij Cardinalis Epistolarum Ordo ab anno 1572 ad annum 1579" (saeculo XVII. vel XVIII. scriptus?), qui haec habet in a. 1574: „Petro Canisio. Ep.: 119[a] pag. 186. Monet ut fortis permaneat in persecutionibus. 8 Maij Romae": neque vero his verbis alia epistula significari videtur atque ea, quam supra dixi. Ex Rescii quoque volumine videtur exscriptum esse (saeculo XVIII. vel XIX.?)

[1] Mc 16, 20.

[2] Herbipoli 14. Aprilis 1574 Neidhardus a Thüngen ecclesiae cathedralis decanus et Georgius Fischer episcopi sigillifer et „Novi Monasterii" (Neumünster) herbipolensis canonicus Iulii mandatu Romam profecti sunt, ut ei confirmationem pontificiam et varias impetrarent gratias, quae spectabant ad institutionem universitatis, collationem beneficiorum ecclesiasticorum, potestatem absolvendi haereticos et legendi libros prohibitos, visitationem monasteriorum (*Hansen* l. c. 681 [1]; *Schwarz*, Gut. 91—92; Nunt. 168 211; *I. N. Buchinger*, Julius Echter von Mespelbrunn, Würzburg 1843, 48; *Brander* l. c. 43). Freytagius perperam scribit, decanum illum fuisse Vitum Krepserum (l. c. 113 [3]).

huius epistulae exemplum illud, quod exstat Holmiae (Stockholm) in archivo regni suecici, „Ahlqvists Sammlungen“. Epistulae mentionem fecerunt: *Stan. Rostowski* S. J., Lituanicarum Societatis Iesu historiarum etc., Vilnae 1768, App. ad l. 2 (ed. 2°, ed. *I. Martinov* S. J., Parisiis-Bruxellis 1877, 403); *H. Biaudet*, Le Saint-Siège et la Suède durant la seconde moitié du XVIe siècle, Notes et documents I, Paris 1906, 98.

Vexationes fortiter ferendae. Saxoniae electoris dictum de Iesuitis fuldensibus. Quid idem de religione sentiat. Pontifex Germaniae studiosus. Adulescentes sueci.

— —[a] Tenere te memoria non dubito, quae scripta sunt a Sapiente de eo, cum quo Societas vobis est (sic enim inducit Eberianos[1], aut eorum, similes loquentes) Grauis est nobis etiam ad videndum, quoniam dissimilis est alijs vita illius, et immutatae sunt viae eius[2]. Quo minus mirari debes, si vos quoque graues estis hominibus istis etiam ad videndum, si vias omnes et rationes peruestigant, quibus e finibus suis propulsare vos queant. Verum tanto maior est vestra foelicitas et beatitudo, quanto maiores a Christi perduellibus persecutiones toleratis: A quibus nihil est, quod vobis metuatis, quandoquidem capilli capitis vestri omnes numerati sunt[3], et, quod ille futurum promisit, ne vnus quidem eorum peribit[4]: In patientia vestra possidebitis animas vestras[5], nec vestras tantum animas possidebitis, verum et eorum animas Christo lucrifacietis, qui vos non minore nunc odio persequuntur, quam olim Iudaei Christum, in cuius Societatem adsciti estis[6], vt sitis socij passionum, olim futuri socij consolationis[7] et gaudij sempiterni. Quamobrem viriliter agite, et confortentur corda vestra[8]. Quibus nunc graues estis ad videndum, ij non ita multo post vltro magnis precibus ad se vos inuitabunt, et vt salutaribus praeceptis, et exemplis vestris instrui possint, modis omnibus contendent et elaborabunt. Quamuis si vera sunt quae nobis hic renunciabantur, ab Eberianorum Principe nihil contra vos actum est serio, quin ille dixisse fertur: Etiamsi mille volet ad se vocare Abbas Fuldensis, per me licet[9]. Non ille multum sua referre putat, qua quisque sit religione. Lutherus haereseos condemnauit Zuinglianos, et eis receptum dari vetuit in his terris, quae verbum illius, tanquam Dei verbum adorare coeperunt[10], At apud Eberianos eodem loco sunt Zuingliani

a) *Aliquas huius epistulae partes, saltem primam et extremam, a Rescio omissas esse, quamquam ab eo non significatur, ex ipsis tamen epistulae verbis cognoscitur; cf. etiam infra, p. 212b.*

---

[1] Protestantes potissimum significat Saxones, qui Paulum Eber († 1569) professorem vitembergensem (de quo *Can.* III 490; IV 368 [5]) sequebantur.

[2] Sap 2, 15; his verbis Iesum „apertissime“ significari affirmat *S. Augustinus*, De Civitate Dei l. 17, c. 20 (*Migne*, P. lat. XLI 554).

[3] Lc 12, 7; cf. Mt 10, 30. [4] Cf. Lc 21, 18. [5] Lc 21, 19. [6] Cf. 1 Cor 1, 9.

[7] 2 Cor 1, 7. [8] Ps 30, 25; cf. Dt 31, 6; 1 Cor 16, 13 etc.

[9] Hoc Augusti Saxoniae principis electoris (qui m. Octobri 1573 a Balthasare de Dernbach abbate, ut Iesuitas Fulda pelleret, postulaverat; v. supra p. 149 [1]) dictum ad cardinalem Comensem rettulerat Bartholomaeus a Portia nuntius apostolicus Oeniponte 9. Decembris 1573 (*Schellhass*, Nunt. III 266). Cf. etiam supra p. 25.

[10] Lutherus Zwinglium in fidem christianam quam maxime sediciosum, Zwinglianos haereticos animarumque interfectores esse affirmavit (v. *Grisar*, Luther III

quo Lutherani, quin grauius etiam eos persequuntur, qui sunt Germani[a] [?] Lutherani, qualis est Illyricus cum sua factione: Quod nisi de restitutione bonorum Ecclesiasticorum periculum esset metuendum, etiam a Christianis (quos lepidis istis hominibus Papistas vocare visum est) non abhorreret ille Princeps, et eos in terris suis facile pateretur, cum istarum inter se tam dissectarum sectarum vehementer eum iam sit pertaesum. In Suetia res meliore loco futuras in Domino confidimus[1], nisi quod posteaquam qui missus huc inde fuerat, discessit, nullas postea literas accepimus[2]. Pontificis institutum de reuocandis ad Christum ijs, qui in Germania doctrinis varijs et peregrinis ab eo sunt abducti[3], nemo pius laudare satis potest[b] [4]. Etiam in Suetiam scribere me iussit, vt inde quoque mitterentur aliqui[5]. Deus optimi Pontificis conatus prosperet, et consiliorum foelicem progressum et exitum largiatur. Nihil is eorum praetermittit, quae ad reuocandos ad mentem saniorem Germanos, et ad oues quae perierunt[6] ad vnum ouile[7] Christi perducendas pertinere videntur. — — Romae 8. Maij 1574.

1884. CANISIUS **GREGORIO XIII.** Pontifici Maximo.

Oeniponte 10. Maii 1574.

Ex archetypo, quod Canisius ipse subscripsit (2°; 4 pp.), quodque exstat Romae in archivo vaticano, „Nunziat. di Germ. 76“ p. 54—57. Epistulam *Theiner* ex eodem archetypo („Germania Vol. 26. fol. 54“ scribit ille) primus edidit, Annales I in a. 1574 n. 23. Eius summam brevem posuit *Riess* l. c. 428. Eodem usi sunt *Boero,*

a) *Sic liber; at scribendum fuisse videtur:* germani; *Hosius enim de iis scribit, qui non solo nomine Lutherani sint, sed vere Lutheri doctrinam teneant.* b) *Ex proxima sententia conieceris, post* satis potest *aliqua ab editore vel a typographo omissa esse; vide infra, adnot. 4 et 5.*

335—337 378) et a. 1532 tum ab Alberto Borussiae duce, tum a reipublicae francofurtensis (ad Moenum) civibus postulavit, ut eos terra excedere iuberent (*Grisar* l. c. 734; *N. Paulus,* Protestantismus und Toleranz im 16. Jahrhundert, Freiburg i. Br. 1911, 47—48).

[1] Ioannes III. vir litterarum valde peritus a. 1562, cum lutheranus esset, Catharinam Sigismundi Augusti Poloniae regis sororem catholicam duxerat uxorem; huius virtutum exemplis et sanctorum Patrum lectione catholicam veritatem edoctus, simulatque regnare (1568—1592) coepit, Sueciae paullatim ad ecclesiam reducendae studere coepit; atque Hosii opera interposita, P. Stanislaus Varsevitius (Warszewicki) S. J. a. 1570 Roma Gregorii XIII. mandatu in Sueciam versus profectus est; in quam tandem m. Iulio a. 1574 pervenit (*Theiner,* Ann. I in a. 1572 n. 75, et Schweden I 339—390; *Eichhorn* l. c. II 448—449).

[2] Paulus Ferrari cremonensis, regis reginaeque procurator, 25. Ianuarii 1574 Roma in Sueciam rediit (*H. Biaudet,* Le Saint-Siège et la Suède, Études politiques I, Paris 1907, 282—284 289). [3] Hebr 13, 9.

[4] Hosium potissimum pontificis in collegio germanico amplificando et dotando liberalitem significare ostendunt verba, quae proxime sequuntur.

[5] *Hosius* Catharinae Roma 24. Ianuarii 1574 scripsit: „Sex adolescentulos ex subditis Vestrae Maiestatis huc mitti Sanctitas illius cupit“ (*Hosii* Opera l. c. II 380; cf. II 348—349). Hos ex reditibus valetudinarii Sanctae Birgittae, quod olim Romae Sueci habuerant, in collegio germanico alendos esse cardinalium congregatio germanica censuerat (*Biaudet* l. c. I 278—286).

[6] Mt 10, 6; 15, 24. [7] Io 10, 16.

Can. 358; *Janssen* l. c. VII[1-12] 193[1]; *M. Lossen*, Sitzungsberichte der philosophisch-philologischen und historischen Classe der k. b. Akademie der Wissenschaften zu München, Jahrg. 1888, I, München 1888, 164—165.

Collegii germanici summa utilitas. Seminaria instituenda. Portia et Gropperus nuntii praeclaram operam praestant. Ampliores facultates dandae, imprimis de haeresi.

Sanctissime in Christo Pater ac Domine.

Annus est propemodum, quod ego ex Vrbe discedens a B. V. in mandatis acceperim, ut ad illam aliquando meas litteras darem. Primum igitur supplex ueniam peto, si fortassis hoc expressum B. V. mandatum meo diuturno silentio uiolaui: etsi putauerim mea quidem scriptione minus opus esse, quamdiu B. V. Nuncius Reuerendissimus Porcia nobis adesset. Is uero nunc Augustam discessit, ac de Germanicis rebus in Vrbem subinde scribit, ut ego quae adiungam uix habere ulla uideam.

Animaduerto maiorem in modum placere Germanis, eosque sibi et Ecclesiae multum gratularj, quod Romae Collegium Germanicum B. V. auspicijs instituatur[1], eiusque instituti successum et exitum multis in Germania Ecclesijs admodum salutarem fore confidunt. Nostrum est interim cum pijs omnibus Deum aeternum precarj, ut B. V. consilia in hoc opere sancto nec satis unquam laudando confirmet, atque ad publicum huius corruptae Nationis commodum prosperet perpetuetque. Mirum sane uideri potest, tot Catholicorum milia in his regionibus passim superesse, quibus uel nulli, uel ineptj prorsus contingant pastores atque sacerdotes. Eoque magis optant sapientes, ut Germaniae Principes et Antistites in Seminarijs passim erigendis V. B. imitentur exemplum, quod aegre admodum fore putent, ut sine hoc ipso medio Catholica religio diu conseruetur, totque populorum salus promoueatur.

Quod ad Reuerendissimos Nuncios Porciam et Gropperum a B. V. Germaniae nostrae destinatos attinet[2], res ipsa quidem faterj cogit, eorum aduentum nostris hominibus multum profuisse; qui eo et chariores, et utiliores in his regionibus esse pergent, quo diutius in hoc praeclaro munere confirmabuntur. Egent profecto Principes et magnates frequentj admonitione, ut haereticorum audaciam comprimant, Ecclesiasticas uero personas et earum iurisdictionem hoc tempore tueantur. Egent rursus Reuerendissimj Episcopi et Archiepiscopj monitoribus, suum ut officium faciant in primario et secundario Clero reformando[3], in Ecclesijs et monasterijs uisitandis, ac praeterea in scholis bene constituendis. Quibus in rebus Apostolicorum Nunciorum usus sane multiplex, et in hoc Germaniae frigore tantum non necessarius uideri potest: ut omittam, quantj sit momentj, per eosdem res Ger-

[1] Vide supra p. 134—137. [2] De his v. supra p. 132 136.

[3] Cleri „primarii" nomine potissimum capitula metropolitana et reliqua cathedralia, „secundarii" nomine capitula minora, parochi eorumque adiutores etc. significabantur.

manicas probe cognoscj, multorum animos S. Sedj Apostolicae magis magisque conciliari, et haereticorum artes fraudesque profligari. Fit autem aliquando, ut pastores et sacerdotes nonnullj ad Reuerendissimos Nuncios uelut suos medicos in grauissimis morbis accedant, ac propterea tristes abeant, quod ingratam repulsam ferre cogantur. Audiunt enim Reuerendissimis Nuncijs non licere, ut potestatem alijs faciant in casu haeresis absoluendj, et circa plaerasque censuras Ecclesiasticas dispensandi. Sit autem iudicium penes B. V., possint ne dictis Nuncijs facultates extendi, ut Germanis eo et gratiores, et utiliores existant. Desiderarent sane permultj, ut cum ipsis Ordinarijs serio tractarent Reuerendissimi Nuncij, qua ratione quidam Parochi et Confessarij in his Ecclesijs constitui possent, penes quos ex peculiari gratia B. V. maneret facultas, in communi et quotidiano casu haeresis poenitentes absoluendi, quando illi nec infames, nec relapsi essent. Videntur sane maiorem nunc quam prius, mereri gratiam Germani, qui postquam in medio Nationis prauae[1] nati et educati sunt, tamen Rom. sanctae Ecclesiae fidem integram profitentur, et a uicinis sacerdotibus petunt beneficium absolutionis. Verum haec obiter ego tot pereuntium animarum calamitate commotus dixerim, saluo semper iudicio S. Sedis Apostolicae, cui uelut pientissimae matri, ter miseram et afflictam Germaniam summa quidem cum submissione commendo atque committo. Clementissimus Deus B. V. diu nobis Germanis, et Ecclesiae Catholicae incolumem seruet. Oenipontj decima Maij 1.5.74.

Beatitud. uestrae

seruulus infimus

Petrus Canisius.

Canisius hanc epistulam non recta ad pontificem, sed ad Everardum Mercurianum praepositum generalem misit recognoscendam et si ea non placuisset, „supprimendam“ (v. infra, p. 215 et 227). Quam pontifici traditam esse intellegitur ex ipso, quo etiam nunc asservatur, loco.

Postrema huius epistulae parte Canisius id confirmavit, quod paulo ante Portia nuntius apostolicus, rebus cum Canisio collatis, per cardinalem Comensem Gregorio XIII. commendaverat. Oeniponte enim 13. Ianuarii 1574 *Portia* Comensi scripserat; „Jl Curato della Chiusa uerso Trento[2] persona molto intelligente, come mostrano le lettere sue, et m'è affirmato da chi lo conosce, desiderebbe facultà d'assoluer' quelli, che dimandano alla giornata di riconciliarsi con la Chiesa dopo hauer' trattato, conuersato, et tenuta qualche opinione con gl'heretici, et bench' io potessi tosto risoluerlo, che non la deue aspettar' da me, à cui non è dato il poterla estender' à Parochiani, nondimeno mostrando d'esser' inuolto in altre occupationi, ho differito à risponderli, et fra tanto considerando diligentemente la forza delle sue ragioni, con quell' appresso c'ho potuto raccogliere dal Padre Canisio, che mi dice il Vescouo d'Augusta[3] et altri Prelati grandi esser' notabilmente angustiati per non saper come suilupparsi da si fatto intrico ch'è frequentissimo, ho giudicato,

---

[1] Phil 2, 15. [2] Melchior de Fabri, parochus pagi Klausen.

[3] Ioannem Egolphum a Knöringen. Huic pontifex 27. Iunii 1574 potestatem tribuit haereticos „quoad forum internum“ absolvendi (*Plac. Braun,* Geschichte der Bischöfe von Augsburg IV, Augsburg 1815, 9).

che sia materia degna d'esser' diligentemente discussa: però dopo hauerle dato la forma, che conuiene à questione l'inuio à V. S. Illustrissima" etc. (ex imagine photographica epistulae archetypae, Portiae manu subscriptae, quae exstat in archivo vaticano, Germ. Vol. 80. II p. 10—11; litteras nonnihil contractas posuit *Schellhass*, Nunt. III 313—314); adiunxit igitur Portia commentarium latinum „de facultate ordinarijs extendenda, ut per se et delectos alios in casu haeresis Germanos absolvere possint in foro interiore"; in quo haec, praeter alia, dicuntur: „Quaeritur ergo: An Sancta Sedes Apostolica rem sua benignitate dignam Praelatis vero Germanicis necessariam, et sanandis, conciliandisque Germanorum animis utilem non faceret, si ordinarijs locorum facultatem ampliorem conferret, Parrochos, et Confessarios in suis ecclesijs subdelegandi, a quibus communis populus in casu haeresis legitime posset absolui, Haeresiarchis interim et Ecclesiae Lutheranae vel Calvinianae ministris, et sacramentorum prophanatoribus, aut publicis haeresum doctoribus aut disseminatoribus dumtaxat exceptis. Eadem uideri ratio potest, de facultate haereticos libros legendi, quae certe pluribus, non solum in Germania utilis, sed etiam necessaria judicatur, et ordinarijs theologisque catholicarum universitatum committi posset. Alioquin sine utraque hujusmodi facultate intolerabilis uidebitur conditio Parrochorum et Confessariorum in multis prouincijs, ciuitatibus et oppidis Germanicae nationis (ex exemplo archetypo, l. c. p. 14—15).

1885. CANISIUS **P. ANTONIO POSSEVINO** secretario Societatis Iesu.
Oeniponte circa 10. Maii 1574.

Ex Canisii litteris Oeniponte 19. Iulii 1574 ad Everardum Mercurianum praepositum generalem datis colligi potest, Canisium superiorem ad Gregorium XIII. epistulam (supra p. 213) Romam ad Possevinum misisse et simul eidem hoc, praeter alia, scripsisse: Se pontifici, ut oboediendi officio satisfaceret, scripsisse; sin autem ea epistula Mercuriano displiceret, se nequaquam aegre laturum esse eam „supprimi". Vide infra, ep. 1893.

Possevinum Mercurianus a. 1573, cum ipse electus esset praepositus generalis Societatis, eiusdem secretarium pro Polanco constituerat (*G. Fell* S. J., Pädagogische Schriften von Antonio Possevin S. J., in „Bibliothek der katholischen Pädagogik, herausgeg. von *Fr. X. Kunz*", XI, Freiburg i. Br. 1901, 316—317).

1886. CANISIUS **BARTHOLOMAEO DE PORTIA,** protonotario apostolico, apostolico in Germania nuntio.
Oeniponte (Hala?) paulo post medium m. Maium 1574.

Ex Portiae litteris archetypis; Cod. rom. „Germ. Vol. 80" II p. 132—134. Litteras ex archetypo primus edidit *Schellhass*, Nunt. IV 57—59.

Magdalenam reginam pontifici gratias agere pro facultatibus sibi concessis.

Magdalena regina cum Helena sorore († 4. Martii 1574) autumno et hieme a. 1573/74 semel atque iterum per Portiam a Gregorio XIII. petierat: 1) „la licenza di poter ricever' i sacramenti senza licenza del parocho" (a Societatis sacerdotibus ea sibi ministrari cupiebant); 2) ut ipsae reliquias quasdam sacras, quae Halae sine magno ornatu cultuque asservabantur, in ecclesiam sui collegii virginum, civitatis halensis assensu, transferendas curare possent; 3) ut liceret sibi sacras reliquias tangere, quo melius eas ornare possent. Ac tertiam quidem illam gratiam concedere pontifex tantopere gravatus erat, ut reginae tandem ea petitione desisterent. De duabus autem reliquis Gregorius XIII. 17. Aprilis 1574

ad Magdalenam duo dedit Brevia: Uno Magdalena et reliquae feminae, quae in collegio eius vel erant vel in posterum futurae erant, a iurisdictione sacra parochi halensis et eorum, qui in eius locum successuri erant, eximebantur, et permittebatur, ut iis, quotiescunque vellent, in ecclesia sua sacra eucharistia per quemlibet sacerdotem saecularem vel regularem praepositi sui licentia instructum praeberi et sacrum oleum ibidem asservari sacramentumque extremae unctionis per eiusmodi sacerdotes iis ministrari posset (ex huius Brevis versione germanica, quam posuit Rapp l. c. 76—78). Altero Brevi prohibebatur, excommunicationis poena proposita, ne templi illius sacrae reliquiae inde auferrentur (Rapp l. c. 76). Portia igitur haec Brevia, Augustae sibi tradita, 8. Maii Halam ad reginam misit (Schellhass, Nunt. III 232. 283 304. 308. 332. 383³; IV 15. 48). Deinde Augusta 29. Maii 1574 Ptolemaeo cardinali Comensi scripsit: „La Regina Maddalena riceuè, per quello che m'ha significato di ordine suo il Padre Canisio, con somma riuerenza, et consolatione le gratie di Nostro Signore à cui baccia humilmente i Santissimi piedi.“

Magdalena certe digna erat, quae a pontifice singularibus gratiis ornaretur. Ita de ea et Helena eius sorore Hala anno 1573 8. Septembris (?) „*Mathias Lacknerus* collegij Vicerector“ ad Mercurianum Societatis praepositum generalem *scripsit: „De Halensibus nostris qui olim pene omnes haeresi infecti erant, hoc dicendum occurrit, eos indies magis ad gremium sanctae Romanae ecclesiae redire, eoque per Dei gratiam opera nostrorum ac Reginae peruenisse, ut praeter unum obstinatum figulum nemo apertus haereticus inueniatur, erubescunt diebus Dominicis ac festis ad templum se conferre nisi in aperto rosarium B. Virginis in manibus gestent, quod tamen olim Halae magnum piaculum putabatur, in his uero Romana aut a nostris data omnibus alijs etiam preciosissimis anteponunt, itaque serenissimae Reginae ob hanc causam ad mille rosaria coemerunt ut per nostros distribuerentur. Deinde uix est domus ubi non altare aliquod magna diligentia et pietate erectum reperiatur, ante quod preces suas fundant. Hoc anno praeter alios quinque insignes ab haeresi sunt absoluti, unus aurifaber concionator et confortator suorum occultus, alij ita erant obstinati quod Reginae in faciem restiterint ac aperte dixerint, malle se mille uitas si eas haberent quam suam fidem seu potius perfidiam deserere, quos tamen Dominus ad meliorem mentem benigne deduxit. Non pauci animum fictum deponentes uere et ex animo ac cum Lachrymis abiurarunt omnem haeresim. Serenissimae Reginae matres nostrae clementissimae nobis fauere, benefacere ac uarijs commodis augere non desistunt, atque antiquius nihil habent quam ut plurimos Domino lucrifaciant“ (ex autogr.; Germ. 153 f. 192ᵇ—193ᵃ).

1887. P. IOANNES MAIOR S. J., rector collegii florentini, CANISIO.
Florentia inter Maium et Iulium 1574.

Ex Canisii litteris autographis; Germ. 183 n. 277.

Canisius Oeniponte Kalendis Septembribus 1574 in litteris Romam ad P. Antonium Possevinum Societatis secretarium datis: „Valde miror“, inquit, „tam tarde isthuc perferri sarcinam, de qua iampridem accepta et Romam missa Rector scripsit Florentinus. Ex illo intelligatur obsecro, per quem et quando miserit quod partim Pont. Max. partim R. T. debetur ex uoluntate Coloniensium amicorum. Spero plane non amissum esse, quod tantis constitit sumptibus, meaeque curae commissum fuit“.

Ex epistulis a Canisio 22. Iulii 1574 ad Possevinum et ab hoc 21. Octobris 1574 ad Canisium datis (infra, epp. 1895 1909) intellegitur, in ea sarcina fuisse P. Laurentii Surii Cartusiani coloniensis „libros", et horum unum saltem exemplum, quod de vitis Sanctorum erat, una cum litteris Surii Gregorio XIII. fuisse destinatum; existimo autem Surium misisse suum „De probatis Sanctorum historiis . . . Tomum quintum", Sanctos mensium Septembris et Octobris complectentem ac Coloniae a. 1574 primum typis exscriptum; cuius litterae dedicatoriae ad Albertum V. Bavariae ducem Colonia 19. Martii 1574 datae sunt; alterum fortasse libri exemplum Possevino missum est.

1888. CANISIUS **P. IOANNI RETHIO S. J.** regenti gymnasii Trium Coronarum coloniensis. Oeniponte 24. Iunii 1574.

Ex archetypo, a Fr. Salvatore da Coldiscepoli S. J. scripto; cui Canisius ipse nomen („Seruus" etc.) subscripsit (2°; pp. $2^1/_2$; in p. 4 inscriptio tertia quadam manu posita et pars sig.). Cod. colon. „Un. 603" f. 331^a-332^b. Maiorem epistulae partem ex eodem archetypo posuit *Hansen* l. c. 686—687.

Codices Arlenii. Novi libri. Bibliotheca Patrum. Versiones scriptorum graecorum. Collegium germanicum. Gropperus Nuntius. Res belgicae. Libri Surii etc.

Pax Christi Reuerende Pater.

Scribunt ad me Patauini[1], Taurini Flandrum quendam[2] commorari, qui multos tam Graecos, quam Latinos codices undique conquisiuerit, et in his uolumina duo Orationum et Epistolarum Chrysostomi: ac praeterea librum Nicolai Medonensis[3] Episcopi, sed et alia opera Eusebij Caesariensis, Ephrem, Basilij hactenus non euulgata. Vehementer autem ille contendit huiusmodi antiquitatis monumenta non solum in lucem edere, sed in Latinam quoque linguam transuertere, sola interim inopia impeditus. Quare sicut mihi Subfridum Petrum Frisium ualde commendas[4], sic ego hunc ipsum Belgam alijs non immerito commendare possem, si quos ad liberalitatem paratos cognoscere possem. Res typographica eo usque progressa est, ut omnibus sit fere persuasum, nouis et extraordinarijs sumptibus eos non esse iuuandos, qui sponte tot quotannis procudunt uolumina, ut ad emendum plaerisque uix nummorum satis suppetat copia. Accedit difficilis annona, quae uicinas Prouincias, earumque Principes ita premit, ut exhausta omnia aeraria uideantur. Faxit Dominus, ut noui Moecenates emergant, qui doctorum hominum in patribus uertendis atque corrigendis indefessam operam

---

[1] Collegii, quod Societas Patavii habebat, sodales.

[2] Significari videtur Arnoldus Peraxylus Arlenius brabantinus, quem m. Iunio 1573 Taurini fuisse constat (*Hansen* l. c. 686). Is primus Flavium Iosephum graece edidit, orationes quasdam S. Ioannis Chrysostomi, Olympiodori commentaria in Aristotelem, alia latine reddidit (*Jöcher* l. c. III 1375—1376; *Bursian* l. c. 152).

[3] Nicolaus, episcopus Methonensis (Modon in Peloponneso) et unus ex gravioribus Byzantinorum schismaticorum theologis, saeculo XII. varios composuit libros; ex quibus ante a. 1825 ille solus cum eius nomine editus est, quo eos, qui in eucharistia vere Christum esse negabant, refutabat (Parisiis 1560; Antverpiae 1562 etc.; cf. *Migne,* P. gr. CXXXV 508—518). Alterum quendam Nicolaum Methonensem saeculo XIII. vixisse et scripsisse ferunt.

[4] Vide supra p. 199.

subleuent. Scripsit ad me M. Harlenius[a][1] nunc operam in Belgio dari, ut ploerique Patres syncere uersi, aut probe castigati in lucem prodeant[2]. Id ego sane maxime probarim. Pergat interim Charitas Tua sacrum saxum uoluere, et adhortatione sua illorum promouere laborem, qui Graecos Patres coeperunt Latine uertere[3]. Coeterum ut certa pecuniae summa huic aut illi destinetur interpreti, cum tam multi sese offerant, difficile fuerit Magnatibus persuadere.

Deo inprimis, ac deinde Christi Vicario[4] multum debemus ob erectum Romae Collegium Germanicum, quod magis ac magis indies efflorescit, etsi non omnes illic incolumes uiuant. Confirmet Dominus in Apostolico munere D. Gropperum[5], cuius operam apud uos uicinosque uestros utilissimam esse non dubito. Scripsi Romam, ut ex hoc praeclaro cursu ille non facile reuocetur[6], qui utinam Coloniense gymnasium[7] et Collegium uestrum egregie prouehere possit. P. Balduinus[8] de statu Belgij ad nos misit, ob quae partim gratulamur illis Prouincijs post caedem hostium[9] utcunque respirantibus, et diuinae uisitationis tempus agnoscentibus[10], partim eisdem condolemus miserandum in modum afflictis, quam diu uicina illa sacrilegia horribiliter exercentur[11]. Bene habet, quod nostri fauentem Gubernatorem experiuntur[12]. Audimus Chronicum ultimum P. Surij non ab omnibus probari[13], et optaremus maturius quaedam ab ipso conscribi, quia non quam multum, sed quam bene scripseris uidendum est. Debemus Calenio,

a) *Sic Canisii librarius; cui scribendum fuisse videtur* Harlemius; *vide infra, adnot. 1.*

---

[1] Litteras P. Ioannis Wilhelmi Harlemii S. J. significari existimo; de quo supra p. 19 30 111.

[2] Anno 1575 Parisiis cura M. de la Bigne doctoris sorbonnici et canonici baiocensis (Bayeux) probante facultate illa theologica 8 voluminibus (quibus a. 1579 „appendix" accessit) edita est prima „Bibliotheca SS. Patrum"; in qua scripta Graecorum non exstant nisi latina versa.

[3] Horum nomina vide supra p. 198—199. [4] Gregorio XIII.; cf. supra p. 143.

[5] Gasparum Gropperum, nuntium apostolicum; v. supra p. 132.

[6] Vide supra p. 213. [7] Universitatem dicit.

[8] Balduinus ab Angelo praepositus provinciae Societatis flandricae sive Germaniae inferioris.

[9] Mense Aprili a. 1574 Ludovicus Nassoviensis Geusiorum dux ab Hispanis prope vicum Mook ad Mosam situm victus est.

[10] Lc 19, 44; cf. Ier 46, 21; 49, 8; 50, 31.

[11] Haec maxime in Hollandia, Zelandia, finibus ultraiectensibus a Calvinianis fiebant, quos Guilielmus princeps auriacus fovebat et regebat.

[12] Ludovicum de Requesens y Çuniga, a Philippo II. a. 1573 in locum ducis Albani substitutum.

[13] Hoc opus, cum primum una cum Chronico Naucleri, deinde seorsim aliquotiens, ut Lovanii 1566 (?), Coloniae 1568, in lucem prodisset, iterum Coloniae „apud Geruinum Calenium et haeredes Ioannis Quentelij" a. 1574 vulgatum est et id quidem sic inscriptum: „Commentarius brevis rerum in orbe gestarum, ab anno salutis M. D. vsque in annum M. D. LXXIIII. ex optimis quibusque Scriptoribus congestus, et nunc recens non parum auctus et locupletatus, per F. *Laurentium Surium* Carthusianum."

quj tam multa nostrorum scripta hoc anno euulgauit [1], et Surianos tomos edere pergit. Vtinam uero in septimo Tomo coniungantur, quae in Tomis prioribus uel praetermissa, uel recognitione aliqua digna uideri possunt [2]. De testimonijs Patrum Catechismo adiungendis [3] nihil amplius audio, fortassis haec recognitio in tempus aliud reijcietur. Salutem ex me P. Leonardo [4], P. Hasio, P. Zantheno, et reliquis omnibus domesticis. Gratum feceris Pater, si saltem in mercatu Francfordiensi [5] nunciaris, quid Catholicorum authorum proferant officinae Colonienses. Dominus gratiam nobis suam augere dignetur: desidero interim vestrarum exercitationum et precationum esse particeps, sicut ab initio fui in Christo Jesv domino nostro [6]. Oenipontj 24. Junij 1.5.74.

Seruus in Christo P. Canisius.

† Reuerendo in Christo Patrj, Doctorj Joannj Rhetio Societatis JESV Theolo[go et Concio]natorj Coloniae in Gymnasio trium Coronarum.

Rethius huic inscriptioni haec adnotavit: „Recepi 13. Iulij."

1889. P. PAULUS HOFFAEUS provinciae S. J. Germaniae superioris praepositus PP. PETRO CANISIO et ALPHONSO PISANO, S. J., consultoribus suis. Monachio 25. Iunii 1574.

Ex autographo (2°; 1 p.; in p. 2 inscr. et reliquiae sig.). Germ. 135 f. 129.

Quid Alberto V. principi concedendum de collegio ingolstadiensi?

† Soli P. Petro Canisio et P. Pisano.

Vrgemur vt Jngolstadij ratione 1500 florenorum annuorum [7] plures operarios addamus praeter duos professores theologos et concionatorem qui nunc sunt, nimirum aliquem professorem Hebraeum, vnum catechistam Latinum (vellent P. Pisanum) et vnum Germanum, item si quid aliud iudicabit D. Eysengreinus e re Scholae esse [8]: aut si hos

---

[1] Ita v. g. Calenius a. 1573 Coloniae edidit P. Francisci Turriani S. J. „Pro Canonibus Apostolorum, et Epistulis Decretalibus Pontificum Apostolicorum Libros quinque", primum Florentiae a. 1572 typis exscriptos; v. *Can.* VI 337 [3].

[2] Prima quidem operis „De probatis Sanctorum historiis" editio (1570—1575) sex tantum tomos habuit; secunda vero (1576—1581), quam, Surio a. 1578 mortuo, Iacobus Mosander, Cartusianus et ipse coloniensis, incipiendo a tomo IV., curavit, tomos habet septem, quorum ultimus supplementa ad senos illos utriusque editionis tomos exhibet (*O. Zaretzky,* Ein Quentelsches Rechnungsbuch, in „Annalen des Historischen Vereins für den Niederrhein" 93. Heft, Köln 1912, 88).

[3] Opus catechisticum significat; v. supra p. 132. [4] Kessel rectori collegii.

[5] M. Septembri (*Can.* VI 376 [2]).

[6] Rom. 6, 11 23; 8, 39. 1 Cor. 15, 31. Eph. 3, 11 etc.

[7] Hos Albertus V. dux collegio in litteris fundationis a. 1563 datis assignaverat; v. *Can.* IV 939.

[8] Martinus Eisengrein, praepositus passaviensis et ottinganus (cf. *Can.* VI 366), a. 1570 a duce „superintendens" universitatis ingolstadiensis constitutus erat (*Prantl* l. c. I 287); „Amicus noster, sed magis Amicus eorum qui nobis aduersantur in hac materia", inquit P. *Pisanus* Hala a. 1574 hac de re Mercuriano praeposito generali scribens (ex autogr.; Germ. 135 f. 196).

operarios addere nolumus, remittamus aliquid de dictis 1500 florenis. Vos scribite cito nostro Patrj[1] vtrum expediat magis ex his duobus. Scitote autem illos 1500 florenos nil nobis prodesse ad alendum aliquod seminarium fratrum[2] si plures operarij addi debent: Deinde isti dolo nobiscum agunt, de quo sicut oportebat prius non monuerunt, deceperunt etiam nos hoc triennio plusquam decies, taceo quod hac arte nos etiam velint cogere vt paedagogium tandem reddamus: ego igitur nostro Patrj suasi vt potius aliquid remitteremus de [1]500[a], et sic etiam aliquo modo nos liberabimus a calumnia cupiditatis qua isti nos notant. Vestra sententia sit libera, et recta in vrbem illam mittite ac pro me orate. Monachij postridie S. Joannis[3] 1574.

RR VV

Seruus in Christo
Paulus Hoffaeus.

† Reuerendo in Christo Patri Petro Canisio Societatis Jesv Oenipontj.

Ad haec melius intellegenda iuverit aliqua ponere, quae de cursu philosophico et paedagogio (scholis rhetoricae, litterarum et humanitatis etc.) ex ducis voluntate a Sociis primum Ingolstadii a. 1571 „probationis caussa ad annum" susceptis, deinde a. 1573 Monachium translatis (*Can.* VI 464, et supra p. 202), ipse *Hoffaeus* Monachio 24. Iunii 1574 ad Mercurianum *scripsit: „Supplicaueram", inquit Hoffaeus, „Jllustrissimo Principi, vt formulam fundationis de tribus millibus florenorum pro hoc Monachiensi Collegio, a P. V. probatam, confirmaret. Et cum scholae nostrae magnum caperent incrementum, essentque angustissimae, nouas et ampliores fabricaret. Pro responsione reiectus sum ad senatum aulicum, nobis non obscure aduersarium. Js me Augusta euocauit, vt quae decreuerant, in me effunderent. Ordiuntur ab Jngolstadiensi Collegio, vbi primum queruntur, inscio Jllustrissimo Jngolstadio abductum esse Paedagogium (i. e. scholas grammaticales etc.) promissum licet ab initio 2.° Modo quidem Jngolstadij tantum duas a nobis praelegi et quidem alternas lectiones theologicas, nihilominus frui nos amplius reditibus 1500 florenorum: quamobrem cupere Jllustrissimum vt vel plusculum illic laboraremus, vel aliquid de dictis reditibus cederemus, donec Princeps cum Societate transigeret suo tempore, de restituendo paedagogio et quibusdam alijs lectionibus ante habitis: se enim quasi certo praeuidere nouum paedagogium nuper ab Academicis institutum ... successum minime habiturum esse et Academiam absque Societatis opera diu florere non posse, quam tamen optaret[b] [?] esse florentissimam multas ob causas ... Docuj, inscio Principe non fuisse nec cursum nec paedagogium Jngolstadio huc translatum: et hic nihil est mihi replicatum. Secundo negaui vnquam Jngolstadij promissas fuisse scholas triuiales: et hic mecum disputare noluerunt. ... Sciendum est Societatem his tribus annis ab Aulicis siue arte, siue alia de causa, saepe fuisse delusam. Jn causa Jngolstadiana expectabamus illorum patrocinia: et ecce plane omnes non solum nos deseruerunt sed etiam oppugnarunt. 2°. verbo et scripto decreuerunt, vt Societas circa iuuentutis institutionem suum, sicut alibi, modum teneret: nil minus facere licuit. 3.° Decreta fuit probatio cursus et paedagogij vnius anni: sed iam triennium abijt. 4.° Liberauerunt nos ab omnj iuramento Academico: postea reclamarunt.

a) *Hoffaeum scribere voluisse* 1500 *intellegitur ex iis, quae paulo supra dixit et paulo infra dicturus est.* b) *Sic; corrigendumne* optarent?

[1] Mercuriano praeposito generali.
[2] Scholasticorum Societatis; vide, quae sub ipsas has litteras dicentur.
[3] Postridie diei Nativitatis S. Ioannis Baptistae sive die 25. Iunii.

5.⁰ Ratione cursus etc. propria manu promisit Princeps sustentationem pro 70. personis: postea descensum est ad 50. postremo ad 3000 florenos, quibus 50. homines ali non possunt. 6.⁰ Conuentum erat vt finito anno probationis dicto, vtriusque partis difficultates audirentur: auditi sunt Academici: nos inauditi sumus reiecti, et ad vota Academicorum contra nos conclusum est, nobisque aliud dictum nihil, nisi hoc: Siue vobis probetur, siue non probetur, haec est voluntas Principis. 7.⁰ Toto triennio probationis [1]500.[c] tantum floreni nobis suppeditati sunt: initium tamen auctionis trium millium propria manu Principis promissum erat pro autumno anni 72. et vix tandem sequenti anno obtinuimus cum magno Collegij grauamine et debitis etc. 8.⁰ petiuerunt fieri translationem Cursus et Paedagogij: eandem nunc in dubium vocant. 9.⁰ Voluerunt fundationem Monachiensem confirmare: eam nunc suspendunt sine legitima causa. donarunt Collegio Jngolstadiano reditus 1500 florenorum; nunc vt partem sine nostra culpa remittamus vrgent, alioquin forte subtracturi aliquid Monachiensibus. Multa alia omitto". Die autem 25. Iunii 1574 *Hoffaeus* eidem Mercuriano Monachio *scripsit: „Hoc addo, nihil ad alendos nostros theologos fratres illos 1500 florenos posse prodesse, si praeter duos theologos et caeteros officiales, alios nouos operarios addere debeamus, cum experientia doceat 1500 florenis vltra 18. vel summum 20. homines amplius ali non posse" (ex autographis, Germ. 135, n. 130 132). Mense Ianuario 1574 in collegio ingolstadiensi 18 Socii vivebant; P. Ioannes Rabenstein rector in eorum sacello diebus dominicis contionem germanicam habebat: Fr. Paulus Vizanus „tertij anni cursum philosophicum priuatim" tradebat, quem novem Societatis scholastici audiebant (ex autographis P. *Rabenstein* *litteris 13. Ianuarii 1574 ad Mercurianum datis et ex *Catalogo provinciae Germaniae superioris de 1. Ianuarii 1574 ab *Hoffaeo* ad Mercurianum misso. Germ. 135 f. 100: Hist. Soc. 41 f. 172[a]–173[b]).

Ceteroquin, quod ad senatum illum aulicum attinet, iam semel atque iterum monui, eam fuisse Hoffaei indolem, qua et alios et se ipsum nigris coloribus pingere soleret.

Canisius Hoffaei litteras ad se datas, quas supra posui, una cum epistula 22. Iulii 1574 ad Mercurianum praepositum generalem a se data Romam misit; v. infra, ep. 1894.

1890. BARTHOLOMAEUS DE PORTIA apostolicus in Germania nuntius CANISIO.

Augusta Vindelicorum inter ineuntem et medium Iulium 1574.

Ex autographa Canisii ad Mercurianum epistula. Germ. 183 n. 324 (f. 171).

Indignum de collegio augustano episcopi capitulique responsum.

Canisius Oeniponte 19. Iulii 1574 Romam ad Everardum Mercurianum Societatis praepositum generalem haec, praeter alia, rettulit: „De Augustano negotio scripsit ad me Reuerendissimus Nuntius Portia, simulque misit responsum sibi datum ab Episcopo et Capitulo Augustano, quod his quoque literis adiunxi. Multum et diu in collegij causa certatum est, sed cum exiguo fructu, immo magna cum inuidia nostrorum, quibus uel authoribus uel incentoribus tota haec tragoedia ab ipsis Canonicis imputatur. Et pergit tamen idem Nuntius hoc saxum voluere, nouaque experiri arma decreuit, non solum Pont. Max., sed et Caes. Mai., de cuius tamen animo dubitatur, et quorundam Catholicorum Principum opem implorans, ut uel inuiti Canonici expetitum saepe monasterium Jesuitis assignent".

Et Gregorio XIII. pontifici et cardinalium congregationi germanicae, et plurimis Germaniae viris catholicis, imprimis Alberto V. duci et Ferdinando II. archiduci et

a) *Vide p. 220, adnot. a.*

Fuggeris aliisque patriciis augustanis, persuasum erat, causam religionis catholicae exigere, ut Augustae collegium Societatis stabiliretur, in quo iuventus catholica urbis ad litteras et humanitatem ea fere ratione, quae nunc in Germaniae „gymnasiis" servatur, institueretur. Cum autem monasterii S. Crucis in Societatem translationi et illius monasterii canonici regulares et cathedrale capitulum augustanum vehementer reluctarentur [1] (v. supra p. 123 148), et propterea tum Maximilianus II. imperator (qui, mutato consilio, 14. Martii 1574 in eam sententiam cardinali Ludovico Madrutio romano Germaniae protectori scripsit), tum Albertus V. dux et Ioannes Egolphus a Knöringen episcopus augustanus atque etiam ipse Canisius aliam collegii instituendi rationem ineundam esse censerent (*Schellhass* l. c. IV 27, et cf. supra p. 125 153), cardinalis Comensis pontificis mandatu Portiae, huius potissimum negotii conficiendi gratia Augustae moranti, 29. Maii 1574 scripsit, satis fore, si a capitulo cathedrali locus aliquis commodus collegio per patricios aedificando daretur; id quod patricii illi sibi ingratum non fore significarunt (*Schellhass* l. c. IV 60). Capitulum vero nuntio variis dilationibus frustrato tandem 28. Iunii 1574 scriptam tradidit responsionem, cui episcopus quoque Dilingae graviter aegrotans aegro animo assensum praebuerat. Qua responsione (a *Schellhass* l. c. IV 98—100 typis exscripta) illi non solum monasterium S. Crucis Societati tradere recusabant, sed etiam alio loco offerendo supersedebant, nuntium parum honorifice tractantes, vanas confingentes causas, id solum concedentes, ut Socii praecipuorum urbis catholicorum pueros primis litterarum rudimentis imbuerent" [2]; quod si facere vellent, habitationem, dum contionandi munere in ecclesia cathedrali fungerentur (quo munere pro capituli arbitrio moveri poterant; cf. *Can.* V 144), semper iis fore commodam. Hoc responso commotus Portia existimabat, sedis apostolicae auctoritatem ac dignitatem exigere, ut severius cum capitulo ageretur; in animum igitur induxit, monasterii translationem iterum pontificis nomine urgere, monasterii praepositum apostolica auctoritate in ius vocare, a Bavariae duce auxilium petere, Ferdinandum II. archiducem rogare, ut monasterii bona in provinciis suis occuparet, imperatori instare, ut „Commissarium" mitteret ad monasterii traditionem ad effectum deducendam; sic enim sperabat fore, ut capitulum, si non ipsum monasterium, certe alium locum collegio aptum Societati tribueret (*Schellhass* l. c. IV 88—96 100—102; *Schwarz*, Gut. 90; *Hansen* l. c. 689—690).

1891. P. ANTONIUS POSSEVINUS secretarius Societatis Iesu CANISIO. Roma 15. Iulii 1574.

Ex P. Alphonsi Pisani epistula autographa. Germ. 135 f. 175.

Praefatio editoris: P. Alphonsus Pisanus S. J. canones illos 70 (80, 84) „arabicos", quos primi Concilii Nicaeni esse (haud recte) putabant, a. 1561 Alexandriae a P. Ioanne Baptista Eliano sive Romano S. J. repertos et a. 1568 Roma a P. Francisco Turriano S. J. ad se missos (*Can.* VI 217—219) a. 1572 cum aliis scriptis ad idem concilium spectantibus Dilingae primus vulgavit in libro sic inscripto: „ACTA ET | CANONES | SACROSANCTI | PRIMI OECVMENICI | CONCILII NICÆNI TEMPO- | ribus Syluestri Pont. Rom. & | Constantini Imperatoris | celebrati. | APPOSITIS SANCTO- | rum Patrum testimonijs, ad eorundem | Canonum commendationem & | interpretationem perti- | nentibus. | OMNIA STVDIO ET LABORE |

---

[1] *Portia* Augusta 1. Maii 1574 Alberto V. duci *scripsit: „Multa in collocutionibus pro R. D. Canonicis afferuntur, sed illa (ni fallor) satis leuia; Capitulum de societate minus recte sentit, uideturque illius firmam sedem in hac Vrbe quodam modo reformidare" (ex archetypo, quod est Monachii in archivo reipublicae bavaricae, „Jesuitica, Ingolst." Cod. 1359/II f. „ante 10".

[2] „Wenn das Domkapitel die Bedürfnisfrage für ein Jesuitencolleg in Augsburg in Abrede stellte, so überschritt es jedenfalls, von parteiischen Standpunkten ausgehend, seine Zuständigkeit": *Konr. Häbler*, Die Stellung der Fugger zum Kirchenstreite des 16. Jahrhunderts, in „Historische Vierteljahrsschrift" I, Leipzig 1898, 508.

ALPHONSI PISANI, Societatis IESV | Theologi, ex varijs Græcorum, Latinorum, | atq; Arabum monimentis collecta | & concinnata. | *Cum Priuilegio Cæs. Maiest.* et *facultate Superiorum.* | DILINGAE | Apud Sebaldum Mayer. | M. D. LXXII." (8°min.; ff. sign. 132; ff. non. sign. in initio 18, addito titulari, et in fine libri 4; litterae dedicatoriae ad cardinalem Ottonem Truchsess a Pisano Hala 2. Februarii 1572 datae sunt); neque tamen quicquam a Pisano arabice vel graece ponitur; sed omnia latine reddita sunt. Dein *Pisanus* Hala 11. Ianuarii 1574 Everardo Mercuriano praeposito generali *scripsit: „Ante Electionem P. Vestrae, conclusum erat illum librum recudendum fore, cum aliquo auctario · id si P. Vestra etiam approbat, Cuperem mitti mihi copiam fragmentorum Graecorum Nicaeni Concilij, quae sunt in Vaticano, descriptorum per aliquem fratrem nostrum, cum essemus Romae tempore Congregationis id promisit mihi, ipse bibliotecarius vaticanus nomine Marinus Ranali [Rauali?], et Cardinalis Sirletus facile concessurus credebatur, qui bibliothecae superintendit" (ex autogr. Germ. 135 f. 179). Eadem „fragmenta" P. *Antonius Possevinus* significare videtur, cum sic scribiti: „Est in Vaticano manuscriptus Graecus codex nomine Syntagmatis, siue Commentarii, de rebus, quae contigerunt in Synodo Nicaena, quo in libro mentio fix διατυπώσεων..., hoc est, constitutionum, et canonum.... In eodem tamen Graeco codice Diatyposes tantum ascriptae reperiuntur: licet auctor pauca de multis dicat se se descripsisse" (Apparatus II 137). Ipsae autem illae Diatyposes primum typis vulgatae sunt a Pisano in secunda editione Concilii nicaeni, Coloniae a. 1581 in lucem emissa (*Alegambe* l. c. 19; *Sommervogel* l. c. VI. 865).

De scriptis editioni Concilii I. Nicaeni per P. Pisanum addendis etc.

P. Alphonsus Pisanus S. J. P. Oliverio Manareo praepositi generalis pro Germania et Gallia assistenti Oeniponte 24. Augusti 1574 scripsit: „Mi son molto consolato con le lettere che .V. R. ha mandate al R. P. Canisio, et al R. P. Natale[1] *et mi hanno dato animo anche a me per scriuere, et essendo venuto hoggi a Jnspruk per trouar mi presente alla visita del R. P. Provincial*[2]*, il Padre Canisio mi ha mostrata una del R. P. poseuino scrita alle 15 de Julio . . . ho voluto rispondere, jm peroche il R. P. Poseuino scriue al P. Canisio di cose toccante a me . . . Scriuo io alla R. V. la quale potra communicare col R. P. Poseuino. Jn quella lettera si dice Commentarium Graecum de rebus Nicaenis ad meam instantiam esse jam descriptum, et R. P. Maffaeum*[3] *voluisse vertere in Latinum, nisi comperisset eadem fere haberi in meo Nicaeno, et me in praefatione monuisse, consulto reliquisse me illa graeca Vaticana, cum jam legissem, et quaeritur, quid cupiam fieri de graecis jam descriptis. Dico donche la mia intention essere . . . , che il mio Nicaeno si ristampe qua vn altra volta, ma con qualche augmento, questo augmento speramo hauere di Roma, in tre cose. La prima in questo commentario . . . La seconda è l' encomio del Concilio Nicaeno autore Gregorio Antiocheno*[4] *. . . il terzo augmento saria quell che scriue il R. P.*

---

[1] P. Hieronymus Natalis (v. supra p. 12), qui approbante praeposito generali sedem sibi delegerat collegium halense, Roma eo advenerat paulo post medium m. Iulium a. 1574 (Epistolae P. *Hieronymi Nadal* S. J. III, Matriti 1902, 666—668).

[2] Pauli Hoffaei.

[3] Ioannem Petrum Maffei, latine scribendi peritissimum; cf. *Can.* V 811.

[4] Nescio, utrum Gregorium patriarcham Antiochenum (570—593) significet, an Gregorium Antiochenum, qui saeculo XII. vixit, an Gregorium Cappadociae pres-

Poseuino de alcune epistolae de .S. Athanasio che dize nunquam fuisse excusas et pertinent ad idem Concilium . . . Sed prius videndum, an verum sit nunquam fuisse excusas".

Haec Possevinus (cuius epistula perisse videtur) Canisio scripsit de rebus P. Pisani: scripsisse autem illum de rebus quoque aliquibus ad ipsum Canisium pertinentibus cognoscetur ex epistula Kalendis Septembribus a. 1574 data, qua Canisius Possevino respondit; v. infra, ep. 1901.

Nescio an haec Possevini epistula sit eadem atque epistula illa, quam a Manareo ad Canisium „missam" esse Pisanus scribit. Fieri certe poterat, ut Possevinus, sicut saepe praepositi generalis mandatu scribebat, Manarei quoque assistentis nomine mandatuque scriberet. Neque litterae, quibus Canisium ad Manarei epistulam respondisse dici possit, praesto sunt, nisi epistula 1901.

Pisanus ex codice illo vaticano in secundam suam Concilii Nicaeni editionem, quam supra dixi, transtulit non solum „Diatyposes" illas, sed etiam „disputationes" a Patribus Nicaenis cum philosophis Ario faventibus habitas. Hoc autem Pisani opus iterum excusum est in libro: „*Conciliorum* omnium.... Volumina quinque.... Sixti V. Pontificis Maximi, foelicissimis auspiciis" Tom. I, Venetiis 1585, apud Dominicum Nicolinum, 490—592. Neque vero prorsus certum esse videtur, omnia acta nicaena praeter 20 illos canones notissimos, symbolum, decretum synodale spuria esse; sunt certe, qui putent alia quoque in commentarios relata esse, et his commentariis Gelasium esse usum; cf. „Histoire des Conciles, par Ch. J. Hefele, traduction par un Religieux Bénédictin etc. *[H. Leclercq]* I, Paris 1907, 391—394.

1892. P. THEODORUS PELTANUS S. J. CANISIO.

Augusta Vindelicorum circa medium m. Iulium 1574.

Ex Peltani ad Rethium litteris autographis. Cod. colon. „Un. 603" f. 336[a].

De „Opere catechistico" germanice vertendo.

Peltanus Augusta 5. Iulii 1574 de „Authoritatibus Sacrae Scripturae et Sanctorum Patrum, quae in Summa . . . Petri Canisii citantur", Coloniae a. 1569—1570 a P. Petro Busaeo S. J. collectis et editis (Can. VI 685—689), quas P. Ioannes Rethius S. J. atque, ut videtur, Gerwinus quoque Calenius typographus coloniensis germanice reddi cupiebant (Can. VI 387—388. 472. 685), sic ad Rethium scripsit: „De interpretandis authoritatibus R. P. Busaei R. V. respondebo, vbi primum Patrem Canisium ea de re consuluero, Nam cum ea res pertineat ad illius catechismum non puto illo inconsulto quicquam tractandum esse cum futuro interprete, quem tamen suspicor non admodum promptum futurum, si non fiat spes alicuius lucelli, est enim pauper et in negotijs capitularibus mediocriter occupatus, Vt vt sit vbi primum Canisius responderit, respondebo et ego quoque P. T."

Canisius Peltano respondit 29. Iulii 1574; ex quibus litteris conici potest, cum „Fiscali" (cathedralis capituli augustani?) de versione illa facienda Socios vel egisse vel agere voluisse; vide infra, ep. 1896.

---

byterum. Huius certe orationem de laudibus Nicaenorum Patrum in secunda libri editione posuit. Cf. *K. Krumbacher,* Geschichte der byzantinischen Litteratur, 2. Aufl., München 1897, 163—164 265 472.

1893. CANISIUS **EVERARDO MERCURIANO** praeposito generali Societatis Iesu. Oeniponte 19. Iulii 1574.

Ex autographo (2°; 3 pp.; in p. 4 inscr. et reliquiae sig.), Germ. 183 f. 233ᵃ—234ᵇ. Particula epistulae ex eodem autogr. transcripta est in „Epistolas P. *Hieronymi Nadal*" III 820—821.

De pecunia ex valle schrambergensi collegio dilingano assignanda; negotio collegii Augustae instituendi suavius transigendo; magistrorum ingolstadiensium numero augendo; P. Natali; opere Mariano; Chemnitio refutando.

† Pax Christi nobis aeterna Admodum
Reuerende Pater in Christo

Quae mihi nunc maxime scribenda uidentur, partim ad pecuniam quandam Collegio Dilingano applicandam, partim ad Augustanum et Bauaricum negotium spectant.

Matrona quaedam nobilis, et nostrae societatis amans in ualle Scambrensi (locus non procul ab urbe Constantia distat) haud ita pridem e uiuis excessit[1]. Ea testamentum condidit, et in eo praecepit bonorum suorum haeredibus, ut summam pecuniae annuae ad 260 coronatos penderent nostris sacerdotibus in eadem ualle habitaturis: aut his conditionem oblatam recusantibus, eandem pecuniam sacerdotibus externis alijs[a] applicarent[b], certas addens obligationes, quas neque nostri, neque alij subire uellent. Jgitur eiusdem testamenti executoribus uisum est aliam inire uiam, eiusmodi legatam pecuniam ad pios usus conuertendi, nimirum ut collegio Dilingano applicaretur, et[c] quibusdam fratribus illic alendis quotannis inseruiret. Existimant enim hac ratione futurum, ut dictae matronae pijs uotis satisfiat, quum ualde illa desiderarit, se et suorum propinquorum animas nostrorum sacrificijs et precibus Domino commendari, ac eorum meritorum, quae in tota Societate sunt, participes reddi.

Nullam uero proponunt aut exigunt a nostris obligationem, desiderantes dumtaxat, ut Dilingani nostri aliquando si commode possint[d], et ad tempus unum aut alterum in eandem uallem mittant, qui rusticanum populum instruat, ac in fide sana confirmet, cum ab haereticis undique cingantur, praesertim Ducatus Wirtembergensis. Jd fortasse ardente canicula, uel quum nostri a studijs ordinarijs abstinent, a Germano sacerdote fieri posset. Res ad Patrem nostrum Prouintialem[2] relata est, qui una cum Dilinganis maiorem in modum optat, ut hoc quale-

a) *Sequitur* uoluit, *a C. oblitt.* b) *Sic C. correxit ex* applicari, *quod primum scripserat.* c) *Sic C. correxit ex* ut. d) *Tria vv. sqq. a C. in margine addita sunt.*

[1] Ea vallis (quae nunc ad provinciam Silvae Nigrae — „Schwarzwaldkreis" — reipublicae wurttembergicae pertinet) nomen habebat a vico vel oppido Schramberg et ab arce, quam et ipsam Schramberg (vel Nippenburg) vocabant; hanc arcem, a. 1459 exstructam, a. 1546 una cum eius terrae imperio adeptus erat Rochus Merz a Staffelfelden; qui a. 1570 occisus est; eadem vallis arcem quoque Falkenstein habebat (Das Königreich Württemberg. Eine Beschreibung von Land, Volk und Staat. Herausgeg. von d. Kön. *statistischen Landesamt* III, Stuttgart 1886, 347—348).

[2] Hoffaeum.

cumque subsidium collegio Dilingano accedat, in quo non ita multi, ut oportebat, commode sustentari possunt. Dedit ergo mihi negotium idem P. Prouintialis, de tota causa T. P. admonendi simulque rogandi, ut nobis liceat oblatam hanc siue pecuniam, siue eleemosynam admittere, et Dilinganis applicare. Eo autem impetrato consequens erit, ut dictis haeredibus satisfaciamus, qui petunt literas uel concessionem a S. Sede Apostolica per nos impetrari, ut se hac ratione tueri possint, quod ultimam testatricis uoluntatem immutarint, conuersa pecuniaria pensione in Dilinganum collegium, quae in sustentationem aliquot sacerdotum qui nunc commode reperiri non possunt, legata fuerat. Confido plane. Paternitatem Tuam facile libenterque curaturam, ut et Dilinganorum penuriae, et istorum haeredum piae expectationi quamprimum satisfiat, quo ad eius fieri poterit[a].

De Augustano negotio *[etc., ut supra p. 231]*. Ego non ambigo sane, et Domini Nuntij, et Fuggerorum animos in hac tota causa et nobis, et rei Catholicae bene uelle, ut hinc multum illis in Domino debeamus. Videat autem et iudicet quaeso P. T. expediat ne nostris[1] dari leges[b], ut se cautissime gerant, et irreprehensibiles in hoc negotio praebeant, praesertim ne canonici iuste queri pergant, nos alienis uelut manibus hunc ignem fouere. Placari illos malim quam amplius exasperari rigido isto procedendi modo, propter quem non possumus non male audire, ut uerear, ne plus damni Dilingano collegio et uicinis prouintijs afferatur, quam commodi et fructus Augustae expectari possit. Ea puto esse tempora, quibus suauior inchoandi collegij modus et optandus et procurandus sit, Nunc Canonici obfirmato contra nos animo esse dicuntur, ut stabilem locum nulla uelint ratione concedere. Fuggeri uero nihil de suo feruore remittunt, cum D. Nuntium in causa inflammatum uideant. Faxit dominus, ut feliciter exeat quod utrinque tanta propter nos geritur contentione[c]. Venit nunc ad me Caesaris Consiliarius idemque fidus amicus[2] nuntians, Caesarem fauere Canonicis, et parum profuturum, ut maxime illos urgeat Pontifex.

Jamuero ut ad Bauaricum negotium accedam, quod ex adiunctis P. Prouintialis nostri literis plenius intelligetur[3], fateor me non satis causam totam assequi, de qua nihil antea scripsit ad me quisquam. Vellem autem inprimis coram agi cum ipso Principe Alberto, quandoquidem eius Consiliarios parum nostris rebus fauere multis experimentis

a) *Possevinus Societatis secretarius huic capiti haec in margine ascripsit:* Declarent executores quod putent mentem testatricis esse talem Quod [Quid?] faciant ipsi etc. b) *Sequitur* ne. *oblitt.* c) *Quae sequuntur, usque ad* urgeat Pontifex *incl., a C. in margine addita sunt.*

[1] PP. Gregorio Rosephio cathedralis ecclesiae contionatori, Martino Leubenstain contionatori ecclesiae collegialis S. Mauritii, Theodoro Peltano; Rosephius die SS. Petri et Pauli (29. Iunii), cum de oboedientia summo pontifici praestanda diceret, aliqua verba protulerat, quibus se iniuria affici capitulum existimabat (*Schellhass* l. c. 93 94 102 159—160).

[2] Achilles de Ilsung? Maximilianus de Ilsung? Georgius Eder?

[3] De hoc negotio v. supra p. 219. Hoffaei litterae perisse videntur.

compertum est. Habent interim quod mirentur[a] ac etiam moleste ferant, ut credo, de tanta mutatione nostrorum Jngolstadij facta non sine gymnasij detrimento: unde quoniam nos tot praeceptores amouimus, sumptus etiam imminuere uelle uidentur. Mihi non displiceret plures e nostris dari praeceptores[b] gymnasio Jngolstadiensi, sed sine obligatione, et saluo instituto. Qua de re monerj possit P. Prouintialis, ut rem cum ipsis uel Consiliariis, uel professoribus Jngolstadianis transigat, ac deinde ad P. T. scribat, priusquem certi aliquid concludatur. Non puto necessarium, ut occasionem illis demus imminuendae pecuniae, quam etiam in annum auctiorem dari uellem ad plures alendos. Est interim utcumque durum et graue, istorum ingenijs satisfacere qui aegre capiunt et probant nostrum institutum eiusque libertatem. Sic enim solent religiosis omnibus dare leges, et quasi Germanica consuetudine se putant excusari, quod[c] Ecclesiasticos sibi suaeque uoluntati subiectos tenere[d] pergant.

Scripseram ad Pont. Max., et si non placet P. T. haec epistola, quam extorsit a me ius obedientiae summo pastori debitum[1], lubens fero illam supprimi, sicut et P. Posseuino scripsi.

Tanto gratior nobis et toti prouintiae contigit P. Natalis aduentus, quo ille fuit inexpectatior. Vtcumque habet hactenus Dei gratia, quem ego tamen optarim Reginae commendatiorem esse[2]. Imbecillitas haec Germanorum est, ut suos et Germanos magis quam exteros et Hispanos ament atque complectantur. Deest aliquid bono Patri ad eas commoditates, quas in tractandis studijs suisque scriptis absoluendis desiderare uidetur. Sed post mensem ueniet spero P. Prouintialis, ac fortasse illius desiderio faciet satis, ut et scriptorem, et studiorum socium optatum secum habeat. Euentus docebit, an frigora Germanica illius ualetudinem laedant. De meis studijs hoc unum dicam, dolere me quidem quod multorum efflagitationibus, qui opus de Maria impatienter expectant, non respondeam: sed quum priora desint subsidia, quibus Dilingae abundabam, et superiores meam scriptionem non ualde urgere putem, lentius progredior, praesertim qui de meis scriptis nihil praeclare debeo polliceri, paratus etiam[e] hoc scribendi munus alijs multo aptioribus relinquere, et ea quae uocationi meae uiciniora sunt, unice curare. Commendo me studiaque mea uoluntati P. T. et eius precibus atque sacrificijs Domino saepe offerri desidero uehementer. Christus illam diu nobis et utrique Germaniae saluam seruare dignetur. Oeniponti 19 Julij 1574.

R. P. T.

Seruus indignus
Petrus Canisius.

a) *Sex vv. sqq. a C. in margine addita sunt.* b) *Hoc v. a C. in margine additum est.* c) *Sequitur* etiam, *a C. oblitt.* d) *Sequitur* uelint, *a. C. oblitt.* e) *Sequitur* ab, *a C. oblitt.*

[1] Vide supra p. 213.

[2] Magdalenam significat. Ceterum cf. infra, monum. 1163.

Scripsit uirulente[a] Martinus Kemnitius contra duas posteriores concilij Tridentini partes, ubi de Jndulgentijs odiosissime tractat[1]. Suadent nostri, ut posterior materia P. Ledesmae[b], qui copiose de Jndulgentijs scripsit[2]: prior uero P. Turriano[3] confutanda[c] tradatur. Judicabit autem P. T.

† Admodum Reuerendo in Christo patri, P. Eucrardo Mercuriano, Societatis JESV praeposito generali. Romae.

Rectissime hoc „postscripto“ Canisius theologos romanos monuit, ne *Martini Chemnitii* Lutheranorum ministri brunsvicensis (de quo *Can.* III 481[6] 809—814). „Examen Concilii Tridentini“ neglegerent; neque enim aetate illa ullus erat alius liber, qui tantam eruditionis speciem prae se ferret tantamque auctoritatem apud fidei catholicae adversarios assequeretur. „Die ‚Prüfung der Kirchenversammlung von Trient‘“, inquit *Hermannus Hachfeld*, unus ex nostri temporis protestantibus, „wird die evangelische Christenheit stets unter ihre klassischen Schriften zählen. Sie hat darin den reinsten, edelsten und kräftigsten Ausdruck ihres protestantischen Bewußtseins gefunden. Sie besitzt daran seit drei Jahrhunderten die beste Rüstkammer für die Kämpfe mit Rom“: Martin Chemnitz, Leipzig 1867, 48. Libri pars prima a. 1565, secunda 1566, partes tertia et quarta a. 1573 primum in lucem emissae sunt; quae 4 partes deinde a. 1578 uno comprehensae sunt volumine. In partibus autem 3 et 4. Chemnitius maxime contra catholicam de purgatorio et de indulgentiis doctrinam, quam Concilium Tridentinum in ultima sessione, 3. et 4. Decembris 1563 habita, definiverat (Sess. XXV. decr. de purg.; decr. de indulg.), multas congessit ignominias atque fabulas, vere, ut *Canisius* aliquando de eo scripsit „audax calumniator“ (Alter Tomus Commentariorum de Verbi Dei corruptelis, Ingolstadii 1583 l. 1, c. 8, p. 62); ita, ut exemplum ponam, ille affirmavit, Platonem primum „construxisse“ purgatorium. „Origenis phantasia Latinis causam et occasionem dedit fingendi purgatorium“: quod cum aliter confirmari non posset, a Gregorio Magno „mortuorum spectris confirmatum est“. Leviores etiam sunt narratiunculae, quibus *Chemnitius*, ratione certe parum critica, suas „cauponationes plenarum indulgentiarum“, „nundinationem iubilaei“, similia stabilire et illustrare conatur. („Tertia Pars Examinis decretorum Concilii Tridentini“, Francofurti ad Moenum 1578, 87 93 110: „Quarta et postrema Pars“ etc., Francofurti ad Moenum 1578, 81). Ita Chemnitius suis persuadere studet, Patres Tridentinos ad decreta dogmatica facienda „per reuelationes, miracula, legendas, scriptaque prorsus insulsa incitatos“ esse, ut Canisii verbis (l. c. l. 1, c. 8, p. 62) utar.

Mercurianum et eius consiliarios sive assistentes romanos huic malo remedium quaesivisse cognoscitur ex eo, quod P. *Antonius Possevinus* Societatis secretarius in ipsius huius epistulae canisianae pagina quarta haec notavit: „Consultum de scribendo de Indulgentijs · de mittendo eo libro ad Didacum Payuam[4] etc. Vt conferatur hoc cum P. Natali Pisa Torres[5] et alijs doctis etc. et prouintiali[6] etc. Quinam eis uideretur aptior ad scribendum et quod payua scribit etc. etiam uideretur satis esse ut mittant librum ad Payuam etc.“ Plura vide infra, post ep. 1901.

Mercurianus Canisio rescripsit 14. Augusti 1574.

a) *Hoc v. a C. supra versum scriptum est.* b) *Sequuntur vv.* confutanda committatur, *a C. oblitt.* c) *Hoc v. supra versum scriptum est.*

[1] Vide, quae sub ipsas has litteras dicentur.

[2] P. Iacobi Ledesma S. J. (de quo *Can.* II 353[1]), a. 1575 Romae mortui, opus „de Indulgentiis“ non exstat nisi manu scriptum (*Sommervogel* l. c. IX 583).

[3] Francisco Torres sive Turriano; v. supra p. 45.

[4] De Didaco Payva de Andrada, insigni illo concilii tridentini theologo lusitano, v. *Can.* IV 1012—1014. [5] P. Hieronymo Torrensi S. J. [6] Hoffaeo.

1894. CANISIUS **EVERARDO MERCURIANO** praeposito generali Societatis Iesu. Oeniponte 22. Iulii 1574.

Ex autographo (2°; 1 p.; in p. 2 inscr. et reliquiae sig.), Germ. 183 f. 235.

De Hoffaeo provinciali: Consultores parum consulit; nimia legi iubet; eius admonitor; eius responsa Romae examinanda; severior sibi et Sociis; eius virtutes.

† Pax Christi admodum Reuerende Pater.

De Patre nostro Prouintiale[1] aliquid dicam, quando et temporis, et officij ratio sic flagitat[2]. Credo illum sibi et rebus difficilioribus, quae non desunt in hac prouintia, rectius consulere posse, si saepius et familiarius cum suis ageret Consultoribus[3], quorum iudicio uel minus fidere, uel parum tribuere hoc silentio suo uidetur. Igitur parum ego quod dicam habeo, utpote quid et quomodo ille agat ignorans. Ex literis illius quas mitto, colligi facile potest, quam sit difficile iudicare de ijs, quae tam breuiter ille narrat[a], postquam negotium tam arduum fere confecit, nihil nobiscum de his conferens, quae Princeps Bauarus iam diu ante proposuerat[4].

Jubet a Rectoribus eorumque Consiliarijs legi et relegi uarias ordinationes et responsiones partim a P. Generalibus, partim a P. Assistentibus in congregatione procuratorum factas, et ab alijs etiam acceptas, simulque in codicem relatas, quae partim Jtalice, partim Latine proponuntur, neque satis consonant canonibus postremae congregationis[5]. Fortasse non est munus P. Prouintialis ut ad haec legenda et relegenda quenquam suorum obliget, sicut ad Constitutiones, regulas officiorum et Canones congregationum legendos et obseruandos adstringimur. Optarim de hoc certi aliquid statui, ut reliquis prouintijs nostra etiam rectius conformetur, neque tam multa legere cogamur.

Mutatus est P. Prouintialis admonitor, sic ipso ni fallor, petente, ut pro Rectore Dilingano[6] haberet D. Pisanum, sed huic muneri minus conuenientem, ut arbitror, quod liberiore quodam egere uideatur.

Multa tempore uisitationis a Patre respondentur uel statuuntur, quae ad regularum uel[b] consuetudinum interpretationem pertinent. Fortasse consultum esset, ea nullam habere uim, nisi in scriptis primum redacta, isthic primum approbarentur. Jdem dico de casibus conscientiae difficilioribus[7], circa quos nobis proposuit scriptum quoddam uelut pro certa regula tenendum, sed non satis solidum, ut ego existimarim, et optarim illud Romae quoque examinari.

Credo nostros etiam Theologos in his casibus dissentire, et se suspectum Pater reddidit in quibusdam opinionibus defendendis.

a) *Sequitur* et, *oblitt.* b) *Sequitur* consti, *oblitt.*

[1] Hoffaeo. [2] De hoc consultorum praepositi provincialis officio v. supra p. 53[3].

[3] Horum nomina v. supra p. 9[2].

[4] Canisius litteras dicit, quibus Hoffaeus ex Canisio et Pisano, quid Alberto V. duci de collegio ingolstadiensi concedendum esse censerent, quaerebat; quas vide supra p. 219. [5] De his v. supra p. 139. [6] P. Theodorico Canisio.

[7] Imprimis puto, de iis, quae ad 5% spectabant.

Expediret eundem Patrem, ut arbitror, plus deferre suis Consultoribus, in his, quae ad eius personam, sumptus et peregrinationes pertinent: quod nimium in his rigidus, parcus et austerus esse uideatur, ut ad longas, difficiles et hybernas profectiones uix equum ausit assumere, nimium se corpusque frangens. Optarim illi frequentius[a] quam in ipsa uisitatione adesse Consultorem aliquem, cum quo negotia collegiorum conferret, et praeterea ut se magis praeberet amabilem subditis, qui nimium illum timere uidentur: id quod etiam Consultoribus accidit: adeo se grauem exhibere consueuit. Haec habui de superiore dicere, cuius prudentiam, integritatem et fidem in coeteris eximiam multisque perspectam non opus est iterum a me commendari. Oret pro me Dominum P. T. ut dignus illo subditus per omnem uitam esse possim. Oeniponti 22. Julij[b] 1574.

Jdem Pet. Canisius.

† Admodum Reuerendo in Christo Patri, P. Euerardo Mercuriano, Societatis Jesu Praeposito generali.

Ad manus proprias.

Hanc epistulam, ut ex eius subscriptione et inscriptione cognoscitur, Canisius complicatam et obsignatam litteris 19. Iulii ad Mercurianum datis inclusit; de erratis quibusdam provincialis sui pro officio scribebat; ideo epistulam a solo praeposito generali aperiri cupiebat.

Mercurianus Canisio respondit 14. Augusti 1574.

1895. CANISIUS **P. ANTONIO POSSEVINO**, Societatis Iesu secretario. Oeniponte 22. Iulii 1574.

Ex archetypo a Balthasare Arnoldt Canisii scriptore (cf. infra, monum. 1099) scripto et ab ipso Canisio („Seruus" etc.) subscripto (2°; 1 p.; in p. 2 inscr. ab ipso Canisio posita et reliquiae sig.), Germ. 183 f. 236.

Litterae ad pontificem. Libri PP. Peltani, Pisani, Turriani, Natalis etc. P. Ramirez. Iubilaeum.

Pax Christj nobis aeterna admodum Reuerende Pater.

Magnas ago gratias Reuerentiae Tuae, quod suis iucundis literis me consoletur. Penes Patres meos sit plena potestas scriptum meum, quod ad Pont. Max. dedi, et corrigendi et abolendi. P. Theodorus Peltanus expectat quid Reuerendissimus Sirletus de causa sua responderit[1]. Versionem canonum Nicaenorum uehementer desideramus, cuicunque tandem uertendi munus imponatur. Jdem de Gregorij Antiocheni encomio P. Pisanus respondet, qui salutem Reuerentiae Tuae plurimam adscribit[2].

a) *Quattuor vv. sqq. a C. in margine addita sunt.* b) *Sic C. correxit ex* Junij.

[1] Peltanus petierat, ut actorum graecorum oecumenici Concilii Ephesini codex monacensis, a. 1562 Romam, ut cum codice Vaticano conferretur, missus, qui a 1573 apud cardinalem Guilielmum Sirletum erat, remitteretur; v. *Can.* III 401—404. et infra, ep. 1896.

[2] De hisce canonibus encomioque v. supra p. 223.

Quod ad librorum uolumina contra Lipsios edita[1], et ad P. Turrianum mittenda pertinet, Augustanos nostros admonebo, ut eius rei curam suscipiant, et quoad eius fieri potest, eiusdem P. desiderio faciam satis.

Expectat P. Natalis sarcinam suam librariam, quam nostri Ferrarienses huc fortasse perferri curabunt.

Adest nobis P. Didacus Hispanus, quia nondum de illo statuit P. noster Prouincialis, cuius aduentum hoc loco expectamus[2].

Pergat quaeso Reuerentia T. rebus et personis fauere Germanicis pro sua in nos charitate singulari, nosque suis et Patrum isthic omnium precibus Domino commendandos curet. Nunc primum Jndulgentiae hic publicantur, quarum fructum nobis integrum Christus donet[3]. Salutari ex me plurimum cupio P. Assistentes, P. Mironimum[a][4], P. Turrianum, P. Lanoium, coeterosque domesticos in Christo JESV domino nostro[5].

Oenipontj 22. Julij 1.5.74.

P. Surij munus et literas Pont. Maximo placuisse confido[6].

Seruus in Christo Pet. Canisius.

Reuerendo in Christo patri, M. Antonio Posseuino, Societatis IESV Secretario. Romae.

Quod Canisius tum in his litteris, tum in superioribus (supra p. 227) tantam P. Hieronymi Natalis (quamquam is non Oeniponte cum Canisio, sed Halae degebat) curam agebat, id et eius veteri cum Natale amicitia gratoque erga eundem animo, et litteris effectum est commendaticiis Roma 25. Maii[7] 1574 a Mercuriano praeposito generali in Natalis gratiam datis, quae Hoffaeo quidem provinciali inscriptae erant,

a) *Scribendum fuit* Mironium *vel* Mironem*: v. infra, adnot. 4.*

[1] P. Francisci Turriani librum „adversus Capita disputationis Lipsicae Andreae Freyhub" Colôniae a. 1573 editum significari puto; v. supra p. 141.

[2] De P. „Didaco Ramirez" S. J. in antiquo **Libro* Professionum et Votorum collegii ingolstadiensis notatum est: Eum 6. Martii 1571 Ocanniae (Ocaña) in manus P. Ioannis Azor professionem sollemnem trium votorum emisisse (Cod. „270" bibliothecae universitatis monacensis, f. 10[a]); ex **Catalogo* autem provinciae S. J. toletanae a. 1573 (exeunte) scripto intellegitur, eum, 19. Novembris 1564 in Societatem ingressum, a. 1573 in collegio ocanniensi lectorem casuum conscientiae, contionatorem, consultorem rectoris fuisse (Hist. Soc. 41 f. 231[a]). A Paulo Hoffaeo provinciali Ingolstadium missus est ad theologiam tradendam (*Hoffaeus Mercuriano, Monachio 9. et 24. Novembris 1574, Germ. 135 f. 134[a] 136[a]). Quam privatim tantum docuisse videtur; neque enim ab universitatis historicis (Mederer, Prantl) in numero professorum positus est.

[3] Anno 1575 Romae celebrandum erat „iubilaeum", in quo fideles undique Romam venturi plenissimas consecuturi erant indulgentias; id Gregorius XIII. bulla 10. Maii 1574 data (haec non est in Bullariis cherubiniano, luxemburgensi, taurinensi-neapolitano) universae ecclesiae nuntiavit; quam bullam Romae primum promulgatam esse 20. Maii 1574 scribit *Theiner*, Ann. I, in a. 1574 n. XLI.

[4] P. Didacum Miron, domus professae romanae ministrum (Hist. Soc. 41 p. 45).

[5] Rom 6, 11 23 etc.; v. supra p. 219[6]. [6] Vide supra p. 133.

[7] Ita corrigendum esse puto apographum antiquum, quod habet d. 25. Aprilis. In „Epistolis P. *Hier. Nadal*" d. 15. Aprilis positus est.

ita tamen, ut ad Canisium quoque aliqua ratione pertinerent. Quare earum saltem partes aliquas hic ponendas esse censeo, easque exscriptas ex apographo eiusdem temporis, quod est in „G. Sup. 1“ f. 11ᵇ; plura autem ex eodem apographo transcripta sunt in Epp. *Nadal* III 816—817.

„Quod multi“, inquit *Mercurianus*, „ex uestra Germania cupiebant, ut P. Magister Hieronymus Natalis ad eam ueniret, ipse tandem a me obtinuit, qui tum eius uoluntatis et propensionis qua semper affectus fuit erga Germanos, tum boni quod ex eius praesentia peruenturum est ad nostros rationem non potui non habere.... Delegit autem potissimum Prouinciam T. Reuerentiae atque Halense Collegium ubi commoretur petens a me ut nihil ei muneris aut administrationis (quae sua humilitas est) iniungerem a qua quidem administratione etsi liber uenit erit tamen Reuerentiae T. perutilis ut spero.... Tuaque omnia Collegia ubicumque ei placuerit commorari cupio ut pateant, atque adeo a T. Reuerentia tanquam mihi ipsi offerantur.... Quod uero ad illius studia pertinet, cum ipsa ad fidei uel restitutionem uel propagationem animo iamdudum conuerterit, si quid ipse iudicauerit scribendum, ac quod denique edatur in lucem, Tria cupio obseruari: Primum ut de re tota cum aliquibus prius agatur scilicet cum T. Reuerentia, P. Canisio, P. Pisano ac si uidebitur P. Peltano uel P. Torrensi qui in ista Prouincia est [1]; qui ubi dispexerint quid iuxta nostri instituti rationem possit publico commodo conuenire, tum ad me uestrae sententiae mittantur quibus Deo dante quamprimum respondebo. Nam ad societatis etiam dignitatem non parum pertinet ut quae proditura sunt in lucem ea meditatissime primum et mature consulantur ut perpetua tandem futura sint. Alterum est ut quicquid hac de re agendum est, plane secreto fiat, ut ne quando contingat quod alias accidit, ut concepta spe uidendi eiusmodi libros mundus denique frustretur, quod quidem plures ob causas potest euenire. Tertium est ut cum nos primam rationem habere debeamus eorum, quibus ex obligatione collegiorum fundatoribus debemus, haec, specie alieni aut publici boni ne interturbentur aut omittantur. Jta spero omnia suauiter euentura.... Porro ad haec praestanda si quo scriba uel adiutore egebit hic P. scio T. Reuerentiam (quod quidem mihi erit pergratum) non defuturam, quemadmodum etiam alijs in omnibus quae ad illius senectutis solatium, et ad animandum bonum hunc Patrem pertinebunt, reuera percupio ut a nostris omnibus hoc ipsum curetur.... Has literas ijs, quos nominaui poterit T. Reuerentia ostendere: ut sciant quomodo se gerere debeant.“ Librorum, quos Natalis vel scripserat vel scribere volebat, indiculus ab ipso compositus exstat in Epp. *Nadal* III 664.

1896. CANISIUS **P. THEODORO PELTANO S. J.** Augustae degenti. Oeniponte 29. Iulii 1574.

Ex autographo (2°; $^2/_3$ p.; in p. 2 inscriptio manu alterius cuiusdam scripta et sig.). Cod. colon. „Un. 603“ f. 344.

Operis catechistici versio germanica. Ephesinum. Collegium lucernense. Messis augustana. Libri empti.

†

Pax Christi nobis aeterna Reuerende Pater.

Quod ad uertendas Patrum sententias praecipuas siue illustriores attinet, ut postulant Colonienses [2], difficilius institutum esse iudico, quam ut conueniat nostram illi operam commisceri, etiamsi fauentem interpretem Fiscalem haberemus. Nam de sumptibus nihil possumus

---

[1] Hieronymo Torrensi.

[2] Sententias dicit in „Authoritatibus“ etc. sive Opere catechistico positas, quas germanice verti P. Ioannes Rethius atque, ut videtur, Gerwinus quoque Calenius typographus cupiebant; v. supra p. 224.

polliceri. De successu operis ualde ambigo · et deest praefectus quidam, cuius iudicium sequatur interpres, et qui se totum illi rei applicet. Praestat igitur non incipere, quam sine fundamentis, ut sic dicam, male progredi, praesertim in opere tam grandi atque difficili, in quo tamen conficiendo plus ego lucis optarim ab interprete adhiberi, quam ut nudas Patrum sententias utcunque uerteret, ne scopae dissolutae[1] uideantur, praesertim uulgo imperitiori Germanorum. Haec summa sententiae meae, sed saluis aliorum, qui rectius sapiunt, iudicijs. Aut male sibi constat Card. Sirletus, aut breui rectius accipiemus, quomodo agatur cum M. S. exemplari Concilij Ephesini, de quo scripsi etiam proxime[2].

Dominus fortunet primicias nostrorum in messe Heluetica[3]. Fortem uocem et animum precor nouo contionatori Mauritiano[4], ut non solum metere, sed etiam seminare curet Augustae, praesertim cum sit uicina messis auff dem Berl[5], et Canonici Cathedratici non ualde nostros amare uideantur.

P. Prouintialem ante medium Augusti non expectamus. Saluto P. Gregorium[6], P. Theobaldum[7], quem Rector noster[8] resalutat, et Godefridum[9], eumque rogo, ut intelligat ex Willero, aut eius famulo, quantum debeat hoc illi collegium ex summa 100 florenorum isthic relicta, et si praeterea quid postulauerit Francfordiae Plantinus aut eius minister pro libris ad me missis[10].

Hic sani omnes R. T. salutant. Ora pro me Pater et ualetudinem cura, ut ad scriptionem redire possis. Oeniponti 29 Julij 1574.

Seruus in Christo P. Canisius.

† Reuerendo in Christo Patri D. Theodoro Peltano, Theologo societatis JEsv · Augustae.

Peltanus hanc epistulam Coloniam ad P. Ioannem Rethium S. J., ascriptis aliquot sententiis, misit; haec autem, praeter alia, *scripsit: „P. Theodoricus Canisius

---

[1] Res redditae inutiles vel argumenta vi destituta. „Isti cum dissolvunt orationem . . . scopas . . . mihi videntur dissolvere“: *Cicero,* Orator c. 71, § 235.

[2] Vide supra p. 230.

[3] Paulo ante P. Hoffaeus provincialis PP. Martinum Leubenstain et Vitum Liner cum fratre laico Lucernam (Luzern) ad collegium incohandum — id quod Gregorius XIII. illius civitatis praeceperat rogatu — miserat (*Duhr,* Jes. I 211—212).

[4] P. Theobaldus Stotz (de quo *Can.* VI 247[1]) in locum P. Leubenstain substitutus esse videtur.

[5] Significatur pars illa urbis (locus publicus et collis cum curia urbana, templo parvo S. Petri etc.), quae „Perlach“, „Berlach“, „Berle“ vocabatur: haec templo S. Mauritii satis vicina est; cf. „Die *Chroniken* der schwäbischen Städte. Augsburg V, Leipzig 1896, 110 280 315; Augsburg VII, Leipzig 1917, 483.

[6] Rosephium. [7] Stotz. [8] Wendelinus Völck.

[9] Flandrum sive Hannartz, fratrem laicum; de quo *Can.* V 92[1] 166[1].

[10] Georgius Willer „senior“ bibliopola augustanus Francofurtum ad Moenum venire solebat ad librorum mercatum (*Can.* IV 782). De libris, quos exeunte a. 1573 Canisius Augustae emit vel emi iussit, v. infra, monum. 1146.

putat quoque hic non esse festinandum, sed expectandum donec authoritates illae in meliorem ordinem redactae recudantur, id quod futurum audio propediem. Horum patrum sententiae ego quoque subscribo "

1897. CLARA CANIS, virgo (abbatissa?) monasterii Clarissarum vameliensis, CANISIO fratri. Vamelia (?) aestate a. 1574.

Se suumque monasterium in summis angustiis a Wendelina vom Triest sorore Noviomagi degente materno amore adiuvari. Plura vide infra, in ep. 1906.

1898. EVERARDUS MERCURIANUS praepositus generalis Societatis Iesu CANISIO. Roma 14. Augusti 1574.

Ex apographo eiusd. temp.; in margine, eadem manu: „Patri Canisio." G. Sup. 1 f. 13[b].

Negotia ingolstadiense et augustanum. Reditus schrambergensis. Opus marianum.

Binas a T. R. accepi literas, quibus me certiorem facit de negotijs Jngolstadiano, Augustano, ac reliquis, quae mihi erunt cordi, iamque de ijs ut T. R. fortasse intellexit egi cum Patre Prouinciali de [quo][a] bona omnia spero, praesertim adiuto a te, tuique similibus[1].

Quod ad reditus pertinet 260. coronatorum, quos pia mulier in Valle Scambriensi Societati legauit nonnullis conditionibus etc. credimus non sine D. Prouidentia hanc rationem ostendi nobis Collegij Dilingani adiuuandi. Sed cum testamenti executoribus uobis agendum est, ut ipsi allatis rationibus efficacibus, et ueris supplicem libellum Pontifici Maximo scribant de commutanda Testatricis uoluntate, quandoquidem nullus certior fructus, aut uberior etiam ad illam Vallem uidetur posse peruenire, aut percipi, quam si Dilingano Collegio attribuantur[b] ut est Societatis nostrae. Eum ipsi executores libellum Illustrissimo Comensi[2] cum literis, quales iudicabitis, mittere poterunt. Nos hic rei confectionem diligenter tum curabimus.

Patris Pisani literas cum uestris accepi, ad eas uero iam respondit partim P. Posseuinus. Quod uero spectat ad negotium Jngolstadianum, pergratum mihi fuit intelligere eius sententiam. Ei hoc T. R. significabit *etc.* Romae 14. Augusti 1574.

De libro Mariano sciat T. R. mihi fore gratissimum ut quamprimum absoluatur: quod etiam mecum hi omnes Patres percupiunt.

Quod *Mercurianus* Canisium monet, de negotio ingolstadiensi ab eo secum tractato scripsisse se Hoffaeo provinciali, et hunc in ea re a Canisio adiuvandum esse: significare videtur* litteras Roma 27. Iulii 1574 ad Hoffaeum a se datas; in quibus haec sunt: „Ita scribo ad Serenissimum Ducem Bauariae sicut ex adiuncto exemplo [R. T.] poterit intelligere; neque enim modo uisum est e re esse alia singillatim [proponere][?], sed tantum occasionem illi prebere ut ad nos rescribat, et nos hac ratione ipsius animum liquidius perspiciamus." In ea autem epistula

a) *Ut hoc v. suppleatur, tota oratio exigere videtur.* b) *Quattuor vv. sqq. supra versum scripta sunt.*

[1] Vide, quae sub ipsas has litteras dicentur.

[2] Cardinali Ptolemaeo Gallio.

Mercurianus Albertum V. rogat, ut „ad memoriam reuocet, quam diu et quam aequo animo uexationes ab Academia tulimus, dum ibi Paedagogij munus obiremus." Quare, accedente ipsius ducis „consilio", eam curam Monachium transtulimus. „Cum igitur audiam translatum Paedagogium repeti denuo Jngolstadium, aut Jngolstadianum Collegium Societatis nostrae urgeri ut redituum parte spolietur, qui tamen illi roborando, et constituendo necessarij sunt. Vestram Cels. etiam atque etiam rogo ut iubeat has rixarum occasiones tolli, et quod ipsa tam foeliciter Deo aspirante inchoauit, ad exitum perduci" (ex apographis eiusd. temp.; G. Sup. 1 f. 10ᵃ—10ᵃᵃ; 13ᵃ).

De negotio deinde augustano, de quo Socios augustanos moneri deberi Canisius censuerat (supra p. 226), *Mercurianus* P. Gregorio Rosephio illius domus superiori Roma 24. Augusti 1574 *scripsit: „Hoc sane est in quod T. Reuerentiae ceterisque nostris sedulo incumbendum est ut ipsi Domini Canonici sciant nos huius negotij uere actores non esse aut procuratores. Quod si permisum est ut inchoatum tractaretur certe nullius rei auctores fuimus" (ex apogr. eiusd. temp.; Germ. Sup. 1 f. 14ᵃ).

De P. Natale denique, quem ab Hoffaeo provinciali iuvari Canisius cupiebat (supra p. 227), *Mercurianus* Hoffaeo Roma 19. Septembris 1574 *scripsit: P. Natalem senem „cupio ut nostri, Tuaque Reuerentia quacumque ratione poterit, consoletur, praesertim assignando illi scriptorem, ita ut hoc fieri a nostris propensa uoluntate intelligat. Ceterum R. T. scit quantopere de Societate bene meritus est" (ex apogr. eiusd. temp.; G. Sup. 1, f 15ᵃ).

1899. CANISIUS **P. LEONARDO KESSEL S. J.** rectori collegii coloniensis. Oeniponte 20. Augusti 1574.

Ex autographo (2°; 1 p.; in p. 2 inscr., manu ignota posita, et particulae sig.). Cod. „X. Va" n. 3. Integram epistulam (excepta inscriptione) ex autographo et photographice expressam et gallice versam posuit *Michel*, Can. 405—406. Eius partem postremam tum „Facsimili", quod vocamus, expressam, tum germanice versam posuit *O. Pfülf* S. J., Der selige Petrus Canisius, 3. Aufl., Einsiedeln-Köln 1897, 35 124.

Ei collegii (sub B. Petro Fabro) initia in memoriam redigit, eius progressum gratulatur, commendat Noviomagos; Cartusiani; Colonienses.

† Pax Christi nobis aeterna Reuerende P. Leonarde.

Etsi nullas a uobis iampridem accepi, tamen scribendum aliquid puto, ut mei memoria uobis refricetur, quos opto fidos mihi apud Deum intercessores perpetuo retinere. Deinde iucundum est mihi sanctae Coloniae meminisse, quae nos primum in domino et in hac uocatione sancta coniunxit[1] totque iam annis semen aliquod[a] nostrorum isthic alit atque custodit. Scio quantis laboribus constiterit haec societatis nostrae iacere fundamenta, et hucusque prouehere, quod sanctus Pater noster Petrus Faber isthic inchoauit[2]. Sed nisi a Domino factum esset istud[3], qui super petram fundauit hanc domum suam[4], iam pridem inimici praeualuissent, et fructus ille multiplex, quem uineola uestra produxit, intercidisset. Benedictus ergo Deus qui uos inter primos Germaniae operarios, si societatis nostrae homines contemplemur, elegit, conseruauit, defendit et auxit, Benedicti Coloniensis ecclesiae Patroni[5], quorum fauore praesidioque confirmati et

a) *Ita corrigendum esse ex* aliquot, *quod C. scripsit, res ipsa facile ostendit.*

[1] Anno 1544; v. *Can.* I 103² ³. [2] Cf. *Can.* I 95—113 669—673.
[3] Ps 117, 23. [4] Mt 7, 24 25; Lc 6, 48.
[5] Horum nomina v. supra p. 25⁴.

abundare, et egere nostis[1], multos etiam locupletantes[2]. Mirabilis profecto Deus[3], qui talia primordia, talesque successus paucis dedit, uestram interim exercens et illustrans patientiam, quae sine paupertate et simplicitate ignota fortasse mansisset. Ego uero quum haec Dei iudicia operaque perpendo, nescio quam animi consolationem persentio, neque solum gratiam uobis collatam loetus amplector, sed et fonti omnis gratiae multum nos debere cognosco, quos[a] eiusdem gratiae consortes atque participes facit. Neque adeo referre puto, quod multa se offerant impedimenta, quominus in altum surgat uestra structura, cuius ut altas, ita firmas radices uult esse Christus architectus. Seminemus in lachrymis, quae alij metant in exultatione[4]: confirmemus in humilitate et patientia coepta iam fundamenta, quae suo tempore prouehet Deus uirtutum[5], ut sint multi fratres habitantes in unum[6]. Audio ualetudinem tuam in hac aetate non optimam esse Pater, et facile crediderim: paulatim enim ad portas mortis appropinquamus[7]. At rogo uehementer, ut si ante me dissolutus[b] [8] ad Christum uenies[9], in patria ne obliuiscare fratris exulantis, sed fideliter illum et Patribus, et fratribus, et Christo domino inprimis pro tua charitate commendes.

De Nouiomagensibus nihil habeo quod scribam, dignos Christus illos faciat, ut sancti uoti de fundando collegio compotes fiant. Saluto D. Rhetium, P. Xantenum aliosque omnes domesticos, F. Surium et Carthusianos, quibus gratiam suam augeat dominus, ut uocatione sua digne[10] conuersentur. Oeniponti 20 Augusti[c] 1574. Belgio pacatiora precamur tempora, Coloniensibus uero zelum ardentem fidei uindicandae. Seruus in Christo P. Canisius.

Reuerendo in Christo Patrj Leonardo Kessel, Praeposito eorum qui [sunt Soci]etatis IESV. Coloniae.

1900. CANISIUS **EVERARDO MERCURIANO** praeposito generali Societatis Iesu. Oeniponte 1. Septembris 1574.

Ex autographo (2°; 1 p.; in p. 4 inscr. et reliquiae sigilli, quod exsectum est), Germ. 183 f. 237a—238b. Epistula paene integra ex autographo transcripta est in Epp. *Nadal* III 821—822; eandem fere integram gallice vertit *Michel* l. c. 371—373; et usi sunt eadem *Janssen* l. c. IV 15—16 413 et *Kröss*, Can. 192.

Valde commendat institutum scriptorum Societatis. De ratione huius instituti.

† Pax Christi nobis aeterna,

Admodum Reuerende Pater.

Jussus meam scribere sententiam de quibusdam scriptoribus in hac prouintia constituendis, rem paucis expediam, de qua coeteri satis

a) *Sic C. correxit ex* qui. b) *Sic C. correxit ex* dissolueris. c) *C. lapsu calami scripsit* Augustae.

[1] Cf. Phil 4, 12. [2] 2 Cor 6, 10. [3] Ps 67, 36. [4] Ps 125, 5. [5] Ps 58, 6; 79, 5 8 15 20; 83, 9 etc. [6] Ps 132, 1. [7] Ps 106, 18. [8] Kessel duobus mensibus post a Societatis homine mente capto occisus est: plura v. infra, ep. 1911. [9] Cf. Phil 1, 23. [10] Eph 4, 1.

multa dixisse uidentur. Primum uehementer optarim, ac multis iam annis opto, hoc pium, sanctum, praeclarum et hoc quidem tempore tantum non necessarium, nostrisque hominibus dignum institutum zelo et prudentia superiorum promoueri. Nec adeo me commouent uariae quae hic se offerunt difficultates, etsi sentiam multorum animos ab hoc instituto propterea utcumque alienos esse. Scio quales et quantas occupationes pariat status istorum collegiorum, in quibus nostri Theologi minime otiosi esse possunt. Sed P. Prouintialis[1] fortasse illos qui ad scribendum idonei maxime uiderentur, paulatim ordinarijs laboribus eximere queat, ut eo commodius ad hoc sanctum opus accingant sese. Doctor Hieronymus Torrensis omnino dignus mihi uidetur, cui prae coeteris fiat gratia, ut in hac aetate et corporis imbecillitate Jngolstadij sacra profiteri desinat, et ad solam scriptionem sese componat. Plures duobus aut tribus in hac prouintia Theologos non uideo, qui cum fructu scribere possint: hos a P. Prouintiale designandos[a], et loco magis opportuno collocandos putarem. Argumentum scribendi eligant, qui sunt designandi, ut aliquam animi propensionem adferant, simulque tempori seruiant, re cum eodem Prouintiale eiusque Consiliarijs, si uidetur, collata. Jdem facile curabit, ut secreto laborent designati, et cum alijs in eadem prouintia conferant, quum sic res postulauerit. Existimabat P. Natalis uelut collegium fore scriptorum eiuscemodi, qui uno in loco commorantes, mutuas sibi praestarent operas, et suum interim praefectum haberent. Verum haud uideo, unde illi colligi et coniungi possint, ubi tanta est necessitas collegiorum. Igitur a tenuioribus principijs rem ordiendam puto, et progressus ipse negotij admonebit, quo pacto paulatim ad perfectiora liceat peruenire. Sunt qui ob tarditatem calcaribus egeant, nonnulli plus uoluntatis quam facultatis adferunt, tum alijs alia desunt huc spectantia, ut inuentio, elocutio, dispositio, linguae etc. Verum non diffiderem, P. Prouintialem a P. T. excitatum rationes commodas inuenire posse, quibus pauci, ut dixi, ea conscriberent, quae cum laude in publicum euulgarentur. Qua in re si et quantum P. Natali sit deferendum, P. T. iudicandum ego relinquam: certe illius[b] iudicium magnifacio: sed consultius fore duco, ut ex authoritate P. Prouintialis nostri res tota pendeat, qui per se suosque Consiliarios et deputatos in hac prouintia censores librorum facile iudicabit, quibus modis res inchoari et prouehi commodius queat ad Ecclesiae utilitatem. Superest ut me totum et causam praesentem reuerenter P. T. commendem[c], quae pro nobis dominum precari dignetur. Oeniponti Kal. Septemb. 1574.

P. T.

Jndignus filius
Petrus Canisius.

a) *Sequitur* putarem, *a C. oblit.* b) *Sequitur* op. *oblit.* c) *Sequitur* max. *oblit.*

[1] Paulus Hoffaeus.

Non erant ad manum literae, ex quibus puncta cognoscerem, quae responsuris proponebantur.

† Admodum Reuerendo in Christo Patri nostro, P. Euerardo Mercuriano, Generali Praeposito Societatis Jesu. Romae.

Manu P. *Antonii Possevini* secretarii Societatis in pagina quarta *notatum est: „Consulta. Propendet ut scriptio instituatur. Patrique Torrensi id muneris detur in primis. † Cogitatum est."

„Puncta", „responsuris proposita", quae sibi praesto non fuisse Canisius scribit, cognosci possunt ex *litteris 25. Augusti 1574 a P. *Alphonso Pisano* S. J. ad Mercurianum praepositum generalem datis. Ita enim ille: „Il Reuerendo Padre prouinciale nostro, mi monstro hoggi di, vna lettera della P. V. scritta a lui, nella quale si ordina, che Certi iui nominati debbiamo rispondere alle questioni proposite circa li scrittori ecclesiastici. Le quali dimande sono queste. Prima se conuiene che alcuna cosa si scriua, Seconda, chi hanno da essere li scrittori. 3.ª Con che ordine, Corrispondenza o direttione conuenga che cio si faccia.... Par che sia expediente che alcuni scriuano, contra li heretici, et simili cose vtili alla edificatione della fede et costumi christiani, Imperoche questa e vna occupatione conforme al nostro Instituto, della quale si fa anche mentione nelle nostre Constitutioni[1].... Pare che [li scrittori] secondo le Constitutioni debbano essere li approuati dalla P. V. et da ciaschedun Prouinciale nella sua prouincia, et nella nostra possono far questo al presente, il Reuerendo p. Natale, il padre Peltano, il padre Canisio, il padre Torres, che sta en Ingolstadio, di me come anche delli altri lasso giudicare la .s. obedienza.... Mi pare che conuiene seguitare il modo che fin adesso si ha pratticato, conforme alle Constitutioni, che componga ciaschedun quello ch' iddio l' inspira, et approuano li suoi superiori, et dipoi il libro composto l' offerisca, al suo prouinciale il quale gli faccia vedere da doi, o tre che gli pajono a cio sufficienti, et queste Censure li veda il Reuerendo padre prouinciale, poi l' autore secondo quelle Censure emendi il suo libro secondo che meglio gli parera, il quale emendato gli lega il Reuerendo p. prouinciale, et se giudica essere degno di esser stampato, lo faccia stampare hauendo prima la facolta di V. P., secondo le Constitutioni" (ex autogr.; Germ. 135, f. 159).

Verum ipse *Hoffaeus* provincialis, a Canisio et Pisano nonnihil dissentiens, Hala 8. Septembris 1574 Mercuriano *scripsit: „Monui eos quos P. V. moneri a me voluit, quid eis videretur de ratione et modo scribendi contra haereticos: et iam suam opinor sententiam isthuc misit P. Canisius et P. Pisanus: his adiungo sententiam P. Theodoricj[2], P. Rabenstein et P. Peltani, cui et ego subscribo quo ad summam rei. Jam totus mundus plenus est libris, exemplis opus est magis: his insistamus: et plaerique nunc cupiditate et praetextu scribendi, fugiunt labores nobis magis necessarios: sique P. V. vna mecum sentit, nonnihil hunc feruorem restinguam in ijs praesertim, qui censuras aegre ferunt, nihilque adeo praeclare scribere solent, quod Societate nostra dignum valde sit: sunt meo iudicio externi nostris diligentiores et exactiores ac cautiores in scribendo · neque probo vt Romae nostro nomine sumptus magni fiant in concilium Nicaenum amplificandum sicut scio vrgere P. Pisanum. Pauperes sumus nunc quidem magis quam hactenus, quod sciam, vnquam" (ex autogr., Germ. 135 f. 189).

Mercurianus Canisio respondit 21. Octobris 1574.

1901. CANISIUS **P. ANTONIO POSSEVINO** secretario Societatis Iesu.
Oeniponte 1. Septembris 1574.

Ex autographo (2°; ⅔ p.; in p. 2 inscr. et particulae sig.), Germ. 183 f. 239.
Acta nicaena. Prolegomena in S. Ioannem Baptistam. Refutatio Chemnitii.

---

[1] *Constitutiones* S. J. P. 3, c. 1, n. 18; P. 4, c. 6, O; P. 6, c. 2, C; P. 7, c. 4, n. 11.
[2] Canisii, rectoris dilingani.

† Pax Christi nobis aeterna,
Reuerende Pater.

Valde miror *[etc., ut supra p. 216]*. Nuntiaui Doctori Pisano, quae ad me scripta fuerunt[1], isque nobiscum agit ob praesentem collegij uisitationem una cum P. Prouintiale[2], scripturus fortasse ad R. T. Vtinam P Maffaeus per ualetudinem ea uertere Latine posset, quae ad synodica illa spectant[3].

Breui mittam prolegomena in D. Joannem baptistam[4], si tamen ea digna sunt, quae separatim excudantur: corrigam quaedam, ut magis gratificer R. T. quae suo deinde iure utatur in illis plenius emendandis.

Optarent eruditi aliquem Romae reperiri Theologum, qui responderet petulantissimo Mart. Kemnicio, Purgatorium, Jndulgentias etc. non ita pridem pessime calumnianti ut postremam Tridentinae synodi partem mordeat atque insectetur[5]. Sunt qui hanc disputationem P. Turriano committi postulent Semel ea de re monui P. N. Generalem. Praeclaram sane, et Germanis Gallisque utilem nauaret is operam, qui aduersus hunc Goliath Ecclesiae insultantem arma caperet[6], siue sit e nostris ille, siue alius modo eruditus. Qua de re curam aliquam suscipiat quaeso charitas tua, ut Ecclesiae dignitas contra impios hoc tam maligno seculo uindicetur. Ora pro me Pater, et saluta P. Assistentes una cum P. Myronio et P. Polanco. Oeniponti Kal. Septemb. 1574.

Seruus in Christo P. Canisius.

† Reuerendo in Christo Patri, M. Antonio Posseuino Secretario Societatis JESV. Romae.

Cur Possevinus Canisii praefationem in librum de S. Ioanne Baptista seorsim edendum curare voluerit, intellegitur ex eiusdem *Possevini* libello „Responsiones ad Nobilissimi et Regii Viri septentrionalis interrogationes, qui de salutis aeternae comparandae ratione, ac de vera Ecclesia cupiebat institui"; ibi enim ad Interrogationem XV., quae est „Quinam libri, et quomodo legendi sunt ab eo, qui veritatem verae religionis assequi velit?" respondetur nr. 7: „Cum vnusquisque in diuersos sensus possit trahere verbum Dei, expediet, vt antea legatur ex antiquis Patribus Vincentius Lirinensis in suo commonitorio. Ex recentioribus autem Cardinalis Hosius Varmiensis, in libello de verbo Dei, qui extat inter eius opera: Et Petrus Canisius in praefatione vitae, et actorum S. Ioannis Baptistae, aduersus Magdeburgenses. Quod si quis esset doctior, praelegere item vtilissime posset libros

---

[1] Vide supra p. 223. [2] Hoffaeo.

[3] Ad acta graeca Concilii Nicaeni I.; v. supra p. 223.

[4] Prolegomena („praemonitionem" etc.) „de corruptelis Verbi Dei" dicit, quae in suo „Commentariorum de Verbi Dei corruptelis Libro primo", de S. Ioanne Baptista scripto et Dilingae primum a. 1571, deinde 1572 vulgato, posuerat (v. *Can.* VI 712 et infra, monum. 1102), ut ostenderet, novos illos magistros specie Verbi Dei gravissimos de Deo, Christo salvatore, sacra eucharistia etc. errores protulisse. Plura sub ipsas has litteras dicentur.

[5] Vide supra p. 228. [6] Cf. 1 Rg 17, 4—11 23—51.

de doctrina Christiana scriptos a S. Augustino": *Antonii Possevini* Moscovia et alia opera. Nunc primo ab ipsomet auctore emendata et aucta, Coloniae 1587, 332.

Deinde Canisius in his litteris iterum (cf. supra p. 228) Socios romanos monet, ut Chemnitii „Examen Concilii Tridentini" refutandum curent. Cui hortationi puto causam praebuisse eam quoque „petulantiam", qua Chemnitius in „Examinis" tertia parte, a. 1573 primum edita, insignem illum exorcismum a Canisio a. 1570 Ottingae Veteris (Altötting) in sacra aede Beatae Mariae Virginis factum et a Martino Eisengrein a. 1571 in suo de sacra ea aede libello accurate descriptum traduxerat. „Ecce", inquit *Chemnitius* (Tertia Pars Examinis decretorum Concilii Tridentini, Francofurti ad Moenum 1578, 177), „anno superiori editur a Martino Isengrinio fabula, quam ex Angelis Sathanae quidam, in obsessa puellula, exorcista Canisio, saltavit, ubi cum alia argumenta desint, ab authoritate, ex ipsius scilicet Diaboli testimonio, invocatio Sanctorum probatur et confirmatur". Deinde Chemnitius exorcismi illius historiam ludicris acerbisque verbis narrat; et postquam ex „Isengrini narratione" affirmavit, „diabolum relicto post se (sicut solet) foetore" (id quod Eisengrein non dixit) „exiisse", haec adnotat: „Hinc manifestum est, Pontificios quicquid, vel simulent vel dissimulent, omnino tamen velle ipsos nervos, veteris idolomaniae in invocatione Sanctorum, retinere et in theatrum reducere": Ita ille more suo, eo scilicet consilio, ut in contemptum adducat doctrinam catholicam, quae non nitatur nisi revelationibus privatis, miraculis medii et recentis aevi, similibus rebus: cf. supra p. 228.

Fortasse haec Canisii epistula Sociis romanis nondum tradita erat, cum *Everardus Mercurianus* praepositus generalis Roma 19. Septembris 1574 P. Paulo Hoffaeo Germaniae superioris provinciali *scripsit: „P. Petrus Canisius scribit ad me scripsisse Martinum Kemnicium aduersus 2 posteriores Concilij Tridentini partes · uideri autem e re futurum si posteriorem materiam quae ad Jndulgentias pertinet, P. Ledesma, priorem uero sumat P. Turrianus, ut Kemnicij blasphemias refellant. Nobis ita uidetur, ut de hoc negocio T. R. agat cum P. Natali PP. item Pisano Torrensi et Peltano atque adeo cum P. Canisio, eorumque sententias exquirat, quis uidelicet ex istis aptior ad scribendum ea de re uideretur, cum qui isthic sunt multa nouerint quae qui absunt non ita intellexerunt, neque eam technis haereticorum conuincendis tam efficacem habeant doctrinam. Est tamen Didacus Payua qui pro Tridentino Concilio librum satis uberem confecit, traditum hic iam magistro Sacri Palatij, ad quem forte ille hanc (nisi iam fecit) materiam adijceret docte et luculente. Et gratum nobis erit si propterea Kemnicij librum ad eum perferendum aut huc mittendum curabit tua R. Cognouit hominem familiariter P. Natalis. Haec cupio responderi P. Petro Canisio meo nomine" (ex commentario sive apographo, quod ipse P. *Antonius Possevinus* Societatis secretarius scripsit. G. Sup. 1, f. 14^b—15^a). Quod ad Payvam de Andrada attinet, scripsit hic contra Chemnitii „Examen" egregiam „Defensionem Tridentinae fidei catholicae" (Olissipone 1578; Coloniae 1586; Ingolstadii 1592 etc.); cuius tamen libris quinque, morte a. 1578 (1575?) praeventus, ultra concilii sessionem quintam (cum doctrina de B. Mariae V. conceptione immaculata) progredi non potuit. Canisius autem in libro de Beata Maria Virgine scripto tum de exorcismo illo ottingano Chemnitio respondit (v. infra, mon. 1127), tum aliquot alias eius sententias impugnavit. „Der heftigste und bitterste Gegner", inquit *C. G. H. Lentz*, unus ex Chemnitii admiratoribus recentibus, „erwuchs unserm Kemnitz in dem bekannten Cardinal Robert Bellarmin" (Dr. Martin Kemnitz, Gotha 1866, 155—156); significat autem Roberti Bellarmini S. J. „Disputationes de Controversiis Christianae fidei, adversus huius temporis haereticos", Ingolstadii" 1586 et deinde aliis quoque locis saepe excusas.

Possevinus Canisio respondit 21. Octobris 1574.

1902. P. IOANNES ZANTHENUS S. J. CANISIO.

Colonia circa 3. Septembris 1574.

Vide supra, ep. 1879.

1903. P. IOANNES RETHIUS regens gymnasii „Trium Coronarum“ coloniensis CANISIO. Colonia 3. Septembris 1574.

Ex epistulae commentario ab ipso Rethio scripto, quod est in Cod. colon. „Un. 602“ II f. 350a—351a.

Qui libri Colonia proxime vel prodierint vel prodituri sint. De P. Thyraeo.

Pauci libri Theologici, Reuerende in Christo Pater, medio hoc anno prodierunt ex nostratium typographorum officinis. Ex Cholini[1] preces tantum liturgicae Simonis Verrepaei[2] germanice, et Gerardi Busaei[3] liber de communione sub una specie ad Fuldenses. Ex Calenij D. Iacobi Feuchtij[4] Suffraganei Bambergensis aliquot sermones similiter germanice, uidelicet funebres quatuordecim, quinque de causis irae Dei, item quinque contra rationes, ob quas multi recusant esse catholici, et libellus de passione Christi. Ex eadem officina exierunt latine complura historica scripta, utpote Saxonia et Metropolis Alberti Crantzii[5], Petri Martyris Anglerij decades tres de rebus oceanicis, et nouo orbe: eiusdem de Babylonica legatione libri quatuor[6]: item Damiani Goesij opuscula quaedam historica de rebus Aethiopicis, Indicis, Lusitanicis, et Hispanicis[7]. Sub proelis Calenij uersantur, tomus sextus R. P. Surij de Sanctis, et regula D. Benedicti: cui accedent commentaria Smaragdi et Turrecrematae[8], item quorundam aliorum ordinum regulae. et libri quatuor Ioannis Trittemij de uiris illustribus ordinis S. Benedicti[9].

Birckmanni[10] recuderunt Ferum in Exodum, Numeros, Deutero-

[1] De Materno Cholino v. *Can.* VI 342—344.

[2] Simon Verrepaeus, ex regione buscoducensi ortus, litterarum et humanitatis per multos annos magister, canonicus cathedralis ecclesiae buscoducensis, vita cessit a. 1598 (*Feller* l. c. VIII 301). [3] De hoc v. *Can.* V 658.

[4] De hoc v. *Can.* VI 323 [1] 466 [5].

[5] Alberti Krantz (ca. 1445—1517), universitatis rostochiensis (Rostock) professoris, deinde cathedralis ecclesiae hamburgensis canonici et decani, libri „Saxonia“ et „Ecclesiastica Historia sive Metropolis“, quibus multi fontes historici ab illo collecti comprehendebantur, primum post auctoris mortem typis exscripti sunt, hic Basileae a. 1548, ille Coloniae a. 1524. Qui postea cum reliquis Krantzii operibus in Indicem librorum prohibitorum relati sunt potissimum propter adnotationes, quas editores protestantes in eorum marginibus posuerant.

[6] His 4 libris Petrus d'Anghiera (1457—1526) aronensis (Arona), cathedralis ecclesiae granatensis canonicus, variis quoque muneribus et officiis in aula regia Hispaniae functus, narraverat, quae ei a. 1501—1502 in legatione aegyptiaca acciderant.

[7] Damianus de Goes (1501—1573) lusitanus, ab Emmanuele rege ad complures Europae septentrionalis principes legatus, sub Ioanne III. historiographus regius et tabularii publici custos fuerat.

[8] Commentaria dicit in ipsam eam regulam a Smaragdo († circa a. 830), monasterii benedictini S. Michaelis ad Mosam abbate, et a praeclaro illo Ioanne de Torquemada (1388—1468) O. Pr., Magistro Sacri Palati et cardinali, scripta.

[9] Maximi eo quidem tempore faciebant libros Ioannis Trithemii (1462—1516) O. S. B., ex Trittenheim prope Treveros orti, abbatis primum sponhemiensis (Sponheim), deinde monasterii S. Iacobi Scotorum herbipolensis, viri religiosissimi et in litteris divinis humanisque versatissimi.

[10] De hac officina typographica v. *Can.* III 773—774.

nomium, librum Iosue, librum Iudicum, et Historiam Iob[1]. Eorundem sumptibus Antuerpiae imprimuntur opera B. Bernardi[2]. Atque hos libros ad praesentes protulerunt, aut ad proximas post istas Francofordienses nundinas[3] proferent officinae Colonienses, quantum scire potui.

Iacobus Riswich *[etc., ut supra p. 202]*. R. P. Prouincialis noster[4] infirmus nobiscum manet. Ora, quaeso R. Pater, ut (si ita Deo placuerit) breui incolumis nobis et prouinciae restituatur. Salutat: R: P. T. et cum eo R. P. Leonardus Kesselius Rector noster. Salutant item caeteri omnes R. T. et totum Oenipontanum collegium. Omnium uestrum precibus, et sanctis sacrificijs iuuari cupimus. Coloniae · anno 1574 · die 3. Septemb.

R. P. T. seruus in Christo Ioannes Rethius.

R. P. Petro Canisio doctori Theologo Societatis IESV. Oenipontum[a].

1904. CANISIUS cardinali **STANISLAO HOSIO**, Sanctae Romanae Ecclesiae Poenitentiario maiori, episcopo varmiensi.

Oeniponte circa 5. Octobris 1574.

Ex apogr. epist. ad Fabricium, de quo infra, ep. 1905.

Ex epistulae Oeniponte 5. Octobris 1574 a Canisio ad A. Fabricium datae capite primo hoc intellegitur: Canisius paullo ante „suis litteris commendaverat" Hosio „Nicolaum Danum", adulescentem nobilem „patriae suae Canonicatu ab haereticis exutum" et per Socios „catholicum factum", qui Romae in numerum alumnorum collegii germanici ascisci cupiebat.

In antiquissimo alumnorum collegii germanici *Catalogo* comparet „Nicolaus Michaelius ex Dania Viburgien. annorum 25 dioecesis Viburgiensis theologus [Viborg, in Iutia (Jylland)] venit 11. novemb. 1574". Haec et plura de eo narravit *Car. Schellhass,* Deutsche und kuriale Gelehrte im Dienste der Gegenreformation (1572—1585), in „Quellen und Forschungen" etc., XIV, 290[1] 308[2].

1905. CANISIUS **ANDREAE FABRICIO** theologiae doctori, Alberti V. Bavariae ducis oratori romano, Ernesti principis Bavariae praeceptori.

Oeniponte 5. Octobris 1574.

Ex apographo, anno 1896 a D. *Vincentio Nardoni* exscripto ex apographo, quod exstat Romae in bibliotheca vaticana, Cod. Vat. lat. 6416 f. 107 108. Epistulam ex eodem autographo primus edidit *Car. Schellhass,* Quellen und Forschungen XIV 301—302.

Iuvenem danum ex Lutheranismo conversum commendat. Pro nova conciliorum editione monumenta quaeri cupit. Calviniani Saxonia pulsi. Principes varii. Iubilaeum.

a) *Rethius hanc inscriptionem in commentarii capite posuit.*

[1] De Ioanne Fero sive Wild, Ordinis Minorum de Observantia, eiusque libris v. *Can.* VI 272[3].

[2] Haec „Operum omnium" S. Bernardi editio, „Antverpiae, Typis Gerardi Smits" 23. Septembris 1575 absoluta, a. 1576 et Antverpiae apud heredes Ioannis Stelsii, et Coloniae apud heredes Birckmannicos venalis exstitit. De qua plura apud *Leop. Janauschek* O. Cist., Bibliographia Bernardina, Vindobonae 1891, p. 155 n. 625.

[3] Hae futurae erant 20. Martii—3. Aprilis 1575, illae 9.—23. Septembris 1574: cf. *Can.* VI 376[2].

[4] P. Hermannus Thyraeus, provinciae rhenanae praepositus.

† Pax Christi nobis aeterna

Venerande Domine Doctor [1].

Venit Colonia nobilis hic adolescens Nicolaus [2] Danus, idemque patriae suae Canonicatu ab haereticis exutus, et per nostros Catholicus factus, qui quum sacris initiari cupiat, neque contemnendos in philosophia progressus fecerit, uehementer optat, ut inter Germanos Pontificia liberalitate sustentari, suaque studia persequi possit. Qua in re si quid consilii et praesidij adferre potes peregrino, ne illi deneges quaeso humanitatem tum procuratoris, tum intercessoris, praesertim apud Illustriss. D. Cardinalem Warmiensem [3], cui meis quoque literis illum commendaui.

Sed et alteram scribendi occasionem praebet mihi Geruinus Calenius [4] de Catholica religione benemeritus, quod multis abhinc annis praeclara uolumina nobis excudat, magnosque sumptus faciat in doctrina Catholica et defendenda et illustranda. Is nouam nunc editionem sacrorum Conciliorum parat, quam ornare et augere cuperet fide dignis monumentis uenerandae antiquitatis. Quare maiorem in modum referre puto, ut Catholicae doctrinae et publicae utilitatis amantes huic praeclaro faueant instituto, illudque modis omnibus prouehant. Quoniam uero meam ille operam in re sancta implorat ac postulat, ad te confugiendum esse putaui, qui apud summos et doctiss. uiros Romae nunc authoritate uales, et Ecclesiae communem causam libenter promoues atque sustentas pro tua pietate. Quocirca etiam atque etiam precor, diligenter ut colligas, quaecumque ad nouam et pleniorem hanc Conciliorum editionem conferre uidebuntur, praesertim si reperiri queat synodus Nicena prima et secunda, Concilium Constantinopolitanum primum, Lugdunense, et alia similia, quae hactenus desiderantur, aut mutila certe circumferuntur. Quibus de rebus alij facile iudicabunt, qui non pauci Romae uersantur doctissimi uiri, inter quos insignem meretur locum Jllustriss. Cardinalis Sirletus, cuius sane iudicio plurimum hic ego tribuendum duco. Nec dubito, quin et Illustriss. Cardinalis Warmiensis communis noster patronus libenter operam dabit, ut honeste Calenij expectationi satisfiat, quoad eius fieri possit. Plura subijcerem, si aut uoluntati, aut facultati tuae diffiderem humanissime uir, qui ut optimo Calenio gratificeris, et rem acriter urgeas etiam atque etiam rogo et obsecro.

Illustriss. Principi Ernesto et Domino Schenckio salutem ex me dici plurimam uelim [5]. Audistis procul dubio de Saxoniae principe,

---

[1] De Fabricio v. *Can.* VI 99—100 105.

[2] Nicolaus Michaelius viborgiensis; v. supra p. 242.

[3] Stanislaum Hosium.

[4] Gervinus Calenius iuris consultus Coloniae typographicam officinam „quentelianam" habebat et regebat; ex qua a. 1567 „Concilia omnia" opera P. Laurentii Surii O. Cart. 4 tomis in folio, ut dici solet, prodierant (*Can.* IV [1]; V 444 [11]).

[5] Doctor Ioannes Schencking (de quo *Can.* III 676) hoc tempore unus ex prae-

qui reipsa declarat se minime Caluinianum esse, quum plaerosque ministros e suis ditionibus exegerit, quod a Luthero ad Caluinum deficerent[1]. Malo inquit, Jesuitas ferre quam Caluinistas, gratior nobis papatus quam Caluinismus. Miser populus uehementer offenditur atque distrahitur his doctorum suorum dissidiis, quae magis et magis in lucem prodeunt, pacemque et concordiam Catholicorum multis amabilem et optabilem reddunt. Vtinam breui ex Romano, aut potius Germanico seminario emergant, quorum usus esse possit in sanandis aegrotis, ac mortuis etiam ad ueram uitam excitandis Dei gratia in Septentrione. Nunc, Princeps noster cum Electore Saxone uersatur, sed hoc ipso mense, ut putant, huc reuersurus[2]. Ingolstadij cum Alberto Principe Dux Juliacensis et alij nonnulli Lutherani amice congrediuntur, hilariterque uiuunt proculdubio[3]. Felices uos, quibus contigit hoc tempore in urbe sancta morari et jubilaei gratiam excipere[4]. Belgio meliora precemur licet, grauiter enim nostrates laborare audio. Dominus afflictis ubique gentium opituletur. Bene uale uir amiciss. et Canisium tuum habe tibi semper commendatum. Oeniponti 5 Octobris 1574 Raptim.

Seruus in Christo
Petrus Canisius.

Pergratum erit cognoscere, pateat ne locus duobus Geldris in collegio Germanico, si Romam ueniant praeclaris dotibus commendati[5].

Doctissimo viro Domino D. Andreae Fabricio, Doctorj Theologo, Canonico Traiectensi[6], amico colendissimo. Romae.

---

ceptoribus erat Ernesti Bavariae principis atque episcopatuum frisingensis et hildesiensis administratoris, quem Albertus V. pater, quo melius ad sacra pie et sapienter administranda institueretur, Gregorii XIII. invitatu vere anni 1574 Romam miserat (*Theiner*, Ann. I, in a. 1574, n. 25, 26; *Riezler* l. c. IV 612—613).

[1] Augustus, Saxoniae princeps elector lutheranus, cum a. 1574 professorum aliorumque, qui occulte Calvinismum colebant et propagabant, artibus se deceptum esse animadvertisset, severe in eos animadvertere et „cryptocalvinismum" ex terris suis exterminare coepit. Cf. *Janssen* l. c. IV [15—16] 374—382.

[2] Ferdinandus II. ex Karlsbad, oppido bohemico salubrium aquarum usu frequenti, 2. Octobris, ut videtur, a. 1574 Dresdam ad Augustum profectus est (*Hirn* l. c. II 151[3]).

[3] Albertus V. 25. Septembris 1574 Neoburgum ad Danuvium venerat, ad sollemnia nuptiarum, quae Philippus Ludovicus Palatinus, dux neoburgensis lutheranus, cum Anna, Guilielmi ducis iuliacensis et clivensis catholici filia, celebrabat; aderant quoque Guilielmus dux, Ludovicus et Georgius Ioannes Palatini, Ludovicus dux wurttembergensis, Guilielmus Hassiae lantgravius, Philippus marchio badensis etc. (*Goetz*, Beiträge 824[3]).

[4] De hoc iubilaeo v. supra p. 231[3].

[5] Eratne horum unus Jacobus Rijswick Canisii nepos, de quo supra p. 202?

[6] Fabricium vel Traiecti ad Rhenum (Utrecht), vel Traiecti ad Mosam (Maastricht) canonicatum habuisse nusquam inveni memoratum; constat vero, eum Leodii (quo episcopalis sedes tungrensis Traiecto ad Mosam translata olim erat) canonicum ecclesiae cathedralis fuisse (*Lossen* l. c. 725—728).

1906. CANISIUS **WENDELINAE VOM TRIEST** sorori, viduae Godefridi vom Triest, consulis noviomagi.

Oeniponte 12. Octobris 1574.

Ex libello periodico „*Collection* de Précis historiques" XXV, Bruxelles 1876, 77—78; ubi ab anonymo posita est haec versio archetypi lingua, ut ipse ait (l. c. 22), fere germanica („pour ainsi dire en allemand") scripti atque a se visi et gallice redditi; quod archetypum num adhuc exstet nescio; plura de ha re v. in *Can.* I 72.

Dolet Belgas vehementer affligi nec tamen ad Deum converti. Commendat sacramentorum frequentiam, patientiam, misericordiam in pauperes. Clarae Canis angustiae.

Très-chère sœur Wendel,

De toute cette année je n'ai pas vu sortir une seule lettre de Nimègue, mais j'espère que vous et tous les amis vous vous portez bien selon l'âme dans la vraie foi. Pour ce qui regarde le temporel, j'ai assez entendu que Dieu vous visite et vous punit encore assez fortement[1], parce que, comme des enfants désobéissants, nous avons bien aussi mérité la punition. S'il est regrettable que beaucoup de gens deviennent pauvres et misérables, et ne parviennent pas à se procurer la paix, la liberté et la nourriture, mais au contraire sont dans une affliction et dans des angoisses extrêmes, cependant il est encore plus dangereux et plus nuisible qu'après une pareille visite (de Dieu), on ne se convertisse pas, on ne s'humilie pas, on ne recoure pas à Dieu, on ne corrige pas sa vie. Quelques-uns disent: Telle ou telle est l'origine des maux qui nous accablent, et ils ne pensent pas à la justice de Dieu, à leurs propres péchés, à l'infidélité et à la légèreté qui sont si générales, comme on le voit, dans tous les états, même dans ces temps d'affliction et de cherté. C'est pourquoi, très-chère sœur, en présence de ces punitions ayons la crainte de Dieu et ne pensons pas seulement à nous-mêmes, mais encore à nos voisins, et prions pour eux, afin que Dieu n'envoie pas à nous et à tout le pays des fléaux plus grands ou plus durables encore. Que chacun se réconcilie très-souvent avec Dieu dans les saints sacrements, et qu'il unisse sa volonté avec celle de Dieu: qu'ensuite les choses aillent comme Dieu le veut. Bienheureux l'homme qui s'incline de tout cœur sous la verge de Dieu, qui s'apprête à souffrir et se montre patient et gai dans les souffrances. Je vous remercie cordialement des soucis maternels que vous prenez de notre sœur Claire[2], comme elle me l'écrit; que Dieu vous le rende ici-bas et là-haut éternellement. Certainement elle et son couvent nous sont recommandés d'une manière particulière, parce qu'ils sont tombés dans une nécessité extrême. Saluez tous les frères, sœurs[3] et amis auxquels

---

[1] Germania inferior sedicione illa Calvinianorum plurimum perturbabatur et affligebatur; cf. supra p. 85 [1] 95. Pestilentia quoque m. Septembri Flandriam urebat (*Schellhass* l. c. IV 210 [1]).

[2] Clara Canis a. 1577 erat abbatissa monasterii Clarissarum vameliensis (Wamel) prope Tilam (Tiel) siti; v. *Can.* V 335.

[3] De his fratribus sororibusque v. *Can.* V 335—336 660.

je souhaite de tout cœur la constance dans la foi catholique et un cœur toujours charitable envers les pauvres et les affligés dans ces temps misérables.

Dieu nous visite aussi dans ce pays-ci par ce méchant mal qui se répand partout[1], afin que nous aussi nous retournions et nous nous convertissions à Dieu comme il convient.

Le Docteur Thierry[2] vous salue, vous et les autres amis, et souhaite comme moi que vous restiez tous patients dans les souffrances et constants dans la foi.

Insprück, 12 octobre 1574. Votre frère aîné,
Doctor Petrus Canisius.

A honorable dame Wendel Canis, veuve de M. Godefroid Van Triest, ma chère sœur, à Nimègue[a].

1907. BARTHOLOMAEUS DE PORTIA apostolicus in Germania nuntius CANISIO.

Augusta Vindelicorum inter m. Iulium et Octobrem (circa 12. Oct.?) 1574.

Ex Portiae ad cardinalem Comensem litterarum (litterarum partis) exemplo. quo ipsae litterae secretioribus notis scriptae communi usitatoque scribendi modo Romae redditae sunt. Cod. rom. „Germ. Vol. 80“ II p. 324. Easdem litteras ex eodem codice edidit *Schellhass*, Nunt. IV 282—284.

De Augusto Saxoniae electore et Ferdinando II. archiduce.

Ferdinandus II. archidux semel atque iterum Portiae dixerat: Cum ex Bohemia (ibi ille valetudinis gratia aquis erat usurus) in Saxoniam ad Augustum principem electorem venero, operam dabo, ut Augustus ad ecclesiam catholicam redire in animum inducat (Schellhass, Nunt. IV 14): atque Albertus V. Bavariae dux — et huic et Maximiliano II. imperatori et Danieli Brendel archiepiscopo moguntino pontifex eiusque ministri causam eandem vehementer commendabant (l. c. 200 · 260) — Augustae circa 12. Octobris 1574 Portiam monuit: Neque epistulis neque legationibus quicquam effici posse; neque aliam superesse viam nisi ut ipsi principes catholici Augusto verbis rem suaderent (l. c. IV 243). Cum igitur Ferdinandus post medium m. Iulium Oeniponte in Bohemiam versus et initio m. Octobris inde in Saxoniam profectus esset, Portia, num quid ille apud Augustum effecisset, ex Canisio cognoscere studuit; ita enim Augusta 15. Novembris 1574 cardinali Comensi scripsit: „Il padre Canisio che era stato da me ricercato à sottrarre destramente se l'Arciduca Ferdinando haueua trattato cosa alcuna con l' Elettore di Sassonia intorno la religione, risponde con il sotto scritto capitolo cauato puntalmente dala lettera.“

Quid Canisius Portiae responderit, v. infra, ep. 1910.

a) *Haec inscriptio ab editore primo in capite epistulae posita est.*

---

[1] Pestilentiam dicere videtur (*Hansen* l. c. 691); quae a. 1575 in varia quoque Hassiae, Palatinatus rhenani, Helvetiae loca incidit (*Schwarz*, Nunt. 332; *Schellhass*, Nunt. V 163 204 254—255).

[2] P. Theodoricus Canisius, collegii dilingani rector.

1908. EVERARDUS MERCURIANUS praepositus generalis Societatis Iesu CANISIO. Roma 21. Octobris 1574.

Ex apographo eiusd. temp.; in margine, eadem manu: „P. Canisio". G. Sup. 1 f. 18[b].

De scriptoribus constituendis et Mariano opere absolvendo.

Rationes librorum conscribendorum ex literis Reuerentiae tuae datis Kalendis septembribus cognoui cum alias item a P. Prouincialis Consultoribus accepissem[a]. Et quamuis tuae satis mihi probentur uisum tamen est mihi cum his patribus[1] ut totum hoc negotium ad id tempus reijceretur quo uniuersalia tractanda sunt, quae quidem partim inchoata sunt, partim propediem aggredientur. Interim bono animo esto mi Pater et Mariam tuam cito absolue ut summis[b][?] eius uirtutibus excitata Societas aliquid amplius praesidij hoc miserrimo tempore ab[c] ea exoret. Orationibus et sanctis Sacrificijs tuis nos omnes commendamus. Rome [Vigesima Prima octobris 1574][d].

Canisius Mercuriano respondit 6. Ianuarii 1575.

1909. P. ANTONIUS POSSEVINUS secretarius Societatis Iesu CANISIO. Roma 21. Octobris 1574.

Ex apographo eiusdem temporis; in margine, eadem manu: „Eidem. Haec est Posseuini"; antecedit autem hanc epistulam epistula a Mercuriano praeposito generali „P. Canisio" missa. G. Sup. 1 f. 18[b].

Libri Surii. Epistula pastoralis S. Caroli Borromaei. „Prolegomena" Canisii. Libelli per Angliam etc. disseminandi. P. Natalis.

Scripsi Reuerentiae tuae redditos esse nobis libros Surij. Sanctorumque uitas a me uestro nomine Pontifici maximo[2] oblatas eidem pergratas fuisse[3]. Nunc Reuerentiae tuae Epistolam Pastoralem Cardinalis Boromei mitto, quae si in Germanicam linguam uertatur, non parum ut spero momenti habebit ad aliciendos ex ista Germania pios homines, qui Rome pro fide restituenda Sanctorum martirum[e][?] quorum ossa hic sunt, Deum [?][f] permoueant ad ferendam afflictae Reipublicae Christianae opem[4]. Expecto auide prolegomena in Diuum Io: baptistam[5], quae spero longius penetrabunt ad Insulas. Nam ut reliquie catholi-

a) accepisse *apogr.* b) *Hoc v. obscurius scriptum est.* c) *Sic omnino videtur esse corrigendum ex* ad, *quod est in apogr.* d) Rome ut supra *apogr. Antecedit autem has litteras epistula, quae sic terminatur:* Rome Vigesima Prima octobris 1574. e) martires *apogr.* f) *Hoc vel* eos *supplendum esse videtur.*

---

[1] Assistentibus; quorum nomina v. supra p. 130[2]. [2] Gregorio XIII.

[3] Num et quando Possevinus ita scripserit ignoro; ceterum cf. supra p. 133.

[4] Iuvenesne significat, qui in collegium germanicum veniant? S. Carolus Borromaeus Mediolano 10. Septembris 1574 litteras pastorales, quas vocant, italico sermone dederat ad archidioecesis suae mediolanensis fideles, quibus eos, ut gratiarum iubilaei assequendarum causa Romam peregrinarentur, invitabat, singulari quadam ratione Petri et Pauli apostolorum et plurimorum aliorum pro fidei catholicae testimonio Romae occisorum sacra commemorans corpora, quae ibi magno cum pietatis fructu asservarentur. Litterae illae exstant in „Actis Ecclesiae Mediolanensis" *Federici Card. Borromaei* iussu editis, Mediolani 1599, 1023—1027.

[5] Vide infra p. 248.

corum seruentur stabiles in fide in Scotia, Anglia, caeterisque in locis praeter diuinum auxilium nihil reliqui uideo nobis restare quam ut diligentissima sedulitate et pro illis oremus et libellos perbreues, qui facile importari possint, ac disseminari, mittamus. In hac re procuranda si Nostri et per Piorum eleemosynas, et per horam tantum vniuscuiusque diei festi[a] operam alacriter darent, sibique inter sese cum licentia Superiorum Prouincias dispertirent, sperare audeo multum[b][?] maiorem ex hac re fructum perceptum iri quam econtra menti[c][?] ecclesiae Diabolus intulit damnum per disseminata uenena dogmatum hereticorum. Quam ego sententiam et si probari atque adeo effici a Nostris qui istic sunt multo melius credam quam optare[d][?] ausim, licebit tamen apud optimum Patrem meam fortasse temeritatem in sinum deponere, cumque nihil agam, saltem desiderio desiderem Ecclesiae matris meae foecundum partum. Eam ob rem mitto ad Reuerentiam tuam capita quaedam, quibus forsan dieceses facile ac sine querela Magistratuum et cum Sanctae Ecclesiae honore adiuuari possent[1]. Quae capita cupio[e] ad me remitti postquam R. P. Natali[2] ostensa fuerint ad quem has literas, siue earum exemplum[f] rogo tuam Reuerentiam ut tanquam carissimo meo Patri, et cui maxime deuinctus sum quamprimum mittat una cum altera Epistola Boromaei, qua cum his literis erit adiuncta ac me Reuerentiae tuae orationibus et sanctis sacrificijs per multum in Domino commendo · Rome [Vigesima Prima octobris 1574][g].

Quod Possevinus de epistula pastorali S. Caroli Borromaei litteris suis adiuncta Canisio commendabat, id ille diligenter praestitit; exstat enim „Concio | NON MINVS PIA | quàm elegans, de Sancto Iubilaei | Anno, Spiritualibusq; inde fru- | ctibus capiendis. | **Christliche Predig | Von dem Jubel | jar, anzaigent wie ein Christ | sich der gnaden desselben thail- | hafftig machen soll. | Durch wen solche Predig anfangs beschriben, vnnd | jetzund an tag geben, gibt die Vorred | zu uerstehen. | Getruckt zu Dilingen, durch | Sebald Mayer.** | M. D. LXXV“ (titulii huius versus 2, 3, 7, 8, 14, 15 rubri sunt; 12°; ff. non sign. 33, addito titulari). Libelli exordium (f. A 2^a—A 3^a) constituitur litteris Dilinga 6. Ianuarii 1575 ab *Ioanne Egolpho a Knöringen* episcopo augustano ad „Parochos populumque“ civitatis et dioecesis augustanae datis; in quibus Egolphus ait, se antea „huius Sancti Anni rationem“ aliqua ex parte declarasse „Bullae publicatione“: iam autem se omnibus parochis et contionatoribus valde commendare, ut populo indulgentiarum virtutem explicent eumque ad eas consequendas exhortentur; eius rei gratia „Illustrissimi Cardinalis et Archiepiscopi Borromaei concionem, de hoc argumento Italice conscriptam, et nuper Mediolani aeditam, in Latinam pariter et Germanicam linguam transferri, et typis mandari curauimus“; sequuntur S. Caroli Borromaei litterae, quas supra dixi; litterae, inquam, eaeque primum latine, deinde germanice redditae; litterae, inquam; neque enim veri nominis contio haec est, sed „litterae“, [ein] „Schreiben“, ut in ipsis hisce versionibus dicitur. Facile autem crediderim, ipsum Canisium vel utramque versionem, vel saltem germanicam fecisse. Liber exstat Monachii in bibliotheca reipublicae, Hom. 172.

a) *Sic in apogr. corr. est ex* festiui *vel simili v.* b) *Sic apogr.; corrigendum esse videtur* multo. c) *Sic; delendum esse dixeris hoc v.* d) *Hoc v. obscurius scriptum est.* e) *Tria vv. sqq. supra versum scripta sunt.* f) *Sequuntur vv.* cupio mitti, *oblitt.* g) Rome ut supra *apogr.: antecedit autem epistula* Vigesima Prima octobris 1574 *data.*

---

[1] Haec capita non vidi. [2] In collegio halensi vivebat.

1910. CANISIUS **BARTHOLOMAEO DE PORTIA**, apostolico in Germania nuntio.

Oeniponte exeunte m. Octobri vel initio m. Novembris 1574.

Ex apographo a Minutio Minucci Portiae secretario (ut videtur) scripto. Cod. rom. „Germ. Vol. 80" II p. 324. Ex eodem apographo hanc epistulae partem primus edidit *Schellhass,* Nunt. IV 284.

De Ferdinando II. archiduce et Augusto Saxoniae principe.

Canisius Portiae, ut eius voluntati morem gereret (v. supra p. 246), haec scripsit de Ferdinando II. archiduce Tirolisque principe, initio m. Octobris 1574 Dresdae congresso cum Augusto Saxoniae principe electore, cuius animus in religionem catholicam inclinare, praesertim postquam protestantium ministros Calvinismum clam per Saxoniam propagare cognoverat, videbatur (cf. supra p. 244): — — Jn Saxonia idem humanissime fuit exceptus, et utriusque Principis aucta est coniunctio, sed noster de causa religionis nullam facere uoluit mentionem. Laudant Electoris huius opes, potentiam, moderationem, prudentiam, qui ob suorum in religione dissensionem Catholicis nunc paulo aequior factus esse uidetur, a Caluinianis maiorem in modum abhorrens. — —

Portia apographum, quod dixi, Augusta 15. Novembris 1574 Romam ad cardinalem Comensem misit. Reliqua autem huius epistulae pars perisse videtur.

1911. CANISIUS **EVERARDO MERCURIANO** praeposito generali Societatis Iesu. Oeniponte 20. Decembris 1574.

Ex archetypo a Balthasare Arnoldt (cf. supra p. 38) scripto et ab ipso Canisio („P. T." etc.) subscripto (2°; 1 p.; in p. 4 inscr. manu ignota posita et reliquiae sig.), Germ. 183 f. 240a—241b.

P. Kesselii ab homine furioso occisi virtus. P. Costerus Coloniensibus restituendus.

† Pax Christj nobis aeterna et foelix
annus admodum Reuerende Pater

Non repetam ingentem ac miserandam sane calamitatem, quae Coloniense Collegium nostrum non ita pridem uel oppressit uel afflixit, ut praesenti quidem egeat consolatione[1]. Ac me quidem decet huius Collegij esse studiosum et amantem, quando sanctae me. Pater Faber bonum P. Leonardum, qui Christo uiuat, et me illius fertilis agri uoluit primos esse colonos[2]. Prior suum quidem munus obiuit fidelissime, qui tam multos et praeclaros in hac Societate filios ac Ecclesiae operarios nobis donauit et reliquit, ut multum etiam illi Collegio uelut praecipuo Germaniae Seminario debere uideamur. Ego uero qui ab illo fratre socioque diuulsus, et in hanc miseram Germaniam extrusus parum hactenus efficio, hoc unum Paternitati Tuae suggeram quod

---

[1] Die 26. Octobris 1574 Coloniae PP. Leonardus Kessel collegii rector, Nicolaus Faber eiusdem collegii minister, Ioannes Rethius gymnasii Trium Coronarum regens in collegii area a Gerardo Pesch, eiusdem collegii sacerdote quattuor ante annos mentis impote effecto, cultris occisi erant (*Frid. Reiffenbergius* S. J., Historia Societatis Iesu ad Rhenum inferiorem I, Coloniae 1764, Mant. 56—58; *Hansen* l. c. 696—697; *Duhr,* Jes. I 778—779). [2] Cf. supra p. 235.

ad rationes dicti Collegij tuendas inprimis arbitror pertinere. Viuit in Belgio D. Franciscus Costerus, qui Coloniensi Collegio restitutus, id quod multi frequenter optarunt, singularem praesentibus tenebris lucem adferret, neque solum Collegio, sed etiam Academiae et Vrbi tam nobili operam sane utilissimam daret[1]. Nam et notus est Senatui Coloniensi et ad nostri Collegij gubernationem authoritate Senatus aliquando delectus et designatus fuit, quem et propter docendi dexteritatem praedicare sunt soliti Colonienses. Proinde maiorem in modum rogo Paternitatem Tuam, ut si ratione ulla fieri potest, idem P. Costerus Coloniam primo quoque tempore reuocetur, ut acceptum hoc uulnus, quod praecipuos e medio sustulit, aliqua ex parte sanetur siue mitigetur. De alijs proxime scribam, nunc me totum Paternitatis T. sacrificijs et precibus in Christo commendans.

Oenipontj 20. Decemb. 1. 5. 74.

P. T.

Filius indignus
P. Canisius.

Ihesus · Admodum Reuerendo in Christo Patrj nostro, Patrj Euerardo Mercuriano [Societa]tis JESV Praeposito Generalj. Romae.

In epistulae pagina quarta manu *Posservini* Societatis secretarii *notatum est: „Costerus Rector mittatur Coloniam." Neque tamen eo quidem tempore Coloniam missus est. Die autem 14. Novembris 1575 P. *Hermannus Thyraeus* provincialis rhenanus Spira ad Mercurianum *scripsit: „Colonia scribitur redijsse P. Costerum pridie omnium Sanctorum [i. e. 31. Octobris], Ago gratias R. P. V. quod huic prouinciae illum operarium restituerit" (ex autogr.; Germ. 136 f. 309[a]).

1912. CANISIUS P. PETRO RIBADENEIRAE S. J.

Oeniponte inter exeuntem a. 1573 et medium a. 1576.

Ex imagine photographica commentarii archetypi (2°; 4 pp.), quem P. Guilielmus Elderen S. J. Canisio dictante scripsit et ipse Canisius sua manu emendavit et amplificavit. Cod. „Belero" (de quo *Monumenta Ignatiana* Ser. 1 Vol. 1 p. 52) f. 51[a]—52[b] (antea 16[a]—17[b]). Ultimae commentarii paginae P. *Didacus Ludovicus Sanvitores* S. J. (qui postea primus evangelium Christi in insulas Marianas intulisse ibique 2. Aprilis 1672 martyrio coronatus esse traditur) haec subscripsit: „Estas notas embio el V. P. Canisio al P. Ribadeneyra y estan emendadas en las margenes de su misma letra del Padre Canisio como consta porna [*corrige:* por una] carta firmada de mano del mismo Padre Pedro Canisio que vj y tube del Padre Pedro Vivero Rector del Colegio de Madrid . aplicose al Archivio de Alcala. † Diego Luis † .S. Vitores S. J. †". Commentarius ex ipso archetypo editus est in „*Monumentis Ignatianis*" Ser. IV. T. I, Matriti 1904, 714—720). Eodem usus est et complura ex eo ad verbum expressit *Petrus Ribadeneira* S. J. in nova editione suae Vitae Ignatii Loiolae; id quod infra singillatim explicabitur. Deinde Canisii commentario (ex „Monumentis") usus est *Ludw. v. Pastor*, Geschichte der Päpste V., Freiburg i. Br. 1909, 442 445.

---

[1] De Costero cf. *Can.* I 95 [4]; V 171 802; VI 330 [7]; *Costerus* Duaco 3. Iunii 1572 P. Leonardo Kessel *scripsit: „Ego nunc ago superiorem Duaci et simul praelego aliquid in Theologia" (ex archetypo, Cod. „IX. Ba" [I 22] n. 15).

Praefatio editoris. Canisius rogatus a P. Petro Ribadeneira S. J., ut secum „suum indicium“ de vita S. Ignatii nuper a se edita (v. supra p. 35 47) communicaret, 12. Iulii 1572 P. Hieronymo Natali Societatis vicario generali scripsit, id „supervacaneum“ esse; historiam enim illam esse „eleganter, pie utiliterque conscriptam“ (v. supra p. 50). Proximo deinde anno, cum Romae Societatis congregatio generalis tertia a. m. Aprili ad Iunium haberetur, libro illo ad mensam patrum congregatorum lecto et singulis nomine Everardi Mercuriani praepositi generalis, essetne aliquid emendandum, interrogatis, nemo quidem de veritate historiae dubitavit (*Acta Sanctorum* Iulii, Tom. VII, Antverpiae 1731, 595); attamen, inquit P. *Oliverius Manareus* S. J. (qui et ipse congregationi interfuit) in suis „Notis“ in Ribadeneirae librum, Bruxellis 24. Februarii 1600 scriptis, „a plerisque, tempore congregationis 3.ae, nominatim a P. Petro Canisio, notabatur quod nimis multa historiae interserta essent, a vita B. P. N. Ignatii suscepta aliena. Item, non probabatur quod tam multorum collegiorum initia et progressus describerentur. Notabatur denique, quod autor videretur plus aequo indulsisse affectui erga Hispaniarum collegia et personas“ (*Monumenta* Ignatiana l. c. I 720—721; *Acta* Sanctorum l. c. 596). Aliunde vero hoc constat: Eadem congregatio significavit, librum illum esse mancum („incompiuto“), sive complura in eo deesse; atque hanc ob causam Socii eo ex latino in italicum sermonem vertendo supersederunt (*Pietro Tacchi Venturi* S. J. in commentario instar codicis manu scripti excuso „Della prima edizione della vita del N. S. P. Ignazio scritta dal P. Pietro Ribadeneira“ p. 11). Quare mirum non est, in *Codice litterarum rerumque similium Roma ex Societatis domo professa in varias eiusdem Societatis provincias missarum haec esse notata: „1573 . . . A di 25. de giugno si diede una comune sopra le uocationi et uirtù insigni di quelli della Compagnia et di quelli che son usciti etc. et sopra l'auisar N. P. G. del aggiongere, ò minuere aliquid al libro della uita del P. Jgnatio . à tutti li Prouinciali che furono alla Congregatione generale etc.“ (Hist. Soc. 42. „Diuersi ordini“ etc., in a. 1573). Huic ergo praecepto Mercuriani praepositi generalis Canisius quoque satisfecit, „Notas“ componendo, quae infra ponentur. Quas a P. Guilielmo Elderen S. J. Canisio dictante scriptas esse, ex ipsa scripti huius ratione cognoscitur. Elderen autem, cum fere ab exeunte a. 1565 ad exeuntem a. 1571 Florentiae Ioannae archiducissae Francisco de Medicis matrimonio iunctae confessarium egisset, inde m. Februario 1572 in Germaniam rediit (v. supra p. 16) et proximis annis in collegio oenipontano una cum Canisio vixit; exstant epistulae a Canisio Oeniponte Romam ad Mercurianum a. 1574, 1575, 1576, 1578, 1580 missae, quarum inscriptiones manu Patris Elderen factae sunt; exstant etiam contiones Canisii Oeniponte ab eodem Elderen, Canisio dictante, scriptae. Probabile autem est, Notas hasce inter exeuntem a. 1573 et medium a. 1576 scriptas esse; nam Canisius m. Iunio 1576 Oeniponte abiit neque proximis annis eo redibat, nisi ut ibidem aliquot septimanas maneret; post annum denique 1580 prorsus ea urbe abfuisse videtur.

Canisii „Notae“ plene intellegi nequaquam possunt, nisi iis adiungantur illi Vitae ignatianae loci, quos Canisius ab auctore emendari vel amplificari volebat; atque haec additio sive adiunctio tanto magis est optanda, quo ipse liber est rarior; neque enim plus quam 500 eius exempla olim excusa sunt (*Tacchi Venturi* l. c. 6). Praeterea operae pretium fuerit cognoscere, quid Ribadeneira ad Canisii monita non tam per epistulam — haec periit —, sed per ipsa facta responderit sive quomodo eius notis usus sit, cum a. 1586 iussu Claudii Aquavivae praepositi generalis Matriti librum recognitum valdeque amplificatum et latine et hispanice ederet; quare editionis huius quoque latinae loci notis Canisii adiungantur singuli singulis oportet; latinae, inquam, non hispanicae; nam complures ex Canisii notis ipsum latinum dicendi genus spectant; et quid de iis, quae ad res ipsas pertinent, Ribadeneira senserit feceritque, planius cognoscitur, si cum Canisii verbis latinis ipsius verba conferuntur latina. Ipso a. 1586 et postea quoque hoc Ribadeneira opus saepius recusum et in varias linguas translatum est, et ipse Ribadeneira varia ad Ignatii vitam addidit (*Sommervogel* l. c. VI 1331 1725—1731 1737—1740; *Rivière,*

Corrections et Additions II, 266—268. *H. Böhmer*, Studien zur Geschichte der Gesellschaft Jesu I, Bonn am Rhein 1914, 335—339); nec tamen nostri multum interest, immo ne vacat quidem haec longius persequi.

Canisii censura in Ribadeneirae Vitam S. Ignatii Loiolae 1572 excusam: Dictio latina polienda. Addenda et corrigenda. Ignatii „illustrationes". Appellatio Societatis Iesu. Laudes PP. Bobadillae, Fabri, Iaii. Fabri „congressiones" cum Bucero etc. Collegia ingolstadiense, vindobonense, pragense. Opus longius producendum.

Iam igitur in prima columna ponentur verba Ribadeneirae exscripta ex editione principe „Vita Ignatii Loiolae, Societatis Iesu fundatoris, libris quinque comprehensa. In quibus initia ipsius Societatis, ad annum usque Domini 1556. explicantur. Auctore *Petro Ribadeneira* Sacerdote Societatis eiusdem. Neapoli M. D. LXXII. Cum licentia Superiorum"; in secunda autem columna erunt „Notae" a *Canisio* in hanc vitam scriptae; in tertia denique ostendetur, num et quam Ribadeneira earum habuerit rationem in „Vita Ignatii Loiolae qui Religionem Clericorum Societatis Iesv instituit. A *Petro Ribadeneira* sacerdote Societatis eiusdem pridem conscripta, et nunc denuo recognita et locupletata. Cum Privilegio. Madriti. Apud viduam Alphonsi Gomezij Regij Typographi . M. D. LXXXVI."

Ribadeneira 1572:	*Canisius:*	*Ribadeneira 1586:*
	Notae in uitam P. Ignatij.	
[Lib. 1, cap. 10, f. 23^{b}:] Operientem nauim, et conscendere parantem, grauissima subito febris illum corripuit: et cum dies aliquot afflixisset, tandem discessit: sed illud incommode cecidit, ut soluendi tempus in eum diem incurreret, quo pharmacum a medio praescriptum sumpserat, qui eo quidem die citra magnum uitae discrimen, Ignatium nauem posse ascendere negabat; sed ille sapientioris, diuinique medici consilio ductus, eo ipso die, hausto conscendit.	Pagina 23. B. obscurius dictum uidetur illud. Jllo ipso die, hausto] [1] referendum est enim hausto ad nomen pharmaci, quod procul abest.	*[l. 1, c. 10, f. 27^{b}—28^{a}:] ut 1572.*
[L. 1, f. 24^{a}—25^{b}:] Hierosolymis loca sancta perlustrat. Caput XI. Hierosolymam *etc.*	Pag. 24 B. Fortasse posset adiungi quod ex M. Fabro audisse memini [2], quomodo Jgnatius in sacris palaestinae locis uersatus fuerit, magna scilicet cum pietate, multis cum lachrymis, nec	*[l. 1, cap. 11, f. 28^{b}—30^{a}:] Nihil ex Canisii adnotatione additum est.*

[1] Eo tempore auctores, cum in libris et scriptis testimonium vel sententiam alterius proferebant ipsis eius verbis utentes, signo] apposito significabant, sententiam illam eo loco terminari.

[2] Beatum Petrum Fabrum, primum ex novem illis primis S. Ignatii sociis, significat, quem Moguntiae et Coloniae a. 1543—1544 vitae religiosae magistrum habuerat (*Can.* I 9 43 95—97 103 652—672).

Ribadeneira 1572:	*Canisius:*	*Ribadeneira 1586:*
	sine uehementi et flagranti diuini amoris ardore, cum contemplaretur uelut ob oculos illa uitae et passionis Christi mysteria, eoque magis animabatur ad uitam omnem illic transigendam.	
[L. 2, cap. 7, f. 55^{b}:] Venetias ad sua illa xenodochia reuersi sunt. Paulo post ad pedes Hieronymi Veralli, Rossanensis tum Archiepisopi sedis Apostolicae apud Venetos Legati, postea uero etiam S. R. E. Cardinalis, paupertatis, castitatisque uotis pie susceptis, sacris sunt initiati... Ignatius, et reliqui sex.	Pag. 55. B. Vbi fit mentio[a] Veralli, dignus is sane mihi uidetur, ut aliquam accipiat commendationem, quod de nostris optime meritus fuerit saepe[1].	*[l 1, c. 7, f. 63^{a}:] Nihil additum est.*
[L. 2, c. 8, f. 56^{b}:] [f. 36^{a}: Ergo nostri, . . . ut liberiore animo, et ab alijs occu=] pationibus uacuo, ad sacra Missae peragenda se compararent, alio sibi secedendum existimarunt.	Pag.[b] 56. B. Linea prima. Ad sacra prima[c] [?] missae peragenda se compararent] Optarim hoc dici luculentius, ut intelligatur agi[d], [?] de primis Missae[e] sacris sermonem instituj.	*[l. 2, c. 8, f. 63^{b}—64^{a}:] Nihil immutatum est.*
[L 1, c. 7, f. 15^{a}—17^{a}:] [Manresae] placuit. . . . Deo, seruum suum diuinis consolationibus mulcere, et mentem illius coelestium mysteriorum cognitionibus illustrare. . . . Die quadam . . . coepit ita in Deum intellectu ferri, quasi sanctissimam Trinitatem specie quadam	Pag.[f] 60. Fit mentio de illustrationibus Jgnatij[g], et quod supra modum Manresae fuerit illustratus, et similia de illo libro priore dicuntur. Nunquam ego absolute dicerem, Habuit illustrationes, sed potius sicut	*[l. 1, c. 7, f. 15^{a}—17^{a} et l. 2, c. 11, f. 68:] Omnia, quae ex editione anni 1572 posui, iterum eadem ratione dicta sunt, praeterquam quod l. 1, c. 7, f. 16^{b} scriptum est:* Saepissime ... Christi ... humanitatem interiore animi vidit obtutu; *et l. 2, c. 11, f. 68.* Sacerdotio

a) *Sequitur* Gera, *oblitteratum.* b) *Haec sententia notata est cruce in margine apposita.* c) *Vel* primae; *hoc v. alia manu (Canisii?) supra versum scriptum est.* d) *Sic; sed propter duo ultima huius sententiae vv. v.* agi *oblitterandum, puto, fuit.* e) *Sic C. sua manu correxit ex* missis *vel* missas. f) *In margine crux, ut supra (adnot. b).* g) *Sequitur* si, *oblitt.*

[1] Verallus (1500—1555) curanus (Cori prope Romam) sex fere annis, cum in Germania nuntium apostolicum ageret, P. Nicolai Bobadillae opera utebatur; eundem in archiepiscopatum suum rossanensem misit (*Nicolai Alphonsi de Bobadilla* Gesta et Scripta, Matriti 1913, 156—157 163 624). Idem a. 1545, cum per Coloniam transiret, Canisio reliquisque Societatis iuvenibus ibi degentibus „plus quam paternum affectum" exhibuit et a. 1547 Canisio ab Adolpho de Schauenburg archiepiscopo coloniensi ad se misso humanissimum se praestitit (*Can.* I 142 237—243 674).

Ribadeneira 1572:

uisibili id significante exterius, quod interius percipiebat, cerneret, . . . Alio item tempore . . . modus eius menti obiectus est, quo mundum Deus condidit. . . . Mentis oculis quodam die clare uidit, augusto illo, atque tremendo Sacramento Dominum nostrum Iesum Christum, uerum Deum, atque hominem uerissime contineri. Saepissime . . . Christi . . . humanitatem interno obtutu uidit, et aliquando beatissimam etiam Virginem Mariam : . . . quibus quidem uisis, ita in fide, ac spiritu confirmatus, et coelesti lumine completus est, ut saepe haec secum reputans, illud etiam statueret, si aut sacrarum litterarum monumentis consignata mysteria fidei non essent, aut certe si sacra scriptura (quod fieri non potest) intercidisset, sibi tamen ita esse certa, penitusque infixa, ut ex illis tantum, quae uiderat, non dubitaret, et recte ea intelligere, et alijs tradere, et pro illorum defensione etiam mortem oppetere. . . . In uia, quam fluuius praeterlabitur, . . . mentis ei oculi aperti, atque illuminati sunt, . . . ut permulta, tum quae ad fidei mysteria pertinent, tum quae ad scientiarum cognitionem, optime intelligeret: tanta, tamque clara luce, ut ab eo res ipsae nouo quodam lumine cernerentur *etc.*

Canisius:

alibi lego, Accepit insignes et multas de diuinis rebus cognitiones. Nollem enim confirmari illorum calumnias, apud quos male audimus propter illuminationes [1]. Et fortasse profuerit aliquod addi discrimen inter ueras et falsas siue [a] suspectas illuminationes, ad omnem suspitionem [b] et obiectionem illusionum effugiendam.

Ribadeneira 1586:

igitur iam decoratus, integrum anni spatium ad se praeparandum, animumque magis colligendum, sumpsit *etc.*

Addita autem est capiti septimo libri primi haec gravissima explicatio (f. 18[a] ad 20[b]): „Incredibilia cuipiam fortasse haec videbuntur, et supra ordinem rationis atque cursum, in eo potissimum viro, qui tyro et rudis omnino m i l e s C h r i s t i [2] adhuc erat, qui vix nomen dederat, vix militari sacramento se obstrinxerat, vix ab hostium castris ad Christi domini nostri signa transfugerat. Sed vt haec magna profecto, praeclara, admirabilia Dei dona esse in confesso apud omnes sapientes est, ita incredibilia videri non debent, nisi ijs forte qui dona Spiritus sancti, et inaestimabiles benignitatis diuinae thesauros, ne per somnium quidem audiuerunt. Qui neque lumen coeli viderunt vnquam [3], neque diuinarum illustrationum participes facti sunt, qui nullam vnquam voluptatem liquidam, et solidam animorum esse putant: sed omnes voluptates corporis sensu definiunt, easque vndequaque conquirunt et captant, et nouas semper veteribus addunt, turpissimas illas quidem, et honestati contrarias, et homine ipso indignas. Qui hac quidem

a) *Sic C. ipse correxit ex* sibi. b) *Duo vv. sqq. ab ipso C. supra versum scripta sunt.*

[1] Maxime in Hispania viri quidam docti, ut Melchior Canus, Thomas de Pedroche, Alphonsus de la Fuente, censuerant, Socios errores quosdam haereticorum, qui „Alumbrados" sive Illuminati vocabantur, fovere; v. *Ant. Astrain* S. J., Historia de la Compañía de Jesús en la Asistencia de España I, Madrid 1892, 326—327 371—372; III, Madrid 1909, 58—60.

[2] 2 Tim 2, 3. [3] Cf. Tob 5, 12; 11, 8; 12, 3.

Ribadeneira 1572:

[L. 2, c. 11, f. 60:] Sacerdotio igitur iam decoratus, integrum anni spatium ad se magis colligendum, sumpsit, animumque praeparandum, ut augustissimum Iesu Christi domini nostri corpus ... purius Deo patri, primum offerret. . . . Itaque toto hoc tempore, mirabiles illustrationes habuit, Venetijs, Vicetiae, alijs in urbibus, in uia: ut restitutus sibi in eum statum uideretur, quem Manresae habuisset, ubi supra modum (ut diximus) illustratus est.... Porro in toto itinere, quod... una cum Fabro, Laineque [1] Roma uersus instituerat, singulariter a Deo et illuminabatur, et confirmabatur *etc.*

Canisius:

Ribadeneira 1586:

in re audiendi non sunt. Animalis homo (inquit Apostolus) non percipit ea quae Dei sunt[2], neque enim potest, coecus enim de coloribus non iudicat. Alij sunt tamen viri eruditi, et in monimentis Sanctorum versati, qui sciunt huiusmodi illustrationes Dei, extraordinarias quidem esse, sed concedi tamen solitas nonnunquam, ijs qui eximio et praecipuo quodam iure a Deo eliguntur et tractantur. In quibus magna in primis cautio adhibenda est, ne fallamur. Aliqui enim sunt qui falsa persuasione decepti, existimant Dei esse dona[3], quae satanae transfigurantis se in Angelum lucis[4] praestigiae sunt. Alij quorum animus est mobilis, et facilis leuitate, vel occulta superbia cordis, vel atra bili, vel capitis imbecillitate obscuratus, putant se ea videre atque audire, quae reuera neque audiunt, neque vident. Quae quamuis ita sint, tamen negare non possumus, in Dei ecclesia veras esse atque diuinas reuelationes, quibus amicos suos et familiares, aliquando Deus, benigne suauiterque permulcet. Quod si in illorum seruorum numero, cum quibus Deus se ita communicat, et pleniori manu tanta bona largitur, Ignatius fuit, nemini sane mirum videri debet. Nam quanquam tyro, multum tamen iam tunc virtute processerat, et erat ab ipsomet Deo electus, vt innumerabilium

[1] Cum Petro Fabro et Iacobo Lainio (Laynez). [2] 1 Cor 2, 14.
[3] Eccle 3, 13; 5, 18; Eccli 1, 23; Io 4, 10; Act 8, 20; Rom 11, 29; Eph 2, 8. [4] 2 Cor 11, 14.

Ribadeneira 1572:	*Canisius:*	*Ribadeneira 1586:*
		filiorum pater, et sacrae huius militiae antesignanus et princeps esset, vt exercitum ductaret, acies instrueret, et signa cum humani generis hoste strenue, fortiterque conferret. Quod absque dubio praestabilius est, maiusque Dei donum, quam rerum abditarum intelligentias accipere. Certe quidem si attente consideremus, quis fuerit Ignatius, et quid effecerit, facile intelligemus illum neque viribus naturae, neque propriae industriae artibus rem tantam aggredi ac perficere potuisse, sed coelesti quodam ac peculiari Dei dono indiguisse, vt quod videmus opus efficeret. Nam qui fieri potest, vt homo militaris, illiteratus, vanitatis vile mancipium, delectum haberet, milites conscriberet, societatem cogeret, religionem hanc institueret, et breuissimo tempore per vniuersum terrarum orbem [a] propagaret, ac summa prudentia regeret, et aduersariorum impetus propulsaret tantosque fructus ad Dei gloriam, suis ex laboribus colligeret, nisi Deus ipse suo illum ornasset spiritu, prudentia instruxisset, virtute armasset? Quam Idaeam, quodue exemplar habuit propositum, ex quo huius societatis exemplum duceret? Quo in libro legit illius regulas, constitutiones, documenta? Vnde speciem formamque societatis accepit? quae quidem vt in ijs quae religionem continent, vna eademque cum reliquis religionibus est, ita ab illis disiuncta atque distincta in multis, quae

a) *Ita etiam editiones antverpiensis anni 1587 (p. 47) et coloniensis anni 1602 (p. 55);* breuissimo tempore late *editio ingolstadiensis anni 1590 (p. 28).*

Ribadeneira 1572:	*Canisius:*	*Ribadeneira 1586:*
		nostris temporibus congruentia, et praesenti ecclesiae statui sunt necessaria. Accepit nimirum ab eo, qui haec solus dare potuit, qui ex lapidibus suscitat filios Abrahae[1], vocatque ea quae non sunt tanquam ea quae sunt[2]. Qui ad subijciendam et prosternendam saeculi huius vanitatem, duodecim piscatores elegit, vt patefacta Evangelij luce, tenebrae errorum, vitiorumque omnium, ab animis hominum depulsae, penitus euanescerent. Hac enim ratione, se rerum omnium dominum verissime ostendit, et vt rebus omnibus vim suam largitur atque naturam, ita nomen cuique atque pretium imponit, vt tanti quaeque res sit, quanti eam Deus aestimat. Neque enim Deus, prinicpibus huius saeculi est similis, qui ministros quidem eligunt, sed bonos ministros efficere non possunt. Ipse vero eligit ministros noui testamenti[3], et sua electione idoneos facit, et ad omnia quae vult habiles atque instructos. Quapropter cum effectus diuinae virtutis, et [res][a] tam multas [atque][a] admirabiles videamus in Ignatio, eaeque apertae, expositae, oculisque omnium ita subiectae sint, vt negari non possint (nisi ab eo qui neget solem meridie lucere) et maiora Ignatio dare cogamur: demus etiam illi haec quae minora sunt, intelligamusque omnes illos perfectae vitae radios, ex hac diuinarum illustrationum

a) *Haec suppleta sunt ex edit. ing. 1590.*

[1] Mt 3, 9; Lc 3, 8. [2] Rom 4, 17. [3] 2 Cor 3, 6.

Ribadeneira 1572:

Canisius:

Ribadeneira 1386:

luce, et quasi ex copiosissimo caelestis gratiae fonte, tot riuulos profluxisse. Quas quidem illustrationes partim narrauimus, partim deinceps narraturi sumus.

[L. 2, c. 11, f. 60:] Sacerdotio igitur iam decoratus *etc., ut supra p. 255.*

Pag.[a] 60. addi posset fortasse, ubi et quando primum Missae sacrificium peregerit Jgnatius.

[L. 2, c. 11, f. 68[b]—70[b]:] Nihil additum est.

[L. 2, c. 11, f. 61:] [l. c. f. 60[b]: Accidit autem, cum ad urbem (Romam Ignatius, Faber, Laines) appropinquarent, ut (Ignatius), in templum desertum, et solum ingressus oraret ardentius: ibi mutatum prorsus cor eius est, oculique mentis clarissima luce collustrati, ita sunt, ut perspicue uideret quomodo] Deus pater Deo filio crucem gestanti: Ignatium, sociosque peramanter commendabat, in eiusque dexteram inuictam, et patrocinium tradebat. Quos cum benignissimus IESVS in se recepisset; blando, placidoque uultu, ut erat cum Cruce, ad Ignatium conuersus, Ego, inquit, uobis Romae propitius ero: qua quidem admirabili, diuinaque uisione, mirum in modum recreatus Ignatius, et confirmatus est: Fabroque post orationem, et Laini, quid nobis, inquit, Romae futurum sit, plane ignoro; in Crucem ne Deus nos, an in rotam agi uelit; hoc tamen mihi compertum est, atque exploratum quicunque nos exitus maneat, Iesum Christum nobis fore propitium, remque totam, quam uiderat, socijs patefecit, ut et animum illis, et stimulos adderet. Quo etiam factum

Pag. 61. Ego inquit, uobis Romae propitius ero. Hic reddi puto illud dictum Jo saró con uoi. Jd quod multo plus in se continet ut arbitror, quam quod per nomen propitius explicatur, licet hoc saepius repetatur. Deinde significant uerba sequentia, quod Jgnatius praeclaro illo uiso animatus appellari uoluit societatem Jesv. Fortasse non est opus faterj, hanc uel[b] unicam uel praecipuam Jgnatio causam fuisse huius nuncupationis[c]. Percuperem de hoc nomine plura dicj, ut constet clarius, cur de nomine societatis JESV appellemur. Et ne solum causa referatur ad reuelationem semel factam Jgnatio. Multi sane rogant frequenter de hoc nomine, quibus uix satisfiet in hac operis parte[d]. Quid si adiungatur, quod Jesuitarum nomen, uti plaerique putant, nunquam nobis arrogauerimus, Louanij nostris inditum esse puto.

[L. 2, c. 11, f. 69[a]—70[b]:] Omnia iisdem verbis narrantur, quibus a. 1572 narrata sunt, usque ad verba: Ignatius a reliquis socijs impetrauerit, vt sibi integrum esset, ad arbitrium suum, Societati quod vellet, nomen imponere. Quod omnibus probantibus, et libentissimis fecit. *Deinde vero sic dicitur:* Et tum praeclaro illo viso, tum alijs diuinis illustrationibus multis, magnisque, ita Dominus Iesus eius in mente sacratissimum suum nomen impressit, penitusque infixit, vt eius ex nomine Societati nomen imponeret: tam clara ac firma luce collustratus, et vsque eo pro certo habens id Deum velle, vt ab hac mente se dimoueri numquam posse diceret. Quodque volentibus socijs, ac consentientibus fecit, id repugnantibus ac dissentientibus omnino fecisset, propter diuini luminis claritatem. Itaque Societatem Iesu appellari voluit: vt qui huc vocati fuerint, *etc., ut a. 1572, usque ad finem capitis. Ultimis autem verbis (*semper propitium sperent*) haec adduntur:* Siquidem se veros Societatis filios exhibeant, et patrum suorum imitatores. Quae de

a) *Crux in margine.* b) *Hoc v. ab Eld. supra versum scriptum est.* c) *Hic quoque locus in margine notatus est cruce.* d) *Quae sequuntur, usque ad* esse puto *incl., ipsius Canisii manu in margine addita sunt.*

Ribadeneira 1572:

est, ut cum postea de societate instituenda, inter Ignatium, sociosque constaret; nomen tamen quaereretur, quo insignita, et notata, a Christi Vicario confirmaretur; Ignatius a reliquis socijs impetrauerit, ut sibi integrum esset, ad arbitrium suum, societati quod uellet, nomen imponere; quod omnibus probantibus, et libentissimis fecit: societatemque Iesu, praeclaro illo uidelicet uiso animatus, appellari uoluit: ut qui huc uocati fuerint, non se in Ignatij ordinem aliquem adscriptos; sed in societatem filij Dei Iesu Christi domini nostri, uocatos[1] agnoscant: sub illo summo Imperatore mereant: eius signa sequantur: crucem suam cupide tollant[2], et in auctorem fidei, et consummatorem Iesum aspiciant, qui proposito sibi gaudio, sustinuit crucem, confusione contempta[3]. Et ne defatigentur; animis deficientes[4]; certum illis, atque persuasum sit, ducem suum sibi praesto esse: illum non Ignatio solum, et socijs, ut uidemus hactenus fuisse, sed sibi quoque futurum semper propitium sperent.

Canisius:

Ribadeneira 1586:

admirabili hoc viso, et suauissima atque amabili promissione hactenus dixi, qua Christus Redemptor noster pollicitus est Ignatio, se illi Romae fore propitium, Pater Iacobus Laynez, cum esset Societatis nostrae Praepositus Generalis, et Romae in conuentu quodam omnium nostrum (cui ego quoque interfui) verba faceret, in hunc ipsum modum narrauit, quo a me perscripta sunt. Et ipse Ignatius dum viueret, de hac ipsa caelesti illustratione quaedam interrogatus, quaerite (inquit) ex Iacobo Layne, cui cum gesta res est, vere rem totam fideliterque narraui. Porro in commentario quodam et diario (in quod dum constitutiones scriberet, affectus in oratione suos, et spiritales quasi gustus Ignatius manu sua quotidie referebat) scriptum reperi, talem (inquit) hodie affectum sensi, qualem cum aeternus pater me filio suo commendauit. Atque haec quidem, de clarissima atque diuina illustratione sigillatim explicare volui, et veluti digito fontes, vnde hausta sunt, ostendere, propterea quod eximia sit, et ad spe erigendos filios Ignatij, atque roborandos maxime accommodata. Possem equidem in similibus beneficijs, quae Deus in Ignatium contulit, vt eum erudiret, et caelestium rerum splendore illustraret, quae mea haec historia complectitur, hoc idem praestare, et quos auctores habeam nominatim referre,

---

[1] 1 Cor 1, 9. [2] Mt 16, 24; Mc 8, 34; Lc 9, 23.
[3] Hebr 12, 2. [4] Hebr 12. 3.

Ribadeneira 1572:	*Canisius:*	*Ribadeneira 1586:*
		sed ne longior sim, facere praetermitto.
[L. 2, c. 17, f. 76^a:] [Guidiccionis Cardinalis] ipse societatis institutum Pontifici commendauit: cum enim formula quadam comprehensum, perlegisset, uehementer probauit, et pontificio afflatu spiritum Dei hic esse dixit. *In extremo vero libro, ubi „Errata" corriguntur (f. Eo 2°), notatur, pro* cum enim formula *legendum esse* Pontifex cum formula.	Linea 76[a][1]. Et pontificio afflatu spiritum Dei hic esse dixit.] Satis obscure ut uix ego sententiam assequar[2].	*[L. 2, c. 17, f. 83^b:]* [Guidiccionius Cardinalis] ipse Societatis institutum Pontifici commendauit. Pontifex cum formula quadam comprehensum perlegisset, vehementer probauit, et pontificio afflatu spiritum Dei hic esse dixit.
[L. 3, c. 4, f. 83^b:] [f. 83^a: Magister Alfonsus Salmeron et Magister Paschasius Broetus] Lutetia iter in Italiam suis ipsi pedibus, tenuique pecunia . . . sunt ingressi. Et cum bellum in Hispaniam, Gallia instrueret, quasi speculatores Lugduni intercepti, in uincula conijciuntur.	Pag. 83. B. Quasi speculatores Lugduni intercepti]. Vsitatius diceretur[b] exploratores.	*[L. 3, c. 4, f. 117^b:] Nihil immutatum est.*
[L. 3, c. 4, f. 83^b—84^a:] Faber cum D. Ortizio in Hispaniam hoc ipso anno 1541 est profectus: in cuius locum Nicolaus Bobadilla, professione aedita, in Germaniam, Pont. Max. iussu, missus est. Et ut ex ijs, quae diximus, perspici potest *etc.*	Linea[c] 84[3]. Plura dici possent de P. Bobadilla, ut sic legeretur · missus est] ac multis deinde annis apud Germanos ita uersatus, ut pace belloque labores ingentes nec leuia pericula exantlarit, ac pro catholica quidem religione gnauiter[d] praesertim in Comitijs Jmperij crebro[e] decertauit[4]. Jgitur ex his quae diximus, perspici potest etc.	*[L. 3, c. 4, f. 117^b ad 118^a:] Nihil additum est.*

a) *Vide infra, adnot. 1.* b) *Sequitur* deser, *oblitt.* c) *Cf. infra, adnot. 3.* d) *Sequitur* decerta, *oblitt.* e) *Hoc v. ipsius Can. manu supra versum scriptum est.*

[1] Sic; sed ex iis, quae sequuntur, facile patet, Canisium scribi voluisse „Pagina 76"; fortasse addere volebat „linea 26".

[2] Canisius emendationem illam in extremo libro positam non vidit.

[3] Sic; sed Canisius, puto, scribi volebat: „Pagina 84. linea prima".

[4] Bobadilla interfuit comitiis imperii, quae habita sunt Spirae 1542 et 1544, Norimbergae 1542 et 1543, Vormatiae 1545, Ratisbonae 1546, Augustae Vindelicorum 1547—1548 (*Bobadillae* Monumenta 620—623).

Ribadeneira 1572:

[L. 3, c. 5, f. 86ª:] Ex quo intelligimus, Collegiorum, quae in uniuersa Societate constituta hactenus sunt, primum omnium tenere locum Conimbricense, Regis Lusitaniae munificentia, iam tum informatum, postea uero etiam perfectum.

[L. 3, c. 9, f. 92ᵇ:] Ad quae illud etiam deinceps a Iulio III. et Paulo IIII. praeclare additum est, ut singulae Italiae Iudaeorum Synagogae, certam pecuniae summam.... Cathecumemorum domui quotannis impendant.

[L. 3, c. 11, f. 97:] [f. 96ᵇ ad 97ª: Magister Petrus Faber..: Lutetiam Parisiorum, undeuigesimum annum agens, profectus est; ... in Ignatium incidit... a quo ... ad eius uitae cursum, quem postea socij omnes sunt ingressi, primus adductus est. Confectis studijs, in Italiam, dux reliquorum, uenit.] Roma deinde, Parmam primum, tum in Germaniam a Summo Pontifice [1] missus est: postea etiam cum D. Ortizio in Hispaniam, haud ita multo post reuocatus iterum est in Germaniam. Qua in prouincia insigni doctrina, ui-

Canisius:

Pag.[a] 86. Tunc inchoatum, postea uero etiam perfectum.] Jnchoatum enim lege[b] pro informatum.

Pag.[c] 92. B. Vt singulae in Jtalia Judaeorum Synagogae.] Sic mallem legere quam [Italiae][d] Judaeorum.

Fol. 97. de Petro Fabro plura dici et addi possent. Mihi quidem haec ueniunt in mentem[e], ex quibus nonnulla subijci possent post illa uerba, Mirifice sibi obligauit.] Pergratus ille fuit Alberto Cardinali Moguntino [2], apud quem diu haesit, psalmos interim Dauidicos[f] in schola Theologica Moguntiae interpretatus: gratus Otthoni Cardinali Augustano [3], Episcopo Spirensi [4], multisque magnatibus. Aliquoties cum Bucero [5] et

Ribadeneira 1586:

[L. 3, c. 4, f. 119ᵇ—120ª:] *Nihil immutatum est.*

[L. 3, c. 9, f. 127ª] *Nihil immutatum est.*

[L. 3, c. 11, f. 131ᵇ sq. *f. 131ª⁻ᵇ*:] Magister Petrus Faber *usque ad* mirifice sibi obligauit, *sicut 1572; sequitur:*] Pergratus ille fuit Alberto Cardinali Maguntino, apud quem diutius habitauit, Psalmosque Dauidicos in schola Theologica Maguntiae est interpretatus. Gratus Othoni Cardinali Augustano, Episcopo tunc Spirensi [6], multisque magnatibus, principibusque Catholicis. Haereticorum furorem vehementer repressit, ac cum illorum antesignanis et magistris in primisque cum Bucero saepenumero est congres-

a) *Crux in margine.* b) *Sic in archet. corr. est ex* legatur. c) *Crux in margine.* d) *Hoc v. supplendum esse intellegitur ex ipso Ribadeneirae libro.* e) *Tria vv. sqq. ab ipso Can. scripta sunt pro* quae, *quod Eld. scripserat.* f) *Tria vv. sqq. a C. supra versum scripta sunt.*

---

[1] Paulo III. [2] Cardinali Alberto Brandenburgensi, archiepiscopo moguntino, principi electori imperii.

[3] Otto Truchsess de Waldburg anno 1542, quo a Fabro exercitiis sacris excultus est, decanus cathedralis ecclesiae tridentinae, canonicus cantor cathedralis ecclesiae spirensis, canonicus cathedralis ecclesiae augustanae erat; deinde a. 1543 episcopus princepsque augustanus et a. 1544 cardinalis effectus est.

[4] Philippo de Flersheim.

[5] Martinus Bucerus, monachus ille apostata, cuius opera Hermannus a Weda protestantismum in archiepiscopatum suum coloniensem inducere conabatur, m. Decembri anni 1542 Bonnae in ecclesia maiore contionari coepit; v. *Can.* I 148 [7].

[6] Hic Canisii verba Ribadeneira haud recte interpretatus est; neque enim umquam Otto Truchsess fuit episcopus spirensis; v. supra, p. 261 [3].

Ribadeneira 1572:

tae grauitate, atque prudentia, catholicorum Principum animos, mirifice sibi obligauit. Haereticorum furorem repressit, et nostrae Societatis bonum odorem ubique sparsit: eique in nobilissimam illam, et religiosissimam olim prouinciam, uiam aperuit, in qua ipse s e m i n a u i t c u m l a c r y m i s, quae posteri c u m e x u l t a t i o n e m e t e r e n t[1]. Eius exemplo permoti monachi Carthusiani, in publico conuentu Coloniae uniuersam nostram Societatem, omnium bonorum operum, meritorumque suorum fecere participem. In Belgio deinceps, Lusitania, Castella, Hispania tota, omnibus, quibus cum uixit, uenerationi fuit. *etc.*

Canisius:

haereticis alijs congredi non dubitauit, et quam ipse fidem profiteretur, illis etiam potuit comprobare. Pro haeresiarchis, utpote Caluino, Luthero, Philippo[2] et similibus singularem orandi spiritum illi Dominus impertiebat, sicut et pro tota Germania, quam tum restituendam esse[a] sentiebat atque praedicabat cum[b] quorundam bonorum sanguine primum[c] ira Domini placaretur. Ex Germanis primum Societati lucrifecit Moguntiae Petrum Canisium, qui[d] fama eius excitatus ad uidendum illum Colonia ultro[e] fuerat profectus, Sed et hospitem suum apud quem Moguntiae morabatur, Carthusianum effecit. Cum Coloniam peruenisset, multas saepe conciones Latinas[f] habuit, non solum in monasterijs, sed etiam coram Academia, easque mira pietate conditas. Amabat et reuerebatur locum Sacrum, qui apud Colonienses extat (Auream cameram uocant.) in templo Sanctae Vrsulae, ubi sicut et Moguntiae inter sacrificandum, sacris de rebus

Ribadeneira 1586:

sus, tam acriter ac fortiter vt (nisi illi obduruissent) fidem, quam ipse profitebatur, facile illis probare potuisset[3]. Admirabilem pro Haeresiarchis, totaque Germania orandi spiritum a Domino acceperat: sentiebatque, ac vero aperte etiam praedicabat Catholicam religionem suae integritati. atque pristino splendori tum demum restituendam, cum quorundam bonorum sanguine, Dei ira primum esset placata. Ex Germanis, Petrum Canisium hominis fama excitatum, atque ipsum videndi desiderio Maguntiam Colonia profectum Christo lucrefecit, Societatique primum adiunxit. Hospitem suum Maguntinum Carthusianum effecit. Coloniae multas saepe conciones Latinas habuit, non solum in sacrorum hominum conuentibus, sed etiam in tota Academia, easque mira, et graui pietate conditas. In templo vero D. Vrsulae, locum sacrum (quem verissime auream cameram vocant) beatissimarnm Virginum ossibus, atque reliquijs refertissimum, ac caelestem quendam odorem spirantem, humi abiectus diu, multumque venerabatur. Vbi inter sacrificandum, sicut alias saepe, illustres diuinis de rebus cognitiones accepit. Infracto semper pectore per-

a) *Sic C. sua manu correxit ex* offenso Deo placatum iri, *quae ab Eld. scripta erant.* b) *Hoc v. ab E. supra versum scriptum est.* c) *Hoc v. a C. in margine additum est.* d) *Tria vv. sqq. ab ipso C. supra versum scripta sunt.* e) *Hoc v. ab ipso C. supra versum scriptum est.* f) *Hoc v. ab ipso C. supra versum scriptum est.*

[1] Ps 125, 5. [2] Melanchthone.

[3] Haec, quod ad rei quidem summam attinet, cum Canisii narratione congruunt; attamen tum de „congressionum“ illarum numero, tum de earum ratione plus dixit Ribadeneira, quam ex Canisio acceperat.

Ribadeneira 1572:

Canisius:

illustres cognitiones accepit, quas aliquando nostris patefecit. E nostris[a] Canisium et Leonardum Kessel cum paucis alijs ut illic una morarentur, primus ipse designauit[b], qui post Patris huius discessum, uarijs ueluti fluctibus[c] et procellis agitati sunt[d], priusquam fructus qui postea consecutus est multiplex[e] appareret. Ac erat Fabro mira quaedam in precando sedulitas, praesertim cum in Germania uersaretur, ubi[f] sollicite commendauit Deo tum generatim[g] tum in specie Germanorum incolumitatem. Jam[h] regionis et oppidi in quo uersaretur, nomine gratias agebat pro acceptis[i] diuinis beneficijs: iam pro peccatis inhabitantium caelestem misericordiam implorabat: jam spiritualem simul et temporalem benedictionem praesenti clero et populo exoptabat. Jnfracto semper pectore minas et calumnias quorumlibet obstrepentium excipiebat[k], cum didicisset g a u d e r e, si p r o J e s u n o m i n e c o n t u m e l i a m p a t e r e t u r[1 l]. Verum ex his excerpantur, quae magis

Ribadeneira 1586:

uersorum hominum calumnias, furiosorum minas, obstrepentium maledicta contempsit: denique nostrae Societatis bonum odorem vbique sparsit: eique *etc., ut 1572.*

a) *Ita in arch. correctum est ex* Primos e nostris. b) *Sic C. ipse correxit ex* author fuit, *quod E. scripserat.* c) *Sic corrigendum esse ex* fructibus, *quod E. scripsit, ostendit tota haec oratio.* d) *Sic C. ipse correxit ex* exponi coeperunt, *quod E. scripserat.* e) *Hoc v. a C. supra versum scriptum est* f) *Sic C. ipse correxit ex* ac. g) *Ita E. correxit ex* tum in genere, *quod primum scripserat.* h) *Sequitur* pro, *oblitt.* i) *Hoc v. a C. ipso supra versum scriptum est.* k) *Verba sqq., usque ad* pateretur *incl., ab ipso C. addita sunt.* l) *Sequuntur vv.* Folio .97., *oblitt.*

[1] Act 5, 41.

Ribadeneira 1572:	*Canisius:*	*Ribadeneira 1586:*
	ad rem facere uidebuntur.	
[L. 2, c. 16, f. 72^{b}:] Lutetiae Parisiorum Doctorem quendam Theologum, Iacobum Goueanum nomine, fuisse diximus . . . Is . . . scripsit ad Ignatium, magnum ostium in orientis India apertum esse[1] *etc.*	Pag.[a] 72. B. Mirum uideri potest, unde Gouianus ad Jgnatium scripserit de iuuandis rebus Jndicis. Credo eum[b] ex Portugalia scripsisse, non[c] Lutecia, qua de re posset aliquid adiungi[d] ad scrupulum lectori eximendum.	*[L. 2, c. 16, f. 80^{a}:] Nihil adiunctum est.*
[L. 4, c. 4, f. 137^{b}:] [f. 137^{a}: Ab Archiepiscopo Toletano Ioanne Siliceo, persecutio in nostros est excitata. Hic . . .] Compluti . . , ubi solum in eius dioecesi, tunc commorabantur, publicis edictis populo a nostris Sacramenta percipere prohibuit: qui secus facerent, his sacris interdicit: neque ut sententiam mutaret, adduci prius potuit, quam Archiepiscopi factum contra Summi Pontificis auctoritatem (de cuius uoluntate diplomatis ipsis Pontificijs[2] constabat) esse iudicans, Regium Consilium nostrum nobis institutum, uoluit liberum esse: et Pontifex ipse Maximus Iulius III. certior de re factus ab Ignatio, grauiter ad Archiepiscopum scripsit *etc.*	Pag. 137. B. obscura sunt prorsus illa uerba, de cuius uoluntate diplomatis etc. et quae sequuntur[e].	*[L. 4, c. 4, f. 229:] Nihil immutatum est, nisi quod pro „persecutio" posita est „procella", et pro „populo" dictum est „populum".*
[L. 3, c. 18, f. 114^{b}:] In Germania praeterea coe-	Pag. 1. 14[f]. B. Non satis explicatur initium	[L. 3, c. 18, f. 153^{a} ad 154^{a}:] In Germania *usque*

a) *Crux in margine.* b) *Sic C. sua manu correxit ex* Credo autem. c) *Sequitur* ex, *oblitt.* d) *Quatuor vv. sqq. ipsius C. manu addita sunt.* e) *Crux in margine iuxta verba* et quae sequuntur *posita.* f) *In arch. corr. ex* 1. 39 *vel simili numero.*

---

[1] 1 Cor 16, 9; 2 Cor 2, 12.

[2] Diplomata sive litteras apostolicas dicit a Paulo III. Roma 3. Iunii 1545 et 18. Octobris 1549 et a Iulio III. 21. Iulii 1550 datas, per quas Sociis facultas tribuebatur et confirmabatur omnium fidelium ad se accedentium confessiones audiendi et fidelibus eucharistiam et alia sacramenta ministrandi, „dioecesanorum locorum, rectorum parochialium et aliarum ecclesiarum aut quorumvis aliorum licentia desuper minime requisita" etc. (*Litterae Apostolicae*, quibus institutio, confirmatio, et varia Priuilegia continentur Societatis Iesu, Antverpiae 1635, 25 26 48—49 69). Ceterum v. *Astrain* l. c. I 341—365.

Ribadeneira 1572:

perunt nostri, maiori cum utilitate uersari. Nam Gulielmus [1] Bauariae Dux clarissimus, auitaeque, et Catholicae religionis in Germania praesidium, et ornamentum, nostros accersiuit, ut Ingolstadij sacras litteras profiterentur. Missique ad Ducem sunt ab Ignatio, Alfonsus Salmeron, Petrus Canisius, Claudius Iaius, qui in illa Academia aliquot annis antea docuerat, et magna fuerat cum laude uersatus: quorum opera, ac labore Ingolstadiense Collegium deinceps est constitutum.

Canisius:

Collegij Jngolstadiensis [a], quod post annos tres aut quatuor petente Alberto [b] [2] esse coepit. Missi quidem illuc primum [c] fuere tres e nostris qui nominantur sed qui [d] omnes reuocati fuere, ut per illos nullum fuerit initium Collegij constitutum. Quare in fine capitis ego sic legerem. Hi ad tempus Jngolstadij partim in schola Theologiam sunt publice professi, partim in templo concionati, ut et Principis et Academiae [e] multorumque animos ad initium Collegij constituendum, quod postea [f] sub Alberto Principe consecutum est, magnopere sibi deuincirent. Et Claudius quidem inde Viennam, ut postea dicemus, a Rege Ferdinando postulatus discessit.

Ribadeneira 1586:

ad magna fuerat cum laude versatus, *sicut 1572. Sequitur:* Hos Patres Gulielmus Dux peramanter complexus est, ac supremo suo Cancellario Ioanni Ekio viro nostri cupidissimo studiose commendauit. Itaque Alfonsus Diui Pauli Epistolas, Claudius Psalmos Dauidis explicare aggressus est, Canisius Magistrum sententiarum [3], vnusquisque erudite, et grauiter, magnaque hominum admiratione, suo fungebatur munere. Quo ex tempore Academia illa reuirescere ac celebrior esse coepit, et Theologiae studia, quae haereticorum impetu conuulsa atque prostrata iacebant, excitata sunt. Vicini Episcopi spe erecti, Catholici animati, furor haeticorum compressus, multa passim in Dei laudem effecta. Quibus Gulielmus commotus, Collegium Societati aedificare constituit, sed morte interceptus, quod praeclare cogitauerat non perfecit. Et Alberto filio pietate, prudentia, animi magnitudine sui quam simillimo, rem integram reliquit, Qui optimi patris vestigijs insistens, Catholicae religioni acerrimum se se in Germania propugnatorem semper praebuit. Et quanuis sui principatus initio, grauissimis districtus negotijs, in longum Collegij fundationem distulit (ex quo Alfonsus Salmeron in Italiam redijt, Claudius Viennam profectus est, Canisius cum Nicolao Gau-

a) Quae *sequuntur, usque ad* coepit *incl., ab ipso C. in margine addita sunt.* b) *Sequitur v. a C. oblitteratum, quod iam legi non potest.* c) *Hoc v. a C. supra versum scriptum est.* d) *Sequitur* in pro, *oblitt.* e) *Sequitur* animos, *oblitt.* f) *Tria vv. sqq. ab E. supra versum scripta sunt.*

[1] Guilielmus IV. [2] Alberto V. [3] Petrum Lombardum.

Ribadeneira 1572:

[L. 4, c. 5, f. 139:] Ferdinandus Romanorum Rex, ut Viennensis academiae studia instauraret, et haereticorum passim grassantium, furorem compesceret, Claudium Iaium ad se accersiuit, et aliquot Theologiae professores, ab Ignatio postulauit: qui Viennam eodem 1551 profecti, apud Dominicanos sunt in seposita Monasterij parte diuersati: postea uero, ne religiosis patribus impedimento essent, in Carmelitarum Coenobium relictum, ac ruinosum, Praefectis eius ordinis libentissimis, commigrarunt. In hoc Collegio anno 1552. 6. Augusti, ipso dominicae transfigurationis die, P. Claudius Iaius Ignatij socius, unus ex primis decem, natione Allobrox, excessit e uita. Vir de Christiana religione, optime meritus, quam in Italia, Bauaria, Sueuia, Austria, Germania tota, magnis suis laboribus amplificare non destitit. Fuit mitissimo praeditus ingenio, et naturae iucunditate quadam, religiosa grauitate condita: paupertatis amore insignis: orandi assiduitate excellens: temporis parcus, et tenax:

Canisius:

Pag. 1. 39. Plura hic possent adiungi de principio Collegij Viennensis. Claudius Jaius Viennam uenit ab Jngolstadio reuocatus, et a Ferdinando Rege postulatus. Missi praeterea ex Vrbe D. Nicolaus Lanoyus, Johannes Victoria pluresque alij. Praeterea ex Jngolstadio uocati accesserunt D. Petrus Canisius et D. Nicolaus Goudanus, qui simul et in Schola Theologiam professj, et postea populo Viennae sunt concionati. Magnam huic collegio fundando dederunt operam Vrbanus Episcopus Labacensis et D. Jonas Vice Cancellarius [1], ut qui apud Regem Romanorum tunc ualerent plurimum. Et qui de nostris bene mereri studuerunt. Primum Collegij habitatio nostri apud Dominicanos, Postea uero in Carmelitarum monasterio contigit, sicut recte docet eadem pagina. Sed plura dici possent de P. Claudio quemadmodum obiter sub-

Ribadeneira 1586:

dano Ingolstadij ad tempus remansit), postea tamen, ita hanc moram diligentia, et praeclara beneficentia compensauit, vt non solum Ingolstadij nostros, sed etiam Monachij apud se habere voluerit, et in domicilio certo collocauerit.

[L. 4, c. 5, f. 231:] Ferdinandus *etc., sicut 1572. Post verba autem* magnis suis laboribus amplificare non destitit *haec sunt addita:* In comitijs potissimum Augustanis peregregiam Catholicae Religioni atque Societati nauauit operam, tanta hominum approbatione, vt praeteritorum laborum pro Germaniae salute susceptorum fructus haud poenitendos collegisse videretur. Nomen, originem, progressum Societatis et institutum sic explicauit, et Germanorum animis infixit, vt autoritatem nostris et fidem conciliauerit. Jnuitatus est a Saxoniae Ducis [2] Oratoribus, vt in Saxoniam sese conferret, ac de religione cum eorum magistris disceptaret, sed a Ferdinando Romanorum Rege ad Collegium Viennae constituendum (vt diximus) euocatus profectionem illam distulit. Fuit vir mitissimo *etc., sicut 1572, praeterquam, quod ultimis illis verbis* effugere se posse diffideret *haec adiuncta sunt:* sed illo metu liberatus, ad pristinam redijt iucunditatem.

---

[1] Urbanus Textor (Weber) episcopus labacensis (Labacum, Laibach) et Iacobus Jonas consilii aulici Ferdinandi I vicecancellarius.

[2] Mauritium Saxoniae principem electorem significat. Quae de Societatis nomine et origine etc. explicatis et de Iaio a Saxonibus invitato dicuntur, exscripta sunt ex litteris quadrimestribus Ingolstadio 30. Aprilis 1551 a *Canisio* datis (*Can.* I 359).

Ribadeneira 1572:	*Canisius:*	*Ribadeneira 1586:*
animi modestia, atque humilitate eximius: Tergestinum[1] Episcopatum tam grauiter firmiterque repudiauit, ut multos dies in continuo pene luctu iaceret, quod illum effugere se posse diffideret.	ijciam. Js primum in Germanicis Comitijs bonam et utilem saepe Ecclesiae operam nauauit[2]; et apud Magnates quidem ualuit plurimum, multisque annis Otthonem Cardinalem et Episcopum Augustanum est comitatus. Js Wormatiae coram Rege Romanorum cum frequens esset conuentus Jmperij, magna cum laude fuit Jtalice concionatus. Js Ratisponae cum Archiepiscopo Armacano[a] caeco[b][3] sacras litteras professus est, et hinc ab haereticis iussus Ciuitatem exire. Is praeclare se gessit in Synodo[c] Tridentina perquam familiaris tum Christophoro[4] Cardinali Tridentino, tum alijs multis Episcopis atque magnatibus, sicut etiam in Germania ob raram modestiam et singularem pietatem magnam sibi gratiam comparauit apud Ferdinandum Regem et utrumque Bauariae Ducem Guilielmum et Albertum[5], Mauritium[6] Episcopum Eistettensem[d]. Js denique tertiana febre correptus,	

a) *In archet. versui, qui incipit:* laude *et terminatur:* Armacano. *crux in margine apposita est.* b) *Sequitur* qui, *oblitt.* c) *Sequitur* Florentina, *oblitt.* d) *Sic C. ipse scripsit pro* Eichstettensem, *quod E. scripserat.*

---

[1] Tergeste, Trieste, Triest, urbs regni italici.

[2] Maxime in comitiis imperii Vormatiae 1545 et Augustae Vindelicorum 1550 habitis et in synodo provinciali Salisburgi a. 1544 habita.

[3] Roberto Vauchop sive Wauchop archiepiscopo armachano (Armagh).

[4] Madrutio. [5] Guilielmum IV. et Albertum V.

[6] Ab Hutten. De Iaio cf. librum „Epistolae PP. *Pashasii Broeti, Claudii Jaji, Ioannis Codurii* et *Simonis Rodericii*", Matriti 1903, 270—403; *Can.* I 120 159 332 343 359—360 406; *Duhr,* Jes. I 16—24.

Ribadeneira 1572:	*Canisius:*	*Ribadeneira 1586:*
	cum de morte imminenti[a] suos praemonuisset, Viennae diem clausit extremum ipso dominicae transfigurationis die, et[b] magnum certe sui desiderium tum Regi, tum bonis omnibus reliquit, quod omnium fere animos sibi conciliatos haberet .	
[L. 4, c. 6, f. 141^b:] [L. 4, c. 6, f. 139^b: Collegij Germanici instituendi initium, et caussae] Mortuo tamen Iulio III. in eo bello, quod ad urbem postea gestum est[1], cum uideret propter annonae caritatem, bellicosque tumultus, Collegium periclitari *etc.*	1. 41.[d] B. folio. Mortuo tamen Julio Tertio.] Ambiguus videtur sensus cum bellum ad Paulum quartum sit referendum, nec opus sit hic Julij tertij meminisse, nisi fortassis ad odium Pauli Pontificis imminuendum.	*[L. 4, c. 6, f. 133^b:] Nihil immutatum est, praeterquam quod ad verbum „videret" verbum „Ignatius" et ad „Collegium" additum est „Germanicum".*
[L. 4, c. 11, f. 155^a:] [L. 4, c. 11, f. 154^a: Sorbonensis Collegij in Societatem Decretum. Cap. XI.] Quo decreto facto, magnis fluctibus Lutetiae[2], et turbulentis, iactati sunt nostri. Nam recenti negotio[3], a scholasticis in gymnasijs, a Monachis in concionibus, a populo in circulis concidebantur, *etc.*	Pag. 1. 55. Nam recenti negotio etc. Clarius hunc sensum exprimi posse puto alijs uerbis.	*[L. 4, c. 11, f. 248^a:] Nihil immutatum est.*
[L. 4, c. 15, f. 164^b—165^a:] Pragae (quae urbs totius Bohemiae Regia est) Ferdinandus Romanorum Rex, Viennensis collegij fructu permotus, Collegium nostris constituit: ut Hussitas, Viccleffistas, et alios Haereticos, qui Regnum Bohemiae depopulantur, suis laboribus propulsarent, et Societatis	Pag. 1. 64. B.[e] Hic optarim adiungi plura de initio Collegij Pragensis ad[f] quod[g] cum primum ego necessaria praeparassem, Ex Vrbe primi missi fuere Rector Vrsmarus[4], D. Henricus Blissemius et alij quibus habitatio contigit in mo-	*[L. 4, c. 15, f. 258^b:] Nihil est neque adiunctum neque immutatum, nisi quod pro „per Germaniam, Praepositum Prouincialem" dictum est „in Germania Praepositum Prouincialem."*

a) *Sequitur* alio, *oblitt.* b) *Sic C. scripsit pro* qui, *quod E. scripserat.* c) *Postremae huic sententiae in margine crux apposita est.* d) *In archet. corr. ex* 1. 42. e) *Crux in margine.* f) *Hoc v. supra versum scriptum est.* g) *C. in margine v.* iactis *primum scripsit, dein oblitteravit. Proxima quoque 5 vv. ab ipso C. addita sunt.*

¹ Bellum significatur, quod Paulus IV. a. 1556 Philippo II. non sine magna urbis romanae perturbatione et pontificiae auctoritatis imminutione fecit.

² De decreto a facultate theologiae parisiensi a. 1555 contra Societatem facto cf. *Can.* V 607 ¹ et *Fouqueray* l. c. I 207—213.

³ Recenti negotio = statim, ilico, in re praesenti.

⁴ Goissonius.

Ribadeneira 1568:	*Canisius:*	*Ribadeneira 1572:*
exercitijs, ad catholicae fidei ueritatem conuerterent. Eius Collegij fundamenta posuit, Petrus Canisius, quem Ignatius per Germaniam, Praepositum Prouincialem instituit.	nasterio Diuj Clementis ultro [b] cedentibus iuri et monasterio suo dominicanis [c], et in aliud Pragense monasterium immigrantibus. Ex quo Collegio magnus deinde fructus [d] est consequutus.	
[L. 4, c. 16, f. 116ᵃ:] Ignatius . . . Ioanni Polanco . . . ad se uocato, ac nihil minus suspicanti, solus soli: instare ex hac uita ait, suae migrationis diem. Ei mandat, uti Pontificem Maximum [1] conueniat: benedictionem ab ipso, et peccatorum indulgentiam petat, qua confirmatior ex hac uita, laetiorque discedat. Se, si ut sperat, Domini misericordia, in montem sanctum eius [2] uenerit, non commissurum, ut eam curam Deum pro Pontifice deprecandi, intermittat, quam in carne positus, et de se ipso sollicitus, diligenter, sancteque coluerit.	Pag. 166. Diligenter sancteque coluerit.| Non decet fortasse hoc Jgnatio tribui, ne [e] praeter morem modestiae seipsum commendare uideatur [f].	*[L. 4, c. 16, f. 259ᵇ ad 260ᵃ:] Nil est immutatum, praeterquam quod post „solus soli" additum est „maxima animi tranquillitate."*
[L. 5, c. 10, f. 199:] Simplicem hominem, et spiritu Dei atque amore plenum, [Ignatius] magis diligebat, quam eruditum, minusque perfectum. Huic tamen reliquisque, qui uel naturae, uel fortunae muneribus [a] antecellerent, maiorem curam adhibebat, propter eam, quae ab illis in multos redundare potest utilitas.	Folio 199. B. redundare potest utilitatem.] Sic ego legerem, Et non utilitas.	*[L. 5, c. 10, f. 316ᵇ ad 317ᵃ:] Nihil immutatum est.*
	Postremo meliorem distinctionem in toto fere opere desiderarem. Non	*Editio quidem anni 1586 eosdem habet „libros" eosque fere per eadem „capita"*

a) munerihus *typogr.* b) *Hoc v. ab ipso C. supra versum scriptum est.* c) *Sex vv. sqq. ab ipso C. in margine addita sunt.* d) *Sequuntur vv.* ut res ipsa docet, *oblitt.* e) *Sic in arch. corr. est ex* ut. f) *Sic C. ipse correxit ex* seipsum ita ita commendet, *quae E. scripserat.* g) *In archet. hic non incipit novus versus, sed continuatur adnotatio proxime antecedens* („Folio 199" *etc.*).

[1] Paulum IV. [2] Ps 3, 5; 14, 1 etc.

Ribadeneira 1572:

Canisius:

attingo minutila[a?] quaedam, quae fortasse eleganter sed parum usitate dicuntur ut hilare pro hilariter, dissipant pro spargunt, Et quae sunt eius generis plura. Jn quibus mihi nolo sumere iudicium, sed libenter cedo doctiori. Haec e multis obiter excerpsisse sit satis. Quem laborem, ut Lector boni consulat precor. Alij proculdubio alia et fortasse maiora in censendo adferent. Opus per se commendari satis non[b] posse uidetur. Quod utinam ad hoc usque tempus producatur, ut sic nostrae societatis hystoriam integre conscriptam habeamus. Deo sit omnis gloria.

Ribadeneira 1586:

distinctos; attamen addita sunt libro II. capita 2, III. capita 4, IV. unum, et historia Societatis, saltem quod attinet ad res a Sociis in India orientali, Iaponia, America meridionali, Florida, Anglia etc. gestas et beneficia a Sede Apostolica in Socios collata (ut approbationem instituti a Gregorio XIII. factam et dotationem collegii germanici) et similia, fere usque ad tempus, quo Ribadeneira novam hanc editionem parabat, perducitur.

Ex iis, quae modo posita sunt, haec videntur colligi posse: 1. Canisius Ribadeneirae vitam ignatianam recognovit non ut haec erat manu scripta preloque primo parata (*Böhmer* l. c. 329), sed ut erat primum a. 1572 typis exscripta. 2. Ribadeneira, quicquid Canisius ei proposuerat ad latinam dictionem perpoliendam, sibi neglegendum esse ratus est. 3. Idem is egit de aliis aliquot Canisii censuris, quae ad res quasdam vel addendas vel plenius explicandas spectabant; „multa," inquit *Ribadeneira* in editionis novae praefatione priore, „reliqui et pressi, ne prolixus forte ac molestus essem" (l c. f 5[b]). 4. Verumtamen Canisii desideriis ille satisfecit — ut alia omittam — in duobus magni momenti capitibus: Ad ea, quae de Ignatii „illustrationibus" narraverat, commentarium adiunxit copiosum, quo adversariorum refutandorum et maioris sibi fidei conciliandae causa haec demonstrabat: A fictis falsisque illuminationibus et revelationibus distinguendas esse veras; has in ecclesia catholica exstare; has Ignatio quoque datas esse divinitus; neque enim vel naturae viribus vel propriae industriae artibus, sed solis caelestibus ac singularibus Dei donis fieri potuisse, ut ille Societatem Iesu institueret et late propagaret. Eiusdem generis est, quod Ribadeneira non solum visum illud, quo Ignatius se suosque a Deo Patre Filii crucem portantis tutelae commendari intellexerat, variis testimoniis confirmavit, sed etiam, sicut Canisius ei suaserat, planis verbis monuit, Ignatium non solo illo viso, sed etiam „aliis divinis illustrationibus multis magnisque" ad nomen Societatis Iesu sodalitati suae imponendum adductum esse. Deinde Ribadeneira rerum, quas de Beato Petro Fabro in Germania versato Canisius cum eo communicaverat, magnam partem in novam suam editionem transtulit, alias ad verbum, alias paene ad verbum ex Canisii „nota" illa exprimendo. 5. In eadem Canisii relatione potissimum memoranda sunt verba illa: Faber „aliquoties cum Bucero et haereticis alijs congredi non dubitauit, et quam ipse fidem profiteretur" etc.; haec enim fortasse ad contro-

a) *Sic; volebatne scribere* minutalia *vel* minutula? b) *Hoc v. a C. supra versum scriptum est.*

versiam quandam recentem dirimendam valde utilia esse possunt. Somniasse aut tantum non mentitus esse videri poterat (praeter Ribadeneiram) etiam *Nicolaus Orlandinus* S. J. (Historiae Societatis Iesu prima Pars, Romae 1615, l. 4, n. 90; quem deinde secuti sunt alii, ut *Reiffenberg* l. c. 21 et *G. Boero* S. J., Vita del Beato Pietro Fabro, Roma 1873, 144), cum Bucerum, Melanchthonem, alios protestantium magistros a Fabro ad certamen provocatos et eorum rationes ab eo refutatas esse scripsit (*J. Hansen*, Die erste Niederlassung der Jesuiten in Köln 1542—1547. Zugleich ein Beitrag zur Kritik der Litteratur des Ordens, in „Beiträge zur Geschichte vornehmlich Kölns und der Rheinlande", Köln 1895, 168—184; *Eberh. Gothein*, Ignatius von Loyola und die Gegenreformation, Halle 1895, 674): sed iam apparet, Ribadeneiram et Orlandinum modum quidem — id quod sane improbandum est — rei gestae non servare, neque tamen ipsas illas congressiones sive disputationes comminisci. 6. Dignae quoque notatu sunt laudes a Canisio tributae virtuti P. Claudii Iaii, quem ille optime noverat, atque etiam magis illae, quibus P. Nicolai Bobadillae „ingentes" apud Germanos labores et „gnava" certamina ornavit; his enim ex parte deleri potest macula, qua Bobadilla ultimis, quibus in Germania fuit, diebus nominis sui memoriam, immodestius legem illam „Interim" impugnando, aspersit (cf. *Duhr*, Jes. I, 31—32). 7. Quicquid in Ribadeneirae libro sive recte desideratur ac reprehenditur ab iis, qui integre incorrupteque iudicant, sive perperam vituperatur ab iis qui vel caeco Societatis Iesu odio flagrant vel ea, quae supra naturam sunt, parum sapiunt neque excelsas illas rationes, quibus Deus in ecclesia catholica nonnullos ad culmen sanctitatis perducit miraculisque illustrat, satis assequuntur: eo ipso, quod Canisius ab ipso Ignatio aliquamdiu ad pietatem institutus et multis, qui Ignatio familiares fuerant, consuetudine coniunctus in Ribadeneirae vita ignatiana nullum paene errorem historicum notavit et eandem valde commendavit, haud exigua additur auctoritas huic operi[1], quod et olim Ludovicus Granatensis, insigne ordinis Praedicatorum decus, plurimi fecit (*J.-M. Prat* S. J., Histoire du Père Ribadeneyra, Paris 1862, 491—493), et nuper *Antonius Astrain* S. J. dixit esse „una obra magistral, porque nos declara bien el espíritu de uno de los mayores santos que han honrado la Iglesia de Dios" (l. c. IV, 93).

1913. P. IOANNES HASIUS S. J. CANISIO.

Colonia etc. a. 1574—1577.

Ex Hasii ad Raderum litteris autographis, quae exstant Monachii in bibliotheca nationali Cod. lat. 1611 n. 100.

De „Opere catechistico".

P. Ioannes Hasius S. J. (de quo v. Can. V 661—662) Embrica (Emmerich) a. 1614 (die incerto) P. Matthaeo Radero S. J. Canisii biographo scripsit: Cum Canisius hieme a. 1565—1566 per breve tempus in collegio Societatis coloniensi moraretur, „primo cum optimo Patre notitiam contraxi, post mittendis, et accipiendis litteris frequenter confirmatam[a], idque occasione operis Catechistici a Petro Busaeo p. m. primo editi[b] sed post mutato ordine ad vtriusque instantiam recusi[c] non semel."

„Authoritatum" S. Scripturae et SS. Patrum, quibus P. Busaeus a. 1569—1570 Coloniae Canisii „Summam doctrinae christianae" illustraverat, editio nova Coloniae

a) confirmata *autogr.* b) edito *aut.* c) recuso *aut.*

[1] Quantum studium Ribadeneira in Vita Ignatii scribenda atque expolienda collocarit, ostendit etiam *E. Portillo* S. J., El original manuscrito de la primera edición castellana de la vida de N. P. San Ignacio, por el P. Rivadeneira, in *„Razón y Fe"*, Tomo 42, 289—298.

in lucem prodiit a. 1577; quam „Operis catechistici“ — ita enim liber deinceps vocabatur — editionem secutae sunt parisienses annorum 1579 et 1585 et colonienses a. 1586 et 1606 et complures editiones posteriores (*Sommervogel* Bibl. II 439—442): Busaeum tamen et Canisium iam a. 1574 ea de re inter se scripsisse colligitur ex litteris m. Octobri 1571 Vindobona datis, quibus Busaeus se secundam operis editionem curare posse negabat (*Can.* VI 484), et ex *epistula Colonia 11. Martii 1574 a P. *Leonardo Kessel* collegii rectore ad Mercurianum praepositum generalem data, in qua haec sunt: Rectoris „tertius Consultor est P. Ioannes Hasius Buscoducensis S. Theologiae Licentiatus qui sacras lectiones in Collegio maioribus classibus praelegit, sextis ferijs Catechismum, Dominicis uero diebus exponit Euangelia. Occupatur in auctoritatibus Catechismi in meliorem ordinem redigendis ex ordinatione Superioris“ (ex archetypo. Germ. 135 f. 8). Deinde Moguntia 18. Aprilis 1576. P. *Georgius Bader* collegii rector Mercurianum de Hasio et de P. Hermanno Thyraeo provinciae rhenanae praeposito *monuit: „Nunc primum mihi in mentem venit T. R. P. facere certiorem, P. Jo. Hasium iussu R. P. Prouincialis non sine incommodo studiorum, forte etiam valetudinis, iam diu laborasse in augendis auctoritatibus Catechisticis, quae iam sunt sub praelo · accedunt de nouo auctoritates in tractatum de Iustificatione, qui ex Conc. Trid. catechismo Canisij est adiunctus · nescio an sit satis tutum, quia P. Hasius adeo doctus non est, et res cum nemine communicatur. Significat nunc P. Prouincialis, se quasi inscio, aut certe non consentiente, haec fierj“ (ex autogr., Germ. 137 f 218[a]).

1914. CANISIUS **P. IOANNI HASIO S. J.**

Oeniponte etc. 1574—1577.

Vide litteras superiores (1913).

1915. CANISIUS **PAULAE MERENDAE**, sacrae virgini monasterii inzikofiensis, ordinis S. Augustini.

Oeniponte vel Friburgo Helvetiorum inter annos 1574 et 1597.

Ex Paulae vita, quam clar. P. *Pius Bihlmeyer* O. S. B. ex Codice lat. 21 307 nationalis bibliothecae monacensis edidit in „Freiburger Diözesan-Archiv“ XXXVII (N. F. 10. Band), Freiburg i. Br. 1909, 180—203 („Die Augustinerin Paula Merend [† 1627], eine mystische Blüte aus dem Klostergarten von Inzigkofen“).

Eam ad pietatem instituit et solacio afficit.

In Paulae Merendae, sacrae virginis ordinis augustiniani in monasterio inzikofiensi (Inzigkofen, nunc vicus provinciae sigmaringensis reipublicae borussicae) magna cum sanctitate versatae ibidemque a. 1627 mortuae, vita, quam ibidem Maria Cunegundis comitissa de Hohenzollern-Haigerloch († 1647), una ex eius aequalibus ac sodalibus, scripsit, haec de ea narrantur: „Die herren patres der societät liebte sie über die massen hoch und die herrn patres sie hingegen auch, also dass ihr der ehrwürdig pater Paulus Offius und pater Petrus schönne geistliche, trostreiche brieff zuschriben, welche briff sie ihr lebtag fleissig aufbehalten.“

Paula Merenda sive Merend, a. 1574 monasterium inzikofiense ingressa, a. 1576 ibidem vota religiosa sollenniter professa, per 40 annos et magistra noviciarum et aeditua fuit (*Bihlmeyer* l. c. 188—189); orta autem erat ex Ioanne Petro Merenda, Magdalenae reginae eiusque sororum et collegii Societatis oenipontani medico, quem a. 1567 mortuum Canisius S. Francisci Borgiae et reliquorum Sociorum romanorum orationibus commendavit (*Can.* V 434) [1]. Quare fieri facile poterat, ut Paula Oeni-

---

[1] In matriculam universitatis dilinganae 19. Octobris 1565 relatus est „Ioannes Franciscus Merenda“ (*Th. Specht,* Die Matrikel der Universität Dillingen I, Dil-

ponte Canisium, qui ab aestate a. 1571 ad aestatem a. 1576 ibi sedem habebat et alias quoque ibidem multum versabatur, et videret et audiret. Hoc certe constat. Non solum P. Paulus Hoffaeus Germaniae superioris provincialis a. 1574 et postea aliquotiens Inzikofium ad aliquot dies venit; sed etiam Canisius, si non saepius, certe exeunte a. 1580 ibidem sacras illas virgines in rebus ad pietatem spectantibus auxilio valde destitutas verbo Dei et poenitentiae atque eucharistiae sacramentis refecit; de qua re plura dicentur infra, monum. 1263. Quare omnino assentior R. P. *Bihlmeyer* affirmanti, verbis illis „pater Petrus" significari Petrum Canisium.

1916. CANISIUS **EVERARDO MERCURIANO** praeposito generali Societatis Iesu. Oeniponte 6. Ianuarii 1575.

Ex autographo (2°; 1¾ pp.; in p. 4 inscr. manu P. Guilielmi Elderen S. J. scripta et particulae sig.): Germ. 183 f. 242a—243b. Epistula usi sunt *Kröss*, Can. 205, et *Michel*, Can. 368² 373.

Rectoris errata. Provincialis contiones, errata, virtutes. Collegium Noviomagi incohandum. Contionibus liberari et ad marianum opus absolvendum iuvari cupit.

† Felix annus et aeterna pax
Admodum Reuerende Pater.

Quoniam de Rectore nostro Vendelino scribendum est[1], nondum ille sese correxit[2], ut et P. Prouintiali, et nobis Consiliarijs[3] satisfaciat, praesertim ob nimiae quietis amorem, et defectum charitatis, quam domesticis exhibere decebat, ut idcirco timeatur potius quam ametur a suis. Neque curat necessariam domi subordinationem seruari, impatiens crebro, et animo nimis deiecto in grauioribus casibus, aut quando a P. Prouintiali per literas reprehenditur, cum quo minus illi modo quam antea conuenit. Aegre fert Consiliarios ad eundem Prouintialem scribere, quae ipsis displicent, et quoniam illos negligit, probare non possunt superiorem nimis imperiosum, nec prudenter tamen agentem omnia, sibique in aedificando et cum exteris conuersando plus satis indulgentem. Fortasse curabit P. Prouintialis in proxima uisitatione, ut ad officij sui regulas obseruandas propius accedat, et suauius hanc prouintiam administret, maiorem charitatem suique uictoriam induens. Optarim illum ad tempus alicubi bonum egisse Ministrum, aut adhuc agere, Dilingae praesertim: nocet illi credo, quod[a] Augustanae domus libertatem statim cum Rectoratu commutarit[b].

Quod ad P. Prouintialem Hoffaeum spectat, non sine incommodo huius prouintiae, sed tamen graui de causa, Monachiensi cathedrae nunc alligatus manet[4c]: quod ut in posterum saepius fiat iudico non

a) *Sequitur* ex, *a C. oblitt.* b) *Vide, quae sub ipsas has litteras dicentur.* c) *Tria haec vv. linea subducta (a Possevino secretario, puto) notata sunt.*

lingen a. D. 1909—1911, 51). Is frater fuisse videtur Paulae Merendae; in cuius vita narratur, illum Societati Iesu nomen dedisse, sed brevi post exstinctum esse (*Bihlmeyer* l. c. 185).

¹ Canisius de P. Wendelino Völck collegii oenipontani rectore et de P. Paulo Hoffaeo provinciali scripsit, ut suis officiis consiliarii sive „consultoris" satisfaceret: v. supra p. 8¹. ² Cf. supra p. 183.

³ PP. Petro Canisio, Guilielmo Elderen, Georgio Crispo, Gasparo Obergasser: v. infra, monum. 1143. ⁴ Vide infra, monum. 1169.

expedire. In scribendo uellem illum esse cautiorem[a], ne Rectores anin aduertant, quid a quibus contra illos fortasse scribatur. In reprehendendo acrior uideri potest, ut Rector noster non semel dixerit, se uix pati posse maiorem seueritatem. In proxima uisitatione nobis benigniorem se praebuit, quam antea: sed literis pungit satis, ac fortasse rigidiorem sese praebet simul et grauiorem, quam congruat subditis. Parum utitur Consiliariorum opera, et amaretur magis, si plus remitteret de ueteri illa uel grauitate, uel seueritate naturae. Vellem adhuc leges illi dari circa curam corporis uictusque rationem, ut sibi minus esset austerus, plusque tribueret praesenti admonitori. Cum enim procul ab eo P. Pisanus absit, qui ordinarius est admonitor[1], eius uicario indigere uidetur bonus, prudens atque ut[b] arbitror, sanctus hic P. Prouintialis, quem Christus diu nobis prouintiaeque saluum esse uelit[c].

Saepe multumque rogant Nouiomagenses, ut initium aliquod uel domus, uel collegij uidere possint[d]. Florenos ultra sexcentos, et quidem annuos collegisse dicuntur, alij alia et offerunt et promittunt ad opus perficiendum, ut non minus illi quam Traiectenses ad collegium conferant. Quare iudicabit P. T. possint ne tandem pij uoti compotes reddi, sicut sanctae mem. P. Leonardus[2] ex animo desiderabat, et nostri Colonienses praeter alios pios maiorem in modum optant, ipsaque Reip. salus flagitat[e][3]. Rogatus tantum rogo, vt alteri Prouintiali Belgico uel Rhenensi res tota committatur[4].

Semel atque iterum hortatur me P. T. ad Marianum opus edendum, multique literis mecum expostulant, quod expectatum librum tamdiu premam[f][5]. Dicam semel de statu negotij, postea neque uerbum additurus, sed superiorum iudicio rem omnem relicturus. Cum primum ad hoc scribendi munus et quidem iussus accessi, prouintiae administrandae onus mihi sublatum, et socius studiorum P. Joannes[6] Anglus adiunctus fuit. Gaudebam et quiete Dilingae, magnaque Theologorum praesentium consuetudine: sic Joannis Baptistae defensionem absolui ac edidi. Postea Oenipontanam cathedram ascendi, socium laboris amisi[7], ex aulico contionatore nunc parochialis factus sum, et subinde

a) *Quattuor haec vv. notata sunt, ut supra (p. 273[c]).* b) *In autogr. 4 versus, qui incipiunt a* leges illi *et terminantur verbis* atque ut, *notati sunt (a Possevino, puto) linea in margine addita.* c) *Vide, quae sub ipsas has litteras dicentur.* d) *Sequitur* octingentos, *a C. oblitt.* e) *Ita in autogr. correctum est ex* flagitant; *et vide infra, adnot. 3.* f) *Vide infra, adnot. 4.*

[1] In collegio halensi is degebat; v. supra p. 154[2].

[2] Kessel, rector collegii coloniensis.

[3] *Possevinus* in margine: „Nouiomagenses Collegij aut domus initium petunt. R."

[4] Collegium traiectense (Traiectum ad Mosam, Maastricht) datum est provinciae flandricae sive belgicae, cui Balduinus ab Angelo praeerat, non rhenanae, quam P. Hermannus Thyraeus regebat (*Sacchinus*, Hist. S. J. IV l. 2, c. 60).

[5] Initio huius capitis *Possevinus* haec ascripsit: „De Beatissimae Virg. lib. edendo quid."

[6] Rastellus (*Can.* VI 230 700).

[7] P. Antonium Flandrum sive Guisanum (*Can.* VI 700); qui Augustae in templo S. Mauritii contionari iussus est; v. infra, monum. 1169.

·lijs atque alijs in hoc collegiolo impedimentis distractus, parum promoueo in hoc scribendi instituto[a]. Accedit et illud, quod suspicor ·P. Prouintialem non ualde fauere, qui Romae promiserat quidem P. T. se curaturum, ut aliquem haberem socium studiorum, sed eum adhuc uideo denegari. Ego uero tanto magis ad scribendum me libens accingerem, quo certius comperio, meas contiones, hoc praesertim loco[b], paucis arridere[1], mihique maiore constare conatu quam successu, fortasse quod prouectior aetas priorem uigorem et gratiam adimat contionanti. Jgitur et mihi in hoc munere ualde displiceo, et si liceret, optarem hunc a me calicem tolli, quem bibam tamen ex obedientia[2]. Scripsit interim P. Prouintialis, ut sex mensibus, id est, ad pascha[3] usque sustineam solus hic partes contionatoris: idque nunc facere pergo, licet cum ingenti dispendio studiorum. Quod si post pascha respirare liceret, ac saltem per aestatem Dilingae manerem, de Mariano opere absoluendo sollicitus essem, ne tam multos offenderem hac diutina procrastinatione[c]. Cum uero meam specto imbecillitatem, et in scribendo imperitiam cogito, P. Prouintialis iudicium probare cogor, neque audeo importune petere, quod fortasse sine fratris[4] aut prouintiae huius incommodo non possem obtinere, ut studiorum collega mihi contingeret. Exiguum talentum accepi, sed possem fortasse[d] fauente Christo plus in scribendo efficere quam in alio ministerio societatis proprio[e], etsi frequenter experiar, et coram Deo uideam, ad bona omnia me ualde ineptum esse, ut hinc magis et magis cupiam aliquando peccandi simul et uiuendi facere finem. Jgnoscat filio suo P. T. quod rem exigui momenti tam multis prosequar, ut in paternum nempe sinum effundam has qualescumque miserias meas, de quibus ut dixi, semel meminisse sat est. Oret interim pro indigno filio suo, gratiamque illi congruentem impetret ad agonem hunc rite consummandum, quicquid demum oneris imponatur · Oeniponti 6 Januarij 1575.

P. T.

Filius exiguus
Petrus Canisius.

† Admodum Reuerendo in Christo Patri nostro. P. Euerardo Mercuriano, Societatis JESv Praeposito Generalj etc. Romae.

P. *Antonius Possevinus* Societatis secretarius (rebus cum Mercuriano eiusque consiliariis collatis) in pagina quarta huius epistulae calamo valde currenti et obscuro *notavit: „Separatim [?] seruetur [?]. † Jubetur [?] prouintiali Hoffeo ut soletur illum et det illi socium et quicquid ei deest.“

a) *Ita C. correxit ex* scribendi impedimento. b) *Posser. 4 versus, qui incipiunt a vr.* Prouintialem non *et terminantur vr.* praesertim loco, *linea in margine apposita notavit.* c) *Haec sententia (incipiens a vr.* Quod si*) a Poss., linea in margine apposita, notata est.* d) *Sic C. ipse correxit ex* Exiguum mihi talentum dedit Dominus, dubito tamen, possimne. e) *Sequuntur vr.* sperarem certe, *oblitt.*

---

1 De his v. infra, monum. 1169.
2 Cf. Mt 20, 22—23; 26, 39 42; Mc 10, 38 39; 14, 36; Lc 22, 42; Io 18, 11.
3 3. Aprilis. 4 Theodorici Canisii, rectoris dilingani.

Idem *Possevinus* primo harum litterarum capiti haec in margine *ascripsit: „Censura rectoris Vendelinj † elicere haec et prouintiali scribere". Et secundo (quod lineis supra, infra, iuxta positis notatum est): „Jtem Prouintialis † Elicere haec et scribere illi". Die igitur 5. Februarii 1575 *Mercurianus* Hoffaeo *scripsit: „T. R. poterit meo nomine significare Consultoribus Collegij Monachiensis, et Oenipontani[a], eorum litteras mihi redditas, et gratas in Domino fuisse. Quod istinc de T. R. ab aliquibus auditum est, ex[b] adiuncta schedula poterit intelligere[c] nec dubito quin si quid sit corrigendum ut homines sumus, libenter et tacite hoc faciat, habita ratione suae ualetudinis, quam T. R. ad maiorem Dei gloriam commendo" (ex epistulae commentario, G. Sup. 1 f. 21ᵇ—22ᵃ).

Hoffaeus Augusta 11. Iulii 1575 Mercurianum *monuit: Canisius, cum „de statu Prouintiae et Collegij seu de defectibus personarum" scribit, „fere litteras relinquit quae deinde in tentatorum manus ueniunt" (autogr., Germ. 136 f. 140ᵇ). Id de hac quoque eique similibus epistulis accidisse videtur; nam P. *Wendelinus Völck* rector oenipontanus Oeniponte 18. Ianuarii 1575 Mercuriano *scripsit: „Praeterea est aliud quod me molestat, et ut uerum fatear, non parum iam aliquoties perturbauit animum meum, ita ut si antea unquam, nunc uel maxime nauseat hoc Rectoris officium, causa quaeritur? sed quomodo illam exponam uix scio, amo ego P. Canisium, menteque et corde ueneror; attamen suis indiscretis scriptionibus seu accusationibus quanquam etiam non ueris, quibus omnia ferme facta Rectoris calumniatur, etiam illa quae alijs maxime probari possunt, hoc efficit, ut parum (quod uehementer doleo) mutuo afficiamur: nec minus doleo huiusmodi litteras accusationibus plenissimas, hinc inde, ac in diuersis Collegijs sparsim inueniri a fratribus, forsan non sine leui ipsorum scandalo ac spirituali detrimento, sicuti nuperrime et OEniponti et Halae contigit: de his fusius non agam, ne propriam causam defendere uidear: optarem tamen huiusmodi cum maiori prudentia et discretione fieri, ne alijs magis noceat quam prosit, et sibi ipsi conceptam de se opinionem a plerisque augeat, videlicet nimium esse mordacem, nimiumque genuino dente rodere, et interdum charitatis leges transilire: ista non iuuant, sed alienant, autoritati non consulunt, sed detrahunt etc. V. R. Paternitati committo quae his et alijs nostris imperfectionibus mederi potest" (ex autogr.; Germ. 136 f. 188ᵃ). Haec ab homine „tentato" (ut Hoffaei verbo utar) de Canisio dicta esse facile patet. „Man klagte", inquit *Kröss* (Can. 205), „viel über ihn, ohne seinem wahrhaft guten Herzen gerecht zu werden".

Mercurianus id quoque Hoffaeo significasse videtur, quod Canisius in his litteris de contionibus ecclesiae parochialis notavit: Eas scriptioni suae esse impedimento. *Hoffaeus* enim Mercuriano *scripsit Augusta 11. Aprilis 1575: „Vt R. P. Canisius a Concionibus liberetur, id quidem optamus omnes, sed nondum videmus quis ei possit commode succedere eo praesertim in loco, vbi habemus potentes aemulos et aduersarios praepotentes; absoluta visitatione, si sic videtur, ego meipsum offero, ne sim ociosus, nisi Deus alium dederit, quem nondum video (ex autogr.; Germ. 136 f. 136). Et *Oeniponte 23. Maii 1575: „R. P. Canisium expediret liberare a munere et labore concionandi, cum sit aetate et alijs curis laboribusque sic satis grauatus: sed quem substituam vix video, nisi memetipsum, scilicet ineptum et prouintiae cura praepeditum" (ex autographo, quod est Romae in archivo regni italici: „Arch. dei Gesuiti: Lettere 1548—1575").

Mercurianus Canisio respondit 7. Februarii 1575.

1917. EVERARDUS MERCURIANUS praepositus generalis Societatis Iesu CANISIO. Roma 7. Februarii 1575.

Ex apographo eiusd. temp.; in margine, eadem manu: „P. Petro Canisio." G. Sup. 1 f. 22ᵃ.

Monitio provincialis. Collegia. Socius studiorum. Benedictio pontificia.

a) *Quinque vv. sqq. supra versum scripta sunt.* b) *Ita in comment. correctum est ex* in.
c) *Quae sequuntur, in comment. (eadem illa manu) postea addita sunt.*

Quae T. R. mihi significauit literis suis .6. Januarij datis spero non inutilia fore isti Prouinciae cuius Prouincialem[1] ita admonendum curaui, ut nihil de quoquam assequi possit, qui ea scripserit.

Collegij Neomagensis [institutionem][a][?] modo intermittendam puto. Multa sunt, quae cum sint prae manibus prius roboranda sunt, praeter nouorum Collegiorum initia Brugensis, Antuerpiensis, et forte Traiectensis, ac forte Ponti Montani[b][?], in quo non soli Galli mansuri sunt[2].

Scripsi P. Prouinciali ut socium R. T. atque otium ad conficiendum opus Beatissimae Virg. daret · Spero bonum Patrem, quamquam fortasse operariorum penuria prematur iustis desiderijs R. T. meisque non defuturum. Jnterim carissime Pater valetudinem tuam cura, cui Sum. Pont.[3] suam benedictionem ceterisque nostris omnibus singillatim mittit. Ac nos *etc.* Romae .7. Februarij 1575.

Canisius Mercuriano respondit 6. Aprilis 1575.

1918. CANISIUS **EVERARDO MERCURIANO** praeposito generali Societatis Iesu. Oeniponte 13. Februarii 1575.

Ex autographo (2°; 1⅓ pp.; in p. 4 inscr. et particulae sig.), Germ. 183 f. 244ᵃ—245ᵇ.

Praefatio editoris: Mense Ianuario a. 1575 Augustae consiliarii ab Alberto V. Bavariae duce missi cum viris ab Ioanne Egolpho a Knöringen episcopo augustano et a cathedrali capitulo augustano delectis de ratione firmae sedis cum scholis Societati in urbe constituendae egerant. Iidem consiliarii, antequam ad ducem redirent, Portia nuntio apostolico suadente 23. Ianuarii composuerant et 24. Ianuarii 1575 Portiae tradiderant scriptum quoddam sive „recessum", in cuius exordio affirmatur, „conuentum tandem esse et conclusum in hoc negotio prout sequentes articuli contineant". Huius „recessus", quem ex compluribus exemplis tum vaticanis tum monacensibus integrum primus edidit *Schellhass*, Nunt. IV 386—401, apographum a librario ignoto (ex exemplo, puto, a consiliariis bavaris vel a Portia dato) diligenter scriptum P. Gregorius Rosephius S. J., domus augustanae superior, Romam ad Mercurianum misit; quod nunc exstat in „G. Sup. 98" f. 425ᵃ (383ᵃ)—425ᵗᵉʳ ᵇ; aliud denique exemplum vel a Rosephio iussu Hoffaei praepositi provincialis vel ab ipso Hoffaeo Canisio missum est, ut ipse pro suo officio consiliarii provincialis, quid ea de re sentiret, praeposito generali significaret. Notandum autem est hoc: Episcopus quidem et capitulum 5. Februarii 1575 cardinali Ludovico Madrutio Germaniae protectori romano scripserunt, „deputatos" suos recessum illum „non pro concluso aut convento" suo nomine „acceptasse", sed ad episcopi capitulique „tantum ratificationem totum illum tractatum suscepisse", neque recessum eundem a se ratum haberi posse, nisi complura in eo immutarentur (*Schellhass* l. c. 387—402); aliter vero Socii cum Portia sensisse videntur: exemplum enim ad Mercurianum missum manu ipsius librarii sic inscriptum est: „† Vltimum scriptum Capitulj, etiam a Bauaris probatum." Quibus verbis Rosephius sua manu ascripsit: „Sed a Reueren-

a) *Hoc vel simile v. (*curam ? praeparationem ?*) supplendum esse ostendit res ipsa.* b) *Sic; corrigendumne:* Pontimutiani *vel* Pontismussani ? *Ceterum vide infra, adnot. 2.*

[1] Hoffaeum; v. supra p. 273.

[2] Dubium esse non potest, quin significetur collegium (cum universitate) Mussiponti (Ponte Mutionis, Pont-à-Mousson, Lotharingiae urbs) ex fundatione Caroli Guisii cardinalis Lotharingi hoc a. 1575 incohatum; cf. *Fouqueray* l. c. I 606—615.

[3] Gregorius XIII.

dissimo Nuntio De portia reiectum"; et exemplo a Portia Romam ad cardinalem Comensem misso manu antiqua adnotatum est, scriptum illud esse „utriusque partis". Huius igitur scripti praecipua capita haec erant: Episcopus et capitulum Sociis hortum quendam suum cedent, in quo a Societatis patronis (Fuggeris, Ilsungis etc.) „collegium" exstrui possit cum „aedificiis atque pertinentijs" suis, inprimis cum „paedagogio siue seminario", in quo „literarum, linguarum, Rhetoricae[1] (?) atque inprimis pietatis rudimenta legantur atque exerceantur" et, si forte episcopo capituloque ita placuerit, „vna aliqua pro clero ciuitatis Theologica lectio vtpote casuum conscientiae aut similis" institui possit. Neque eam solam potestatem, quam concilium Tridentinum episcopis in monasteria exempta tribuit (de qua vide *Can.* V. 417[1]), episcopus in collegium illud habebit, sed etiam „si clericorum vel ciuium quispiam aut saecularis alius contra aliquem de Societate et Collegio isto actionem habeat, eius decisio ad Episcopum tanquam Sedis Apostolicae delegatum pertinebit. Sic etiam quae ad Scholarum in Collegio profectum spectabunt, aut si penes ea negocia remissius agatur, cuius quidem rej cognitio pertinebit ad eos qui Collegij curam mediate vel immediate habebunt, tum Episcopo vna cum Capitulo integrum semper erit Rectorem Collegij vel etiam Prouincialem si ita sit opus, admonere eorumque emendationem expetere, ijs vero rem negligentibus authoritatem suam interponere" Neve Patres Societatis „vllas publicas caeremonias, processiones. Jndulgentiarum sanctarum publicationes aut alia eiusmodi, citra Episcopi et capituli consensum vllo modo exercere praesumant"; nec praeter contiones, quas in ecclesia cathedrali in posterum quoque habebunt, „alias publicas contiones nouas instituent praeter Episcopi assensum atque voluntatem". Ad catecheses autem, „germanicarum contionum praeludia", latinos sermones et declamationes, confessiones, communiones, alia pietatis officia sacello Sancti Lamberti utentur, „donec proprium illis penes Collegium nouum aedificatum fuerit templum"; eos tamen „qui in quatuor summis Ecclesiae festis[2] sacram communionem percipere volent, post auditas confessiones ad Parochias suas mittant" (ex exemplo Rosephii, quod dixi; etiam apud *Schellhass* l. c. 389—397). Hae certe condiciones non plene congruebant „exemptioni ab ordinariis", quam Societas tum ex concessione a Paulo III. 18. Octobris 1549 sibi facta, tum ex „communicatione privilegiorum" cum Eremitis S. Augustini aliisque religiosis habebat (*Institutum* S. J. I, 16, 573); neque ad contiones in templo suo habendas Socii episcopi vel capituli permissione indigebant; concilium enim Tridentinum id tantum constituerat, ut regulares, antequam in ecclesia sui ordinis contionari inciperent, episcopi benedictionem peterent neve eo „contradicente" contionarentur (Sessio V. de ref. c. 2; Sessio XXIV de ref. c. 4); et *Paulus* III. in litteris, quas dixi, omnibus fidelibus permiserat, ut sacram eucharistiam „quocunque anni tempore, · praeterquam in festo Paschatis Resurrectionis Dominicae, et mortis articulo" a Sociis, parochialium ecclesiarum Rectorum licentia minime requisita, accipere libere et licite valerent"; quam facultatem Barnabitis quoque et Minimis et Franciscanis et Theatinis varii pontifices dederant (*Institutum* l. c. 19, 570).

Cum capitulo augustano suaviter agendum, ut collegio commodiorem locum maioremque libertatem tribuant. Cancellario tirolensi sepulcrum Halae concedendum.

† Pax Christi Jesu nobis aeterna,
Admodum Reuerende Pater.

Vidi scriptum de conditionibus erigendi apud Augustanos collegij, in quas Canonici consenserunt, et de quibus meam scribere sententiam iubeor. Jgitur etiamsi de re tota iam ante scripserint et iudicarint

---

[1] Ita quidem exemplum Rosephii; Schellhass vero pro „Rhetoricae" legit „philosophiae" (l. c. 391).

[2] Nativitatis Domini, Paschatis, Pentecostes, Assumptionis B. Mariae Virginis.

P. Prouintialis et P. Gregorius[1], qui ambo rectius intelligunt omnia huc pertinentia, et de his coram et per literas saepe multumque tractarunt[a], tamen pauca quaedam iussus adiungam[b]. Inprimis gratiam habendam puto Reuerendissimo D. Nuntio, qui multis mensibus hoc saxum uoluit Augustae, ac duros Canonicorum animos eo permouit tandem, ut eiusmodi conditiones admiserint ac probarint. Sunt in illis fortasse nonnulla, quae societatis nostrae libertatem et priuilegia loedere[c] [?] uideantur, praesertim ut Ordinario sint nostri[d] usquequaque subiecti, utque[e] tantopere ab ipsis Canonicis pendeant, nec possint in praecipuis Ecclesiae festis[f] sacram praebere communionem. Verum partim per Reuerendissimum Augustanum, qui nostris fauere dicitur, partim per Reuerendissimum Nuntium, partim per Jllustriss. Bauariae ducem obtineri posse puto in his moderationem aliquam, ut plus nobis tribuant, minusque praeiudicij adferant societati.

Quod ad locum collegij nostris iam assignatum spectat, sequor P. Gregorij sententiam, ut commodior et amplior locus a Canonicis expetatur[2]. Rationes ab illo perscriptas arbitror. Caeterum priusquam de loco mutando agatur, consultum puto conditiones propositas expendi, quatenus P. T. probandae et acceptandae uidebuntur[g]. Fortasse difficultas aliqua sese offeret ex parte Fuggerorum, quo minus fundatores simul et aedificatores collegij, scholae ac templi esse uelint, tot tantisque sumptibus deterriti. De hoc primum igitur constare uellem. Quorsum enim nudus locus cum tot annexis conditionibus reciperetur? etiamsi melior quam nunc oblatus est, assignaretur. Jamuero ubi suam mentem Fuggeri explicuerint, quos nonnihil haerere et fluctuare audio, penes P. T. erit, uelitne aliquid de iure Societatis remittere, et suauiter cum istis Canonicis agere, praesertim ne amittamus apertam nobis occasionem de tali Rep. bene merendi, et causam religionis in Germania promouendi. Vereor alioquin, si rigide potius quam molliter cum istis agatur. Canonicos multis esse persuasuros, quod per nos steterit, quominus S. D. N.[3] consilia processerint, totque multorum conatus in hoc negotio irriti plane redderentur. Quod si de his quaeritur, per quos Canonicis responderi debeat, existimo per eosdem procuratores, qui hactenus intercesserunt, deinceps etiam agendum esse, nimirum per Reuerendissimum D. Nuntium et Ordinarium ipsum simulque Bauariae Ducem. Nisi forte P. Prouintiali nostro haec dabitur prouintia, ut coram cum ipsis Fuggericis, ac deinde cum Canonicis ipsis tractet negotium, postquam de P. T. sententia certior factus fuerit.

a) *Sic C. correxit ex* tractarint. b) *Possevinus Societatis secretarius vv. sqq., usque ad* duros *incl., linea subducta notavit eisque in margine ascripsit:* Nuntio agendae gratiae. c) *Sic; corrigendum esse videtur* laedere. d) *Hoc v. supra versum scriptum est.* e) *Sic C. correxit ex* neue. f) *Sequuntur vv.* in suo templo, *a C. oblitt.* g) *Poss. in margine lineam (curvam intortamque) posuit eique ascripsit:* Consilium de loco.

[1] Rosephius. [2] De hac sententia vide, quae sub has litteras dicentur.
[3] Gregorii XIII.

Superest et illud, quomodo sit nostris Augustae uiuendum. Si dictae conditiones repudientur, aut de illis conuenire non possit. Respondeo, ad tempus esse dissimulandum factum Canonicorum, sed paulatim nostros ex eo loco remouendos uideri, ut suo instituto rectius[a] inseruiant, ubi quae sui sunt muneris commodius et liberius[b] praestare possunt[c]. Atque haec ego pro insipientia mea de negotio Augustano.

Addam de cemiterio templi nostri Hallensis exteriore, in quo sepulturam sibi delegit Cancellarius Tyrolensis[1] uir nostri et pietatis studiosissimus. Regina[2] uotis illius annuit, nihil minus suspicans, quam P. T. hic refragaturam. P. Prouintialis iudicat facultatem a. P. T. petendam et accipiendam esse, et recte quidem[3], sed apud me dubium est, expediat ne hunc Reginae scrupulum inijci, ut putet se superstite nullum e domesticis uel externis in suo cemiterio terrae mandari posse. Quicquid autem P. T. uisum fuerit, praestabimus Christo duce, eiusque sacrificijs et precibus nos Domino cupimus ualde commendari[d][4]. Oeniponti 13 Februarij 1575.

P. T.

Filius Petrus Canisius.

† Admodum Reuerendo in Christo Patri nostro P. Euerardo Mercuriano. Praeposito Generali societatis JESv. Romae.

Superest, ut aliquid addatur de horto a Canisio in his litteris memorato, de quo Sociis ad paedagogium aedificandum offerendo inter canonicos et episcopum iam m. Decembri 1574 convenerat (*Schellhass* l. c. IV, 311—313 321). Canisius se de eo cum P. *Gregorio Rosephio* sentire dicit et Mercurianum ad „rationes“ ab hoc, ut „arbitratur“, „perscriptas“ remittit. Quas ille si non primum, certe iterum explicavit in *litteris Augusta 28. Februarii 1575 ad Mercurianum datis: Hortus ille (inter Pimliorum aedes et granarium episcopi situs) collegio exstruendo aptus non est, „cum propter loci angustias, tum propter aedes quibus a tribus partibus circumseptus est“; ipsi canonici in litteris ad Bavariae ducem datis affirmant, „hortum in longum habere 180 pedes in latum 148 ... necessum foret si fabricandum esset, secundum iura ciuitatis, tres nisi fallar vndequaque pedes defalcare de proprio

a) *Septem verbis sqq. a Poss. linea subducta est.* b) *Sequuntur vv.* uacare poss, *oblitt.* c) *Poss. hoc responsum lineis curvis in margine adiunctis notavit simulque in eodem margine vv. aliquot scripsit, adeo tamen festinanter et obscure, ut ea legi non possint.* d) *Vide infra, adnot. 4.*

[1] Christophorus Klöckler.

[2] Magdalena; quae templum hoc cum coemeterio condiderat.

[3] Poterant, nisi fallor, Socii uti privilegio ordini Minimorum a Iulio II. 28. Iulii 1506 concesso, quo et cavebatur, ne in ipsorum coemeteriis externus quispiam sine eorum „assensu aut voluntate“ sepeliretur, et permittebatur, ut in iisdem coemeteriis ab ipsis sepelirentur externi, qui id petissent (*Em. Rodericus* O. F. M., Nova Collectio Privilegiorum Apostolicorum Regularium etc., Lugduni 1613, 282; *Bullarium* Romanum V, Augustae Taurinorum 1860, 439). Prima autem Societatis Congregatio generalis (decr. 121 post el.) constituerat, ne in Societatis ecclesiis (praeter fundatores principes, alios quosdam) externi sine praepositi generalis licentia sepelirentur (*Institutum* S. J. II 184).

[4] *Possevinus* ultimum hoc litterarum caput lineolis curvis in margine adiunctis notavit et in eodem margine scripsit: „de coemeterio Halensi ac sepultura Cancellarij“, et (aliquanto post, ut videtur): „R. [=„Responsum“ vel „Respondetur“ vel similiter] Fiat cum bona gratia Serenissimae Reginae“.

territorio, ne vicinis lumen omnino auferatur · cogeremur insuper retro aut nihil omnino aut secundum capituli beneplacitum fabricare, cum granarium Episcopi altissimum et amplissimum quinque aut sex contignationum, liberum deposcat aërem.... Episcopum etiam inuitum ac constrictum semper secum trahunt [canonici], ac plane ad subscribendum cogunt" (ex autographo. Germ. 136 f 133). Consiliarii quoque bavari hortum illum minorem et angustiorem esse censebant, quam ut iustum collegium in eo aedificari posset (*Schellhass* l. c. 368 412[2]). Haud recte igitur auctor „*Anti-Mangoldi*" (1, Amstelodami et Ulmae 1784, 315) Sociis „amplissimum quemdam hortum pro novo Collegio" oblatum esse affirmat; qui etiam de huius facti anno errat.

Mercurianus Canisio respondit 25. Iunii 1575.

1919. EVERARDUS MERCURIANUS praepositus generalis Societatis Iesu CANISIO. Roma 13. Februarii 1575.

Ex commentario manu ipsius Possevini correcto; in margine, manu librarii: „Patri Canisio." G. Sup. 1 f. 23.

Iubet eum P. Pisano in Transsilvaniam ituro animum addere.

Scribo ad patrem Prouintialem[a][1], caussas, quibus impulsus sum ut deliberarem mittere in Transiluaniam cum aliquibus e nostris P. D. Pisanum qui eis praesit, quemadmodum fusius ex eo poteris cognoscere. Vaiuoda enim Transyluaniae[2] saepe hoc et per litteras[3], et per Nuntios petijt, ac denique ut annueremus eius petitioni curauit ut a Pontifice Maximo id nobis[b] praeciperetur[4]. Sane ipsa missio eiusmodi est, ut sit[c] sperandum[d] Deum Dominum[e] nostrorum laboribus[f] affuturum[g], praesertim sectariorum[h] primarijs capitibus sublatis[5]; patenteque iam[i] ad restituendam catholicam Religionem ostio[k] quam Princeps ille Christo miserante omnibus uiribus curat[l] propagari. Propterea et si scio Patrem Pisanum istud onus non esse detrectaturum, cupio tamen ut T. Reuerentia illi de ista missione gratuletur eumque ad arripiendam magno animo tantam bene merendi occasionem accendat. Et quoniam

a) *Sequuntur vv.* et ad P. D. Pisanum, *oblitt.* b) *Hoc v. supra versum scriptum est.* c) *Haec 2 vv. supra versum scripta sunt.* d) *Sequuntur vv.* ut sit, *oblitt.* e) *Sequitur* affuturum, *oblitt.* f) *Ita in comm. correctum ex* laboribus nostrorum. g) *Hoc v. a Possev. in margine additum est.* h) *Ita in comm. corr. est ex* sectariorum praesertim. i) *Hoc v. supra versum scriptum est.* k) *Sequitur* quod p, *oblitt.* l) *Sequitur* cup, *oblitt.*

[1] Hoffaeum; vide, quae sub ipsas has litteras dicentur.

[2] Ioanne Sigismundo Zapolya Transsilvaniae principe et pessimarum haeresum patrono a. 1571 exstincto electus est eodem anno „voivoda" Stephanus Bathorius (Báthory), generis nobilitate et catholicae fidei constantia insignis (*Nic. Isthuanffius*, Regni Hungarici Historia, Coloniae 1685, 337—338; *Socherus* l. c. 228).

[3] Epistulas 14. Decembris 1571 et 7. Augusti 1574 ea de re a Bathorio ad PP. Laurentium Magium Austriae provincialem et Stephanum Aratorem S. J. datas edidit Dr. *Andreas Veress*, Epistolae et Acta Jesuitarum Transylvaniae temporibus Principum Báthory I, Kolozsvár 1911, 1—3 15—16.

[4] Circa initium a. 1575 Romae Georgius Fabius praepositus bochnensis, a Bathorio ad Gregorium XIII. legatus, de religione catholica in Transsilvania instauranda egerat (*Veress* l. c. 18 20).

[5] Bathorius, ut P. *Stephanus Arator* (Szántó) S. J. 15. Iulii 1574 Mercuriano scripsit (apud *Veress* l. c. 10—11), Georgio Blandratae Unitarismi propagatori „silentium indixit" et „quendam alium concionatorem Vngarum" eumque antitrinitarium „in exilium relegavit" (Franciscum Davidis? Cf. *Can.* VI 343[1]).

ad alia quae ad nos scripsisti alijs literis T. Reuerentiae respondeo tuis orationibus et sanctis sacrificijs tantum me commendabo. Romae .13. Februarij .1575.

*Epistula ad Hoffaeum provincialem, ad quam *Mercurianus* Canisium remittit, eodem illo d. 13. Februarii 1575 data est; in qua haec sunt: „Ex literarum exemplo quas ad Patrem Doctorem Pisanum scribo T. Reuerentia cognoscet quibus rationibus coacti sumus eum deligere.... Quanquam tentauimus alios loco Dicti Patris mittere, uicit tamen (quemadmodum decebat) summi Pontificis desiderium, qui eundem ipsum Patrem significauit cupere se ut eo mitteremus. Quae res fecit ut crederem quanto nos hilariores datores erimus eorum quos Deus nobis donauit, tanto liberaliorem dexteram Diuinae Maiestatis sine dubio nos esse sensuros". Ipsi autem Pisano idem *Mercurianus* eodem die *scripsit: „Jl Vaiuoda di Transiluania ha piu uolte ... ricercato l' aiuto della Compagnia per ridurre il suo paese di Transiluania alla antica Religione catholica, et estirpare fra l' altre heresie quella di Ario et de i Trinitarij.... Et perche in quelle parti doue gia il Vaiuoda scriue di hauer preparato luogo commodo per i nostri, cio è in Varadino [1] amena, sicura, et molto nobile citta, e bisogno di alcuna persona laquale con la dottriua, et la lingua latina habbia l' Jtaliana et la spagnola, pero Jo mi son risoluto ... di mandarui V. Reuerenza".... Sono gia „stati introdutti altri catholici Religiosi [2] dal Vaiuoda nella Transiluania doue per gratia di Dio fanno buon frutto. Quanto piu penso Padre mio alla deliberatione fatta nella persona sua tanto più mi confermo in credere che sia uoluntà diuina poi che non senza sua prouidenza V. R. si è in questi anni passati impiegata tanto diligentemente à raccogliere i canoni del Concilio Niceno, il quale Dio signor nostro ragunò principalmente contra simil setta" (ex apographis eiusd. temp.; G. Sup. 1, f. 22[b] 23[a]).

Ceterum equidem suspicor, neque litteras ad Canisium, quas supra posui, neque eas, quas Hoffaeo et Pisano destinatas esse modo dixi, iisdem missas esse; neque enim Canisius in proximis ad Mercurianum epistulis earum fecit mentionem; et *Mercurianus* Hoffaeo Roma 5. Martii *scripsit: „Ex litterarum exemplo quas ad P. Pisanum scribo T. R. cognoscet quibus rationibus mouear" ut eum in Transsilvaniam mittam. „Rationes sunt tum necessitas tum quod is ipse Pater mihi uidetur cum minore incommodo Tuae Prouintiae eo posse ablegari, praesertim quod et propter aetatem, et doctrinam, et quod nullo munere fungitur administrationis uidetur isti negocio futurus opportunus. Si quid tamen impedimenti eiusmodi uideret T. R. quod grauis esset momenti, scribet quamprimum nec prius illi litteras meas reddet. Nam ita eas scripsi ut si quemadmodum cuperem mitti posset eius missio non retardaretur ... urget tempus et Pontificis uoluntas (ex apogr. eiusd. temp.: G. Sup. 1 f 25[a]).

1920. EVERARDUS MERCURIANUS praepositus generalis Societatis Iesu CANISIO. Roma 4. (5.?) Martii 1575.

Ex apographo eiusd. temp.; in margine, manu librarii: „Petro Canisio." G. Sup. 1 f. 25[a]. Apographo usus est *Duhr*, Jesuiten an Fürstenhöfen 92.

Praefatio editoris. P. *Völck* rector oenipontanus Oeniponte 18. Ianuarii 1575 ad Mercurianum haec *rettulit de Ferdinando II. archiduce et de duobus eius filiis (Andrea, nato a. 1558, et Carolo, nato a. 1560), quibus educandis Ferdinandus Ernestum a Rauchenberg praefecerat (*Hirn.* l. c. II, 323 369): „Collegio nostro noua accedit tribulatio. Superiori mense cum essem praemonitus a filiorum Serenissimi Archiducis nostri Praefecto, quod Sua Serenitas in animo haberet ab hoc Collegio

---

[1] Nagy-Várád, Grosswardein, urbs hungarica in finibus Transsilvaniae sita et horum principum imperio eo tempore subiecta.

[2] Franciscani hungari (*Arator* apud *Veress* l. c. 11).

Praeceptorem pro duobus filijs suis postulare, qui quotidie aliquot horis ante- et pomeridiano tempore in aedibus ipsorum, quas priuatas habitant eos doceret: Cui ego sic respondi, ut magnam fore difficultatem ostenderem, nec quemquam nisi reuerendam Paternitatem Vestram posse concedere. Rettuli etiam statim ad R. P. Prouincialem [1] a quo id responsum tuli, ut diligenter cum consiliarijs colligerem rationes, quibus Serenissimus Princeps a suo Proposito auerti posset, si forte apertius postularet: Et ut totum negocium non ad ipsum, sed ad R. P. Vestram reijceremus: Quam Prouincialis instructionem secutus, ita cum serenissimo Archiduce egi, ut plane a suo Proposito uideretur desistere, hocque unum nobis iniungeret, ut Virum aliquem idoneum perquireremus, qui ex praescripto nostro Archiducales liberos doceret: Verum antequam quemqnam huc aduocaremus Ecce de improuiso denunciat nobis per Cancellarium suum grauem indignationem suam hoc adiecto, quod neque per nos neque ex nobis amplius uelit Praeceptorem, quandoquidem nihil uelimus ob superbiam nostram in gratiam eius facere: cum ille per hoc maxime nos uoluerit ornare, et publicum testimonium amoris in nos sui praebere: Excusaui ergo nos denuo apud eundem supremum Cancellarium [2], uel hoc maxime quod absolute non negassem, sed solam obedientiam obuertisse, a qua mihi haec potestas nunquam fuerit concessa: promisisse etiam quod absque mora ad R. P. Vestram scriberem, rogauique ut nos hoc nomine purgaret, quod se facturum recepit; me enim coram se admittere Princeps noluit, quid amplius R. V. Paternitas faciendum putet intelligere cupio" (ex autogr.; Germ. 136 f. 188[a]).

Canisius Ferdinandi archiducis animum offensum placare iubetur.

Ex adiuncti capitis literarum, quas ad P. Paulum Hoffaeum scribo [exemplo][a] T. R. intelliget quod nam meum desiderium sit ut Serenissimi Archiducis Ferdinandi animum tu ipse reddita eius Celsitudini epistola, quam ad eum scribo, lenias, si forte alienior a nobis factus erit · neque uero aut si periculum erit in mora, aut si iudicaueris ita expedire erit T. R. expectandum aliquod a Patre Prouinciali in hac re consilium, ne si qua eius Celsitudinis animo resederit abalienatio inueterascat, et difficilius curari possit. De toto rei exitu facies postea me quamprimum certiorem. Jpsi uero Serenissimo Principi omnem nostrorum operam et uerbis, et re quacunque ratione uoluerit alacri animo meo nomine spondebis, atque adeo praestabis. Jta enim et cum illo tam de nobis benemerito, et hoc tempore conuenit, quo Deus aperit uenam magnam misericordiae suae ad iuuandam Germaniam · *etc.* Romae .IV.[b][?] die Martij 1575.

In apographo quidem, quo usus sum, d. „.V." Martii huic epistulae ascriptus est; sed in litteris autographis, quibus Canisius Mercuriano respondit, eam 4. Martii datam esse legitur; fortasse die 4. scripta et 5., qui erat sabbatum, tabellario tradita est; cf. *Can.* V 42; VI 119.

Mercuriani ad Hoffaeum provincialem *litterae, ad quas Canisius in hac epistula remittitur, Roma 5. (4?) Martii 1575 datae sunt; in quibus haec, praeter alia, dicuntur: „Ex adiuncto literarum exemplo tua R. intelliget, quid cupiam officij praestari cum Serenissimo Archiduce Ferdinando, ut sicut a Rectore aenipontani collegij accepi alieniorem a nob. celsitudinis suae animum propter denegationem paedagogi quem petebat e nostris leniamus. Jam enim conijcere potest R. T.

a) *Hoc v. supplendum esse suadet res ipsa; cf. etiam supra p. 282.* b) *Vide, quae sub ipsas has litteras primo loco dicentur.*

[1] Paulum Hoffaeum.

[2] Christophorum Klöckler cancellarium tirolensem (*Hirn* l. c. I 463).

quanti momenti sit tantum Principem hoc tempore atque eum Ferdinandi augustae me: de Societate optime meriti[1] filium quocumque possimus officio fouere, ut et uerbum Dei currat sine impedimento, et qui nobis non optime cupiunt istam ansam non accipiant Societatem etiam atque etiam uexandi. Nostrum itaque consilium hoc est, ut meae literae ipsius Celsitudini a P. Petro Canisio reddantur, suisque idem Pater uerbis ornet in Domino obsequij nostri oblationem: ita tamen ut si commode, ac sine aliqua Principis offensione declinare possimus operam quam de nostris cupiebat, hoc faciat. Sin minus, exhibeat illi et nostrorum, et aliorum qui nostras scholas adeuntes uideri possint idonei, operam omnem. Praetat enim rationibus omnibus perpensis, ne Germaniae cursum in qua uidetur spes aliqua restituendae fidei, pietatisque reuiuiscere, nos uno Societatis commodo retardemus": Ita litterarum harum commentarium, quod ab ipso P. *Antonio Possevino* Societatis secretario scriptum multisque locis emendatum est. In qua emendatione Possevinus extremam litterarum partem primum quidem multum emendavit, deinde autem, lineis transmissis, prorsus delevit; quae pars sic, antequam deleretur, a Possevino ipso scripta erat: „Quod si quem eius Celsitudo e nostris petierit, T. R. prompto animo illi aliquem dabit idoneum cum socio coadiutore fido, curabitque, ut placeat ipsi Principi pro disciplinae nostrae obseruatione (si fuerit opus) alium interdum sufficere. Et quoniam haec omnia tua R. Paterque Canisius in re praesenti melius poterunt deliberare, propterea totum hoc negocium utrique ut cordi sit cupio." (G. Sup. 1 f. 23[b]—24[a]).

Mercuriani ad Ferdinandum II. archiducem *litterae, quas ei Canisius iussus est tradere, Roma 5. Martii 1575 datae sunt et haec habent: „Vt Societas nostra semper in coelestis beneficij loco duxit si qua se offerret occasio, qua Serenissimae Cels: V. pro summis ipsius in nos meritis gratitudinem animi nostri testari possemus, ita uehementer dolui cum primum accepi non fuisse ipsius pietati quacumque licuisset diligentia satisfactum a Collegij nostri Oenipontani Rectore, a quo operam alicuius e nostris erga serenissimos suos filios petere dignata est. Et sane clementissime Princeps intimo dolore affectus essem, nisi ea me spes certa sustentasset fore ut singularis ipsius aequitas, uel nostram ad quos istius rei nuntius hactenus non peruenerat innocentiam a culpa, uel ipsius Rectoris aliquem metum a crimine seiungeret. Credo enim inter alias caussas obsequium Rectoris fuisse retardatum, cum hominum penuria, tum quod metuerit nostros in aulis non uersatos tantis Principibus non fuisse integre satisfacturos. Cum tamen, quod ad Societatem nostram, meque ipsum attinet, nihil umquam tam arduum futurum sit, quod perquam alacri animo pro Celsitudinis V. uoluntate nostrarumque uirium tenuitate suscepturi non simus. Et in ista re, ut pro summa nostrorum erga Cels. uestram obseruantia ipse praesenti officio satisfacere cuperem, ita illam humillime precor, ut nos eo fidelissimorum seruorum loco habeat, qui et fuimus, et perpetuo Dei gratia adspirante futuri sumus. D. Jesus Celsitudinem V. optima ualetudine, donisque coelestibus auctam diutissime ad sui Sanctissimi nominis gloriam, Jmperijque Christiani bonum conseruet" (ex commentario per Possevinum recognito; G. Sup. 1 f 23[b]).

Canisius Mercuriano respondit 6. Aprilis 1575.

1921. P. NICOLAUS LANOIUS S. J. CANISIO.

Roma circa initium m. Aprilis 1575.

Ex Pisani autographo. Germ. 136 f. 207[a].

P. Alphonsus Pisanus S. J. Hala 2. Maii 1575 scripsit ad Mercurianum praepositum generalem, qui eum in Transsilvaniam ire iusserat (v. supra p. 281): „Reuerendus P. Lanoyus scripsit etiam de

[1] Ferdinandi I. imperatoris.

re Transyluanica ad Reuerendum P. Canisium, et ad Reuerendum P. Natalem."

Ex Pisani litteris colligi potest, P. Franciscum Antonium S. J., qui Oenipontem 28. Aprilis 1575 advenit, Lanoi epistulas Roma secum attulisse.

1922. CANISIUS **P. PAULO HOFFAEO S. J.** praeposito provinciali Germaniae superioris. Oeniponte circa initium m. Aprilis 1575.

Ex archetypo, a P. Guilielmo Elderen S. J. scripto (2°; 3 pp.; in 4 inscr. et particulae sig.). G. Sup. 99 f. 227^a-228^b.

Praefatio editoris: *Hoffaeus* Augusta 11. Aprilis 1575 ad Everardum Mercurianum Societatis praepositum generalem haec *rettulit de Christophoro Elsenheimer Alberti V. Bavariae ducis praecipuo cancellario: „Tandem formaliter et serio mecum egit Cancellarius Bauariae nomine sui Principis, et aliorum senatorum Aulae, vt remitteremus nostros Jngolstadium.... Vellent etiam vt Monachij Conuictores susciperemus, sicut Dilingae: quamquam nos forte leuarent aliqua saltem molestia curae familiaris seu temporalis: aut vt saltem iuniorum Monachorum conuictum (extra nostrum Collegium) et curam non repudiaremus, qui futuri dicuntur ad centum, euocandi ex Monasterijs Bauariae, vt sub nostra disciplina erudiantur.... Dicam ergo quid sentiam; ... alij mej patres ... annotarunt etiam quid ipsis videretur de conuictoribus, quod simul nunc mitto" (ex autogr., Germ. 136 f. 137^a). Litteras igitur Canisii, quas ponam, Hoffaeus Romam ad Mercurianum misit; quibus adiunxit epistulas PP. Ioannis Rabenstein et Alphonsi Pisani, quae nunc quoque exstant, et fortasse alias, quae perierunt.

Monachii curam convictorum, imprimis religiosorum et nobilium, quamvis difficilis sit, suscipiendam esse propter maximam eius utilitatem. Quomodo monachi tractandi sint.

† Argumenta in partem negatiuam, de cura spirituali et literaria Conuictorum, per nostros Monachij non suscipienda.

1. Nota sunt incommoda et pericula, quae nostri circa hoc ministerium iampridem experti sunt et experiuntur. Jdeoque non temere hoc tantum onus deponere potius, quam recens assumere conantur.

2. Ex parte Societatis, difficile videtur homines reperire huic prouinciae sustinendae pares, qui nempe sciant, uelint et possint externis huiusmodi conuictoribus, digne praeesse, illisque satisfacere.

3. Ex parte Conuictorum, multi sese offerunt saepe indociles, praue instituti, ceruicosi, rebelles, indomabiles, et qui bonorum adolescentum pestes potius, quam sodales possint existimari, quos sine periculo nec retinere nec dimittere liceat aliquando.

4. Jtem ex parte patronorum, parentum, amicorum, nobilium et magnatum multum saepe negotij nostris exhibetur, quibus etiam nostri satisfacere nunquam facile possint, et in quorum odium atque offensionem leui de causa incurrunt, malam[a] gratiam pro suis fidis laboribus reportantes.

5. Etsi res prima facie speciosa uidetur, quae publicam utilitatem polliceatur, tamen uarijs et ingentibus difficultatibus atque periculis nostros exponit, praesertim nisi ualde cordati, sapientes et perfecti sint, quorum penuria saepe laboramus.

a) *Hoc v. ab Elderen supra versum scriptum est.*

6. Jn tanta juuenum uel conuictorum turba uix fieri potest, quin aliqua uel scandala uel crimina nonnunquam committantur, eaque praefectis facile imputarentur, praesertim ab aemulis nostris et haereticis, quales non paucos in Bauaria reperimus.

Jn partem Affirmatiuam Contraria.

1. Catholici omnes multum inclite debent Bauariae, quae inter omnes Superioris Germaniae Prouincias, de conseruata et defensa fide catholica, laudem primariam merito tenet; Decet igitur, hoc illi concedi, quod alijs tam multis Prouincijs, ut Austriae, Franconiae, Sueuiae et circa Rhenum hucusque conceditur, in conuictoribus domi instituendis [1].

2. Habenda inprimis est ratio summi optimique Principis [2], si cum alijs Germanis proceribus comparetur, et qui de nostris praeclare mereri pergit, cui gratissimum foret, hoc nostrum officium, et cuj non minus sane quam alijs patronis debemus, cum duo Collegia nobis erexerit [3], magnaque liberalitate et clementia nostros prosequatur.

5. Eiusdem Principis consiliarij [4], saepe nobiscum egerunt, ut ad tuendam catholicae fidei et religionis causam, hac in parte nostrum officium declararemus, praesertim Jngolstadij, ubi de vniuersitate tota actum esse uidetur, nisi nostri suppetias ferant, ac ueteres in duabus facultatibus Professores restituant. Quoniam uero multas et graues ob causas, non expedit nostros cum Academicis et externis illis Professoribus commisceri, facile et Principem et Consiliarios eius placaremus, si Monachij curam domus conuictorum susciperemus.

4. Hoc autem minori molestia nostri [a] quam usquam fere alibi, quia neque pecuniaria neque oeconomica cura distinerentur, sed morum tantum et literarum rationem haberent, prouidente interim Principe, ut externi gubernationem externam in se susciperent, nostrosque omni eiusmodi molestia et sollicitudine liberarent.

5. Nullum est fere ministerium, quod maiorem nobis et scholis nostris fructum in his regionibus polliceatur, et quo Germani nunc magis aegere uideantur, quam ut iuuentuti bene pieque instituendae integram operam demus. Vnde quidam iudicio et authoritate praestantes, publice dicere non uerentur · non adeo magni se facere nostra Collegia et Scholas, quibus domus conuictorum non annectuntur, Ex his enim praecipuum in Germania fructum sperandum et expectandum esse.

a) *Sic; supplendumne est* praestare possent Monachij *vel aliquid simile?*

[1] Societas eiusmodi „institutiones“ in se susceperat Vindobonae, Herbipoli, Dilingae, Moguntiae, Fuldae, Coloniae etc.; cf. *Duhr,* Jes. I 130 295—300.

[2] Alberti V. Bavariae ducis.

[3] Ingolstadiense et monacense.

[4] Imprimis Simon Thaddaeus Eck Alberti ducis cancellarius et Martinus Eisengrein universitatis ingolstadiensis superintendens.

6. Quod ministerij genus, nobis in Germania tanto commendatius esse merito debet, quanto minorem habemus occasionem, ut cum alijs Prouincijs paria faciamus, in his quae ad audiendas confessiones, ad casus conscientiae praelegendos, ad miseros consolandos et ad alia spiritualia ministeria spectant. Res enim ipsa docet, per eiusmodi conuictores multorum amicorum, parentum et uicinorum animos magis magisque nobis, Christo et Ecclesiae conciliari: ut idcirco hoc medium in Germania fructificandi sancte ambiendum potius, quam ualde detrectandum esse uideatur.

7. Vix ulla superest honesta purgatio, ut nos ab ingratitudinis et superbiae nota tueamur, sed augemus potius illorum suspitiones et querimoniam, qui putant nos de re priuata potius, quam utilitate publica sollicitos esse, quandoquidem post tot accepta Maecenatis beneficia, tam difficiles, morosi ac duri manemus, ut in proposito negotio de iuuentute adeoque tota Bauaria bene mereamur.

8. Accedit pium et honestum uotum parentum, hoc nostrum officium, quod alibi cum publico fructu magnaque laude praestamus, hoc etiam loco postulantium, ne alioquin suos liberos ut fit, ab externis in communi conuictu cernant[a] deprauari et omnem morum imbibere licentiam atque corruptelam.

9. Abundat Bauaria multis et opimis monasterijs, ad quorum necessariam reformationem ualeret plurimum, si in eiuscemodi conuictorum domo, ut optat et suadet Princeps, ex dictis monasterijs Nouitij quidam alerentur, quemadmodum Dilingae fieri solet, magno cum profectu non solum monachorum qui illic instituuntur sed etiam monasteriorum, quibus postea probe instituti restituuntur.

10. Nobilitas etiam Bauarica in sincera fide multum praesidij acciperet, si quemadmodum optant boni, et Princeps facturus uidetur, multorum[b] nobilium filij nostris gubernandj, et in eiuscemodi domo educandi committerentur. Jn hac catholica et pia institutione, maximum totius Bauariae bonum publicumque commodum collocari posse uidetur, Deo opt. max. auxiliante.

†

Quomodo diuersarum Religionum Monachi utiliter et sine iactura sui institutj possint Monachij cohabitare.

Siquidem horum Monachorum cura nostris committetur, non erit difficile illos conseruare, ut in literis et moribus cum profectu suae uocationis rite instituantur. Qua de re moniti Dilingani multa huc spectantia suggerent, ut in Bauaria fiat quod apud ipsos cum fructu et laude fieri nunc cernimus.

Sed fortassis non expediet, tantum onus nostris imponere, ut praeter conuictores externos 100 aut plures etiam Monachos in domestica instituant disciplina, praesertim primo anno, paulatim ad

a) cernam *Eld.* b) *Hoc v. supra versum scriptum est.*

maiorem numerum progrediendum esse uidetur ne alioquin onus hoc gubernandi, nostrorum humeris impar fiat, si multos praefectos conuictoribus tum secularibus tum religiosis dare cogamur. Qua de re principio Princeps cum suis admoneatur, ne dicant postea sibi non esse praedictum, utque nostris[a] sua libertas constet, neque nimium illi praegrauentur.

Siue autem nostris, siue exteris haec monachorum gubernatio concedatur, necessarium erit tot alumnis amplum, commodum, quietum et musis amicum domicilium, in quo cubiculorum certa fiat distributio, et uictus congruus detur, omniaque corpori necessaria suppetant.

Potissimum quaerendus illis erit praefectus[b], Ecclesiastici ordinis, uir prudens et authoritate praeditus, cui reuerentiam et obedientiam omnes praebeant, et qui pleno iure uniuersis praesit.

Js poterit fortassis efficere, ut communes leges proponantur et obseruentur ab omnibus, qui quidem conuenient in uictu licet non in uestitu, sicut neque in horis recitandis et paucis quibusdam alijs exceptis, circa cultum diuinum et orandi tempora, conformes esse poterunt, accedente tamen Abbatum et Praelatorum Monachos mittentium dispensatione, si quibusdam in rebus opus esse uideatur. Cauendum autem, ne Monachi prouectiores ueluti custodes et superintendentes ipsis Monachis facile adiungantur, quod difficilior et inquietior sit gubernatio, ubi non ab uno eodemque capite cuncti dependent, sicut neque Pedagogos nostris adiungi conuictoribus Romae sinunt.

Postremo, diligentius mecum de hac Monachorum educatione perpendens, uidere mihi uideor, in tanta religiosorum turba, non modicas difficultates, et uix crediderim hoc institutum, nisi nostri praefecti adsint, bene et foeliciter esse cessurum. Alij sapientiores in his tenebris, meliorem fortasse lucem ostendent, quorum consilijs libenter ego subscribam, Deum interim rogans, ut praeclaro sed arduo instituto commodum initium, et faeliciorem progressum, ad utriusque status in Bauaria profectum conferre dignetur.

Petrus Canisius[c].

† Admodum Reuerendo in Christo Patri, P. Paulo Hoffaeo, Collegiorum Societatis JESv [per Superio]rem Germaniam Prouin[ciali] etc. Monachij.

1923. CANISIUS **EVERARDO MERCURIANO** praeposito generali Societatis Iesu. Oeniponte 6. Aprilis 1575.

Ex autographo (2°; $1^1/_2$ pp.; in p. 4 inscr. manu librarii posita, et particulae sig.). Germ. 183 f. 246ᵃ—247ᵇ. Epistula usi sunt *Kröss*, Can. 205, et *Michel*, Can. 368².

Archiducem a se cum Societate reconciliatum esse. Cum principibus consideratius et suavius agendum esse. De rectore mutando, opere Mariano, iuvenum in universitate patavina pernicie, libro Sanderi.

a) *Ita in archetypo correctum est ex* praedictum, nostrique. b) *Sequitur* praesertim, *oblitt.* c) *Haec 2 vv. non a Canisio, neque ab Elderen, sed ab Hoffaeo scripta esse videntur.*

Binas P. T. alteram 7 Februarij, alteras 4 Martij scriptas, et posteriores quidem[a] antea redditas, reuerenter accepi. Quod igitur ad negotium cum Sereniss. Principe nostro confectum spectat, suo ille scripto testabitur[b], sicut et mihi copiose testatus est coram, P. T. epistolam, et promissum in illa societatis nostrae obsequium sibi ualde placuisse, neque opus fuisse hac sollicitudine, ut uelut offensum ipsius erga nos animum nouo studio conciliaremus[1]. Vult igitur ac iubet a se summa sperari, omnemque a nobis metum abijci, uerum non timoris, sed amoris affectum exigens. Mitto coetera, quibus non obscure suam erga nos beneuolentiam declarauit, et nostram quasi diffidentiam, quod non[c] confidentius atque familiarius cum ipso ageremus, uisus est coarguere. Neque nunc praeceptorem filijs ullum e nostris dari petit, expectans externum aliquem huic obeundo[d] [?] subeundo parem, ut probabile sit nos hoc onere prorsus liberandos, quod Rector[2] noster a P. Prouintiale[3] submonitus magnopere recusarat. Quare diuinae bonitati et P. T. gratias ingentes agimus, tanti Principis animum tam suauiter quam prudenter nobis aequiorem, totique societati benigniorem factum esse. Nihil enim est dubium, permoleste illi contigisse repulsam, quam ex responso Rectoris accepit, ideoque multa[d] de nostra tum ingratitudine, tum asperitate questus est, praesertim quum alia quaedam accederent, in quibus Rector noster se illi opposuit in scholae et classium mutatione. Dicam autem duo, quae mihi quidem utiliter obseruanda uidentur, ne in posterum[e] hosce Principes offendere, et utcumque a nobis abalienare pergamus[f]. Alterum est, ut P. Prouintialis nulli Principum aut Reginae quicquam deneget, aut a Rectoribus denegari sinat, nisi re prius collata cum P. T. quae satis agnoscit, quanti referat, paucissimos Germaniae principes Catholicos non duriter, sed suauiter admodum a nobius tractari, etiamsi nonnihil molestiae et oneris accederet societati. Ac subinde quidem Regina[4] queritur, quod adeo difficiles ac morosi esse uelimus, ut maiorem Principum Germanorum rationem non habeamus: nos nimium pro nostra libertate pugnare, lenius agendum esse, si benefactorum animos hoc tempore nobis et Ecclesiae conciliatos atque deuinctos cupiamus. Alterum est, ut Rectores in rebus grauibus siue Principi, siue alijs responsuri, suos primum consiliarios audire iubeantur, remque diligenter considerent, aut ad ipsum referant Prouintialem, priusquam uel uiua uoce, uel scripto concludant et expediant, quae alicuius esse momenti uidebuntur. Jd si factum esset in hoc collegio, minus[g] Rectorem Princeps incusasset, de quo saepe questus est his

a) *Sequitur* rec, *oblitt.* b) *In margine, manu romana eiusd. temp.:* Conciliatum nobis esse Principem. c) *Sequitur* diffidenter, *oblitt.* d) *Sic; volebatne scribere* huic muneri? *vel* huic officio? e) *Sequitur* ille, *oblitt.* f) *Sequitur* cum, *oblitt.* g) *In margine, manu rom. eiusd. temp.:* Quid sibi uideatur in posterum obseruandum cum hisce principib:

[1] De hac offensione v. supra p. 283. Ferdinandi II. archiducis ad Mercurianum epistula sub ipsas has litteras ponetur. [2] P. Wendelinus Völck.
[3] Paulo Hoffaeo. [4] Magdalena.

mensibus, prohibens etiam suis[a] filijs[1] et nobilibus pueris, ne uel Rectori, uel nostris, ut prius, peccata sua confiterentur. Vehementes illi Rectoris motus huic et loco et tempori non congruunt, quantum ego intelligo: neque solum sedatiorem, sed et doctiorem ob authoritatem loci[?][b] hic[?][b] praefici fortasse expediret. Talem fore putarem P. Rabenstain Rectorem Jngolstadiensem, qui et contionandi, et conuersandi pollet gratia: Verum de rationibus collegij Jngolstadiensis nouerit P. Prouintialis, qui fortasse admonitus de hac duorum Rectorum mutatione scribet ea, quae maiorem lucem dabunt, quam ego monstrare possim, remque omnem P. T. iudicio subiectam relinquo.

Ago et debeo ingentes gratias, quod P. T. ad P. Prouintialem meo nomine scripserit, ut socium et ocium ad elucubrandum opus nostrum praebeat[c]. Expecto igitur gratiam superioris[2].

Dolet mihi sane, bonos et Catholicos adolescentes e Germania mitti Pataiuum, ibique in religione corrumpi: tanta est licentia de fide disputandi, et contra Ecclesiae institutum agendi peccandique publice. Nec desunt haeretici libri Italice excusi, reliqua norunt nostri alijque exteri ex Venetorum ditionibus uenientes[d]. Vtinam his non leuis momenti scandalis obuiam iri posset, priusquam non modo Germani, sed plures etiam Jtali tam foeda lue corrumpantur[3]. Iudicium esto penes P. T.

Scriptum erat de libro huc mittendo, et ad P. Prouintialem deinde perferendo: miramur literas sine libri sarcinula[e] redditas esse[4]. Commendo me plurimum sacrificijs et precibus P. T. ac omnium simul Assistentium. Oeniponti 6 Aprilis 1575.

P. T.

Jndignus filius Pet. Canisius.

† Admodum Reuerendo in Christo Patrj nostro Patrj Euerardo Mercuriano Societa[tis] JESV Praeposito Generalj. Romae.

1. *Litterae, quas *Ferdinandus II.* archidux, Canisii opera cum Societate (aliqua saltem ratione) reconciliatus, ad Mercurianum dedit, adhuc exstant, a Christophoro Ebnero (notario) scriptae et manibus ipsius Ferdinandi, Ioannis Wellinger a Schneeberg cancellarii aulici, Iacobi Holtzapffel vicecancellarii aulici subscriptae (Epp. Ext. 27 f. 24a—25b). Praeterea Oeniponte in archivo praefecturae, ut ex R. P. *Aloysio Kröss* S. J. accepi, earundem litterarum commentarium asservatur;

a) *Sequitur* de, *oblitt.* b) *Sic; corrigendum esse videtur:* loco huic. c) *In margine, ut supra (p. 289b):* Gratias agit P. N. d) *In marg., ut supra:* Quid contingat Germanis Patauij studentib: e) *In marg., ut supra:* Acceperunt literas, sed non librum.

[1] Andreae et Carolo. [2] Vide supra p. 277.

[3] A medio saeculo XVI. multi iuvenes Germani iuri studebant Senis, Bononiae, Perusii, maxime autem Patavii; ibi enim Germani singularia privilegia habebant, et protestantibus plurima a Venetis, quorum ea erat universitas, permittebantur (*Ad. Stölzel*, Die Entwicklung des gelehrten Richterthums in den deutschen Territorien I, Stuttgart 1872, 56—78).

[4] Vide, quae de hoc Nicolai Sanderi libro sub ipsas has litteras (in n. 2.) notabuntur.

in quo Ferdinandi et Wellingeri subscriptiones desunt (Ambraser Akten, Hofconcepte 1575). En litteras ipsas:

Ferdinandus Dei gratia Archidux Austriae etc. Reuerende et deuote syncere nobis dilecte. Humillimas litteras tuas, quinta Martij proxime praeteriti, ex Roma ad nos datas, accepimus, et ex eis singulare tuum tuique Ordinis studium sollicitudinem, promptissimamque gratificandi Voluntatem, in acquirendo nobis, pro charissimis filijs nostris aptum, et qualem Vellemus, idoneum praeceptorem, abunde satis intelleximus. Quae quidem humillima tua, tuique Ordinis erga nos animi propensio haud ingrata nobis extitit. Sed quia de hac re nos cum patre Canisio · sicut ab eo intelliges, coram latius egimus, ipse tibi sine dubio per litteras suas nostram resolutionem exponere haud grauabitur. Id nos erga te et totius[a] Societatem Ihesu, qualibet offerente se occasione, clementia nostra recompensaturi. Datae in Ciuitate nostra Oeniponte sexta die Mensis Apprilis Anno Dominj. Millesimo. Quingentesimo Septuagesimo quinto.

Ferdinandus, propria manu.

Vidimus. Baro in Schneperg.

Ad mandatum Serenissimi Dominj
Archiducis proprium.

Jacobus Holtzapffel D.
propria manu scripsit.

Christophorus Ebnerus propria manu.

Reuerendo et deuoto syncere nobis dilecto Patri Eberhardo Mercuriano Societatis Ihesu Generalj. Romae.

2. De libro, cuius Canisius in extrema epistula facit mentionem, P. *Antonius Possevinus* Societatis secretarius P. Völckio rectori oenipontano Roma 12. Martii 1575 *scripsit: „Missa est hinc sarcinula cum Agnis Dei, et libro Doctoris Sanderi de Justificatione ut isti Collegio quamprimum reddatur"; Hoffaeum autem provincialem debere „librum Sanderi ... diligenter item edendum" curare (ex apogr. eiusd. temp.; G. Sup. 1, p. 25[a]). Neque id praeceptum debet videri mirum; nam Nicolaus Sanderus (Sanders, Saunders) theologus anglus (de quo Can. V 238) a *Mercuriano* in *litteris Roma 20. Februarii 1580 ad Hoffaeum datis „uir Societatis amantissimus" vocatur (ex commentario epistulae; Rh. Inf. 1, II f. 39[b]); atque, ut *I. H. Pollen* ait, „Sander's works were in fact in great requisition at the time" (The English Historical Review VI, London 1891, 41). *Mercurianus* deinde Hoffaeo *scripsit Roma 22. Septembris 1576: „Miramur tantum de libro Sanderi silentium, quem jam typis excusum esse oportebat. Curet igitur R. T. vt quam primum prelo committatur, et quoniam Episcopus Augustanus[1] iam vita functus est, Moguntino Archiepiscopo[2] dedicetur mutatis mutandis R. T. aut P. Canisij opera, aut si quis alius idoneus videbitur. Neque enim id repugnabit Sanderj voluntati, qui in vnius Societatis gratiam Augustano dicare decreverat" (ex commentario, G. Sup. 1, f. 49[b]). Anno tandem 1585 cum litteris dedicatoriis ad collegia Anglorum duacence et romanum excusi sunt (in 8°) Augustae Trevirorum Sanderi „De justificatione contra colloquium Altenburgense, sive de Lutheranorum dissidiis circa justificationem, lib. VI"; qui iterum editi sunt Coloniae Agrippinae a. 1594 (*Thomas Tanner*, Bibliotheca Britanno-Hibernica, Londini 1748, 653).

1924. P. LAURENTIUS SURIUS O. CART. CANISIO.

Colonia inter exeuntem m. Martium et exeuntem Aprilem 1575.

Vide infra, ep. 1925.

a) *Ita et archetypum et commentarium; scribendum sane fuit* totam.

[1] Ioannes Egolphus a Knöringen. [2] Danieli Brendel ab Homburg.

1925. CANISIUS cardinali **LUDOVICO MADRUTIO**, episcopo principi tridentino, germanicae nationis apud sedem apostolicam protectori.

Oeniponte 13. Maii 1575.

Ex apographo eiusdem temporis, quod est in bibliotheca vaticana, Cod. Vat. lat. 6192, P. I f. 296[a]—297[a]. Litteras ex eodem apographo primus edidit *Schellhass*, Quellen und Forschungen XIV 311—313. Iisdem usus erat *Dejob* l. c. 31. Brevem earum summam posuit *Orbaan* l. c. n. 46.

Rogat eum, ut P. Surii librum Pontifici tradat, atque ut vitas Sanctorum et acta conciliorum Romae colligenda curet. Surium et Goffinum iuvenes commendat.

Pax Christi nobis aeterna

Illustrissime et Reuerendissime Domine.

Rogat me amicus et de Ecclesia Dei praeclare meritus P. Laurentius Surius Coloniae Carthusianus, cui meam operam denegare non possum, rogat inquam, ut hunc librum suum, quem de Sanctorum historijs recens edidit[1], in vrbem perferri, et Pontifici maximo[2] cum summa reuerentia, et ipsius commendatione diligenter offerri, atque donari procurem. Ad quam rem probe conficiendam nullum ego isthic praeter Illustrissimam Amplitudinem Tuam, aut aptiorem, aut praestantiorem fore existimaui. Eam ipsam igitur etiam atque etiam oro, ut hoc qualecunque munus, quod certe ornat Ecclesiam, ipsi uniuersalis Ecclesiae capiti P. Surij loco tradere, et porro utriusque nostrum nomine apostolicam benedictionem, quam supplices ambo petimus, a Sanctissimo D. Nostro clementer impetrare minime dedignetur. Quoniam uero eiusdem P. Surij nepos, qui sane ignotus non est, pontificia liberalitate Perusij hucusque fouetur[3], sit et ille obsecro, ac maneat semper Illustrissimae Celsitudini Tuae de meliore nota commendatus. Hic fidenter adiungam, quod iuris doctis, et catholicae religionis amantibus ualde consultum uideri animaduerto, ut Romae nimirum unus, atque alter Pontificis max. auctoritate commotus praeclarum. P. Surij laborem in colligendis Sanctorum historijs feliciter aemuletur, promoueatque. Jd uero futurum putant, si huiusmodi Sanctorum historiae iam editae cum alijs manuscriptis exemplaribus, quae passim in Jtalicis bibliothecis delitescunt, sedulo conferantur, et plures aliae, quae nondum editae sunt, in lucem quoque proferantur, ut laudatissimum, et utilissimum hoc historiarum genus, quod .P. Surius euulgare mirabiliter coepit, ac multi hactenus expectarunt, feliciter aliquando absoluatur[4]. Deinde, quoniam Coloniae Geruinus Calenius

---

[1] Significatur „De probatis Sanctorum Historiis . . . Tomus sextus, complectens Sanctos mensium Novembris et Decembris“, Coloniae a. 1575 „apud Geruinum Calenium et haeredes Quentelios“ editus; huius enim litterae dedicatoriae ad Ernestum Bavariae principem a Surio ex cartusia coloniensi 5. Martii 1575 datae sunt, et in ultimo libri folio significatur, „15. Martij, 1575“ opus absolutum esse.

[2] Gregorio XIII.

[3] Laurentius Surius canonicus lubecensis, v. supra p. 22 133. Ceterum vide, quae sub ipsas has litteras dicentur.

[4] Eiusmodi historiarum (ut nihil dicam de duobus voluminibus a Bonino Mombritio patricio mediolanensi sub initium saeculi XVI. editis) volumina 8 iam circa

dat operam, ut Concilia generalia recognita prodeant, ex publica ecclesiastica utilitate fore uidebitur, si unus atque alter ex professo Romae curet, vt ea, quae ad tanti operis profectum, decus, et recognitionem pertineant, collectis undique ueterum librorum, vel Synodorum praesidijs quam primum, et sedulo promoueantur[1]. Verum ignoscat mihi quaeso Illustrissima pietas tua, quam ego praeter decorum tam multis interpello, et ad rem literariam a publicis curis, atque negotijs uideor reuocare.

Studiosus hic Joannes[2] Leodiensis, qui P. Surij munus defert, atque tradet, dignus sane uidetur, ad quem aliquid beneficij conferatur, si locum in Collegio Germanico nullum habere potest. Ego uero me, et Germaniam nostram omnem Celsitudini Tuae, ut primario Germanorum Protectori, atque patrono quam possum maxime cum omni submissione commendo, eique gratiam diuini spiritus uberrimam, atque perpetuam precor[3]. Oenipontj xiij Maij 1575.

Illustriss. D. V.

Seruus in Christo
P. Canisius.

Dejob et *Orbaan* has litteras (quarum inscriptio iam non exstat) ad cardinalem Guilielmum Sirletum datas esse affirmant idque, nisi fallor, propterea, quod codex vaticanus, in quo illae sunt, olim Sirleti erat, et quod fere epistulae ad Sirletum datae eodem codice comprehenduntur. At Canisius eum, cui scribit, „primarium Germanorum Protectorem atque patronum“ vocat; quod officium cardinalis Ludovicus Madrutius tenebat; neque Canisius, si Sirleto, homini litterarum studiosissimo et bibliothecae vaticanae praefecto, scripsisset, veniam ab eo petisset, quod eum „ad rem literariam a publicis curis, atque negotijs reuocaret“. Hoc vero satis plane cognoscitur: Madrutius, ut Surii, Calenii, Canisii desideriis litterariis per Sirletum satisfieret, ei litterarum canisianarum apographum illud, quod nunc in codice vaticano exstat, misit.

De „Joanne Leodiensi“, cui Canisius has litteras Oeniponte tradidit Romam perferendas, in antiquissimo Collegii germanici *catalogo notatum est: „Ioannes Goffinus Villarius dioecesis Leodiensis annorum 26 venit 25. octobris 1575 physicus“; deinde, eadem manu: „Discessit 9 septembris 1578“ (*Schellhass* l. c. 313[1]). Goffin, a. 1579 parochiam herviensem (Herve, in Belgio, prope Leodium) administrare a Gregorio XIII. iussus, aestate a. 1580, rediens ab aegroto, cui sacram eucharistiam attulerat, a militibus calvinianis primum indignissimis contumeliis vexatus, deinde immaniter trucidatus est (*Sacchinus*, Hist. IV, l. 7, n. 9: *Steinhuber* l. c. I² 261).

Madrutium, qui unus erat ex cardinalibus collegii germanici „protectoribus“ (*Steinhuber* l. c. I² 99), alterius quoque iuvenis, quem Canisius in his litteris ei commendaverat, curam aliquam suscepisse verisimile est; in catologo certe illo collegii germanici, quem dixi, haec sunt: „Laurentius Surius Saxo Lubecensis annorum 24. Casista. Venit 18 novemb. 1575. Discessit 9. septembris 1578.“ Manu deinde posteriore additum est, eum, sacerdotio initiatum, Coloniae in ecclesia col-

---

medium saeculum XVI. Aloysius Lipomanus episcopus veronensis collegerat (v. *Can.* VI 103²); quibus se esse usum Surius in ipsis tomorum suorum foliis titularibus testatus est. [1] De hoc instituto v. supra p. 243.

[2] Goffinus; vide, quae sub ipsas has litteras dicentur.

[3] Dominica Pentecostes (quod tempus Sancto Spiritui singulariter sacrum est) futura erat 22. Maii.

legiali S. Mariae in Capitolio et Lubecae in ecclesia cathedrali canonicum fuisse (*Schellhass* l. c. 312[1]). De rebus Lubecae bene ab eo gestis v. *Steinhuber* l. c. I[2] 481.

Caeterum, sicut apud Madrutium, ita etiam apud Sirletum Canisii opera interposita est ad Surii opus „De probatis Sanctorum Historiis" novis historiis locupletandum. *Surius* enim in * litteris „ex Carthusia Coloniensi 26 Martij, Anno 78" datis, quas per tres adolescentes Romam euntes Sirleto mittebat, sic ei scribit: „Nunc tandem obnixe oratam velim C. T. vt si quas habet necdum a me editas Sanctorum historias, quae sint bona fide conscriptae, eas mihi communicare velit, idque per Reuerendum Patrem Petrum Canisium Societatis JESV, cum quo mihi a puero coniunctissima fuit vitae consuetudo" (ex apographo recenti eoque exscripto ex autographo, quod exstat Romae in bibliotheca vaticana, Cod. Reg. 2023 f. 346).

1926. CANISIUS **P. ALPHONSO SALMERONI** provinciae S. J. neapolitanae praeposito. Oeniponte (?) vere vel aestate a. 1575.

Ex libro „Istoria della Compagnia di Giesu, appartenente al Regno di Napoli, descritta da *Francesco Schinosi*" S. J., P. I, Napoli 1706, 282.

Provinciae prosperitatem ei gratulatur.

P. Franciscus Schinosi (1650—1723) provinciae neapolitanae Societatis Iesu primus historicus (6 annos rector collegii neapolitani fuit) in historiae prima parte, ubi de anno 1574 agit, haec narrat: „Intanto, splendeva fino alle piu lontane nostre Provincie, questo fervore del nostro Collegio in Napoli, e simigliantemente de i due altri rimastici in Regno, l'uno in Nola, l'altro in Catanzaro, dopo dismessi quei due di Abruzzi, e dopo rimesso quel di Reggio a Sicilia[1]. *Il nostro Pietro Canisio, huom' e per virtu, e per letteratura, uguale alla sua gran fama, rallegrossi col Provincial Salmerone su le benedizioni del Cielo, che per questi tempi a noi altri piovevano in seno; così da Germania scrivendo in una sua, che tuttavia serbiamo:* Legimus litteras de rebus Provinciae vestrae, quae non potuere nobis non magnam in Christo afferre consolationem; et in quibus aperte cernimus Dominum esse vobiscum, vestraque Collegia mirabiliter promouere."

Canisius illas litteras annuas significare videtur, quae de rebus anno 1574 gestis datae erant; has non repperi; eas autem sub exitum eiusdem anni scriptas esse puto, qui annuas anni 1576 Kalendis Ianuariis 1577 et annuas anni 1578 Kalendis Decembribus 1578 datas esse vidi (Neap. 72 f. 15[a]—26[a]).

1927. CANISIUS **BARTHOLOMAEO DE PORTIA**, apostolico in Germania nuntio. Oeniponte circa m. Iunium 1575.

Ex apographo litterarum Portiae, de quo infra, ep. 1935.

Rei publicae Christianae calamitates deplorat. Optat ut Portia „futuro Principum conuentui" (quibus verbis non comitia ordinum imperii, quae primum in d. 15. Februarii 1576 indicta sunt [postea dilata sunt], significari videntur, sed conventus principum, qui regis Romanorum eligendi causa Ratisbonae autumno a. 1575 habendus erat). Civitates quas-

[1] Collegium rheginum datum est Siculis a. 1567; collegiola interamnense (Teramo) et Civitatis S. Angeli (Città S. Angelo) dissoluta sunt extremo autumno a. 1573 (*Sacchinus*, Hist. III, l. 3, n. 101; IV, l. 1, n. 58).

dam ab ecclesia catholica defecisse. Facultatem quandam petit. Plura vide infra, in litteris Kalendis Augustis 1575 a Portia ad Canisium datis; Canisii enim epistula perisse videtur.

Fridericus III. Palatinus elector volebat efficere, ut in conventu illo ratisbonensi Rudolphus (II.) Maximiliani II. imperatoris filius (de hoc enim eligendo agebatur) condiciones quasdam, quae ecclesiae catholicae detrimento futurae erant, admittere cogeretur (*Janssen* l. c. IV $^{15-16}$ 388—392; *Mor. Ritter*, Deutsche Geschichte im Zeitalter der Gegenreformation etc. I, Stuttgart 1889, 464—465 472).

1928. CANISIUS **EVERARDO MERCURIANO** praeposito generali Societatis Iesu. Oeniponte 10. Iunii 1575.

Ex autographo (2°; 1 p.; in p. 4 inscr. manu P. Guilielmi Elderen S. J. posita et particulae sig.). Germ. 183 f. 248[a]—249[b].

„De amanuensi" suo, Ferdinandi II. in Socios animo, romana pietate.

† Pax Christi nobis aeterna.
Admodum Reuerende Pater.

Ingentes ago et debeo gratias P. T. quod nuper pro singulari charitate sua scriptorem ad me[a] miserit siue amanuensem Saluatorem[1]. Nullam de illo hactenus mentionem feci, quod operam eius primum ad tempus cuperem experiri, et P. Franciscus qui illum nobis adduxit[2], aliquam de illo suspicionem inijceret, quasi non satis ad hoc scribendi munus idoneus futurus esset. Venit interea huc P. Prouintialis[3], quocum egit ipse Saluator suam excusans ualetudinem, et nescio quid de uictu et aere Germanico conquerens, ac desiderium in Jtaliam redeundi praeseferens. Visum est igitur eidem P. Prouintiali, ut ad P. T. scriberem, nos libenter facturos quod petit Saluator, ut paucas horas impendat scriptioni quotidianae, ne offendat ualetudinem. Deinde quoniam nouitiatum aegre ut dicit, absoluit Romae, ac fortasse quod optabat, apud nos reperire non potest, et nocituram sibi Germaniam putat, consultius fore iudicatum est, ut mature Jtaliae restituatur, priusquam peius habere pergat. Petit igitur et rogat Pater idem, ut P. T. solum indicare dignetur, sit ne ille in Lombardicam prouintiam, aut etiam longius ex hoc loco mittendus. In nobis mora non erit, quo minus in uiam se det euocatus, quod speremus illum hac migratione et animo et corpore rectius ualiturum, aut certe minus futurum melancholicum. Gratum nobis initio fuisset, si quisquam ex urbe uel paucis monuisset, quae circa hunc fratrem iuuandum obseruare debueramus. Doleo sane illum minus aptum uideri ad illa praestanda, quae P. T. tam gratiose ad scriptionem meam promouendam constituit, ac reipsa declarauit.

a) *Hoc v. supra versum scriptum est.*

[1] Salvatorem „da Coldiscepoli" Romae Societatem ingressum; de quo plura dicentur infra, monum. 1187.

[2] P. Franciscus Antonio S. J., Mariae imperatricis contionator, eum 28. Aprilis secum adduxerat Oenipontem; v. infra, monum. 1187.

[3] Hoffaeus.

De causa Principis nostri [1], eiusque literis isthuc uti spero, perlatis postremo scripsi. Non est quod metuamus illum a nobis ut antea, petiturum poedagogum: suam promittit nobis beneuolentiam, sed ut uideatur Rectori nostro [2] necdum reconciliatus.

Valde gaudemus, peregrinos ex urbe redeuntes tam multa et praeclara de Romana pietate referre [3]. Putarim, Pont. Max. et praecipuos quosque magnam in domino consolationem inde percepturos, si cognoscerent, quam longe lateque suauis hic odor Rom. Ecclesiae per multas prouintias diffundatur. Christo semper gloria, et haereticis confusio salutaris. Commendo me plurimum sacrificijs et precibus P. T. semper. Oeniponti 10 Junij 1575.

Seruus et filius Pet. Canisius.

† Al molto Reuerendo in Christo Padre, Jl Padre nostro Euerardo Mercuriano, Preposito [Gene]rale della Compagnia di Giesv. etc.

Jn Roma.

Quod Canisius in his litteris significabat se de Ferdinandi II. archiducis in Socios „benevolentia" nonnihil dubitare, haud perperam dicebat. *Hoffaeus* enim provincialis 11. Iulii 1575 Mercurianum de Ferdinando et de Magdalena eius sorore *monuit: „Quod P. V. existimet Archiducem nobis esse beneuolum, non quaeso hoc credat: aliud nos plane experimur.... Omnes boni notant malo illum contra nos spiritu agitari sine causa. Familiarissime quidem mecum egit, sed aliud loquitur, aliud agit · bona Regina lachrymis haec deplorat, et amici compatiuntur.... Suis aulicis prohibuit ne nostris amplius confiterentur. ... Naso ualde nocuit" (ex autogr.; Germ. 136 f. 19 20). De P. Ioanne Naso v. supra p. 170—178).

1929. EVERARDUS MERCURIANUS praepositus generalis Societatis Iesu CANISIO. Roma 25. Iunii 1575.

Ex apogr. eiusd. temp.; in margine, eadem manu: „P. Canisio". G. Sup. 1 f. 28[a].

Sepulcrum cancellarii tirolensis. Salvator Canisii amanuensis.

Nescio an responderim litteris T. R. in quibus praeter ea quae ad me scripsisti de negotio Augustano habebas Cancellarium Tyrolensem [4] sepulturam sibi delegisse in coemeterio Templi nostri Halensis quam ei concedi debere sane quidem iudicamus, si modo id cum bona Serenissimae Reginae [5] gratia fieri poterit. Tuum itaque erit, et hoc tractare cum eius Celsitudine et eidem Cancellario, ac Prouinciali [6] significare quid actum erit. Ceterum cum isthuc iam peruenerit frater noster, qui laborib: tuis pro amanuensi adsit, ceterisque tuis necessitatibus inseruiat [7], eum ita tibi commendo ut qui adhuc nouitius est, et in humilitate altiores radices iacere debeat a te prudenter et cum charitate ut soles adiuuetur. *etc.* Romae 25. Junij 1575.

---

[1] Ferdinandi II. archiducis; vide supra p. 283 289.

[2] P. Wendelino Völck. Vide, quae sub ipsas has litteras dicentur.

[3] Sacrum ibi iubilaeum agebatur; ad quod multi ex variis terris fideles confluebant; cf. supra p. 231 [3] et vide *Epp. Nadal* III 691.

[4] Christophorum Klöckler; v. supra p. 280. [5] Magdalenae.

[6] Hoffaeo. [7] Salvator da Coldiscepoli; v. supra p. 295.

1930. CANISIUS **EVERARDO MERCURIANO** praeposito generali Societatis Iesu. Oeniponte 26. Iunii 1575.

Ex autographo (2°; 2 pp.; in p. 4 inscriptio alia quadam manu posita et reliquiae sig.). Germ. 183 f. 250 252. Epistula usus est *Kröss,* Can. 193.

Praefatio editoris: Hoffaeus praepositus provincialis Oeniponte 28. Iunii 1575 Mercuriano *scripsit: „Monuj Halenses Patres, vt de tribus sequentibus articulis vna cum P. Canisio isthuc, quid sentirent, perscriberent. Jmprimis omnes tres praedicti Patres iudicarunt ad sacros ordines promouendum esse M. Matthiam Keselium Coloniensem[1] qui Halae versatur, estque annorum 34 vtcunque bona valetudine, Jn societate vndecim annis: plus minus nouem annis iuuit Societatem in scholis inferioribus, postpositis studijs. Jn seculo Coloniae creatus artium et Philosophiae Magister: Theologiae et conscientiae casibus circiter biennium in Societate vacauit, sed etiam nunc ad inferiores scholas remissus est. Mediocre habet iudicium et ingenium, valet prudentia, estque in vocatione constans, sed cholerae sic satis subiectus, et nonnihil in moribus liber. Meretur de societate, vt ad sacros ordines promoueatur: accedit etiam quod patrimonij suj partem ante annos nostris Coloniensibus distribuit, quo se etiam Societatis benefactorem constituit. Secundus Articulus est de horto Reginae[2]. Nouerit P. V. in Halensi fundatione[3] confirmatum esse, vt post obitum Reginae, Domus et hortus Reginalis nobis; et vicissim Domus et hortus, quibus nos modo fruimur, Virginibus relictis cedere debeat. Hortus quidem Reginalis amplius duplo maior est horto nostro moderno, optime accommodatus alendis gallinis, lauandis pannis etc. Ob huius modj commoditates instíterunt Virgines apud Reginam, efficeret sane apud Societatem, vt Reginalis hortus Virginibus relictis maneret, nullaque hortorum permutatio fieret, dum relictae Virgines viuerent. Regina Virginibus compatiens, eisque volens facere satis, mecum egit multis precibus, magnoque affectu et humilitate, vt suo nomine apud P. V. hanc causam susciperem, et simul efficerem, vt per P. V. liceret Virginibus relictis hoc Reginali horto fruj dum viuerent: velle se literarum instrumentum conficere, nobisque confirmare, fore, vt Reginalis hortus post Relictarum mortem ad Societatis Collegium citra moram et impedimentum perueniat. Velle se etiam modernum hortum nostrum amplificare et augere, muro cingere et aedificio instruere, vt futurus sit etiam maior horto oenipontano, de quo referre potest P. Lanoius: velle se denique hanc gratiam a Societate sibi factam agnoscere, et alijs beneficijs compensare, ac Societatem scire, nihil sibi posse gratius accidere quam si hoc vnum a P. V. impetret. De situ vtriusque horti et loci distantia informabit idem P. Lanoius, quem cupio scire post Reginae mortem deijciendum esse pontem, per quem Regina e suis aedibus in hortum, ciuitatis fossam transit. Ad hanc petitionem obieci Reginae ea, quae illi objicienda putabam: ipsa vero confugit ad preces verecundia, humilitate et affectu armatas, cumque viderem affectu agi, respondi, facturum me, quod potero: optabat illa vero citum responsum, propter fabricam, quam hac aestate in suo horto ad virginum vsus commodam meditatur. Nunc quae mea sit sententia, huc subijciam. Re diligenter cogitata, iudico omnino expedire, vt P. V. in hanc petitionem Serenissimae Reginae consentiat. Nam quod aliquis forte bonam Reginam inconstantiae insimulare velit, ac si multas hactenus fecerit mutationes, et subinde nouas excogitet, nimirum quod initio decreuisset fundare reditus 1500 Florenorum, et nunc tantum supra mille perpetuos, parum de alijs quingentis sperari: quod bibliothecam augere voluerit, nunc amplius addat nihil: quod societati liberum fecerat, vt Nouitios Halam transferret, quos tamen admittere deinde noluerit: quod nobis in officijs chori et cantus molesta esse non voluerit, et tamen nuper a nobis Sacellanum exegerit: quod scholarum institutionem

[1] De hoc v. *Can.* V 445. [2] Magdalenae.

[3] Litterae fundationis collegii halensis a Magdalena et Helena reginis conditi conscriptae et confirmatae sunt a. 1571; de quibus *Agricola* l. c. I Dec. 4, n. 1.

procurauerit, quam tamen nobis liberam reliquerat in fundatione: quod denique nunc etiam circa hortos sententiam mutare percupiat: etsi inquam aliquis haec omnia in malam partem forte accepturus sit; re tamen probe intellecta, Regina extra culpam erit: et imprimis quidem, si annis aliquot in viuis mansura est, supra mille annuos omnino decreuit alios quingentos annuos adijcere: sola enim paupertate sine sua culpa hactenus hac in parte impeditur: bibliothecam sane satis auxit, qua etiam in re alios omnes fundatores nouo exemplo superauit [1]: neque sic in vita sua Nouitios Halae admittere nolujt, quin facile patiatur, vt post eius mortem illuc transferantur: Jn officijs chori molesta nobis non est, cum proprium et externum Sacellanum in hunc vsum conduxerit, propriosque cantores musicos alat: ac non tam ipsa quam Senatus Halensis scholae institutionem petiuit et impetrauit: haec omnia vero copiosius possem explicare, si res ac tempus ferret. His igitur omnibus non obstantibus, consulo plane, vt P. V. eius de horto petitioni annuat. Primum enim non est alienatio horti, sed tantum permutatio ad tempus, quo vixerint relictae Virgines. 2º parum interesse videtur, vtrum ad tempus hoc an illo horto vtamur, cum etiam modernus abunde nobis sufficiat. 3º aedificationem habebit, si hic donemus aliquid honestae petitioni tantae personae: non carebit autem offensione, si ob exiguum commodum nolimus cedere. 4º existimo plane magis vtile Collegio, quam inutile fore, si benefactrici in re tam ipsi grata et optata, condescendamus ad tempus. Denique cum id petat magno affectu, difficile erit huic affectui non cedere, ne contristemus optimam Matrem, nunc a charis seroribus solam relictam [2], et partim aetate, partim aduersa valetudine post sororis obitum sic affectam et fractam, vt diu nobis superstitem esse posse minime speremus: Donet igitur P. Vestra bene de nobis saepissime meritae et infirmae matri hanc solam et forte postremam consolationem. Ego quidem ante statueram plane contrarium suadere: sed re melius coram Domino considerata, existimauj me valde perperam agere, si contrarium suaderem. Censeo nihilominus non absque conditionibus hanc petitionem esse admittendam. Harum prima esse poterit, vt horti restitutionem ad mortem Virginum relictarum nobis confirmet. 2ª vt ijsdem literis caueat ne Virgines quicquam in horto mutent aut destruant nobis inuitis aut non monitis. 3ª si quo casu inter virgines schisma aut separatio post Reginae mortem multis discedentibus fieret, sic vt vna aut altera tantum in deputatis aedibus remaneret; vt etiam tunc ante harum mortem ad nos hortus rediret etc. Non putarim tamen etiam pro his conditionibus cum Regina pugnandum esse, si illas ipsa non probet. Tertius articulus est de P. Natali. Certe Pater Reuerende, exigit hic Pater aliam tractationem quam quae a simplicitate germanica praestari illj possit: exigit etiam laetiora ingenia quam sint nostra: non fert etiam nostra paucitas et ineptia ac tarditas vt huius Patris senilibus necessitatibus et celeritati possimus facere satis. Non sola ratio, sed experientia et tentatio docet, (nisi nimium nostrij grauari debeant) hunc patrem esse in Jtaliam transferendum ad Domum aliquam professam vbi sunt homines ad Patris curam aptiores: vbi etiam meliores cibi: et non desunt qui iudicent hoc etiam magis esse conforme nostris constitutionibus, et caueri sic etiam poterunt variae tentationes et querelae, quae non videntur esse facile contemnendae. Amamus bonum Patrem et dolemus eius petitionibus sine querela non posse a nostra simplicitate et paupertate fieri satis. Possem plura referre, sed non puto opus fore" (ex autogr.; Germ. 136 f. 195ª—196ᵇ).

Magdalenae reginae petitio de horto; collegii fundatio. Novus sacerdos. P. Natalis „naevi", scripta, animus adversa ferens. Canisii scriptor. Hoffaeus provincialis iuvandus; consultores. Canisius contionibus liberandus.

[1] *Jacobus Pontanus* S. J. in *Litteris annuis provinciae Germaniae superioris, Dilinga 1. Augusti 1574 datis narrat: Reginae in collegii halensis „bibliothecam quam anno superiore grandi pecunia confecerant 400 florenos contulerunt" (ex exemplo archetypo).

[2] Halae Margarita a. 1567, Helena a. 1574 vita decesserant.

† Pax Christi nobis aeterna, Admodum Reuerende Pater.

Cum Pater noster Prouintialis in horum collegiorum[1] uisitatione uersaretur, scribi quaedam ad[a] [?] me uoluit, quae his literis explicabo, ut meum qualecumque iudicium habeat P. T.

Primum desiderat et petit Regina hortum Halae nostris attributum, contra priora pacta suis domesticis foeminis, a quibus ipsa subornata est, P. T. accedente authoritate applicare[b]. Fiet hoc proculdubio cum euidenti nostri collegij detrimento, neque parum confirmamur in ea suspicione, quod Reginae animus a nostris utcumque sit abalienatus, quando de complenda dotatione[c] parum sollicita, tam multa in suas confert foeminas, et paulatim nostris plus adimere quam donare uelle uidetur. Mea igitur haec est sententia, ut P. T. suas uices[d] totamque respondendi curam P. Prouintiali committat, qui de particularibus circumstantijs in huiusmodi hortorum commutatione considerandis iam satis est instructus, et facile iudicabit, quod magis in rem facere uideatur. Expedit aliquando, ut huiusmodi mutabiles benefactorum animi, quum ita sunt frigidi, nos protinus fauentes et annuentes non sentiant, ubi causas graues et iustas mutatae uoluntatis nullas obtendere possunt. Neque abs re fore putarem, si Regina eadem in hac imbecillitate corporis, quae uitam illi longam ademptura creditur, per eundem Prouintialem admoneretur[e], collegium hoc conseruari non posse, sicut ipsa confidit, nisi mature et in uita curet de absoluenda dotatione, quam initio nostris promiserat.

Venio ad Matthiam[2] Coloniensem fratrem nostrum, de quo dubitatur, sit ne tandem homo 38[f] [?] natus ad sacerdotium promouendus. Puto illum hac gratia donari posse, si scholae laboribus liberatus, in quibus multos annos consumpsit, ad tempus primum in conscientiae casibus exerceatur. Verum quia in eodem collegio numquam una cum illo uixi, superioribus illius iudicandum relinquo de dotibus et impedimentis circa eandem personam considerandis.

Sed et de Patre Natali habeo dicere, in quo sunt nonnulla quae patientiam Rectoris exercere possunt, senilis morositas, uarius et inconstans appetitus, cui difficile sit semper satisfacere in uictu suppeditando[3], libertas et hilaritas quaedam quae nonnunquam immodica

a) *Sic quidem autographum, sed et prima huius epistulae verba et omnia, quae sequuntur, exigere videntur, ut pro* ad *ponatur* a *vel* ab. b) *In margine, manu romana:* Regina desiderat hortum nostrum pro suis foeminis. *Simili ratione reliquorum huius epistulae capitum summae breves in margine sunt positae: quas brevitatis gratia hic omittam.* c) *Sequitur* promissione, *oblitt.* d) *Tria vv. sqq. a C. in margine addita sunt.* e) *A C. correctum ex* admonetur. f) *Supplendum esse videtur v.* annos *et simul corrigendum:* 34; *v. Can. V 445 et supra p. 298.*

[1] Oenipontani et halensis. [2] *Kessel;* v. supra p. 297.

[3] *Matthias Lackner* rector halensis Hala 24. Iunii 1575 Mercuriano *scripsit: R. P. Natalis „sibi apud nos Halae sedem elegit in loco (uti mihi persuadeo) totius Germaniae difficillimo . . . oua a sedecim miliaribus Germanicis adferuntur et uix singulis mensibus · pari ratione pisces uix bis aut ter toto anni curriculo uisuntur et ij quidem carissimi, nec diu in his montium aquis frigidissimis seruantur. Carnes rarae et fere semper uaccarum aut caprarum sunt" (ex autogr., Germ. 136 f. 209[a]).

uideri posset, ut alios id genus naeuos in tali Patre dissimulandos omittam. Fefellit expectationem eius Regina, quae rogata etiam a nobis, nihil illi extraordinarie in uictu porrigit[1]. Fefellit prouintia, quae ab initio desideratum studiorum collegam et sumptus ad libros emendos subministrare illi grauata est, quae praeterea scriptorem illi gratiorem non obtulit. Vicit autem tentationes bonus pater, et nunc utcumque contentus hoc suo nido esse uidetur. Dixi nuper illi P. Prouintialis et Rectoris nomine, ut qualemcumque locum in hac eligat prouintia, nos libenter illi pro nostra uirili facturos omnia, quae ad ipsius commoditates pertinent: tantum ne impediat Rectorem in charitate praestanda, quam P. T. illi demandauit sedulo exercendam, utque libere postulet quae ad fouendam corporis ualetudinem conferre putauerit. Certe Rector egregie praestat, quae hoc loco et tempore ad huius Patris consolationem faciunt, et fortasse facilius tres fratres domi aleret, ut et ipse testatur, quam unum P. Natalem curaret, cuius rationem uel maximam haberi iubet P. Prouintialis. Mirum quanta studiorum quiete uenerandus hic senex gaudeat ab omni negociorum et consiliorum tractatione alienus. Vnde nullus illum de re seria rogare audet uel interpellare. Existimarim non inutiliter eum subinde commonefieri, ut quae ad exhortationes et societatis nostrae res quasdam absoluendas pertinent, mature[a] compleret[2]. Certe quod ad nostros attinet, licet his non nisi duabus in mense exhortationibus seruiat, pergratus hic Pater est, qui se aeris etiam beneficio iuuari credit, ut rectius ualeat quam Romae solebat.

Non repetam nuper de Saluatore[3] scripta · iudicat et P. Natalis illum in Jtaliam reuocandum esse, cum hic se rectius habiturum esse

a) *Sequitur* abso, *oblitt.*

---

[1] *Christophorus Zieglerus* S. J. Mercuriano Hala 26. Iunii 1575 *scripsit: „Reuerendus Pater Prouincialis, itemque R. P. Rector, Serenissimam rogarunt, ut boni Patris senectutem fouere aliquo saltem ferculo ex sua culina uellet, quod illa semel ac iterum nescio quas ob causas recusauit" (ex autogr., Germ. 136 f. 211[a]). Et ipse *Lackner* in litteris, quas modo dixi: „Bis rogata se excusauit, asserens se id ob hominum penuriam praestare non posse".

[2] Natalis, cum praepositorum generalium auctoritate Societatis domos per varias terras „visitaret", ibi multas reliquerat „Exhortationes" et „Instructiones" sive „Admonitiones" de vita religiosa ex instituto Societatis agenda; de quibus Societatis *Congregatio* generalis secunda (decr. 57 post el.) statuerat: „Admonitiones P. Natalis, ab ipso expurgatae atque in ordinem redactae, Provincialibus a R. P. Generali tradantur, ut illis pro sola directione, nulla interim obligatione obstricti, utantur" (*Institutum* S. J. II 206—207); et Halae quidem Natalis tum Instructionibus tum „Scholiis" in Societatis Constitutiones tum similibus scriptis perficiendis operam dabat (Epp. *Nadal* III 702 731); neque tamen vel Halae vel alibi Admonitiones absolvere potuit. De his opusculis ad Societatis rationem pertinentibus („Dialogi", „Observationes", „Apologia pro Exercitiis", „Collectanea" etc.), quorum alia typis exscripta sunt, alia in codicibus latent, v. Epp. *Nadal* I XXIV—L; IV V—95.

[3] Salvatorem da Coldiscepoli S. J. „amanuensem" suum significat; v. supra p. 295.

desperet. Nolim ego sane, ut mea causa uel inuitus maneat, uel ualetudinem offendat in utroque homine.

Dicam et de P. Prouintiali, quandoquidem Consiliarij munus id exigit, qui egere uidetur certo comite, et praesertim peregrinationis ac uisitationis tempore, ac tali quidem comite, qui ius habeat in his, quae ad corpus et uictum spectant. Hactenus Consultores adhibiti non sunt, ut circa personam eius et expensas necessarias illi prouideretur. Prouectior aetas et canicies exigit, ut per aliquem maior eius habeatur cura, cum sibi asperior ac durior esse uideatur. Ego nihil obseruaui tempore uisitationis, quod in illo reprehendendum putem: optarim tamen ex Consultoribus unum et eundem, si fieri posset, illi per totam uisitationem adiungi, ut illius labor cum maiore nostrorum fructu imminueretur. Cum ille Consultores rogat, non satis explicat causam, de qua iudicium petit, etsi hoc etiam non ita frequenter faciat. Speramus illum nulli cathedrae post hac alligandum [1], ut se prouintiae liberius possit impendere, suoque munere perfungi. Conseruet illum Christus diu nobis et Germaniae.

Postremo ut de me attingam aliquid, iudicat P. Natalis non satis conuenire, ut qui scriptoris officio uacare debet, ordinario contionandi labore grauetur, quem ego satis grauem hucusque sentio [2]. Sed quando ita superioribus uisum est, feram crucem libens, et de manibus domini accipiam omnia, nisi quod doleam me in scribendi functione retardari, et bonorum falli expectationem. Oret pro me dominum P. T. ut in sancta eius uoluntate acquiescam, et posthac rectius uocationi meae satisfaciam. Oeniponti 26 Junij.

P. T.

Jndignus filius P. Canisius.

Al molto Reuerendo in Christo Padre Nostro P. Euerardo Mercuriano Preposito Generale della Compagnia di Giesu. Roma.

Possevinus Societatis secretarius posteriori harum litterarum parti haec fere (fere, inquam: nam obscurius scripsit) sua manu adnotavit: Prouintiali [scribendum est de Salvatore illo:] Et hic erat bonus. Dispiciet [?] etc. [?]. Prouintialis si ineptum uidet et iudicat cum P. Rectore et Canisio etc. [?] nondum est extra nouitiatum. Si quid tale offendit [?] quod non aedificarit, poterit uel isthic dimitti uel in Jtaliam. — Prouintiali etc. [?] nos intelligere egere bono comite cum it in visitationibus qui quoad suam personam laborum (?] curam haberet etc. et cogitet se seruitium praestiturum Deo si regi se sinat etc. Forte Rotarius erit." [3] Ita igitur Hoffaeo ex Canisii sententia Roma 23. Iulii 1575 scriptum est; v. infra, post ep. 1932. *Hoffaeus* vero, fortasse aliquid horum consiliorum odoratus, iam 11. Iulii 1575 Augusta Mercurianum *monuit: „Videtur in Domino expedire vt tametsi P. Petrus Canisius sit meus et Rectoris Consiliarius, ei tamen prohibeat P. V. vt nihil vnquam vel in vrbem vel ad me vel ad alios scribat de statu Prouintiae et Collegij seu de

[1] Hoffaeus Monachii officium contionatoris, quia alius praesto non erat, in se susceperat; v. infra, monum. 1169.

[2] Canisius Oeniponte contionatorem parochiae agebat; v. infra, monum. 1169.

[3] P. Georgius Rotarius; de quo *Can.* VI 307 626 et supra p. 8 [2] 57.

defectibus personarum: sed neque de huiusmodj defectibus quicquam inquirat ne et se fatiget et alios suis narrationibus reddat pusillanimes: hoc enim habet, vt fere litteras relinquat quae deinde in tentatorum manus veniunt, quae res peperit nobis saepe miserias non leues: satis erit si consilium det quando rogabitur sententiam. Hoc vt scriberem, rogarunt Rectores Montani" (ex autogr.; Germ. 136 f. 140[b]). Ita Hoffaeus, postremis verbis PP. Völck et Lackner rectores alpinorum illorum collegiorum oenipontani et halensis significans. *Mercurianus* autem Hoffaeo 20. Augusti 1575 *rescripsit: „Quod de Patre Petro Canisio scribis se et alios suis narrationibus reddere pusillanimes, Credo si a T. R. suauiter moneatur, atque intelligat quae incommoda ex eius litteris sequuntur, facile sibi temperaturum. Nos quidem oblata occasione hoc ipsum curabimus" (ex epistulae commentario a *Possevino* emendato. G. Sup. 1 f. 32[b]).

Canisio Mercurianus respondit 23. Iulii 1575.

1931. CANISIUS **P. PAULO HOFFAEO S. J.** Germaniae superioris praeposito provinciali. Oeniponte circa initium m. Iulii 1575.

Ex huius litterarum partis autographo (1/4 p.), quod Hoffaeus ex integris Canisii litteris (quas hic, puto, epistulae P. Wend. Völck rectoris oenipontani ad Hoffaeum datae adiunxerat) exsectum cum suis litteris Romam ad Everardum Mercurianum praepositum generalem misit. Germ. 183 f. 251[a].

Praefatio editoris; Hoffaeus Dilinga 13. Iulii 1575 ad Everardum Mercurianum praepositum generalem haec *rettulit de Swicardo comite ab Helfenstein (cf. *Can.* V. 781—782), qui a. 1570—1575 Oeniponte regimini Austriae superioris cum praefecti sive praesidis vicarii („Statthalter") nomine praefuerat (*Hirn.* l. c. I 462), et de Maria comitissa a Zollern Swicardi uxore (de qua *Can.* VI 607): „Cum sint steriles et spes prolis nulla supersit, etsi neuter trigesimum annum attigerit, quod equidem sciam, cupiunt nostrum Nouitiatum prolis loco habere, et in eum transferre, quicquid ipsis vltra quotidianos sumptus tota vita sua superfuerit, et quidem in oppido Lanspergensi [1], quo nuper migrarunt, vt essent sub duce Bauariae [2], qui D. Comiti praefecturam dicti oppidi ad vitam confirmauit, estque hoc oppidum in optimo loco, sex miliaribus ab Augusta, septem a Monachio ad Licum [3] fluuium.... Jmprimis offerunt aedes sufficientes pro Nouitijs, ex fundamento exaedificandas [a], quibus etiam satis amplum sacellum volunt addere: Deinde quicquid poterunt corradere ex suo superfluo, hoc volunt quotannis applicare coëmendis paulatim reditibus: verum quidem est quod res in longum abibit vtcunque: Praeterea ... volunt in sustentationem nouitiorum quotidianam, suppeditare frumentum pro pane et cereuisia, itemque suppellectilem et alia emolumenta plaeraque, sic tamen, vt nos aliunde procuremus quod ipsi non possunt: ... Hortum etiam volunt procurare. Vicissim ipsi nihil prorsus obligationis a nobis exigunt: solum cupiunt sibi fieri potestatem in templo nostro sacra audiendi, confitendj et communicandj, et vt eis assistamus aegrotantibus ...; se beatos aiunt, si Nouitijs, qui alijs sunt odiosi, ipsi benefacere possint, ex amore erga Societatem, cuius causa multis annis multa passi sunt nec illibenter nec inconstanter; nam quod ambo opera Societatis e Lutheranismo ad Ecclesiae gremium reducti sint, hoc habent societatem chariorem.... Rem meis consiliarjis et duobus Rectoribus Montanis [4] proposuj; omnes fatentur", eos „hoc mereri plane, vt P. V. eorum petitioni annuat ... solum monent mei consiliarij vt Dux Bauariae rej capax fiat, vt locus sit commodus, vt reditus certo fieri possint, vt Comes nostra causa in suspitionem non veniat, vt non cogamur oppidanis per concessionem scholarum aliquando gratificari.... Sciendum est nouitios esse Monachij ingratissimos Duci et consiliarijs aulicis, qui valde probabunt hanc translationem,

a) exaedificandis *autogr.*

[1] Landsberg, oppidnm Bavariae superioris. [2] Alberto V. [3] Lech.
[4] Wendelino Völck et Matthiae Lackner, rectoribus oenipontano et halensi.

nisi admodum fallar.... Graue accidit Collegio Monachiensi vt Nouitios vna cum nostro seminario aliquo[1] sustentare debeat in tanta habitationis angustia, incommoditate, insalubritateque loci et cum inuoluntario Dominorum: hinc illj collegio magna accrescunt debita, pro quibus ego praestare debeo etc. 3. subinde magnae incidunt difficultates et contentiones inter Rectorem et Magistrum Nouitiorum[2] de Nouitiatus gubernatione".... Novicii „etiam satis incommode iuxta strepitus aulae et in foribus scholarum videntur instituj, cum Lanspergae possint esse extra omnem strepitum in loco quietissimo, et simul sanitati aptissimo, ad partem oppidi orientalem, aedificio sic in colle structo, vt supra oppidum eiusque maenia in campos ad quatuor mundj angulos longissime queant prospicere.... Dominus Comes et Comitissa sunt iuuenes, et sperantur posse diu viuere et fundationem etsi lente, tandem tamen conficere: nec modica spes est fore, vt Dux Bauariae aliquid quotannis perpetuo velit contribuere: ex prouintia quoque sine difficultate quotannis adiungi possunt saltem 200 floreni ex contributione, tantum ad tempus, nam semper, vt id fiat, opus non erit" (ex autographo. Germ. 136 f. 163[a]—164[a]). De hac ergo causa Canisius, cum unus esset ex consiliariis Hoffaei provincialis, ab hoc iussus est sententiam dicere.

Qua ratione admittenda sit domus probationis provinciae oblata.

— — De nouitiorum domo Lanspergam transferenda existimo recte et utiliter ad P. N. Generalem scribi posse, ut intelligat praesentes Monachij difficultates, et pia Domini Comitis eiusque coniugis desideria[3] in hac domo fundanda simul et dotanda Lanspergae. Placet etiam ratio rei transigendae, ut nempe Princeps Bauariae primum in hoc institutum consentiat, ac si uelit, suam partem contribuat. Deinde ut domus necessaria supellectile instruatur, easque habeat commoditates, quae ad honestam nouitiorum sustentationem pertinent. Optarim domum hanc firmis utcumque prouentibus[a] quam paupertate et eleemosyna stabiliri, praesertim ne collabatur male fundata structura, si uel Prouintialis qualiscumque non possit partem sumptuum ferre, uel Comes ipse morte aut ratione alia impediatur, quominus piam uoluntatem suam opere compleat. Sed aderit spero Christus his bonis desiderijs, addetque prudentiam superioribus, ut ne nimium properent in nouitijs transferendis, ijsque prospiciant primum de opportuna et habitatione, et sustentatione.

Seruus in Christo P. Canisius.

Mercurianus Hoffaeo Roma 20. Augusti 1575 de comite hoc eiusque uxore *respondit: „Dandum est illorum uirtuti atque in societatem nostram beneuolentiae:

a) *Supplendumne* potius?

---

[1] Ex *litteris P. *Ioannis Rabenstein* S. J. Dilinga 14. Iulii 1575 ad Mercurianum datis intellegitur, significari „seminarium philosophorum", in quo Societatis fratres scholastici ad philosophiam instituebantur (ex autogr.; Germ. 136 f. 161[a]).

[2] PP. Dominicum Menginum et Bonaventuram Paradinas.

[3] In *„*Compendio* historiae domus probationis "landsbergensis circa a. 1610, ut videtur, scripto, quod Monachii in archivo rei publicae bavaricae exstat (Jesuit. Landsb. Fasc. 81, nr. 1601 f. 3[a]) hi vocantur: „Schuueickardus Comes in Helffenstain, et in Gundelfingen Baro, et Generosa eius Coniux Maria ex Illustri familia Comitum de Hohenzollern et Marchionum Badensium procreata". De Swicardo scripsit *Joach. Dellinger*, Gelehrte und ausgezeichnete Männer aus Landsberg, in „Oberbayerisches Archiv für vaterländische Geschichte" XIV, München 1853—1854, 101—103.

ut eam domum (quamuis integra dotatio non sit) admittamus, quemadmodum et facimus: Eos jtaque T. R. meo nomine etiam atque etiam salutabit; remque totam cum Diuina benedictione constitues: nisi aliud se obtulerit quod impediat" (ex commentario a Possevino recognito. G. Sup. 1 f. 32).

1932. EVERARDUS MERCURIANUS praepositus generalis Societatis Iesu CANISIO. Roma 23. Iulii 1575.

Ex commentario vel autographo eiusd. temp.; in margine, eadem manu: „P. Canisio". G. Sup. 1 f. 31b—32a.

Ad provincialem remittitur. Contionibus liberandus. Missio P. Valignani.

Litteras R. T. 26. Junij datas accepi. Et quoniam P. Prouinciali scribo[1] de negotio horti Halensis, ac de Patre Natali, de Saluatore ac de reliquis, de quib. epistola tua me certiorem fecisti: propterea non ero longior nisi quod hoc vnum dicam cupere me ut ab onere concionandi si fieri possit ita libereris, ut Mariam tuam aliquando cernere possimus; desideriumque hoc meum, et reliquas rationes, quas P. Natalis affert poteris adhuc P. Prouinciali diligentius ostendere, ut nostro desiderio breuius satisfiat. P. Alexander Valignanus cum ceteris socijs suis .41. prospera supra quam quod sperari potuisset, nauigatione usus, Monzambicum appulit integris uiribus, et beneualentib. omnium nostrorum qui cum eo nauigarunt[2], *etc.* Romae 23. Julij 1575.

*Epistula ad Hoffaeum provincialem, qua se *Mercurianus* ad Canisii quoque litteras respondere ait, et ipsa 23. Iulii 1575 data est et haec fere habet ad Canisium pertinentia: „Si T. R. cum suis Consultorib. fore ad gloriam Dei iudicauerit ut Matthias Kessel possit promoueri ad ordines sacros, fiat cum benedictione Domini. Et dum promouebitur iuuandus erit ad deponendam eam morum libertatem, ad quam T. R. scribit illum sic satis esse propensum.... Quod pertinet ad hortum, quem Serenissima Regina[3] cupit, uenio in tuam sententium non posse a nobis hanc petitionem Suae Celsit. denegari. Jtaque meo nomine hoc illi significabit R. T. ita ut animi nostri erga se propensam uoluntatem intelligat, et si quae condiciones adijci poterunt pro Collegio nostro, id quam suauiter et commode fiat, ne uel praesens beneficium aliqua offensione diminuamus, uel ad maiora consequenda ab ipsa Regina aditum nobis obstruamus.... Venio ad 3um articulum epistolae tuae de Patre Natali, in quo aliqua incommoda enumeras, propter quae censes bonum illum Patrem Hala in Jtaliam esse mouendum: sed cum ipse nihil hac de re umquam nobis scripserit, facile posset in eam cadere suspicionem ut cogitaret a uobis hoc tentari quod illum in uestra Prouincia nolletis. Tuae igitur Reuerentiae erit commendatus quemadmodum semper fuit.... Non desunt e tua Prouincia qui ut tuae ualetudini bene cupiunt, ita optant ne tibi plus aequo durus sis in uictu, ceterisque eiusmodi. Memini me alias T. Reuerentiam de hac ipsa re monuisse, quod etiam percupio, ut ita tibi curae sit, quemadmodum ei debet esse, qui non se sibi, sed societati uiuere intelligit. Ceterum ut obsequium debet esse rationabile[4] ita existimo te

---

[1] Vide, quae ex hac epistula ad Hoffaeum data sub ipsas has litteras ponentur.

[2] Alexander Valignani († 1606) theatinus (Chieti), proceri corporis dignitate spectandus, virtute etiam magis conspicuus, a. 1573, cum nondum 39 annorum esset, a Mercuriano missionum indicarum Societatis visitator constitutus, 18. Februarii 1574 Olissipone cum sociis solverat; is proximis 30 annis de ecclesiis Indiarum orientalium et Sinarum et maxime Iaponiae tam insigniter meruit, ut facile post S. Franciscum Xaverium missionum orientalium princeps haberi possit.

[3] Magdalena. [4] Rom. 12, 1.

eo itineris, et uisitationis comite uti debere, a quo in his quae ad te ipsum pertinent, regi te sinas. Qui comes fortasse P. Georgius Rotarius non esset inutilis. Erit mihi gratum intelligere si illum, uel illius alium similem tibi socium assumpseris. Saluatorem [1] quem in Germaniam nouissime misimus, ut P. Canisio amanuensis adesset, et socius, ex nonnullorum literis intellexi non ita ut erat optandum se gerere. Et cum hic in nouitiatu, quem nondum expleuit, satis bonus, et ad aliqua ministeria idoneus uideretur. Nunc si modo mentem mutauerit, neque cum resignatione uideatur obedire, haecque caussa sit cur minus aptus uideatur: satius erit si ante finem nouitiatus potius, quam post emissa uota dimittatur: Quod si alia esset caussa, id est ualetudinis, cur in Germania libenter non maneret, relinquo iudicio T. R. cum suis Consultoribus ut de illo uideat quid opus sit facto, scilicet num in Jtaliam remittendus sit nec ne, quod si in Societate illum esse, iudicatum fuerit expedire, T. R. illum monebit de ijs quae in illo animaduersa sunt, siue in itinere, siue Halae, ut intelligat se nisi omnino sensum et propriam uoluntatem abiecerit, iudiciumque sui Sanctae subiecerit obedientiae nos illum in Societate non esse laturos [2] (ex commentario per Possevinum Societatis secretarium correcto: G. Sup. 1 f. 31).

Ceterum dubitari non potest, quin Canisius cum Hoffaeo communicaverit id, quod ei Mercurianus scripserat: Desiderare praepositum generalem, ut Canisius per provincialem contionandi onere levaretur. Hoffaeus igitur contionatorem pro eo P. Georgium Schoran sive Schornium (cf. *Can.* IV 410[3]) constituit. (Hist. coll. Oen. p. 18). De qua re *Hoffaeus* Mercuriano Augusta 15. Novembris *scripsit: „Propter cathedram Parochialem Oenipontum instanter petor: quem enim Patrj Canisio substitueram in concionandi munere, is non satisfacit, cumque alium non habeam, supplebo hac hyeme quod potero et dum licebit: postea vt Pater Canisius suam cathedram repetat, necesse erit, non obstante eius libro quem nimium lente parturit“ (ex autogr.; Germ. 136 f. 154[a]).

1933. CANISIUS **P. FRANCISCO SPORENO**, Ordinis Fratrum Minorum, commissario apostolico [3].

Oeniponte inter m. Iunium et Augustum 1575.

Ex huius litterarum partis apographo, Augustae (a Minutio Minucci, secretario Portiae nuntii apostolici?) scripto, et sic inscripto: „Ex literis Patris Canisij“; quod est Romae in archivo vaticano, Cod. „Germ. Vol. 81“ p. 353. Ex eodem apographo hanc partem primus edidit *C. Schellhass,* Nuntiaturberichte aus Deutschland 1572 bis 1585 V, Berlin 1909, 151[4].

In Italia Germanos protestantes perperam creari doctores.

— — Addam de Germanis et[a] doctis et indoctis in Jtaliam saepe proficiscentibus ut Doctoratus lauream assequantur. Redeunt postea Doctores Patauij, Ferrariae, Perusij, Bononiae facti, et nescio qua de

a) ex *Schellh.*

---

[1] Da Coldiscepoli. [2] Cf. infra, monum. 1187.

[3] Franciscus Sporeno (Sporein) furlanus (Friuli) sive utinensis (Udine), ordinis Fratrum Minorum de Observantia, theologiae lector in monasterio S. Crucis oenipontano, a. 1573 a Ferdinando II. archiduce Romam missus, inde m. Maio a. 1575 a Gregorio XIII. remissus erat ad ecclesias et monasteria tirolensia, helvetica, suebica etc. visitanda et reformanda. Qui circa 9. Iunii Oenipontem advectus, inde 13. Augusti Augustam venit, ut cum Bartholomaeo de Portia nuntio apostolico consilia conferret. Sporenus a. 1576 factus est episcopus titularis sebastiensis (Sebaste) et per multos annos Romae Ferdinandi II. oratorem egit (*Hirn* l. c. I 223 649[2]; II 83—85; *Schellhass,* Nunt. V. XIII—XVI XVIII 12 13 43 136[4]).

causa circa religionem prius non accedit examen in Jtalicis plaerisque gymnasijs fortasse quod pecuniae magis quam fidei et pietatis ratio habeatur. Quare cum haeretici illi Doctores domum redeunt[a] honoris titulo insigniter abutuntur, et non solum dedecori, sed et perniciosi sunt catholicis, nihil minus profecto merentes quam ut in talibus gymnasijs cohonestentur. Optandum sane et procurandum arbitror, ut haec non exigua corruptela e medio tollatur praesertim aduigilante Pont: Max: ut maior sit usus Bullae Pij Quarti ob promotores[b] et promouendos in scholis publicis editae [1]: fortasse consultum foret nullus ut posthac in gymnasijs Jtalicis promoueretur nisi praesente Praelato uel Theologiae Doctore in cuius conspectu et eadem Bulla non ita cursorie sed grauiter praelegeretur, et promouendus speciatim de religione admoneretur atque respondere cogeretur. — —

Sporenus has litteras significabat, cum Augusta 20. Augusti 1575 cardinali Comensi scriberet: „Scrissi anco à V. S. Illustrissima alcuni inconuenienti che occorreuano sopra di questa natione, che è mandata al studio et di Padoa, et Bologna, de quali il Padre Canisio della Compagnia del Jesu, me na auisato, et ho mostrata la lettera à Monsignore Nuntio, chio credo che gli scriua le parolle formali del Canisio“ (ex autogr.; Cod. rom. „Germ. Vol. 81“ p. 338—339; etiam apud *Schellhass* l. c. 151[4]). Fortasse Canisius Sporeno scripsit, cum is exeunte m. Iunio monasterium montis Sancti Georgii (Georgenberg), ordinis benedictini, reformaret (*Schellhass* l. c. 92[5]; *Hirn* l. c. I, 104).

Portia nuntius apostolicus iam m. Maio et Iunio 1575 ad cardinalem Comensem rettulerat, theologiae facultatem ingolstadiensem secum conquestam esse, quod in universitatibus italicis complures Germani, et in his homines sacris litteris vix leviter tincti, gradus theologicos „non tam sumerent, quam emerent“, atque etiam laici doctores theologiae crearentur, quorum nonnulli deinde, uxoribus ductis, medici vel caupones evaderent; et addiderat, iuris quoque facultatem de nimia illa doctores iuris creandi facilitate cum pontifice conquesturam esse; haec cum cardinalis Comensis plene credere gravaretur, *Portia* ei Augusta 20. Augusti 1575 scripsit: Se, cum paulo ante Ingolstadium excurrisset, ibi a theologiae professoribus rogatum esse, ut Romam, quae de promotionibus italicis rettulisset, iterum referret; iuris autem professores sibi significasse, se mox idem per litteras esse petituros (*Schellhass* l. c. 22 37 54 108 150—151). Deinde *Portia* addit, idem sentire „molte persone per pieta, et dottrina celebri, tra quali è il Padre Canisio, che ultimamente mi scriue in questa materia cio, che uedra in un Capitolo à parte estratto dalle sue lettere“ (ex archetypo; Cod. rom. „Germ. Vol. 81“ p. 352; etiam apud *Schellhass* l. c. 151). Atque ait quidem Portia, Canisium ea de re scripsisse sibi; neque vero praeter „capitulum“, quod posui, alterum exstat; quare, cum Sporeni epistulam considero, cum Schellhassio censeo, Portiam memoria lapsum esse.

Gregorium XIII. has querelas non neglexisse cognoscitur ex litteris ad Venetos (quorum imperio universitas patavina subiecta erat) Roma 3. Septembris 1575 a Paulo Tiepolo eorum oratore datis, apud *Schellhass* l. c. 166[1]. Cf. decretum Congregationis cardinalium germanicae (12. Iunii 1575) apud *Schwarz,* Gut. 110.

a) reddeunt *apogr.* b) *Ita recte scriptum esse neque cum Schellh. emendandum esse:* promotos, *intellegitur ex ipsa hac Pii IV. bulla.*

---

[1] De hac bulla 13. Novembris 1564 data v. *Can.* IV 654.

1934. CANISIUS **P. PAULO HOFFAEO S. J.** praeposito provinciali Germaniae superioris. Oeniponte m. Iulio vel Augusto 1575.

Ex litterarum Mercuriani apographo eodem tempore scripto, quod est in G. Sup. 1 f. 27[b], et ex Hoffaei autographo, quod est in Germ. 136 f. 144[a].

De ratione convictus studiosorum monacensis regendi.

Hoffaeo Everardus Mercurianus praepositus generalis S. J. Roma 20. Mai 1575 scripsit de cura convictorum, quam Albertus V. Bavariae dux a Sociis Monachii suscipi cupiebat (v. supra p. 285): „Cogimur beneficijs Serenissimi Ducis et spe maioris gloriae Dei non detractare illam curam, siquidem administratio illius Collegij ita instituatur: ut Societati liceat pro ratione sui instituti huic muneri operam dare. Jtaque serio uobis dispiciendum erit, et cum consultoribus uestris tractandum, atque huc perscribendum antequam quicquam decernatur de ratione admittendi, dimittendi, ceteraque agendi quae possunt accidere, et an facile erit paedagogos honestos habere qui cubiculis praesint ne nostri eo labore a studijs auertantur. Ac uero quotnam uidebuntur esse e nostris necessarij qui praeterea onus illud sustineant. Qui uero temporaria administrabunt si laici futuri sint, ut est optandum, an Societati erunt incommodo ita ut nostrum procedendi modum interturbent. Hic sane Romae in Collegio Germanico pergunt omnia satis foeliciter: propterea quod etsi homo laicus Pontificis nomine temporaria administrat, cubiculisque aliqui honesti uiri praeficiuntur qui non sunt e nostris; nulla tamen in re turbatur ordo disciplinae domesticae, cum integra Rectori nostro sit auctoritas, ad quem tota pertinet administratio." Hoffaeus autem Mercuriano Augusta 5. Septembris 1575 scripsit: „Mitto quid sentiant mei Patres de ratione gubernandorum Conuictorum Monachij, sicut P. V. cupiuit, non quod putem statim Monachij esse Domum Conuictorum instituendam, sed tum cum res postulabit. Mitto etiam quid nonnulli sentiant de ratione explicandae sacrae scripturae, et de ordinandis ad sacerdotium." In numero „Patrum", qui Hoffaeo, quid ipsi sentirent, scripserant, Canisium fuisse certum est (cf. supra p. 285). Verum et huius, et reliquorum epistulae perisse videntur.

Monachii contubernium quidem studiosorum pauperum sive „domus gregoriana", cuius aliquod initium a Sociis iam a. 1561 factum erat, iam inde ab a. 1574 exstabat, idque paulatim, maxime per P. Ioannem Confluentinum S. J. et Guilielmum V. ducem, magis magisque amplificatum et confirmatum est. Praeterea autem dux nobilibus quoque et eorum similibus adulescentibus eiusmodi domum Monachii condere volebat; quae reapse aliquot annis post cum nomine Convictus S. Michaëlis instituta est. Ingolstadii autem Societas a. 1576 suscepit curam „convictus S. Ignatii Martyris" sive „collegii Albertini" ab Alberto V. fundati, in quo et alummi ecclesiis bavaricis a duce destinati, et variorum ordinum religiosi, et alii iuvenes, qui suis expensis vivebant, educabantur (*Duhr*, Jes. I 297—298 316—317 500. *Io. Adlzreitter*, Annalium Boicae gentis Partes III, ed. nova, Francofurti ad Moenum 1710, II 279).

1935. BARTHOLOMAEUS DE PORTIA apostolicus in Germania nuntius CANISIO. Augusta Vindelicorum 1. Augusti 1575.

Ex apographo recenti, exscripto ex corpore apographorum sive registro litterarum Portiae, quod exstat Colloreti (Colloredo) in archivo marchionis de Collo-

redo-Mels, „Busta 4, fasc. F“ f. 25a—26b; antiquum illud apographum hanc habet inscriptionem: „Patri Canisio.“ Epistulae partes aliquot ex eodem registro exscriptae sunt a *Schellhass*, Nunt. V 112—113.

Calamitates ecclesiae. Principum conventus. Defectiones. De collegio augustano ipse a canonicis ludibrio habetur. Facultas quaedam. Canisium magni facit.

Admodum Reuerende Pater

Vix quidem Reipublicae Christianae calamitas, insanabiles plagae atque uulnera quae maiora indies ipsi imponuntur aliud amplius a nobis uidentur requirere aut postulare quam ut quantum possumus (quandoquidem satis pro rerum atrocitate non possumus) haec dolenter deploremus, quod tu quidem quem pro eximia tua pietate publicae miseriae quam[a] [?] aerumnae premunt omnes proximis literis tuis merito sane instituisti ut ego profecto nisi hoc pacto et moerorem meum exagitari et tuum refricari frustra percuperem[b], tecum libenter haec eadem cum pari animi cruciatu lamentarer, si non aeque subtiliter disputare possem, sed ne nos quoque dum in lamentatione et luctu iacemus patefaciamus aditum ut improborum uis diu collecta et inveterata compressam iniquitatem et rabiem prodat atque euomat, omittamus haec quaeso et in illam potius incumbamus curam an caecitas haec libidinis et luxuriae potius quam luminis possit ope nostra aliquo pharmaco subleuari · quod tametsi minus fructuose tentabimus erit nihilominus cur id aggressos esse ex quo misera et miseranda Christiana Respublica a sordibus et squallore excitaretur non inglorium omni tempore futurum sit. Et hac una de causa futuro Principum conuentui[1] interesse mihi gratissimum foret licet iam quantum ibi fructus fieri posset non uideam cum me experientia et rerum usus satis docuerit frustra morbos aperiri et oculis subijci, quibus tamen opportuna remedia adhibere negligunt ij qui et possunt et maxime debent, caeteri uero non posse se[c] id facere mirum in modum cruciantur · quo fit ut morbus quotidie magis ingravescat nec aliunde datam esse causam arbitror ut illae Civitates a sano consilio ad insanam perditionem stulte desciscerent[d] quae prout strictim attigisti sic mihi fuisset gratissimum si singillatim perscribere voluisses. Quecumque tamen uenient in mentem quae publicae causae prodesse possint ea si fuerint indicata sin minus in illa Congregatione adesse mihi licuerit curabo nihilominus ut doctissimi et optimi uiri consilia quantum tempora patiuntur non quantum debent aestimentur; nam ut ego sperem praesentem me posse inter illos Principes instaurandae religioni operam dare repugnant Sanctissimi Domini mandata quae me iam diu ad Friburgensia negotia vocant[2], et si dum

a) *Sic; corrigendumne* atque? b) *Sic omnino censeo corrigendum esse ex* perpuerem, *quod est in apogr.* c) *Ita omnino videtur esse corrigendum ex* te, *quod est in apogr.* d) descisserent *apogr.*

[1] Regis Romanorum eligendi causa imperii principes electores aliique proceres Ratisbonam congregandi erant.

[2] Cardinalis Comensis iam 6. Maii 1575 Portiae scripserat, ut Augusta cum P. Sporeno (de quo supra p. 305 [1]) Roma proxime discessuro Friburgum Brisgoviae proficisceretur (*Schellhass*, Nunt. V, 10—13).

lector Sporenus Reuerendus uir isthic diutius commoratur[1] animus ipse distrahitur curamque affert ancipitem.

Canonici Augustani a me saepius et benigne rogati et moniti ut negotium cuius causa ego hic tamdiu commoratus sum iam concludere et expedire uellent cum postremo audissent me Summi Pont: iussu instare et urgere ut priusquam Episcopum eligerent de re nostra decernerent, tamen nos ad ipsam electionem reijcere ueriti non sunt, qua audita cum statim petijssem ut voluntatem suam declararent, erupit repente uox iamdiu ad illudendum excogitata Non esse habendum Episcopum qui a summo Pontifice confirmatus non sit[2], sic nos uarijs commentis satis quidem infirma spe sustinere conantur multas ex tempore expectationes commouentes donec ipsi Pont: Max: approbationem aucupentur ut protinus omnes nostros conatus destruant, uanas cogitationes reddant et de omni nos spe deturbent nempe qui digni ab illis iudicamur quos ludibrio habeant: sed res in eum statum uidentur deductae ut facile perspicere possimus Ciuitatem hanc Deum opt. Max: tot iniurijs laesisse ut iam ab ea omnino alienus sit; sic sunt omnium fere animi comparati ut ea semper quae sibi maxime profutura proponuntur, aspernentur atque reijciant.

Diploma pro adolescente illo sacris in aliena Dioecesi initiando curaui conficiendum et cum hisce litteris mittendum cum apud me ad cognoscendam probitatem et doctrinam ipsius instar mille testium fuerit quod intellexerim illum esse in aere tuo, in quo non nisi et fide et pietate disciplinaque praestantes uiros describi pro comperto habeo: desideravi nihilominus iuuenis patriam mihi significari, sed ne dum responsum expectamus[a] retardaretur desiderium tuum ipsi tanquam Bauaria[b] oriundo petitam licentiam concessimus, quod si fuerit erratum emendabitur cum primum annueris. Caeterum quacunque in re uel tui ipsius[c] [?] uel amicorum commoda augere potero promptam semper meam experieris operam, sic enim et tua in me merita et meum in te studium postulare uidentur. Interim uniuersae familiae tam Oenipontanae quam Halensi[3] cupio [me][d] [?] esse quam commendatissimum[d] [?]. Vale.

Datum Augustae die prima Augusti M. D. LXXV.

1936. CANISIUS **ADAMO AB ARZ,** dioecesis brixinensis vicario generali, capituli cathedralis canonico.

Oeniponte sub 26. Novembris 1575.

Vide infra, exordium epistulae 1937.

a) expetamus *ap.* b) Bauariae *ap.* c) tua ipsius? *Ap. habet* tuaeipsius. d) *Aut hoc v. supplendum, aut ex* commendatissimum, *quod est in ap.,* commendatissimus *corrigendum est.*

[1] Sporenus Oeniponte cum Ferdinando II archiduce aliqua tractare iussus erat (*Schellhass* l. c. V 12—13).

[2] Pro Ioanne Egolpho a Knöringen 4. Iunii 1575 mortuo 26. Iulii 1575 electus est a capitulo episcopus augustanus Marquardus a Berg; quem Gregorius XIII. 30. Septembris 1575 confirmavit.

[3] Sociis collegiorum oenipontani et halensis.

1937. ADAMUS AB ARZ, „in spiritualibus per dioecesim Brixinensem Commissarius generalis", cathedralis ecclesiae canonicus, CANISIO.

Brixina 12. Decembris 1575.

Ex apographo eiusdem temporis, quod est Oeniponte in archivo praefecturae tirolensis, „Brixner Arch. X. 18. E", in fasciculo, qui Arzii „Varia Decreta ad Reformationem" spectantia etc. complectitur; apographo manu eiusdem temporis ascriptum est: „Ad Canisium". Eo usus est *Kröss*, Can. 191.

De alumnis capituli, exactionibus tributorum, iuvene a Canisio commendato.

Admodum Reuerende pater Canisi plurimum obseruande.

Qui a te commendatus est obtulit literas .26. mensis elapsi mihi quam gratissimas, gratioresque fuissent, si in omnibus iuxta pium uotum tuum petitioni satisfecissem.

Existimo Paternitatem uestram nouisse venerabile Capitulum una cum Reuerendissimo Antistite[1] hic in Ecclesia Cathedrali magnum habere numerum Juuenum .40. et ultra, qui ex mensa episcopali et redditibus Capituli aluntur, ex illis deinde seliguntur quatuor magis idonei, qui mittuntur ad uniuersitates non sine grauibus impensis Capituli, et isti alumni venerabilis Capituli semper quibuscunque praeferuntur tamquam benemeriti de Ecclesia, qui portauerunt pondus [et][a] aestus diei[2] in ministerio ecclesiastico · sciat praeterea Paternitas uestra venerabile Capitulum ita grauatum tributis, uel (ut uocant) exactionibus steurarum, quia decimum nummum et ultra ex redditibus soluere tenentur, ita, ut inauditum sit aliquem in hac regione similibus exactionibus molestari[3]. Sed quorsum ista? eo uelim haec dicta esse Paternitati vestrae, quod sibi persuasum habeat Reuerendissimum Antistitem cum venerabili Capitulo paratissimum esse omnes illos iuuenes bonae indolis, maxime a Paternitate vestra commendatos excipere, fouere, omnemque illis humanitatem exhibere, dummodo tenuitas reddituum et uirium non obstet. Promissa est praesenti Juueni a te commendato summa sexaginta florenorum, quorum exiget quadraginta a venerabili Capitulo, et uiginti a Reuerendissimo Antistite per aliquot annos pro arbitrio tamen largientium, agat gratias Deo et tuae intercessioni, quae est tantae authoritatis Brixinae, ut homines etiam ad ea, quae uires excedunt, compellat. Valeat Reuerenda Paternitas vestra et me ei addictissimum esse cognoscat uelim. Datae di 12 Decemb: 1.5.75.

a) *Hoc v., si non propter alias rationes, certe propter sacram supplendum est Scripturam, cuius verbis Arz loqui vult; cf. infra, adnot. 2.*

---

[1] Cardinalis Christophori Madrutii episcopi brixinensis, qui Romae vivebat, coadiutorem Brixinae agebat Ioannes Thomas a Spaur. · [2] Mt 20, 12.

[3] Horum tributorum magnam partem exigebat, puto, Ferdinandus II. archidux, qui potestatem, quam in episcopatum brixinensem, soli ceteroquin imperatori subiectum, habebat, amplificare studebat; cf. *Hirn* l. c. I 313—314. Iam a. 1572 capitulum brixinense cum Feliciano Ninguarda O. Pr. conquestum erat, quod a Ferdinando „ecclesiae oneribus et gravaminibus premerentur" (*Schellhass*, Quellen und Forschungen I, 50).

1938. ADAMUS AB ARZ, commissarius in rebus spiritualibus dioecesis brixinensis generalis, canonicus ecclesiae cathedralis, CANISIO.

Brixina 14. Decembris 1575 (?).

Ex apographo eiusdem fere temporis, Oeniponte in fasciculo, de quo supra (Ep. 1937), posito, in cuius margine manu antiqua scriptum est: „Ad Canisium."

Quod Paternitas tua Reuerenda mihi iuuenem harum latorem commendauerit, ut omnem operam ac diligentiam in eo commendando praestem, feci equidem totis uiribus, et quam libentissime. Quo modo autem fuerit exceptus et quantum ei profuerit intercessio tua, ab eo satis cognosces, ac me Paternitati tuae Reuerendae in quibuscunque possim, ad omne obsequium semper promptissimum fore persuasum tibi habeas opto. Datae Brixinae die .14. Decembris.

Annus quidem huic apographo ascriptus non est; quae autem in fasciculo, quem dixi, illud antecedunt et sequuntur, ea sunt, ex quibus Arzium inter a. 1575 et 1578 scripsisse collegeris; atque equidem sic censeo: Arz hanc epistulam (apertam, puto) tradidit ad Canisium perferendam illi ipsi iuveni, de quo copiosius et magis familiariter, aliis quoque rebus additis, scripsit in epistula superiore (n. 1937), quam tabellarius publicus vel alius aliquis Canisio allaturus erat.

1939. CANISIUS **ADAMO AB ARZ**, dioecesis brixinensis vicario generali, capituli cathedralis canonico.

Oeniponte sub exitum a. 1575 vel initium a. 1576.

Ex apographo saeculo, ut videtur, XVIII. scripto, quod exstat Monachii in bibliotheca nationali, Cod. lat. 1606 f. 125. Librarius apographum hoc sic inscripserat: „Exemplar Autographi R. P. Petri Canisij Oeniponti quondam scripti. Copia"; haec vero alia manu, quae P. Petri Hugonis (Hug, † 1657) S. J. esse videtur, sic immutata sunt: „R. P. Petri Canisij Oeniponti quondam scriptum Consilium."

De Iubilaeo recte agendo; Parochorum pessimi mores mutandi; contiones; processiones; sacerdotes religiosique caeteris exemplum praebeant.

Sitne[a][?] consultum, circa nouam Iubilaei publicandam[b][?] Bullam[1] haec pauca obseruari.

Primum ut excusae Bullae exemplaria Decanis ruralibus committantur, qui Parochos sibi subiectos statim conuocent, et instruant de ratione Bullam eandem cum fructu publice euulgandi.

Ad hanc rationem spectare videtur, vt dicti Parochi, et sacerdotes adiuncti moneantur se inprimis huius Bullae participes reddere, praesertim per exactam peccatorum suorum confessionem, cum plaerique fortassis excommunicati reperiantur, et grauibus criminibus saltem implicentur · vt quod Horas Canonicas non recitant, quod multos haereticos, aut haereticorum libros tenentes, vel in alijs casibus ad Bullam Coenae Domini pertinentibus indiscriminatim absoluant[2], quod Sacra-

a) *Sic; sed cum ea, quae sequuntur, considero, in eam sententiam adducor, ut Canisium ipsum* Videtur *scripsisse censeam.* b) *Ut sic ex* publicandi, *quod apographum habet, corrigatur, res ipsa exigere videtur.*

[1] Vide, quae sub ipsas has litteras dicentur.

[2] De his prohibitionibus et excommunicationibus vide *Can.* IV 588 862; V 414*; ubi etiam ostenditur, haud paucos eius temporis sacerdotes, qui ita homines illos

menta irreuerenter, et impure tractant, quod missam in peccato mortali scienter offerunt, quod vitam saepe scandalosam exercent etc.[1] Bona enim spes est, fore, vt his de rebus moniti, a Decano Pastores ad se redeant, et tanquam periti medici, seipsos, suasque conscientias[a] adhibito verae poenitentiae pharmaco curare non praetermittant. Item occasio datur Decanis admonendi subditos sibi Sacerdotes, vt ab ordinario sint omnes et singuli approbati Confessarij, qui laicorum excipiunt confessiones[2], alioquin ratione Bullae huius non possunt quenquam absoluere[3].

Rursus ad publicam populorum vtilitatem conferet, si dicti Decani grauiter excitent Parochos de habendis concionibus tempore Processionum, praesertim ferijs quartis, sextis et Sabbatho[b][?]. In quibus Concionibus congruet explicare oblatam a Pont: Max: gratiam, et quanti sit momenti hac in parte vocem Summi Pastoris audire, seque tanti thesauri participem facere, et communibus precibus Deum offensum placare. Vbi de Indulgentijs et earum efficacia disseri posset, sicut editis libris docti quidam Theologi, et in his suffraganei Bambergensis, et Eystettensis egregie tradiderunt[4].

Praeterea quia frigide publicantur crebro huiusmodi Indulgentiae, vt nullus fere hinc commoueatur, curetque praestare illa, quae postulantur, praesertim ieiunia, Confessionem et Communionem sacram, valde optandum est, addi seriam cohortationem, vt promptiores fiant multorum animi ad hunc tantum thesaurum digne amplectendum. Id vero fieri poterit, si Decani, et Pastores, et Concionatores suum offi-

a) seipsos, suaque non scientias *apogr.* b) *Corrigendumne* Sabbathis?

absolverant, excommunicationis poena vacasse ob eam legis ignorantiam, in qua culpa gravis non erat. Cf. etiam *Can.* VI 271[4].

[1] De pravis moribus sacerdotum tirolensium huius temporis cf. *Can.* VI 7[3] et *Hirn* l. c. 88—120.

[2] Canisium hoc loco verbum „laicorum" pro „saecularibus" sive iis, qui „regulares" sive „religiosi" non sunt, posuisse existimo. Concilium sane Tridentinum statuerat: „Nullum, etiam regularem, posse confessiones saecularium, etiam sacerdotum, audire . . ., nisi aut parochiale beneficium, aut ab episcopis . . . approbationem, quae gratis detur, obtineat" (Sessio XXIII. de ref. c. 15).

[3] Bulla huius iubilaei idem fere habuisse videtur, quod Bulla iubilaei Roma 16. Octobris 1567 a S. Pio V. data; qua potestas fideles ab omnibus peccatis atque etiam iis, quae per Bullam Coenae reservata erant, absolvendi tribuebatur confessariis omnibus per episcopos suos approbatis; v. *Can.* VI 128.

[4] „1575. Zehen Christliche Predigt, vom Ablass, in Truck verfertiget durch *Jacob Feucht,* Weybischoff zu Bamberg, der H. Schrifft D. 8. Getruckt zu Cöln, durch Geruinum Calenium, vnd die Erben Johan Quentels": *Catalogus* novus, ex Nundinis vernalibus Francofurti ad Moenum, Anno M.D.LXXV. celebratis, Franckfurt am Mayn 1575, f. D III[b]. „1575. *Vuolfgangus Hollius* Theologiae Doctor Eystättischer Weihbischoff, von dem rechten gebrauch der Jndulgentz vnd Ablass, von den Früchten dess Gnadenreichen Jubeljars, mit andeutung wie sich ein Christ desselben fähig vnd theilhafftig machen sol. octaua. Gedruckt zu Jngolstatt durch Dauid Sartorium": *Catalogus* novvs, Nundinarum autumnalium Francofurti ad Moenum, Anno M.D.LXXV. celebratarum, Franckfurt am Mayn 1575, f. D IV[a].

cium faciant, Reuerendissimi Domini Praesulis[1] calcaribus extimulati: deinde si Processiones cum pia grauitate et singulari quadam diligentia, et non ex veteri consuetudine instituantur. Vbi Sacerdotes inprimis aduigilare necesse est, qui et ipsi ieiunent et exemplo praeeant coeteros[2], idemque in monasterijs accurate fieri decet, ne alioquin, qui lux mundi[3], et sal terrae[4] vocantur, in re tam sacra, et seria ludere videantur, et laicis inde creetur occasio Indulgentias fere despiciendi, aut certe negligendi, vti passim fieri solet in pagis ac oppidis.

Pet. Canisius.

Ex ipsis hisce litteris colligitur, Canisium magistratui alicui ecclesiastico, non civili scripsisse, idque post a. 1574; nam ad libros a. 1575 et 1576 primum in lucem emissos eum remittit. Librarius autem antiquus notavit, eum Oeniponte (quae urbs est dioecesis brixinensis) scripsisse; ubi a Iunio 1571 ad Iunium 1576 in Societatis collegio sedem habebat (cf. *Can.* VI 623 et infra ep. 1952); quamquam aliis quoque annis ad tempus aliquod Oenipontem veniebat. Ideo sic censeo: Canisius per has litteras de iubilaeo, quod a. 1575 Romae celebrabatur (v. supra p. 231 [3]), anno autem 1576 ex consuetudine per Alexandrum VI. inducta in aliis orbis terrarum partibus agendum sive consequendum erat[5] (cf. *Beringer-Hilgers*, Die Ablässe I[14] 575—576), Adamo ab Arz vicario generali brixinensi, ab eo consultus, respondit sub exitum a. 1575 vel initium a. 1576.

1940. CANISIUS **EVERARDO MERCURIANO** praeposito generali Societatis Iesu. Oeniponte 2. Februarii 1576[6].

Ex autographo (2°; 2 pp.; in p. 4 inscr. manu ignota posita et reliquiae sig.). Germ. 183 f. 253a—254b.

Qui proceres Sociis faveant, qui adversentur. Hoffaeum provincialem et sibi ipsi et reliquis rigidiorem esse. 5%. Rectorem oenipontanum loco moveri debere. P. Toletum propter Ernesti principis facinus male audire.

---

[1] Ioannis Thomae a Spaur coadiutoris brixinensis; v. supra p. 21 98.

[2] De ieiuniis, processionibus, reliquis piis operibus, quae pontifices iis, qui iubilaei gratias consequi vellent, praescribere solebant, v. *Can.* V 722; VI 128 490 [5].

[3] Mt 5, 14. [4] Mt 5, 13.

[5] Ita Bavaris Alberti V. et Ernesti filii eius rogatu in annum 1576 ad 3 menses concessum est (*Adlzreitter* l. c. II[2] 280—281); de eo Treveris per 3 menses acto *Hansen*, Akten 712; de eodem in Tiroli acto *Hirn* l. c. 175 [2]; *Tinkhauser* l. c. I 211 592.

[6] In „Summa Doctrinae Christianae : . . Auctore D. *Petro Canisio* . . . Coloniae. Apud Maternum Cholinum. M.D.LXXVI" exstant litterae dedicatoriae Canisii ad Guilielmum (V.) Bavariae principem „Dilingae VI. Calendas Februarij, Anno post Christum natum .M. D. LXXVI." datae (f. A6a—A11b). Quae iterum, eodem tempore ascripto, excusae sunt in „Summa" a. 1577 Coloniae apud eundem Cholinum edita (f. A6a—A11a). Hae vero litterae sunt eaedem atque illae, quibus Canisius editionem „Summae" in usum scholarum Bavariae Dilingae a. 1571 factam Guilielmo principi dedicabat, praeterquam quod his ascriptus est annus „M. D. LXXI." Hic autem in „M. D. LXXVI." immutatus esse videtur ab iis, qui Coloniae novam illam editionem curabant, non a Canisio, qui 27. Ianuarii 1576 Oeniponte morabatur, non Dilingae (v. supra p. 313—316). Canisii litterae, quas dixi, positae sunt in *Can.* VI 426—431.

† Pax Christi Jesu aeterna nobiscum,
Admodum Reuerende Pater.

Tempus anni postulat ut de utroque superiore aliquid scribam [1]. Pater noster Prouintialis suo muneri satisfacere uidetur, quantum ego ex his quae uideo et audio, conijcere possum. Optarim autem illi rectius [a] conuenire cum Cancellario Bauarico [2], quoniam alter alteri parum uidetur fidere, et hinc maiores difficultates metui possunt circa duo collegia Bauarica [3], quae multum negocij hactenus nobis exhibent. Deinde maiore prudentia fortasse posthac indigebit [b], quod Principum et Canonicorum Augustae animos non parum a nobis alienos habere uideamur. Fauet [c] Princeps Albertus, nisi fortasse P. Toledi causa, ut non puto, adeo illum offenderit, ut nobis etiam illius imprudentiam uelit imputare [d] [4]. Non fauet Princeps Oeniponti [5], minus etiam antistes Augustanus [6] cum suis Canonicis, quibus non adeo facile conciliari posse uidemur: adeo male illos urit superior Augustani collegij procuratio, quam uniuersam nobis adscribunt [e] [7]. Hinc Dilingani quoque collegij rationes, ut arbitror, nunquam peiore loco fuerunt. Est et hoc discriminis, quod in aula Bauarica Princeps, non autem Consiliarij, contra [f] Oeniponti Consiliarij, non Princeps, Dilingae autem neque Princeps neque Consiliarij erga nos bene affecti esse uideantur [g]. Haec dixerim, ut P. T. quo rectius prouintiae nostrae statum intelligit, eo felicius per se et P. Prouintialem nostrum praesentibus difficultatibus consulere dignetur Christo auxiliante [h]. Fortasse non abs re foret, si idem P. Prouintialis maiorem erga istos magnates facilitatem et comitatem praeseferret, et natiuam illam, ut opinor, seueritatem remitteret magis, quae illum nostris etiam formidabilem potius quam amabilem reddit [i]. Optarim illi praescribi serio, ut in his quae ad corpus, ualetudinem et profectiones pertinent [k], certos haberet admonitores, quorum consilijs obtemperaret, atque ita minus sibi ipsi seuerus ac rigidus esset. Fortasse sibi persuasit, finem breui fore huius muneris, et uidere successorem desiderat, quantum conijcio. Hanc persuasionem illi ademptam esse uellem, ut eo diligentius pergat hanc functionem obire, quam cito deponere sperat [l]. Timent illum Patres ac fortasse suspectum habent in casu illo siue contractu mutui, uelut alteri [m] parti faueat magis [8]: unde

a) *Quatuor his vv. Romae linea subducta est et in margine ascriptum:* Primo. b) *10 vv. sqq. R. (hic et deinceps = Romae) linea subducta est.* c) *Huic v. linea subducta est.* d) *9 vv. sqq. R. linea subducta est.* e) *2 vv. sqq. R. linea subducta est.* f) *Sequitur* uero, *oblitt.* g) *Manu romana in marg. ascriptum est: 2.* h) *6 vv. sqq. R. linea subducta est.* i) *In margine, ut supra (adnot. g): 3; 4 vv. sqq. R. linea subducta est.* k) pertinet *autogr.* l) *5 vv. sqq. R. linea subducta est.* m) *2 vv. sqq. R. linea subducta est.*

[1] De Paulo Hoffaeo provinciali et de Wendelino Völck rectore oenipontano. Canisius utriusque consultor erat. De officio illo scribendi v. supra p. 8 [1].

[2] Christophoro Elsenheimer; qui in locum Simonis Thaddaei Eck a. 1574 mortui successerat. [3] Ingolstadiense et monacense.

[4] Haec „causa“ ab ipso Canisio in altera harum litterarum parte planius explicabitur. [5] Ferdinandus II. archidux. [6] Marquardus a Berg.

[7] Vide supra p. 9 155 230 274.

[8] Eos dicit, qui 5 % facilius permittebant; v. supra p. 157.

putant hactenus nostros quasi in tenebris ambulare, nec urgeri negotium Romae, ut scrupulis obortis circa Romana responsa[1] satis fiat.

Quod[a] ad Rectorem Oenipontanum attinet, grauis causa est, quae[b] Principem[2] ab illo et collegio abalienauit, ideoque si antea unquam, nunc multo magis expedire uidetur, ut Rectoris huius fiat mutatio, si fauentem habere Principem cupiamus. De causa ipsa P. Prouintialem monui, postquam eam ex Cancellario principis[3] intellexi, idemque iudicat hunc suum Principem non facile posse placari et conciliari Rectori tam grauiter apud se diffamato. Quicquid autem de illo statuetur, mihi gratum erit. Jndigeret meliore instructione circa munus[c] hoc Rectorale obeundum, ut scripsi alias[d] [4]. Vellent alij, ut Consiliarios adhiberet, eorumque opera saepius uteretur. Satis est haec aliaque de illo superioribus esse nota: mihi satis est, priuatis studijs uacare[5], et in silentio expectare salutare Dei[6].

Transijt[e] his diebus Dominus Comes de Portia[7], Monachium proficiscens, seque purgari uoluit, quod ad mensam a P. T. inuitatus ante discessum non uenerit. Jgitur nobiscum coenam sumpsit, ut pensaret quod isthic praestare non poterat, sicut ipse affirmauit[f]. Quod ad P. Toledi causam apud Principem transigendam spectat, multa nobis concredidit, et rogatus promisit, se magnam societatis nostrae rationem in toto negotio habiturum esse[8]. Vereor autem, ne duo praecipui in aula Principis Ernesti, ut suam causam defendant, P. Toledum premere et accusare pergant. Affirmauit ille tamen, se quantum fieri possit, Patri Toledo parciturum, ut si quid peccatum sit, illius tantum imprudentiae adscribatur. Dolet mihi, de bono illo patre tam multa scribi, legi et narrari in Bauaria, multaque admisceri, quae homini professo non congruant, et Germanos offendant. Habet hic quoque locum, Nihil occultum, quod non reueletur[9]. Tegat diuina bonitas hos aliosque naeuos in pulchro corpore societatis.

Fateor[g] me dubitare, an expediat ullo modo tolerari eum[h] in officio

a) *Huic v. et 4 sqq. R. linea subducta est.* b) *4 vv. sqq. linea signata sunt, ut supra.* c) *Ita C. correxit ex* munia. d) *Sequuntur vv.* Ego sino illum in suis rebus procedere etsi *[?], a C. oblitt.* e) *Hoc v. et 7 sqq. notata sunt, ut supra; in margine:* 5. f) *Sic C. correxit ex* affirmat. g) *Hoc v. et 4 sqq. linea sunt signata; in margine:* 6. h) *Hoc v. supra versum scriptum est.*

¹ De his v. supra p. 157. ² Ferdinandum II.

³ Ioanne Wellinger a Schneeberg cancellario aulico vel Christophoro Klöckler cancellario tirolensi. ³ Vide supra p. 273.

⁴ Inprimis compositioni Operis Mariani.

⁵ Cf. Gn 49, 18; Ps 118, 166; Thren 3, 26.

⁶ Hieronymus comes de Portia († 1612), Bartholomaeo Portiae nuntio apostolico propinquus, Romae cum Andrea Fabricio Alberti v. Bavariae ducis oratore romano praeceptoris officio functus erat apud Ernestum Alberti filium; cf. infra p. 316. Postea varias legationes pontificias per Germaniam et Galliam obiit, Graecii nuntium apostolicum egit, episcopus fuit adriensis (Adria).

⁷ Vide, quae de molestissimo hoc negotio sub ipsas has litteras dicentur.

⁸ Cf. Mt 10, 26; Mc 4, 22; Lc 8, 17; 12, 2.

Rectoris, qui apud nonnulllos suspectae[a] habetur incontinentiae, et praesertim quando ad multos haec fama peruenit, et signa quaedam extant, quae graues etiam uiros moueant. Qua de re monitus P. Prouintialis, si nihil hucusque scripsit, fortasse respondebit clarius[1].

Commendo me plurimum sacrificijs et precibus P. T. et illius benedictionem exopto, ut hoc anno plaeraque in meo Mariali opere possim absoluere. Dominus Jesus P. T. et P. Assistentes omnes diu nobis conseruet, cupio et illorum precibus apud dominum adiuuari. Oeniponti 2 Februarij 1576.

Jndignus filius Petrus Canisius.

† Admodum Reuerendo in Christo Patrj nostro P. Euerardo Mercuriano Praeposito Generali Societatis JESV. Romae.

Paulo copiosius explicentur oportet ea, quae Canisius in his litteris de „causa P. Toledi" et „Principis Ernesti", filii Alberti V. ducis Bavariae atque administratoris dioecesium frisingensis et hildesiensis, narrat. Nocte diei 31. Iulii 1575 Romae Ernestus clam e cubiculi sui fenestra ad meretricem descendit per scalam ex funibus factam; quam cum rediens vidisset esse resectam, eadem nocte ex urbe aufugit (*Lossen* l. c. 346—350; *Schellhass,* Quellen u. Forschungen X 325—364). Pontifex autem iuvenem a Camillo Capilupo cubiculario repertum primum Caietam (Gaeta) ad cardinalem Granvellam ire iussit, deinde Romam reducendum curavit; unde Ernestus ex pontificis et patris voluntate m. Decembri 1575 in Bavariam versus discessit. Fugae illius causam et Ernestus et cardinalis Zacharias Delphinus et Gregorius XIII. ex nimia severitate repetebant, qua Andreas Fabricius et Hieronymus de Portia Ernesti praeceptores in eum usi essent. Fabricius vero et aliqua ex parte Portia quoque culpam in indulgentiam P. Francisci Toleti S. J. transferebant, quem pontifex Ernesto, ut is episcopali officio administrando maturesceret, litterarum sacrarum et pietatis ecclesiasticae dederat magistrum (*Giampietro Maffei* S. J. Annali di Gregorio XIII. I, Roma 1742, 203—206; *Schellhass,* Nunt. V, 122 127 140 142; *Riezler* l. c. IV 611—614). Ita Monachio 21. Septembris 1575 P. *Dominicus Menginus* collegii rector Mercuriano praeposito generali de Andrea Fabricio scripsit: „Vehementer nimium multis modis diffamat P. Toletum, quod ipse sit vnicus author tantorum flagitiorum Reuerendissimi, et infamiarum totius prouinciae etc.... Vtinam aliquo scripto hic purgari posset P. Toletus, etiam propter nomen Societatis, quam si amasset Doctor Andreas, aliter egisset" (ex autogr.; Germ. 136 f. 183[a]). Ac Mercurianus quidem Toletum purgare conatus est apud *Albertum* V. ducem; verum hic Monachio 2. Decembris 1575 ei haec, praetor alia, de Toleto *respondit: „Ab eo statim tempore quo sese is filio nostro adiunxit, ij quos non incerto consilio tam S. D. N. summus Pontifex, quam nos ipsi dederamus gubernatores, absque officio et cura fere omni, certe absque omni potestate et auctoritate esse caeperunt... uidemus ... sublatam penitus ab istis cubiculi custodiam, filijque desiderijs temere satis concreditam.... [Ad Toletum] magis pertinebat temeritatem istam iuuenilem ad nostra placita solumque virtutis studium inflectere et persuadere, quam obsequijs et blanditijs totam sibi vni capere, atque ita propriam facere ut praeter eius nullam aliam agnosceret autoritatem" (ex archetypo, Alberti manu subscripto. Epp. Ext. 27 f. 54[a]—55[b]). Similiter *Albertus* 3. Decembris 1575 pontifici scripsit. Attamen

a) *C., puto, scribere volebat aut* suspectae habetur continentiae, *aut (id quod mihi magis probatur)* suspectus habetur incontinentiae.

[1] *Hoffaeus* provincialis Mercuriano sic de Wendelino Völck rectore oenipontano *respondit Augusta 30. Iunii 1576: „Debet bonus Rector multas calumnias innocens ferre" (ex autogr.; Germ. 137 f. 152[a]).

Gregorius XIII. litteris 28. Decembris ad ducem datis Toleti doctrinam et virtutem summis extulit laudibus. „Certo scimus, [eum] nullam Ernesti gubernandi curam sibi vendicasse, nec quidquam relaxasse, neque se aliis anteposuisse, neque eos in contemptum adduxisse, testis est Deus" (*Theiner*, Ann. II, in a. 1575, n. 65). Deinde *Hoffaeus* Monachio 5. Februarii 1576 ad Mercurianum haec *rettulit: „Hesterno vespere venit Comes de Porcia. Quantum intelligo non exemit Pontifex sua epistola Duci omnem indignationem contra Toletum: nihil tamen notari potest etiam Societati iccirco tantillum infensum esse Ducem. Toletum vero Capellum rubrum venari etiamnum amare iocantur Aulici, etiam nobis praesentibus, et quidem in proxima creatione Cardinalium nescio quid illi cum risu ominantur: Denique illis eximi non potest quin habeant illum pro ambitioso. Absit vt Cardinalis fiat.... P. V. quaeso impediat, si quid hic odiosus rumor habet veri etc. taederet me vitae meae" (ex autogr., Germ. 137 f. 123[a]). Hanc certe ambitionem Canisius significat, cum de Toleto ea in Bavaria narrari scribit, „quae homini professo non congruant", ei scilicet, cui ex praescripto Constitutionum Societatis, emissis quattuor votis sollemnibus hoc, praeter alia, voto simplici, quod vocant, promittendum fuerit: Se „ad nullam etiam extra Societatem praelationem vel dignitatem obtinendam quidquam acturum, nec ad sui electionem ad huiusmodi munus, quoad eius fieri poterit, consensum praestiturum, si eius obedientia, qui sub poena peccati potest praecipere, se non compulerit" (*Constitutiones* S. J. P. 10 n. 6). Iuuerit autem hic notari, anno tandem 1592 impediri non potuisse, quominus Toletus a Clemente VIII. cardinalis crearetur; qui ceteroquin iam a multis annis extra Societatis aedes et disciplinam vivere coactus erat; vir virtutibus insignis et laboribus plurimis pro ecclesia exantlatis clarus († 1596); sed de quo *Antonius Astrain* S. J. notat: „La verdad histórica nos obliga á añadir que, por un conjunto de singulares circunstancias, este hombre tan eminente había llegado á ser en sus últimos años un peligro para la Compañía (l. c. III 632).

Quod denique ad comitem *Hieronymum de Portia* attinet, hic Monachio 23. Februarii 1576 Mercuriano *scripsit (Toletum haud obscure significans): „Quamuis ex tempore, quo fui istic in vrbe, cognoscere potuit, qualis mea fuerit erga V. P. Reuerendam et istam sanctam societatem deuotio, et hoc etiam declarauerim oenoponti Reuerendo Patri Canisio, et Patri Rectorj illius collegij, tacere tamen nolo, quid hic egerim apud Serenissimum Ducem".... Commendavi Societatem „et ea omnia exposui S. Serenitati, quae P. V. Reuerendissima mihi istinc discedenti iniunxit exponenda, benigne acceptauit S. Serenitas omnia, et spero non recessuram a pristina sua protectione, nisi aliquando P. V. Reuerenda vellit nimium, pro naturali quadam sua humanitate suscipere alicuius excusationem et tuerj, qui excusari non posse hic reputatur" (ex autogr., Germ. 137 f. 127[a]). *Mercurianus* deinde P. Mengino rectori monacensi *scripsit Roma 21. Iulii 1576: „Gaudeo in Domino plurimum quod Dominus Comes Portianus vos nosque omnes diligere pergat". Eodem die ipsi comiti per *litteras gratias egit pro sua in Societatem benevolentia et pro „obliuione nonnullorum quae tibi incommodius accidisse viderentur", ac simul ei gratulatus est „de tua ista integritate" (ex commentariis; G. Sup. 1 f. 44).

Canisio Mercurianus respondit 10. Martii 1576.

1941. P. HENRICUS WINSENIUS S. J. nomine Canisii **P. SYBERTO BRONCHORST S. J.** Oeniponte circa m. Martium 1576.

Ex epistula autographa, de qua infra dicetur. Germ. 138 f. 172[a].

P. Henricus Winsenius sive Hördt S. J. (de quo Can. IV 501) P. Syberto Bronchorst S. J., Florentiae vel Ferrariae commoranti, haec, praeter alia, scripsit Oeniponte 17. Martii 1577: „Scripseram ante annum quaedam, nomine R. P. Petri Canisij, per Reuerentiam T. Romae (vbi tum eam commorari putabamus) cum R. P. Antonio Vinckio, piae me-

moriae[1], *de Collegio, vel potius Domo Professorum Neomagij admittenda, transigenda; quae tamen per P. Richardum nostrum*[2], *sicut ipsemet hac ad Rhenensem prouinciam rediens mihi exposuit, feliciter sunt transacta, cum Reuerendo admodum P. Oliuerio" [Manareo, praepositi generalis pro Germania et Gallia assistente].*

P. *Ioannes Zanthenus* S. J. *scripsit Everardo Mercuriano praeposito generali Moguntia 26. Martii 1576: „Procuratores Societatis Neomag... sunt inter Senatores Canisius frater P. nostri Theodori et Wichardus habens filium Societatis Herbipoli, tum plaerique Canonici et ciues fidi amici. Qui vt inito iamdudum inter se foedere Societati oblata bona istic conseruant, tegunt, augent, aedes comparant et restaurant, ita et mea ... custodiunt.... Suppellectilia vero retinentur a vidua Clara Valkenburg, quae cum familia sua 3 virginum omnia sua in Societatis vsum consecrauit. Neque hi omnes aemulorum morantur inuidiam, aut quamuis subire gratis difficultatem, dummodo se et pios solentur, societatis fructu se quandoque potituros". Et *Spira 4. Augusti 1576: Eiusmodi „procuratores" sunt „praeter Reuerendissimum [Giulielmum Lindanum episcopum ruraemondanum] plaerique Canonici et Senatores et ciues plures"; „videntur praecipuas exequi difficultates nec sine suo incommodo, Senatores duo Arnoldus Vichardus habens filium Societatis Herbipoli ... et Gerardus Canisius, nostrorum patrum frater. Cooperatur his non segniter, vtinam integre resipisceret quondam noster, Canonicus M. Thomas Lentius" (ex autographis, Germ. 137 f. 214ª 244ª).

1942. P. PAULUS HOFFAEUS provinciae S. J. Germaniae superioris praepositus CANISIO (et quattuor aliis provinciae Patribus).

Monachio circa 4. Martii 1576.

Ex exemplo manu ignota scripto (2°; 2 pp.), quod Hoffaeus sua manu subscriptum Romam ad Mercurianum praepositum generalem misit. Germ. 138 f. 355.

Praefatio editoris: P. *Ioannes Rabenstein* S. J. rector collegii ingolstadiensis Mercuriano Ingolstadio 27. Martii 1575 *scripsit: „Cum Academicis et ciuibus optata pace fruimur, licet utrique ingemiscant indies Societatem Cursum et paedagogium deseruisse ... ultra 217 studiosos omnibus computatis certum est Jngolstadij non reperiri" (ex autogr., Germ. 136 f. 224ª). Atque certum est, anno 1575 senatores academicos ab Alberto V. Bavariae duce venationis causa Ingolstadium advecto petisse, efficeret, ut Socii ad ea, quae deseruissent, redirent (*Mederer* l. c. II 29; *Prantl* l. c. I 255—258; *Riezler* l. c. VI 301—302). Propterea *Hoffaeus* praepositus provincialis Mercuriano *scripsit Monachio 1. Februarii 1576: „Versor hic in causa Jngolstadiana.... Eius rej causa cum duobus Commissarijs simul cum D. Peltano Jngolstadium intra triduum me conferam, vbi quaedam erunt interlocutorie cum Academicis transigenda. Operam dabo vt his miserijs finis imponatur simulque vt fundatio conficiatur". Et *Monachio 2. Martii 1576: „Jam mensem versor in componendis causis huius et Jngolstadiani Collegij, sed in fundationibus praecipua est difficultas: sed nisi fallor non futura magna". Et *Monachio 6. Martii 1576: Aulicis quidem nondum tempus suppetisse ad „formale scriptum" conficiendum; se tamen iam „summa rerum capita" Romam mittere (ex autographis. Germ. 137 f. 117ª 119ª 127ª); misit igitur horum „capitum" exemplum illud, quod supra dixi. Ex postremo autem capite cognoscitur, eum paullo ante eorundem capitum exempla Canisio quoque et reliquis, qui in eodem capite memorantur, misisse iisque, quae ibidem dicuntur, mandasse.

---

[1] P. Vinck, collegii moguntini rector, 7. Septembris 1576 Bononiae mortuus erat (*Hansen,* Akt. 712).

[2] Zanthenum, puto (*Duhr,* Jes. I 99[4] 527).

Iubet eos praeposito generali scribere, quid sentiant de ratione suscipiendi Ingolstadii et Monachii curam variarum scholarum, seminarii, convictus etc.

Saluo iudicio Nostrj Patris[1] in causa Academica haec concordata sunt hic Monachij et Jngolstadij.

1° Separati erimus scholis ab Academicis exceptis Theologicis tantum lectionibus: quanquam dum nouae scholae aedificentur, in veterj collegio[2] omnia ut ante, fient.

2° Cursum et Paedagogium restituemus[3].

3 Academicis liberum est legere in suo veterj collegio, quaecunque volunt: idem et nobis in scholis nostris.

4 Nostram iuuentutem instituemus nostro modo.

5 Theologi nostri erunt in senatu Academico et vnus noster Philosophus.

6 Philosophi nostrj erunt externis pares in facultate et examine ad gradus, in quo examine quando non conuenietur, controuersia sorte dirimetur.

7 Tantum illi iurant, qui sunt in senatu Academico aut facultatum, atque duo tantum iurabunt scilicet silentium et commodum scholae in dicenda sententia.

8 Nemo publice uel priuatim ad Magisterij gradum promouendus, qui cursum per integrum trienium non absoluit[a], et huius rej testimonium non attulerit.

9 Omnes actus publici tantum in veteri collegio celebrabuntur.

10 Non licebit a nobis ad Academicos et contra vlli transire, sine iudicio et consensu eius partis, a qua receditur.

11 Jnobedientes seu incorrigibiles licebit e scholis excludere, quos altera pars sine uoluntate et bona pace alterius non poterit recipere. Poterunt etiam scandalosi in promotionibus impedirj.

12 Si quid ex parte nostra peccatum fuerit, poterunt ordinarij magistratus Academici nostrum Rectorem monere, aut si hoc non iuuet, ad principem referre. Haec fere sunt totius transactionis potissima capita.

13 Deinde urgemur, ut Jngolstadij suscipiamus curam seminarij Theologici more collegij Germanici: nos tamen curam temporalem detrectamus.

a) *Corrigendum esse videtur:* triennium non absoluerit.

---

[1] Mercuriani.

[2] In his aedibus professores universitatis, velut iurisperiti et theologi, docere solebant.

[3] *Hoffaeus* in *litteris 6. Martii 1576 datis, quas supra dixi: „Dixi", inquit, „Cursum philosophicum triennalem Monachio Jngolstadium esse restituendum: adhibendum etiam Paedagogium id est classem Rhetoricae, humanitatis, Syntaxeos cum duabus grammaticis et lingua graeca, sicut fuit, antequam Jngolstadio discederemus".

14 Vrgent etiam ut Monachij suscipiamus conuictores, eosque more nostro gubernemus: vellent etiam sicut Dilingae imponere curam temporalem, quam hactenus negamus.

15 Eo in loco ubi est domus Veltmüllerae[1] locisque vicinis volunt nobis plus minus pro 70. hominibus ex fundamentis collegium et scholas cum sacello aedificare: et donec haec fiant, nobis habitandum erit in nouo illo collegio amplissimo, quod nuper fuit aedificatum[2].

16 Fundatio Jngolstadiana haec noua aedificia paranda continebit vna cum annuis reditibus 3500 florenorum cum aliqua prouisione de augenda hac dicta summa successu temporis. Discrepamus.

17 Praeterea translato cursu Monachiensi, cupiunt eius loco substitui compendium Dialecticae cum aliqua lectione casuum et catechismi Romani, et pollicentur suo tempore etiam pro hoc collegio aliquam auctionem redituum. Discrepamus.

18 Optant ante Pentecosten[3] omnia inchoarj: Nobis igitur Jllustrissimus Princeps fundabit pro utroque collegio 5000 florenos annuos cum promissione maioris.

19 Quantum memini haec sunt uel omnia uel potissima huius causae capita. Primo quoque tempore quid hac de re sentiant P. Theodoricus[4], P. Rosephius, P. Peltanus, P. Canisius, P. Rabenstein perscribant nostro Patrj[5], cui hinc ego quoque propediem omnia transmittam. Sciant uero Patres magnam fore difficultatem hoc tempore maiores reditus impetrare non tam uoluntatis quam penuriae culpa: sic D. Cancellarius[6] etiam iuramento interposito testatus est.

Hoffaeus.

1943. EVERARDUS MERCURIANUS praepositus generalis Societatis Iesu CANISIO. Roma 10. Martii 1576.

Ex apogr. eiusd. temp.; in margine, eadem manu: „Oenipontj P. Petro Canisio." G. Sup. 1 f. 39.

Utilia sunt, quae Canisius de provincia scribit. Qui „Operi Mariali" vacabit.

Legi quae ad me scripsisti superiori Januario de istius prouinciae rebus[7]. Quae omnia sunt eiusmodi vt sperem non inutiliter, aut a te scripta, aut a me cognita esse · decreui enim dare operam vt quae recte geruntur pergant porro sibi constare, quae secus opportunis

---

[1] De hac muliere v. *Can.* IV 932—933; de eius domo Hoffaeus in *litteris, quas dixi: „Ex legato cum suo horto nostra est".

[2] *Hoffaeus* in litteris, quas dixi: „Superioribus annis aedificauit Serenissimus Princeps pulcherrimam et amplissimam domum ex fundamentis pro seminario supradicto theologorum, estque domus illa facile capax 80 personarum sic vt fere singuli proprium habeant idque satis amplum cubiculum".

[3] Ante 10. Iunii. [4] Canisius rector dilinganus.

[5] Mercuriano praeposito generali. Quid Canisius scripserit, vide infra, ep. 1944.

[6] Christophorus Elsenheimer.

[7] 2. Februarii 1576 hae litterae a Canisio datae erant; v. supra p. 313.

remedijs instaurentur[a] [1]. Tuum erit nos identidem adiuuare non solum sanctis[b] precibus ac sacrificijs tuis, sed etiam consueta scribendj diligentia[c] ac fide si quid accidet quod nobis significandum putaris[d] · quod tamen fiat sine vllo Marialis operis, aut aliorum studiorum tuorum incommodo, in quibus prosequendis[e] cupimus optatum tibi ocium et quietem quam cumulatissime contingere[f]. Hactenus habui quod scriberem hoc tempore nisi quod tibi ac coeptis tuis optem omnia foelicia. Romae 10. Martij .1576.

Mercurianus se Canisii litteris adductum esse ait, ut „opportunis remediis" quibusdam uteretur. Haec magis explicantur *litteris eodem die a *Mercuriano* ad Hoffaeum provincialem datis; sic enim ei scribit: „Rerum Bauaricarum nostrarum eo meliorem exitum expectamus, quo r. t. intelligimus eas diligentius procurare, maxime si operam dederit vt optimatum, et in primis D. Cancellarij [2] gratiam et beneuolentiam nobis integram conseruet. Audio Rectorem Oenipontanum [3] eo loco necessario mouendum esse, tum quod in cortesiae suspicionem venisse videatur [4], tum etiam quod non existimetur cum principe [5] reconciliarj posse · quo magis miror ea de re nihil adhuc a r. t. esse scriptum. Quare velim vt proximo quoque tempore quicquid hac in parte compertum habuerit diligenter perscribat, et si rector loco mouendus videbitur quem idoneum putet maxime qui eius loco sufficiatur" (ex comment.; G. Sup. 1 f. 38[b]). *Hoffaeus* tandem (ut hanc causam breviter absolvam) ad Mercurianum Ingolstadio 24. Octobris 1576 haec *rettulit: „P. Rabenstein est Vicerector Oenipontanus: P. Wendelinus vero Procurator Jngolstadiensis: visa est Archiduci haec mutatio satis placere, et iam signa aliquot aedidit maioris beneuolentiae. P. Rabenstein esset confirmandus Rector · Jngolstadiense Collegium habet Vicerectorem P. Joannem Rastellum Anglum" (ex autogr.; Germ. 137 f. 90[a]). Ad haec *Mercurianus* Roma 5. Decembris 1576 *rescripsit: P. Ioannem Rabenstein a se „per patentes literas" constitutum esse rectorem oenipontanum (ex comment.; Rh. Inf. 1, II f. 1[b]). Prospere haec successerunt. Sic enim Mercuriano *scripsit Oeniponte 5. Ianuarii 1577 P. *Georgius Crispus*: P. Völckius rector „in nobilitatis animos egregie se se insinuauerat, et plusculum fortassis quam collegio utile erat in iis sibi deuinciendis desudauerat"; ideo eius discessu „doluerunt plurimi, neque tamen nobis iuste succensere potuerunt, quod eos quibus et quam potentibus cedendum erat minime latebat. Et nescio sane quem non optimi Rectoris innocentia graui suspicione, nulla sua culpa, onerata, et cedere coacta non commouisset. Iactato e naui Iona mare conquiescere coepit [6], potiturque collegium hoc ab illo tempore singulari quiete, beneuolo Principe et non auersa nobilitate". Et *Oeniponte 7. Ianuarii 1577 P. *Guilielmus Elderen:* „Tota nobilitas praecipue Dominj de regimine ualde nobis fauent, quin etiam conscientias suas nobis credunt. Jnter quos sunt etiam duo Cancellarij Aulae et Comitatus Tyrolensis [7], et praefectus huius loci cum ipsorum coniugibus" (ex autographis; Germ. 138 f. 166[a] 167[a]). P. Theodorico Canisio S. J. rectori dilingano Roma 16. Martii 1576 *Mercurianus* *scripsit: „De pacto pendendi quinque pro centum ... consultus a me Pontifex respondit nolle se vt absoluantur a nostris qui sic paciscuntur · sic tamen vt de hoc genere nihil palam doceant disputent aut concionentur. Quod cum ita sit velim r. t. sit bono animo neque existimet leuem eam consolationis materiam quod nostrorum

a) *Sequitur* Tuae et, *oblitt.* b) *Hoc v. supra versum scriptum est.* c) *Duo vv. sqq. supra versum scripta sunt.* d) *Sequitur* Fiet *vel simile v., oblitt.* e) *Sequitur* optamus, *oblitt.* f) *Sequitur* Jdque, *oblitt.*

[1] Vide, quae sub ipsas has litteras dicentur. [2] Christophori Elsenheimer.
[3] P. Wendelinum Völck. [4] Vide supra p. 316. [5] Ferdinando II.
[6] Cf. Ion 1, 11—15.
[7] Ioannes Wellinger baro de Schneeberg et Christophorus Klöckler.

doctrina a sede apostolica approbata sit.... Pontifex vti speramus auctoritatem suam interponet, et nonnullos quorum est huiusmodj rebus consulere officij serio admonebit" (ex comment., G. Sup. 1 f. 45[b]). Quam serio mandatu Gregorii XIII. Bartholomaeus Portia nuntius apostolicus 9. Aprilis 1576 Marquardum a Berg episcopum augustanum monuerit, ne pactionem illam probaret neve sacerdotibus praeciperet, ut homines ita paciscentes absolverent, intellegitur ex *Schellhass* l. c. V 374 430—432.

1944. CANISIUS **EVERARDO MERCURIANO** praeposito generali Societatis Iesu. Oeniponte 14. Martii 1576.

Ex archetypo (2°; 2 pp.; in p. 4. inscr. et particulae sig.). Canisius epistulam Balthasari Arnoldt scriptori suo dictatam manu sua et emendavit, et subscripsit („P. T." etc); inscriptionem P. Guilielmus Elderen S. J. posuit. Germ. 183 f. 255[a]—256[b].

Rogat eum, ut, quae de scholis et contuberniis Ingolstadii et Monachii curandis statuta sint, in ducis gratiam probet.

Pax Christi nobis aeterna admodum
Reuerende Pater.

Diuinae bonitati gratias ago, qua duce Pater noster Prouintialis[a] [1], ut societatem nostram in Bauaria prouehat, et strenue, et feliciter mihi laborare videtur. Jussus ergo meam scribere sententiam de capitibus transactionis nuper confectae[2], ut Collegium nostrum Jngolstadiense tandem emergat, respondeo illa mihi non solum[b], tolerabilia, sed et prorsus amplectenda videri. Sic enim bona spes est fore, ut nostri cum bona pace illius Vniuersitatis praesint et prosint iuuentuti, utque non solum dictae Vniuersitati, sed et vniuersae prouinciae Bauariae in Catholica religione conseruandae operam utilissimam nauent. Meretur et sane Princeps Albertus, ut sanctae illius[c] voluntati et expectationi hoc loco satisfaciamus, etiamsi aliquid incommodi nostris esset subeundum, praesertim cum in tota Germania, ac pluribus fortasse prouincijs nullus[d] Mecaenas facile reperiatur, qui tam m a g n u m nobis o s t i u m a p e r i a t[3] de multis bene merendi, tantaque beneuolentia, simul et liberalitate nostros prosequi[e] velit et possit. Rogo igitur obnixe paternitatem tuam, ut huiusmodi conditionibus, quae iam utrinque probatae videntur, clementer annuat, suamque authoritatem adiungat, praesertim tanti Principis et Bauaricae messis ratione habita in hoc[f] Germanicarum rerum perturbatissimo statu.

Grauia[g] quidem sunt onera, ut nostri curam seminarij Theologici Jngolstadij, et conuictorum Monachij alendorum sustineant: nec immerito Patres haec onera nobis defugienda esse iudicarunt. Sed, ut dixi, postulanti haec Principi, quae alijs multis iam ante concessa fuerunt, nihil denegandum putarem hoc tempore, quo ille nostris se plane liberalem adeoque confidentem exhibet, praesertim quum

a) Pronuintialis *libr.* b) *Sex vv. sqq. Romae linea subducta est.* c) *Sequitur* pet, *oblitt.* d) *Sequitur* fa, *oblitt.* e) *A libr. correctum ex* prosequat. f) *Sequitur* re, *oblitt.* g) *Hoc v. et 2 sqq. Romae notata sunt, ut supra (adnot. b).*

[1] Paulus Hoffaeus. [2] Haec capita v. supra p. 319.
[3] 1 Cor. 16, 9; cf. 2 Cor. 2, 12.

promittat 5000 florenorum in annuos redditus, praeter ampla aedificia magnis profecto sumptibus absoluenda Jngolstadij.

Fortasse[a] mitigari posset difficultas, quae in articulo sexto insinuatar, ut nimirum controuersia sorte dirimatur, quando Academici et nostri Philosophi in studiosis examinandis discrepabunt. Eiuscemodi controuersiam sorte tollere semper difficile sit: meliorem ego compositionem desiderarem[b].

Quantum[c] ad curam temporalem[d] in seminario Theologico et conuictoribus Monachiensibus a nostris suscipiendam consultum iudico, ut eam curam, quam diu possumus, porro detrectemus. Et quoniam mirabiliter Deus pro summa bonitate sua nobiscum agit, ualde prouidendum puto, ut hanc pulcherrimam bene agendi nostrosque in Germania promouendi occasionem oblatam gratis animis complectamur, nulloque modo amittamus. Quod reliquum est, commendo me plurimum sacrificio et precibus T. P. omniumque Patrum assistentium in Christo JESV Domino nostro[1]. Oeniponti 14 Martij Anno 1576[to].

P. T.

Jndignus filius P. Canisius manu propria.

† Reuerendo admodum in Christo Patri .P. Euerardo Mercuriano, Generali Praeposito Societatis JESV. Romae.

Mercurianus ad hanc et reliquorum Sociorum, qui ea de re scripserant, epistulas respondit non singillatim, sed per *litteras uni Hoffaeo inscriptas et Roma 28. Aprilis 1576 eidem missas: Quarum praecipua capita hoc loco ponam: „Tuas tuorumque de causa Jngolstadiana literas accepimus, quas vbi perlegimus, et diligenter expendimus momenta rationum vltro citroque allatarum, iudicauimus, tandem, transactionem illam, de qua scribis, a nobis esse admittendam, si tamen conditio vltima emendetur[2]. Etsi enim optimi principis admonitiones non detrectamus, quin omni officij atque obseruantiae genere summam eius erga nos benignitatem ac munificentiam demereri cupimus, ut tamen a nobis ad S. C. iure appelletur, quia libertati instituti nostri repugnat, ac uero etiam quoniam religiosi non possunt laicis subijci, non uidemus qua ratione possimus assentiri. Sed neque de suscipienda Theologici seminarij cura quicquam ducimus paciscendum. Vt enim in optimi principis gratiam, aut etiam ob praesentem necessitatem eam habere non defugiamus, non expedit tamen vlla transactione, aut pacto fieri, quominus nostra libertate vti possimus, et si quando nostris rationib: commodum esse videretur susceptam curam deponere. Vt Monachij conuictorum curam vti alias scripsi suscipiamus, non repugno, dum tamen externus ille qui oeconomiae praeficiendus est, totus a Rectore pendeat, sic vt non solum ab eo constituatur amoueaturue, sed omnia etiam administret ex eius praescripto.... Quod attinet ad reditus annuos .3500. florenorum, ij in bonis certis ac immobilibus stabiliendi erunt. Est enim S. Celsitudini inprimis cogitandum, quomodo hoc negotium perpetuum esse possit. Quod addis de substituendo Monachij Dialecticae compendio cum aliqua lectione casuum et catechismi Romani, perdurum nobis videtur.... Postquam ista tractauimus, accepimus Senatus aulici literas de negotio Jngolstadiano. Has non adhuc licuit

a) *Hoc v. et 3 sqq. notata sunt, ut supra.* b) *Sic C. sua manu correxit ex* desidero. c) *Hoc v. et 3 sqq. notata sunt, ut supra.* d) *Sequitur* circa, *oblitt.*

[1] Rom. 6, 11 23 etc. (v. supra p. 219 [6]).

[2] Eam significat, quae numero 12. signata est; v. supra p. 319.

satis perpendere. Faciemus autem, cum primum poterimus per otium ac diligenter responderi curabimus". Roma itaque 11. Maii 1576.

Mercurianus Hoffaeo *scripsit: Senatus aulici litteris lectis, „animaduerti vltimam transactionis conditionem secus a me acceptam quam a DD. Aulicis aut primum proposita aut certe scripto post explicata esset. Neque enim requiri a nobis vt suae Celsitudini subijciamur sic vt contra Rectorem ipse iure appellari possit sed tantum vt si quando contingeret in lectionib: nostris aliquid desyderari, neque Societatis Rector admonitus satisfaceret liceret rem ad serenissimum ducem aut patronos Academiae referre. Quod quia plane aequum honestumque est neque vlla ratione abhorrens a societatis nostrae libertate, probamus ac libenter amplectimur sicut et caeteras transactionis conditiones. Quod attinet ad collegium Monachiense placet vt in eo catechismus doceatur, vt id publico diplomate caueatur, non item, quoniam id instituti nostri ordinarium munus est, qualia quae sunt, non sunt ad pactiones reuocanda. De docendo autem Dialecticae compendio nihil repugno idque in optimi principis gratiam". Atque haec quidem *Mercurianus* in ipsa epistula dixit; „in *schedula separata" vero haec, praeter alia, addidit: „Conditionem vltimam Jngolstadianae transactionis etsi accipio vt Dominorum Aulicorum scripto explicata est, velim tamen sic exprimendam cures vt ne Academicis ansa praebeatur nos vexandi in posterum sicut antehac soliti sunt, si propter ipsos non possit omnino tolli" (ex commentariis a Possevino Societatis secretario emendatis. G. Sup. 1 f. 41[a]—43[a]). Deinde Roma 9. Iunii 1576 *Mercurianus* *Hoffaeo: „De negotio Jngolstadiano iam bis scripsi.... Existimo autem eadem me opera satisfecisse consultoribus tuis, quo fit vt nihil necesse putem ipsis singillatim rescribere" (e comment.; G. Sup. 1 f. 43[20], [a])

Die tandem 26. Novembris Albertus V. res illas ingolstadienses ita fere constituit, ut eas constitui Societas cupiebat; quod ducis mandatum exstat apud *Prantl* l. c. II 296—303 et apud *G. M. Pachtler S. J.*, Ratio Studiorum et Institutiones Scholasticae Societatis Jesu I, Berlin 1887, 223—227. Quod autem Canisius censuerat non expedire ut controversiae quaedam „sorte dirimerentur", id, cum ne praeposito quidem generali ea ratio displicuisset, sublatum non est.

In brevi quadam *„*Prosecutione* Historiae Collegij Jngolstadiensis ab Anno Christi 1576" paulo post initium saeculi XVII. (ut videtur) scripta et Romam ad praepositum generalem missa haec narrantur: „Anno Christi 1576. 20. Iunij immigrarunt Nostri quinquaginta circiter ex ueteri Collegio in Domum, quam etiam num incolimus. Facta est etiam hoc anno nostris [facultas] legendi et Philosophiam integram in nostro tamen Collegio, et Theologiam cum vno externo Professore in Academia. Rogata Anno sequenti Societas ab Academicis professionem linguae Hebraeae in se suscepit. Quo item anno Serenissimus Albertus f.: rec. Collegium Ingolstadiense fundauit, dotauitque 4000. florenis: cuius fundationis Instrumentum missum est hoc ipso anno in Vrbem. Anno 1578 emtus est Nostris hortus .434. florenis." (G. Sup. 95 f. 88[a]).

1945. P. LAURENTIUS SURIUS Cartusianus coloniensis CANISIO.

Colonia 18. Martii 1576.

Ex huius litterarum partis apographo (A), circa a. 1612—1624 (a P. Iacobo Bidermann S. J., ut videtur) scripto, quod est in Codice monac. „Keller, Can. 1" (v. *Can.* I LVI—LVII) f. 42[b]. Praeterea exstant eiusdem partis apographa (B, C) saeculo XVII. (ut videntur) scripta in Codd. monac. „Keller, Can. 2" f. 53[b] et „Keller, Can. 3" f. 29[b] (cf. *Can.* I LV) et apographum (D) manu P. Ludovici Arani S. J. († 1652) scriptum in Cod. „Can. 47" p. 38. Litteris usus sum *Can.* I 299[4].

„Margarita Evangelica". Mulier Canisium Societatis sodalem fore praedicens.

P. Iacobus Keller S. J. (1568—1631) in Vita Canisii anno circiter 1612 scripta neque adhuc typis exscripta, postquam narravit „Reinoldam"

viduam arnhemiensem Canisio „admodum puero" hoc praedixisse: „Edet parturiens Ecclesia novum presbyterorum ordinem, religionis violatae haeresumque acerrimum vindicem: in hunc et tu cooptaberis", haec addit: „Meminit et Surius huius foeminae, quam non monialem solum, sed et studijs claram dilaudat in epistola ad Canisium nostrum missa Colonia Anno saeculi superioris .MD.LXXVI. Die XVIII Martij. Libet autem adijcere quando ad manum sunt uerba uiri diserti. Reuerendissimus Iprensis Episcopus Martinus Rittouius[a] [1], quem noster Eschius[2] doctissimum et sanctissimum uocat, ualde petijt meliori[b] stylo uerti Margaritam Euangelicam[3], omissis illis, quae ab auctore crebro repetuntur. Id opusculum ego iam fere absolui. Audiui quandoque Virginem illam, quae auctor est libri, te adhuc puero dixisse missurum DEVM in Ecclesiam suam strenuos Concionatores, tibique tum praesenti dixisse · Et tu puer unus eris ex illis. Quaeso mi Domine Canisi, ut Reuerentia tua me certiorem reddat, sintne haec ab illa sic dicta, et num sanguine tibi iuncta fuerit." —

„Margarita Evangelica", vlamice ab auctore composita, Coloniae anno 1535 eadem lingua a Theodoro de Stratis cartusiano, anno 1545 latine a Surio edita erat; atque dixeris quidem, librum illum scriptum esse a Maria ab Oisterwijk sive Oesterwijk, „virgine admirabili et non vulgaris sanctitatis, magna meritis", ut ab *Aegidio Gelenio* historiographo coloniensi vocatur (De admiranda magnitudine Coloniae, Coloniae 1645, 457), quae cum piis „sororibus" Coloniae degebat, cum Societas ibi sedem figeret, et Canisio eiusque sociis „matrem" se praebebat (*Can.* I 209 229 249 251 258; *Hansen,* Akten 67 133; cf. etiam *Erh. a Winheim* O. Cart., Sacrarium Agrippinae, Coloniae Agrippinae 1736, 168); at *Gelenius* (l. c.) eam 30. Septembris 1547 mortuam esse ait, id quod aliunde quoque confirmatur; virginem vero, a qua Margarita Evangelica scripta est, 27. Ianuarii 1540 vita cessisse affirmat *Nicolaus Eschius* in praefatione novae editioni vlamicae praeposita (Die grote Euangelische Peerle, gheprint Thantwerpen 1556, f. A. ij[a]). Ceterum Mariam ab Oisterwijk *Canisius* significaverit, cum circa a. 1596 in „Testamento" sacro narravit, fuisse „virginem vere piam et sapientem apud Brabantinos, quae divino spiritu erudita" se puerum „commonefecisset praeter alia, suam operam et scriptionem Ecclesiae suo tempore profuturam". Praeterea Canisius ipse testatus est, se puerum Arnhemii a „sancta" quadam „vidua" certiorem factum esse „de novo Sacerdotum ordine ad reformationem Ecclesiae instituendo, cui et ipse adscribendus esset"; quam viduam Canisii „cognatam" fuisse et „Reinoldae" vel „Reinhardae" nomen habuisse tradunt (*Sacchinus,* Can. 19—20; *Matth. Raderus* S. J., De vita Petri Canisii, Monachii 1614, 231—232; Can. I 37—38); et verisimile est, eam illius amitam fuisse (*Hansen* l. c. 503; *Can.* IV 1047). Dolendum vero est, neque litteras, quibus Canisius Surio respondebat, superesse, neque Surium († 1578) novam illam „Margaritae" editionem in lucem emittere potuisse.

a) Rithuouius *B C D.* b) *B perperam:* me meliori.

---

[1] Martinus Baudewyns sive Balduini Rythovius, cum in universitatibus dilingana et lovaniensi docuisset, a. 1562—1583 primus episcopus iprensis (Ypern, Ypres, regni belgici) fuit.

[2] Religiosissimum virum Nicolaum van Esch († 1578) beginagii diesthemiensis pastorem Canisius et Surius, cum Coloniae litteris studerent, praeceptorem domesticum et pietatis magistrum habuerant; v. *Can.* I 17—19 36 92 139.

[3] Vide, quae de hoc libro eiusque auctore post ipsas has litteras dicentur.

1946. P. ANTONIUS POSSEVINUS secretarius Societatis Iesu CANISIO. Roma m. Martio vel initio Aprilis 1576.

Vide priorem partem ep. 1950.

1947. CANISIUS **IULIO ECHTER A MESPELBRUNN** episcopo herbipolensi et Franciae orientalis duci.

Oeniponte inter m. Ianuarium et Iunium 1576.

Ex libro „Opus catechisticum, sive de Summa Doctrinae Christianae, D. *Petri Canisii,* . . . sedulo illustratum opera D. *Petri Busaei* Nouiomagi. . . . Editio altera", Coloniae 1577, f. a 2^a-b^a (A); eaedem litterae, loco et tempore iisdem ascriptis, exstant in „Opere catechistico . . . opera D. *Petri Busaei*", Parisiis 1585, f. a II^a-b^a; in libro vero „*Opus catechisticum* . . . Editio tertia, quae et Parisiensem multis partibus excellit, et prioribus omnibus est copiosior limatiorque", Coloniae 1586, f. a 2^a-b^a hae litterae — id quod ex lectionibus variantibus (B) infra ponendis constabit — aliquantulum immutatae sunt; id autem ipse Canisius a. 1585 Friburgi Helvetiorum praestitisse omnino videtur; atque ita quoque recognitae immutataeque exstant in „*Opere Catechistico* . . . Editione quarta", Coloniae 1606, et in „*Petri Canisii* . . . Opere catechistico", Lutetiae Parisiorum 1618.

Theodosius Magnus sapienter constituit, ut fidei controversiae dirimerentur auctoritate Patrum. Horum auctoritas. Canisii catechismus a catholicis valde probatus, ab adversariis magnis contumeliis affectus est. Operis catechistici editiones. Catechesis necessitas et utilitas. Christus puerorum amantissimus. Catecheses in Italia. Iulius episcopus de breviario, fidei puritate, scholis, Societate optime meruit.

REVERENDISS. IN CHRISTO PATRI, AC ILLVSTRISS. PRINCIPI, DOMINO IVLIO EPISCOPO HERBIPOLENSI, ET ORIENTALIS FRANCIAE DVCI, PATRONO BENIGNISSIMO, PETRVS CANISIVS IN CHRISTO IESV S. P. D.

INTER Christianos Caesares, quorum virtus et pietas maiorem in modum iam olim effulsit, Praesul amplissime, duo Theodosij, senior et iunior, vti vulgo dicuntur, singularem laudem inprimis promeruerunt. Ego vero de priore tantum dicam, quem Augustinus[1], Orosius[2], Diaconus[3] merito celebrant, et cui poëta Claudianus ob laetissimum rerum successum haud temere accinit:

O nimium dilecte Deo, cui militat aether,
Et coniurati veniunt ad classica venti[4].

---

[1] *S. Augustinus,* De civitate Dei l. 6, c. 26 (*Migne,* P. lat. XLI 172—173).

[2] *Paulus Orosius,* Historiarum l. 7, c. 35 (*Migne,* P. lat. XXXI 1150—1154).

[3] *Paulus Diaconus,* Historia Romana l. 11, n. 15; l. 12, n. 5 6 (*Monumenta* Germaniae historica. Auctores antiquissimi II, Berolini 1878, 188—192); Historia miscella l. 13 (*Migne,* P. lat. XCV 937—947).

[4] Ita quidem *Claudius Claudianus* († sub 404):

„O nimium dilecte deo, cui fundit ab antris
Aeolus armatas hiemes, cui militat aether
Et coniurati veniunt ad classica venti":

Hic ipse multis quidem argumentis prodidit, se vna cum coniuge [1] valde religiosum esse, et bene merendi de Ecclesia studio et amore cumprimis exarsit. Imperium eius in difficilia tempora incidit, quibus ob excitatas nouas in fide dissensiones gliscentesque sectas populares animi passim distrahebantur, doctis interim acerrime inter se concertantibus, vt si fieri posset, in errorem, aut certe quidem in dubitationem etiam inducerentur electi [2]. Etenim Eunomius electum Sathanae organum, sua tum zizania dominico tritico inspergebat [3], et Nouatianum serpebat virus, suasque copias augebant Macedoniani, et Arriani quidem Catholicos vel maxime diuexabant. Quid hic ageret Theodosius? magno cum animi dolore tristissimam Ecclesiae faciem spectans, praesertim cum publicae pacis et Ecclesiasticae vnitatis, sicut optimum principem patremque patriae decebat, studio et amore incredibili teneretur, sed qui ad ista funesta doctorum dissidia componenda nullum satis idoneum remedium inueniret. Accersit igitur Nectarium episcopum Constantinopolitanum, et ab eo sciscitatur, quid facto sit opus ad concordiam scissae Ecclesiae restituendam, priusquam grauiores ordinum fierent distractiones, motusque magis exitiales ex hisce altercationibus et sectis in Christianam Rempub. effunderentur. Ecclesiam enim fidei vnitate conseruari atque stabiliri, discordia vero religionis lacerari atque subuerti rectissime iudicauit. Nectarius vero cum non haberet quod ex tempore Caesari responderet, de re tanta censet deliberandum, ac interim Agelium, licet Nouatianorum episcopum, consulit, vt eius sententiam audiat, priusquam redeat ad Imperatorem. Agelius tunc forte Sisinnium lectorem habebat, hominem non mediocriter eloquentem, in sacris etiam literis et philosophiae cognitione probe versatum, qui praeterea iudicio et rerum agendarum dexteritate polleret. Is iussus dicere, quid roganti Caesari respondendum putaret, in hunc modum disseruit: Concordiam Christianae religionis frustra sperari, quandiu libertas disputandi partibus nouam doctrinae formam inducentibus proposita et relicta esset: immo vero praesentia schismata, non solum hac disputandi libertate non tolli, sed augeri, grauioresque inde lites ac pugnas irreconciliabiles expectari oportere, quibus vigentes nunc haereses et opiniones nouae magis magisque corroborarentur: aliam igitur ineundae concordiae, quae

---

Panegyricus de tertio consulatu Honorii (*Monumenta* Germ. hist.; Auctt. antiquissimi X. 144). Haec et Augustinus (l. c.) et Paulus Diaconus (Historia miscella l. c.) protulerunt, ita tamen, ut omitterent verba „cui fundit ab antris Aeolus armatas hiemes"; quae ipsis, puto, nimis redolere videbantur gentilem quandam rationem.

[1] Theodosius primam (circa a. 377) uxorem duxit Aeliam Flaccillam; quae Arcadium et Honorium ei genuit: qua mortua Gallam, Valentiniani I. imperatoris filiam, (a. 386) duxit (*Gerh. Rauschen*, Jahrbücher der christlichen Kirche unter dem Kaiser Theodosius dem Grossen, Freiburg i. Br. 1897, 42 227). Aeliae Flaccillae fides et pietas a S. *Gregorio Nysseno* in oratione eius funebri miris laudibus praedicantur (*Migne*, P. gr. XLVI 877—892).

[2] Mt 24, 24. [3] Cf. Mt 13, 24—28.

solida esset, viam ineundam esse, nimirum vt praesentes controuersiae ex veterum Patrum, qui Ecclesiae calculo approbati forent, traditione iudicarentur. Sic enim futurum, vt via contentiosis praecluderetur, ne quisque pro sui cerebri intemperie Dei verbum interpretaretur, et suum illi sensum, prout causae commodum putaret, affingeret, suamque sententiam iudicio Patrum simulque Ecclesiae publico anteferret. Vnde Imperatorem recte facturum, si praecipuos sectarum magistros interrogandos curaret, velint ne veterum Ecclesiae doctorum iudicio stare, qui ante natam modo contentionem et diuisionem cum gloria floruissent, nullique praesenti vel parti, vel sectae vnquam fuissent addicti: ac propterea vt minime suspectos controuersae nunc doctrinae censores et arbitros iure agnoscendos ac recipiendos esse. Quod si hos arbitros admittere detrectarent, postulandum ab illis videri, disertis vt verbis pronunciarent, sibi damnari Patrum authoritatem. At si rursus hanc damnationis legem ferre nollent, ex hac sola tergiuersatione non obscure constare, quantum fidei mererentur noui de fide disputatores, vtpote tam arrogantes, vt sese tot tantisque probatis Patribus vel aequare, vel anteponere non erubescerent, et idcirco nulla illos venia dignos, sed pro falsis doctoribus veraeque Ecclesiae pestibus iure habendos atque profligandos esse. Catholicorum vero munus manere proprium, vt quam doctrinam profiterentur, veterum Theologorum scriptis consentaneam esse probarent, et suam religionem illorum testimonijs bona fide prolatis defenderent ac illustrarent. Quid multis? Placuit haec sententia Nectario, qui statim ad Theodosium Caesarem regressus, consilium Sisinnij aperit, suaque authoritate confirmat. Caesar vero, vt erat prudentissimus Princeps, Lectoris consilium diligenter expendit, et hanc ineundae concordiae rationem approbat, reque ipsa probandum censet, quod Sisinnius proposuisset. Itaque sectarum principes ad disputandum armati et instructi conuocantur, ac praeter expectationem omnem a Caesare interrogantur, quo in precio magistros Ecclesiarum habeant et habere velint, eos nempe qui ante noua haec diuisionis tempora extitissent, an eosdem recipere et approbare deliberatum haberent. Hic primum illi modestiam prae se ferre, et de Patribus honorifice loqui, quasi praeceptores illos agnoscerent, seque illorum discipulos faterentur. Theodosius iterum sciscitatur, sit ne illis constitutum, Patrum testimonia eo habere loco, vt per illa cum de alijs Christianae doctrinae partibus, tum de subortis nuper controuersijs iudicetur, omneque iudicium terminetur. Hic illi haerent suspensi, alijs aliud obtendentibus, et eiusdem etiam sectae socijs inter se mutuo altercantibus, quid quantumque scriptis et authoritati veterum esset largiendum. Quidam Caesaris institutum probare, sed plures veterum sententias defugere visi sunt, facile subodorati periculum de causa cadendi, si ex antiquorum Patrum iudicio praesentes ipsorum controuersiae dirimerentur. Vbi nouae discordiarum flammae mox eruperunt, vt si antea vnquam, nunc potissimum sectae inter se dissectae vide-

rentur, non dissimiles quidem priscis illis gigantibus, ac alijs Babylonicae turris stolidis aedificatoribus, quorum et linguae diuisae, et conatus frustrati, et impensae omnes absumptae hoc vnum effecerunt, vt optatus aedificij progressus in pudendum prorsus exitum commutaretur[1]. Igitur non male cessit Theodosio, quod in Sisinnij consilio acquieuerit, eoque facto memorandum toti posteritati reliquit exemplum, vt quod antea Tertullianus docuerat, nunc[a] re ipsa probatum esse cernamus.

Tractans enim ille Pauli sententiam, Haereticum hominem post vnam aut alteram correptionem deuita[2], serio admonet, ne Catholici cum haereticis de sacris literis disputaturi in arenam descendant, sed potius vt ad maiorum traditionem prouocent, et ex illa germanam Scripturae intelligentiam, omnemque de propositis fidei quaestionibus veritatem petant atque confirment[3]. Sicut et Origenes pronunciauit: Illa sola credenda est veritas, quae in nullo ab Ecclesiastica traditione discordat[4].

VISVM est autem hanc repetere narrationem, quam Cassidorus[b] in historia, vti vocant, tripartita recenset[5], eamque magni esse momenti, et nostro tum seculo, tum instituto quadrare quiuis facile animaduertat. Rogant multi atque mirantur, qua de causa tot colloquia, disputationes et conatus qui ad controuersias in religione componendas nostra aetate partim in Germania, partim in Gallia instituti fuerunt, adeo male infeliciterque successerint, vt maiores etiam in religione distractiones ac turbae consecutae videantur. Nimirum a dicto Sisinnij consilio discessum est, et pietas abfuit Theodosiana, qua nouis doctoribus veteres cum authoritate opponerentur. Hoc nisi fiat, tot haeresum monstra, quot nunc passim in Europa nata cernimus, facile et summa cum Ecclesiae pernicie grassari pergent, semperque impedient, quo minus ad amabilem Ecclesiae concordiam tandem redeatur. Ac interim prorsus verendum est, ne post longas contentiones funestus exitus aeque Germanos ac Graecos opprimat et perdat, vt nostrates e schismaticis vel Mahumetanos, vel[c] atheos euasisse vel sero doleamus. Deinde hanc veterem narrationem libuit inserere, vt nostri seculi stultitia, immo impietas rectius perspiciatur, quando infimae sortis, ac plane crassi rudesque homines de Patribus vt prorsus

a) *Hoc v. non est in B.* b) *Sic etiam B; scribi potius debuit* Cassiodorus; *cf. infra, adnot. 5.* c) schismaticis Mahumetanos, aut *B.*

---

[1] Gn 6, 4; 11, 1—9.

[2] „Haereticum hominem post unam et secundam correptionem devita“: Tit.3, 10.

[3] *Tertullianus,* De praescriptionibus adversus haereticos c. 15—21 32 37 (*Migne,* P. lat. II 28—33 44—45 50—51).

[4] „Illa sola credenda est veritas, quae in nullo ab ecclesiastica et apostolica discordat traditione“: *Origenes, Περὶ ἀρχῶν* libri quatuor, interprete Rufino, l. 1, n. 2 (*Migne,* P. gr. XI, 116).

[5] *M. Aurelius Cassiodorus,* Historia tripartita l. 9, c. 19 (*Migne,* P. lat LXIX 1136—1138).

indigne sentiunt, ita scurriliter quoque loquuntur, illorumque dicta et facta petulanter arrodunt, saepe et vanae superstitionis et execrandae idololatriae sine vllo pudore condemnant. De Patribus dico, quorum eximia vitae integritas, et in diuinis literis doctrina sapientiaque tot modis effulsit, diuino Spiritu in illis mirabiliter operante[1], et Christianam Ecclesiam tot seculis corroborante. Hi electa diuini Spiritus organa Christi fidem non ore tantum professi sunt, sed et sanctissima vita, multisque saepe miraculis nec raro sanguine profuso testati sunt, nullus vt eos pro dignitate celebrare, et sacros eorum labores religionis ergo susceptos et exantlatos satis efferre posse videatur. Quibus tanto maior fides authoritasque debetur, quo magis in vnum eundemque sensum conspirant, quoque consonantius de Christianae doctrinae partibus testificantur, vt quasi cor vnum et anima vna[2], immo et spiritus vnus[3] in illis inesse, nobisque loqui videatur. Atque hoc illorum consensu, tanquam certo inhabitantis spiritus[4] indicio, depraehendimus, non solum in Apostolis, sed etiam in Apostolicis doctoribus sanctisque Patribus hanc praeclaram Christi promissionem impleri, Non vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri qui loquitur in vobis[5].

Quocirca non temere ad hoc[a] referri potest, quod Regum ille sapientissimus Salomon docet, ne quis terminos antiquos a patribus positos transgrediatur[6], quodque monet Ecclesiasticus, vt sapientibus presbyteris, eorumque doctrinae nos adiungamus, qui disciplinam a patribus traditam acceperunt[7], vel sicut Paulus loquitur, qui depositum bona fide custodiunt[8]. Vnde vox Basilio Magno digna, et a vere Catholicis omnibus vsurpanda extat: *ἀλλ' ἅπερ παρὰ τῶν ἁγίων πατρῶν*[b] *δεδιδάγμεθα, ταῦτα τοῖς ἐρωτῶσιν ἡμᾶς διαγγέλλομεν*[9]. hoc est, Quae a sanctis Patribus edocti sumus, ea interrogantibus nos annunciamus. Tum Athanasius Ecclesiae fortissimus propugnator, breuem et expeditam rationem, qua haereticorum artes et fraudes omnes elidantur, hisce verbis ostendit: *Τοῦτο μόνον ἀποκρίνασθαι πρὸς τὰ τοιαῦτα, καὶ εἴπειν*[c] *ἀρκεῖ, ὅτε οὐκ ἐστὶ*[d] *ταῦτα τῆς καθολικῆς ἐκκλησίας, οὐδὲ ταῦτα*[e] *πατέρες ἐφρόνησαν*[10]. Hoc, inquit, solummodo respondere ad talia, et dicere sufficit, quod ista non sunt Catholicae Ecclesiae, neque ista Patres nostri senserunt. Et sane cum his Ecclesiae magistris

a) hos *B.* b) *Sic etiam in B; sed vide infra, adnot. 8.* c) *Sic B quoque; scribendum vero fuit: εἰπεῖν.* d) *Sic B. quoque: sed corrigendum est: οὐκ ἔστι.* e) *Hic addendum fuisse videtur v. οἱ.*

---

[1] Cf. 1 Cor. 12, 1—11; Gal. 3, 5; 1 Thess. 2, 13 etc.
[2] Act. 4, 32. [3] Eph. 4, 3 4; Phil. 1, 27. [4] Rom 8, 11.
[5] Mt 10, 20; cf. Mc 13, 11. [6] Prv 22, 28. [7] Cf. Eccli 8, 9—12.
[8] 1 Tim 6, 20; 2 Tim 1, 14.
[9] S. *Basilius Magnus,* Ep. 140 (alias 60), n. 2. In editione a monachis O. S. B. maurinis facta pro „πατρῶν" positum est „Πατέρων" (*Migne,* P. gr. XXXII 588); atque id exigunt leges grammaticae.
[10] *S. Athanasius,* Epistola ad Epictetum n. 3 (*Migne,* P. gr. XXVI 1056).

non sapere, omnino est desipere. Extra hunc saltare chorum, vt ita dicam, est primas insaniae partes arripere. Ab his Ecclesiae columnis auelli, est regiam veritatis viam deserere. Sine his Christi oculis et Ecclesiae luminibus, in diuino illo Scripturarum prato versari, est perinde ac in tenebris dominicum agrum colere, vel in mari cum Petro nocte piscari [1]. Damnatos ab his errores amplecti, est cum Ecclesiae ludibrio haereticorum deliria confirmare. Horum denique sensum et consensum negligere, diuino est repugnare oraculo, quod credentibus omnibus per Prophetam intonat: Haec dicit Dominus: State super vias vestras, et videte et interrogate de semitis antiquis, quae sit via bona, et ambulate in ea: et inuenietis refrigerium animabus vestris [2].

QVAE omnia idcirco mihi praefanda duxi, Antistes illustriss. praesens vt opus, quod e collectis grauissimorum Patrum sententijs constat, maiore in precio ab aequis censoribus habeatur, tuaeque inprimis Celsitudini sit commendatius. Prodit enim nunc iterum noster Catechismus, nec solum nitidius, sed etiam animosius prodit, quandoquidem inter medios velut satellites, immo duces et coryphaeos probe stipatus incedit, vt minus publicum conspectum vereatur, et coram minacibus aduersarijs [a] se perstare posse confidat. Adest enim illi inuictus bellator Spiritus sanctus, suoque gladio, quod est verbum Dei [3], hunc quanuis exilem partum munire dignatur. Adsunt et generosi Christi Regis aeterni milites, qui suis quasi armis nouum hospitem circuncingunt, ornant, muniunt atque defendunt. Quare si antea vnquam hic liber placuit bonis, cum solus [b] ac velut inermis appareret, haud dubia mihi spes est fore, vt idem maiore nunc fauore et applausu multorum excipiatur, tot praesertim patronorum, qui sunt omni exceptione maiores, suffragijs atque sententijs vndique corroboratus. Hos Christianae doctrinae testes ac vindices quisquis contemnit vel negligit, nos etiam librumque nostrum et contemnat ac negligat licet, quandoquidem in eadem cum illis naui manemus, ac tantisper manere constitutum habemus, donec et ipsi superatis infesti procellosique huius pelagi tempestatibus, quibus in hac tota vita iactamur, ac eundem salutis portum, quem illi nunc felices obtinent, Christo nauclero fauente tandem securi perueniamus.

VBI de praesentis instituti ratione plura dicturus, de prima nostri Catechismi editione cogor repetere, quam inclytus ille Caesar FERDINANDVS Viennae de manibus nostris extorsit, et ante XXVI. [c] annos edi voluit sua authoritate, me quidem nomen tunc meum supprimente, minus vt inuidiosum esset opus, cuius author ignoraretur [4]. Sed quoniam

a) *In B sequitur:* ac vibrantibus eorum gladijs,. b) cum nudus fere *B.* c) *Sic B quoque*

[1] Cf. Lc 5, 5; Io 21, 3. [2] Ier 6, 16. [3] Cf. Hebr 4, 12.
[4] Cf. *Can.* I 522 537 [1]; 752; V 159; *O. Braunsberger* S. J., Entstehung und erste Entwicklung der Katechismen des seligen Petrus Canisius, Freiburg i. Br. 1893, 8–19.

hoc nostrum seculum, vt nullum fere aliud, contentionum flammis pascitur, multique ad calumniandum praecipites nulla fere minus, quam orthodoxa ferunt et probant dogmata, fieri non potuit, quin aliqui catechistico labore nostro offenderentur, et hanc qualemcunque Christianae doctrinae summam arroderent ac insectarentur. Cuiuscemodi Ecclesiae hostibus tanto maior insectandi libido creuit, quanto minus inuidi homines ferre potuerunt, opus hoc summi Principis authoritate comprobatum, a multis auide legi, passim circunferri, in scholarum vsum introduci, in templis doceri, varias in linguas transfundi, in maximis gymnasijs celebrari, nec solum Ecclesiasticis proceribus, sed summo Regi quoque Philippo, alijsque magistratibus Catholicis ita probari, hunc vt Catechismum prae caeteris studiose complecterentur, ac eundem suis populis tum ad docendum, tum ad discendum publice traderent, serioque commendarent[1]. Quod ego certe sine arrogantia dictum velim, ne honori nominique diuino quicquam subtraham, quum soli bonorum omnium fonti laetum rerum successum asscribi, et ad illius gloriam syncere cuncta referri deceat, nulla vt vnquam eius dicti subrepat obliuio, Non nobis Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam[2]. At ego rem multis hodie notam commemoro, et de veritate constare cupio posteritati, vt rectius omnes de aduersarijs iudicent, qui nescio quo spiritu ducti, aut potius aemulationis stimulis exagitati, tam aegre sustinent hoc exiguum Catholicae doctrinae testimonium, compendium, praesidium in Germania superesse. Igitur Euangelici homines infensis animis, maledicis linguis, ac virulentis calamis certatim instructi, nullum hodie Catechismum aeque ac nostrum tam petulanter appetere, tam rabiose conuellere, tamque atrociter damnare voluerunt[3]. Postea vero cum de eiusdem libri authore iam rumor increbuisset, ac opus ipsum Catholicis exteris magis magisque innotuisset, Veneti et Galli nomen meum, quod ego tam diu celaueram, me inscio adscripserunt, idque ante annos decem publice testatum volui, cum opus idem reconditum[a] [?] Coloniensi Senatui nuncuparem[4]. Accessit deinde Petrus Busaeus Nouiomagus, homo nostri ordinis eruditus, et in veterum monumentis probe versatus, qui amicorum hortatu, et ob publicam vtilitatem, sicut ipse in sua meminit praefatione, ad hoc opus ornandum et muniendum, operam sane difficilem et laboriosam, vt prudentes intelligunt, exantlauit[5]. Etenim Scripturae Patrumque consonantia loca, quorum nos in ipso contextu mentionem frequentem feceramus, quaeque ad libri marginem breuiter fuerant adscripta, et his etiam plura vndequaque collegit, ex ipsisque fontibus deprompta transcripsit, et transcripta cum ipsa libri textura tam dextre coniunxit,

a) *Sic A; sed Can., puto, scribere voluerat:* recognitum; *quod est in B.*

[1] Cf. *Can.* I 752—754; V 798 800 804 814; VI 706. [2] Ps. 113, 1 (hebr.).
[3] Cf. *Can.* VI 427[5] et infra, monum. 1154 1188 1197 1245 1249.
[4] Vide *Can.* V 159. [5] Vide *Can.* VI 685—689; et infra, monum. 1209.

vt quiuis sine negocio depraehendat, omnem Catechismi nostri doctrinam cum libris Canonicis et probatis Patrum scriptis pulchre congruere, quantunuis infesti et infensi oblatrent calumniatores. Qui sane Busaei labor Hispanis, Italis, multisque alijs pergratus accidit, eamque commoditatem suppeditat omnibus in munere docendi, vt ad manum habeant selecta, bonaque fide notata, nec omnibus obuia veterum testimonia, quibus ad vniuersa fere doctrinae sacrae capita tum intelligenda, tum in scholis templisque tractanda et explicanda vti expeditissime possint. Ex quo factum est, vt Typographus Coloniensis prioris editionis exemplaria breui distraxerit, vtque Veneti[a] hoc opus sibi recudendum putarint[1], quod Romae et alibi non modo commendari, sed etiam a multis passim desiderari certo intelligebant. Interea dum Coloniae noua editio apparatur, huc praesertim Geruino Calenio impellente, qui rei Catholicae promouendae perquam studiosus est, bonam nostri operam nauarunt, vt opus idem[b] recognosceretur, in eoque multa partim restituerentur, partim adiungerentur, partim meliorem in ordinem reuocarentur[2]. Et quoniam prior editio in quatuor partes seorsim excusas secabatur, tres autem solas, quas ego viderim, Venetus Typographus dedit, longe commodius fore visum est, si ex omnibus illis membris, vnum quasi corpus conflatum, atque hoc vno volumine conclusum euulgaretur[c]. Haec ego de huius operis ratione et instituto dixerim, quod ex grauissimis maximorum Patrum sententijs collectum, ac nunc etiam[d] restitutum, tuae inprimis sapientiae et aequitatis calculo, Illustriss. Princeps, cupit approbari.

Caetervm si de suscepti operis Catechistici argumento aliquid addendum est, mihi sane persuadeo, sapientes veraeque pietatis amantes omnes boni consulturos, immo et sponte sua probaturos esse, quod nos[e] in hoc Catechisticae doctrinae genere ac labore, quicquid alij sentiant, multum saepe olei operaeque ponamus. Cur enim nos pigeat ac pudeat eius institutionis, quam summo Deo gratam, maximorum hominum exemplo consentaneam, Catholicae Ecclesiae salutarem, Christianae iuuentuti necessariam, et nostrae demum professioni congruentem[3] esse certissime constat? Quid quod magister[4] noster et princeps pastorum[5] Christus Catechistae partes quodammodo suscepit atque sustinuit, quum praecipuas Catechismi partes ore suo sacrosancto vel tradidit, vel confirmauit? Excusent alij suas occupationes, ad sublimiores ac maiori quaestui seruientes Ecclesiae functiones ad-

a) *In B sequitur:* et Galli. b) *In B sequitur:* semel ac iterum. c) *In B sequitur:* Accessit demum valde vtilis explicatio Appendicis, vt quod Concilij Tridentini Patres de hominis lapsu et iustificatione sapientissime grauissimeque tradiderunt, nos vero summatim repetitum Catechismo adiunxeramus, id luculentis Patrum testimonijs accurate congestis solide comprobaretur. d) postremo *B.* e) *In B sequitur:* qualescunque Societatis Iesv professores,

[1] Cf. *Can.* VI 707. [2] Cf. supra p. 126.

[3] Hoc singulari diligentia ostendit *Cec. Gómez Rodeles* S. J., La Compañia de Jesús catequista, Madrid 1913. 1—38.

[4] Mt 23, 8 10; Io 13, 13 14. [5] 1 Petr 5, 4.

spirent, vile autem et aeque laboriosum hoc ministerium iudicent, callideque subterfugiant, ne cum pueris quodammodo repuerascere velle videantur. Atqui non veretur ipsa Dei sapientia Christus se paruulis perquam familiarem exhibere, hos ad se iubet adduci, venientes vltro amplectitur, et amanter osculatur, his suas ipse manus imponit ac benedicit, his ministros et custodes Angelos deputat, hos demum caelestis regni ciues et prae alijs haeredes quasi proprios facit. Qui praeterea poenam illi grauissimam interminatur, si quis vnum e paruulis siue in fidei doctrina, siue in vitae moribus forte scandalizet: qui demum in paruulos collatum beneficium adeo sibi gratum fore pronunciat, vt quicunque ipsius nomine paruulum susceperit, Christum ipsum suscipiat, habeatque perpetuum debitorem[1]. Tanti refert, si Christo Domino, eiusque sacro Euangelio credimus, de paruulis bene mereri, ac instituendis illorum ad pietatem animis operam dare, quemadmodum probi faciunt Catechistae, non Christianum modo, sed etiam Angelicum, vt sic loquar, munus administrantes. Quo minus ego miror, eximios illos Patres, Origenem, Basilium, Ambrosium, Augustinum, Cyrillum ab hoc docendi genere non abstinuisse, sed huius viae duces se nobis praebuisse, vt in fidei doctrina rudes ac veluti paruulos non grauatim catechizemus, et eis tanquam matres lac spirituale[2] cupide et alacriter subministremus. Videbant enim sapientissimi homines, in magna illa Dei domo[3] plures carnales quam spirituales, paruulos quam viros atque perfectos, vt Paulus appellat[4], reperiri, magnamque semper esse turbam, non solum aetate, sed etiam spiritu imbecillium atque pusillorum, quibus Euangelicae doctrinae panem frangere conueniat, donec illi solidiorem cibum[5] admittant, et in Christo ipso grandescant atque proficiant[6]. Quod si nihil aliud, certe aduersariorum improbus labor, ac indefessa cura huc nos extimulare debebat ac impellere, vt quod studium illi suae sectae per Catechismum propagandae animisque per illum corrumpendis noctes ac dies impendunt, id nos ad Catholicos recte pieque instituendos pari diligentia, sed meliore fide, ac purioris Catechismi doctrina impigre conuerteremus. Quid alioqui turpius, quid ab officio Catholico magis alienum videri queat, quam vigilante Iuda, in re tanti momenti dormire Petrum[7], et vndique grassante lupo pastorem sui gregis curam abijcere[8], ac huius demum seculi[9], immo tenebrarum filios[10], in sua generatione[9] magis, quam in Christi regno lucis filios[11], sapere et prudentiores esse?[9] Quocirca Tridentini Concilij Patres,

[1] Cf. Mt 18, 2—6 10; 19, 13—15; Mc 9, 35 36 41; 10, 13—16; Lc 9, 47, 48; 17, 1 2; 18, 15—17. [2] Cf. 1 Cor 3, 1 2; Hebr 5 12 13; 1 Petr 2, 2.

[3] 1 Tim 3, 15; 2 Tim 2, 20.

[4] 1 Cor 3, 1—3; 13, 11; Eph 4, 13 14; Phil 3, 15; Hebr 5, 13 14.

[5] Cf. Hebr 5, 12 14. [6] Cf. Eph 4 11—16.

[7] Cf. Mt. 26, 37—50; Mc 14, 37—45; Lc 22, 45—47; et vide, quae notata sunt *Can.* V 412[1]. [8] Cf. Io 10, 11 12; Mt 7, 15; Act 20, 29.

[9] Lc 16, 8. [10] 1 Thess 5, 5. [11] Lc 16, 8; Eph. 5, 8; 1 Thess 5, 5.

vt alia multa de religione Catholica vindicanda optime constituerunt, sic illud etiam sanctissime sanxerunt, Parochi vt omnes diebus festis non solum habendis ad populum concionibus vacarent, sed etiam tradendo post prandium Catechismo incumberent, ac in fide rudiores omnes edocerent[1]. Quae lex si vsquam alibi, tum in Italicis Ecclesijs iam obtinet, magnoque cum populi fructu, nec minore bonorum parochorum laude hoc tempore obseruatur. Atque hactenus de Catechismi commoditate, praestantia et necessitate, quantum hic quidem locus ferre potest.

Ad extremam epistolae partem accedo, quae Patronum operi necessarium postulat accersiri, vt noua haec editio non solum apud aequos et candidos rerum aestimatores suam habeat gratiam, verum etiam aduersus iniquos et inuidos obtrectatores maiore polleat authoritate. Vbi Celsitudo tua Illustriss. Princeps, se commode nobis offert, cuius tutelae hunc librum reuerenter commendare cupiam, ac vnice nuncupare decernam. Primum enim inter Germanos antistites ac Principes Catholicos, qui hoc seculo praedicantur, multorum iudicio sublimem et illustrem locum tenes, his nimirum animi dotibus instructus et ornatus, quae non modo sapientem praeclarae huius D. CHILIANI[2] vineae custodem, sed et generosum bellicosae Francorum gentis moderatorem ac Imperij principem decent[3]. Deinde singulari Catholicae pietatis studio flagras, qui inde ab initio suscepti muneris effecisti, vt Clerus ditioni tuae subiectus, ad sacras preces quotidie summo Deo recitandas grauiter extimularetur, serioque reuocaretur[4]. Accedit et zelus in domo Dei repurganda[5] necessarius, ac tali Episcopo dignus, qui Apostolicum canonem ad se pertinere meminerit, Peccantes coram omnibus argue, vt et caeteri timorem habeant[6]. Igitur ad Catholicam religionem et disciplinam Ecclesiae restituendam adijcis animum, pastores haereticos amoues, et poenas immorigeris infligendas proponis. Ad haec quod rarum et egregium Mecoenatem decet, doctos et studiosos homines magno fauore prosequeris, atque idcirco gymnasium publicum excitare pergis, quod non modo Franconibus, sed etiam exteris haud minori praesidio quam ornamento esse possit[7]. Seminarium vero nuper magnifice erectum, et numero alumnorum et multis coemptis aedificijs

---

[1] Sess. V de ref. c. 2; Sess. XXIV de ref. c. 4 7.

[2] Episcopi et martyris († a. 689?), apostoli Franconiae orientalis et patroni episcopatus herbipolensis. [3] Cf. supra p. 208 [1].

[4] Iulius primo administrationis episcopalis anno, qui erat a. 1575, „Breviarium secundum usum Herbipolensis Ecclesiae emendatum" Coloniae apud Maternum Cholinum typis exscribendum curavit (*C. Braun*, Geschichte der Heranbildung des Klerus in der Diöcese Wirzburg I, Mainz 1889, 165—166). Huic editioni Iulius „praefationem" praeposuit, in qua orandi studium diligentissime commendabat et ecclesiasticos de breviarii cotidie recitandi officio graviter monebat. Quae praefatio iterum edita est (tempore non ascripto) ab *Ign. Gropp* O. S. B., Collectio novissima Scriptorum et rerum Wirceburgensium, Francofurti 1741, 432—435. Cf. etiam *Brander* l. c. 81. [5] Cf. 2 Mach 10, 1—3. [6] 1 Tim 5 20.

[7] De herbipolensi hac universitate v. supra p. 208—209 et *Brander* l. c. 58—62.

amplificas[1]. Neque nostros homines negligis, sed eorum Collegium non ita pridem Herbipoli excitatum amanter complecteris ac studiose foues, tota vt haec Iesv societas, immortales gratias Patrono humanissimo debeat, ac pro illo sua vota Deo summo faciat perlubenter[2]. Nec ignoro, Ecclesiae vestrae, quam honoris gratia nomino, multa et praeclara in me merita posse commemorari, quae inde a primis Collegij nostri fundamentis Herbipoli iactis, cum isthic adessem, et sacris concionibus operam darem, equidem sum frequenter expertus[3]. His ergo causis, ac aliorum etiam consilijs incitatus facere non potui, quin per huius operis occasionem aliquid scriberem, ac vetus erga Celsitudinem tuam eiusque Ecclesiae [?][a] obseruantiae meae studium qualicunque testimonio publice comprobarem. Precor demum a Christo Opt. Max. vt Herbipolensem vrbem et Franconiam omnem, hoc difficili tempore propitius tueatur, vtque pios Amplitudinis tuae conatus in suam aeternam gloriam bene fortunet, neque solum huius operis, sed etiam Collegij tantum patronum diu ac feliciter nobis superesse concedat[b]. Oeniponti anno post Christum natum M. D LXXVI.

Canisius anno 1576 Oeniponte erat a m. Ianuario usque ad medium fere Iunium; v. supra p. 314 et infra, post epist. 1952. Hoc ergo tempore has litteras scripsisse videtur. Die 23. Iunii 1576 conspiratione pravorum abbatiae fuldensis monachorum et protestantium terrae illius nobilium cum Iulio facta Balthasar a Dernbach abbas princepsque imperio cedere coactus est; quo pulso terrae eiusdem administratio Iulio tradita est. Herbipoli autem 12. Septembris 1576 *Balduinus ab Angelo* S. J. visitator Mercuriano praeposito generali *scripsit: „Die 7.“ Septembris „venj Herbipolim, ubi bis Reuerendissimo Herbipolensi adfui.... Vehementer dolet Reuerendissimus Herbipolensis, quod aliquorum consilio sit inductus ad eam administrationem suscipiendam“ (ex autogr.; Germ. 137 f. 258[a]).

1948. BARTHOLOMAEUS DE PORTIA, apostolicus in Germania nuntius, CANISIO. Friburgo Brisgoviae 12. Aprilis 1576.

Ex imagine photographica autographi eiusd temporis. Cod. rom. „Germ. Vol. 82[a]“ f. 14[b]. Epistulae partem ex eodem apographo posuit *Schellhass*, Nunt. V 436[3].

Admodum Reuerende Pater.

Non grauabitur Reuerentia T. id mea causa suscipere negotij, ut adiunctus fasciculus Salisburgium quam primum, et fideliter perferatur, mutua mea omnia in te officia semper constabunt. Vale meque ama, et optimorum istorum Patrum beneuolentiam immutabilem, et perpetuam[c] mihi praesta. Datum Friburgi XIJ die Aprilis M.D.LXXVI.

Petro Canisio societatis Iesu Theol. Oeniponti[d].

Fasciculus, quem Portia his litteris adiunxerat, tres epistulas italicas continebat a Portia 12. Aprilis 1576 datas et Salisburgensibus destinatas: In prima

a) *Corrigendumne:* Ecclesiam? b) *Loco vv. sqq. in B haec posita sunt:* FRIBVRGI HELVETIORVM anno post Virgineum partum M.D.LXXXV. c) perperpetuam *apogr.* d) *Haec inscriptio in apographo ipsis litteris praeposita est.*

[1] Vide tamen *Braun* l. c. I 175—179. Cf. etiam *Brander* l. c. 62—67.
[2] Cf. *Duhr*, Jes. I 124—125.
[3] Cf. *Can.* IV 673 1045; V 125—129 181 365 504 693 701 709; VI 185.

Portia Ioanni Iacobo a Khuen de Belasy archiepiscopo salisburgensi significabat, gaudere se, quod eius opera iam decreta synodi provincialis a. 1569 Salisburgi habitae ibidem promulgata essent etc.; in altera P. Feliciano Ninguardae O. P. „commissario apostolico" ad litteras 30. Martii datas respondebat, in quibus ille ei scripserat de fructibus pietatis in peregrinationibus suis apostolicis collectis et de decretis synodi salisburgensis interposita sua opera promulgatis; Portia autem Ninguardae ea gratulabatur eumque de laboribus suis infirmaque valetudine certiorem faciebat; in tertia epistula ad Antonium comitem de Lodron canonicum salisburgensem data Portia de rebus ipsorum privatis agebat (*Schellhass*, Nunt. V 436[3]).

Die 21. Maii 1576 *Portia* epistulam, quam Friburgo Brisgoviae ad P. Wendelinum Völck S. J. rectorem collegii oenipontani dabat, his verbis terminavit: „Vale, meque tui, totiusque optimi vestri Collegij, praecipue vero patris mei Canisij, studiosissimum esse certo scias" (ex commentario vel apographo. Cod. rom.: „Germ. Vol. 82[a]" f. 26[a]; etiam apud *Schellhass* l. c. V 463[5]).

1949. PTOLEMAEUS GALLIUS cardinalis Comensis, Gregorio XIII. Summo Pontifici a litteris secretioribus, CANISIO.

Roma 25. Aprilis 1576.

Ex imagine photographica (A) apographi saeculo XVI. vel XVII. scripti, quod est Romae in archivo vaticano, Arm. 44, tom. 28, n. 120; cui apographo librarius ipse hunc inscripsit titulum: „P. Canisio". Alterum apographum (B), idque saeculo XVII. vel XVIII. scriptum (4°; 1 p.) et eadem manu sic inscriptum: „IX. 1576. Petro Canisio", exstat in Germ. 184 f. 163[a]. Litteras posuit tum latinas, tum italice versas *Boero*, Can. 359; gallice eas reddiderunt *Daurignac* l. c. 344 et *Michel*, Can. 354, hispanice *Garcia* l. c. 289—290; easdem commemoravit *Schellhass*, Nunt. V 442[6].

Iubet eum cardinali Morono in comitiis ratisbonensibus adesse.

Multum Reuerende in Christo Pater. Cum Sanctissimus D. N. pro sua paterna erga sacram Caesaream Maiestatem, totamque Germaniam[a] [uoluntate mitteret] Illustrissimum Cardinalem Moronum Apostolicae Sedis Legatum [ad Comitia Ratisbonae] propediem habenda, cogitans de operarijs, qui ei [in grauissimo hoc munere] adiungendi essent; tu inter primos occ[urristi, cuius eximia fides, religio,] et doctrina usui esse illi poterunt. Itaque uoluit Sanctitas [Sua tibi his literis si-] gnificari, ut si idem Illustrissimus Legatus istac transiens [te secum habere uo]luerit, eum prompto ac libenti animo comiteris, et opera[m illi praestes. Quod] Sanctitati Suae gratum, acceptumque perinde erit, ac si praesens [Beatitudini Suae inserui]res. Deus te gratia, et protectione sua perpetuo tueri [dignetur.] Romae die xxv. Aprilis. M.D.LXXVJ.

[Cardinalis Comensis.]

Gregorius XIII. in consistorio 23. Aprilis 1575 habito cardinalem Ioannem Moronum virum prudentissimum et rerum germanicarum peritissimum (de quo plura infra) legatum destinavit ad comitia imperii ratisbonensia primum in diem 15. Februarii a. 1576, dein in 1. Martii, denique in 1. Maii a. 1576 indicta. Volebat enim pontifex omnes principes proceresque christianos foedere iungere ad Turcas repellendos; maxime autem legato erat curandum, ne ecclesia catholica ex comitiis illis detrimenta caperet; nam constabat, protestantes, imprimis Fridericum III. principem electorem palatinum, duas res a Maximiliano II. imperatore petituros esse: Primum, ut in „recessum" sive decretum sollemne, quo comitia forent absolvenda,

a) *Quae hic et infra uncis quadratis inclusa sunt, suppleta sunt ex B; ex A enim ita evanuerunt, ut vix, immo ne vix quidem legi possint.*

reciperetur „declaratio ferdinandea", qua Ferdinandus I. Augustae 24. Septembris 1555 sive pridie eius diei, qua „pax religionis" constituta est, Augusto Saxoniae principi electori clam „declaraverat", cautum iri, ne, si qui equites, cives, alii principum ecclesiasticorum imperio civili subiecti iam diu Confessionem augustanam sequerentur, ii ad eam relinquendam cogerentur (quae „declaratio" soli Augusto data neque in litteris pacis commemorata neque ab ordinibus imperii catholicis umquam admissa, neque cum supremis imperii iudicibus communicata erat); deinde hoc quoque petituri erant, ut, neglecta constitutione illa, quae „reservatum ecclesiasticum" vocari solet (*Can.* V 244[4]), Lutherani in canonicorum capitula maiora (cathedralia etc.) admitterentur (*Janssen* l. c. IV[15—16], 482—492; *Schellhass*, Nunt. V 421—424; *Jos. Hansen*, Nuntiaturberichte aus Deutschland 1572—1585, II, Berlin 1894, xx—xxi 11—12 21—26; *Theiner*, Ann. II in a. 1576 n. III IV; *Hugo Moritz*, Die Wahl Rudolfs II., der Reichstag zu Regensburg (1576) und die Freistellungsbewegung, Marburg 1895, 248—258 272).

In „Instructione" a cardinali *Comensi* Romae 26. Aprilis 1576 Morono data haec sunt: „Si è scritto ancora al padre Maggio Prouinciale de Gesuiti in Vienna, et similmente al padre Canisio in Ispruch, che se saranno chiamati da V. S. Illustrissima uengano à trouarla in Ratisbona, et la[a] obediscano in ogni cosa" (ex commentario, quod est in archivo vaticano, Varia Polit. 116, f. 67; etiam apud *Hansen*, Nunt. II 28).

1950. CANISIUS **P. ANTONIO POSSEVINO** secretario Societatis Iesu.

Oeniponte 26. Aprilis 1576.

Ex archetypo a Balthasare Arnoldt scripto et ab ipso Canisio („Seruus" etc.) subscripto (2°; 1½ pp.; in p. 4 inscr. et particulae sig.), Germ. 183 f. 257a—258b.

Cardinalis Sirletus. Vita S. Alexii. Litaniae. Ratio operis Mariani edendi. Desistendumne ab eius generis scriptione?

Pax Christi nobis aeterna admodum
Reuerende Pater.

Accepi quae ad me scripsit R. T. de Reuerendissimo Cardinale Sirleto, cui me multis modis obstrictum agnosco, et gratificari per omnia debeo. Non potui autem reperire scriptum illud Graece Gaude Maria Virgo, cunctas haereses etc. missurus alioquin isthuc perlibenter. Auide complectar D. Alexij historiam, si mittere dignabitur [1], et praeter-

a) *Sequuntur vv.* seruano et, *oblitt.*

[1] Vulgatam illam historiam S. Alexii († 417?), quem patritii romani filium fuisse et, prima nuptiarum nocte singulari Dei monitu sponsa intacta relicta, 17 annos ignotum extra urbem, maxime Edessae, vixisse, deinde 17 annos Romae ignotum sub scalis domus paternae mansisse, post mortem autem multis miraculis a Deo illustratum esse narrant, *Centuriatores* Magdeburgenses dixerant „multa fabulosa congerere", atque esse „plenam monstrositatis et impietatis, et aperte contra 1. 5. 7. et 8. Decalogi praeceptum impingere" (Historiae Ecclesiasticae Volumen secundum, Basileae 1624, 832—833 [Cent. V, c. X]). Sirletus Bibliothecae vaticanae praefectus et litterarum graecarum amantissimus, fortasse in eiusdem bibliothecae Codice (graeco) 866 (saeculi XII.) viderat Alexii vitam illam graecam sive „byzantinam" (graecoromanam saeculi X.?), quae primum adhibitis duobus aliis codicibus, typis exscripta est a *Fr. M. Esteves Pereira* in „Analectis Bollandianis" XIX 241 ad 253. Cf. etiam „Catalogum Codicum Hagiographicorum Graecorum Bibliothecae Vaticanae", edd. Hagiographi *Bollandiani* et *P. Franchi de' Cavalieri*, Bruxellis 1899, 90 n. 78, et *J. P. Kirsch*, Alexius, in „The Catholic Encyclopedia" I, New York 1907, 307—308.

ea si quid firmi habeatis de usu litaniae ante Gregorium Magnum introducto cum certa et expressa inuocatione Sanctorum[a] [1]. Addit mihi calcar R. T. ut Marianum opus absoluam, cuius partes duas edendas misi [2]: sed putant quidam reliquas partes omnes adiungendas, priusquam ad editionem veniatur. Nondum definita lis est, atque ita prorogatur editio, me quidem in hac sententia persistente, ut coniuntae tres partes, quas iam utcunque paratas habeo, ad iustum volumen constituendum primo quoque tempore prelo subijciantur. Etenim si parum placebit hic conatus, libenter a reliquis edendis supersedebo, et ad humilius argumentum pro mea etiam commoditate descendam, ne frustra videar in ornanda Deipara tempus et laborem perdere, meorumque maiorum et fratrum expectationi deesse. Qua de re suum aut Reuerendi admodum Patris nostri Generalis iudicium exponat quaeso R. T.[b], ut viam securam ingrediar, et quosdam animi scrupulos vincam. Sunt qui arbitrentur [3] me facturum rectius, si hoc grauiore scribendi et cum haereticis dimicandi negocio relicto, in quo maioribus quidem praesidijs opus haberem, ad pios libellos, uel ad Postillam (ut vocant) conscribendam Germanice me conferam: hoc enim studium magis e re populi fore, et fortassis tenuitati meae rectius conuenire. Ego vero a decreto Pont. Max. et Patris nostri Generalis non nisi monitus discedam: uterque[c] mihi nihil tale uel ambienti uel cogitanti hoc munus demandauit, quod hactenus infirmis quidem humeris sustineo, ut cum haereticis pugnem [4]. Proinde nihil mihi gratius fuerit, quam Reuerentiae tuae literis cognoscere, quid hac in parte

a) *Possevinus in margine scripsit:* S. Greg. Naz. in *[?]* d. bapt. *[?]; sequuntur 6 fere vv. graeca et 12 fere vv. latina, tam festinanter et obscure ab eodem scripta, ut legi vix possint.* b) *Hae duae litterae supra versum scriptae sunt.* c) *Ita corrigendum esse omnino videtur ex* utrunque, *quod scripsit libr.*

---

[1] Ex *Canisii* Opere Mariano (De Maria Virgine incomparabili, Ingolstadii 1577, 762—763) intellegitur, eum refutare voluisse ea, quae de hac re dixerat *Philippus Melanchthon* in „Apologia Confessionis Augustanae"; ubi „de invocatione Sanctorum" scribit: „Constat nouum hunc in Ecclesia morem esse. Nam veteres orationes etsi mentionem sanctorum faciunt, non tamen inuocant Sanctos". (Opera, Vol. XXVII, ed. *H. E. Bindseil,* Brunsvigae 1859, 589). Et *Martinus Chemnitius* asserit, „invocationem Sanctorum, additam et insertam esse Litaniae a Gregorio Magno", et in veterum Litania soli „Deo supplicatum fuisse"; neque igitur dici posse, invocationem Sanctorum, in sollemnibus Ecclesiae precibus, semper in publico usu fuisse, quia „usus Litaniarum, hoc est, supplicationum seu rogationum" semper in ecclesia fuerit (Examen Decretorum Concilii Tridentini, Pars III., Francofurti ad Moenum 1578, 218). Quae temere dicta esse probari iam facile potest; v. *Hipp. Delehaye* S. J., Les origines du culte des Martyrs, Bruxelles 1912; ubi (p. 120—168) et ex Patrum graecorum latinorumque testimoniis, et ex coemeteriorum romanorum inscriptionibus probatur, multum ante Gregorium Magnum martyres esse invocatos.

[2] Liber editus est Ingolstadii; v. infra, monum. 1216.

[3] Imprimis Hoffaeum provincialem significare videtur; cf. infra, monum. 1144 1205 1225.

[4] Hoc ei primum mandatum erat a. 1567 a S. Pio V. et, huius auctoritate, a S. Francisco Borgia praeposito generali (*Can.* V 480); deinde id a PP. Natali et Polanco Societatis vicariis generalibus confirmatum est; v. supra p. 90 103.

mihi faciundum censeat, ut ad maiorum voluntatem propius accedere, maioremque obedientiae sanctae fructum percipere possim. Scio pergraues et assiduas Patris nostri Generalis occupationes, ut illum ob rem tantillam uerear interpellare, satis quidem habiturus Patris mei Posseuini patrocinium ac fidam intercessionem his literis impetrauisse. Salutatos ex me cupio Patres omnes adsistentes una cum alijs domesticis, eorumque sacrificijs et precibus, tuis vero maxime pater, me Domino JESV inprimis commendo. Oeniponti 26 Aprilis Anno 1576[to].

Seruus in Christo P. Canisius.

Reuerendo in Christo Patri, Antonio Possevino, Societatis IESV Secretario, Patri suo. Romae.

1951. EVERARDUS MERCURIANUS praepositus generalis Societatis Iesu CANISIO. Roma 29. Aprilis 1576.

Ex commentario; in margine epistulae, eadem manu: „Oeniponti P. Petro Canisio"; in margine „postscripti", eadem manu: „Ad P. Canisium post scripta." G. Sup. 1 f. 41[b]—42[a].

Iubet eum cardinali Morono in comitiis operam dare (nisi id imperatori ingratum sit futurum) et eidem res dilinganas et 5 % explicare.

Summus Pontifex vult Jllustrissimum Card. Moronum[a] Legatum suum R. T. et P. Laurentij Magij opera vti in Comitijs Ratisponensibus. Quare velim te ad eam profectionem compares diligenter, vt praesto esse possis, simulac ille accersiuerit, et acceptum a domino talentum vtiliter exercere in grauissimis negotijs, quaeque ad totius Germaniae salutem pertinent. Quod vt cumulate perficias vberem tibi a Domino gratiam opto. Vale, et me[b] tuis precib. et sacrificijs adiuuare perge. Romae 3.° Cal. Maij .1576.

Jam haec scripseramus cum nobis in mentem venerunt rationes nonnullae, ob quas profectio tua Caesari minus grata esse posset, quas tute ipse facile potes conijcere[1] · has velim[c] sigillatim et aperte exponas[d] Cardinali, sic tamen vt prae te feras summam obediendi voluntatem, neque dubites proficisci, si ille id expedire iudicauerit. Sin minus eidem dices P. Hoffaeum esse aptissimum qui tuo loco sufficiatur ad quem nunc etiam scribimus. Quod si te proficisci contigerit curabis vt Cardinali plane explices negocium collegij Dilingani, et contractus pendendorum 5. pro centum[2] quo is per Caesarem[e] aut Ponti-

a) *Sequitur* vti, *oblitt.; 2 vv. sqq. supra versum scripta sunt.* b) *Sequitur* domi, *oblitt.* c) *Sequitur* te, *oblitt.* d) *Ita in comm. correctum est ex* exponere. e) *Sex vv. sqq. alia manu supra versum scripta sunt.*

[1] Canisius a. 1555 Ferdinando I. scripsit, Maximiliani filii animum in Lutheranismum propensum esse et magnum ex ea re periculum imminere etc. Quamobrem Maximilianus, Phausero contionatore suo lutherano instigante, Canisio valde succensebat; cuius amaritudinis aliquid diu in eius animo haesisse videtur (*Can.* I 524—530). Praeterea a. 1568 Roma Vindobonam falso relatum erat, Canisium apud S. Pium V. mala in imperatorem machinatum esse (*Can.* VI 236—238).

[2] Vide, quae sub ipsas has litteras dicentur.

ficem, aut alia aliqua ratione vtrique consulere possit, prout in Domino iudicauerit maxime expedire: qua de re[a] etiam Pontifex ad ipsum vti speramus scribet. Vale . 3.⁰ Cal. Maij.

„Negotium collegii dilingani et contractus pendendorum 5. pro centum“, quod Canisius cardinali Morono explicare iubetur, planius cognoscitur ex *litteris Dilinga 12. Febrarii 1576 a. P. *Theodorico Canisio* S. J. collegii universitatisque illius rectore ad Mercurianum datis: sic enim is de Marquardo a Berg, novo illo episcopo augustano (cf. supra pag. 309[2]), scribit: „Difficiliorem indies experimur erga nos Patronum, qui sexcentis florenis annuis iam nos priuauit, quod mensam Episcopalem tantos sumptus ferre non posse diceret. Spem quidem fecit nihil nobis ad sustentationem defuturum, sed promittere certi nihil voluit. Jn eo esse videtur totus vt antiqua Capituli (cuius ipse ante Episcopatum vnicus fere dux et rector fuisse dicitur) decreta, ad vnguem seruentur; imo in ea, ante electionem, vel post eam, iurasse creditur, sicut et antecessor eius iurare coactus est. Sunt autem ad verbum ista: 1. Collegium sancti Hieronymi maneat in statu primae fundationis, nec transferatur in vllum certum ordinem quorumcunque hominum. Rectores item et professores constituantnr a Capitulo, nec retineantur diutius, quam visum fuerit eidem Capitulo. 2. Capitulum iudicet an aedificium Collegij Dilingani in totum vel in partem sit necessarium: quodsi aliqua pars videatur superuacanea, vendatur ciuibus. 3. Episcopus ex mensa Episcopali non possit augere stipendia officialium, Rectorum vel Professorum studij Dilingae[1]. Nuperrime cum Sacerdotes quidam huius diocesis, nostri olim in Theologia discipuli, absoluere eos nollent, qui Germanicum illum contractum 5 pro 100 cum facultate repetendi capitale, exercere deinceps vellent, maxime quod a praecedenti Episcopo mandatum grauissimum typis excusum, atque a Theologis et Jurisperitis praecipuis approbatum, ne tales absoluerent[2], eodem anno accepissent, et pro concione promulgassent: Vsque adeo noster Patronus offensus est, vt et in carceres conijci mandauerit dictos sacerdotes, et in proposito perseuerantes, autoritate pascendi animas priuauerit: idemque cum alijs omnibus, qui absolutionem negarent facturum se receperit: Patrem quoque Gasparum Anglum[3], qui hac de re, cum de Vsuris in classe doceret, prolixe disputauerat, a munere docendi suspenderit, carceris minis adhibitis, si nos suis subditis, ne ab eo casu absoluerent, aliquando suaderemus. Sed interim aliquando negat Patronus nobis praesentibus, contractum illum esse contra ius diuinum, alioqui, vt ait, non permissurus, vt ita contrahentes absoluerentur. Verum ipsi contrahentes merum mutuum agnoscunt et fatentur: neque Theologi et iurisperiti docti, saepe rogati, alium contractum, qui legittimus sit, hic inuenire possunt. Effectum tandem est, vt P. Gasparus in suo legendi munere non impediretur hoc tempore. Audiui etiam ex diuersis et doctis viris, se nuperrime non semel ex ore Patroni audiuisse, non se tam rudem esse et imperitum (est autem Doctor in Jure) vt nesciat communem contractum Germanicum esse vsurarium: velle se tamen eum a Confessarijs tolerari, sicut toleratur a Magistratibus secularibus (etiamsi ab ordinibus Jmperij nunquam

a) *Hoc v. supra versum scriptum est.*

[1] Portia nuntius apostolicus m. Iunio vel Iulio 1576 cardinali Morono commentarium tradidit, quo ostendebat, Socios dilinganos in tantis esse rei familiaris angustiis, ut collegium „dissolvere cogerentur, nisi praesentissimo aliquo remedio ipsorum necessitatibus succurreretur“ (*Schellhass* V 479—481).

[2] Ioannes Egolphus a Knöringen 5. Martii 1575 in „in virtute sanctae obedientiae“ praeceperat, proposita poena „suspensionis“, quam, qui eos absolvissent, „ipse facto“ sibi contracturi essent; simul excommunicationem episcopo reservatam iis proposuerat, qui pactionem illam sive scriptis sive libris defensuri essent *B. Duhr,* Die deutschen Jesuiten im 5%-Streit des 16. Jahrhunderts, in „Zeitschrift für katholische Theologie“ XXIV 218). [3] Haivodum.

sit probatus, sed saepe damnatus) nec distinguere videtur forum internum ab externo, vel modos potius in vtroque procedendi. Parit haec res multa scandala, praesertim quod iubeantur Sacerdotes in toto Episcopatu ab vsura ista absoluere, donec a summo Pontifice et Jmperio Romano iterum, et in specie, et in Germania damnetur. Causa huius praecepti vnica haec datur, quod ex negata ob hanc vsuram absolutione, magna sequeretur in Republica rerum perturbatio, quod tamen multi sapientes non credunt, cum hactenus ex ea re nihil mali sed multa bona sequuta videantur, nisi quod Mandatum Episcopi praecedentis, intempestiue vt multi iudicarunt, promulgatum, Augustanos ciues his vsuris deditissimos, vt ipsi fatentur, valde offenderit. Episcopus, homo in Jure versatus, aegre se ab alijs, praesertim nostrae Societatis hominibus, admoneri in hac causa patietur. Habet fauentes Fuggeros in hoc negotio, aliosque nonnullos ex praecipuis huius Episcopatus Officialibus. Reuerenda P. T. quid agendum sit, cogitare dignetur. Jnualescit consuetudo in Aulis Germanicis nonnullis, vt quae propter tranquillitatem Reipub. dissimulari et tolerari posse videantur, etiamsi per se mala et legibus prohibita sint, in foro etiam conscientiae dissimulanda et toleranda putentur, et nunc etiam iubeantur. Romam Vsurarum istarum Patroni saepe in ore habent: sed nescio an expresso summi Pontificis contra eas decreto essent parituri, quod sine ijs Germanicam Rempub. arbitrentur non posse subsistere neque tamen vsque adeo sunt antiquae, quin multi Catholici recordentur earum nullum, nisi infamem, publicum fuisse vsum. Ad pacandos multorum animos optant aliqui ex nostris et vrgent, vt concedatur et suadeatur Germanis Census vtrinque redimibilis, sed cum neque Summi Pontifices neque leges imperij hactenus eum probarint, sed damnarint potius, et pretium etiam iustum huius Census ignoretur, habeatque magnam speciem vsurae palliatae, atque a doctissimis Jurisperitis ex professo reijciatur, non vident doctiores huius prouintiae Theologi, quomodo talis Census a nobis suaderi vel permitti possit. Modus ille lucrandi 5 pro 100 per triplicem Contractum, Societatis, Assecurationis, et emptionis lucri incerti pro certo, tantum apud Mercatores locum habet: atque ita subtilis est, vt a Germanis nostris, etiam prudentioribus, rideatur: aiuntque hac via nos ianuam aperire velle ad omnes vsuras, non quinarias tantum sed multo maiores. Est et alia difficultas in certis Germaniae locis, praesertim in Sueuia, vbi plerique omnes rustici seruilis sunt conditionis, et nulla habent bona propria: Quare cum pecunijs indigent, et Censum super rem immobilem, qua carent, constituere non possint, coguntur eum super suas et cognatorum suorum personas constituere, atque ita alicubi faciunt. An vero personalis Census, qui a multis damnatur, a nobis hic sit permittendus, ignoramus.... Dum haec scribo, vocor ad Episcopum.... Jlle coram praecipuis Aulicis circumstantibus, magno verborum pondere, grauissime me monuit, ne patiar in scholis nostris quicquam posthac doceri contra contractum illum germanicum: vel etiam suos parochos, quo minus contractui illi obnoxios absoluant, per nostros homines absterreri. Addiditque, damnare publice germanicum hunc contractum, esse haeresin, omnibus quae nunc in Germania sunt perniciosiorem, et grauissimorum motuum seminarium. Minas denique adiecit graues, si nos suis monitis minus obtemperantes cognouerit. Ego respondi, nos operam daturos, ne merito de nobis conqueri possit: atque ita discessum est" (ex autographo. Germ. 137 f. 97[a]—98[a]).

Augusta autem 11. Februarii 1576 P. *Gregorius Rosephius* S. J. cathedralis ecclesiae contionator ad Mercurianum *rettulit: Se episcopo suasisse, ut de 5% pontificem consuleret; „quod consilium adeo non probauit vt diceret: si pontifex ad me mitteret Motum proprium et iuberet aboleri hunc contractum per me, minime facerem, sed prius meam informationem mitterem Romam, quam sat scio probaturus esset sanctissimus · addebat insuper se adeo catholicum, vt pro fide catholica minime dubitaret sanguinem profundere, vt autem crederet inhibitionem huius contractus 5 pro cento de iure diuino esse nunquam adduci potuisse, cum et multa legerit et audierit a doctis et prudentibus circa hoc negotium"; ... pactionem illam usitatam esse „non in ciuitatibus tantum maioribus verum etiam in omnibus fere pagis et villis totius

Germaniae; ... addidit Episcopus tibi tuisque modum non praescribo" in confessionibus audiendis sequendum; „hoc cupio tantum cum mea simpliciter sit voluntas vt sacerdotes seu confessarij omnes mei Episcopatus absoluant quotquot hoc contractu sunt inuoluti, vos meos sacerdotes non pelliceatis nec perturbetis ... mihi obiecit Episcopus in Hispania Gallia Italia etiam ab ipsismet Ecclesiasticis similes exerceri contractus, quorum mere juris positiui sit prohibitio quae tamen iam per contrarium vsum ab omnibus abolita sit imo non recepta, omnes enim principes Germaniae tacite approbant hunc contractum quem rigidi Germani simpliciter iustum esse volunt ob hanc causam quod me mea priuem illo tempore pecunia et alteri seruiam, haec est summa rej, nec volunt audire de implicito contractu Societatis et similibus, vt enim illa gens suspicatur facile, ita semper timet sibi, vbi sunt tot clausulae etc · volunt ergo simpliciter 5 pro cento quocumque modo pij interpretari conentur de Societate de lucro cessante, damno emergente, emptione census etc. (ex autogr., Germ. 137 f. 145^a—146^a). Plura apud *Duhr*, Die deutschen Jesuiten im 5% Streit l. c. 221—223, et *Ios. Ant. Steiner*, Acta selecta Ecclesiae Augustanae, Augustae Vindelicorum 1785, 113—115; cf. etiam *Duhr*, Jes. I, 718—722. De eodem negotio Romam ad pontificem rettulerat Bartholomaeus de Portia nuntius apostolicus (*Schellhass*, Nunt. V 62—74). Cum vero Gregorius XIII. a Mercuriano consultus constituisset, ne Socii eos, qui 5% sumerent, absolverent neve tamen palam eam causam tractarent (v. supra p. 321), *Paulus Hoffaeus* provincialis Mercuriano Monachio 13. Aprilis 1576 *scripsit: „Iam nostros monui, vt amicos monerent qui hunc contractum mutare nolunt, et hactenus mitiora expectarunt, vt sibi de alijs confessarijs prospicerent. Si sua Sanctitas super hoc contractu Episcopis scribet, turbas quidem sat magnas forte mouebit, nihil autem prorsus permouebit, et nos etiam nos magis reddemus odiosos vt qui non solum Episcopum Dilinganum p. m. sed etiam Pontificem contra istos concitasse iudicabimur: fortasse praestaret rem dissimulare ne excitemus crabrones: quod enim ad nos attinet, religiose cauebimus, ne cuiusquam confessionem excipiamus qui hunc contractum nolit deserere" (ex autogr., Germ. 137 f. 137^b).

Mercurianus 29. Aprilis 1576 Hoffaeo quoque provinciali *scripsit in eandem sententiam atque Canisio ipsi: „Velim cures ne ille vocatus in mora sit, sed potius ita paratus rebus omnibus vt nos Pontifex suae voluntati diligenter paruisse intelligat." Quodsi propter imperatorem cardinalis censeret non expedire, ut Canisius secum iret, Hoffaeo eundum esse, „nisi forte Cardinalis alium aliquem ex ista Prouincia pro Canisio habere voluerit" (e comment., G. Sup. 1 f. 42^a).

Cardinali Morono nomine Gregorii XIII. cardinalis *Comensis* litteris 5. Maii 1576 datis mandavit: Marquardum a Berg episcopum augustanum adhortaretur, ut Societatem eiusque universitatem dilinganam adiuvaret neve Sociis succenseret, quod eos, qui 5% sumerent, absolvere nollent; „lei lo renda capace che non deve violentar li padri a far cosa che reputino contra la fede et conscienza loro, ma lasciarli nel pio zelo et scrupolo che hanno verso la salute de l'anime, sopra di che potrà V. S. Illustrissima haver più piena informatione da essi medesimi padri" (*Hansen*, Nunt. II 31).

Ceterum *Mercurianus* eodem illo die 29. Aprilis 1576, quo Canisio scripsit, Vindobonam quoque ad P. Laurentium Magium provincialem Austriae *litteras misit, in quibus ei hoc mandabat: Cardinalis Moronus „R. t. simul et P. Petri Canisij opera in comitijs vsurus est, idque ipsius Pontificis voluntate vti nobis est a Cardinali Comensi significatum. Quare dabis operam ne quoquam isthinc discedas, sed praestoleris dum te Jllustrissimus card: accersat. Tum enim tibi Ratisponam praetermissis ac etiam intermissis rebus alijs omnib: contendendum erit". Ita quidem in ipso litterarum corpore; cui tamen *Mercurianus* postea haec addidit: „Quod supra scripsi de P. Canisio non ita certum est. Nam fortasse nonnullas ob causas satius erit P. Hoffaeum tibi comitem adiungi, vti ad vtrumque scripsimus. Vtcunque erit (pendet enim res ex Cardinalis arbitratu qui iam hinc discessit) dabis operam vt ab alterutro adiutus te gnauiter geras, et talentum a Domino ac-

ceptum exerceas vtiliter" (e comment., Austr. 1 p. 77—78). Verumtamen Ratisbona 14. Iunii 1576 P. *Iacobus de Avellaneda* S. J. Mercuriano *scripsit: Ex ipso cardinali intellectum est, P. Magium accersitum non iri, „porque el disegno del cardinal moron es que venga algun padre o padres tudescos que prediquen en aquella lengua" (ex autogr.; Germ. 137 f. 178a).

1952. CANISIUS cardinali **IOANNI MORONO** episcopo ostiensi, Gregorii XIII. ad Maximilianum II. imperatorem legato.

Oeniponte circa d. 23. Maii 1576.

Ex imagine photographica huius commentarii Canisii manu sripti, qui est Romae in bibliotheca vaticana, Cod. Lat. 6413 f. 182a; in altera folii pagina manu ignota eiusdem temporis tum verba „Monaco et Jspruch" pro inscriptione posita, tum complura procerum tirolensium nomina (de quibus plura infra dicentur) notata sunt.

Quibus de rebus ad religionem spectantibus Ferdinandus II. archidux monendus sit.

Laudandus uidetur Princeps[1]

Quia per se Catholicus, et Catholicae religionis amans, ut paucos in Germania sibi pares habeat.

Inter Austriacos Principes nullus numerat plures Catholicos subditos, neque magis punit et eijcit haereticos, nullus tot Catholicis Consiliarijs utitur, neque aulam minus habet infectam et magis Catholicam.

Indiget autem admonitione.

Vt consilio et auxilio iuuet Sueuicam nobilitatem, in qua multi magis[a] magisque deficiunt a Catholica religione · sicut nuper etiam Colmariense oppidum defecit.[b][2] Propterea nobiles Catholici confirmentur et alij non admittantnr facile ad possessiones, nisi constet eos Catholicos esse.

Item ut ratio inueniatur erigendi Seminarij ad supplendos defectus ministrorum Ecclesiae, quorum miseranda est passim penuria. Nam et Bauariae Princeps Albertus domum construxit ad centum fere studiosos alendos in gymnasio suo Jngolstadij, ut alumnos habeat Theologiae pro sua Bauaria conseruanda in religione[3].

Jtem ut reformetur[c] institutis illic Theologiae studiosis gymnasium Friburgense, quod antea florebat, magnumque praesidium adferebat Ecclesijs in Catholica religione, nunc uero neglectum, et a paucis inhabitatum studiosis iacet[4].

a) *Ita correctum est in autogr. ex* magisque. b) *Quae sequuntur, usque ad* Catholicos esse *incl., a C. in margine addita sunt.* c) *C. proxima 4 vv. primis huius periodi versibus festinanter in margine ascripsit neque tamen ullo signo, quo loco inserendae essent eidem periodo, significavit.*

---

[1] Ferdinandus II. archidux, princeps Austriae superioris, frater Maximiliani II. imperatoris et Caroli, Stiriae, Carinthiae, Carniolae etc. principis.

[2] Anno 1575 (incipiendo a m. Maio) senatus urbis colmariensis (Colmar, Alsatiae), in quam Ferdinandus archidux aliquid saltem potestatis habebat, catholicae religionis exercitio abolito Confessionem augustanam in urbem induxerat (*Janssen* l. c. IV15—16 479—480; *Hansen*, Nunt. II 31 40; *Schellhass*, Nunt. V 40 6).

[3] De hoc „convictu S. Ignatii Martyris" sive „collegio albertino" ab Alberto V. duce condito v. supra p. 320.

[4] In commentario a Bartholomaeo Portia nuntio apostolico m. Octobri 1575 Romam misso (*Schellhass*, Nunt. V 217—225; cf. *Theiner*, Ann. II, in a. 1576

Jtem ut maior cum uicinis Episcopis seruetur concordia, neque debilitetur iurisdictio Ecclesiastica propter dissidia quaedam noua uel uetera circa bonum utile uel temporale.

Vt haereses et corruptelae uariae Tridenti non inualescant, quia uidetur facta spelunca latronum[1], neque spiritualem[a], neque secularem principem curantium, etc.[2]

Vt authoritatem et fauorem addat Ordinarijs ad exequendum suum officium, praesertim in uisitandis Ecclesijs, in reformandis Clericis, in eijciendis concubinis etc.[3]

Vt ad Comicia[4] coram accedat, iuuetque causam afflictae religionis apud Caes. Mai. et alios Prin.

Vt collegium nostrum et Societas tota Principi et eius[b] Cancellario[5] commendetur.

Canisium haec inter m. Maium a. 1575 et m. Maium a. 1576 scripsisse patet ex iis, quae de Colmariensibus et de comitiis ratisbonensibus dixit; v. supra p. 344 345. Facile quoque cognoscitur, eum principi alicui ecclesiastico, qui cum auctoritate de rebus religionis apud Ferdinandum II. archiducem acturus erat, scripsisse; id quod cardinalis Moronus Roma Ratisbonam, ut Gregorii XIII. legatione in comitiis fungeretur, proficiscens, Oeniponte (ubi a 21. ad 26. Maii morabatur) d. 22. et 25. Maii praestitit (*Hansen*, Nunt. II 36—38). Cui si Canisius, operam ei praestare a pontifice iussus (v. supra p. 340), hoc scriptum ipse tradidit, facile intellegitur, cur inscriptione, nomine suo, loco, tempore in eo ponendis se supersedere

a) *Sequuntur vv.* neque temporale, *a C. oblitterata.* b) *Sequitur* Consi, *oblitt.*

n. XXXI—XXXIII et Mant. n. XLIV) affirmatur, Friburgi Brisgoviae in universitate numerum studiosorum esse 250 minorem; magistrorum salaria esse valde tenuia; theologiae professores esse numero 3—4. P. *Paulus Hoffaeus* S. J. Augusta 16. Octobris 1574 Mercuriano praeposito generali *scripsit: Nomine provinciarum Alsatiae et Brisgoviae archidux monitus est: „Vniuersitatem Friburgensem non nisi corruptelam esse iuuentutis, praeterquam quod in ea studia nullius amplius sint momenti" (ex autogr., Germ. 135 f. 152). De pravis illis moribus scripsit etiam *Schreiber* l. c. [cf. supra p. 28] II 66—125.

[1] Ir 7, 11; Mt 21, 13; Mc 11, 17; Lc 19, 46.

[2] In episcopatu tridentino propter litem, quae de eius imperio civili inter cardinalem Ludovicum Madrutium episcopum tridentinum et Ferdinandum II. archiducem agebatur, res publicae imperatoris iussu per „sequestratores" aliquot administrabantur, qui parvae erant auctoritatis, inter se dissidebant, vix cuiquam satisfaciebant (*Hirn*, Temporalienstreit [v. supra p. 12] 432—473; cf. *Theiner* l. c. II in a. 1576 n. XXIV, XXV et v. supra p. 11). Praeterea cardinalis Madrutius diu extra dioecesim morabatur et multis negotiis ad episcopatum non pertinentibus distinebatur (*Hirn* l. c. et Ferd. v. Tirol I 78).

[3] Canisius potissimum significare videtur episcopos tridentinum, brixinensem (cardinalem Christophorum Madrutium, qui per Ioannem Thomam a Spaur coadiutorem dioecesim regebat), curiensem (Beatum a Porta), salisburgensem (Ioannem Iacobum Khuen a Belasy archiepiscopum), constantiensem (cardinalem Marcum Sitticum ab Altaemps), argentoratensem (Ioannem a Manderscheid). Aliae Austriae superioris ecclesiae parebant episcopis augustano, basileensi, feltrensi, frisingensi, veronensi etc.

[4] Comitia imperii ratisbonensia dicit; v. supra p. 337.

[5] Ioanni Wellinger a Schneeberg cancellario aulico. Cur Ferdinandi pristinus in collegium oenipontanum favor multum imminutus sit, v. supra p. 283.

posse censuerit; item intellegitur, quid nomina in altera huius scripti pagina manu ignota (Moroni ipsius?) posita sibi velint: Morono in „Instructione", quam supra dixi, significatum erat, expedire, ut non solum cum principibus, sed etiam cum eorum consiliariis, si qui prudentes essent atque fidi, legatus ageret eorumque opera uteretur (*Hansen* l. c. 16). Moronus igitur oenipontanorum quoque consiliariorum nomina aliquot sibi notanda esse existimabat, consultis Oeniponte uno vel — id quod mihi magis probatur — duobus viris eius rei peritis, e quorum numero Canisium fuisse valde verisimile est; sic itaque in pagina illa altera *scriptum est: „Franciscus a Weenghem consiliarius. Comes Giuelmus de Zimbrem [Zimmern;* vide paulo infra] Marchalcus etc. Frater Georgius benignus de Doionis Belunensis [Ordinis Minorum Conventualium, praeceptor filiorum archiducis; *Hirn* l. c. II 369; *Hansen*, Nunt. II 40]. Franciscus a wahingen [Wähingen; *Hirn* l. c. I 56] consiliarius camerae Tyrolensis. Comes Guilhelmus de Zimmern Mareschalcus consiliarius Curiae Suae Serenitatis. Jacobus Holtzapffel D.[a] — consiliarius Aulicus et vicecancellarius. Joannes Baro in Schneeperg, Dominus in Stainach, et Sancti [sic!] Michaelspurg, Arcanus consiliarius[b] et supremus cancellarius Suae Serenitatis".

His rationibus iam, puto, certum efficitur, Morono cum archiduce acturo hunc commentarium compositum esse; omnis denique dubitatio tollitur, si quis cum eo contulerit litteras, quibus *Moronus* Oeniponte 25. Maii 1576, quid in altera sua cum archiduce congressione confecerit, cardinalem Comensem certiorem reddit (apud *Hansen*, Nunt. II 38—40): Res cum rebus atque etiam verba cum verbis adeo conveniunt, ut perspicuum sit, Moronum Canisii scripto accurate usum esse. Aliqua ex Moroni litteris excerpam, eo quoque consilio, ut ostendam, quantum utilitatis Canisius ecclesiae eo scripto attulerit. „Ho esortato", inquit *Moronus*, „S. A. a volersi trattener bene con li vescovi vicini et non esser discorde con loro, ne debilitare la iuridittione ecclesiastica per conto di utile od interesse temporale.... Ho ricercata la risolutione delle cose di Trento et ho trovato S. A. molto più disposta che la prima volta ... et così speramo che questo negotio presto si spedirà in bene, et veramente S. A. conosce esser necessario spedirlo, perchè quella chiesa va in total ruina nel temporale et spirituale.... S. A. mi ha promesso venir alla dieta ... per impedir il mal disegno degli adversarii, et m' ha promesso farne ogni offitio possibile col imperatore.... Ho raccordato a S. A. la restitutione della università di Friburgh come cosa importantissima et la conservatione della nobiltà di Svevia nella fede cattolica ... et le ho dette molte ragioni. S. A. mandarà nuovi commissarii catholici per aiutar quanto si potrà l'una et l'altra et scriverà gagliardemente allo imperatore per la cosa di Colmaria.... Gli ho appresso raccomandati i collegii de Jesuiti qui" etc. Paulo post Ferdinandus ad „seminarium Societatis" in Austria anteriore condendum iterum aggressus est; v. infra, ep. 1954.

P. *Paulus Hoffaeus* praepositus provincialis ad Mercurianum Augusta 30. Maii 1576 haec *rettulit: „Heri Oeniponto huc redij.... Oeniponti accessi ad Jllustrissimum Cardinalem Moronum, qui P. Canisium in Confessarium elegit[1], secumque habere vult Ratisponae, nihil curando illam causam Caesaream de qua P. V. mihi scripsit. Veniet autem P. Canisius prius Dilingam vt illius collegij necessitatem et causam de 5. pro cento cognoscat et Cardinali referat. Si autem vera sunt quae Caspar Cabalinus Venetus nuper de vsuris etc. ad Episcopum Recanatensem scripsit[2], nos sane praepropere damnauimus Germanos de 5. pro cento. Nouo igitur consilio

a) *Sequitur siglum quoddam, quod quid significet* (iuris utriusque? philosophiae?), *non liquet.*
b) *Sequitur* suae, *oblitt.*

[1] Oeniponte peccata ei confiteri volebat, non Ratisbonae; nam P. *Iacobus de Avellaneda* S. J. Mercuriano *scripsit de Morono Ratisbona 21. Iulii 1576: „Su Señoria illustrissima desde que vino aqui se confiesa comigo"; et *5. Augusti 1576: „Por auerme tomado por su confessor despues que esta aqui" (ex autographis; Germ. 137 f. 181 182). [2] De hac re plura dicentur infra.

egemus". Deinde Dilinga 8. Iulii 1576 P. *Theodoricus Canisius* rector Mercuriano *narravit: „Adfuit nobis ante octiduum R. P. Prouincialis, sed triduum duntaxat mansit nobis cum.... Adfuit et nobis R. P. Petrus Canisius, hac Ratisbonam ad Reuerendissimum Legatum proficiscens" (ex autographis. Germ. 137 f. 109[a] 151[b]).

Quia autem Theodoricus nihil scribit de Marquardo episcopo Dilingae a Petro fratre salutato, probabile est, Petrum Dilingam non advenisse ante d. 22. Iunii; quo die Marquardum Dilinga Ratisbonam ad comitia profectum esse Theodoricus in epistula illa narrat. Offendit tamen, puto, Canisius Dilingae in adulescentium litteris studentium contubernio Thomam vom Triest, Wendelinae sororis filium; qui 13. Aprilis 1575 in universitatis illius matricula sic erat inscriptus: „Thomas Tristius Nouiomagensis" (*Specht*, Die Matrikel I, Dillingen a. D. 1909—1911, 98). Eundem *Theodoricus Canisius* significavit, cum Dilinga 17. Septembris 1575 Wendelinae *scripsit; „Wisset auch das ich: Doctor Peter, vnd Thomas noch wol auff seyen. Got sey lob · was dan Thomam belangt, ist er frölich, vnd helt sich wol, das kain klag nit wider jm da ist. So vil dan sein kostgelt belangt, steht es bey ewer Gelegenhait, ob ir willet das auff ainmal für das gantz iar schicken, oder aber alle franckforter mess, der Herr Gerwinus Calenius kan euch wol behilfflich sein durch die buchfürer von Auspurg, die mir wol bekant sein. Was klaider vnd andere Dingen belangt, darfft ir nit sorgen, ich wil dem Thomam nichts lassen abgehn was jm wirt von nöten sein" (ex autographo recenti, quod ex autographo exscriptum R. P. L. van Miert S. J. mihi misit). Hoc anno 1575 pro singulorum convictorum alimentis 60 floreni exigebantur (*Alfr. Schröder*, Die Matrikel der Universität Dillingen. Registerband, Dillingen a. D. 1904—1915, xxix).

1953. P. ANTONIUS POSSEVINUS secretarius Societatis Iesu mandatu Everardi Mercuriani praepositi generalis CANISIO.

Roma 30. Iunii 1576.

Ex commentario, in cuius capite eadem manu scriptum est: „P. Petro Canisio." Rh. Inf. 2, I f. 40[b].

Liber de libertate religionis a P. Thyraeo vulgatus supprimi debet.

Rumor est editum esse a nescio quo in Germania libellum contra nobiles quosdam, qui decreuerant in comitijs Ratisbonensibus aliquid moliri in[a] libertatem ecclesiasticam, et datam a P. Tyreo[1] nostro operam vt eius libellj[b] exempla distribuerentur. Jd quod quia[c] verendum est ne Societati nostrae magnum aliquod malum afferat, t. r. erit curare vt si quae[d] isthic forte fuerint[e] eius[f] libri exempla illico supprimantur · et sicubi opus esse animaduerterit profiteatur vel[g] ipsam eius rei suspicionem R. P. N. G.[2] vehementer displicuisse, sic vt scripserit ad P. Balduinum[3] Rhenanae prouinciae Visitatorem vt si[h] P. Tyreum in culpa esse compererit[i] illico priuet eius prouinciae praefectura, et per me[k] r. t. haec significari voluerit vt intelligeres, quo modo[l] huic incommodo occurri debeat. Vale et[m] tuis me precibus commendatum habe. Romae pridie Cal. Julij .1576.

a) *Sic in comm. correctum est ex* aliquid detrahere de. b—d) *Hoc v. supra versum scriptum est.* e) *Sic in comm. correctum est ex* viderit. f) *Sequitur* operis, *oblitt.* g) *Sequitur* meram *vel simile v., oblitt.* h) *Sequitur* T., *oblitt.* i) *Sequitur* illico, *oblitt.* k) *Sequitur* tibi, *oblitt.* l) *Sequuntur vv.* non solum per te, sed etiam per istius prouinciae rectores. *oblitt.* m) *Sequuntur vv.* aliquot, *oblitt.*

[1] P. Hermannum Thyraeum provinciae rhenanae S. J. praepositum dicit; de quo *Can.* II 6[5]. [2] Everardo Mercuriano praeposito generali.
[3] Ab Angelo.

In comitiis imperii ratisbonensibus a. 1576 multi comites liberique barones protestantes Maximiliano II. imperatori libellum obtulerunt, quo supplicabant, in posterum sibi suisque permitteretur, ut in capitulis maioribus (cathedralibus etc.), nulla fidei catholicae professione facta, sed in sua „confessione" persistentes, canonici, praepositi etc. esse possent; quae permissio (potissimum ad bona ecclesiae catholicae protestantibus permittenda spectans) „Freistellung" vocabatur et in comitiis a maiore ordinum protestantium parte tantopere urgebatur, ut se, nisi ea concederetur, imperatori subsidia bello turcico necessaria daturos negarent. Impugnandae vero et reiciendae eiusdem petitionis causa Coloniae (loco hoc non in folio titulari, sed in postremo posito) typis exscriptus editusque est libellus „Von der hochberůmpter Religions freistellung, ein kurtzer bericht.... Autore D. *Andrea Dorkenio*.... Gedruckt im Jahr .1576" [1]. Atque exasperare quidem rem videtur *Felix Stieve*, cum librum hunc (cuius auctorem accuratius cognoscere se frustra conatum esse dicit) vocat „eine von demokratischem Hauche durchwehte Schrift eines Katholiken" (Die Politik Baierns 1591—1607 I, München 1878, 157). Verum aliquid in eo erat, quod catholicos quoque complures sive merito, sive immerito, offendere posset: Pro prava illa libertate, ait auctor, bonam quandam videri esse concedendam; viris doctis piisque, etiamsi civium vel rusticorum filii essent, aditum aperiendum esse non solum ad capitula cathedralia, sed etiam ad sedes episcopales et archiepiscopales, sublatis legibus, quibus nobilitas eaque nonnunquam valde avita exigeretur; id cum Christi verbis evangelicis congruere; id iis deberi, qui pecunias suo sudore comparatas ad ea instituta condenda conservandaque contribuissent et contribuerent; id exemplo quoque commendari ecclesiae romanae (cf. *Janssen* l. c. IV [15—16] 490—491).

Cur autem in litteris, quas posui, Mercurianus huic libro „supprimendo" tantopere instet, cognoscitur ex epistulis a rectoribus collegiorum herbipolensis et spirensis ad eum de Thyraeo praeposito suo provinciali datis. Ita enim P. *Georgius Bader* Herbipoli 3. Iunii 1576 ei *scripsit: „Hesterno die ad nos uenerunt Colonia duo fratres, cum aliquot libellis (quorum unum cum his mitto) et literis R. P. Prouinc · quibus mandabat, ut dictos libellos seu potius unius libelli plura exempla compacta, meo nomine uarijs Principibus darem et mitterem. De quo ita mecum sentiunt, duo praecipui Consultores (nam certis de causis non proposui reliquis duobus). Primo plus quam probabilis suspicio est, tum ex ijs qui Colonia uenerunt, tum ex ipso stylo, librum esse a nostris, imo ab ipso R. P. Prouinc · profectum, aut saltem emendatum, et impressionem correctam · nam in eo describendo dictante ipso Patre, aliqui praeceptores fuerunt occupati. 2º Eum hoc tempore propter multas caussas, maxime propter styli mordacitatem et argumenti odiosam materiam, ualde periculosum, qui non solum ab aduersarijs sed etiam a Catholicis, et maxime Ecclesiasticis Nobilibus, Vniuersae Societati magnam inuidiam conciliare possit.... 5º Plaeraque odiosa scripta, quae sine Auctore, uel ficto auctoris nomine hactenus prodierunt, uel in posterum prodibunt nostris adscribenda, si semel in hanc suspicionem veniamus. His consideratis, uisum mihi est, in domino non fore contra sanctam Obedientiam si exempla tamdiu supprimantur a me, donec ad ipsum R. P. Prouinc. scribam, et haec proponam, rogemque ut his de causis, etiam alia quae nondum sunt distributa (utinam nulla essent) curet supprimi · quod et feci." Haec postea confirmata sunt *litteris Spira 8. Iulii 1576 a. P. *Petro Michaele* (Brillmacher) ad Mercurianum datis; qui: „Editus est", inquit, „nuper Liber quidam Germanicus De Libertate religionis in Ecclesijs Cathedralibus, i. e. contra eos qui eam solicitant in Jmperio. De authore librj sunt varia judicia et suspiciones, Sunt qui nobis acceptum referunt, non satis commode et pro tempore res tractatur · Consilium dat author, vt si quid de Ecclesijs tractandum, id agatur vt cuiusuis [status] hominibus etiam non solum nobilibus sit ad illas accessus qua re vehementer nobilitatem offendit etc. Reuerendus Pater Prouincialis ad me primum scriptum misit exemplar

[1] Usus sum huius libelli exemplo, quod exstat Monachii in bibliotheca nationali (H. Ref. 269).

et iussit vt Ratisponam mitterem postquam legissem, judicaui rem esse periculo plenam si a nobis illius diuulgatio prodijsse cognosceretur, et nonnihil distuli missionem, donec R. P. Prouincialem facerem certiorem de meo et aliorum quorundam judicio. Jnterim alijs literis scribitur quod mittat 5 exemplaria excusa vt ad notos jn Aula Caesarea mittantur per me et meo nomine. Sed hec exemplaria Moguntinj cum suis supprimenda censuerunt. Jnterim per alios hic distrahuntur alia. Author vocatur Andreas Dorkens. Ego ex stilo leui et dissolute Germanico, colligo esse Patrem Prouincialem, quem memini in patria vocarj Hermannum Dorken. Vt vt sit puto ego tot esse Societatis hostes vt periculosum sit occasionem plurium dare." Neque rectores sua de libri auctore opinio multum fefellit; nam ipse *Thyraeus* Mercuriano Moguntia 25. Iulii 1576 *fassus est: „De libro contra religionis libertatem consilio, auxilio, operaque mea partim aedito, partim amicis nonnullis distributo et quidem vtiliter quamuis non satis obedienter et conformiter instituto Societatis scribet R. P. Visitator . . . puto suppressum esse, et non obfuturum religioni, multo minus Societati, quamuis mihi parum prosit quod bonum non sat bene, et obedienter volui promouere. Est vnus ex erroribus meis satis magnus, putabam sufficere hanc rem contulisse cum consultoribus". Deinde P. *Balduinus ab Angelo* visitator Moguntia 10. Augusti 1576 Mercurianum *monuit: „Libros suppressos esse, qui Moguntiam, Leodium et alibi missi erant scripsi, aliosque Coloniae qui ex prelo supererant supprimi quamprimum curauj. De authore autem postea id cognouj, Costerum fuisse praecipuum instigatorem, cum doctore quodam extraneo familiari [1], vt Tyreus ipsis se adiungeret, quod testimonio eius confirmatum habeo. Dei tamen beneficio, vsque in presens, neque de authorum nominibus, neque de grauiori aliquo periculo, quod Societati creari possit, hisce in locis, publice auditum est aliquid. Quamobrem nullam apud Tyreum mentionem faciendam existimauj, priuationis officio, sed offensionis duntaxat, quam P. V. de huiusmodi facto merito habuit, exhibitis illi literis P. V. Spero quod illi atque omnibus nobis salutaris erit admonitio" [2] (ex autographis. Germ. 137 f. 223^b 228^c 243^b—244^a 257^a.)

P. Paulo Hoffaeo provinciali Germaniae superioris litteras iis, quae ad Canisium datae erant, similes eodem die missas esse notatum est in Rh. Inf. 2, 1 f. 40^b.

Canisius Mercuriano rescripsit 18. Augusti 1576.

1954. FERDINANDUS II. archidux, Austriae superioris princeps, CANISIO. Oeniponte 11. Iulii 1576.

Ex archetypo, manu Ferdinandi subscripto, quod est Caroliruhae (Karlsruhe) in archivo generali reipublicee badensis, Freiburg Stadt, Stifte u. Kl., Jes., fasc. „Errichtung e. Sem. in Freib. 1576".

Iubet eum scribere, quid sentiat de loco seminario Societatis in Alsatia condendo a consiliariis designato.

---

[1] Nescio an praeter P. Franciscum Costerum, qui in collegio coloniensi tunc degebat, significetur Andreas Erstenberger, imperatoris consiliarius et in negotiis imperii secretarius, qui postea (a. 1586) in libro „Tractat de Autonomia, das ist, von Freistellung" etc. sub nomine Francisci Burgkardi edito de similibus argumentis catholice et fortiter scripsit; et fortasse, quia Andreas Erstenberger et Hermannus Dorkenius librum composuerant, eius auctor „Andreas Dorkenius" vocatus est.

[2] P. Hermannum Thyraeum „scripsisse Latine et Germanice librum ‚De Religionis libertate'" iam P. *Petrus Ribadeneira* S. J., primus Societatis bibliographus, notavit (Illustrium Scriptorum Religionis Societatis Iesu Catalogus, Antverpiae 1608, 90); neque plus de eo libro cognoverunt bibliographi posteriores: Alegambe, Sotvellus, De Backer, Sommervogel; neque usque adhuc latina illa libri editio, si quidem facta est, ex tenebris emersit. Libello autem germanico addita est (p. 29—39) appendix latina, qua comitibus illis protestantibus breviter respondetur et varia imperatorum et conciliorum decreta proferuntur; et hanc appendicem equidem suspicor habitam perperam esse editionem latinam.

Ferdinand von Gottes genaden Ertzhertzog zu Oesterreich etc.

Ersamer, Geistlicher, lieber anndechtiger.

Demnach wir Jn vnnsern Vorderoesterreichischen Lannden ain Seminarium Societatis Jesu aufzurichten, gnedigist enntschlossen, Auch etlichen vnnsern Raethen, den augenschein aines gelegenlichen Platz vnnd orts einzenemen anbeuolchen, vnnd vnns deswegen Irer verrichtung Relation zuekhomen, Wir aber dich auch mit deinem gegenbericht hierüber zuuernemen für ain notturfft geachtet, So vberschickhen wir dir vorgemelte vnnserer Raethe Relation hieneben zue gnedigist begerennde, du wellest dieselb angelegenes fleises durchsehen, vnnd vnns deinen fürderlichen bericht vnnd hierin habend bedennckhen hierüber ehendist zuekhomen lassen.

Daran beschicht vnnser gnediger willen.

Geben in vnnserer Statt Ynnsprugg den Ailfften Tag Monats Julii Anno etc. im Sechs und sibenzigist.

Ferdinand.

Ad mandatum Serenissimi Domini
Archiducis proprium
Schrenner.

Dem Ersamen, Geistlichen vnnserm lieben Andechtigen Petro Canisio der heiligen schrifft Doctor, vnnd der societet Jhesu Prouincialn in Teutschen Lannden[1]. Regenspurg.

„Relatio" consiliariorum, quam Ferdinandus cum his litteris Canisio misit, perisse videtur; colligi tamen, quid illi archiduci commendaverint, potest ex *epistula a P. *Paulo Hoffaeo* provinciali ad Mercuriaunm praepositum generalem Ingolstadio 11. Augusti 1576 data. „Denuo", inquit ille, „sicut ante biennium vrget Archidux Ferdinandus vt Societas acceptet in Alsatia Collegium in vno ex tribus locis quorum vnus vocatur Brijsach[2], alter Neuenburg (sita sunt haec duo loca in ripa Rheni non longe a Basilea et Friburgo) tertius Thann. Brijsach ante biennium vidi tantum (ex autogr.; Germ 137 f. 89 [bis][a] Canisius litteras archiducis cum relatione consiliariorum Hoffaeo provinciali misit. *Hoffaei* enim manu in altera pagina litterarum illarum PP. Theodoricus Canisius et Gregorius Rosephius *iubentur quam primum praeposito generali scribere, „an Archiducis petitioni videatur esse assentiendum". Et *Rosephius* Mercuriano Augusta 19. Augusti 1576 *scripsit: Paucis ante diebus ab Hoffaeo „scriptum quoddam Consiliariorum Alsatiae vna cum literis Archiducis Ferdinandi" sibi missum esse. „Si sua serenitas vult ad dei gloriam et vtilitatem Ecclesiae erigere isthic non simpliciter collegium, sed seminarium quoddam Societatis (ita enim loquitur in literis ad P. Canisium datis) nullibi melius id facere poterit" quam Friburgi Brisgoviae. *Hoffaeus* autem — id ex eius *epistula Ingolstadio 24. Octobris 1576 Mercuriano missa intellegitur — censebat, „non facile esse petitionem repudiandam, si tamen Archidux serio agat: oppida tamen illa mihi non placent, malui vt Constantiae Collegium erigi iuuaret Archidux, ac tunc etiam Heluetijs ex vicinia per missiones opem ferre liceret. Sed opinor Archiducem non serio agere" (ex autographis. Germ. 137 f. 90[b] 153[a]). Neque vero constat, quid

[1] Canisius officio praepositi provincialis Germaniae superioris iam anno 1569 omnino levatus erat (*Can.* VI 293).

[2] Nunc: Breisach. De priore illa Ferdinandi petitione cf. *Hirn*, Ferdinand von Tirol I 215—216, et infra, monum. 1166.

Canisius senserit. *Mercurianus* autem Hoffaeum Roma 22. Septembris 1576 *monuit: „De Collegio in Alsatia instituendo etsi videtur Serenissimi Archiducis voluntati concedendum esse, tamen non videmus qui conueniat vt aut alibi quam Friburgi instituatur, aut ad eam rem monasterium aliquod nobis attribuatur aut Xenodochium“ (ex commentario. G. Sup. 1 f. 49[b]). Verumtamen repugnabant et academici friburgenses et protestantes vicini; hominum idoneorum penuria laborabat Societas; quare ante a. 1620 collegium friburgense institutum non est; cf. *Duhr*, Jes. II[1] 268.

1955. CANISIUS **EVERARDO MERCURIANO** praeposito generali Societatis Iesu. Ratisbona circa medium m. Iulium 1576.

Ex autographa epistula, de qua infra, ep. 1962.

Canisius Ratisbona 18. Augusti 1576 Mercuriano scripsit: „Scripsi non ita pridem de meo in hanc urbem aduentu, et interea passus sum mihi contionandi munus imponi“.

Canisius — id quod ex litteris, quas paulo infra ponam, intellegitur — 22. Iulii contionari coepit; propterea circa medium m. Iulium Mercuriano scripsisse videtur; quae tamen epistula Mercuriano tradita esse non videtur; neque enim is in litteris Canisio missis ullam eius fecit mentionem.

P. *Laurentius Magius* provinciae S. J. austriacae praepositus Vindobona 19. Maii 1576 cardinali Comensi *scripsit: Duos Patres, „viros eruditos et exercitatos“, ex collegio vindobonensi cum imperatrice „concionum causa“ Ratisbonam petituros esse (ex autogr., ad Mercurianum misso; Germ. 137 f. 37 [bis][a]. Advenerunt autem Ratisbonam 10. Iunii PP. Iacobus de Avellaneda S. J. hispanus et Franciscus Antonio S. J. lusitanus, hic Mariae uxoris Maximiliani II. imperatoris contionator, ille Francisci Mendozae de Monteagudo (oratoris hispani) theologus et confessarius. Atque *Avellaneda* Mercuriano Ratisbona 14. Iunii 1576 *scripsit: „Venimos el Padre Francisco antonio y yo con nuestros compañeros y llegados a esta ciubdad no hallando posada commoda en algun monesterio como deseauamos l abuimos de tomar en casa de vn clerigo virtuoso capellan del obispo de aqui[1] que casi no lo vemos sino quando viene a dormir“. Et *Antonio* (de quo *Can.* IV 4) Ratisbona 6. Iulii 1576 ad eundem haec *rettulit: „P. Auellaneda et ego ... venimus huc sani et jncolumes, Deo laus, ad festum Pontecostes: et in priuatis aedibus cuiusdam boni sacerdotis, soli degimus cum nostris socijs, et clausa janua, affixoque tintinnabulo, a regulis nostris, et Collegij consuetudinibus, quantum Diuina gratia concedit, minime recedimus, habitamusque vnius moris in domo[2]. Et hisce diebus, R. P. Canisius, cum socio, nobis adjunctus est, jta vt pene Collegiolum iam efficiamus“. Ratisbona autem 21. Iulii 1576 *Avellaneda* Mercuriano *scripsit: „El Padre Canisio llego aqui y aunque el cardenal y el nuncio[3] estauan con miedo de algunas informaciones por lado del Emperador con el etc.[4] pidiendome el Padre parecer de lo que haria, por algunas premisas que tenia yo me pareció in domino que pues ya era venido aqui que no se fuese, y ansi ala emperatriz como al marques[5] les parecio che le auia aconsejado bien y espero en nuestro Señor que d' esta vez se a de quitar este nublado o imaginacion entre el emperador y este buen padre guiandolo nuestro señor por los dos personajes que digo y de su quedada se ven ya frutos asi en confesiones hechas que tiene como che desde mañana comiença a predicar, y pidiendole yo licencia al Señor cardenal la dió con alegria en señal que ha perdido el miedo que le auian puesto“ (ex autographis; Germ. 137 f. 178[b] 179[a] 180[b]).

---

[1] Davidis Kölderer de Burgstall. [2] Ps 67, 7.

[3] Ioannes Moronus a Gregorio XIII. ad Maximilianum II. legatus et Ioannes Delphinus apostolicus apud eundem nuntius. [4] De hac re v. supra p. 340.

[5] Francisco Mendozae, comiti de Monteagudo, qui paulo ante marchio de Almazan a Philippo II., creatus erat.

Die igitur 22. Iulii 1576, quae erat Dominica VI. post Pentecosten, Canisius contionandi munere, quod „sibi imponi passus erat", fungi coepit. Exstat autem (Can. 27 f. 123b—130a) *commentarium contionis ea ipsa Dominica habitae idque a Canisio homini ignoto dictatum et ipsius manu recognitum; cui contioni neque locus neque annus ascriptus est; ex ipsis tamen Canisii verbis intellegitur, eum hac contione contionatoris officium alicubi auspicatum esse; neque aliud auspicium, cui haec congruant, occurrit, nisi hoc ratisbonense.

Evangelium diei explicans *Canisius* sperare se ait, „daß niemandt mir werdet zum argesten ausslegen, dass ich auss der heiligen gehorsam, mich mit disem schweren predigampt beladen lasse vnd also anfahe, in diesem weingart dess herren zuarbeiten · geschicht solches warlich nit auss einiger [?] vermessenheit, ehrgeitz, oder freuel · sondern dieweil solchs von mir ernstlich erfordert wirdt, vnd ich mich auch schuldig erkenne, die Christliche lieb, vnd dreie, meinen nechsten zubeweisen · auch vmb sunst zu geben, wass ich vmb sunst von dem almechtigen empfangen hab [Mt. 10, 8]. Jst aber noch ein mangel do, der schwachen stimmen, vnd vnuolkomenen sprach halben, so hapt ir euch noch zu erinnern dises göttlichen beuelchs, estote misericordes [Lc 6, 36], vnd damit euer barmhertzigkeit volkomen werde bitt ich dass ir mit euer andacht gegen gott erstattet, wass meiner geringheit abgehet · gott gebe vnss ein seligen anfang vnd gedeien, mir gottes wort dreilich furzutragen, vnd euch dasselbig fruchtbarlich zuhören" etc. Canisium in eo officio usque ad d. 18. Augusti perstitisse constat ex eius litteris eo die datis (v. infra p. 367); atque verisimillimum est, eum in eodem perseverasse, quamdiu Ratisbonae manebat; abiit autem inter d. 21. et 30. Septembris 1576 (de qua re infra). Orationes igitur sacras habuisse videtur Dominicis post Pentecosten VI.—XIV. vel XV., qui erant dies 22. et 29. Iulii; 5., 12., 19., 26. Augusti, 2., 9., 16., 23. (?) Septembris, diebus Assumptionis et Nativitatis B. Mariae Virginis sive 15. Augusti et 8. Septembris, diebus festis SS. Iacobi maioris, Laurentii [1], Bartholomaei, Matthaei, Michaelis (?) sive 25. Iulii, 10. et 24. Augusti, 21. et 29. (?) Septembris.

Qua in ecclesia Canisius dixerit, nullibi reperio commemoratum. In templone cathedrali? Ibi a m. Decembri 1556 usque ad Martium 1557 tempore comitiorum imperii multas orationes habuerat (*Can.* II 34 40 82 789). An in ecclesia parochiali S. Udalrici prope cathedralem sita? An in templo S. Emmerami, quod erat Benedictinorum? In „***Historia* Collegij Societatis Iesv Ratisponae" sub a. 1639 scripta et ad praepositum generalem missa narratur: „Anno 1575 hic fuit P. Paulus Hoffeus, a Serenissimo Alberto V. Boiariae Duce adductus, cui ad S. Emmerami a sacris Concionibus fuit". (Cod. G. Sup. 95 f. 148a).

Moronus cardinali Comensi scripsit 19. Iulii 1576: Se Doctori Christophoro Fabro cancellario moguntino et Doctori Iacobo Wimpheling cancellario treverensi, viris egregiis, pontificis nomine centena scutata danda curasse; aliis quoque aliquibus se pecuniam, sed fortasse minorem, dare velle, „et ne daró ancora ad alcuni di questi, che sono theologhi, che sono qui, come dire il Canisio, et certi altri Iesuiti, i quali laborant in uinea Domini [2], et mi par bene, et sia il douere per incitarli tanto piu, usarli qualche honesta cortesia." Et Ratisbona 30. Septembris 1576 de Canisio: „L' ho souenuto continuamente nelli suoi bisogni" (ex epistulis archetypis, quae sunt in archivo vaticano, Nunz. di Germ. 96 f. 177—181 222—224; etiam apud *Hansen*, Nunt. II 91 163).

Canisius gratia et auctoritate, qua apud Moronum florebat, usus est etiam ad commendandum Ioannem Stempelium, sodalitatis Beatae Mariae Virginis Coloniae in Societatis collegio institutae (de qua plura infra) praefectum, de quo Bartholo-

---

[1] Fortasse ad hunc annum et hanc contionum seriem pertinet *oratio „In die S. Laurentij", quam Canisius proxime post orationem, quam modo dixi, sua manu in codice scripsit (Can. 27 f. 130a—131a).

[2] Cf. Mt 20, 1—16; 21, 28—41 etc.

maeus Portia nuntius apostolicus Colonia 15. Iulii 1577 cardinali Comensi scribens testatus est, eum virum pietatis singularis esse et ex urbis goudanae (Gouda) consule magnos reditus habente per Geusiorum tumultus turbasque exsulem pauperemque effectum ac multis suis liberis alendis vix esse parem (*Hansen*, Nunt. I 138). Sic enim *Stempelius* Everardo Mercuriano Societatis praeposito generali Colonia 27. Iunii 1577 *scripsit: „Scripsi aliquando T. R. P. de filio meo Cornelio Stempelio, bonae spei adolescente, studioso in Collegio vestro Coloniensi, cui me viuo prospectum venire cuperem de aliquo Ecclesiastico beneficio. Rescripsit T. R. P. Consulis Goudani negotium se serio commendasse, et commendari de integro apud S. D. N. curaturam etc. quo mihi gratius nihil esse potuit, et T. R. P. gratias quam possum ago maximas. Commendauit causam atque afflictionem nostram Reuerendus P. Canisius Illustrissimo Card. Morono in comitijs Ratisponensibus. Sperarem, si vel aliqua accederet etiam T. R. P. commendatio, nos facile obtenturos quod tantopere desideramus". Neque haec spes erat vana. Nam idem *Stempelius* Mercuriano *scripsit Colonia 20. Ianuarii 1578: „Gaudeo filio meo Cornelio Stempelio ad intercessionem V. P. gratiam esse factam per S. D. N. ad primam vacaturam alicuius Ecclesiastici beneficij." Et *Colonia 31. Maii 1579: Summus Pontifex „prouisione gratuita", cum „vnum tantum expectarem beneficium", „contulit nobis duas praebendas" (ex autographis; Germ. 138 f. 9^a; Germ. 156 f. 248^a; Germ. 157 f. 236^a). Aliunde autem constat, unum ex Stempelii filiis a. 1583 Coloniae canonicum ecclesiae SS. Apostolorum fuisse (*Hansen* l. c. I 625).

Alia ratione Canisius Ratisbonae adiuvit Ioannem Ertlin sulzdorfiensem, qui Ingolstadii a. 1579 doctor theologiae creatus est et Forchhemii (Forchheim in Franconia) canonicus et contionator fuit (*Mederer* l. c. I 303; II 52 54); collegii enim ingolstadiensis **Historia* haec habet in a. 1576: „Ante Christi natalem nobiscum vixit D. Ertlinus Theologiae Licentiatus, et concionator Eystettensis, vtpote bonam, et vtilem nauans operam spiritualibus exercitijs, quorum vsum illi P. Canisius Ratisbonae commendarat, quaeque P. Rastellus illi tradidit" (Cod. eystett. „Hist. coll. Ing." p. 40).

Ex epistulis modo positis cognoscitur, corrigenda esse ea, quae scripsit *Boero*: „Al primo cenno, che il P. Canisio ebbe della volontà del Pontefice, lasciò incontanente quanto aveva tra le mani, e andò a Ratisbona. Trovovvi il P. Avellaneda ... e il P. Francesco Antoni.... Non volle per verun conto abitare col Cardinal Legato, nè in altra corte di principi; anzi trasse à se i due compagni, e prese con essi alloggiamento nella casa di un buon sacerdote" (Can. 359—360). Boerium hac in narratione secutus est *Garcia* l. c. 290.

1956. CANISIUS **P. THEODORICO CANISIO S. J.**, rectori collegii universitatisque dilinganae. Ratisbona sub 26. Iulii 1576.

Ex Theodorici Canisii litteris autographis. Germ. 137 f. 111.

P. Theodoricus Canisius Mercuriano praeposito generali Dilinga 3. Augusti 1576 scripsit: „Scribit ad me Ratisbona R. P. Canisius, impetratum esse a Reuerendissimo nostro Augustano, per Nuncium Apostolicum Delphinum, vt quotannis huic Collegio pendat ex mensa Episcopali 200 ducadi d'oro [1]. *Promisisse etiam Reuerendissimum Legatum, quod Romae causam huius Collegij aget diligenter."*

Die 8. Iulii 1576 *Theodoricus* de Marquardo a Berg episcopo haec ad Mercurianum *rettulit: „Cum ab eo eleemosinam petiuissemus, Collegij paupertate explicata: mihi ad se vocato liberaliter in manus dedit 100 coronatos francicos in auro, dicens, non eleemosinae sed mercedis nomine eos nobis a se dari, quamuis non

[1] Hi fere aequabant 300 florenos; v. *Can.* V 107—108.

ex Episcopatus huius, sed proprijs bonis: Dignum enim esse operarium mercede sua[1]. Addidit graue sibi esse in his initijs magnos sumptus facere: optare proinde se, vt Summus Pontifex sicut alibi, ita et hoc loco subsidij aliquid conferat saltem ad triennium, vel quadriennium: sperare enim se, Episcopatus res interea meliori loco futuras" (ex autogr., Germ. 137 f. 104[a]). Roma autem cardinalis *Comensis* iam 5. Mai 1576 cardinalem Moronum monuerat, ut in comitiis Marquardo collegium dilinganum commendaret. Moroni igitur mandatu Ioannes Delphinus nuntius apostolicus Ratisbonae sub d. 26. Iulii episcopum adiit; qui respondit, propter ingens illud aes alienum, quibus episcopatus suus gravaretur, proximis quattuor vel quinque annis fieri non posse, ut collegio 400 illi ducati annui, qui ex mensa episcopali ei provenissent, penderentur; Delphinus tamen eo eum adduxit, ut se illis annis dimidiam eius pecuniae partem soluturum promitteret; addidit Delphinus se apud pontificem, legatum, alios effecturum esse, ut ne reliqua quidem pecunia collegio deesset (*Hansen*, Nunt. II 31 99; *Schellhass*, Nunt. V 431 502—503). *Theodoricus Canisius* *Mercuriano 18. Iulii 1577: „Reuerendissimus ... pergit soluere trecentos sicut anno superiore ... promisit" (ex autogr.; Germ. 138 f. 104[b]).

1957. CANISIUS cardinali **IOANNI MORONO** episcopo ostiensi, Gregorii XIII. in comitiis ratisbonensibus legato.

Ratisbona circa 26. Iulii 1576.

Ex Moroni litteris archetypis, quae sunt in archivo vaticano, Nunziat. di Germ. 96, f. 182—185. Litteras ex eodem archetypo edidit *Hansen*, Nunt. II 96—100.

Privilegium typographicum petit.

Cardinalis Ioannes Moronus, Gregorii XIII. in comitiis imperii ratisbonensibus, legatus, cui Canisius tunc aderat theologus, Ratisbona 26. Iulii 1576 cardinali Comensi scripsit: „Le mando ancor io qui alligato un memoriale del Padre canisio per hauer da N. Signore un priuilegio di poter per X anni far stampar alcune opere di molta importantia, et utili al presente tempo, come V. S. Illustrissima uederà per detto memoriale; la prego uoglia far lo spedire, se a S. Santità piacerá, et mandarlo quanto prima."

Canisii commentarius perisse videtur; de quo cardinalis *Comensis* Roma 25. Augusti 1576 Morono respondit: „La gratia per il padre Canisio si farà espedire, cioè per li libri che hora sono in essere et che sono nominati nel memoriale, et attendano pur quei padri a far de i libri assai, che non si mancherà di dar il medesimo privilegio ancor per li altri, quando saranno fatti" (*Hansen* l. c. 137). Deinde *Moronus* cardinali Comensi scripsit Ratisbona 21. Septembris 1576, pridie eius diei cum eius litteris Kalendis Semptembribus datis sibi allatum esse Breve in Canisii gratiam concessum (*Hansen* l. c. 150); et Ratisbona 30. Septembris 1576: „Hó dato il breue della stampa al Padre Canisio, il quale hó lasciato andare ad Jngolstadio, perche fa stampare il suo libro in defensione della gloriosa Vergine Madre di Dio" (ex archetypo, quod est in archivo vaticano l. c. f. 222—224; etiam apud *Hansen* l. c. 162—163). Ipsum autem *Breve a *Gregorio XIII.* Roma 28. Augusti 1576 ad Davidem Sartorium typographum ingolstadiensem datum est: Pontifex excommunicatione aliisque poenis propositis cavet, „ne quis in Christiano orbe" neve Concilium Ephesinum a *Theodoro Peltano* S. J. „ex veterum monumentis ut nunquam antea locupletatum", neve Concilium Nicaenum primum, per *Alphonsum Pisanum* S. J., „quoad fieri potuit, collectum et restitutum", neve „etiam opus novum de Virgine Deipara contra haereticos conscriptum a *Petro Canisio*", dummodo tria haec opera „prius per Inquisitorem istarum partium recognita et revisa

[1] Lc 10, 7; 1 Tim 5, 18 etc.

sint", a Sartorio „impressa vel imprimenda per decennium post illorum impressionem" sine eiusdem Sartorii licentia imprimere vel alibi excusum vendere possit. Brevi Caesar Glorierius, secretarius „brevium apostolicorum" (*Törne* l. c. 125), nomen subscripsit (ex apographo recenti eoque exscripto ex Brevis apographo illorum temporum aequali, quod exstat Romae in „archivo Brevium" vaticano, Registr. Greg. XIII., in a. 1576).

1958. CANISIUS **BALTHASARI A DERNBACH,** O. S. B., abbati principique fuldensi.

Ratisbona inter medium fere Iulium et medium Augustum 1576.

Ex litteris autographis, de quibus infra, ep. 1962.

Canisius Ratisbona 18. Augusti 1576 Everardo Mercuriano praeposito generali Societatis scripsit: „Orandus plane Christus est, qui Fuldensium rebus uehementer afflictis praesentem opem ferat. Sum consolatus Abbatem per literas, admonui quoque nostros, saepeque de hac tempestate sedanda tracto."

Balthasar abbas princepsque religionem catholicam in terra sua diligenter instaurabat, concubinatum aliaque vitia serio exstirpabat, antiqua iura principum fuldensium acriter tuebatur. Societatem, cui collegium Fuldae condiderat, magnopere fovebat (cf. supra p. 50); quibus rebus multorum in se odia concitabat; quare capitulum, nobilitas, fuldensis duaeque aliae urbes, principibus aliquot protestantibus favorem praestantibus, cum Iulio Echter episcopo principe herbipolensi, quem sub specie pietatis ambitio quaedam tenebat, contra Balthasarem coniuraverunt; cui Hammelburgi moranti, P. Petro Loppersio S. J. confessario eius in custodiam dato, vim intulerunt adeo, ut 23. Iunii 1576 litteras, quibus Iulio rerum omnium administratio tradebatur, subscriberet; cives deinde fuldenses ministrum lutheranum arcessivere; Balthasar vero ex arce, in qua custodiebatur, 12. Iulii in terram archiepiscopi moguntini imperio subiectam aufugit. Ac Maximilianus quidem imperator iam 28. Iunii mandavit, ut abbas in sedem potestatemque pristinam restitueretur; at Iulio tergiversante et Alberto V. Bavariae duce ad tempus eum adiuvante imperator controversiam ad ordines imperii detulit. Interea et Moronus legatus, et Delphinus nuntius apostolicus, et ab his de ea re certior factus Gregorius XIII. abbatis patrocinium susceperunt (*Theiner*, Ann. II, in a. 1576 n. XXXIX; [G. J. *Komp*,] Fürstabt Balthasar von Fulda und die Stifts-Rebellion von 1576, in „Historisch-politische Blätter" LVI, 8—26 106—133 187—189; *Egloffstein* l. c. 31—49; *Hansen*, Nunt. II 62 66 94 114 118 122 131; *Schannat*, Dioecesis Fuldensis 10—12).

Ratisbona 29. Augusti 1576 *Moronus* cardinali Comensi scripsit: „Per le cose di Fulda hieri mandai monsignor Nicolò Elgardo al vescovo di Herbipoli con l' instruttione et lettera, che V. S. Illustrissima vederà qui allegate, le quali consultai con li signori nuntii [1] et con li miei di casa et con il Canisio et l' istesso Elgardo, et furno fatte da messer Silvio nostro" [2] (*Hansen*, Nunt. II 140—141).

1959. CANISIUS **P. OSWALDO REDLING S. J.** rectori collegii fuldensis.

Ratisbona inter medium fere Iulium et medium Augustum 1576.

Vide epistulam 1958.

---

[1] Delphino et Portia; hic 24. Iunii Ratisbonam advenerat (*Hansen* l. c. 61).
[2] A Silvio Galasso „auditore" cardinalis (*Hansen* l. c. 141).

1960. EVERARDUS MERCURIANUS praepositus generalis Societatis Iesu CANISIO.

Roma 29. Iulii 1576.

Ex apographo eiusdem temp. vel commentario; in margine, manu librarii: „Ratisbonae P. Petro Canisio"; in margine „postscripti", eadem manu: „Ad P. Canisium postscripta". G. Sup. 1 f. 46[b].

Praefatio editoris. Quae Mercuriano huius epistulae ad Canisium dandae praecipua fuerit causa, accurate, quo melius epistulae vis cognosci possit, explicetur oportet. Romae Congregatio cardinalium germanica decrevit 4. Ianuarii 1576: Ratisbonae „Nuntius tempore dietae curabit, scholam erigi sub patribus Iesuitis": et 29. Maii 1576: Collegio illi „monasterium Scotorum propositum ab Illustrissimo cardinali Madrutio ex litteris ducis Bavariae valde aptum iudicatur, dummodo aliquid detur Scotis, celandum tamen hoc consilium et eius executionem differendam post celebrationem dietae imperialis" (*Schwarz*, Gut. 113 116). Cardinalis igitur Comensis cardinali Morono, Gregorii XIII. in comitiis imperii ratisbonensibus legato, Roma 2. Iunii 1576 scripsit: Pontificem optare, ut Ratisbonae collegium Societatis institueretur; nec tamen ullum ex locis imperio urbis illius liberae subiectis Sociis concessum iri; totum enim urbis senatum esse lutheranum; ideo in conventu m. Octobri 1575 Ratisbonae regis Romanorum eligendi gratia habito Albertum V. ducem Ioanni Delphino episcopo torcellano et apostolico apud caesarem nuntio suasisse, ut in monasterio (S. Iacobi) Scotorum, ordinis benedictini, in quo unus tantum monachus superesset isque vitam agens parum honestam, collegium collocaretur: neque enim eum in locum ius urbi fore; et cum maior pars redituum illorum in Bavaria esset, ducem curaturum esse, ut illi iis traderentur, quos pontifex designasset. Addidit tamen cardinalis Comensis, redituum partem aliquam (ut 500 florenos ex 1500) Scotis in Flandria literis operam dantibus tribuendam fore (*Hansen*, Nunt. II 44). Cum autem sub ipsum hoc tempus monachus ille sive abbas mortuus esset, urbis senatus varia monasterii bona capessivit; et monasterium tum Augustinianus quidam, tum sacerdos quidam saecularis isque scotus, tum alii Scoti petiverunt (*Hansen* l. c. 72—74 77 98 100). Sed cardinalis Comensis 28. Iulii 1576 Moronum monuit: Pontificem vehementer cupere, ut abbatiae illius iam vacantis bona saltem illa, quae in Bavaria exstarent, Societatis essent, monasterio ipso cum reliquis bonis probo alicui sacerdoti nationis scoticae tributo (*Hansen* l. c. 101). Verumenimvero ad Mercurianum praepositum generalem P. *Franciscus Antonio S. J.* Mariae imperatricis contionator Ratisbona, ubi cum P. Iacobo Avellaneda S. J. oratoris hispani confessario et cum Canisio Moroni theologo degebat, 6. Iunii 1576 haec *rettulerat: „Nouerit R. P. V. esse in hac Ciuitate Monasterium Scotorum ordinis S. Benedicti, vacuum habitatore. Visum fuit P. Auellanedae, dum ego Jngolstadium animi gratia excurrissem, cum Jllustrissimo Cardinale Morono, agere de impetrando monasterio ad erigendum Societatis Collegium: suscepit Cardinalis rem cordi, maxime cum paulo post a Sanctissimo Domino Nostro, jdem sibi per literas fuisset commendatum. Agitur nunc serio de impetrando a Caesare monasterio, suppresso societatis nomine: Sed quia non desunt, et Scoti exules, et Jtali, qui illud expetant, P. Auellaneda nullum non mouet lapidem, vt Societati pro collegio erigendo, applicetur. Ego vero, etsi superiori anno, dum hic fuissem, jdem negotium primus mouissem et tentassem, quod magnam messem et jngentem fructum reportari posse, ex futuro collegio subolfecissem: re tamen maturius considerata, et cum R. P. Canisio collata, arbitramur multas esse difficultates quae erigendo et acceptando in hac jmperiali ciuitate collegio, jmpedimento esse possunt · quas cum longum foret recensere, cogitabamus vtile fore si R. P. V. mox P. Paulo Hoffaeo scriberet, vt hucusque excurreret, visurus et conspecturus omnia, et de ijs cum Jllustrissimo Legato, et alijs qui rem istam curant, tractaturus. Et in tempore ueniet a R. P. V. responsum, si mature mittatur, quia vsque ad aduentum Ducis Bauariae, sine cujus auxilio et jnteruentu, effici nil potest, supersedendum est in negotio. Js autem ad mensem

Augustum affuturus speratur. Jtaque praestolamur R. P. V. litteras, quibus nobis significet mentem suam" (ex autogr.; Germ. 137 f. 179[a]).

Sociis nihil agendum esse de monasterio Scotorum Societati dando. Fuldenses iuvandos esse. De procuratoribus. Ninianum Winzet valde commendat.

Vbi resciui ex P. Francisci Antonij litteris, isthic coeptum esse agi de monasterio quodam nobis attribuendo ad collegium erigendum, visum est scribere ad . r. t. eamque monere, vt ne sinat quicquam tale agi a nostris, quin eos potius ab huiusmodi consilio deterreat, vtpote quod nobis plus incommodi quam commodi afferre potest. Constat enim quam parum faciat ad aedificationem, vt nobis ipsi collegia ambiamus praesertim non sine aliorum incommodo. Deinde nihil a rationibus nostris magis alienum est quam vt Scotorum Reginae[1], aut omnino illi nationi vllam[a] offensionis ansam praebeamus. Quod si forte[b] summus Pontifex, aut Jllustrissimus Legatus aut alius aliquis existimat nostrorum collegium non fore Ratisbonae inutile, bene habet, ipsi procurent. Jta enim et suauius fiet, si tamen fiet, et sine vllo existimationis nostrae periculo. De afflictis Fuldensium rebus multa audimus in dies. Curet quaeso .r. t. pro sua prudentia, vt si qua ratione poterit, illis medeatur[2]. Jam dudum absoluta congregatione[3], et rebus omnib: fere confectis procuratores se comparant ad reditum et iam multi[c] profecti essent nisi immoderatus huius regionis aestus prohibuisset. Vale in Domino, carissime pater et, vt soles, pro nobis[d] diligenter ora. Romae .29. Julij .1576.

D. Theologiae Licentiatus Nenianus[4] Scotus homo est egregie et doctus et pius: jtem de ecclesia Catholica et scriptis et factis optime meritus. Js aspirat ad praefecturam monasterij cuiusdam Ratisbonensis. Quare velim ea in re commendatum habeas et quibuscunque reb: poteris iuues sic, vt ne nostram aliorumque multorum qui eum nobis commendarunt merito existimare possit commendationem vulgarem fuisse, praesertim cum in Societatem nostram ita animatus sit vt illi omnib. in reb. inuicem sit commodaturus.

Canisius Mercuriano respondit 18. Augusti 1576.

a) *Sequitur* prae, *oblitt.* b) *Sequuntur vv.* PP. aut, *oblitt.* c) *Sequuntur vv.* arripuissent iter, *oblitt.* d) *Sequitur* Deum d. *oblitt.*

---

[1] Mariae Stuartae. [2] Vide supra p. 355.

[3] Congregationem procuratorum dicit, qui ex singulis Societatis provinciis tertio quoque anno ad praepositum generalem mitti debent; v. infra, monum. 1200.

[4] Ninianus Winzet (1518–1592) ex Renfrew Scotiae ortus, a. 1540 sacerdotio initiatus, a. 1552 in urbem Linlithgow ad scholam regendam evocatus et ibidem ecclesiae collegiali S. Michaelis praepositus, a. 1562 Mariae Stuartae a sacris confessionibus fuit; eodem anno cum P. Nicolao Goudano S. J. Antverpiam profectus, postea per complures annos in universitate parisiensi „procuratorem nationis germanicae" egit; a. 1570–1571 iterum Mariae Stuartae operam praestitit; a. 1576 in universitate duacensi licentiatus theologiae creatus est, cum iam a. 1562 et 1563 adversus Ioannem Knoxum Edinburgi et Antverpiae tres libros (qui saeculo XIX. semel atque iterum recusi sunt) scotice scriptos edidisset et a. 1563 Vincentii Lirinensis Commonitorium scotice vertisset (*Alph. Bellesheim*, Ninian Winzet, Schotterabt in Regensburg, in „Historisch-politische Blätter" CIII 27–36; CVII 704–712).

1961. CANISIUS cardinali **IOANNI MORONO** episcopo ostiensi, Gregorii XIII. ad Maximilianum II. legato.

Ratisbona inter m. Iulium et Septembrem 1576.

Ex imagine photographica (A) archetypi (2°; pp. 10½), manu P. Francisci Antonii, ut videtur, scripti, quod exstat Romae in archivo vaticano, Arm. 64, VI f. 84a—89a. Praeterea huius commentarii apographum (B) saeculo, ut videtur, XVI. exeunte ex ipso archetypo factum exstat Mediolani in bibliotheca ambrosiana, Cod. „H. 179 p. inf." f. 135a—139a; de quo apographo plura sub ipsum hunc commentarium dicentur. Quem ex ipso archetypo typis exscripsit *Schwarz,* Gut. 57—65: cf. ibid. XLIX—L.

De iuvanda Germania in pontificem inoboedienti. Seminaria. Reformatio monasteriorum. Episcopi censuris solvendi. „Formula visitandi." „Examen ordinandorum." Refutatio librorum haereticorum. Facultates. Nuntii apostolici. Secretarius pro Germania. Electiones liberae. Condiciones episcopis confirmandis proponendae de ipsorum officio, fidei professione, sacramentorum administratione, haereticorum depulsione. Universitates. Principes libertatem ecclesiasticam violantes. Agendum cum archiepiscopis et caesare de coadiutoribus, contionatoribus etc.

†

Nonnulla Media quibus Germania hoc tempore iuuarj posset[a].

Inter alia mala quae post infaustum Lutheri Euangelium nunc in Germania grassantur illa sunt non postrema, quibus Catholicorum numerus imminuitur indies[b] et labefactatur, rerum videlicet Diuinarum et Ecclesiasticarum summa quaedam[c] ignoratio et pene contemptus: corrupti deinde[d] mores non laicorum modo, sed etiam totius Cleri, et eorum praecipue qui Praelati sunt[e] et Religiosi. Quae mala, praeter ipsam Haeresim, sic reliquias verae Ecclesiae tanquam apri de sylua[1] deuastant, vt nisi opportuno subueniatur remedio, de ijs retinendis vel Haereticis recuperandis actum esse videatur. Illud porro hanc plagam pene incurabilem reddit, quod Ecclesiastici et ipsorum Praelati, vix Ro. Ecclesiam omnium Ecclesiarum matrem ac Magistram agnoscere[2] vel audire uolunt siue docentem siue corripientem, cui si, ut par est, obtemperaret, fraternitas vniuersa[3] et ad eius vocem cuncta componerentur, corruerent profecto muri Hierichuntini[4] et fieret[f] victoria in Israel[5]. Verum etsi hoc vulnus adeo tanquam cancer

a) possit *B.* b) in dies *deest in B.* c) *Hoc v. in B. deest.* d) denique *B.* e) *Hoc v. deest in B.* f) foret *B.*

[1] Ps 79, 14.

[2] „Sanctam catholicam et apostolicam Romanam Ecclesiam omnium ecclesiarum matrem et magistram agnosco": Professio fidei *Tridentina.* „Romana Ecclesia . . . cunctorum fidelium mater est et magistra": Concilium *Lateranense IV* (1215), Decr. c. 2 (*Henr. Denzinger,* Enchiridion Symbolorum, Ed. XII, Friburgi Brisgoviae 1913, 192 329).

[3] *S. Cyprianus* S. Cornelio papae scribit (Epist. 59, alias 12, n. 5), uni illi Christi vicario oboediendum esse, „cui si secundum magisteria diuina obtemperaret fraternitas uniuersa, nemo aduersum sacerdotum collegium quicquam moueret" (S. Thasci Caecilii Cypriani Opera omnia, rec. *Guil. Hartel* I—II, Vindobonae 1868, 672; *Migne,* P. lat. III 829).

[4] Cf. Ios 6, 20; Hebr 11, 30. [5] Cf. 1 Mach 5, 59—62.

serpsit[a][1], ut uix admissurum uideatur medicinam[b]; nonnulla tamen quaerenda et tentanda[c] sunt remedia, quibus tot ac tantis malis obuiam iri possit, vt euulsis zizanijs, crescat et colligatur fructus vberrimus in horrea Domini recondendus[2]. Ex ijs uero illa tantum breuissime attingam, quae quia[d] faciliora sunt, libentius forsan admittentur, et suo tandem[e] tempore fructum plurimum afferent[f].

.1.[g] Primum et praesentius remedium illud erit, quo iam Sanctissimus Dominus Noster uti coepit: nempe ut Iuuentutem Germanicam bene et sancte institui curet in varijs seminarijs suo sumptu extruendis et quamuis ad hoc efficiendum, plurimum conducat erectum Romae Germanicum Collegium[3]: quia tamen maiores ibi fiunt expensae, multique coeli inclementiam non ferentes aegrotant passim, et quaedam ali[a][h] depraehenduntur incommoda; longe consultius fore videtur si retento Romae minori Germanorum numero, plura in ipsa Germania erigi curaret Sum. Pontifex seminaria · multo enim plures studiosi ali poterunt, multoque facilius in omni pietate instituent[ur,] et in literis maiores facient breuiori tempore progressus, et nomen Apostolicae Sedis magis magisque in Germania diuulgabitur et honori erit. Prodibunt sane ex eiusmodi seminarijs non docti modo, sed etiam in omni disciplinarum genere probe instructi adolescentes: quo fiet vt et ignorantia procul pellatur et ventris cura, ac ea quae sub ventre sunt, et reliqua inde promanantia mala prorsus exulent · quibus sublatis quid non boni sperare licebit in Germania? vel tenellae ipsae plantulae V[i]ennensis Seminarij testimonio esse possunt[4].

.2. Alterum remedium est, ut cum Germaniae Praelatis de simili[um] Collegiorum erectione agat Sanctissimus donec tandem aliquid effic[i]at. Quod si integra seminaria nequeunt, vel recusant Praelat[i] instituere, quisque saltem octo, decem, pluresue aut pauciores in Summi Pontificis Seminarijs alat studiosos: qui praeter Theologiam Scholasticam et huius temporis articulos controuersos, quae ad conscientiae casus pertinent, quorum summa est ign[o]rantia, maxime

a) serpit *B.* b) medicinam admissurum uideatur *B.* c) tenenda *B.* d) quod *B.* e) *Hoc v. deest in B.* f) afferet *B.* g) *In A et hic numerus et numeri sequentes in marginibus positi sunt; qui in B desiderantur.* h) *Supplevi ex B et hanc litteram et reliquas, quae infra uncis quadratis sunt inclusae. Reliquis lectionibus variantibus apographi B ponendis supersederi posse videtur; ex iis enim, quae hic positae sunt, cognosci satis potest, quale sit apographum illud.*

---

[1] 2 Tim 2, 17. [2] Cf. Mt 13, 24—30.

[3] *Petrus Pollius* sive van den Poll, cathedralis ecclesiae ruraemundanae decanus et episcopi ruraemundani vicarius generalis, in testamento (cuius apographum antiquum exstat Ruraemundae [Roermond] in archivo dioecesano, Portef. 56, n. III. 3) testatur, se in collegium germanicum admissum esse „door recommandatie van Petro Canisio". De Pollii pietate v. *H. van Krugten* C. SS. R., Onze Lieve Vrouw in 't Zand, Roermond [1877], 53—54.

[4] Pontificium hoc seminarium initio a. 1574 a Gregorio XIII. pro 25 alumnis conditum et Societatis curae traditum erat; quod secuta sunt alia eiusdem generis seminaria: 1578 graecense et braunsbergense, 1584 fuldense, 1585 dilinganum (*Duhr*, Jes. I 300—309).

edoceantur · morum quoque praecipua habeatur cura, et ut crapula, multorum malorum in Germania caput, et origo eliminetur . nam praua vita cum doctrina coniuncta, quas non solet tragoedias excitare et monstra parere?

.3. Aliud remedium erit ut Religiosorum virorum coenobia, a quibus deordinatis sicut mala multa proueniunt, ita a bene ordinatis innumera bona prodirent, ad pristinam institutionem reducerentur et reformarentur. Sed ad id perficiendum, maxime in tanta temporum ac rerum perturbatione hoc opus hic labor est[1]. Posset quidem in aliqua Germaniae prouincia missis aliunde viris sanctitate conspicuis, cum Principum temporalium consensu et interuentu ea reformatio institui. Praeterea non omnino abs re foret, si alumnis Seminariorum non solum potestas fieret, sed etiam nonnullis caute et prudenter calcar adderetur ad ingrediendam Religionem. Cum enim Seminarijs bene instituti et educati egredientur, facile ea monasteria, quae ingressi fuerint, si non mox, saltem successu temporis reformabuntur. Et hoc uidetur etiam satis efficax remedium, sicut iam ex parte docuit experientia.

.4. Quoniam Episcoporum plurimi multis sunt, ob sacrorum Canonum ignorantiam, censuris ecclesiasticis irretiti (ut interim omittam, quod illorum bona pars non per ostium, sed aliunde[2] ingressi sunt: quibuscum difficile agi peterit, ut resipiscant a Diaboli laqueis[3]) peropportunum esset, si Sum. Pontifex uel ipsos semel ab omni prorsus censura absolueret: uel saltem (· quia in easdem mox relabuntur) statueret quid illis sit faciendum, qui aut sacris initiari, aut alia Sacramenta ab eo nolunt suscipere Episcopo, quem norunt censuris irretitum ne et ipsi ijsdem vinculis constringantur[4].

.5. Plurimi sunt (maxime in Austria, et Regno Bohemiae) Religionum Abbates ac Praepositi, qui nec unquam Monachi fuerunt, nec legitime electi; sed saeculares cum sint, a Principe seculari intruduntur, et mox specie quadam religiosi habitus effecta professionem eodem die emittunt, nec ullam a Sede Apostolica uel petunt, uel impetrant confirmationem seu dispensationem. Quo fit, ut et Principes maiorem reddituum partem emungant, et sic intrusi tanquam seculares prorsus

[1] „Sed revocare gradum superasque evadere ad auras, Hoc opus, hic labor est“ : *Vergilius,* Aen. l. 6, v. 128 129.

[2] Io 10, 1 2. [3] 2 Tim 2, 26.

[4] Quod P. Hieronymus Natalis insignis ille Societatis visitator de Canisio notabat: eum de sodalibus „fere tristia scribere“ eaque in re paene „nimium esse“ (cf. *Can.* V xxxvi), id fortasse quis haud ita perperam de hoc quoque capite, quod de episcopis Germaniae est, senserit. Complures enim, nisi fallor, leges, quae iure ecclesiae communi, propositis excommunicationis, suspensionis, interdicti etc. poenis, inculcabantur, in Germania vel legitima consuetudine abolitae erant vel propter temporum iniquitatem observari non poterant; complures quoque ex episcopis illis excusabantur ignorantia, quae vel culpa vacabat vel saltem non erat adeo crassa, ut propter eam gravissimis illis poenis eximi non possent.

uiuant et sibi subditos, ut libet, uiuere permittant, et tot oriantur scandala, quot recensere uix est possibile. An non consultum foret si Sanctissimus D. N. cum Principibus illis ageret, ut deinceps ab eiusmodi electionibus abstinerent: uel saltem praesentatio illis tantum concederetur seruatis seruandis maxime a concilio Tridentino requisitis[1].

.6. Raro Episcopi suas uisitant Dioeceses, rarissime ex uisitatione aliquid fructus decerpitur. Id uero uel inde prouenit, quod, quae corrigenda, quaeue statuenda sint, ignorent: uel quod industria cum magnanimitate coniuncta, ad exequenda, quae opportuna sunt, in eis desideretur. Optimum igitur esset si Sum. Pontifex ea de re cum aliquot saltem Episcopis ageret, et uiros doctos in hoc uisitandi munere exercitatos, zelo Dei[2] plenos, et uitae integritate conspicuos deligeret, qui accepta ab ipso Pontifice potestate ad dispensandum in multis, simul cum Episcopis, uel eorum Vicarijs Dioeceses et Monasteria etiam, si fieri posset, uisitarent, et abusus, qui irrepserunt, tollerent, atque abolitas sanctas consuetudines et ritus tam circa habitum et tonsuram clericorum ac templorum cultum, quam circa Missae celebrationem, et Sacramentorum administrationem restituerent · sic enim fiet, ut ab istis semel uisitandi Dioeceses percepta Methodo, facile deinceps eaedem saepius uisitationes cum fructu instituantur. Ad quem effectum summopere conduceret, si Summi Pontificis iussu, formula aliqua siue modus uisitandi Dioeceses breuiter conscriberetur, et ad singulos Germaniae Episcopos transmitteretur. Verum ad praedictam Visitationem instituendam et formulam conscribendam, opus erit prius a peritis et expertis plenam capere informationem de perniciosis abusibus, qui in Religiones et in Clerum irrepserunt: quos omnes enumerare non est facile.

.7. Maxima inde damna, et incommoda oriuntur, quod passim nullo fere habito delectu ad sacros ordines et parochiale ministerium indigni prorsus assumuntur et promouentur. Id uero et penuria facit ministrorum et Praelatorum ingens ignorantia atque negligentia. Priori autem radici occurrent facile seminaria erigenda: posterior uero tolletur, si Sanctissimi D. N. iussu examen ordinandorum et eorum qui Parochijs sunt praeficiendi edatur et singulis mittatur Episcopis.

.8. Quia e Synagoga Sathanae[3] multos quotidie prodire cernimus, qui suis scriptis uirulentis miseram plebeculam dementant,

---

[1] Monasteria, ait Concilium Tridentinum, „quae in posterum vacabunt, nonnisi regularibus spectatae virtutis et sanctitatis conferantur. Quoad ea vero monasteria quae capita sunt ac primates ordinum, sive abbatiae, sive prioratus filiae illorum capitum nuncupantur, teneantur illi qui in praesenti ea in commendam obtinent, nisi sit eis de regulari successore provisum, infra sex menses religionem illorum ordinum propriam solemniter profiteri, aut iis cedere; alias commendae praedictae ipso iure vacare censeantur“: Sess. 25 de regul. c. 21. De ratione autem praesentandi eadem synodus multa constituit Sess. 25, c. 9 de ref.

[2] 1 Mach 2, 54; cf. Ps 68, 10; Io 2, 17. [3] Apc 2, 9; 3, 9.

conferret plurimum, si a Sede Apostolica viri aliquot insignes deligerentur, quibus id curae esset, ut eos Haereticorum libros, qui maiorem afferunt perniciem, confutarent, et maxime Caluini Institutiones[1], atque Kemnitij censuram Concilij Tridentini[2] primo quoque tempore neruose oppugnarent. Ad hunc autem effectum aliquam a Summo Pontifice erigi uel designari Typographiam conueniens esset.

.9. Tam frequentes sunt, qui in censuras et casus Sedi Apostolicae reseruatos incurrant, ut uix iam uel veniale peccatum reputetur[3]. Cumque perdifficile sit eos ad Sedem Apostolicam (a qua non parum interdum abhorrent uel abalienati sunt) pro impetranda absolutione uel dispensatione remittere: ut multorum animabus, qui nondum obedientiae iugum excusserunt, consulatur, duo uidentur remedia apprime necessaria. Alterum est, ut Nuntij Apostolici, qui ad Caesares mittuntur, viri sint docti in controuersijs, ac latina lingua plus quam mediocriter uersati, prudentes, mites, zelosi, vitae inculpatae, et ab omni auaritiae spetie abstinentes: quibus amplae concedantur facultates ad absoluendum et dispensandum et cum potestate subdelegandi. Alterum, ut quoniam difficillimum et pene impossibile est hominibus istis persuadere, ut si non Romam, saltem ad Nuntium Apostolicum se conferant sicubi indigent; oporteret Sum. Pon[t.] aliquot in diuersis Germaniae Prouintijs habere Nuntios viros probos et doctos, quibus etiam posset tuto uarias facultates concedere, et concederet. Nam Episcopis, qui summa harum rerum laborant ignorantia (ut alia taceantur) eas facultates largiri non esset dispensare, sed dissipare.

.10. Non facile quiuis assequi uel compraehendere potest Germaniae miserum statum et necessitates, nisi qui eas suis oculis uidet et longa experientia didicit. Quare ut multa vtiliter decernantur et Germanica negotia ad Sedem Apostolicam delata maturius et commodius expediantur, operaepretium foret, si Summus Pont. e Collegio Cardinalium aliquem Germanicarum rerum peritum in Secretarium pro rebus et causis Septentrionalibus sibi deligeret: ad quem tam Nuntij Apostolici quam alij particulares pro re nata scriberent et recurrerent, celeremque vrgentium negotiorum expeditionem impetrarent, ne tam diu a Secretario multis alijs rebus occupato satis, responsum magna cum iactura expectare cogantur.

Appendix.

Pontifex Max. cui permultum debet Germania, optime porro de illa meriturus uidebitur, si pergat, ut dictum est, non pauciores quam tres Nuntios Apostolicos in illa fouere, quorum sane usus permagnus esse potest ad dormientes passim Episcopos e graui somno excitandos, et ad Catholicos etiam Principes in officio fidei confirmandos. Vellent

---

[1] „Institutio religionis christianae", praecipuum ex Ioannis Calvini operibus, ab eo primum a. 1536, postremum 1559 editum.

[2] Vide supra p. 228. [3] Cf. tamen supra, p. 360[4].

quidem ijdem Episcopi et Principes eiusdem Nationis Nuntios magis ad se mitti, partim, ut sua consilia et sensa illis Germanice potius, quam Latine explicarent, multi enim Latine loqui aegre possunt, partim quod alterius nationis hominibus minus fidere soleant. Sed paulatim fortasse fiet, ut e Germanis etiam secreti saltem Nuntij circumcursitent[1], aut alijs Nuntijs adhibeantur.

Praecipue laborandum videtur in sanandis morbis omnium grauissimis, qui ex Cathedralibus Ecclesijs ad clerum omnem Germanicum ui magna redundant. Nisi hic plurimorum malorum fons obstruatur, spes omnis ablata est bonos Episcopos et Praelatos in Germania instituendi, quos ex corruptissima nobilitate nunc eligi necesse est.

Sunt qui putent Apostolicae Sedi iustiores causas praeberi ad reuocanda, quam ad concessa prius priuilegia Germanicae nobilitati in dictis Ecclesijs[2], quae totum Clerum uulgo reddunt exosum, et intolerabilem licentiam sibi sumunt, dum Canonici perinde ac seculi milites, sine omni disciplina et honestate uagantur, et infinita passim creant offendicula.

Quod si temporum iniquitas prohibet hos in Ecclesijs nobiles, uel tolli, uel reformari, saltem extrema necessitas postulat rationem adhiberi, ut posthac nobiles Haeretici in Cathedrales huiusmodi Ecclesias non recipiantur, utque recepti nullam uocem actiuam uel passiuam habeant in electionibus Praelatorum. Ad quam rem efficiendam consilio tum Caes. Maiestatis tum Archiepiscoporum opus esse uidetur.

Multum etiam ad bonam Praelatorum electionem conferet, si ea posthac sit libera et canonica, nec impediatur statutis et pactis, quae in Cathedralibus Ecclesijs nimium usitata et ualde perniciosa sunt, ut illis quasi uinculis manus Episcoporum foede ligentur, et in uisitandi reformandique officio saepe multumque impediantur.

Rursus operae pretium esset leges praescribi Nobilibus istis de conditionibus eligendorum Praelatorum, ut sciant Romae non esse confirmandos in posterum, nisi qui iuxta praescriptam formulam legitime fuerint electi. Summa enim electorum imperitia est in his, quae ad Canones omnemque disciplinam Ecclesiasticam spectant.

Electi primum Praelati, qui ex corrupta, ut dictum est, nobilitate assumi solent, plurium quam Canonicorum testimonio comprobandi uidentur, priusquam illorum Electio in Vrbe confirmetur. Et dum confirmantur fortasse moneri immo et obligari possent ad sequentia obseruanda:

---

[1] Eiusmodi „secretum Nuntium" Canisius Pii IV. iussu a m. Novembri 1565 ad Ianuarium 1566 per Suebiam, Franconiam, regiones rhenanas, Westphaliam egerat (*Can.* V 119—182 639—690).

[2] Privilegia dicit, quibus maxima pars canonicatuum et dignitates (decanorum, praepositorum etc.) fere omnes nobilitati reservata erant et ex hac sola episcopi eligi poterant.

Vt in suo Episcopatu neminem ordinari uel ad quodlibet beneficium promoueri sinant, nisi facta prius fidei professione.

Eandem a suis Consiliarijs et Officialibus exigant. Alat quisque et habeat secum Theologum et Canonistam, cuius opera quotidie in dubijs et casibus occurrentibus uti possit.

Nullum ferat sacerdotem uxoratum uel Haereticum: cur[am] habeat peculiarem Confessarios approbandi, qui nullum etia[m] nisi peccata sua diserte confitentem absoluant.

Vsus sacrae Confirmationis et extremae Vnctionis apud aegrotos restituatur, ubi ille iam esse desijt. Nusquam introduci patiatur et introductam tolli curet, si potest, communionem utriusque spetiei.

Si proprium non habeat seminarium Clericorum, aut nouum erigat, aut octo saltem uel decem studiosos in Catholico gymnasio [1] ali procuret.

Haereticos demum in loco sacro uetet sepeliri. De his alijsque id genus pluribus tanto magis admonendus uidetur nouus Praelatus a Sanctissimo Domino Nostro, quo minus ista curantur, magisque passim in Germania negliguntur, ubi collapsa iacet omnis fere disciplina Ecclesiarum, et uisitatio earum rarissime instituitur.

Magnum praesidium res Catholica ex Vniuersitatibus caperet, si illae ad meliorem disciplinam reuocarentur, praesertim Pon. Max. patronos earum praecipuos huc impellente, ut singularis haberetur ratio studiosorum Theologiae et seminariorum. Hinc enim penuria clericorum et religiosorum, quae apud Germanos est maxima, facilius subleuaretur, si tantum uacantia quaedam beneficia uel emolumenta caetera in hunc pium usum legitime applicarentur. Et miserandum est sane tam paucas et eas male constitutas Vniuersitates Catholicis in Germania superesse [2].

Quod ad Catholicos Principes attinet modis omnibus procurandum uidetur, ut his melius cum Episcopis conueniat, utque cessent diuturnae quibusdam in locis simultates utriusque Magistratus et ordinis. Hinc enim non solum Ecclesiastica Libertas et Iurisdictio maiorem in modum laeditur, sed etiam negotium religionis ingens uulnus accipit, magisque sectae et Haereses passim inualescunt. Vbi Caes. Maiestas multum praesidij posset adferre, aut si ad certos arbitros ex partis utriusque consensu ueniretur [3].

Deploranda nobilium et Principum Catholicorum est audacia, qui res et personas Ecclesiasticas supra modum premunt et affligunt, ut

---

[1] Catholicas universitates significat.

[2] Supererant (praeter lovaniensem) coloniensis, friburgensis, ingolstadiensis, vindobonensis; quibus accedebant novae illae dilingana et herbipolensis.

[3] Canisius maxime hic significare videtur „simultates", quae inter Ferdinandum II. archiducem Tirolisque principem et Ludovicum Madrutium episcopum principem tridentinum erant; v. supra p. 11. Ceterum Bavariae quoque episcopi querebantur, quod ecclesiae iura libertatesque saepe per ducis magistratus laederentur; v. *Ninguardae* litteras a. 1578 datas apud *Theiner*, Ann. II in a. 1578 n. XIV (p. 362).

passim uidere est, sed hoc irati Dei fortasse flagellum est, quo clerici corriguntur ob suum luxum et abusus alios. Veterem consuetudinem, ne dicam corruptelam excusant Principes, seque subducunt, ubi possunt, iugo Episcoporum in his, quae ad iurisdictionem spectant.

Quoniam extremum interitum Status Monasticus nobis minatur in Germania, serio monendi uidentur Generales Ordinum, ut nisi intra certum temporis uel annorum spatium ruentibus Monasterijs subueniant, et personas necessarias mittant, certo intelligant, eadem loca cum suis prouentibus in usus alios pios conuertenda esse. Foedum et Catholicae Religioni perniciosum est regularis uitae homines in tanto luxu sacrorumque neglectu uiuere, nihilque minus quam religioso uitae instituto, uacare[1]. Praestaret mature has pietatis sedes applicari seminarijs, quam ab Haereticis occupari uel a secularibus in usus prophanos conuerti. Vtile foret Generales Romae moneri, ut darent operam excitandis seminarijs sui ordinis praesertim conuocatis Germanis aliquot in Jtaliam, qui bene ac pie instituti, deinde Germanicis Monasterijs praeficerent[ur]. Quod si in hunc usum aliquid subsidij Germanica Monasteria subministrarent, multo rectius hoc procederet institutum.

Sunt Monasteria et Collegia quaedam, quae crapulae et turpitudini seruiunt, et magna uulgo praebent offendicula. Vtinam uero aboleantur hae pestes, si medicam manum non sustinent.

Expediret fortasse ad Germanicam reformationem promouendam, ut de grauioribus Cleri excessibus et abusibus, qui in communis populi oculos magis incurrunt, breuiter aliquid colligeretur, et de illo deinde cum Oratoribus quatuor Archiepiscoporum[2] ex parte Illustrissimi Domini Legati[3] amicabiliter tractaretur, nimirum ut suas ipsi sententias dicant de modo eiusmodi enormes ac intolerabiles corruptelas in Germanicis Ecclesijs facilius extirpandi, priusquam sal infatuatum penitus eijciatur atque conculcetur[4], praesertim in hac tanta Ecclesiarum necessitate.

Praeterea quaeri ab ijsdem Archiepiscopis posset, quomodo praesentem Ecclesiarum Statum in tantis periculis et oppugnationibus incolumem conseruari posse sentiant, praesertim ubi grauius imminent ac minantur Haeretici uicini, sicut in Episcopatibus Westphaliae. Item quibus in locis maxime Coadiutores Episcopis adiungendi uideantur. Rursus quae ciuitates potissimum egeant praesenti ope et praesidio Catholicorum concionatorum ne a fide deficiant, et quomodo illae confirmandae sint partim Caes. Maiestatis authoritate, partim a suis Metropolitanis et Ordinarijs qualicunque consilio atque subsidio.

---

[1] Vide, quae sub ipsum hunc commentarium secundo loco dicentur.

[2] Danielis Brendel moguntini, Iacobi ab Elz treverensis, Salentini ab Isenburg coloniensis, Ioannis Iacobi Khuen de Belasy salisburgensis.

[3] Cardinalis Ioannis Moroni.

[4] Cf. Mt 5, 13; Lc 14, 34 35.

De his aliisque pluribus id genus admoniti Archiepiscopi fortasse maiorem capient occasionem hic[1] uel domi suae deliberandi, uisitandi, corrigendi, atque reformationem aliquam instituendi, sicut grauissimi et foedissimi Clericorum et Monachorum morbi flagitare uidentur, ob quos ministerium Ecclesiasticum et nomen Domini, tum apud Catholicos, tum apud Haereticos quotidie blasphematur[2]. Eo enim uentum est ut Ecclesiastici homines licet extremam Ecclesiarum calamitatem et internecionem prae foribus adesse cernant, tamen altum dormire, et sine timore peccare, et quasi uolentes perire uideantur. Caecos illuminet[3] Christus in his maximis tenebris quae Germaniam occupauerunt.

Archetypo huius commentarii exemplo, quando, ubi, a quo, cui ille compositus sit, non est ascriptum. Ex ipso autem commentario intellegitur, eum scriptum esse paulo postquam Vindobonae seminarium pontificium (initio a. 1574) institutum erat, et antequam alia eiusdem generis seminaria (1578, 1584, 1585) in Germania condita erant; et si quis viderit, quae dicuntur de rebus „ex parte Illustrissimi Legati" pontificii cum oratoribus quattuor archiepiscoporum Germaniae tractandis et de rebus ab archiepiscopis iisdem „hic vel domi suae" deliberandis, facile censebit, commentarium in usum cardinalis Moroni Ratisbonae tempore comitiorum imperii inter m. Iulium et Septembrem 1576 conscriptum esse. Quod denique ad eius auctorem attinet, clar. D. *Schwarz,* cui solum exemplum A (vel potius archetypum) praesto erat: „Sollte die Denkschrift nicht", inquit, „auf Elgard oder Petrus Canisius, welcher gleichfalls in Regensburg anwesend war, zurückzuführen sein? Die Mehrzahl der vorgeschlagenen ‚remedia' wenigstens ist auch anderweit von Canisius geltend gemacht worden"; et vix dubitari posse notat, quin commentarius a. 1576 scriptus sit (Gut. XLIX—L). Sapienter id quidem; res autem postea etiam magis illustrata est duabus rationibus. Primum compluribus epistulis autographis P. Francisci Antonii S. J. (Germ. 137 f. 179—196) cum exemplo A collatis hoc valde probabile effectum est: Commentarium scriptum esse manu P. Antonii, quem Ratisbonae a Iulio ad Septembrem 1576 cum Canisio fuisse vitamque communem, ut aiunt, egisse constat; v. supra p. 351. Deinde in exempli mediolanensis (B) marginibus eadem illa manu antiqua inscriptioni „Nonnulla Media" etc. verba „Patris Francisci Antonij et Patris Canisij" et inscriptioni „Appendix" verba „patris Canisij" ascripta sunt. Ipse sane Moronus Canisium sibi delegerat theologum (v. supra p. 337 346); quare mirum esse non potest, eum a Canisio, ut de Germaniae iuvandae rationibus scripto ad se referret, petisse; et multa ex „mediis" illis Canisius iam antea iisdem fere verbis semel atque iterum commendaverat, ut quae pertinent ad seminaria sive pontificia sive alia in Germania condenda, episcopatus visitandos, ecclesiarum cathedralium canonicos serio reformandos, theologos et canonistas ab episcopis in consilium assumendos, professionem fidei exigendam, nuntios apostolicos in Germania constituendos etc. Etsi vero nomen P. Antonii in antiqua illa adnotatione, quam dixi, manu recenti (saeculi XIX., puto) oblitteratum et in indiculo quodam codicis illius (f. 78), solo Canisii nomine posito, prorsus omissum est, credere vix possum, Antonium solam Canisii sententiam litteris consignasse; quae enim de seminario vindobonensi et de Austriae Bohemiaeque abbatibus et praepositis dicuntur, Antonii potius quam Canisii esse videntur; ille enim ex Austria Ratisbonam venerat; ille longo illo tempore, quo Mariae imperatrici a contionibus fuerat, in Austria plerumque et Bohemia versatus erat. Ceterum totus hic commentarius cum sua

[1] Ratisbonam ad comitia imperii venerunt archiepiscopi coloniensis 7. vel 8. Iulii, salisburgensis initio Augusti (*Hansen,* Nunt. II 81[5] 115).

[2] Is 52, 5; Rom 2, 24; cf. Lev 24, 16; 2 Cor 6, 3. [3] Ps 145, 8.

„appendice“ unum habet, quod ad dicendi genus attinet, colorem eumque canisianum [1]: unde eum, qui in exordio prioris partis numero singulari dixit „Remedia attingam“, alteram quoque composuisse, atque ita Canisium totius commentarii auctorem esse existimo.

Ad ea, quae *Canisius* in hoc commentario de „statu monastico extremam ruinam in Germania minante“ et de foeda multorum religiosorum vita scribit, confirmanda iuverit ea, quae idem Canisius alio loco de eadem re notavit, hic poni, praesertim cum ibi a Canisio testimonium proferatur *P. Petri a Soto,* insignis illius ordinis Praedicatorum sodalis, qui aliquamdiu in Germania vixit et Canisio „amicissimum“ se praebuit (cf. *Can.* I 39 237 318): „Querebatur R. Petrus a Soto puriorem illam religionem in coelos subuolasse, et grandem querelam apud Deum deponere, quod a plaerisque monachorum pro desperata haberetur. Quod si principes religionum, Benedictus, Bernardus, Dominicus, Franciscus ad nos de coelo redirent, tum illi plurimum uel commiserationis, uel indignationis monstrarent, ut idem aiebat, cum apud suos fratres multos nihil fere offenderent praeter nomen aut uestem, et ne uestem quidem, ob accuratum scilicet circa uestes studium et philocosmiam, relicto interim studio interioris hominis exornandi. Nam prodigiosa illa peccandi licentia, uel potius libido, quae religionem Christianam ubique labefactauit, uti contagium monachos etiam (non infimam Ecclesiae portionem) contigit, ac una infecit, ut nihil fere usquam sancti odoris exhalare queant fluida illa religionis aromata, quae tristis maliciae aquilo perstrinxit atque perglaciauit. Non omnia apud religiosos dictos sana, sed potius supina quaedam eos tenet instituti sui obliuio, ut ea quae propius ad pietatem ueterum faciunt, nunc apud plerosque frigeant, et ipsi cum refractarijs Judeis reditum in Aegyptum moliri uideantur [2]. Tolle nominis laruam, quam paucos uideris ex animo religiosos, ut qui praeter obseruantiae ac religionis externam uestem nihil reliqui habeant. Hos Petro Apostolo conferre licet, qui cum singula in Christi rediuiui sepulchro uestigaret, sola dumtaxat lintea tristesque suauissimi praeceptoris exuuias reperit [3]:“ Ita *Canisius* sua manu (inter annos, puto, 1570 et 1580) notavit in libello propriis usibus destinato, Cod. „Can. 9“ f. 50^a [4].

1962. CANISIUS **EVERARDO MERCURIANO** praeposito generali Societatis Iesu. Ratisbona 18. Augusti 1576.

Ex autographo (2°; 3 pp.; in p. 4 inscr. et particulae sig.). Germ. 183 f. 259^a—260^b. Epistulae particulas germanice posuit *Janssen* l. c. IV $^{15-16}$ 459—460.

Liber de libertate religionis. Varii monasterium Scotorum ambientes. Sociis nihil quaerendum cum incommodo aliorum. Winzetus. Carmelitae Sociique moguntini. Querelae religiosorum. Causa fuldensis. Confessiones. Pericula vitae Sociorum aulicae. Comitia. Opus Marianum. Reditus collegii dilingani.

† Pax Christi nobis aeterna Admodum Reuerende Pater.

Binas a P. T. literas mense Julio scriptas accepi. Priores de supprimendo libello Apologetico tractabant, cuius pauca exempla hucus-

---

[1] In priore quidem commentarii parte de episcopis suum seminarium clericorum non habentibus dicitur: „Quisque saltem octo, decem, pluresue aut pauciores in Summi Pontificis Seminarijs alat studiosos“; in altera vero sive Appendice: „Octo saltem uel decem studiosos in Catholico gymnasio ali procuret“; sed haec fortasse ad proximum tempus spectabant, quo praeter collegium germanicum et seminarium vindobonense nullum exstabat seminarium pontificium; illa ad tempus, quo Germania complura habitura esset eius generis seminaria.

[2] Cf. Ex 14, 11 12; 16, 3; 17, 3; Nm 11, 4—6; 14, 4; 20, 2—5.

[3] Cf. Io 20, 6 7. [4] In eiusdem Codicis f. 142^a Canisius sua manu scripsit: „Res a Christo nato usque ad nostra tempora gestae, annis scilicet 1580, ad duos terminos reuocari possunt“ etc.

que circumferuntur, eaque nomen authoris proprium praeseferunt, siue uerum illud sit, siue fictitium[1]. Confido prorsus, ex hac editione et lectione nullum nostris periculum impendere[a], etiamsi P. Thyraeus, quod ignoro, ad exempla libelli distribuenda operam aliquam contulisset. Multis Catholicis adeo placuit lectio, ut libellum recusum optarent, quo libertas Ecclesiastica nunc oppugnata maxime, non perperam uindicatur[b]. Nihil autem opus fore puto, ut in excusationem Societatis adferam aliquid: facturus tamen id quod iussit P. T. si res ita postulare uideatur.

Quod ad Scotorum monasterium attinet, de quo posteriores agebant maxime[2], utrumque Patrem hic mihi commorantem[3] admonui de sententia T. P. Et in posterum quidem cauebitur, ne locum illum, de quo multum hucusque certatum est, ambire, et in nostrum collegium uertere uelle uideamur. Veritus ego sum saepe, ne infeliciter caderet Patronorum conatus, (de Jllustriss. Cardinale[4], de Reuerendissimo Nuntio Delphino et de Bauariae Principe[5] loquor) qui telam nobis uel ingratam, uel dispendiosam texerent, quum pro nobis hic tantopere laborarent. Et pergunt adhuc saxum hoc uoluere, quod si promouerint[c], onus nostris humeris impar imponent, ut equidem metuo, diuino interim nutui et P. T. euentum omnem secure permittens atque committens. Certe non modo Senatum et populum, sed et Clerum Ratisbonensem a nobis alienum[d], neque minus in moribus quam fide deprauatum[6] experimur[e].

Adest Prouintialis Augustinianorum[7], qui ad suos dicti monasterij prouentus transferre contendit: sed repulsus est. Et sacerdos quidem natione Scotus[8] ad eiusdem monasterij praefecturam[f] adspirat, sed frustra, quoniam professione non est religiosus, ut hactenus alij eodem loco extiterunt. Senatus Ratisbonensis aliquid iuris in hoc monasterium sibi vendicare dicitur, quia Episcopo[9] parum tribuit, cui tamen uelut Ordinario Caesar hac in parte[g] primas defert. Scio

a) *Hoc v. manu romana linea subducta notatum est.* b) *Huic sententiae manu romana lineae sunt appositae.* c) *Hoc v. notatum est, ut supra (adnot. a).* d) *Sequitur* cernimus, *a C. oblitt.* e) *Huic sententiae manu romana linea apposita est.* f) *Hoc v. et 7 sqq. notata sunt, ut supra.* g) *Sequitur* Caesar, *oblitt.*

[1] Dubium esse non potest, quin Canisius significet litteras a Possevino mandatu Mercuriani ad se datas „pridie Cal. Julij", qui dies erat sabbatum; sabbatis autem epistulae Roma in provincias mittebantur; v. supra p. 283. Litterae autem illae erant de libro „Von der Hochberûmpter Religions freistellung", cum nomine Andreae Dorkenii edito; v. supra p. 347. [2] Has vide supra p. 357.

[3] Iacobum de Avellaneda et Franciscum Antonio. Vide, quae ex Antonii litteris sub ipsam hanc epistulam n. 1 ponentur.

[4] Ioanne Morono, Gregorii XIII. ad Maximilianum II. caesarem in comitiis ratisbonensibus legato. [5] Alberto V. duce.

[6] „Quel clero è forse il più dissoluto d' Allemagna": *Portia* nuntius apostolicus cardinali Comensi, Salisburgo 20. Augusti 1573 (*Schellhass*, Nunt. III 83; cf. 30 166 439).

[7] Hispanus is erat; de quo plura apud *Hansen*, Nunt. II 100 136 137.

[8] Huic nomen fuisse videtur Thomae Lesley (*Hansen* l. c. 74).

[9] Davidi Kölderer.

D. Nenianum[1] Romanis literis Reuerendissimo D. Nuntio[2] esse commendatum: sed nisi ille coram adsit ante finem Comiciorum, qui intra mensem expectatur, sola uel aliorum, uel nostrorum commendatione iuuari non posse uidetur, ut optatam conditionem assequatur. Ac eo quidem inclinant sententiae, ut ex huius uacantis monasterij bonis pars aliqua Scotis aduentantibus seruiat: quo autem praecipua portio peruentura sit, diuinare non possumus[a]. Mihi maiorem in modum arridet quod scribit P. T. ne cum aliorum incommodo uel offensione ad collegium ullum nobis aditum faciamus. Et tamen Moguntini nostri procurant[3], ut Carmelitanorum monasterium in suum conuertant collegium, illis omnino et amarulente reclamantibus Archiepiscopo, et Ecclesia quoque Cathedrali dissuadente, ut hic Moguntinus Cancellarius[4] fassus est, qui Romam de negotio huius translationis conficiundo perscripsit. Durat adhuc Carmelitanorum contra nos obtrectatio, quod Viennense collegium ipsis ereptum uideatur[5]. Accusamur ab Augustinianis, quod Monachij ipsorum monasterium occupemus[6]. Optarim sane nouos nobis motus non excitari, et passim augeri nominis in-

a) *Sententiis sqq., usque ad* Durat adhuc *excl., lineae manu romana appositae sunt.*

[1] Ninianum Winzet; de quo supra p. 357 [4].

[2] Ioannem Delphinum pontificis apud caesarem nuntium dicere videtur.

[3] Cum Socii Moguntiae locum haberent valde angustum et incommodum, Daniel Brendel archiepicopus monasterium Carmelitarum iis pro sede dare cupiebat, Carmelitis, qui numero pauci erant, cum omnibus reditibus in monasterium Franciscanorum translatis, quod penitus vacabat et ab ipsis Franciscanis Danieli erat traditum. Et cum — id quod Canisius ignorasse videtur — Congregatio cardinalium germanica iam 26. Iunii 1576 archiepiscopo id permittendum esse censuisset, Gregorius XIII. 7. Augusti 1576 ad eundem Breve dedit, quo ei „mandabat et committebat", ut monasterium illud franciscanum Carmelitis daret, horum vero monasterium cum ecclesia, horto, aedificiis contiguis Iesuitis tradendum curaret, „nulla desuper a Superioribus dictorum ordinum habita aut exspectata licentia" (*Schwarz*, Nunt. 352—353 357; Gut. 117; *Duhr*, Jes. I 383). Brendelio Socii moguntini, ut P. *Hermannus Thyraeus* provincialis rhenanus Moguntia 16. Aprilis 1576 Mercuriano *scripsit, suaserant, ut non solum a Carmelitarum provinciali, sed etiam ab ipsorum moderatore generali consensum impetrare studeret, et ut Carmelitis praeter sua emolumenta omnia quoque essent „emolumenta et iura loci Franciscanorum" (ex autogr.; Germ. 137 f. 215[a]).

[4] Dr. Christophorus Faber (*Hansen*, Nunt. II 91).

[5] Ferdinandus I. a. 1554 Socios in hoc monasterium, in quo unus supererat monachus, immigrare iussit et 1555 duobus cardinalibus scripsit, ut ea de re dispensationem a pontifice peterent; quae „viva voce" data esse videtur; anno deinde 1569 Ioannes Baptista Rubeus generalis Carmelitarum monasterium illud cum ecclesia et iuribus certis cum condicionibus Societati cessit (*Can.* I 446 [3] 471 [2] 765; II 18 234).

[6] Monachii a. 1559 Albertus V. dux decreverat, ut templi Eremitarum S. Augustini usus Sociis cum Augustinianis esset communis, et ut Socii in parte illius monasterii habitarent; a. autem 1560 ab eoden in fundo monasterii Sociis aedes exstructae sunt, et pars horti assignata, priore Carmelitarum ad ea omnia assensum, aegre tamen, praebente (*Can.* II 870—873), et duce magnum aes alienum a monasterio contractum in se suscipiente (Felicianus Ninguarda O. Pr. Morono a. 1576, apud *Schellhass*, Quellen und Forschungen I 62).

uidiam, qua plus satis apud Germanos hoc tempore laboramus, sicut et heri Jllustriss. Dominus Legatus mihi commemorauit. Atque hoc dixerim obiter, ut redimamus tempus, quoniam dies mali sunt[1], utque nostri ab omni cupiditatis specie, quoad eius fieri potest, reuocentur, nosque suauius ea quae sunt instituti nostri propria, sine cuiusquam offensione persequamur.

Orandus plane Christus est, qui Fuldensium rebus uehementer afflictis praesentem opem ferat. Sum consolatus Abbatem[2] per literas, admonui quoque nostros, saepeque de hac tempestate sedanda tracto. Caesaris tantum expectatur sententia, ut spoliatus uel omnino, quod erit fortasse difficile, uel ex parte saltem maxima restituatur. Nobis eo cautius in hoc negotio agendum est, quod contrariae parti nonnihil suspecti habeamur[3], quum utrique fundatori multum haud dubie debeamus. Vigilat hic sane Jllustriss. Dominus Legatus, nihilque intermittit, quod ad tragoediam hanc foedam componendam spectat.

Scripsi non ita pridem de meo in hanc urbem aduentu, et interea passus sum mihi contionandi munus imponi[4]. Versor cum duobus et notis Patribus, qui me hactenus pro sua humanitate sustinent[a], nec parum oneris ferunt in aula, quae multos etiam confitentes exhibet mihi. Verum de toto hoc uitae genere hoc unum[b] dicere liceat, quod saepe cogito, pergraue et periculosum nostris esse munus, quum sic pendent ab aulicis. Oro Deum ne sinat apertum hoc manere ostium, ut et alij pro sua quisque deuotione unum e nostris Confessarium uel concionatorem secum[c] in aulam abducat, ubi menses et annos ita consumant, seque principum animis accommodare cogantur. Video tentationes inde natas et exorituras · intelligo quam sint pauci pares ad haec bene fortiterque ferenda onera, nec ignoro in totum Societatis corpus redundare naeuos, qui a curiosulis tam acute in nostris perspiciuntur, obseruantur, disseminantur. Periculum in sacerdotibus, periculum in socijs[5], qui sine ordine uiuere, et ueluti pisces extra aquam, ut dicunt, uiuere coguntur, multaque liberius[d] saepe committunt, quam instituti nostri religiosa disciplina uel ferat, uel suadeat[6]. Probo igitur

a) *Haec 2 vv. notata sunt, ut supra.* b) *Quae sequuntur, fere usque ad* Parum hactenus in hisce, *Romae lineis appositis signata sunt.* c) *Hoc v. supra versum scriptum est.* d) *Sequitur* sic *vel simile v., oblitt.*

---

[1] Eph 5 16; cf. Col. 4, 5.

[2] Balthasarem a Dernbach O. S. B.; de hac causa v. supra p. 355.

[3] Julius Echter a Mespelbrunn collegium herbipolense a Friderico de Wirsberg episcopo institutum magnopere amplificavit, fundando universitatem etc. (*Duhr*, Jes. I, 123—125). [4] Vide supra p. 351—352.

[5] Hi ex numero fratrum laicorum esse solebant.

[6] *Mercurianus* P. Francisco Antonio *Roma 22. Septembris 1576: „Quod“ R. T. „significauit de cuiusdam insolentia etc. et si vellem rem omnem mihi aperte ac singillatim explicatam esse, gratum tamen fuit quod tam modeste tamque patienter se gesserit · nec despero quin et ille suo tempore culpae magnitudinem intelligat, et vterque ex isto incommodo commodi aliquid percipiat ad sui aliorumque aedificationem“ (ex apogr. eiusd. temp. vel comment., G. Sup. 1 f. 48[b]). Et *Antonio* de

P. T. sententiam, quod tam aegre probarit uotum Jmperatricis, quum illa tantopere certaret pro Hispano patre sibi restituendo. Jllud optarim, ne duos quidem in aula relinqui, nisi alter illorum teneat locum superioris: idque non temere uideor hic obseruasse. Sed ignoscat mihi P. T. si fortasse sutor ultra crepidam [1] esse audeam: cupio certe ut instituti nostri ratio in hoc uitae genere, sicut et in alijs, per [a] certam uiuendi formulam [b] explicetur, nostrisque commendetur: sic fortasse in grauissimis etiam negotijs, quae frequenter incidunt, poterunt et cautius et felicius progredi.

Parum hactenus in hisce Comicijs effectum est. Catholici constanter libertatem defendunt ecclesiasticam, cui magnum vulnus infligere uellent aduersarij. Praecipuae consultationum partes ad contributionem pecuniariam a Caesare postulatam pertinent: nunc quamdiu illa duratura sit quaeritur. Vix biduum hic restitit Princeps Bauariae, quum e Saxonia reuerteretur, pauci adsunt Principes · bona spes est fore, vt nihil detrimenti religio ex hisce Comicijs capiat · temporalia enim, non spiritualia procurantur [2].

Confido P. T. haud ingratum fore, si me totum, ut multi postulant, ad Mariani operis editionem contulero, et idcirco Jngolstadij mansero hac hyeme, ut meam operam tribuam typographiae [c]. Placet hoc consilium P. nostro Prouintiali [3], et non abnuet Princeps Ferdinandus [4], praesertim rogatus ab Jllustriss. Cardinale [d], in Jtaliam redeunte. Oret pro nobis et hisce Comicijs P. T., cui me totum accurate commendo sicut et Patribus Assistentibus omnibus. Ratisbonae 18 Augusti 1576.

P. T.

Filius indignus
Petrus Canisius.

Effectum est Dei gratia, ut Dilingani nostri sexcentos flor. qui ipsis adempti uidebantur, posthac seruent integre [5]. Dimidiam partem

a) *Hoc v. supra versum scriptum est.* b) *Sequitur* se rectius, *oblitt.* c) *Haec sententia Romae lineis est signata.* d) *Sequitur* quum redierit, *oblitt.*

P. Avellaneda, qui ex aula Mariae imperatricis Romam et inde in Hispaniam discessurus erat, *Mercuriano 1. Octobris 1576: „Quas hic passi sumus miserias propter socios a P. Prouinciali [Laurentio Magio] nobis assignatos quaeso jntelligat P. v. a Patre Auellaneda: vt melius sancire possit quid inposterum opus sit" (ex autogr.; Germ. 137 f. 185 [a]). Ceterum vide id, quod de aulica hac Sociorum vita sub ipsas has litteras n. 2 dicetur.

[1] Proverbium ortum (ut videtur) ex *C. Plinii Secundi* Naturalis Historiae lib. xxxv c. 10 (36), et *Valerii Maximi* Factorum et dictorum memorabilium lib. 8, c. 12, Ext. 3.

[2] *Franc. Dom. Häberlin,* Neueste Teutsche Reichs-Geschichte X, Halle 1781, 1—419; *Moritz* l. c. 290—291 405—408.

[3] Paulo Hoffaeo. [4] Archidux et Austriae superioris princeps.

[5] *Hoffaeus* Mercuriano Augusta *8. Novembris 1578: „Illustrissimo Morono Rector Dilinganus de repetito beneficio gratias aget"; et *16. Novembris 1578: „Mitto gratiarum actionem nostrorum Dilinganorum pro Illustrissimo Cardinale Morono" (Germ. 157 f. 153 [a] 158 [a]).

de suo dependit, mihique iam numerauit optimus Cardinalis, paratus et reliquis annis uel per se, uel per Pont. Max. tantundem exoluere. Alteram partem Episcopus Augustanus[1], uti Ratisbonae promisit, numerabit.

† Admodum Reuerendo in Christo Patri nostro, Patri Euerardo Mercuriano, Societatis JESV Praeposito generali. Romae.

1. Una cum hac epistula Mercuriano missae sunt *litterae Ratisbona 17. Augusti 1576 a P. *Francisco Antonio* S. J. ad eum datae, quibus ea, quae Canisius de monasterio Scotorum scribit, illustrantur et amplificantur. „Accepi", inquit Antonio, „heri quas T. R. P. 28. Julij ad me dedit, ex quibus et alijs ad P. Canisium datis intellexi quae esset de futuro hic Collegio, P. V. sententia et voluntas. Visumque vtrique est, Reuerendissimum Nuncium Apostolicum[2], (cui Jllustrissimus Cardinalis ex podagra decumbens injunxerat vt cum Duce Bauariae ea de re ageret) mox adire, et quo in statu res esset percontari, simulque hominem nostri amantissimum admonere, quae esset P. V. de hoc negotio sententia. Respondit is, se cum Duce Bauariae egisse eumque ejus esse animi, vt sicut antea a Summo Pont. Scotorum hoc monasterium pro erigendo Collegio petijsset, ita etiam velle se omnes neruos intendere vt voti compos fiat, nec dubitare quin cum Caesare, et Senatu Ratisponensi possit omnia quiete conficere · ad quem effectum, quia ipse mox est Monachium profectus, promisit se statim Consiliarium vnum ex suis huc ablegaturum. Cum illo igitur, vbi aduenerit, ait Reuerendissimus Nuncius agendum esse, vt vel collegium erigatur, vel Scoto alicuj probo viro monasterium tradatur. Quia vero negotium non tam celeriter conficietur, et comitia breui expedientur, totumque tractationis pondus penes Reuerendissimum Nuncium manebit, a quo P. Canisius procul aberit discedente Jllustrissimo Cardinale, videat R. P. V. quid per me fieri velit · nam siue Collegium dissuadendum fuerit, siue Scotus aliquis commendandus et promouendus, id Reuerendissimus Nuncius curabit diligenter, quod ex parte P. V. illi dictum fuerit" (ex autogr.; Germ. 137 f. 182[a]).

2. Quae Canisius in his litteris dixit de periculis molestiisque ex aulica vita in Societatem manantibus, ei ex parte saltem suggesta esse videntur a P. *Francisco Antonio* Mariae imperatricis contionatore, quocum Ratisbonae vivebat. Is enim iam 18. Februarii 1576 a Mercuriano praeposito generali *petierat, ut se in Indias mitteret, vel saltem „ad remotam quandam Probationis domum, vbicumque fuisset", secedere sineret, „in qua cunctis ignotus, soli Deo et profectui spirituali vacare posset". Deinde Vindobona 30. Aprilis 1576 eidem *scripsit: „Per la lungha experienza cognosco esser expedientissimo alla Compagnia, che nessuno di essa seguiti la corte di nessun Principe, ne Prelato con ministerio particolare, nisi forsan ad breuissimum tempus vnius vel duorum mensium, jdque rarissime fiat, per che pare che dall' vn canto s' è fatta via ordinaria, et non c' è vescouo, ne Ambasciatore, ne signor particolare, che non vogli hauer' alcuni della compagnia seco: et dall' altro canto", quodam modo porta aperitur ambitioni; „per che non mancano di quelli ch' aspirino a tali missioni et ministerij apresso Principi · di doue poj risultano altri grandi jnconuenienti · l' vno che s' acquista certa libertà nel viuer, non troppo conforme alle nostre regole della compagnia · l' altro, ch' alcuni soggetti si perdono non senza danno della compagnia: l' altro che stando nelli collegij, occorrono molti dispareri tra loro et li superiori · l' altro, che bisognando per li loro ministerij, vsar alcune singolarità, non si può fare sine scandalo pusillorum · l' altro, che si suol fare poco frutto spirituale, et molti parlando della compagnia, dicono male, vedendo che li nostri stando apresso a tali personaggi, permettono, ò dissimulano alcuni abusi notabili, per goderci quella libertà et honore, etc." (ex autographis; Germ. 137 f. 15[a] 36[b]).

---

[1] Marquardus a Berg. [2] Ioannem Delphinum.

3. Quod denique Canisius in hac epistula commendat, ut pro eiusmodi principum confessariis etc. „certa vivendi formula“ conscribatur, id a. 1602 Claudius Aquaviva Societatis praepositus generalis praestitit, „Ordinatione de Confessariis principum“ composita; quae, cum a. 1608 a Societatis congregatione generali approbata esset, in „Institutum Societatis“ recepta est (*Institutum* S. J. III 281—284).

Mercurianus Canisio respondit 22. Septembris 1576.

1963. EVERARDUS MERCURIANUS praepositus generalis Societatis Iesu CANISIO. Roma 1. Septembris 1576.

Ex apographo eiusd. temp.; in margine, eadem manu: „Ratisbonae. P. Petro Canisio.“ G. Sup. 1 f. 47[a].

Negotium collegii granatensis apud cardinalem Moronum curandum.

Communicabit cum R. T. P. Auellaneda de negotio quodam gerendo apud Jllustrissimum Dominum Legatum Moronum. Quod quia magni momenti est, nec mediocriter facit ad Granatensis nostri collegij commoditatem pervelim serio commendatum habeas, et omnibus rebus ita procures, vt rei seriae et graui parem diligentiam impendisse videamur. Jn quo tamen illud imprimis cauendum est, ne litterae quas ab Jllustrissimo D. Legato ad summum Pontificem, et ad Cardinalem aliquem scribi cupimus, ita scribantur, vt a Societate nostra ad scribendum solicitatus fuisse videatur. Jd r. t. etiam atque etiam commendo. Neque aliud est quod scribam hoc tempore, nisi optare me tibi plurimam a Domino benedictionem, et cupere, vt in orationib: et ss. sacrificijs nostri memor esse pergas. Romae Cal. Septembris 1576.

Mercurianus eodem die Ratisbonam ad P. Iacobum Avellanedam S. J. *litteras misit, quibus eum monebat: „P. Jgnatius Fonseca Beticae prouinciae procurator scribit ad R. T. de quodam negotio Granatensi“, quod plurimum „facit et ad Dei gloriam et ad hominum salutem“ atque ideo diligentissime curandum est. „Scribo eadem de re ad p. Canisium, cum quo si opus erit diligenter eam communicabis, ac eius consilio, industriaque utere“ (ex apogr. eiusd. temp.; G. Sup. 1 f. 47[a]). P. Ignatii Fonsecae epistula perisse videtur. Hoc tamen aliunde constat: Agebatur de executione testamenti, quod Petrus Guerrero archiepiscopus granatensis et collegii S. J. fundator, 2. Aprilis 1576 vita functus, reliquerat; ita enim P. *Avellaneda* Mercuriano Ratisbona 4. Octobris 1576 *scripsit: Se 5. Octobris Romam profecturum esse. „Ya escreui . . . de como el Señor marques de almaçan [1] se encargo de tratar el negocio del testamento del arcebispo de granada de buena memoria con el illustrissimo cardenal moron, y despues aca le hablo y la expedicion coma se desea parece a ambos difficil tanto que no seria poco alcançar lo de los legados pios, y basta que el dicho señor cardenal vaya a Roma no se hara casi nada por letras, mas ydo alla segun que respondio al señor marques pondra todo el calor possible, y saldra su señoria illustrisima de aqui muy en breue“ (ex autogr., Germ. 137 f. 187[a]).

1964. EVERARDUS MERCURIANUS praepositus generalis Societatis Iesu CANISIO. Roma 22. Septembris 1576.

Ex commentario; in margine, eadem manu: „Ratisbonae P. Petro Canisio.“ G. Sup. 1 f. 49.

Liber de libertate etc. Nec ratisbonense monasterium admittendum, nec moguntinum. Lites fuldenses. Socii in aulis. Contiones. Pecuniae dilinganae. Pestilentia.

---

[1] De hoc Philippi II. oratore v. supra p. 351 [5].

Et si laetor libellum illum apologeticum [1] (quod R. T. superiori Augusto scripsit) et[a] gratum multis et fructuosum fuisse, idem tamen opto non tantum vt ne denuo excudatur sed vt supprimantur etiam exemplaria, si quae supersint. Minime enim expedit vt nobis auctoribus quicquam tale isthic edatur in lucem[b] praesertim propter nobiles, et alioqui docebuntur hoc exemplo nostri maiorem[c] in posterum obedientiae et constitutionum rationem habere[d] [2]. Assentior R. T. de monasterio illo Scotico [3] non admittendo. Neque enim id fieri posset sine magno aut[e] existimationis nostrae detrimento qui eiusmodi de causa aliquando male audire coepimus[f] vt R. T. recte scribit, aut etiam sine[g] istius prouinciae incommodo, quae suis collegijs vix sufficere potest, tantum[h] abest, vt noua etiam instituere. Quare par est vt nostri non solum non ambiant illud monasterium, sed repudient etiam si sponte offeratur[i]. Jdem dixerim de Moguntino illo Carmelitarum monasterio [4] de quo etsi nostri quod sciam nihil vnquam tentarunt, conflauit tamen iam nobis aut certe periculum est ne conflet aliquid inuidiae. Sed nouum non est vt Societas nostra poenas luat propter aliorum erga ipsam nimium zelum aut beneuolentiam[k]. De Fuldensi negocio nescio equidem quid alibi factum sit [5], hic certe nemo de[l] nostris merito queri potest. Neque enim sino quenquam aliud hac in parte agere quam vt deum diligenter oret pro pace et concordia principum illorum fundatorum [6]. Quod et ipse conor identidem praestare, expectans interim quem dominus ei rei exitum daturus sit. Resciui magna mea consolatione de R. T. concionibus, eoque[m] fructu quem illae Ratisbonensibus, et aulae ipsi attulerunt, quo nomine et gratulor R. T. in Domino plurimum, et diuinae[n] bonitati gratias maximas ago. Sat intelligo quanto nostri incommodo et periculo in aulis versentur, sed cogor multa quae nolim[o] dissimulare, donec dominus deus nobis hac in parte prospexerit. Est et alius quidam aulicus qui magnum mihi facessit negotium[p], Reuerentiae

a) *Sequitur* fu, *oblitt.* b) *Tria vv. sqq. alia quadam manu romana supra versum scripta sunt.* c) *Duo vv. sqq. ab ipso libr. supra versum scripta sunt.* d) *Sequuntur vv.* in posterum, *oblitt.* e) *Hoc v. a libr. supra versum scriptum est.* f) *Quinque vv. sqq. alia illa manu romana supra versum scripta sunt.* g) *Hoc v. a libr. supra versum scriptum est.* h) *Sequitur* enim, *oblitt.* i) *Ita correctum est ex* offerantur*; sequitur* atque, *oblitt.* k) *Sic libr. correxit ex 2 vel 3 vv., quae iam legi vix possunt.* l) *Sequitur* nobis, *oblitt.* m) exque *libr.* n) *Ita libr. correxit ex* eius summae *[?].* o) *Sequuntur vv.* ferre aequo animo, *oblitt.* p) *Quattuor vv. sqq. alia illa manu romana supra versum scripta sunt.*

---

[1] „Von der hochberümpter Religions freistellung"; v. supra 348.

[2] Libri „edi non poterunt in lucem sine approbatione atque consensu Praepositi Generalis". „Intelligi oportet, a nemine librum ullum sine examinatione et approbatione speciali Praepositi Generalis, ut dictum est, publicari debere". „Qui talento praeditus ad scribendos libros communi bono utiles eos conscriberet, in lucem edere non debet aliqua scripta, nisi prius Praepositus Generalis ea videat et legi ac examinari faciat": *Constitutiones* S. J., P. 3, c. 1, n. 18; P. 4, c. 6 O; P. 7, c. 4, n. 11.

[3] Vide supra p. 368. [4] Vide supra p. 369 [3]. [5] Vide supra p. 370.

[6] Balthasaris a Dernbach et Iulii Echter a Mespelbrunn.

tuae non ignotus quem tamen nisi precibus nulla ratione[a] iuuare possum[1].

Reconciliatum nobis esse Jllustrissimi Domini Legati[2] opera Reuerendissimum Episcopum Augustanum[3], et vtrumque erga Dilinganos nostros esse liberalem[b], gaudemus in Domino vehementer, a quo precor vt vtriusque beneficentiam dignis aliquando officijs demererj possimus. Haec ad R. T. literas. Jam quod ad nos attinet valemus Dei beneficio recte et valebimus vti spero deinceps[c] liberati procuratorum negotijs[4], ex quibus qui vnus supererat P. Victoria[d], hodie Neapolim profectus est. Pestilentiam aiunt in Sicilia[e] multo esse mitiorem solito quare[f] P. Polancum speramus breui rediturum in Jtaliam[5]. Venetijs contra[g] et Patauij ingrauescit in dies magis ac magis sic vt nostri coacti sint sese recipere in villas exceptis pauculis operarijs necessarijs. Recens autem inuasit Mediolanum. Roma etsi adhuc integra est diuino beneficio, sibi tamen uehementer timet, et cauet diligenter. Vtinam nos dominus custodiat[h] cuius vnius tantum est omni ex parte praesidium . a quo[i] precor reuerentiae tuae optima queque . ac me eius precib: *etc.* Romae 22. Septembris 1576.

Quod Mercurianus in his litteris mandabat de libro de libertate religionis supprimendo, id ad plenum effectum deduci non potuit: nam, ut P. *Balduinus ab Angelo* provinciae rhenanae visitator Herbipoli 15. Octobris 1576 Mercuriano *scripsit, 500 eius exempla, quae apud bibliopolam coloniensem superfuerant, m. Septembri in librorum mercatu francofurtensi ab hoc distracta sunt. Ceterum P. *Hermannus Thyraeus* Spira 11. Novembris 1576 Mercuriano *scripsit: „Propter librum aeditum poenitentiam petam a R. P. Visitatore priusquam hanc prouinciam egrediatur, Authores illius incogniti manserunt, Curabitur autem diligentissime atque obedientissime ne vnquam inconsulta P. Vestra huiusmodi fiant“ (ex autographis; Germ. 137 f. 262[a]; Germ. 138 f. 65[a]).

De monasterio Scotorum Congregationi cardinalium germanicae 4. Iunii 1577 „placuit, conservari monasterium nationi Scoticae“ (*Schwarz,* Gut. 123); abbas autem eius constitutus est Ninias Vinzetus (v. supra p. 357[4]).

De monasterio autem illo, quod Daniel Brendel archiepiscopus princepsque elector Sociis tradere volebat, idem *Thyraeus* *scripsit Mercuriano Moguntia 25. Iulii 1576: „Reuerendissimus praeteritis diebus contulit cum prouinciali Carmelitanorum[6] propter commutationem monasteriorum Moguntinensium a qua se alienum omnino ostendit prouincialis qui propter hanc causam huc venit“. Et *Moguntia 22. Julii 1577: „Quia ex vrbe fuit scriptum vt cum bona gratia ordinis Carmelitarum haec fieret translatio et non satis videbantur propensi ad migrationem Carmelitae mutauit

a) *Ita libr. correxit ex* precibus nihil. b) *Sic libr. correxit ex* vtriusque erga Dilinganos nostros tantam esse liberalitatem. c) *Sequitur* prope, *oblitt.* d) *Ita libr. correxit ex* ex quibus vnus superest P. Victoria, qui. e) *Sequitur* pau, *oblitt.* f) *Sic libr. correxit ex* solito sic vt. g) *Sequitur* in, *oblitt.* h) *Octo vv. sqq. supra versum scripta sunt.* i) *Sequitur* peto, *oblitt.*

---

[1] Significari videtur P. Dominicus Menginus Guilielmi Bavariae principis et Renatae eius uxoris confessarius; de quo multa infra dicentur.

[2] Cardinalis Ioannis Moroni. [3] Marquardum a Berg; v. supra p. 372.

[4] De „congregatione procuratorum“ S. J. Romae ea aestate habita v. supra p. 357[2].

[5] P. Ioannes de Polanco a. 1575 a Mercuriano in Societatis provinciam siculam missus erat visitator (*Sacchinus,* Hist. IV l. 3, n. 95).

[6] Petro Lupo (Rh. Inf. 1, I f. 5[b]); cf. *Schwarz,* Nunt. 230.

sententiam illustrissimus archiepiscopus nobis et tradidit Franciscanorum monasterium" desolatum, in quod ait se „ius habere a duobus prouincialibus ordinis" (ex autographis; Germ. 137 f. 224a; Germ. 138 f. 47a). *Mercurianus* vero eum *monuit Roma 1. Septembris 1577: „Quod attinet ad Moguntinum monasterium Franciscanorum multa obstant cur non existimemus esse id occupandum a nostris .... Sed et illud diligenter cauendum erit ne nostri isthic aspirent vllo pacto ad Carmelitanum monasterium" (ex apogr. eiusd. temp.; Rh. Inf. 1, I f. 6b).

Canisius Mercuriano respondit 6. Ianuarii 1577.

1965. BARTHOLOMAEUS DE PORTIA apostolicus in Germania nuntius CANISIO. Ratisbona 9. Octobris 1576.

Ex imagine photographica apographi eiusdem temporis. Cod. rom. „Germ. Vol. 82a" f. 48b—49a. Epistula (ex eodem apogr.) copiose usus est *Schellhass*, Nunt. V 532[1].

Ingolstadii considere statuit. Sarcinas iam praemittit ad Canisium.

Admodum Reuerende Pater.

Prout coram antea locuti eramus, sic iam constitui isthic considere, donec Summi Pontificis mandata me in alias partes ablegent, pestisque in dies magis saeuiens, Germaniaeqae non minus, quam Italiae exitiosa deferuescat tandem, aditumque nobis ad peragenda Catholicae religionis negotia patefaciat: nec sane dubito quin mihi Ingolstadiense domicilium te praesente iucundissimum futurum sit, expectabis me igitur cum primum ab Illustrissimo Cardinali Legato[1] diuelli licuerit, cui me Monachium usque adiungam comitem officij, et obsequij ergo: Interim cum essent isthuc impedimenta praemittenda, familiares meos monere non dubitaui, te conuenirent, rogarentque, ut sarcinis angulus aliquis daretur in aedibus uestris, dum ego ueniam, aut certam adipiscar habitationem. Tu uero quae tua est humanitas hoc praestare non grauaberis, tibique certo persuadebis multo me maiora, et tua, et omnium optimorum Patrum causa acturum me[a] [?] omni tempore. Vale Patresque omnes iube meo nomine saluere. Ratispona vij. Jd: Oct. 1576.

Petro Canisio Societatis Iesu Theologo. Ingolstadii[b].

Quoniam neque Moronus cardinalis legatus, neque Delphinus nuntius apostolicus in relationibus Ratisbona 21. Septembris 1576 Romam missis (*Hansen*, Nunt. II 150—157) Canisio legati theologo abeundi veniam datam esse scribunt, illum ante eum diem abisse non existimo. Certum est autem, eum ante Kalendas Octobres abisse; v. supra p. 354[2]. Portia autem Ingolstadium advenit 17. Octobris; ubi ab universitate receptus est in collegii veteris partem illam, in qua Societatis homines ante suam in recens illud Alberti V. collegium transmigrationem (v. supra p. 324) habitaverant; quae sedes satis ampla erat et templum habebat. Inde igitur *Portia* 24. Octobris 1576 P. Gregorio Rosephio S. J. domus augustanae superiori scripsit: „Utor hic Patre Canisio frequenter, ac coeteris optimis viris, qui mihi habitationem istam iucundam reddunt, et suavem" (ex apogr. eiusd. temp. vel commentario. Cod.

a) *Sic; delendumne alterum hoc* me? b) *In apogr. haec inscriptio ipsis litteris praeposita est.*

[1] Ioanne Morono; vide, quae sub ipsas has litteras notabuntur.

[2] Eum usque ad 14. Octobris Ratisbonae mansisse scribunt *Boero*, Can. 360, et *Daurignac* l. c. 345.

rom. „Germ. Vol. 82a" f. 57a; cf. etiam *Schellhass*, Nunt. V 534—535 539). Imago „veteris collegii" illius et collegii georgiani, quod etiam „collegium novum" vocabatur, exstat in opere (ceteroquin erroribus deformato): „Auf Deutschen Hochschulen. I. Die Ludwig-Maximilians-Universität zu Ingolstadt . . . von Dr. *Max Haushofer*", München 1890, 7.

1966. CANISIUS **PHILIPPO DE FREYBERG** cathedralis ecclesiae constantiensis decano. Ingolstadio m. Decembri (ut videtur) 1576.

Ex Theodorici Canisii litteris autographis; Germ. 138 f. 114a.

P. Theodoricus Canisius S. J. collegii universitatisque dilinganae rector Dilinga 5. Ianuarii 1577 Everardo Mercuriano praeposito generali scripsit: „Binas a R. P. T. accepi, 7⁰ Nouembris et 5.⁰ Decembris datas, et priores quidem posterius redditae sunt, penultimo scilicet Decembris. Scripsi autem statim ad Reuerendissimum Suffraganeum Constantiensem [1]*, offerens omnem meam operam ad ea, quae Jllust. Cardinalis pro suo in Germaniam zelo fieri mandauit, conficienda. Jdem fecisse dicitur R. P. Petrus Canisius, datis ad D. Decanum Constantiensem* [2] *literis. Non video quid aliud hic a nobis fieri possit. Expectamus Constantiensium responsum. Vtinam vero Societatis nostrae Professores omnes ea doctrina, prudentia et spiritu instructi essent, vt eam in prophanis autoribus explicandis methodum seruare possent et vellent, quam opt. ille Cardinalis ad suos nuper misit".*

Mercurianus de collegio lucernensi anno 1574 Gregorii XIII. iussu incohato, in quo Socii plurimum aegrotabant (de qua re v. *Duhr*, Jes. I 211—214), Roma 29. Ianuarii 1576 Hoffaeo provinciali *scripsit: „De reuocandis nostris qui Lucernam missi sunt cum egissemus cum Pontifice facile nobis assensus est sic vt rem omnem arbitrio nostro permiserit. . . . Verum tamen non sunt illj amouendj donec collegium Constantiense coeptum sit instituj; Qua de re Pontifex tam serio agit, vt eam commiserit Cardinali Comensj sedulo promouendam simul cum Cardinali de Altemps" [3] (ex commentario. G. Sup. 1 f. 37b). *Hoffaeus* autem Monachio 1. Februarii 1576 Mercurianum *monuit: „Quod attinet ad Collegium seu Missionem Lucernensem, scripsit ad me Decanus Constantiensis, cuj ob meas et similes rationes, quas nuper isthuc misi, non placet Collegium Lucernae fieri, et alium suadet locum seu oppidum Rapperswijler" [4] (ex autogr.; Germ. 137 f. 117a). Mercurianus vero per P. Antonium Possevinum instabat, ut collegium Constantiae per cardinalem Marcum Sitticum conderetur. Ita *Possevinus*, ut ipse postea *narravit, 9. Aprilis 1576 Gregorio XIII. locutus est „del Collegio di Costanza mentre il Cardinale Altemps e in uita poiche morendo, quella Cittá che è tanto principale, et anco à proposito per aiutare i cantoni di Suizzeri Heretici, forse non potrebbe mai piu hauere il beneficio di quel Collegio che S. Santità commandò che ci si facesse" (ex exemplo archetypo „Memorie per S. Santità", a Possevino adnotationibue illustrato, Opp. NN. 315 f. 33a). Cardinalis autem *Comensis* 22. Novembris 1576 Francisco Sporeno O. F. M. episcopo titulari sebastiensi et Antonio Saracino Gregorii XIII. cubiculario Roma ad Ferdinandum II. archiducem profecturis institutionem sive „Memoriale" dedit, in quo

---

[1] Balthasarem Wurer, episcopum titularem ascalonensem.

[2] Philippum a Freyberg; is a. 1565 collegialis ecclesiae elvacensis (Ellwangen) canonicus factus et Kalendis Martiis 1575a in matriculum universitatis dilinganae relatus erat (*Specht*, Matrikel I 98).

[3] Marco Sittico episcopo constantiensi, qui Romae habitare solebat.

[4] Rapperswyl; cf. *Can.* VI 238.

haec, praeter alia, praecipiebantur: „Si pregherà S. Altezza instantissimamente a voler concedere, che d' un monastero di monache pocho buone in Costanza [1] si faccia un monastero ovvero collegio buonissimo di Gesuiti" (*Schellhass*, Nunt. V 555[1] 578[1]). Et *Portia* Ingolstadio 9. Decembris 1576 Sittico *scripsit: „Questa mattina à punto il Padre Canisio m' ha isposto il desiderio pieno di pietà, et magnanimità, che tiene V. S. Illustrissima di vedere formato un Collegio de' Padri Giesuiti in Constanza, accennandomi di più, che in breve mi sarà commandato di fare presso al Serenissimo Arciduca Ferdinando quell' offiicio, che possa agevolare questo pio disegno" (ex recenti apographo commentarii vel apogr. eiusdem temporis, quod est in cod. rom. „Germ. Vol. 82[a]" f. 82). Neque tamen quicquam tunc quidem effectum est: Helvetii enim obsistebant; v. *K. Lütolf*, Zur Gegenreformation in der Konstanzer Diözese, in „Katholische Schweizer-Blätter" X, Luzern 1894, 467.

1967. CANISIUS cardinali **MARCO SITTICO AB HOHENEMBS** episcopo principi constantiensi Romae degenti.

Ingolstadio m. Decembri (ut videtur) 1576.

Ex Canisii autographa ad Mercurianum epistula, de qua infra, ep. 1973.

Canisius Ingolstadio 10. Martii 1577 Mercuriano praeposito generali scripsit: Se modo cardinali Rebiba scripsisse: „Alijs Cardinalibus ego, quod sciam, post ultimam Congregationem non scripsi, nisi Constantiensi, quemadmodum P. Posseuinus postulauit." Haec si cum iis, quae supra p. 377 dicta sunt, contuleris, facile conieceris, Canisium de collegio constantiensi instituendo eodem fere tempore, quo decano constantiensi scripsit, cardinali quoque scripsisse.

1968. CANISIUS **ALBERTO V.** Bavariae duci.

Ingolstadio initio Ianuarii a. 1577.

Ex libro „De Maria Virgine incomparabili, et Dei Genitrice sacrosancta. . . . Autore D. *Petro Canisio* Societatis Iesu Theologo", Ingolstadii 1577, f. ** 2[a] — ** 5[b] (A). Praeterea harum litterarum exemplum (B) manu ignota anno, ut videtur, 1572 scriptum et a Canisio ipso Oeniponte anno 1574 plurimis locis vel emendatum vel amplificatum exstat Dilingae in bibliotheca lycei, in Codice „XV. 238", qui Operis huius Mariani partem priorem continet, f. 1[a]—4[b]; exemplum hoc aliquot habet lacunas; quae cum parvae sint et facile expleri possint, hic non commemorantur. In secunda quoque Operis Mariani editione, quae cum titulo „Alter Tomus Commentariorum de Verbi Dei corruptelis, adversus novos et veteres Sectariorum errores. . . . Authore D. *Petro Canisio*" Ingolstadii 1583 in lucem prodiit, hae litterae exstant (f. a 2[a]—a 5[a]), nonnihil tamen immutatae (C), et valde verisimile est, Canisium ipsum ita eas immutasse. Quae item positae sunt in eiusdem Operis editionibus Parisiis et Lugduni a. 1584 factis.

Sancta Maria semper maximeque laudari debet, inprimis autem nunc, cum multi ei obtrectant. Quare Canisius hoc „bellum marianum" suscepit. Albertus eius de Ioanne Baptista librum legit, Mariam semper coluit, ad ottingensem eius aedem pie adiit; Guilielmus eius filius et ad hoc et ad tuntenhusianum eius templum religiosissime peregrinatus est. Principum Bavariae singularis in Mariam pietas; templa mariana et alia; principes populusque Bavariae in vetere fide constantes. Canisius et tota Societas Iesu Alberto totique Bavariae plurimum debent.

[1] Significari videtur monasterium „S. Peter an der Fahr", quod virginum ordinis Praedicatorum erat (neque collegio Societatis traditum est); v. *Gröber* l. c. 4.

SERENISSIMO ET
ILLVSTRISSIMO PRINCIPI
AC DOMINO, D. ALBERTO COMITI
Palatino Rheni, superioris et inferionis Bauariae Duci[a], PETRVS CANISIVS Theologus in Christo IESV
S. P. D.

EQVIDEM ITA CENSEO, SErenissime Princeps, quam diu in orbe viguit religio Christiana, tam copiose ac elaborate nihil esse dictum et scriptum, quantumuis id multi tentauerint, quod sacrosanctae Virginis MARIAE[b] laudibus, honori ac meritis vlla ex parte satisfaceret. Nam etsi[c] praetermissis alijs, hoc vnum[d] duntaxat quod Euangelica prodit historia, de MARIA cognosceremus, mox tantae illius virtutes ac dotes apparerent, quantae nec verbis exprimi[e], neque calamo describi, nec humanae quidem mentis acumine comprehendi possunt. Et tamen magnopere confert, omniumque in Christum credentium interest, suos MARIAE non deesse laudatores[f], eosque non solum optimos ac peritissimos, quorum ingens paucitas[g] esse solet, verum etiam mediocriter saltem hac facultate praeditos, vt suam de illa fidem aperte testentur, aliosque moneant ac doceant, cum in Sanctis aliis, tum in hac sanctissima et praestantissimis donis exornata[h] fontem ipsum bonorum omnium DEVM recte suspicere, palam praedicare, et cum fructu venerari[i]. Sed quemadmodum illi, qui debitam et iustam MARIAE laudem tribuunt, sunt plurimum commendandi: sic contra vix nomine quidem Christiano digni videntur, qui propter Christum Dominum benedictam vere Matrem eius nec amant, nec colunt, nec magnifaciunt, quum hoc ipso declarent, se in Iudaeis impiis[k] potius quam[l] Christianis esse recensendos. Etenim illi secundum Christum[m] nullius beatorum sanctitati ac gloriae, praeterquam laudatissimae Virginis, sunt magis infensi: hi vero diuino parentes oraculo[n], Matrem Domini nullo non saeculo beatam dicunt publiceque celebrant per omnes credentium Ecclesias et[o] generationes[1]. Cuius laudationis ne probata deessent exempla, quae futuris aetatibus Ecclesiae, perpetuo quasi praelucerent, ecce tibi primos[p] velut Euangelij testes, magnum illum dico Archangelum Gabrielem, et sanctam Ioannis Baptistae matrem Elizabetham. Ambo enim coe-

a) *In B sequitur* Patrono benignissimo, *oblitteratum.* b) Virginis matris *B.* c) *In B Can. sic correxit ex* satisfaciat. Siquidem etiamsi. d) *Hoc v. in B a Can. ipso additum est.* e) *Sic in B Can. correxit ex* efferi. f) *In B a Can. corr. ex* praecones. g) *In B a Can. corr. ex* raritas. h) et post Christum excellentissima creatura *B; in C post v.* exornata *sequitur:* Virgine matre. i) *In B vv. sqq., usque ad* contra *incl., a Can. in margine addita sunt, oblitteratis in ipso litterarum corpore vv.* Illi autem. k) *In B Can. sic correxit ex* se ad impios Iudaeos. l) *In B sequitur* in, *oblitt.* m) secundum suum et nostrum Messiam, *C.* n) *In B Can. pro vv.* recensendos. Cum hoc ipso declarent, se ad impios Iudaeos potius quam ad Christianam pertinere gentem, quae ut diuino pareat oraculo, *quae primum scripta erant, vv., quae supra sunt posita, scripsit, praeterquam quod pro* beatorum *scripsit* coelestium ac beatorum, *et pro* laudatissimae *scripsit* huius laudatissimae. o) *Haec 2 vv. in B a Can. ipso addita sunt.* p) *In B a Can. corr. ex* en primos.

[1] Lc 1, 48.

lesti Spiritu afflati ac venerabundi, singularem MARIAE dignitatem atque praestantiam clarissimis verbis[a] initio praedicauerunt[1]. Quod si antehac vnquam, nunc sane potissimum incredibilis MARIAE virtus et dignitas agnoscenda simul et profitenda est, quum noua impietas et impia nouitas (proh pudor) permultos Mariomastigas[2] in orbem extrusit, qui Virgini Matri, quemadmodum postea monstrabimus, miris modis clam palam inuident, obtrectant, adeoque impudenter insultant[b]. Sed hoc totum Satanae, antiquo nimirum serpenti[3], tribuendum est, qui ad suum acerbissimum odium, quod in alteram hanc Euam iampridem collegit effundendum[c], nihil prorsus intentatum relinquit, eoque contendit[d] maxime, vt primum optimae Matri, deinde paulatim[e] et praepotenti eius Filio cultus debitus, si vsquam alibi, potissimum certe in Prouincijs Septentrioni subiectis imminuatur, ac prorsus labefactetur[f]. Quocirca huius deprauati, ne dicam[g] furiosi saeculi improbitate permotus, committere non potui, quin maledictis benedicta quaedam opponerem, et pro mea erga hanc talem tantamque Matrem obseruantia, scriberem aliquid, quod si placare non posset aduersarios, at certe quidem doctrinam Ecclesiae firmiorem, ac fortassis etiam aliquanto illustriorem fratribus redderet. Quod opus vt late admodum patet (plenum est enim contentionum) sic etiam in recessu plus habere videtur, quam prima fronte promittat: ideoque nobis, si verum fatendum est, non mediocri labore constitit, praesertim quia bellum, vt sic dicam, Marianum conficiendum fuit[h], in quo[i] cum hostibus insidiosis, versipellibus, peruicacibus confligeremus[k], qui nulla se ratione vinci patiuntur, sed et victi manus dare nolunt, et more anguillarum lubrici, quoquo illos modo apprehenderis, arte et fraude quadam elabuntur[l].

Quicquid autem hoc erit certaminis ac operis nostri, quod non gloriolae[m] captandae, sed veritatis tuendae studio susceptum, et nunc tandem aliquando Duce Christo confectum in lucem proferimus, id nulli alij quam Amplitudini Tuae Illustriss. Princeps nominatim volui dedicare. Primum enim, praeclaram in spem venio, fore vt MARIAE Orthodoxa defensio pondus apud te habeat, qui summo iudicio[n] omnium opinione polles, quique de sacris libenter et saepe audis et

a) *In B a Can. corr. ex* praestantiam constanter expressis uocibus. b) *Sic Can. in B correxit ex* obtrectant insultantque. c) *In B Can. sic correxit ex* Sed hoc nefarium studium ad authorem Satanam, antiquum nempe serpentem, referendum est, qui ad suum explendum odium uetus, quod in alteram hanc Euam concepit ac retinet acerbissimum. d) *In B sequitur* nunc, *oblitt.* e) *Hoc v. in B a Can. ipso additum est.* f) *In B Can. ex vv.* cultus debitus, praesertim in Aquilone, adimatur *sic correxit, praeterquam quod post* potissimum *non posuit* certe. g) *In B sequitur* et, *oblitt.* h) *In B primum quidem scriptum erat:* Marianum primi quodam modo aggredimur; *deinde autem prima tria vv. oblitterata sunt.* i) *In B loco vv.* in quo *est* et. k) *In B Can. primum posuit* dimicantes, *deinde huius loco* confligentes, *postea* conflicturi. l) *Sic in B a Can. mutata et amplificata sunt vv.* manus dare recusant, cominus congrediendum est. m) *In B a Can. corr. ex* gloriae. n) *In B sequitur* ex, *oblitt.*

[1] Cf. Lc 1, 26–35; 39—45.

[2] Mariae insectatores sive impios obiurgatores (μάστιξ = flagellum).

[3] Apc 12, 9; 20, 2.

intelligis[a], ac praeterea Ioannem nostrum Baptistam a sectariorum iniuria nuper vindicatum[1] legisti sedulo, et lectum tuo etiam calculo dignum existimasti. Deinde nobilissima et illustrissima[b] Virgo ad vere nobilem illustremque Principem merito mittitur, eum praecipue, qui antiqui[c] stemmatis dignitatem ac gloriam heroicarum quoque virtutum splendore summopere ornat atque commendat[d]. Sed et illud, me ad hoc opus tibi nuncupandum adduxit, quod existimarem, quae de MARIA nunquam satis laudata Virgine scriberentur, religioso Principi non posse non probari, qui iaminde a prima aetate MARIAM in summo precio habuisset, et eiusdem honori semper studuisset, memoriaque fuisset plurimum delectatus[e]. Quare non ita pridem contigisse nouimus, sicut et illi qui coram adfuere magnates[f] testantur, vt Ottingensem[g] aedem religionis ergo inuiseres, et eximis quibusdam oblatis ad altare muneribus publice cohonestares. Loquor autem de peruetusta apud Ottingenses[h] aede[2], quam sanctus Antistes, idemque Bauarorum olim Apostolus Rupertus[3] suis venerandis manibus primum in ditione tua[i] consecrauit[4], quamque gloriosus in Sanctis Deus[5] magnis persaepe miraculis[k] in hunc vsque diem illustrat, quam demum nec Bauari solum, sed etiam exteri complures reuerenter ac frequenter adeunt, ingentique cum fructu, quantumcunque noui calum-

a) *In B Can. sic correxit ex* libenter et saepe cognoscis. b) *In B a Can corr. ex* nobilis et illustris. c) qui sui peruetusti *C.* d) *In B Can. sic correxit ex* qui cum antiqui stemmatis gloria hoc loco non repetenda heroicas quoque uirtutes, et in his pietatem auitam, studiose coniungit. e) *In B primum quidem scriptum erat:* Sed et illud meum in dedicando institutum confirmat, quod quae de Maria nunquam satis laudata Virgine scribuntur, religiosi Principis animo facile adlubescant, eius maxime, qui iam inde a primis annis Mariam in pretio habuit, ut par erat, maximo, et eiusdem honori semper studuit, sanctaque memoria crebro delectatur; *deinde autem Can. horum vv. loco ea posuit, quae supra sunt posita, praeterquam quod loco v.* nuncupandum *scripsit* inscribendum, *et post* non probari *scripsit* ei maxime, qui. f) *Hoc v. non est in B.* g) Oetingensem *C.* h) Oetingenses *C.* i) *In B a Can. corr. ex* in Bauaria. k) *In B sequuntur vv.* sicut etiam in Dontenhausen, *oblitt.*

---

[1] Cf. infra, monum. 1102.

[2] P. *Paulus Hoffaeus* S. J. S. Francisco Borgiae Augusta 7. Aprilis 1571 de Alberto V. *scripsit: „Superioribus diebus profectus est cum tota domo Bauarica in quendam locum D. Virginj sacrum vbi in habitu Ducali formalj, sacrificantibus Archiepiscopo Salzburgensi et Episcopo Passauiensi, obtulit B. Virgini ornamenta sacerdotalia, statuas argenteas Apostolorum et sex aliorum sanctorum, Christj et et B. Virginis statuis inauratis, quae omnia supra viginti millia florenorum aestimata sunt" (ex autogr.; Germ. 133[a] f. 200[a]).

[3] De S. Ruperto primo episcopo salisburgensi v. *Can.* VI 430 [1].

[4] Ottingae (Altötting) sacram Beatae Mariae Virginis aediculam a S. Ruperto consecratam esse affirmavit Ioannes Turmair sive Aventinus († 1534) historicus bavarus in sua „Historia Oetingae"; quem Martinus Eisengrein collegialis ecclesiae ottinganae praepositus et universitatis ingolstadianae vicecancellarius in libello „Vnser liebe Fraw zů Alten Oetting" Ingolstadii a. 1571 a se edito secutus est. Verum iam inde ab initio saeculi XVII. complures historici graves eam sententiam vel in dubium vocaverunt vel omnino improbarunt (*G. Hager*, in „Die Kunstdenkmale des Regierungsbezirkes Oberbayern, bearbeitet von Dr. *Gustav von Bezold,* Dr. *Berthold Riehl*, Dr. *Georg Hager*, III, München 1905, 2383—2387).

[5] Cf. Ps. 67, 36.

nientur Vigilantiani[a] [1], in honorem MARIAE Virginis celebriorem indies efficere non desistunt[b]. Idem ego de lectissimo Filio tuo et Illustriss. Principe GVILIELMO possem dicere, qui eodem pietatis ardore incensus, et paternae virtutis aemulator studiosissimus, non solum Ottingensem[c], quam dixi, verum etiam Dontenhausianam aedem Deiparae sacram superioribus Annis haud semel inuisit[2]. Sed qua ille pompa, quo apparatu quaeso, suam in Dontenhausen profectionem sancte susceptam absoluit? Vltro in viam se dedit egregius Heros, simplici vestitu contentus abijt, vt a praetereuntibus ne agnosceretur quidem, suum equum sacerdoti profectionis comiti[3] vtendum tradidit, ipse longum iter pedibus confecit, paucis etiam qui comitarentur assumptis, nec alijs adhibitis armis, quam quod baculum peregrinatorium, qui fortasse vix triobularis esset, manu teneret, etiamsi calores aestiui hanc illi peregrinationem difficiliorem redderent. Qui quum ad sacram aedem peruenisset, non sat habuit precari Dominum supplex, sed sacerdoti etiam sua peccata confessus est, et sacrosanctam sumpsit Eucharistiam, nihilque demum praetermisit, quod ad pia vota Deo summo, et sacratissimae Virgini religiose persoluenda spectaret. Ego vero[d] rara haec et memoranda vestrae pietatis exempla tanto libentius repeto, magisque probo, quo certius mihi persuasum est, singulare istiusmodi religionis auitae studium atque testimonium clementissimo Deo, eiusque venerandae semper Matri admodum placuisse, neque vero apud permultos etiam tum praesentes tum absentes pondus exiguum habuisse[e].

a) *In B Can. sic correxit ex* solis calumniantibus Vigilantianis. b) efficere pergunt *B. Omnia vero, quae sequuntur, usque ad* stabilitatem atque splendorem non iniuria demirentur *incl., in B desunt. Horum autem loco primum haec scripta erant:* Accedit quod legitimus Mariae honos cum ueteri pietate coniunctus, qui hoc opere ni fallor, utcunque uindicatur, iure quodam domui uestrae Bauaricae debeatur, ut quae purissimam et dignissimam Dei genitricem, semperque uirginem Mariam peculiariter hucusque coluit, et summopere obseruauit: quemadmodum templa et sacella plurima in eius honorem a uestris maioribus piissimisque Ducibus religiose constructa liberaliterque dotata passim abunde testantur. *Deinde Can. ea lineis transmissis oblitteravit, ita tamen, ut signo in margine apposito notaret, se in folio codici vel inserto vel inserendo eadem copiosius et accuratius vel dixisse vel dicturum esse.* c) Oetingensem *C.* d) *C perperam:* voro. e) neque solum apud praesentes, sed absentes etiam pondus et momentum ingens obtinere *C.*

---

[1] De his v. *Can.* I 218[1]; II 245[3].

[2] Canisius „Tuntenhausen“, vicum Bavariae superioris, significat, cuius ecclesia habet Beatae Mariae, in cuius gremio puer Iesus est, statuam ab admirandis in supplices beneficiis celebrem (*Guil. Gumppenberg* S. J., Atlas Marianus, Monachii 1672, 2009 [nr. 1065]).

[3] P. *Dominicum Menginum* S. J., Guilielmi confessarium, significari puto. Ille Monachio 22. Iunii 1571 de ottingana peregrinatione a Guilielmo et Renata Lotharinga eius uxore suscepta S. Francisco Borgiae praeposito generali *scripsit: „Jllustrissimus Dux Guilhelmus . . . pede, baculum tenens in manu profectus est ad sanctam Mariam, Locus autem hinc distat 7 miliaribus germanicis: adfuerunt illi ad vigintj nobiles omnes pedestri itinere praeter suum Medicum et me ob corporis debilitatem. Jbj confessionem eius excepi et ei sanctam communionem dedi vna cum Jllustrissima coniuge, quae etiam generalem totius vitae ibi confessionem fecit cum quibusdam aliis. Multae eleemosinae factae sunt, multa munera oblata, pene totam diem in oratione genibus flexis consumpserunt boni peregrini“ (ex autogr.; Germ. 133 f. 293[a]).

Talium enim exempla principum, qui Constantinos, Theodosios, Carolos, Ottones, Henricos vt per se religiosissimos, ita de Repub. Christiana optime meritos proceres imitantur, hoc maxime saeculo[a] desiderantur, saeculo[a], inquam, quo vetus illa saepeque laudata sanctae peregrinationis forma tam foede neglecta, quam impie contempta[b] iacet, ac si vsquam alibi, tum apud Bauaros maxime in vsum publicum reuocatur.

Quocirca si legitimus MARIAE honos, quem tot aetatibus optimi et excellentissimi homines comprobarunt, hoc opere vtcunque vindicatur, id profecto iure quodam Domui Bauaricae vestrae debetur, quae nimirum purissimam et dignissimam Dei genitricem peculiariter hucusque coluit, ac summopere obseruauit. Cui rei argumento esse possunt templa illa, quemadmodum Ingolstadij et Monachij, sic alibi quoque per totam Bauariam passim in MARIAE honorem magnifice et eleganter exaedificata[1], a vestris vero maioribus piissimisque Ducibus vel sumptuose[c] posita, vel liberaliter dotata, variisque muneribus et ornamentis[d] tam praelare cohonestata, vt exteri sane hanc Bauaricorum templorum, simul et monasteriorum et sacellorum copiam, stabilitatem atque splendorem non iniuria demirentur. Commendent alij generis vestri, vt perantiqui[e], sic etiam admodum illustris Regijque[2] decus[f], quo alias Germanorum Principum familias complures praecellitis et obscuratis. Illud longe praestantius et memorabilius Dei donum est, vestraeque familiae immortalem parit gloriam, quod in summa temporum difficultate, et foedissima grassantium haereseωn colluuione[g] Catholicae doctrinae puritatem non solum syncere[h] amatis et colitis, verum[i] etiam inter medios et coniuratos Ecclesiae hostes singulari[k] studio et ardenti zelo[l] vindicatis. Cui ergo labor hic noster, qui pro veteris religionis officio certat, omnino rectius, quam inuicto illi Ecclesiae Catholicae Propugnatori inscriberetur, per quem inclyta Bauaria inter tot lapsas misereque[m] iacentes Germaniae Prouincias alias pulchre consistit, ac velut excelsa domus super firmam petram siue[n] rupem fundata[3] perdurat[o] immobilis, totque iam Annis in vna et veteri religione constans[p], iucundissima tranquillitate perfruitur[q]?

a) seculo *C.* b) contemta *C.* c) sumtuose *C.* d) muneribus, ornamentis, priuilegiis *C.* e) *In B a Can. correctum ex* peruetusti. f) *In B a Can. corrctum ex* splendorem. g) *Sic Can. in B correxit ex* difficultate, atque inter medios Ecclesiae hostes. h) sincere *C; in B hoc v. non est.* i) sed *B; 7 vv. sqq. in B ab ipso Can. addita sunt.* k) *In B sequitur* etiam, *oblitt.* l) *In B sequitur* integre, *oblitt.* m) foedeque *B.* n) super petram uel *B.* o) *Sic Can. in B correxit ex* perstat. p) *Hoc v. deest in B.* q) *In B primum erat scriptum:* tot iam annis iucunda fruitur tranquillitate.

---

[1] Monachii ecclesia Beatae Mariae Virginis, olim collegialis, nunc metropolitana (cui exstruendae primarius lapis a. 1468 positus est) Sigismundo Bavariae duce aedificata est. Ingolstadii autem ecclesiam Beatae Virginis parochialem (cui exstruendae lapis primarius positus est a. 1425) fundavit Ludovicus barbatus Bavariae dux (Die *Kunstdenkmale* des Regierungsbezirkes Oberbayern I 24—41; II 970—1007).

[2] Bavariae principes originem ducebant ex Ludovico Bavaro († 1347), illo, qui se „Ludovicum quartum Romanorum imperatorem" vocabat, eiusque uxore Beatrice Poloniae regina. [3] Mt 7, 25; Lc 6, 48; cf. Mt 16, 18.

Sic enim Bauari et nomine et officio Catholici perseuerant (immortales Deo gratiae)[a] nulla vt humana vel Satanica vis tanta sit, quae illorum animos ab Euangelio semel accepto (in hoc enim stant atque florent) possit dimouere[1]. Iactent alij purioris, vt vocant, religionis ac Ecclesiae nouae dogmata, quae sine tot tantisque contentionibus, digladiationibus, turbis, seditionibus, rapinis atque sacrilegiis nec inuehi possunt, nec retineri atque defendi. Quae praeterea vt nobiles plerasque prouincias, sic florentissimum imperij Germanici statum ex pristina illa dignitate deiectum omni impietatis genere defoedarunt, perniciosissime distraxerunt, grauissimeque dilacerarunt[b]. Quanto autem rectius[c] Bauari sapiunt, quos vicinorum vel lapsus, vel stultitia[d], vel coecitas[e], vel detrimentum prudentiores effecit, vt iam specioso Euangelij noui praetextu; et blandientis Verbi[f] fuco se non patiantur illudi, vtque religionis doctrinam non varient, vtpote qui se ad immutabilem Christianae fidei vnitatem semel[g] adscitos et admissos esse loetantur[h]? Proinde vt se[i] germanos et legitimos Ecclesiae ciues praestare pergant, Apostolicum illud depositum[2] mordicus retinent, quod primi eorum in Christo Patres et Apostolici viri iaminde[k] ab initio Germanis concrediderunt, ipsisque veluti per manus traditum relinquerunt. Iis ducibus, ijs pastoribus doctoribusque contenti, Euangelij noui ministros nec requirunt, nec probant, sed in illa puri puti Euangelij praedicatione acquiescunt, quam post Apostolos tradiderunt Lucius, Rupertus[l], Virgilius, Erardus, Wolfgangus[m], Wilibaldus, Corbinianus[3] alijque id genus Euangelicae simul et Catholicae pietatis assertores[n] omni exceptione maiores, qui, vt tota praedicat Ecclesia, vitae sanctimonia non minus quam Euangelij syncere[o] praedicati successu, frequenter et miraculorum gloria commendati, iam olim apud Bauaros insigniter claruerunt. Errant sane qui putant, Bauaros in Apostolicis literis tam infoeliciter[p] esse versatos, vt nesciant ad se quoque pertinere, quod gentium Doctor in fide et veritate[4] Paulus tam serio quam necessario sanxit: SI QVIS vobis euangelizauerit praeter id

a) *In B Can. ex* et nomine, et officio catholici Bauari per Christi gratiam perseuerant *correxit:* Bauari et nomine, et officio catholici gratia domini perseuerant. b) *B:* Quae praeterea imperium Germanicum ita misere distraxerunt, et in has extremas, quas cernimus, angustias coniectum reliquerunt*; quae duo ultima vv. a C. ipso posita sunt pro* deduxerunt, *quod primum erat scriptum.* c) *In B Can. sic correxit ex* Quo rectius quidem. d) *In B a Can. corr. ex* ruina. e) *In B 2 vv. sqq. a Can. ipso addita sunt.* f) doctrinae *B.* g) *In B vv.* utpote *et* immutabilem *et* semel *a Can. ipso addita sunt.* h) *In B a Can. corr. ex* norunt. i) *In B hoc v. a Can. ipso additum est.* k) *In B :* iam inde; iam *a Can. additum est.* l) Rubertus *B.* m) Wolffgangus *C.* n) *In B Can. sic correxit ex* catholicae doctrinae professores. o) sincere *C.* p) infeliciter *C.*

[1] Cf. Gal 1, 6—12. [2] Cf. 1 Tim 6, 20: 2 Tim 1, 14.

[3] De S. Lucio Raethiae apostolo v. *Can.* VI 430[1]; de S. Ruperto v. supra p. 381[3]; S. Virgilius hibernus, episcopus salisburgensis († 784), sub a. 745 in Bavariam venit; S. Erardus saeculo VII. episcopus ratisbonensis fuisse traditur; eandem dioecesim rexit S. Wolfgangus O. S. B. suebus († 994); S. Willibaldus O. S. B. anglus a S. Bonifatio episcopus consecratus et episcopatui eystettensi praepositus est († 786 vel 787); S. Corbinianus gallus, primus episcopus frisingensis, a Gregorio II. papa in Bavariam missus est († 730). [4] 1 Tim 2, 7.

quod accepistis, Anathema sit[1]. Qui Apostolicus Canon quantumuis varie a multis hodie arripiatur atque dilaceretur[a], tamen si Athanasio Magno et Vincentio Lirinensi fidem habemus, ab illis quidem proprie obseruatur, qui Apostolicae tum doctrinae, tum traditionis lineae diligenter insistunt, et nec religionis et doctrinae nouae magistris, nec sanctae et Apostolicae Ecclesiae contemptoribus locum vllum reliquum faciunt[2]; quinimo[b] his omnibus cum Paulo perpetuum dicunt Anathema, et in praeclara illa Tertulliani sententia conquiescunt: Regula fidei omnino vna[c] est, sola immobilis et irreformabilis[d][3]. Conseruet in illis hanc gratiam perpetuo Deus, vt auream Antonij Magni sententiam suis infixam animis teneant[e], qui quum Annos centum et quinque perquam sancte vixisset, iamque moriturus velut testamentum vellet condere, hoc memorabile dictum inter vltima mandata, suis commendauit: CVSTODIENDA est pia fides in Christum, et Patrum religiosa traditio, quemadmodum Athanasius de hoc viro celeberrimo scribit[f][4]. Tu vero ALBERTE Princeps, praeterquam quod piae in Christum fidei, et religiosae Patrum traditionis[g] fidissimus ac tenacissimus es Custos, quo nomine plurimum ab exteris quoque commendaris, tanto etiam Catholicae pietatis[h] tuendae studio flagras, vt Iosiam aliquem aut Theodosium nobis referre videaris[5]. Ingenti enim cura prudentiaque singulari prospicis, vt profligatis lupis[6], pastores idonei

a) *In B a Can. corr. ex* laceretur. b) quin imo *B; imo a Can. ipso additum est.* c) una omnino *B.* d) *In B vv.* et in praeclara, *usque ad* irreformabilis *incl., a Can. ipso addita sunt; qui primum quidem scripserat:* et memorabilem Tertulliani sententiam tenent: Regula *etc., ut supra. Ibidem in margine notatum est:* De uirginib. uelandis. *Quae autem sequuntur, usque ad* celeberrimo scribit *incl., in B desunt.* e) tenere pergant *C.* f) testtaum reliquit *C; corrigendum:* testatum reliquit. g) quod Catholicae pietatis *B.* h) etiam religionis *B.*

[1] Gal 1, 9.

[2] *S. Athanasius* de synodi I. nicaenae patribus: „*Περὶ τῆς πίστεως ἔγραψαν . . . ‚Οὕτως πιστεύει ἡ καθολικὴ Ἐκκλησία‘ . Καὶ εὐθὺς ὡμολόγησαν πῶς πιστεύουσιν, ἵνα δείξωσιν, ὅτι μὴ νεώτερον, ἀλλ' ἀποστολικόν ἐστιν αὐτῶν τὸ φρόνημα, καὶ ἃ ἔγραψαν, οὐκ ἐξ αὐτῶν εὑρέθη, ἀλλὰ ταῦτ' ἐστίν, ἅπερ ἐδίδαξαν οἱ ἀπόστολοι*“ (Epistola de synodis n. 5; *Migne* P. gr. XXVI 688). Idem *Athanasius* ad Arianos: „*Ἰδοὺ ἡμεῖς μὲν ἐκ Πατέρων εἰς Πατέρας διαβεβηκέναι τὴν τοιαύτην διάνοιαν ἀποδεικνύομεν· ὑμεῖς δὲ, . . . τίνας ἄρα τῶν ῥημάτων ὑμῶν ἔχετε δεῖξαι Πατέρας;*“ (Epistola de decretis nicaenae synodi n. 27; *Migne* P. gr. XXV 465). Cf. etiam supra p. 67. *S. Vincentius Lerinensis:* In sacra Scriptura interpretanda „multum necesse est, propter tantos tam varii erroris anfractus, ut propheticae et apostolicae interpretationis linea secundum Ecclesiastici et Catholici sensus normam dirigatur. In ipsa item Catholica Ecclesia magnopere curandum est ut id teneamus quod ubique, quod semper, quod ab omnibus creditum est. . . . Sequemur autem . . . antiquitatem . . . ita, si ab his sensibus nullatenus recedamus quos sanctos maiores ac patres nostros celebrasse manifestum est“ (Commonitorium primum, n. 2; *Migne*, P. lat. L, 640).

[3] De virginibus velandis c. 1 (*Migne*, P. lat. II 937).

[4] „*Τηρεῖτε τήν τε τῶν Πατέρων παράδοσιν, καὶ προηγουμένως τὴν εἰς τὸν Κύριον ἡμῶν Ἰησοῦν Χριστὸν εὐσεβῆ πίστιν*“: Vita S. Antonii n. 89 (*Migne*, P. gr. XXVI 968).

[5] De Iosia rege Iuda († 611 a. Chr.) v. 4 Rg 21, 24; 22, 1—20; 23, 1—25; Eccli 49, 1—4. De Theodosio Magno Romanorum imperatore v. supra p. 327.

[6] Cf. Mt 7, 15; Io 10, 11—16; Act 20, 29.

passim[a] constituantur[b], suaque Ecclesiae iura bona fide reddantur. Non te sumptus[c] deterrent, non minae Principum, variaque obiecta pericula remorantur, quo minus templis[d] Catholicis consulas, vt diuinus in illis cultus aut instauretur, aut confirmetur promoueaturque. Vident ac dolent aduersarij suos saepe conatus tuis impediri consilijs, et quod ad Catholicum institutum pertinet, authoritate tua prouehi atque defendi queruntur[e]. Sic demum res Prouinciae tuae moderaris, vt quamuis inuideant, frendeant ac obsistant plurimi, tamen Bauariam cum alijs praesidijs et ornamentis mirum in modum instruas, tum in Catholicae religionis instituto ita confirmes, nulla vt fere sit Germaniae ditio alia in Orthodoxae fidei professione constantior, et quae a nouae istius doctrinae fermento[1] atque toxico[f] magis[g] abhorrens et aliena esse videatur[2].

Postremo ad praesentem nuncupationem me illud inuitat ac permouet, quod palam extare cupiam hoc qualecunque testimonium veteris obseruantiae ac debitae gratitudinis erga te meae Humanissime idem et Benignissime Princeps. Memini enim Annum nunc agi vigesimum sextum[h], quum ex vrbe Romana missus, in Bauariam ego primum accessi, et Ingolstadij coepi sacras literas profiteri[3]. Ex quo tempore nostri ordini homines tuam Patroni singularis non exiguam beneuolentiam, paremque liberalitatem, Monachij praesertim et Ingolstadij, saepenumero sunt experti[i]. Quare illorum et meo nomine testatum velim

a) *In B hoc v. a Can. ipso additum est.* b) *Quae sequuntur, usque ad* Non te *excl., in B non sunt.* c) sumtus *C.* d) Ecclesijs *C.* e) *Sic in B Can. ex* consilijs, et authoritate tua confringi atque dissipari *correxit, praeterquam quod non posuit v.* queruntur. f) *In B Can. sic correxit ex* ueneno. g) *In B 2 vv. sqq. a Can. addita sunt.* h) quartum *B;* septimum *C.* i) *In B primum sic erat scriptum:* in Bauariam ego primum accessi, et Ingolstadij coepi sacra profiteri, interea uero non solum ab excellentia tua, sed etiam ab optimo eius parente clarissimoque Duce Wilhelmo multa magnaque beneficia saepe sum consequutus. Neque noua uel obscura est ea liberalitas, quam nostri ordinis omnes tot iam annis in se conferri sentiunt, ut praeter te nullum fere patronum et mecaenatem in Germania aeque munificum, magisque fidum et fauentem experiantur. Adeo non desistit pietas tua hanc IESV minimam societatem beneuolentia summa complecti et in illa multos humanissime fouere, qui suam dent operam curandae Bauaricae messi, nimirum ut Catholicum hunc gregem in ueram pietatem confirment, et contra lupos imminentes uigilent, simulque morbidis ouibus consulant, quibus uicina lues aliquid contagionis afflauit. *Haec autem Can. semel atque iterum immutavit et tertia demum correctione ita scripsit, ut supra sunt posita.*

---

[1] Cf. Mt 16, 11 12; Mc 8, 15; Lc 12, 1; 1 Cor 5, 6; Gal 5, 9.

[2] Optime de Alberto V. *Aloysius Knöpfler:* „Im Bewusstsein hl. Fürstenpflicht und schwerer Verantwortung war sein erstes Streben, dem Lande im Ansturm der Zeit den altererbten katholischen Glauben zu erhalten und zwar zunächst nicht auf dem Wege der Gewalt, sondern durch ernste Reform, genaue Unterweisung und heilsame Belehrung. Erst wenn alle diese Mittel der Güte erfolglos erschöpft waren, griff er auch zu ernster Strafe nach dem Grundsatz, daß ein schwer Kranker auch gegen seinen Willen vor Schädigung bewahrt werden müsse. . . . Unbestreitbar ist Albrecht V. von Baiern eine der edelsten Fürstengestalten in den sturmbewegten Tagen der Reformationszeit: Die Kelchbewegang in Bayern unter Herzog Albrecht V., München 1891, 222—223.

[3] At Canisius Ingolstadium venit et theologiam in universitate docere coepit m. Novembri 1549 (*Can.* I 690—691). Aut igitur eum, cum a. 1577 haec scriberet, memoria fefellit, aut has litteras vel hanc litterarum partem ille iam scripsit a. 1574 exeunte vel a. 1575 ante m. Novembrem; atque hoc mihi quidem magis probatur:

publice, Societatem hanc omnem amplitudini tuae, ac eius vniuersae ditioni sic esse deuinctam, vt etiamsi in Bauarica vinea plurimum laboremus, quod quidem facere Christo duce conamur, tamen pro summis in nos beneficijs tuis iustam dignamque gratiam referre nunquam posse videamur. Precamur autem Christum IESVM Dei Patris et MARIAE Virginis Filium Opt. Max. velit vt ipse Vestrae beneficentiae amplissimus esse remunerator, et collatam in nos gratiam solidis illis compensare bonis, quae immortales animos vere locupletant ac beant. Ille idem[a] tuam Celsitudinem diu nobis ac Ecclesiae sospitem, praeclaram vero ipsius familiam, omnemque Bauariam in officio Catholicae religionis constantem perpetuo tueatur atque conseruet[b]. Ingolstadij anno post salutiferum partum Virginis supra Sesquimillesimum Septuagesimo septimo[c].

Canisius Mercuriano praeposito generali S. J. scripsit Ingolstadio 6. Ianuarii 1577, se Alberto V. „opus Marianum nuncupauisse", et Augusta 25. Aprilis 1577, „eandem dedicationem" iam „excusam esse"; v. infra epp. 1969 1979. Hae igitur litterae initio m. Ianuarii a. 1577 datae sunt.

1969. CANISIUS **EVERARDO MERCURIANO** praeposito generali Societatis Iesu. Ingolstadio 6. Ianuarii 1577.

Ex autographo (2°; 1 p.; in p. 4 inscr. et brevis epistulae summa a P. Possevino Societatis secretario scripta). Germ. 183 f. 261a—262b. Partem harum litterarum germanice reddidit *Janssen* l. c. VII[1—12] 158; iisdem usus est *Michel*, Can. 369.

Opus Marianum. Provincialis. Visitator. Collegia ingolstadiense, dilinganum, constantiense etc. Albertus V. Nuntius apostolicus eiusque nepos.

† Pax Christi nobis aeterna et felix annus

Admodum Reuerende Pater.

Quas P. T. 22 Septembris ad me dedit accepi, quum ex Comicijs Jmperij huc me recepissem, ut Mariani operis editioni coram adessem, eaque duce Christo mense Martio absoluetur. Multum autem hic laborandum est, ut emendate liber prodeat: de quo alij postea, et inprimis P. T. iudicabunt. Peracta editione, quantum ex P. Prouintiale[1] intelligo, Oenipontum remittar: fiat autem Domini uoluntas[2].

Et quoniam de P. Prouintiale scribendum nunc est aliquid[3], existimo illum in officio esse, et utiliter gubernare nostros, recteque uersa[ri][d] cum exteris. Deo sit gratia, qui nobis illum irreprehensibilem praebet. Esset tamen et ipsi et alijs non mediocris futura con-

a) *In B a Can. corr. ex* Hic ipse. b) *In B a Can. corr. ex* ac seruet. c) *Sic C quoque; in B primum post v.* conseruet *scriptum erat* Augustae Vindelicorum, *nullo ascripto tempore; deinde Can., his vv. oblitteratis, scripsit:* Oeniponti anno post salutiferum partum Virginis supra sesquimillesimum septuagesimo quarto. d) *Autogr. hic habet lacunam.*

---

nam dilingano illi harum litterarum exemplo manu scripto, quod supra dixi, Canisius ipse annum 1574 ascripsit, et anno 1577, cum hae litterae (ut supra dixi) iterum typis exscriberentur, hoc loco pro „sextum" positum est „septimum". Ceterum vide supra p. 378.

[1] Paulo Hoffaeo. [2] Act 21, 14; cf. Mt 6, 10: 26, 42; Lc 22, 42.

[3] Cf. supra p. 8 [7] 273 [1].

solatio, si tamdiu optatus Visitator tandem accederet, indeque prouintiae huius[1] fructuosa renouatio sperari et accipi posset, quum sese omnes libere patefacerent, suaque desideria et sensa explicarent.

Collegium hoc non potest eum usum et fructum praebere, quem Dilingae colligimus, quoniam[a] potestatem in studiosos ualde impeditam habet, neque propria schola conceditur, quae uix ante annos aliquot extruetur, et magna hic uiget licentia, quae totum gymnasium propemodum infame reddit apud exteros. Sed fortasse paulatim inueteratis morbis remedia quaedam adhibebuntur, nobisque patienter agendum uidetur ob capitosos, ne crabrones irritati domesticam quoque pacem nobis obturbent. Debemus sane gratias liberali Principi[2], cui et opus Marianum nuncupaui, et qui prae caeteris Principibus nostros uidetur amplecti atque magnifacere. Conseruet dominus hanc Bauariam, quae sola inter tot prouintias non cecidit, sed constanter auitam religionem tuetur.

Hactenus nobiscum hic fuit Reuerendissimus D. Nuntius Portia[3], qui nunc Moguntiam et Coloniam petet. Nepos eius D. Hieronymus[4] tam grauiter decumbit, ut morti proximus habeatur: uterque nostram gentem diligit[5]. Fortasse moneri posset Prouintialis Rheni[6], ut huius Reuerendissimi Nuntij rationem singularem haberet, quum ex animo nostris faueat, ac subinde laboret, utpote ualetudinarius, nostrorumque consilijs libenter utatur. Collegium Dilinganum semper illi cordi fuit, et de illo iuuando scribit Romam iterum, quoniam Jllust. Card. Moronus illius curam singularem suscepit.

Expectamus quid Jllustr. Card. Constantiensis, ac Archidux[b] Ferdinandus tandem facturi sint: quum ambo[c] de collegio erigendo cogitent[7], ac ille quidem de suo Episcopatu rectius constituendo piam curam suscepit, sed nihil respondent Constantienses a nobis moniti[8], ut nostra si uelint, opera utantur[d] sicut P. Posseuinus scripserat faciendum esse.

Quod superest, commendo me plurimum P. T. eiusque sacrificijs et precibus in Christo Domino nostro, sicut et P. Assistentium quos singulos reuerenter salutatos uelim. Jngolstadij 6 Januarij 1577.

P. T.

filius indignus
Petrus Canisius.

a) *Sequuntur vv.* disciplinam a studiosis, *oblitt.* b) *Sequitur* Archidu, *oblitt.* c) ambro *autogr.* d) *Sic C. correxit ex* uellent, opera uterentur.

[1] Germaniae superioris. [2] Alberto V. Bavariae duci.

[3] Bartholomaeus de Portia; v. supra p. 376. Is paucis diebus post Ingolstadio discessit (*Hansen*, Nunt. I 26 30).

[4] Hieronymus de Portia; vide, quae de eo sub ipsas has litteras dicentur.

[5] Lc 7, 5. [6] Monitus est; vide, quae sub ipsas has litteras dicentur.

[7] Vide supra p. 377 378.

[8] Balthasar Wurer episcopus auxiliaris et Philippus a Freyberg decanus capituli cathedralis; v. supra p. 377.

† Admodum Reuerendo in Christo patri nostro, P. Euerardo Mercuriano Praeposito generali Societatis IESV. Romae.

Quod Canisius in his litteris de Bartholomaeo Portia commendabat, id effectum est; *Mercurianus* enim Roma 25. Februarii 1577 P. Hermanno Thyraeo provinciae rhenanae S. J. praeposito *scripsit: „Reuerendissimus Nuncius Apostolicus Jngolstadio Coloniam concessurus est. Qui vbi venerit velim Reuerentiam T. curare, vt nostri eum diligenter colant, et obseruent, ac omnibus humanitatis officijs, quae quidem institutis nostris consentanea sunt, prosequantur" (e comment.; Rh. Inf. I, I f. 1[a])

Quod autem Canisius scribit, Hieronymum de Portia Bartholomaei nepotem (cf. supra p. 316) gravissime aegrotare: aliunde intelligitur, eum decubuisse Ingolstadii et in ea infirmitate multum adiutum esse a Sociis; ex quorum numero Canisium fuisse certum est. Ita enim ipse *Hieronymus comes de Portia* Monachio 30. Aprilis 1577 Mercuriano *scripsit: „Laboraui et adhuc non sum vere conualescens, per sex menses continuos grauissimo et periculosissimo morbo, quamuis dej gratia usque jn hanc horam, natura praeualuerit, jn qua jnfirmitate nullum maius solatium et animae et corporis habui quam Patres societatis, Sed praesertim Jngolstadij ubi continuis orationibus apud D. Deum me adiuuarunt, et diu ac noctu quando grauissime decumbebam adfuerunt, et postea quotidie duo, per vnam horam adfuerunt, hic quamuis sim vicinior vestris aedibus tamen propter maiora jmpedimenta, non possum frui tanta consolatione, nisi Patrum orationibus" (ex autogr., Epp. Ext. 28 f. 91[a]).

Mercurianus Canisio respondit 25. Februarii 1577.

1970. Cardinalis **SCIPIO REBIBA**, episcopus sabinensis, supremus inquisitor CANISIO. Roma ineunte vel medio Februario 1577.

Ex autographa Canisii epistula, de qua infra, ep. 1973.

Canisius Ingolstadio 10. Martii 1577 Everardo Mercuriano praeposito generali scripsit: „Scripsit ad me Jllustriss. D. Cardinalis de Pisa, S. D. N. uisum esse, ut libros D. Philippi Fuggeri coram inspicerem, et de inspectis meum iudicium perscriberem."

Portia nuntius apostolicus Augusta 6. Augusti 1575 Romam ad cardinalem Comensem haec rettulit de Philippo Eduardo et Octaviano, Georgii II. Fuggeri 25. Augusti 1569 mortui filiis: Eos, cum in bibliotheca a patre magnis sumptibus instituta et multos libros prohibitos complectenti horum et ordinem immutare et numerum imminuere statuissent, a se petisse, pontificem rogarent, „che li facci gratia della licentia, essendo più desiderosi di tenerli per certa pompa che per curiosità c' habbino di studii, a i quali dopo que' prim' anni giovanili non attendono punto." Se igitur, eorum animos ab ea petitione dimovere frustra conatum, id saltem, quo melius eiusdem ratio cognosci posset, effecisse, ut sibi daretur auctorum illorum catalogus, huncque litteris suis modo adiungi. Ad haec *Comensis* Roma 3. Septembris 1575 Portiae respondit: Pontificem cardinali Pisano commisisse, ut catalogo illo viso responderet, num gratia illa salvo officio posset concedi (*Schellhass*, Nunt. V 120 165).

„Cardinalis Pisani" nomine hic significari non poterat cardinalis Ioannes Riccius, qui a. 1567 archiepiscopatus pisani nactus est administrationem: hic enim a. 1574 mortuus est (*Lor. Cardella,* Memorie storiche de' Cardinali IV, Roma 1793, 310—313); accedit, quod eum vocare solebant „cardinalem Politianum" (*Alph. Ciaconius* O. Pr. et *Aug. Oldoinus* S. J., Vitae, et res gestae Pontificum Romanorum et S. R. E. Cardinalium III, Romae 1677, 772). Significatur igitur Scipio Rebiba siculus, ex „Borgo di S. Marco" ortus, a. 1555 cardinalis creatus et archiepiscopatum assecutus pisanum, quo a. 1560 cessit; deinde a Pio V. supremus inquisitor nominatus et a Gregorio XIII. (a. 1574) episcopus sabinensis factus, 24. Iulii 1577 vita cessit; qui in ipso sepulcri elogio „Cardinalis Pisarum" vocatur (*Ciaconius-Oldoinus* l. c. III 850; *Cardella* l. c. IV 347—349).

1971. EVERARDUS MERCURIANUS praepositus generalis Societatis Iesu CANISIO. Roma 25. Februarii 1577.

Ex apographo eiusd. temp. vel commentario; in margine, eadem manu: „Jngolstadij P. Petro Canisio" Rh. Inf. 1. II f. 4b—5a.

Opus Marianum. Provincialis. Res ingolstadienses. Albertus V. et Ferdinandus II.; huic dedicandum opus Marianum. Portiae. Templum romanum.

Bene habet quod R. T. vt superiori Januario significauit tam diligenter incumbat in Marianum opus[a], sed gratum erit proximis literis cognoscere quousque id progressum[b] sit. Sed et de P. Prouinciali[1] eo libentius[c] audijmus, quod videmus reuerentiae t. iudicium caeterorum Patrum iudicio comprobari · qua de re agimus domino summas gratias, optamusque vt bonum illum patrem isti prouinciae diu incolumem seruet. De Jngolstadiana transactione omnia bona speramus, non nostris tantum sed externis etiam. Jd quod eo cumulatius consequemur quo R. T. collegium nostrum ac vniuersam[d] academiam sua prudentia, consilio, auctoritate magis adiuuabit. Quod attinet ad Serenissimum Bauariae Ducem[2] plane multa magnaque sunt eius merita in Societatem nostram, quo fit porro, vt eum omnibus grati animj officijs diligenter prosequi debeamus, sed tamen veremur ne satius sit Opus[e] Marianum[f] nuncupari Serenissimo Archiduci Ferdinando, tum quia id in collegio Oenipontano maxima ex parte elaboratum est, tum etiam quia[g] haec nuncupatio non parum momenti haberet ad reconciliandum[h] eius animum quem audio nobis fuisse suboffensum[i]. Etsi recens accepi eum[k] prae se ferre satis magnam erga nos beneuolentiam. De Reuerendissimo Domino Nuncio scribo ad P. Tyraeum[3], qui dabit operam vt nostri[l] nullam[m] erga eum officij partem praetermittant. Dolemus[n] D. Comitem Porsiam[4] eius nepotem morbo laborare, quo diligentius eum domino commendari curabimus[o] · velim r. t. proximis literis de eius valetudine diligenter ad nos perscribat. Haec habui quae Reuerentiae T. responderem. Caeterum nos Dei ope satis recte valemus, nec[p] mediocriter nos recreat templi nostri[5] moles, eo[q] perducta vt[r] fornicem absolutum habeat. Jta enim fit vt certo speremus nos[s] intra annum, aut citius etiam eo vsuros ad exercenda omnia

a) *Sic libr. correxit ex* diligenter curet, vt Marianum opus emendatum prodeat in lucem.
b) *Sic libr. correxit ex* ea res progressa. c) *Sequitur* vid, *oblitt.* d) *Sequitur* illam, *ex quo correctum est* ist; *dein hoc quoque deletum est.* e) *Sequitur* ist, *oblitt.* f) *Sequitur* a R. T., *oblitt.* g) *Sequitur* ad, *oblitt.* h) *Sequitur* vobis, *oblitt.* i) *Ita corr. est ex* animum nobis vt audio suboffensum. k) *Sequitur* magnam, *oblitt.* l) *Hoc v. supra versum scriptum est.* m) *Ita corr. est ex* nulli. n) *Ita in apogr. corr. est ex* Dominus. o) *Sequitur* Jnterim, *oblitt.* p) *Sequitur* par, *oblitt.* q) *Sequitur* proru, *oblitt.* r) *Sequitur* suum *vel simile v., oblitt.* s) *Hoc v. supra versum scriptum est.*

[1] Paulo Hoffaeo. [2] Albertum V.

[3] De litteris, quibus Mercurianus Bartholomaeum Portiam provinciae rhenanae praeposito commendabat, v. supra p. 389.

[4] Hieronymum Portiam; v. supra p. 388.

[5] Templum sanctissimi nominis Iesu, quod Alexander cardinalis Farnesius a. 1568 Romae ad domum professam Societatis aedificare coeperat; v. *Can.* VI 248.

Societatis nostrae munia · praesertim si R. T. hoc opus et nos omnes domino Deo diligenter commendabit. Romae .25. Februarij 1577.

Canisius Mercuriano rescripsit 25. Aprilis 1577.

1972. CANISIUS cardinali **SCIPIONI REBIBAE** supremo inquisitori. Ingolstadio circa 10. Martii 1577.

Vide supra, p. 389, et infra, primum caput ep. 1973.

1973. CANISIUS **EVERARDO MERCURIANO** praeposito generali Societatis Iesu. Ingolstadio 10. Martii 1577.

Ex autographo (2°; 1 p.; in p. 4 inscr. et reliquiae sig.). Germ. 183 f. 263[a]—264[b]. Litterarum particulam posuit *Sacchinus*, Can. 338. Iisdem usus est *Boero*, Can. 363.

Cardinalis Rebiba. Opus Marianum. Libelline germanici postea scribendi? Ubi? Contiones P. Hoffaei. Collegium lucernense. Belgium.

† Pax Christi nobis aeterna Admodum
Reuerende Pater.

Scripsit ad me Jllustriss. D. Cardinalis de Pisa[1], S. D. N. uisum esse, ut libros D. Philippi Fuggeri coram inspicerem, et de inspectis meum iudicium perscriberem. Quid ego respondeam, ex adiunctis cognoscet P. T. illasque correctas obsignari et eidem Cardinali tradi quaeso curet[a], addita inscriptione nominis, quod ego ex eius epistola cognoscere non potui. Alijs Cardinalibus ego, quod sciam, post ultimam Congregationem non scripsi, nisi Constantiensi[2], quemadmodum P. Posseuinus postulauit[3].

Versor adhuc in operis editione, quod ante Paschales ferias[4] non prodibit in lucem, quintus uero liber nunc excuditur, isque totum opus absoluet. Fortasse non abs re fuerit moneri Rectorem Venetum[b 5], ut accepta quaedam operis exemplaria Romam transmitti curet: aliam ego rationem mittendi nondum uideo; oblatam uero libenter amplectar,

a) *Haec sententia manu romana lineis signata est.* b) *Haec vv., incipiendo a* Versor, *signata sunt, ut supra (adnot. a).*

[1] Scipio Rebiba; de hac re v. supra p. 389.

[2] Marco Sittico ab Altaemps; v. supra p. 378.

[3] Canisius significare videtur non ultimam congregationem Societatis generalem (1573 a m. Aprili ad Iunium habitam) — post hanc enim Romam litteras misit non solum ad cardinalem constantiensem, sed etiam ad cardinales Hosium et Madrutium (v. supra p. 142 242 292) — sed ultimam congregationem provinciae Germaniae superioris m. Ianuario 1576 habitam vel ultimam congregationem procuratorum Societatis eodem anno Romae habitam. Anno autem 1575 (medio vel exeunte) in Germania superiore promulgatum esse videtur praeceptum, de quo litterarum Roma in provincias missarum **Indiculus* eodem tempore Romae in domo professa Societatis scriptus sic habet: „1575 . . . L' ordine sopra che i nostri dalle Prouincie non scriuano qua à Roma, ne à forastieri, ne à nostri sopra negotij, et casi di conscientia se non mandano le lettere aperte al Padre Generale, si è mandato per tutta Germania et Francia" (Hist. Soc. 42, Diuersi ordini, in a. 1575).

[4] Dominica Paschatis futura erat 7. Aprilis.

[5] Venetiis a. 1577 Societas non habebat collegium, sed domum professam. cuius praepositus erat Marius Beringuccius (*Sacchinus,* Hist. IV l. 4, n. 75; l. 6, n.16).

aut indicatam etiam ex urbe, sequar. Transegi hanc hyemem laboriose, ac meam praesentiam hic necessariam fuisse puto, ut edicioni simul et typographo[1] consuleretur. Faxit Dominus, ut liber editus cum fructu exeat tandem, ac bonis utcumque satisfaciat, qui haereticos offendet proculdubio.

Credo P. prouintialis[2] esse sententiam, ut opere iam edito redeam Oenipontum, etsi nullus fere illic sit usus meae praesentiae, postquam Rector mutatus est[3]. Ego ingrauescente iam aetate non delector hoc graui pugnandi genere contra sectarios, quo hactenus annos aliquot consumpsi, neque sine magno labore [id][a][?] sustinere possum. Si in scriptione persistendum est, ut unus atque alter Pont. Max.[4] mihi demandauit, etsi alij e nostris multo essent tanto muneri aptiores, aequum est me obsequi maioribus. Alioquin et leuius mihi, et Germanico populo utilius, et quibusdam nostris[5] gratius fore putarim, si[b] Germanicis[c] libellis edendis operam darem[d]. Ad quam rem Dilingae uel Jngolstadij sedes mihi commodior fore uideretur. Verum ex uoluntate superiorum totus pendeo, quorum uoluntate nihil habeo antiquius, quomodocumque de me tandem statuant.

P. Prouintialis coram Principe Alberto nunc concionatur, et sicut speramus, cum fructu aulae Bauaricae[6]. Gaudemus de Lucernensi collegio tandem constituendo, etsi aerem non maxime salutarem esse dicant. Commendo me P. V. sacrificijs et precibus in Christo semper, simulque saluto P. Assistentes reuerenter[e]. Dominus Belgicos motus tandem componat, ac nostros in utraque Germania operarios utiles faciat. Jngolstadij 10 Martij 1577.

R. P. V.

Filius indignus

Pet. Canisius manu propria.

† Admodum Reuerendo in Christo Patri nostro .P. Euerardo Mercuriano, Praeposito Generali Societatis JESV. Romae.

Mercurianus Canisio respondit 14. Maii 1577.

1974. CANISIUS **EVERARDO MERCURIANO** praeposito generali Societatis Iesu. Ingolstadio 12. Martii 1577.

Ex autographo (2°; 3/4 p.; in p. 4 inscr. et particulae sig.); Canisius in superiore margine primae paginae scripsit: „Exemplum secundum.“ Germ. 183 f. 265ᵃ—266ᵇ.

Praefatio editoris: Iam inde ab aliquot annis Ioannes Iacobus Khuen de Belasy archiepiscopus salisburgensis et de seminario clericorum instituendo a Gre-

a) *Ut hoc vel simile v. suppleatur, res ipsa videtur exigere.* b) *Sequitur* in, *oblitt.* c) *Sequitur* libris, *oblitt.* d) *Haec sententia signata est, ut supra.* e) *Ita C. ipse correxit ex* amanter.

[1] Davidi Sartorio. [2] Hoffaei.

[3] Pro P. Wendelino Völck a. 1576 rector factus erat P. Ioannes Rabenstein (*Duhr*, Jes. I 190[4]). [4] S. Pius V. et Gregorius XIII.

[5] Ut PP. Paulo Hoffaeo et Theodorico Canisio, v. infra, monum. 1205.

[6] Albertus V. dux ab Hoffaeo „postulaverat“, ut Monachii „Aulicam concionem Quadragesimalem“ haberet (*Hoffaeus* *Mercuriano, Monachio 31. Martii 1577. Germ. 138 f. 134ᵃ).

gorio XIII. identiden monitus erat, et id se facturum affirmaverat (*Theiner*, Ann. I, in a. 1574 n. 21, et Mant. p. 493 503; *Schellhass*, Quellen IV, 109). Ac Ratisbona quidem 21. Octobris 1575 *Ioannes Delphinus* nuntius apostolicus de eo ad cardinalem Comensem rettulerat: „Non essendo inclinato a Giesuiti nè a servirsi di loro, . . . io dubito che la cosa si risolverà in parole o in seminario di apparenza“ (*Schellhass* l. c. 216 [2]). Sed Roma 13. Decembris 1576 *Mercurianus* Hoffaeo provinciali *scripsit: „P. Felicianus“ Ninguarda O. Pr., „homo ut audio eruditus ac pius . . . pro sua singulari pietate ac zelo . . . petijt a summo Pontifice, ut“ seminarium Salisburgi instituendum „nostrorum potissimum curae ac fidei committeretur“; ac nos quidem cardinali Comensi significavimus, nos „sine graui Societatis nostrae detrimento“ eam provinciam suscipere non posse; verum is etiam vehementius urgebat, „ut propriae commoditati, publicam vtilitatem anteponeremus“ (ex apogr. eiusd. temp.; Rh. Inf. 1, II f. 2[b]). Die igitur 21. Februarii 1577 P. *Michael Marius* S. J. Salisburgum advenit, ut Hoffaei nomine cum archiepiscopo ageret; et 26. Februarii inter eos ea de re convenit; cuius conventionis exemplum latinum a Ninguarda Romam ad cardinalem Comensem missum typis exscripsit *Schellhass* l. c IV 218—220; ipsam autem „resolutionem“ germanice compositam archiepiscopus per Marium Hoffaeo tradidit; qui *versionem eius latinam sua manu scriptam Mercuriano misit. Cum autem duo haec exempla in multis quidem capitibus inter se conveniant, in aliis autem ita inter se discrepent, ut alterum altero suppleatur et explicetur, exemplum Hoffaei hic pono; accedit, quod hae Canisii litterae intellegi non possunt, antequam archiepiscopi cognita sit propositio. Quae sic habet: „Prima Resolutio Reuerendissimi Dominj Salsburgensis de Seminario et nostra Societate, latine reddita ex Germanico. Postquam Reuerendissimus et Clementissimus Princeps et Dominus Saltzburgensis non iam solum sed ante etiam apud se constitutum haberet ad laudem et honorem Dei omnipotentis et ad conseruandam veterem et catholicam religionem, instituere Seminarium, et non obstantibus omnibus incidentibus impedimentis diutius hoc non prolongare, tandem rem hanc pro commoditate Archiepiscopatus et operis praestantia aggressus est Jllustrissimus eo modo sicut hic sequitur. Necessariae personae pro Seminario et Scholis. P. Rector · Professor Sacrarum literarum · Professor Philosophiae · Professores tres Rhetoricae, humanitatis, ac Grammatices · Duo qui praesint repetitionibus, moribus ac disciplinae Seminarij, quorum alter his principijs subire poterit vicem Regentis · Oeconomus · Janitor · Coquus · Tres aut quatuor famuli quos Patres Societatis pro suo arbitrio vel ex Societate vel aliunde assumere et dimittere poterunt. Gubernatio Seminarij sicut etiam Societatis institutum debet Patribus secundum sua statuta esse liberum. Eisque dabuntur non nisi duo Protectores, ad quos quouis tempore suas necessitates deferant. Dabunt tamen Patres operam vt eiusmodi docendi ordinem et methodum instituant, [vt] paucis annis idonei sacerdotes formari queant et vt alumnis vtiliter vti et frui liceat. Habeant quoque Patres ex suis vnum aut alterum idoneum concionatorem. Caeterum ad sustentandas supradictas personas Societatis assignabuntur Patribus in singulos annos 1200 floreni; hocque initio tradetur illis domus instructa suis lectis alijsque omnibus rebus necessarijs: Primo etiam ingressu tam Patres quam alumni vestientur, deinceps vero solis alumnis suae vestes, libri atque cereuisia pro suo potu et medicinae prouidebuntur secundum necessitatem [1]: at pro victu alijsque omnibus rebus necessarijs pro singulis Alumnis in singulos annos deputabuntur 40. floreni, quibus etiam Patres si ita velint separatam culinam cum officialibus instituent et alent. Eadem erit ratio Alumnorum venerabilis Capituli, quae futura est illorum quos Jllustrissimus alet. Festiuis diebus intererunt alumni cum suis superpelliceis in Summa aede vesperis processionibus et sacro: alijs autem diebus sacro intererunt in S. Michaelis templo. Jnstituentur quoque alumni quotidie hora constituta in cantu Gregoriano et figurato a cantore Scholae summi templi vel ab alio, quem

---

[1] „Alumni ipsj in habitu clericali semper incedant . alumnis infirmis prospiciet illustrissimus de medico, pharmacis et vino“: *Schellhass* l. c. 219.

Jllustrissimus ad hoc designauerit. Quod attinet ad habitationem Societatis, assignat illi Jllustrissimus aedes Seggauerinas [1] quas inspexit P. Michael, cuj etiam forma latitudinis et longitudinis dictarum aedium est tradita [2], quas etiam Jllustrissimus ita aedificabit sicut commodum erit Societati et alumnis [3]. Actum Salzburgi 26. Febr. 1577" (G. Sup. 100 f. 64^a—65^b). His rebus ita constitutis *Ioannes Iacobus* 7. Martii 1577 Gregorio XIII. scripsit: Se non dubitare, quin Societatis homines „Seminarium sint suscepturi, . . . quandoquidem optimas conditiones instituto ipsorum minime repugnantes obtulimus" (*Theiner*, Ann. II, in a. 1577 n. XXII).

Collegium seminariumque salisburgense, etiam molestis cum condicionibus admittendum.

† Pax Christi[a] nobis aeterna

Admodum Reuerende Pater.

Legi promissa liberalia Reuerendissimi Domini Archiepis. Salisburgensis, percepi et pia eius simulque Canonicorum desideria in collegiolo instituendo nostris, quorum opera uti possint ad seminarium clericorum primo quoque tempore constituendum. Etsi uero difficiles quaedam condiciones in scripto eiusdem Archiepiscopi a nostris exiguntur, quae cum instituti nostri more non congruunt, magnique labores nostris, si accesserint, subeundi uidentur [4]: Tamen si usquam alibi, certe in hac ipsa urbe et Ecclesia, quae Bauariam et Austriam complectitur, optarim a P. V. benigne dispensari, quum ingens nobis aperiatur ostium [5] ad laborandum et fructificandum in praecipua Germaniae parte[b], atque in hoc quarto et praeclaro Archiepiscopatu [6], qui nunc operarijs bonis eget plurimum.

Praecipuae difficultates uel tolli fortasse, uel mitigari poterunt, quum P. Prouintialis coram Archiepiscopum accesserit, et donandum uidetur aliquid huius instituti primordijs, donec paulatim ad perfectiora quaedam ueniatur. De sumptibus nihil laborandum puto[c], facile illi a diuite et humano Patrono suppeditabuntur, nec modica certe in primo congresssu pollicetur. Jgitur quum sancto operi faueat Pont Max. quum Archiepiscopus et Capitulum mirifice consentiant, quum tale quiddam petatur quod a nostris alibi susceptum sit, quum ingens fructus ad Religionem in hisce prouintijs restituendam ex hoc instituto sperari et colligi possit, neque alio fere medio Clerus conseruari et promoueri queat, certe non respuenda, sed amplectenda uidetur haec

a) *Sic C. ipse correxit ex* Christum. b) *Haec sententia manu romana eiusdem temporis lineis signata est.* c) *Haec 2 vv. signata sunt, ut supra (adnot. b).*

[1] Seckauerhof.

[2] Huius „formae" exemplum exstat adhuc in archivo vaticano. De hac et de loco, quo seminarium aedificare volebant, plura habet *Schellhass* l. c. 223 [2].

[3] In exemplo Ninguardae haec quoque sunt: „De convictoribus externis, qui proprio aere sustentabuntur, nihil praescribitur, sed sit in potestate patrum, illis modum solutionis et vivendj constituere": *Schellhass* l. c. 220.

[4] Canisius potissimum significare videtur ea, quae in propositione illa erant de parvo Sociorum numero, de contionatoribus ex pacto quodam dandis, de rei domesticae cura suscipienda; cf. *Can.* V 291 305 394 [2] 437; VI 619.

[5] Cf. 1 Cor 16, 9; 2 Cor 2, 12.

[6] Tres alii erant moguntinus, coloniensis, treverensis.

quae nobis offertur, diuque desiderata fuit occasio de plurimis Germanis bene merendi. Omitto coetera, quae maiorem totius negotij lucem praebere possent, quoniam ex aliorum literis facile intelligentur. Rem uero inprimis P. V. ac deinde P. Assistentibus iudicandam relinquo, meque illorum precibus reuerenter commendo in Christo Jesu domino nostro. Jngolstadij 12 Martij 1577.

R. P. V.

filius indignus

Pet. Canisius manu propria.

† Admodum Reuerendo in Christo Patri nostro, P. Euerardo Mercuriano Praeposito Generali Societatis IESV. Romae.

1975. BARTHOLOMAEUS DE PORTIA apostolicus in Germania nuntius CANISIO. Colonia 21. Martii 1577.

Ex apographo recenti, exscripto ex registro litterarum Portiae, quod est Colloreti (Colloredo) in archivo marchionis de Colloredo-Mels, „Busta 4, fasc. G" f. 41. Antiquum illud apographum Minutius Minucci Portiae secretarius scripsit (*Schellhass*, Nunt. III 441 [1]), et sic inscripsit: „Patri Canisio Ingolstadij."

Praefatio editoris: *Portia* Ingolstadio (ubi eo tempore Canisius quoque morabatur; v. supra p. 354) 12. Novembris 1576 cardinali Comensi de cardinali Morono haec rettulit: „Tra molti particolari, che furono in Ratisbona proposti a Monsignor Illustrissimo Morono fu il soccorso d'un pover' huomo ch' essercitando nello stato dell' Elettore Palatino la predicatione heretica, era dall' inspiratione divina, et dalla collatione de' dotti convertito" (ex apographo recenti commentarii vel apographi antiqui, quod est in Cod. rom. „Germ. Vol. 82ª" f. 68). Sciens autem sibi, si fidem catholicam palam confiteretur, modicam illam fortunam, qua se, uxorem, filios multos sustentat, relinquendam fore, Ingolstadium ad Martinum Eisengrein amicum litteras misit, quibus consilium auxiliumque petebat [1]. Harum pars prior libelli instar conscripta et solida doctrina referta erat. Ipse vero, conscientiae stimulis, ne ecclesiae se iungere diutius moraretur, impulsus, Ingolstadium venit, „doue 'l medesimo Esingrinio, et il Padre Canisio approbandolo per dotto, et assai incaminato per la dritta uia sono solleciti del sostentamento suo, et mi pregano à supplicare a V. S. Illustrissima et co 'l mezzo suo alla Santita di N. Signore per qualche modo di soccorso, che potesse istendersi anco ad altri simili, che conoscono il uero, ne lo seguono per certo timore di non hauere di che uiuere." Ac Ratisbonae quidem Ioanni Iacobo Khuen de Belasy archiepiscopo salisburgensi commendatus erat; is vero se eius opera neque in rebus sacris, quod laicus esset et uxorem haberet, neque in scholis seminariisve, quod in fide recens esset, uti posse respondit (ex archetypo, Cod. rom. „Germ. Vol. 81" p. 691—692; etiam, ex eodem archetypo, apud *Schellhass*, Nunt. V 550—551). Eodem die *Portia* ad Moronum quoque huius rei gratia litteras dedit, in quibus haec, praeter alia, sunt: „Il Predicante del Palatinato, ch' insegnando ad altrui la via della perditione, per divina misericordia par c' habbia conseguito lume di caminare alla salute (com' intese V. S. Illustrissima in Ratisbona dal Padre Canisio, et da' scritti del medesimo) . . . spinto dall' acutissimo stimolo della conscienza è venuto quà risoluto di sottrahersi da quel pericolo . . . Il ricorso suo è stato all' Esingrinio, con cui prima haveva communicato lo spirito di resipiscenza, ha parimenti havuto ragionamento co 'l Padre Canisio, et come l' uno et l' altro rendono certa testimonianza

[1] Eisengrein eum (nomine eius non posito) Ingolstadio 16. Iunii 1576 Erasmo Fend Alberti V. Bavariae ducis consiliario commendasse videtur (*Pfleger*, Eisengrein 168).

della dottrina, così lo veggono con assai saldo piede fundato nel buono proponimento, poscia che per effettuarlo non s'è curato di lasciare le commodità certe . . . involto in miseria, et angustiato dalla necessità di nutrire moglie, et figliuoli molti" (ex apogr. recenti commentarii vel apographi antiqui, quod est in Cod. rom. „Germ. Vol. 82ᵃ" f. 57ᵇ; alterum exemplum exstat in bibliotheca vaticana, Cod. Vat. lat. 6405 f. 351; cf. etiam *Schellhass* l. c. 551 [1]). Martinus igitur Eisengrein universitatis ingolstadiensis superintendens et vicecancellarius ministri illius scriptum sive litteris tabellario traditis sive alia ratione communicasse videtur cum Canisio Ratisbonae versante; qui deinde Moronum eius rei causa adiit. Morono autem, nisi fallor, auctore Romae *Congregatio* cardinalium germanica 8. Ianuarii 1577 censuit, pontificem posse „mittere ei dono centum aureos, medietatem nunc, alteram postea, et mandare nuntio, ut interim apud archiepiscopum Salisburgensem, Ernestum Frisingensem, episcopum Augustanum et alios huiusmodi praelatos agat de loco aliquo ei attribuendo, ubi talentum suum exercere possit" (*Schwarz*, Gut. 121). In hanc igitur sententiam cardinalis *Comensis* 12. Ianuarii 1577 Portiae scripsit, simul notans, rem esse opulentissimo illo archiepiscopo salisburgensi indignam, quod tantopere neglegeret hominem, qui et opera religioni commodare et exemplo alios ad eam trahere posset; „intendera anco V. S., se tra li figliuoli che esso ha ne sia qualch' uno habile a cose di chiesa, perchè S. Santità venendo l'occasione saria d'animo di provedergli di qualche beneficio per aiuto del padre et de la famiglia" (*Schellhass* l. c. 570 [1]). Quamquam autem in his epistulis contionatoris huius nomen non ponitur, satis certum est, significari Sebastianum Flasch mansfeldiensem; qui, ut ait Dr. *Andreas Räß* episcopus argentoratensis, a. 1576 Ingolstadii rationes, propter quas relicto Lutheranismo ad ecclesiam catholicam se recepisset, vulgavit libello latino, Carolo archiduci Styriaeque principi dedicato; ac Räß rationes illas germanice vertit iisque haec adnotavit: „Diese Sätze scheinen das Resultat langjähriger Forschung zu seyn; denn es ist nicht möglich, daß man in so gedrängter Kürze mehr schlagende Gründe zusammenfasse" (Convertiten II, 254—255). Gravissima sane sunt, quae Flaschius de moribus et vita ministrorum quorundam lutheranorum narrat; v. *Janssen* l. c. V $^{5-16}$ 416—418. Longe autem maioris momenti fuit id, quod cardinalium Congregatio germanica eodem tempore decrevit et per cardinalem Comensem cum Portia communicandum curavit: Die 8. Ianuarii 1577, ut in actis congregationis narratur, „actum fuit de collegio Germanico et placuit sententia, quae in superiori congregatione approbata fuit, instituendi nobiles in urbe, alios vero in Germania". „Approbaverat" autem congregatio 11. Decembris 1576, „ut nobiles tantum Romae instituantur propter eorum promotionem ad canonicatus et inde ad ecclesias maiores, quae fieri potest, in quo praecipua spes erigendae et instaurandae religionis sita est. Ignobiles autem in pluribus Germaniae locis distribuantur", et soli, si qui eorum insignes se praebuerint, ad annum fere Romam mittantur (*Schwarz* l. c. II 120 121). *Portia* igitur Bonna (unde Coloniam profecturus erat) 4. Martii 1577 cardinali Comensi rescripsit: „Scriuero parimente al Padre Canisio per sapere, se i suoi in Ingolstadio harranno commodita di tenere diece, ò dodeci alumni di N. Signore et con che spesa, et se tanti possono hauere in Dilinga" (ex archetypo, quod est Romae in archivo vaticano, Nunz. di Germ. 82 p. 86; etiam apud *Hansen*, Nunt. I 62—65; epistulae apographum eodem tempore scriptum exstat Colloreti [cf. supra p. 151 B. 4 fasc. G f. 31ᵃ).

Vir ad fidem conversus. Soli adulescentes nobiles Romae, reliqui in Germania a pontifice alentur. Sumptus. Quaerendi nobiles. Socii colonienses.

Admodum Reuerende Pater

Adhuc Coloniam non tetigeram cum praesto fuit in itinere nuntius cum literis quas crediderat Summus Pontifex mihi in Bauaria fore tradendas, in illis plura erant et cum Serenissimo Duce [1] tractanda,

---

[1] Alberto V.

et cum alijs, illudque inter cetera de homine illo[1], qui ab impura, scelestaque Caluinistarum secta ad veram, sanctamque religionis semitam deflexit, iuuando et ornando, quae omnia prout acta sint[a] [?], discet R. Tua a Domino Eisingrinio; alterum quod ad uos magis pertinet, audi. Deliberatum est Romae ab amplissimis Germanicae Congregationis Patribus, ut Summi Pontificis alumni in urbe ex antiqua solum nobilitate suscipiantur, cum illos tantummodo videant posse ad Canonicatus et Episcopatus aspirare, multoque plura apportare Catholicae religioni commoda, quam humilioris fortunae homines, quibus ad aliquam insigniorem dignitatem praeclusit inveterata consuetudo omnes fere aditus, nec aliud quicquam illis superest quam rusticarum Ecclesiarum aliqua non magni momenti procuratio[2], eamdemque plerique ex ijs, qui ex aura Italica tumorem imbibunt ita aspernantur, et dedignantur, ut sibi ab ijs iniuriam fieri credant, si qui opera ipsorum praeterquam in maioribus rebus uti quaerant: Illimet tamen non deserendi uidentur, immo (quod R. Tuam[b] in Comitijs Ratisponensibus consuluisse memini)[3] agitur nunc de ineunda ratione, quomodo sumptibus Summi Pontificis in diversis Germaniae Collegijs distribuantur, et exeuntibus succedant demum alij, ideoque debebam a uobis quaerere, an decem apud uos Jngolstadij, et totidem Dilingae ali possent, et quantum in sumptus singulorum esset erogandum, quae quidem omnia ad me diligenter perscribenda sunt, ut sciant Romani Patres, quid sibi hac in re sit gerendum. Praeterea si uobis uenient in mentem aliqui uiri nobiles, qui ad bonas adipiscendas literas et mores in urbem cuperent proficisci, et antiquis [?][c] sese obligare conditionibus, curabitis ut de ipsorum uoluntate certiores sitis, nominaque ad me, et patriam cum nobilitatis testimonio mittetis, ego uicissim dabo operam, ut aditus illis pateat, quibus affirmabitis experituros sese Summi Pontificis benevolentiam, et amorem maximum, cum hos in alumnos, et tanquam filios suos adoptaturus sit. Haec omnia cupio ut per R. Tuam D. Eisingrinio communicentur. Valete omnes, meique in orationibus uestris memores estote. Fratres uestri hic omnia in me conferunt humanitatis, et officij argumenta[4], ex quibus augebitur si fieri potest, mea in ordinem vestrum propensio, atque studium. RR. PP. Provintialem[5], et Vendelinum[6] nominatim ex me cupio salutatos. Coloniae 21 Martij 1577.

Canisius Portiae respondit 23. Aprilis 1577.

a) *Sic apogr. recens; legendumne* sunt? b) Tua *ap. rec.* c) *Corrigendumne:* aequis?

---

[1] Sebastiano Flasch.

[2] Haec cum grano salis, quod dicimus, accipienda sunt; nam, ut omittamus capitula minora sive collegialia, quae in urbibus plurima erant, in maioribus quoque sive cathedralibus capitulis quibusdam canonicatus aliquot patebant hominibus non nobilibus; velut Coloniae, ubi a 7 vel 8 illis „canonicis presbyteris" ecclesiae metropolitanae id solum exigebatur, ut vel in theologia vel in iure doctores vel licentiati essent; v. *Can.* V 516[4]. Hoc certe constat: Nobilium illorum canonicorum ignorantia et pravis moribus maximum ecclesiae germanicae damnum inferebatur (*Janssen* l. c. IV [1—12] 105; *Steinhuber* l. c. I [2] 171—172; *Can.* IV 546—547; V 128 517; VI 182).

[3] Cf. supra p. 359. [4] Cf. supra p. 376. [5] Hoffaeum. [6] Völck.

1976. CANISIUS **EVERARDO MERCURIANO** praeposito generali Societatis Iesu. Ingolstadio 24. Martii 1577.

Ex archetypo, ab ipso Canisio („R. P." etc.) subscripto (2°; 1 p.; in p. 4 inscr. et particulae sig.). Germ. 183 f. 267[a]—268[b].

Iterum suadet, ut collegium seminariumque salisburgense admittatur. P. Costeri opera Coloniensibus utilissima. Spes collegii noviomagensis.

† Pax Christi nobis aeterna admodum Reuerende Pater

Scripsi iam antea, quid mihi uideretur de negotio collegioli nobis Salisburgae promissi, eademque nunc repetere cogor iussu Reuerendi P. nostri Prouincialis[1]. Etsi uero difficiles quaedam conditiones proponuntur, quas a nobis Reuerendissimus D. Archiepiscopus in suo scripto exigit[2], fortasse non satis peritus eorum, quae nostro sunt instituto consentanea: tamen[a] opto et suadeo, ut P. V. apertum nobis hoc ostium[3] amplectatur, et hac in parte pro sua paternitate[b][?] cum eodem Antistite[4] dispensare[c] dignetur. Multum enim ad Germaniam iuuandam nobis proderit, si[d] etiam apud hunc IV[5] Archiepiscopum collegium institutum habeamus, per quod de tota Austria et Bauaria rectius mereri possimus, praesertim cum nostrorum opera in eodem Archiepiscopatu, qui bonis operarijs plurimum eget, ualde necessaria esse uideatur. Caeterum quod ad obiectas difficultates attinet, hae uel mitigari, uel tolli poterunt, cum coram accesserit Salisburgam P. Prouintialis, suasque rationes cum eodem Archiepiscopo contulerit. Deinde paulatim, ut spero, impedimenta, quae in rudibus istis initijs sese offerunt, Dej gratia, ac nostrorum industria superabuntur. Videmus nunc Pontificem Maximum huic instituto sancto fauere, Canonici cum Archiepiscopo suo mire conspirant, non desunt nobis mittendi illuc operarij: Simile quoddam onus a nostris alibi susceptum est, res tota fructum ingentem illi clero, et adiunctis prouincijs pollicetur, liberalis est denique oblatio sumptuum, quos tam diues Archiepiscopus facile augebit, ut collegium sensim absoluatur. Proinde Deum rogo, ut hoc pium Praesulis institutum non solum in Seminario erigendo, sed etiam in fouendis nostris recte procedat, illique tam insigni Ecclesiae hoc difficillimo tempore consulatur. Caetera, ut credo alij e nostris iam scripserint: Vnde rem totam Paternitatis V. et P. Assistentium iudicio in Domino fidenter commendo.

Benedictus DEVS, qui[e] P. Costeri praesentem operam tam multis Coloniae salutarem efficit, et per illum ad nostrae Societatis institutum amplectendum, nec paucos, nec vulgares excitat ac permouet[?][f]. Et sane Colonienses simul et nostri talis Theologi et concionatoris, et

a) *Tria vv. sqq. manu romana eiusdem temporis linea subducta signata sunt.* b) *Sic; volebatne scribere* potestate*?* c) *Sequuntur vv.* in hac causa, *oblitt.* d) *Sequitur* nostri, *oblitt.* e) *Haec 3 vv. signata sunt, ut supra (adnot. a).* f) *Sic vel:* promouet.

---

[1] Pauli Hoffaei; vide, quae sub ipsas has litteras dicentur.
[2] Vide supra p. 393. [3] 1 Cor 16, 9; 2 Cor. 2, 12.
[4] Ioanne Iacobo Khuen a Belasy. [5] Cf. supra p. 394[5].

operarij praesidio indigebant, praesertim cum haereticorum conuenticula in eadem vrbe minime desint[1], Nec solum Vniuersitas, sed etiam Clerus ab hoc Patre plurimum commodi accipere possit[2].

Gaudeo spem bonam dari nobis[a] instituendi Collegij apud Nouiomagenses, et rogo Christum, ut longae et ardenti piorum exspectationi simul et liberalitati tandem satisfiat. Nec dubito, pace iam Belgio restituta[3], nostris plures eiusmodi sedes oblatum iri. Sanctum et foelix Pascha P. T. ac patribus Assistentibus a Domino precor, eorumque precibus me totum acurate commendo. Jngolstadij · 24 Martij anno 1.5.7.7.

R. P. V.

Filius indignus

Petrus Canisius manu propria.

† Admodum Reuerendo in Christo Patri nostro P. Euerardo Mercuriano Societatis Iesu Praeposito Generali. Romae.

Hoffaeus Canisium sententiam de collegio salisburgensi, quam 12. Martii scripserat, iterum 24. Martii scribere iusserat, quo certius esset, eam Romam ad Mercurianum perlatum iri. Ita enim *Hoffaeus* Monachio 31. Martii 1577 Mercuriano *scripsit: „Hoc merito me contristauit, quod intelligerem longissimo tempore nullas meas fere isthuc perlatas: non credat P. V. me debitae scriptioni defuisse. Vehementer suspicor merito, quodam in loco non recte agi cum meis litteris, quarum aliquas non parui momentj scio interceptas" (ex autogr.; Germ. 138 f. 134[a]).

P. *Oliverius Manareus* Hoffaeo nomine Mercuriani Roma 27. Aprilis 1577 *scripsit: „Accersitus hodie ab Jllustrissimo Cardinali Comensi, intellexi, velle omnino summum Pontificem vt Reuerendissimi Salisburgensis episcopi voluntati satisfaciamus.... R. T. quam primum sese conferat Salisburgum"; deinde Manareus addit, Hoffaeo curandum esse, ut praeter seminarium Societati collegium instituatur, ubi sedem perpetuam habeat, et ut aedes collegii a seminario separatae sint (ex commentario. Rh. Inf. 1, II f. 6[a]).

a) *Haec 5 vv. signata sunt, ut supra.*

---

[1] Coloniae hoc tempore duo exstabant conventus protestantium, unus germanicus, alter belgicus (*Ed. Simons*, Kölnische Konsistorial-Beschlüsse 1572—1596, Bonn 1905, 82—143).

[2] P. Franciscus Costerus a. 1575, cum ex Belgio Coloniam redisset, ibi in gymnasium Trium Coronarum, quod a Societate regebatur, sodalitatem Beatae Mariae Virginis (primum a. 1563 ab Ioanne Leunis sive Leonis S. J. flandro in collegio romano institutam) induxerat; quae m. Septembri eiusdem anni iam 200 sodales habebat; eidem brevi studiosi iuris et theologiae, religiosi, parochi, canonici accesserunt ita, ut m. Iulio a. 1577 sodales iam essent numero 400 (*Duhr*, Jes. I 358—360; *Reiffenberg* l. c. 156—157).

[3] Ioannes ab Austria, qui Philippi II. auctoritate Belgium administrabat, 17. Februarii 1577 „edictum" illud „perpetuum" contituerat, quo „pacificatio gandavensis" 8. Novembris 1576 militum hispanorum pellendorum gratia facta (cui Geldriae ordines 11. Novembris 1576 in comitiis Noviomagi habitis accesserant) confirmabatur. Atque in Austriaci quidem edicto religioni quoque catholicae et oboedientiae erga Philippum II. regem cavebatur; nec vero Calviniani pacta servaverunt (*Knippenbergh* l. c. 188; *Jos. Habets*, Geschiedenis van het tegenwoordig Bisdom Roermond II, Roermond 1890, 142—143; *Theiner*, Ann. II, in a. 1577 n. LXXVII).

1977. CANISIUS **BARTHOLOMAEO DE PORTIA** apostolico in Germania nuntio. Augusta Vindelicorum 23. Aprilis 1577.

Ex apographo iussu Portiae ex litteris archetypis exscripto et ab ipso sic inscripto: „Ex literis Patris Canisii die XXIIJ Aprilis"; quod apographum vel summarium sive capitulum ex ipsis litteris excerptum („l' estratto dalle sue proprie lettere") a Portia litteris suis Colonia 13. Maii 1577 ad cardinalem Comensem Romam missis adiunctum est et nunc exstat in archivo vaticano, Nunz. di Germ. 82 p. 164—165. Eodem apographo usus est *Hansen,* Nunt. II 94 [2].

Minister lutheranus ad fidem catholicam conversus. Alumni pontificii in Germania. Nobiles in collegium germanicum mittendi. Episcopi eystettensis pietas.

— — Actum est de ministro illo Lutherano [1], quem tot mensibus bene sperare jussimus, quum enim uideret nihil certj uel offerrj uel promittj a Catholicis, ipsaque rej familiaris Angustia cogeret, ut Nouam acciperet Conditionem, ad Vitam alendam, alio demum migrasse dicitur, et vix vnquam ut vereor, ex haeretico labyrintho sese extricauerit, hac omissa occasione, quam illj datum irj sperabamus, si Celerius ex Vrbe respondissent. Atque haec non meo tantum, Sed et D. Eisengreinij iam grauissime laborantis nomine dixerim. Caeterum non potest nobis non placere Romanum Consilium, vt jn Germania quidam .S. D. N. [2] Sumptibus foueantur adolescentes, praesertim Dilingae et Jngolstadij [3], nec dubium, Principem Albertum et Augustanum praesulem [4], suorum Alumnorum numerum hac ratione augerj, libenter probaturos esse.

Quod ad nostros attinet, omnem dabunt operam, ut isthaec Pont. Max. Liberalitas non frustra in Studiosos Germanos collata esse videatur, atque Confido, ex hoc qualicunque Seminario plures et Paratiores operarios in Messem Germanicam extrudemus [5], quam hactenus Romae [6] factum est. Egi autem cum nostris de magnitudine ac ratione Impensarum, qui in eam Sententiam Veniunt, ad Singulos Alendos in hac difficilj et multis iam Annis durante rerum Annona opus esse Sexaginta Coronatis: ita fierj posse, ut et Maioribus et Minoribus de Victu, Potu, Vestibus, Libris, lectis etiam prouideatur, siue sanj illj fuerint, siue quandoque aegrotj.

Difficile sit nobiles adolescentes reperire, qui cum bona suorum amicorum venia Romam mittj possint [7], simulque ad Statum Ecclesiasticum se obligent, Vtinam Archiepiscopi et Episcopi Serio curent, Iuniores saltem Canonicos, qui sunt Cathedralibus Ecclesijs, Romam destinare, vt Catholicam saltem pietatem solide jmbibant. Alioquin vereor, Germanicum Collegium, quod Romae florere coeperat, quodque modis omnibus Conseruandum videtur, paulatim esse collapsurum. Jd

[1] Sebastiano Flasch; v. supra p. 396. [2] Gregorii XIII.

[3] In contubernio S. Hieronymi dilingano et in convictu S. Ignatii ingolstadiensi; utrique Socii praeerant. De romano hoc consilio vide supra p. 397.

[4] Albertum V. et Marquardum a Berg.

[5] Cf. Mt 9, 38; Lc 10, 2; de verbo „extrudemus" cf. *Can.* I 364 [5].

[6] In collegio germanico. [7] In collegium germanicum; vide supra p. 397.

vero ne fiat sapientia tua quaeso mature prouideat atque procuret, ut hoc etiam argumento suam in Germanos beneuolentiam testatiorem reddat. Profuerit fortasse literis ad Praesules probatiores datis admonere, ut sedulj sint, in Conquirendis nobilium filijs, qui gratis Romae in Germanico aluntur Collegio: plures enim desiderarj, ac solos fere nobiles illic Commoraturos esse. Qua de re judicium omne sit penes Tuam Amplitudinem.

Fuj apud Episcopum Eystettensem, qui rarae pietatis est Praesul, et dignus cuj ferantur suppetiae, ut non jmpediatur diutius jn Episcopatus suj visitatione et Concilij[a] Sancti[1] publicatione. Pendet autem a suo Metropolitano[2], qui suasisse dicitur, ut officij suj executionem in tempus aliud nescio quod prorogaret. Scribit jnterim ad illum Princeps Albertus et postulat eijcj Concubinarios, hinc nouae querelae, nouae rixae, noua scandala, si ne monitj quidem praestent officium Ecclesiasticj Magistratus. — —

Canisius has litteras Augustae scripsit; eo enim ante 22. Aprilis advenerat; v. infra p. 403; neque dubitari potest, quin Ingolstadio Augustam venerit transeundo per Dilingam, ubi ex Theodorico fratre aliisque Sociis ea cognovit, quae in his litteris de alumnis pontificiis Dilingae alendis dicit. Ad ea *Portia* cardinali Comensi Colonia 13. Maii 1577 scribens haec adnotat: „Il Padre Canisio . . . assegua la somma di sessanta scudi per ciascuno, il che forse si fà per gl' aggiunti, che considera, potendo altrimenti parere spesa sopra la credenza, essendo senza comparatione piu charo il vivere qui, che non è in quelle parti, se bene quello è ordinario et questo è nuovo et monstruoso“ (ex archetypo, quod est in cod. rom. „Nunz. di Germ. 82“ p. 162; etiam apud *Hansen* l. c. II 94).

Ad haec cardinalis *Comensis* Roma 29. Iunii 1577 Portiae respondit: „Quanto a la risposta del Padre Canisio circa il mantener X o XII alumni in Ingolstat, et Dilinga non dispiacerebbe a N. Signore, che si facesse, ma come questo dipende da la dispositione, che si dará a questo Collegio Germanico di Roma, non posso per hora dir altro, se non che il motiuo piace, et credo che si potrà eseguirlo, et sarà bene, che V. S. ce lo ricordi in altre sue lettere“ (ex apographo recenti, exscripto ex archetypo, quod exstat Colloreti [cf. supra p. 151], „Busta 4, Corrisp.“ fasc. D f. 38). Quid de collegio germanico constitutum sit, vide apud *Steinhuber* I², 166—170; contubernia autem alumnorum pontificiorum proximis annis constituta sunt apud Societatis collegia braunsbergense, fuldense, dilinganum, graeciense; v. *Duhr*, Jes. I 302—309.

Portia ea quoque, quae Canisius de Flaschio ei scripserat, cum Gregorii XIII. cardinale secretario maiore communicavit (*Hansen*, Nunt. II 94). Neque id, quod Canisius metuebat — metuebat, ne a proposito ille resiliret —, accidisse videtur; nam praeterquam quod Flaschius ipso hoc anno 1577 libro germanico edito affirmavit, Lutherum non fuisse prophetam sanctum, sed „ein rechter Unflat“. Maternus Cholinus typographus coloniensis isque valde catholicus, cum a. 1580 Coloniae

a) *Consilij apogr.; v. infra, adnot. 1.*

[1] Tridentini. De Martini a Schaumberg episcopi (electi 1560, mortui 1590) virtutibus scripsit *Iacobus Gretserus* S. J. in „Historico Catalogo omnium Episcoporum Eystettensium“, qui exstat in eius libro „Philippi Ecclesiae Eystettensis XXXIX. Episcopi De eiusdem Ecclesiae Divis Tutelaribus“, Ingolstadii 1617, 531—544; item *Jul. Sax*, Versuch einer Geschichte des Hochstiftes und der Stadt Eichstädt, Nürnberg 1858, 211—222.

[2] Daniele Brendel ab Homburg, archiepiscopo moguntino.

ederet „Wilhelmi Damasi Lindani“ episcopi ruraemundensis opus „De fugiendis nostri seculi Idolis“, ei adiunxit, paginarum signatione continua (p. 205—227), libellum, cuius hic est titulus: „Professio Catholica M. Sebastiani Flaschii Mansfeldensis, non vulgaris eruditionis et authoritatis viri, vbi Lutheranam Haeresin, in qua et natus, et a puero institutus fuerat, libere abiurat, simulque abiurationis suae causas viginti duas adducens, fucatam illius sectae naturam, et dolos, quibus miseros deludit mortales, breuiter et accurate depingit.“

1978. CANISIUS cardinali **SCIPIONI REBIBAE** supremo inquisitori.
Augusta Vindelicorum circa 25. Aprilis 1577.

Vide primum caput epistulae proximae.

1979. CANISIUS **EVERARDO MERCURIANO** praeposito generali Societatis Iesu. Augusta Vindelicorum 25. Aprilis 1577.

Ex autographo (2°; ¾ p.; in p. 4 inscr. et reliquiae sig.). Germ. 183 f. 269[a]—270[b].

Bibliotheca fuggeriana. Dedicatio Operis Mariani. Iter provincialis. Fuga rectoris halensis. Res dilinganae.

† Pax Christi nobis aeterna,
Admodum Reuerende Pater.

His diebus Augustam ueni, ut libros D. Philippi Fuggeri inspicerem et iudicarem, sicut per Jllustriss. Card. de Pisa S. D. N. iniunxerat, ut ego et alias P. T. significaui[a][1]. Quid autem de libris inspectis iudicem, ex adiunctis meis literis intelligetur, quas eidem Cardinali reddi cupio cum debita nominis inscriptione, si tamen reddendae, et non potius corrigendae ac mutandae uidebuntur. Qua in re suam operam libenter ut spero, P. Posseuinus pro sua in me charitate praestabit[b]. Redeo nunc Jugolstadium, breui Marianum opus absoluturus Deo auxiliante, ac deinde fortasse futurus socius R. P. N. Prouintialis[2] in uisitatione prouintiae. Quod ad opus Archiduci[3] dedicandum spectat, fieri modo aegre poterit, cum eadem dedicatio et promissa et excusa sit in gratiam Principis Bauariae[4], cui quantum debeamus, non ignorat P. T.

Aegre conualescit adhuc P. Theodoricus[c] Dilingae Rector, nunc Augustae decumbens[d]. P. Prouintialis Lucernam abijt, postea profecturus ad Alpes[5], ut uisitationem auspicetur[e]. Non possumus non dolere uicem fugitiui Rectoris Hallensis[6], qui ad haereticos defecisse uidetur[f], atque utinam absque graui multorum offendiculo. Sed c o g n o u i t D o m i n u s q u i s u n t e i u s[7]. Episcopus Augustanus[8] pergit nostrorum exercere patientiam, sic satis a societate alienus: crescit interim

a) *Haec sententia manu romana eiusdem temporis linea signata est, ascripto in margine numero 1.* b) *Sententia per lineam, ut supra, signata, apposito* 2. c) Theodricus *autogr.* d) *Sententia linea signata; in marg.:* 3. e) *Linea, ut supra; in marg.:* 4. f) *Linea, ut supra; in marg.:* 5.

[1] Vide supra p. 391. [2] Pauli Hoffaei.
[3] Ferdinando II. principi Tirolis etc.; v. supra p. 390.
[4] Alberti V.; v. supra p. 379. [5] Oenipontem et Halam.
[6] Matthias Lackner m. Februario 1577 Hala Vindobonam, unde ortus erat, aufugerat (*Duhr,* Jes. I 194 [1]). De quo plura infra.
[7] 2 Tim 2, 19. [8] Marquardus a Berg.

cum patientia fructus[1] in studiosis huius academiae. Non licet modo plura scribere. Dominus JESVS P. T. diu nobis incolumem seruet, eiusque preces huic prouintiae et mihi indigno applicari cupio uehementer. Augustae 25 Aprilis 1577.

P. T.

Jndignus fiilius
Petrus Canisius.

† Admodum Reuerendo in Christo Patri nostro, P. Euerardo Mercuriano, Societatis JESV Praeposito Generali. Romae.

Augustam Canisius iam ante d. 22. Aprilis advenerat; nam P. *Hoffaeus* Mercuriano Augusta 21. Aprilis 1577 *scripsit: De P. Martino Leubenstain ad professionem quatuor votorum admittendo „audiam prius meos consiliarios quorum iam 3. aut 4. hic ad manum habeo, quorum vnus etiam est P. Petrus Canisius, cuius Marianum opus ante nundinas autumnales vix exibit" (ex autogr., Germ. 138 f. 157[b]). Nundinae illae Francofurti ad Moenum fere 9.—24. Septembris futurae erant (*Can.* VI 376 [2]).

Mercurianus Canisio respondit 8. Iunii 1577.

1980. EVERARDUS MERCURIANUS praepositus generalis Societatis Iesu CANISIO. Roma 14. Maii 1577.

Ex apographo eiusd. temp. vel commentario; in margine, eadem manu: „Jngolstadij P. Petro Canisio." Rh. Inf. 1, II f. 7.

Opus Marianum. Quid Canisio iam scribendum. Mercuriani valetudo.

Scriptam a R. T. epistolam die .10. Martij, nos[a] 8. Maij accepimus, et alteram item quae[b] Jllustrissimo D. Card: Pisano illico tradita est. P. Rectorem Venetum[2] curabimus monendum de transmittendis huc librorum exemplis[3]. Caeterum de suis studijs poterit R. T. agere cum P. Prouinciali, cui negotium dedimus dispiciendj[4], quo[c] genere scribendi[d] quoque in loco possit R. T. in posterum magis et publicae vtilitati, et propriae commoditati consulere. Quod quia illum non dubito[e] diligenter facturum, atque curaturum ne R. T. aetati atque valetudini quicquam adiumenti desit[f], non vtar pluribus sed tantum orabo dominum vt quacumque tandem in re eius opera vti volet, ea R. T. quamplurimum fructus atque consolationis afferat. Nos Dei ope satis bene valemus, etsi hisce diebus catharrum, et capitis dolorem satis grauem passi sumus. Sit nomen Domini benedictum[5], cui nos R. T. precibus et s. sacr: commendari cupimus. Romae 14. Maij 1577.

Negotium de Canisii scriptione, quod in his litteris commemoratur, Hoffaeo a *Mercuriano* datum est in *epistula Roma 14. Maii 1577 data: „Pater", inquit

a) *Hoc v. supra versum scriptum est.* b) *Ita in apogr. correctum est ex* quam. c) *Sequitur* in, *oblitt.* d) *Tria vv. sqq. supra versum scripta sunt.* e) *Sequitur* curare, *oblitt.* f) *Sequuntur vv.:* non est vel in R., *oblitt.*

[1] Cf. Lc 8, 15.
[2] Marium Beringuccium praepositum domus professae; v. supra p. 391 [5].
[3] Canisii Opus Marianum significatur; v. supra p. 391.
[4] Vide, quae de hac commissione sub ipsas has litteras dicentur.
[5] Ps. 112, 2; Dan 2, 20 etc.

Mercurianus, „Petrus Canisius scribit se per aetatem non posse iam amplius versari in consueto illo genere pugnandi cum hereticis, satius videri vt in posterum det operam scribendis libellis Germanicis, atque ad eam rem fore ipsi sedem commodiorem Jngolstadij aut Dilingae quam alibi vsquam. Qua de re respondi me ad R. T. scripturum esse. Velim igitur proximo quoque tempore adhibito in consilium P. Peltano, Patre Theodorico Canisio, et alijs eiusmodi patribus, dispiciat [R. T.] in quo genere, quoque in loco bonj illius patris opera commodius impendi possit non solum ad publicam vtilitatem, sed etiam ad eius peculiarem commoditatem. Et quod visum fuerit maxime conuenire, id illi sic suauiter persuadeat, atque in summa bonum Patrem omnibus rebus ita tractari curet, vt eius valetudinis, et aetatis diligens ratio habeatur" (ex commentario. Rh. Inf. 1, II f. 7[b]).

1981. EVERARDUS MERCURIANUS praepositus generalis Societatis Iesu CANISIO. Roma 8. Iunii 1577.

Ex commentario; in margine, eadem manu: „Jngolstadij[a] P. Petro Canisio." Rh. Inf. 1 II, f. 9[a].

Libri fuggerici. Opus Marianum. Rector dilinganus. Apostata.

R. T. literas, vbi ex ijs cognouimus quid sentiret de libris Domini Philippi Fuggeri illico tradi curauimus Jllustrissimo Domino Card: Pisano[1]. Mariani operis nuncupationem placet non mutari ob eas causas quae[b] a R. T. afferuntur. Jncommode accidit quod[c] P. Theodoricus[2] morbo laborarit, et quidem Augustae et hoc tempore, sed non desperamus quin iam conualuerit praesertim cum eam nobis spem fecerint nonnullorum literae. De rectore Halensi[3] etsi meliora speramus quam quae[d] R. T. scribit cupimus tamen vt[e] si quid[f] compererit quod intersit nostra cognoscere perscribat proximo quoque tempore singillatim · praesertim cum non existimemus R. T. temere[g] in istiusmodi suspicionem venisse[h]. Hactenus habui quod responderem proximis r. T. literis. Reliquum est[i] vt me etiam atque etiam commendem eius precib: et sanctis sacrificijs .Romae. 8 Junij .1577.

Canisius Mercuriano respondit 13. Augusti 1577.

1982. P. FRANCISCUS TURRIANUS S. J. CANISIO. Roma aestate (Iulio?) 1577.

Ex Canisii autographo, de quo infra, ep. 1983.

Canisius Hala 13. Augusti 1577 Everardo Mercuriano praeposito generali de P. Francisco Torres sive Turriano S. J. (v. supra p. 45 141) scripsit: „P. Turrianus ad me scripsit de libris duobus contra haereticos conscriptis, quos Coloniae in lucem edi desideraret."

Quos libros *Turrianus* significaverit, intellegitur ex *litteris Roma 12. Septembris 1577 Coloniam ad Gerwinum Calenium typographum ab eo missis; in quibus ab eo petit, ut duos libros novos a se compositos typis exscribat; et eorum unum,

a) *Sic correctum est ex* Augustae. b) *Sic in comm. corr. est ex* quas R. c) *Sequitur* e *vel simile v., oblitt.* d) *Ita in comm. corr. est ex* quod. e) *Sequitur* pers *vel simile quid, oblitt.* f) *Sequuntur vv.* ea de re, *oblitt.* g) *Sequuntur vv.* talia suscip suspicari adversus *vel similia, oblitt.* h) *Ita corr. est ex* adductam esse. i) *Hoc v. supra versum scriptum est.*

[1] Scipioni Rebibae; v. supra p. 402. [2] Canisius.

[3] Matthia Lackner fugitivo; v. supra p. 402[6].

qui „Apologeticus contra Boquinum" inscriptus sit, iam a se Coloniam mitti ait; alterum autem sic esse inscriptum: „Francisci Turriani Societatis Iesu aduersus capita disputationis posterioris Andreae Freyhubij doctoris academiae Lypsiensis de ecclesia, et ordinationibus ministrorum ecclesiae libri duo". Neque vero se scire, quis scriptum illud Coloniam perferre possit (ex autogr., Cod. colon. „J. A. 17" f. 215). Uterque liber a. 1578 Coloniae „apud Ludovicum Alectorium et haeredes Iacobi Soteris" in lucem prodiit (*Sommervogel* l. c. VIII, 118—119).

1983. CANISIUS **EVERARDO MERCURIANO** praeposito generali Societatis Iesu. Hala 13. Augusti 1577.

Ex autographo (2°; 2½ pp.; in margine inscr. et reliquiae sig.). Germ. 183 f. 271ª—272ᵇ. Litterarum particulam italice versam posuit *Boero*, Can. 361; iisdem usi sunt *Michel*, Can. 373, et *Kröss*, Can. 193.

Defectio rectoris duorumque Sociorum halensium. Magdalena regina aliique Halenses. Collegiorum rectores. Collegium salisburgense vix admittendum. Professio P. Leubenstain. Dimissio Fr. Rotarii. „Naevi" in P. Natale. Visitatio collegiorum. Opus Marianum. Cessatio a scribendo. Turrianus.

† Pax JESV Christi nobis aeterna.
Admodum Reuerende Pater.

Octauo Junij datas accepi, quibus de Rectore Halensi[1] plura scribere iubeor. Spero autem isthuc P. N. Prouintialis[2] literas peruenisse, quibus abunde perscriptum est, ut ex eodem cognoui, miserum Rectorem illum circa initium huius anni, insalutatis ac inscijs omnibus, hinc in Austriam uelut profugum abijsse, ac per literas tantum relictas indicasse ipsi[a] P. Prouintiali, quibus de causis, sed futilibus illis, ita profugerit, Regina[3] quidem et omnibus tum nostris, tum exteris, quibus gratus esse solebat, hanc tantam eius mutationem ac fugam demirantibus. Postea cognitum fuit, ac nobis hucusque persuasum manet, illum non solum a religione nostra, sed etiam a fide Catholica plus satis alienum, ad sectarios transijsse, ac nunc fortassis Argentinae studijs operam dare nobilium quorundam, ut audio, puerorum cura suscepta, ut illorum agat ueluti poedagogum. Qua de re certius aliquid breui, ut confido, intelligemus[4]. Optarim hominem arte quadam abreptum, et ui secreta reductum nobis restitui, ut astutiae suae fructum in perpetuis uinculis experiretur, ac alijs etiam apostatis, uel ad apostasiam propensis salutarem timorem augeret. Rectius enim de illo haud uideo, quo pacto mereri possimus, prius-

a) *Hoc v. a C. in margine additum est.*

[1] Lackner [2] Hoffaei. [3] Magdalena.

[4] P. *Ioannes Rabenstein* S. J. rector oenipontanus Mercuriano *scripsit Oeniponte 22. Iulii 1577: „Aliud non scio quam ipsum solum pro frumento coemendo discessisse, inde autem consilio mutato Viennam ad matrem descendisse. Nullum habuit sui consilij conscium aut socium. . . . Jntellexi illum non ita bene cum P. Natali conuenisse, sed cogitare nunquam potuissem, uoluisse ipsum tam turpiter fugere". Et *Oeniponte 12. Augusti 1577: „Haec referuntur: abiecisse illum Breuiarium rosarium et agnus dej, usum praeterea diebus ieiunij cibis prohibitis atque Vienna Argentoratum discessisse" (ex autographis. Germ. 138 f. 180ª 181ª).

quam sedere incipiat in cathedra pestilentiae[1], et haereses aperte publiceque profiteatur. Jgnoscat illi Deus, quod maiorem curam non habuerit Jacobi Romani, qui cum coquum hic ageret, cum Germana muliercula quam amare coeperat, profugit, et nunc sutorem agit, ut audio, in Episcopatu Tridentino[2]. Deinde non parum obfuisse creditur Christophoro Rosenberg Monachiensi, qui sacerdos apud nos factus, uel inuito P. Prouintiale, qui uota eius laxare noluit, pergit etiamnum parochum agere in Episcopatu Patauiensi[3]. Sic intra biennium tres apostatas hoc dedit collegium, conscio Principe[4], uidente ante oculos Regina, cognoscentibus haec pessima exempla[a] Halensibus, qui multis alioquin ab hinc annis in Catholica fide claudicant. Miramur interim et praedicare cogimur summam Dei bonitatem, quae nostros in hoc collegio tam benigne conseruat, et a maioribus distractionibus ac periculis liberat, qui praeterea nostra tam foeda tegit vlcera, eorumque censores tam propitios exteros donat. Scio interim aliquando Rectorem eundem, quum se a P. Natali[5] grauiter uexatum et oppugnatum putaret, cum bona Regina suas querelas haud sine lachrymis communicasse, et uix mitigari potuisse offensum animum, ut a uindicanda domi iniuria abstineret[b]. Aliena erat iam ante Regina plus satis ab Hispanis, sed postquam hic duos P. Hispanos Pisam et alterum nouit, haud dubie alienior facta. Haec aliaque id genus non possunt non difficilem P. Prouintialis functionem reddere, ac illud potissimum, quod solum Rectorem Dilinganum[6] cui fidere possit, in tota cernat prouin-

a) *Sequitur* nostris, *oblitt.* b) *Quae sequuntur, usque ad* Haec aliaque *excl., a C. in margine scripta sunt, ut substituerentur in locum horum vv. in ipso corpore epistulae positorum:* Nouit eadem Regina, quomodo P. Pisanus hic se gesserit, ut illum si rediret, ferre non posse videretur.

---

[1] Ps 1, 1.

[2] „Jacobus Magnani (de Magniano, Magniani) Romanus", alias „Jacobus Romanus" primum Societatis vota fecit in collegio romano m. Iunio a. 1564; eadem renovavit in collegio ingolstadiensi 2. Februarii 1573; idem initio a. 1574 in collegio oenipontano „Janitor et Infirmarius" fuit; coquum autem egit Oeniponte 1566, Ingolstadii 1567 et, ut videtur, 1573; Hala autem a. 1575 „dimissus" erat (*Can.* II 479 [10]; Cod. „VI 35" f. 65[b] 81[b]; Cod. „Hist. Soc. 41" f. 175[b]; Cod. „Germ. 131" f. 148[a]—149[a]; Cod. „270" bibliothecae universitatis monacensis f. 24[b]).

[3] In **Catalogo* collegii halensis in annum 1572 composito legitur, „Christophorum Rosenberger", Bavarum, Monachii natum, a. 1562 Societatem ingressum, annorum esse 24 et modo „theologiae positivae" studere sive cursum theologiae breviorem (cf. *Can.* VI 432 460) sequi (Germ. 131 f. 186[a]—187[a]). Ex *indiculis autem duobus manu ipsius P. *Pauli Hoffaei* scriptis cognoscitur, eum m. Martio a. 1576 Brixinae sacerdotio initiatum, eodem anno Hala discessisse „fugitiuum" (Cod. „VI 35" f. 65[b] 68[a]). Deinde Roma 25. Octobris 1577 *Mercurianus* Hoffaeum provincialem *certiorem fecit, „Emmanuelem Welser consiliarium ducalem" a cardinali Morono semel atque iterum petisse, ut „Rosenbergio" a Gregorio XIII. „liberationem a votis" impetraret; neque aliam eius rei rationem illum proferre, nisi „quod is minus firma sit valetudine" (ex commentario; Rh. Inf. 1, II f. 15[b]).

[4] Ferdinando II. archiduce.

[5] Hic in collegio halensi morabatur; v. supra p. 299.

[6] P. Theodoricum Canisium.

tia, nec inueniat Rectores Monachij, Jngolstadij et Halae instituendos. Accersitus interim est P. Judocus[1] aliquot iam annis ptisicus, qui hoc Halense gubernet collegium: sed uereor illum in hac corporis inbecillitate diu superesse non posse.

Quae omnia eo mihi pluribus explicantur, ut P. T. intelligat, non temere P. Prouintialem a collegio Salisburgensi abhorrere, quod praecipuis Officialibus, ut dicimus, ad nouum hoc institutum necessarijs destituatur, et ea requirantur a nobis, quae cum uera collegij forma et perfectione pugnent. Jam ante satis in generali Congregatione tractatum fuit, quam grauiter collegia uulnerenter ac debilitentur, quum noua cum ueterum labefactatione instituuntur[2]. Quod si omnino sic fieri postulet Pont. Max. saltem non inde ab initio supra uires praegrauemur, et Lucernense primum bene constituatur. Ac Salisburgensis quidem collegij siue seminarij ratio nunc plane mutata est, postquam P. Prouintialis illic coram adfuit, et Archiepiscopus[3] rem totam ad Canonicos suos post mensem fortasse consultaturos retulit, ac dubium prorsus puto, an nostrorum operam sint ad hoc seminarium postulaturi. Vnus est frater Dominicanus Felicianus[4] Archiepiscopi Theologus, qui negotium hoc suis literis in Vrbem datis admodum urget, etiamsi fateatur, uix tres in Capitulo nobis fauere[a], et Archiepiscopi animus fortasse[b] refrixit, quod iam putet nimium a nobis postulari, ut ipse amico questus est. Haec propterea dixerim, ut postrema P. Prouintialis de hoc negotio scripta rite ponderentur, utque[c] responsum Canonicorum expectetur, priusquam aliquid de summa rei statuatur, si bona quidem Pont. Max. pace fieri possit[5].

De P. Martino Lebenstain[d] Lucernae modo Rectore idem quod alij Consilarij, sentio, dignum illum scilicet inprimis esse, qui ad edenda quatuor uota quamprimum admittatur, et abunde in illo comperiri conditiones, quae ad huiusmodi professiones exigi consueuerunt[6], licet in humanioribus literis, et in docendi scribendique munere fortassis minus sit[e] exercitatus. Certe non Lucernae modo, sed etiam in col-

a) *Sic in autogr. correctum est ex* facere *vel* farere. b) *Hoc v. a C. supra versum scriptum est.* c) *Sequitur* fieri *vel simile v., oblitt.* d) *Sic; sed vocari solebat:* Leubenstain *vel* Leubenstein. e) *Sequitur* idem, *oblitt.*

[1] Castner; vide, quae sub ipsas has litteras dicentur.

[2] Ita actum erat et a. 1565 in Societatis Congregatione generali secunda, et a. 1573 in tertia (Congr. 2 decr. 8 post el.; Congr. 3 decr. 17 et 20 post el.; *Institutum* S. J. II 195—196 222—223).

[3] Ioannes Iacobus Khuen de Belasy. [4] Ninguarda, O. Pr.; v. supra p. 393.

[5] *Hoffaeus* Mercuriano *scripsit Hala 3. Iulii 1577: Se 10 dies Salisburgi fuisse. „Fui ego ante persuasus, non solum Reuerendissimum sed etiam Capitulares Societatem optare. Coram vero intellexi, vix duos Capitulares nos optare, caeteros vel aperte aduersarios, vel parum nobis amicos esse“ (ex autogr., Germ. 138 f. 198[a]).

[6] *Hoffaeus* Mercuriano *Hala 13. Augusti 1577: „Nunc meo et Patris Canisij nomine respondeo breuiter P. Martinum Leubenstein, Rectorem Lucernensem, creandum videri Professum quatuor votorum“ (ex autogr.; Germ 138 f. 204[b]). Quid ad eam professionem requiratur, v. *Can.* VI 266[7].

legijs alijs praeclarum sui specimen hic Pater exhibuit, ac uere est religiosus, et utilis hucusque Lucernae operarius.

Moneor ut de Gisberto etiam adscribam aliquid. Rogo autem P. V. ut hunc Coadiutorem iam antea in Jtaliam ex hac prouintia relegatum, et ob P. T. literas in gratiam receptum semel dimittere liceat. Etenim in omnibus fere collegijs probatus ita se gessit, ut nullus Rectorum illum uelit admittere, partim quod cum sit contentiosus et cerebrosus, pacem fratrum non parum perturbet, partim[a] quod non sani sit capitis, et impos aliquando sui, ut uim alijs illaturus uideatur. Quare consultum plane putarem, ut propter vnum huiusmodi lunaticum et indomabilem hominem, cuius licentia nullis restringi legibus potest, quique secularem hominem potius quam religiosum agit, tam multi boni fratres, uarijque superiores [non][b] longius diuexentur et affligantur[1].

Quoniam uero iam supra de P. Natali mentio incidit, et is breui discessurus uidetur Venetias, dicam in timore Domini[2], quod ex re totius societatis esse duco, etsi fortasse nihil tale a P. T. desiderari[c] uideatur[3]. Bonus senex, si libere dicendum est, in hac prouintia multos nostrorum offendit, atque ita morosus, inconstans, uehemens esse coepit, ut cupiam illum Venetijs aut alibi, ubi paruum sit collegium, non diu remorari. Perpaucos enim repiriri uereor, quorum patientia[d] illius moribus et desiderijs satis esse possit.

Scimus quantum illi debeat societas, et rursus dolemus, in antiquis professis tot apparere naeuos, multaque officia illis praestita tam parum agnosci, ipsosque superiores multis modis per illos angi atque diuexari. Vtinam Romae illi uir bonus et maturus adiungatur, parumque[e] negotij cum multis habeat, sibi ueluti uiuens, et paucis saltem importunus, ut minus offendat in quotidiano conuictu. Jgnoscat mihi loquaciori P. T. quoniam ex amore et reuerentia tum illius Patris, tum totius societatis isthaec effudi, et praecaueri maxime cupio, ne P. Natalis passim male audiat, ac priorum uirtutum lucem nunc obscuret tandem ac in nostris extinguat.

Quoniam Jngolstadij Marianum opus absolui, quod isthuc forte P. Lucas[4] adducet, uisum est P. Prouintiali nunc mea uelut socij opera

a) *Ita C. correxit ex* parum. b) *Hic* non *a C. primum scriptum, deinde oblitteratum est; quod ut restituatur exigit res ipsa.* c) *Ita C. correxit ex* desiderare. d) *Ita C. correxit ex* patientiam. e) *Sequitur* ille, *oblitt.*

[1] De Gisberto Rotario fratre laico (a. 1573 in collegio lauretano; Hist. Soc. 41 p. 94—95) v. *Can.* V 51[5]. Is a. 1578, cum in collegio ingolstadiensi versaretur, ex Societate dimissus est (*Catalogus dimissorum, a P. *Hoffaeo* scriptus. Cod. „VI. 35“ f. 65[a]).

[2] 2 Par 19, 9; Tob 14, 16; Prv 14, 26; 16, 6; 23, 17; Eccli 7, 21; Act 9, 31 etc.

[3] * P. Hieronymus Natalis, laboribus morbisque fractus, Italiam petiit, id quod et medicis et Mercuriano praeposito generali visum erat, exeunte m. Augusto (Epp. *Nadal* III 731 736 744 747).

[4] Lucas Pinellus (1542—1607) melfensis (Melfi, urbs Italiae meridionalis) a. 1575 theologiae professor in universitate ingolstadiensi constitutus, a. 1576 Ingol-

uti in uisitatione prouintiae, initio quidem Halae sumpto. In hac uisitatione duos, ut opinor, menses, ac eo amplius consumemus. Faxit Christus, ut aliquid ego praestare possim in collegiorum fratrumque utilitatem.

Quod ad editum opus attinet, si P. T. placuerit, ut exemplar eius Pont. Max. et Card. Morono, Sirleto, Warmiensi, uelut Patronis de me bene meritis offeratur, mittam si possum, plura eiusdem operis exempla, etsi haec missio non parum difficilis uideatur. Sed expectabo prius nostrorum censuram, an opus hoc lectione dignum putent, et rogo, ut libere iudicent, et iudicando corrigant, quae minus arridebunt. Nihil enim ambigo, multa hic irrepsisse, quae lima egeant, et meam tenuitatem superat argumenti praestantia. Non decreui ad plura scribenda progredi, meae conscius imbecillitatis, nisi urgeant, qui mihi possunt quidlibet iniungere. Jn hac aetate lubens ad ea me conferam, quae sunt professioni siue uocationi meae congruentiora, et alijs doctioribus tradam lampada, non amplius cum haereticis conflictaturus.

P. Turrianus ad me scripsit de libris duobus contra haereticos conscriptis, quos Coloniae in lucem edi desideraret[1]. Optarim P. T. iudicium accedere, quid mihi hac in re faciendum uideatur: postea illi respondero.

Commendo me submisse ac reuerenter P. T. ac Patribus Assistentibus omnibus, eorumque precibus in Christo JESV Domino nostro[2]. Halae 13 Augusti .1577.

P. T.

Jndignus filius

Petrus Canisius manu propria.

† Admodum Reuerendo in Christo Patri nostro, P. Euerardo Mercuriano, Praeposito generali Societatis IESV. Ad manus proprias Romae:

In antiqua illa „* *Historia* collegii Ingolstadiensis" (v. *Can.* II LI) a Socio aliqua horum temporum aequali narratur in annum 1577: „P. Petrus Canisius a R. P. Prouinciali euocatus, vt in futura Prouinciae visitatione socius foret, sub mensem Augustum hinc abijt, suumque Marianum opus in lucem dedit" (Cod. eystett. „Hist. coll. Ing." p. 41). Atque ipse P. *Paulus Hoffaeus* praepositus provincialis Hala Kalendis Augustis 1577 *Mercuriano scripsit: „P. Petrus Canisius est mihi hic socius in visitatione.... Librum suum Marianum tandem absoluit. P. V. non imponat illi similem curam, sed neque Postillam scribat, sed libellos tantum deuotos et paruos, qui multa eruditione et fratrum fatigatione non egeant. Eius opera ob hominum penuriam mihi alijs in rebus erit necessaria, faceremque magnam in hac prouintia iacturam, si P. V. ipsum alio mitteret, quod ne faciat rogo". Et Oeniponte 12. Augusti 1577 P. *Ioannes Rabenstein* collegii rector *Mercuriano: „Adest

---

stadii Convictui „Albertino" regens datus est; unde Mussipontum ad theologiam tradendam accersitus est, vir libris quoque dogmaticis asceticisque editis bene de ecclesia meritus (*Sommervogel* l. c. VI 802—817; *Agricola* l. c. I Dec. 4, n. 156—158; *Mederer* l. c. II 17 30).

[1] Vide supra p. 404. [2] Rom 6, 11 23 etc.; v. supra p. 219[6].

tandem in montibus P. N. prouincialis cum socio P. Canisio. Halae suam auspicatur Visitationem" (ex autographis; Germ. 138 f. 181a 201a).

Quod autem Canisius in his litteris Mercurianum monuit: P. Iodocum Castnerum (de quo *Can.* I 398 [2]) collegio halensi regendo destinatum propter infirmam valetudinem vix „diu superesse posse", id recte dictum esse paulo post rei eventus monstravit: Castnerus, Ingolstadio, ubi collegii „minister" fuerat, 3. Augusti profectus (Cod. eystett. „Hist. coll. Ing." p. 41); „praesente P. Provinciali et eius Socio P. Petro Canisio" Rector „.20. Aug: an. 1577 promulgatus est et post tres menses die .12 Nov. eodem anno mortuus est": Ita * *Catalogus* Rectorum Halensium, circa a. 1725 conscriptus, qui exstat Monachii in archivo reipublicae bavaricae, Jesuitica Hall Fasc. 71 nr. 1344.

Deinde ea, quae Canisius de P. Natale ac de miserrimo illo Matthia Lacknero ad Mercurianum rettulit, *Hoffaeus* confirmavit *litteris eodem die 13. Augusti 1577 Hala ad eum missis: „Optabam", inquit, „P. Natalem Halam nunquam venisse: aliquoties enim satis acerbae inter ipsum et Rectorem Matthiam inciderunt contentiones, quas Rector euomuit apud Reginam flendo et querulando, mihique post discessum scripsit istam boni senis conuersationem non minimam sibi occasionem ad defectionem praebuisse. Aiunt dictum Matthiam nunc Argentorati versari et de famoso libello contra nos meditari.... Ego iam hoc ago vt Matthiam quomodocumque comprehendam si possibile sit, sique in hoc me Deus iuuet, carceribus illum mancipabo, si P. V. probet, perpetuis" (ex autogr., Germ. 138 f. 204a).

Ad quae *Mercurianus* Roma Kalendis Septembribus 1577 *respondit: „Rationem defectionis halensis iam nobis videmur plane perspectam habere. Quae quando tam longe progressa est, facile est intelligere non fuisse in causa bonum senem", et illum hominem, cum „apud reginam" quereretur, „non alio spectasse quam vt suae impietati praetextum aliquem obtenderet" (ex commentario. Rh. Inf. 1, II f. 13b).

Mercurianus Canisio respondit 30. Augusti 1577.

1984. EVERARDUS MERCURIANUS praepositus generalis Societatis Iesu CANISIO. Roma 30. Augusti 1577.

Ex commentario vel apographo eiusd. temp.; in margine, eadem manu: „Jngolstadij P. Petro Canisio." Rh. Inf. 1, II f. 12b.

Lackner apostata. Penuria operariorum. Romam non iam Socii inepti mittendi, sed probi. Collegium salisburgense. Professio. Dimissio. Natalis. Libri Turriani.

Quae nobis a R. T. postrema epistola reddita est ea scripta fuerat Halae .13. Augusti. Miseret nos Halensis illius [1], et eo magis miseret quo minus spei uidetur reliquum fecisse. Probamus autem consilium R. T. de eo [a] vinciendo [b] si qua ratione comprehendj possit · quo scilicet castigato corpore spiritus saluus fiat [2]. Videmus [c] quantum solicitudinis [d] et quam merito afferat prouinciali [3] operariorum penuria in tanta frequentia collegiorum quae res [e] magno nos afficit dolore et commiseratione, sed sperandum tamen in Domino qui dabit omnia petentibus se [4], et danda interim opera vt operarios [f] idoneos nanciscamur.

Monueramus aliquando vt [g] mitterentur [h] nonnullj qui hic instituti, post prouinciae vsui esse possint. Verum quia missi non sunt nisi

a) *Sequitur* cum *vel simile v., oblitt.* b) *Sequitur* sicubi comp, *oblitt.* c) *Sequitur* in quantis P. Prouincialis, *oblitt.* d) *Sequitur* afferat, *oblitt.* e) *Sequuntur vv.* nobis non parum affert doloris, *oblitt.* f) *Sequitur* bonos, *oblitt.* g) *Sequitur* isthinc, *oblitt.* h) *Sequitur* huc, *oblitt.*

[1] Matthiae Lackner apostatae; v. supra p. 405.
[2] Cf. 1 Cor 5, 4 5. [3] P. Paulo Hoffaeo.
[4] Mt 7, 11; cf. Mc 11, 24; Lc 11, 13; Io 16, 23 24 etc.

homines tentati, nec satis instituti sui amantes, fit contra vt hic non tam profecisse, quam defecisse videantur, et quod consequens est[a] collegium nostrum Romanum nescio quid isthic[a] contrahat sinistrae opinionis cum tamen in eo neque[b] litterae, neque virtus atque disciplina vnquam magis viguerint. Quae cum ita sint peruelim R. T. illud liberet hac infamia, moneatque Prouincialem vt melius de Jtalia sentiat sibique[c] persuadeat quoties idonei huc missi fuerint, futurum esse vt meliores, ac eruditiores[d] reuertantur.

A[e] collegio Salisburgensi et nos abhorremus, et abhorruimus semper. Sed etiam[f] antequam Pontifex[g] de eo mentionem fecisset audieramus istam prouinciam illius vti et lucernensis[h] desyderio teneri · vt mirum non sit nos eo iubente scripsisse quae nuper scripsimus. Sed hac de re scribimus ad P. prouincialem, vt et de professione[i] P. Martini Leubensteyn, et de dimittendo Gisberto Louaniensi[k] quem R. T. sciat non[l] fuisse isthuc remissum aliam ob causam, quam quod perperam huc missus esset, non vt in prouincia retineretur cum aliorum offensione et pernicie. De P. Natalis profectione nondum resciuimus. Qui vbi venerit, curabimus vt moneatur officij, etsi scimus multa eius aetati condonanda esse. Libri P. Turriani adhuc hic sunt, et ab eo recognoscuntur. Js nactus est occasionem qua possit suos commentarios recta Coloniam mittere. Jtaque non erit hac in parte R. T. molestus. Sed operae precium faceret si eum per literas moneret de ijs quae in eius libris isthic repraehenduntur, quo sibi in posterum cauere possit. Haec habui quae R. T. responderem, superest vt me commendem eius precibus et s. sacrificijs atque[m] ei vicissim optem plurimam a Domino benedictionem. Romae .30. Augusti 1577.

Mercuriani ad Hoffaeum *epistula, ad quam Canisius in his litteris remittitur, Roma 1. Septembris 1577 data est; in qua ille Patrem Leubenstain ad professionem admitti, Rotarium ex Societate dimitti iubet; de salisburgensi autem seminario se, quantum fieri possit, apud pontificem „intercessurum", ne a Societate eius cura suscipi debeat. Deinde scribit (cf. supra p. 408): „Placet R. T. consilium de p. Petri Canisij studijs atque occupationibus · praesertim cum ipse in eadem sit sententia" (ex comm., Rh. Inf. 1, II, f. 14[a]).

1985. P. NICOLAUS LANOIUS provinciae austriacae S. J. visitator PP. PAULO HOFFAEO et PETRO CANISIO.

Praga circa m. Septembrem 1577.

Ex Lanoii ad Mercurianum epistolis autographis. Germ. 138 f. 376[a] 322 265[b].
Socios aliquot offert aliis Sociis permutandos.

P. Nicolaus Lanoius S. J., qui a. 1577 iussu Mercuriani praepositi generalis provinciam Societatis austriacam visitabat (Duhr, Jes. I 597), Vindobona 10. Iunii 1577 Mercuriano scripsit: „Agit in hoc Collegio

a) *Hoc v. supra versum scriptum est.* b) *Sequitur* virtus, nec, *oblitt.* c) *Ita in comm. correctum est ex* melius sentiat de Jtalia sibi. d) *Sequitur* isthuc, *oblitt.* e) *Antecedit* De, *oblitt.* f) *Hoc v. supra versum scriptum est.* g) *Sequitur* illud, *oblitt.* h) *Haec 3 vv. supra versum scripta sunt.* i) *Hoc v. supra versum scriptum est.* k) *Ita corr. est ex* Louananiensi. l) *Sequitur* esse ali, *oblitt.* m) *Sequitur* eidem *vel simile v., oblitt.*

Ministrum P. Laurentius Hermanutius, cuius animus totus est in Prouincia superioris Germaniae, ait se superioribus ingratum, quod colligit ex verbis ipsius Prouincialis[1] *contra se durius prolatis interdum · et ex alijs signis etc. Dum mortua Ducissa Ferrariensi rediret in Germaniam*[2] *putabat omnino se retentum iri in Germania superiori, id quod omnino erat futurum, nisi ipse potius se militem subinde terrificum quam religiosum mansuetum nostris fere in omnibus Collegijs (per quae in prouinciam profecturus transibat) praebuisset. Et reuera mirabar et ego hominem ita praeter morem pristinum ac solitum et loqui et agere, semper tamen iocari videbatur et nihil aliud quam quae iocosa essent requirere, et cum hoc nomine inciperet apud quosdam non bene audire tanquam is qui in Aula spiritum solitae simplicitatis amisisset · coeperunt Rectores etc. illum quodam modo auersari et sibi ab illo metuere. Hac ratione puto factum ut P. Hoffaeus facile sit passus ut sollicitante P. Maggio in Austriam nauigarit . . . Displicebat sane id in primis quod iam hunc iam illum sic interdum aggrederetur, ut nec a duriori contactu ac manuum compressu abstineret, sed haec omnia citra malitiam ex sola petulantia aulica prouenieibant. Admonitus interim acquiescebat et dicebat se velle sapienter agere. Nunc vero ad antiquam practicam redijsse mihi videtur, licet non ad eam maturitatem ac prudentiam qua praeditus erat quando olim mihi erat in paranda suppellectili Collegij OEnipontanj socius. De ipso itaque scribam ad nostros qui sunt columnae*[3] *in Prouincia superioris Germaniae. Hoffaeum dico et Canisium". Et Graecio (Graz) 22. Octobris 1577 idem Lanoius Mercuriano: „Egi nuper dum adhuc essem in Bohemia cum Patribus Hoffaeo et Canisio per literas, et illis pro Prouincia Superioris Germaniae excolenda obtuli quatuor operarios satis voluntarios ac satis strenue alioqui in hac Prouincia laborantes, Patres inquam, Laurentium Hermannutium et Joannem Merquitium et fratrem nostrum Guilhelmum Camerarium grammaticam Olomutii profitentem, quartum non addidi, sed ipsi." Hos autem, ut Vindobona 28. Novembris 1577 Mercuriano scripsit, ita obtulit, ut pro iis alios sibi dari vellet.*

Hermanutius anno 1573 Brunae (Brün, Moraviae urbs) contionatorem agere coeperat. Merquitius sive Marquitius (de quo *Can.* V 111[6]; VI 16 620—621). Olomutii (Olmütz) diu magnoque cum fructu contionator fuerat; idem a. 1576 academiae olomutiensis „studiorum praefectus" erat (*Io. Schmidl* S. J., Historiae Societatis Jesu Provinciae Bohemiae Pars prima, Pragae 1747, 76 274 308 346 386. *Al. Kroess* S. J., Geschichte der böhmischen Provinz der Gesellschaft Jesu I, Wien 1910, 348 350 376—385). *Mercurianus* autem Hoffaeum Germaniae superioris provincialem *monuit Roma 27. Septembris 1577: „P. Lonoyvs scribit ex Austria P. Joannem Merquitium Saxonem cupere Olomutio migrare in aliam prouinciam, eo quod cum multis iam annis in ea ciuitate concionatus sit incipiat is labor et ipsi molestior esse, et minus gratus auditoribus, hominem esse minime malum, et eius operam

---

[1] P. Laurentii Magii.

[2] Confessarius fuerat Barbarae, uxoris Alphonsi ducis ferrariensis, a. 1572 mortuae; v. supra p. 5[2] 131. [3] Cf. Gal 2, 9.

posse vspiam isti prouinciae esse vsui, esse duos praeterea in eadem Austriae prouincia qui ad istam aspirent P. Laurentium Hermannutium et Gulielmum Camerarium. Videbit igitur R. T. num sit e re istius prouinciae vt eis receptis alij reperiantur qui Austriae vsui esse possint" (ex comm., Rh. Inf. 1, II f. 14[b]).

Canisius Lanoio respondit m. Octobri 1577; v. infra, ep. 1991.

1986. CANISIUS **EVERARDO MERCURIANO** praeposito generali Societatis Iesu. Oeniponte 2. Septembris 1577.

Ex autographo (2°; 1⅓ pp.; in p. 4 inscr. et particulae sig.). Germ. 183 f. 273[a]—274[b]. Litteras (praeter inscriptionem) ex eodem autographo typis exscripsit *Aug. Theiner*, Schweden II 148—149; cf. ibidem „Urkunden-Buch" I, Vorbericht. Earum particula posita est in Epp. *Nadal* III 748[2]. Iisdem (ex Theinero) usi sunt *Andr. Brandrud*, Klosterlasse, Kristiania 1895, 123—126, et *Aug. Perger* S. J., Jesuiterpateren Laurits Nielssen, Kristiania 1896, 33—34.

Commendat 6 Suecos a P. Laurentio Nicolai in collegium germanicum missos, sed propter pestilentiam ad tempus Dilingam profectos. P. Natalis. Visitatio collegiorum.

† Pax Christi JESV nobis aeterna.
Admodum Reuerende Pater.

Dicam de sex adolescentibus studiosis recens e Suetia missis, in Vrbem, quorum et literas mitto excusatorias, ut se purgent, quod ex itinere uel inuiti suum iter Dilingam deflexerint[1]. Etenim quum Patrem nostrum Prouintialem[2] hic consuluissent, ac[a] opem eius sollicite implorassent, noluit illis author esse ad reliquam profectionem hoc difficili et pestifero tempore per Jtaliae prouintias absoluendam, sed persuasit potius, ut Dilingam secederent, ubi nostris conuictoribus consociati, tempus proficiscendi commodius expectarent. Jgitur cum literis commendatitijs heri abiere Dilingam[b], suamque causam omnem nobis facile comprobarunt, quum P. Laurentij Norwegi adiunctum et obsignatum testimonium proferrent, qui tales in Christo filios non sine singulari benedictione Domini apud Gothos generauit[3]. Scribit et ipse P. Laurentius ad P. T. sed has literas illi coram exhibere[c] malunt, quam cum periculo mittere, quum aliae tam multae hactenus in Italia intercipiantur. Vidimus autem et agnouimus literarum inscriptionem. Praedicamus interim diuinam benignitatem ob rarum hoc et praeclarum exemplum, adolescentes nempe sex in haeresi barbarieque[d] natos et

a) *Sequuntur vv.* opus ei, *oblitterata.* b) *Sequuntur vv.* relictis his literis, *oblitt.* c) *Sic C correxit ex* exhibuere. d) haeresi et barbarie *Thei.*

[1] Vide, quae sub ipsas has litteras dicentur. Haud recte *Brandrud* scribit, Canisium hoc tempore rectorem collegii oenipontani fuisse (l. c. 126).

[2] Paulum Hoffaeum.

[3] Laurentium Nicolai (Nielssen) sive Norvegum (1538—1622), a. 1563 Societatem ingressum, inscio Ioanne III. Sueciae rege Catharina eius uxor in Sueciam arcessiverat; cui Holmiam m. Aprili 1576 advecto rex permisit, ut ludum litterarium iuvenumque contubernium institueret et Suecos iuvenes Romam in collegium germanicum mitteret; quibus ipse rex 300 aureos pro viatico dari iussit (*Theiner*, Ann. II, in a. 1576 n. LXVIII; *Perger* l. c. 29—43; *Steinhuber* I² 353—354). Testimonium a P. Laurentio Norvego „Stockholmiae" 13. Iulii 1577 iis datum (Germ. 156 f. 157) exstat apud *Theiner*, Schw. II 149—150.

educatos boni Patris opera non modo mutasse religionem, sed et Catholicam fidem breui tempore, tantoque spiritus ardore complecti, ut insalutatis amicis, et relicta patria iter tam longinquum subierint, magno iam zelo Ecclesiae Romanae tuendae flagrantes, suaque studia huc unice dirigentes, ut idonei aliquando ministri et concionatores esse possint in Suetia, praesertim ob necessarium usum uernaculae linguae. Quocirca quum nihil nisi sincerum candorem, et candidam simplicitatem in hisce studiosis deprehenderemus, quos mirabiliter excitasse, et uelut primos desertae messis illius operarios per P. Laurentium nobis donasse uidetur Deus, maiorem curam illis iuuandis hoc loco adhibuimus. Neque dubitamus fore, quin eandem causam P. T. tum Jllustriss. Dominis Cardinalibus Comensi et Warmiensi [1], tum Pont. Max. [2] ita sit commendatura, ut nostri Dilingae sentiant sibi non esse fraudi, quicquid sumptuum in hos adolescentes alendos fecerint ex P. Prouintialis commendatione. Qui adolescentes hinc digredientes enixe rogarunt, ut sibi [a] gratiam impetraremus isthuc cito proficiscendi, quod ingenti desiderio almae Vrbis uidendae teneantur omnes, ut et suae et P. Laurentij expectationi satisfaciant. Sperant etiam Pont. Max. pro summa clementia sua curaturum ut suppetant sumptus siue Dilingae, siue ad reliquum iter conficiendum ipsis necessarij. Quicquid autem hac de re scribetur, ad P. Prouintialem hinc breui abiturum Dilingam facile transmitti poterit: summa enim apud istos Romani responsi est expectatio, praesertim ut intelligant se studiaque sua curae esse S. D. N. de cuius eximia liberalitate non parum [b], imo et omnia sibi pollicentur.

R. P. Natalis ante biduum discessit, commoda lectica uectus [3]. Ego hinc una cum P. Prouintiale Dilingam, ut illud quoque collegium tertio loco uisitetur, si Dominus fauerit, proficiscar, meque totum P. T. sacrificijs precibusque in Christo reuerenter commendo. Oeniponti 2 Septembris 1577.

R. P. V.

Jndignus filius

Pet. Canisius propria manu.

Admodum Reuerendo in Christo Patri nostro, P. Euerardo Mercuriano Praeposito generali Societatis IESV. Romae.

Litterae horum sex adulescentium suecorum, quas Canisius, ut ipse scribit, epistulae suae adiunxit, omnium nomine Oeniponte 31. Augusti 1577 ad Mercurianum datae sunt a „Petro Brasch Gotho Annor: 19"; qui, ut ipse dicit, „a P. Laurentio uelut praefectus quinque sociorum constitutus fuit"; hi autem, ut ex iisdem litteris intellegitur, erant „Johannes Bult", annorum 19; „Ionas Petri" (Peterson), annorum 16; „Ericus Petri" (Peterson), annorum 24; „Laurentius [Erici"] [c] (Erikson)

a) *Hoc v. supra versum scriptum est.* b) *Sequitur* sibi, *oblitt.* c) *Hoc nomen, quod ex autographo fere evanuit, supplevi ex Theinero.*

[1] Ptolemaeo Gallio et Stanislao Hosio. [2] Gregorio XIII.

[3] In lectica Veronam usque venit; unde Venetias advenit 13. Septembris (Epp. *Nadal* III 749).

annorum 24: „Gregorius Clementis" (Clemenson) annorum 22. „Praeter omnem exspectationem", inquit *Brasch*, „accidit, vt a Venerabili Societate Iesu Oeniponti cognosceremus, nequaquam consultum et tutum esse, vt hoc tempore, quo grauiter a peste Jtalia passim diuexatur, nos iter incoeptum prosequeremur, praesertim quod nonnulli ex Italiae finibus in Germaniam eadem de causa sint redire coacti · Suaserunt igitur pij patres, vt ad tempus apud se remaneremus. . . . Agnoscimus autem singularem horum patrum erga nos orphanos benignitatem et ingentem charitatem, qui nos exteros et indignos hic non modice sunt consolati, simulque viam ostenderunt in Germania nos commode sustentandi, nimirum inter conuictores Dilingani Collegij" etc. (ex autogr., „Germ. 156" f. 168^a—169^b); litteras ex eodem autogr. posuit *Theiner*, Schweden II 150—152). Petrus ille Brask sive Braske filius fuisse videtur Nicolai Brask consulis holmiensis, catholicae religionis studiosissimi, cuius frater Ioannes Brask ultimus fuerat episcoporum catholicorum lincopiensium (Linköping in Suecia); Petrus postea ecclesiae catholicae in Suecia multum utilitatis allaturus erat. Cf. *Steinhuber* l. c. I^2 354—355.

Mercurianus Canisio respondit 14. Novembris 1577.

1987. CANISIUS **EVERARDO MERCURIANO** praeposito generali Societatis Iesu. Oeniponte 9. Septembris 1577.

Ex epistularum ad Mercurianum autographis. Germ. 183 n. 294 et Germ. 138 f. 184^a.

Canisius Oeniponte 16. Septembris 1577 Mercuriano scripsit: „Expectamus P. T. sententiam de sex illis Gothis, qui Dilingae commorantes, ad Romanam profectionem aspirant, ut semel atque iterum scripsi". Primum quidem Canisius scripserat Oeniponte 2. Septembris 1577; quas litteras vide supra p. 413. Altera autem illa epistula perisse videtur. Quam significare videtur Hoffaeus praepositus provincialis, cum Mercuriano Oeniponte 9. Septembris 1577 scribit: „Scribit P. Canisius de sex Suetijs qui Romam transire non audebant et Dilingae nunc haerent vsque ad responsum. P. Vestra diligenter eorum causam promoueat."

Canisius iterum scripsisse videtur, quo certius esset, Mercurianum eam rem cogniturum esse; Italiam enim pestilentia urebat; propter quam ibidem „integros fasciculos literarum concremari" ferebant, ut P. *Gregorius Rosephius* S. J. Augusta 19. Augusti 1576 Mercuriano *scripsit (ex autogr.; Germ. 137 f. 153^b—154^a).

1988. CANISIUS cardinali **STANISLAO HOSIO**, Sanctae Romanae Ecclesiae Poenitentiario maiori, episcopo varmiensi.

Oeniponte 16. Septembris 1577.

Ex autographo (2°; 1 p.; in p. 4. inscriptio alia manu posita et sigillum integrum), quod est Cracoviae in bibliotheca universitatis, Cod. 1131 · 1—3" n. 71.

Se Opus Marianum Hosio et Sirleto mittere eorumque censurae subicere.

†

Pax Christi nobis aeterna,

Jllustriss. Domine Patrone.

Absolui tandem opus[1], quod ut est per se sublime et arduum, ita meas quidem uires, utpote imbecilles, multum exercuit, quum de lectiss. et sacratiss. uirgine Deipara conor aliquid balbutire, et lumen tantum aduersus nouos tenebriones defendere. Etsi uero hic qualiscumque labor non promeretur, ut aut Jllustriss. Celsitudinis tuae, aut doctorum aliorum, qui sunt emunctae naris, iudicio approbetur, tamen

[1] Opus Marianum.

committere non potui, quin hanc uigiliarum mearum partem, optimo fidissimoque Patrono reuerenter offerrem, eiusque singulari censurae permitterem · quam ego, ut aequum est, maximi sane facio. Mitto igitur per Reuerendissimum Sebastiensem[1] huius operis exemplaria duo: alterum quod amplitudini tuae Jllustrissimae commendatum esse uelim, alterum quod eiusdem ordinis eruditiss. uiro, D. Sirleto Cardinali summo iure debeo, quandoquidem hoc Marianum argumentum et institutum meum ualde promouit, quum pro sua benignitate mihi uarias Graecorum scriptorum sententias suppeditauit[2]. Ago igitur summas illi gratias, et utrumque Patronum mihi maxime suspiciendum enixe rogo, ut sicuti ambo prius IOANNEM meum Baptistam suo patrocinio dignum esse putarunt[3], ita modo MARIAM nouam, quae Joannem ipsum excellit, haud minore gratia excipiant, ac si opus fuerit, humaniter tueantur. Erunt interim haud dubie, qui plura et meliora de hoc ampliss. argumento tractari, multaque subtilius disputari postulent. Sed uenia primum experienti, ut uulgo inquiunt[4]: ipseque lubens fateor, de matre Domini nihil hactenus, quod sciam, elaborate conscriptum extare, ac ne scribi quidem pro dignitate posse sentio. Jllud mihi gratissimum erit, si de locis quibusdam corrigendis monear, ut secunda edicio sit plenior, si tamen hoc opus aliquando recudetur. Reuerenter me totum Jllustriss. dignitati tuae commendo, atque ut hoc munus boni consulat etiam atque etiam rogo. Oeniponti 16 Septemb. 1577. Christus nos in utroque homine tueatur.

Seruus in Christo Pet. Canisius.

† Jllustrissimo ac Reuerendissimo Domino D. Stanislao Hosio Episcopo ac Principi Varmiensi et S. Romanae Ecclesiae Cardinali Amplissimo Domino meo in christo obseruandissimo. Romae.

Volebat quidem Canisius, ut ex his litteris intellegitur, hoc tempore duo Operis Mariani exempla Hosio mittere; neque tamen id facere poterat; id cognoscitur et ex epistula 25. Ianuarii 1578 data, qua Hosius ei ad has littteras rescripsit, et ex *litteris Oeniponte 3. Octobris 1577 ad Mercurianum praepositum generalem datis ab *Ioanne Rabenstein*, collegii illius rectore; qui sic scribit: „P. Canisius ... tandem foetum suum est enixus ac opus Marianum in lucem aedidit, quod ego heri Serenissimo nostro[5] praesentaui, et alijs subinde Dominis mitto. Sunt autem exempla quaedam Romam mittenda, quae ut commode mittam nescio, nisi forte Reuerendissimus Sporenus aliquot exempla secum auehat, de quo tamen adhuc paruam spem praebuit.... Reuerendissimus Episcopus Sebastensis ex omnibus d. Virginis exemplaribus tantum duo secum portare potuit quae R. V. P. tradet, vnum pro Summo Pontifice[6] alterum pro P. V. R. Quod si P. V. R. iudicaret Summo Pontifici suum istic ligari prius oportere credo non improbabit P. Canisius consilium et libenter soluet".

---

[1] Franciscum Sporeno O. F. M.; v. supra p. 305[3].

[2] Vide supra, p. 2 46 143, et infra, monum. 1131.

[3] Vide *Can.* VI 445 447 488 710—711.

[4] „Συγγνώμη πρωτοπείρῳ, id est, Venia primum experienti. Refertur a Diogeniano": Adagiorum *Des. Erasmi* Roterodami Chiliades quatuor, Parisiis 1572, col. 284.

[5] Ferdinando II. archiduci.

[6] Gregorio XIII.

1989. CANISIUS **EVERARDO MERCURIANO** praeposito generali Societatis Iesu. Oeniponte 16. Septembris 1577.

Ex autographo (2°; 1½ pp.; in p. 4 inscr. et particulae sig.). Germ. 183 f. 275ᵃ—276ᵇ. Epistulae particula exstat in Epp. *Nadal* III 749[5].

Operis Mariani exempla mittit et censuram petit; eiusdem imagines. Sueci. Socii aliquot. Visitatio collegiorum. P. Natalis „Meditationes". Archidux.

† Pax Christi nobis aeterna,
Admodum Reuerende in Christo Pater.

Cum ex Vrbe huc uenisset Reuerendissimus Sebastiensis[1], idemque fere in aula Jllustriss. Cardinalis Austriaci[2] primarius isthuc redire uellet, non abs re fore putauimus, si discedenti exemplaria quaedam noui operis nostri[3] Romam inuehenda, quum alia commodior mittendi ratio esse non posset, hoc tempore committeremus[a]. Ab illo igitur accipientur exemplaria quaedam partim P. T. partim alijs inscripta, nisi fortassis de hac distributione[b] aliter isthic statuetur. De duobus exemplaribus memini, ad Jllustriss. Cardinalem Warmiensem scribens, et apertas mitto litteras, ut approbatae obsignentur ac tradantur[4]. Alioquin nullas ego hactenus, quod sciam, ad eundem Cardinalem dedi post ultimam Patrum congregationem[5]. Magni autem beneficij loco accipiam, si unus et alter editi operis censor a P. T. constituetur, ut sciam quae in secunda editione mutanda, detrahenda uel addenda esse uidebuntur. Jnsertae sunt imagines quaedam siue icones nimium rudes, crassae et incomptae[6]: sed hoc pictoris atque sculptoris[c] uitium in editione alia facile corrigetur. De templo Mariae maioris, ut Romae appellant, deque Lauretana aede plura dici potuisse uideo[7], et P. Raphael non pauca notauit, quae ad manus tamen meas non peruenerunt[8]. Verum haec aliaque plura docti Theologi et sapientes lectores facile diiudicabunt, quibus et ego placere

a) *Huic sententiae manu romana eiusdem temporis in margine ascriptus est numerus* 1. b) *Sic in autogr. correctum est ex* distrubutione. c) sculptores *autogr.*

¹ Franciscus Sporeno O. F. M.: at v. infra p. 427.

² Andreas Austriacus, Ferdinandi II. archiducis et Philippinae Velserae filius natu maior, a. 1576 a Gregorio XIII. cardinalis diaconus tituli „S. Mariae novae" creatus, m. Aprili 1577 Romam venit; ubi duos annos mansit (*Hirn* l. c. II 377—378).

³ Opus Marianum dicit; v. supra p. 415.

⁴ Has ad Hosium litteras v. supra p. 415.

⁵ Vide supra p. 357 ³.

⁶ Vide huius editionis descriptionem, quae ponetur infra, monum. 1216.

⁷ *Canisius* in libro „De Maria Virgine incomparabili" Ingolstadii 1577 edito scripsit breviter de templo „Sanctae Mariae maioris" l. 5, c. 21 22, p. 692 706, et copiose de sacra aede lauretana l. 5, c. 25, p. 726—734.

⁸ Raphael Riera (1528?—1582 vel 1583) barcinonensis, qui unus ex primis Sociis collegii messanensis (cum Canisio; v. *Can.* I 270 ¹), deinde confessarius in sacra aede lauretana fuit, praeter historiam iubilaei a. 1575 Romae habiti brevem historiam domus lauretanae sive de miraculis B. M. V. in aede lauretana italice scripsit, quae Maceratae a. 1575 (et 1573?) et alibi edita est (*Possevinus,* Apparatus 951; *Sommervogel* l. c. VI 1843).

in Domino cupio, quoad eius fieri queat. Doleo tam splendidum argumentum non[a] a me rectius digniusque tractatum esse[b].

Expectamus P. T. sententiam de sex illis Gothis, qui Dilingae commorantes, ad Romanam profectionem aspirant, ut semel atque iterum scripsi[c 1].

P. Guilhelmus Elderensis[2], qui multis annis gratissimus plaerisque Confessarius Augustae, Florentiae et Oeniponti fuit, dignus mihi uidetur, qui Coadiutoribus formatis aggregetur[3]. Jdem dixerim de Christophoro[4] emptore Hallensis collegij, ut inter Coadiutores temporales formatus et ipse censeatur. Jn eodem collegio M. Gerardus uersatur, annorum fortasse 36, cui ex gratia concedi posset, ut ad sacerdotium promoueretur, quoniam in sacris studijs, nisi fortassis in casibus conscientiae, ob perpetuas in scholis occupationes non ex professo uersatus est, bene alioquin meritus de societate[d 5].

Patris nostri Prouintialis[6] ingens cura est atque uigilantia in collegijs uisitandis, atque si pergat uti coepit, quatuor aut quinque menses ad reliquam uisitandam prouintiam aegre sufficient · nec dubium, quin eiusmodi uisitationis utilitas euidens consecutura sit. Me interim, ut scripsi, ad hoc institutum sibi socium adesse decreuit[e].

Quod P. Natalis Veronam saluus peruenerit gaudemus, atque ut suum opus iam satis elaboratum multisque probatum in lucem Venetijs[f] edat desideramus[7]. Sed non faciet, nisi serio urgeat P. T. cuius nos precibus in Domino ualde commendamus.

Princeps modo nostris hoc loco est plane conciliatus[8], et adhuc

a) *Sex vv. sqq. a C. postea addita sunt.* b) *Hoc epistulae caput, incipiendo a* Magni autem beneficij, *manu romana eiusdem temporis variis lineis signatum est, ascripto in margine numero* 2. c) *Hoc caput similiter atque secundum signatum est, ascripto* 3. d) *Caput similiter signatum, ascripto* 4. e) *Caput similiter signatum, ascripto* 5. f) *Sic C. correxit ex* Venitijs.

---

[1] Vide supra p. 413. [2] Cf. supra p. 5 96.

[3] De Societatis „coadiutoribus formatis" iisque vel „spiritualibns" vel „temporalibus" v. *Can.* II 515[4]; III 760[2].

[4] Christophorus Öffner (Höffner, Offner) tirolensis, annorum fere 34, Societatem ingressus Oeniponte 21. Augusti 1572, arte sartor, initio a. 1574 in collegio monacensi sartorem egerat; quem distingui oportet a. Fr. Christophoro Offner „Bavaro" (*Catalogi ab *Hoffaeo* scripti; Cod. „VI 35" f. 27[a] 76[b]; Hist. Soc. 41 f. 175; Germ. 131 f. 185[b]).

[5] In *Catalogo collegii halensis „pro anno 1572" a. P. *Ioanne Rabenstein* rectore scripto comparet „M. Gerardus Massetus natione Gallus ciuitate Leodiensis, natus anno 1545, Societatem ingressus anno 1561, uota simplicia emisit anno 1561, ad quaeuis studia et scholastica munia aptus, sed magno linguae impedimento laborat · praeceptor humanitatis, scholasticus approbatus" (Germ. 131 f. 186[b]). In *Catalogo autem *Hoffaei*, quem supra dixi, exstat „M. Gerardus Massetus Diaconus. Talentum docendi quaeuis" [habens] (Hist.Soc.41 f. 171[b]). [6] Pauli Hoffaei.

[7] Significatur insigne illud P. Hieronymi Natalis opus „Adnotationes et Meditationes in Evangelia quae in Sacrosancto Missae Sacrificio toto anno leguntur": de cuius editionibus v. *Sommervogel* l. c. V 1518–1520; cf. etiam Epp. *Nadal* III 739 749; IV 727–728.

[8] *Hoffaeus* Mercuriano Monachio 12. Aprilis 1577 *scripsit de Ferdinando II. et Carolo eius filio natu minore (cf. supra p. 282): „Archiduci dedimus Patrem

cogitat de fundando Friburgi collegio[a] [1], Rectoremque Rabenstein amanter complectitur. Cras hinc discedemus Dilingam, inde Jngolstadium, Monachium et Augustam Christo duce profecturi. Oeniponti 16 Septemb. 1577.

R. P. T.

Jndignus filius

Petrus Canisius propria manu.

† Admodum Reuerendo in Christo Patri nostro, P. Euerardo Mercuriano, Praeposito generali Societatis IESV. Romae.

Mercurianus Canisio respondit 14. Novembris 1577.

1990. P. FRANCISCUS COSTERUS S. J. CANISIO.

Colonia autumno (Octobri?) a. 1577.

Vide epistulae 1993 caput primum et „post scriptum".

1991. CANISIUS mandatu P. PAULI HOFFAEI S. J. praepositi provincialis Germaniae superioris **P. NICOLAO LANOIO S. J.** visitatori provinciae austriacae.

Dilinga (?) sub ineuntem vel medium m. Octobrem 1577.

Ex Lanoii autographis; Germ. 138 f. 322[b] 265[b].

Non esse Socios quosdam aliis permutandos. Deesse, qui domos regant.

P. Nicolaus Lanoius S. J. provinciae austriacae visitator Everardo Mercuriano praeposito generali scripsit Graecio (Graz) 20. Octobris 1577: Se, cum in Bohemia esset, per litteras cum PP. Paulo Hoffaeo et Petro Canisio de PP. Laurentio Hermanutio et Ioanne Merquitio et Fr. Guilielmo Camerario ex provincia austriaca in Germaniam superiorem mittendis egisse (cf. supra p. 411); „quartum", inquit, „non addidi, scilicet P. Joannem Hermannum, sed ipsi, dicentes me et de hoc patre transmittendo forsitan cogitare, non tamen est ita, sed hoc illi suspicantur quia non ignorant et hunc P. anhelare[2]*: Ad nostram igitur oblationem ita P. Canisius.* Respondet P. noster Prouintialis, R. T. veluti visitatorem nostrum de his cogitare forsitan. Quod si ita est' nihil enim certi habemus, optaret admodum de his alijsque personis transferendis nihil concludi nisi cognita prius et explorata nostrae

a) *Sequitur* et, *oblitt.*

quendam qui filium instituat: hoc illi gratum fuit et videtur magis ac magis mitescere, sic tamen, vt nobis caute sit in omnibus agendum" (ex autogr., Germ. 138 f. 137[a]).

[1] Friburgi Brisgoviae; v. supra p. 350.

[2] De hoc collegii graecensis *Catalogus* ibidem 19. Maii 1574 compositus haec habet: „P. Joannes Hermannus Mindelhemiensis [Mindelheim, nunc oppidum Suebiae bavaricae] Sueuus annorum 33 venit ad Societatem Viennae die 24 Augusti 1559 et ibidem primo nouit die 25 Decembris 1560. Scholasticus approbatus Pragae factus die 25 Iulij 1567. Audiuit Cursum Philosophiae Viennae et aliquid Theologiae. Sacerdos factus Pragae ab Episcopo in quadragesima 1567. Vtitur lingua Latina et Germanica. Concionatur apud Sanctum Andream diebus Dominicis et Festis; ac diebus mercurij explicat catechismum pueris. Est sanus et mediocrium uirium." (Hist. Soc. 41 f. 159[b]).

Prouintiae conditione simul et necessitate etc. *haec ille. Ego vero sum his patribus responsurus quod res est scilicet me nihil omnino scire de huiusmodi visitatione eamque futuram ob diuersos respectus loco magnae cuiusdam mortificationis si tale onus meis debilibus humeris imponeretur etc. . . . Mirandum . . . sane tam raros in hac et in superioris Germaniae Prouincia inueniri qui in officijs gubernationis administrandis digne vtiliterque versari possint. Nam et de huiusmodi personarum inopia queruntur memorati Patres Canisius et Hoffaeus*". *Et Vindobona 28. Novembris 1577: „Auanti che jo scriuessi alla P V gia haueuo scritto alli Padri Hoffeo et Canisio di fare qualche permutatione delli Padri Merguitio et Hermannutio et del Fratello Guilhelmo Camerario, resposero che non vogliono fare tal contratto . patientia, si V. P. de plenitudine potestatis non ordinara altro.*"

Hoc quidem constat: Merquitius in Germaniam superiorem non venit. Instituit is a. 1580 sodalitatem Sanctissimi Corporis Christi Pragae; cuius urbis collegio valde utilem operam praestitit; deinde Graecii eadem cum laude 5 annos versatus, a. 1588 Vindobonae vita cessit (*Schmidl* l. c. I 400 442—443; *Socherus* l. c. 367—368: *Kröss*, Böhm. Jes. I 567—568 579).

Ceterum, quia ex epistulis hoc tempore Dilinga a Canisio datis nulla superest, iuverit hic aliqua poni, quae de rebus ibi ab eo gestis alii scripserunt. P. *Dominicus Menginus* S. J. collegii monacensis rector Monachio 23. (25.?) Septembris 1577 Everardo Mercuriano praeposito generali de Hoffaeo provinciali circa 17. Septembris Oeniponte Dilingam versus profecto (v. supra p. 419) *scripsit: „Ex montibus nunc proficiscitur Dilingam. Interim is hac transeundo uehementer me recreauit" etc. Deinde P. *Theodoricus Canisius* rector collegii dilingani Dilinga 11. Novembris 1577 eidem Mercuriano sic *scripsit: Ingolstadio „reuocatus sum proximo Septembri, quando Collegium hoc visitare coepit Reuerendus pater prouincialis noster.... Hoc loco nunc viuimus 27. sani sic satis omnes. Reuerendus pater prouincialis totum mensem nobiscum hic mansit, vna cum R. P. Petro Canisio, in visitatione hac socio. Multa prudenter constituit, scholastica exercitia in meliorem ordinem redegit, omnes in Domino consolatus est et ad meliora exhortatus. Ante dies viginti Jngolstadium cum socio P. Canisio hinc abijt, vbi visitatoris munere iam fungitur. Cum hic esset, fuit a Reuerendissimo Episcopo nostro [1] ad prandium vocatus vna cum Patre Canisio, et duobus alijs de societate, et humaniter ab eo est habitus. Postea etiam ferinis carnibus ad Collegium missis honoratus.... Dici non potest quantum indies haec Academia tam studiosorum nobilitate et multitudine, quam pietate et authoritate crescat: neque scholae neque templum capiunt omnes.... Collegium Conuictorum nobilissimis adolescentibus, et diuersorum ordinum religiosis fratribus est refertissimum, vt nouas in ciuitate aedes pro eorum habitatione conducere coacti simus Sunt inter alios Sueci sex vno excepto, aetate iam matura omnes. Hi a Rege Sueciae superiori aestate Romam missi sunt [2]: Sed cum Oenipontum peruenissent, et in P. Prouincialem, et P. Petrum Canisium forte incidissent, edocti ab eis sunt, non esse tutum satis hoc tempore, propter pestis suspicionem, in Jtaliam transitum. Quare illi, accepto consilio dictorum Patrum Dilingam venerunt, hic mansuri, donec meliora de Jtalico coelo nuncientur. Promisit interim Regenti Conuictorum Pater Prouincialis, se Romae effecturum, vt sumptus omnes, qui non leues, necessarij tamen, hic in eos fiunt, integre ipsi restituantur. Duo tantum ex illis sex Catholici erant: reliqui quatuor hic catechizati sunt et Ecclesiae reconciliati. Gerunt se illi hactenus bene, et libertatem patriam, quamuis aegre, paulatim tamen refraenant.

---

[1] Marquardo a Berg. [2] Vide supra p. 413.

Jmpatienter abire Romam desiderant, et est omnis mora illis longa: ob id maxime, quod eo se a Rege suo recta missos dicant, et quod barbaros amicos, quibus inscijs hanc peregrinationem susceperunt, non temere hoc loco se timere dicant: non defuit enim qui Suecos hic quaereret paucis ante diebus. Patres supradicti non libenter eos prius hinc dimittunt, quam ex vrbe responsum accipiant: nam de eis oeniponto isthuc scripsisse se aiunt" (ex autographis, Germ. 138 f. 121 142[a]).

1992. CANISIUS **EVERARDO MERCURIANO** praeposito generali Societatis Iesu. · Ingolstadio 25. Octobris 1577.

Vide epistulam Roma 28. Decembris 1577 a Mercuriano ad Canisium datam, qua ille Canisio respondebat.

Ingolstadium P. Paulus Hoffaeus provincialis cum Canisio socio collegii visitandi causa circa 21. Octobris advenisse videtur; cf. supra p. 419. P. *Theodoricus Canisius* Ingolstadio (ubi collegio ad tempus praeerat) 18. Iulii 1577 Mercuriano *scripsit: „Nouum nuper onus humeris nostris impositum est gubernandi Seminarij Principis Bauariae, cui quatuor ex nostris iam sunt praefecti. Sumus autem de Societate hoc loco omnino 48 · ex quibus sacerdotes 22.... Domicilium nuper concessum, quod nunc inhabitamus, etsi non omni ex parte nostris rationibus sit accommodatum, multo tamen priori illo est commodius et salubrius" (ex autogr., Germ. 138 f. 104[a]).

Ceterum iuverit hic commemorari *Institutionem quandam, quam *Hoffaeus* Canisio, puto, iuvante Ingolstadii composuit vel saltem adumbravit. Sic igitur Hoffaeus Ingolstadio 29. Novembris 1577 „Patribus et fratribus Ingolstadij, Augustae et Dilingae, in Theologia et Philosophia graduatis" scripsit: „Mitto ad vos meum scriptum de Opinionibus, thesibus, libris et censoribus, vt de illo vestra iudicia singuli separatim ad me perscribatis spacio 15. dierum plus minus quibus hic haerebo priusquam illud aut aliud melius in prouintiam dispergam. Responderunt iam huius collegij Patres quid et ipsi sentirent de eodem". Magnam esse in provincia „discrepantiam animorum et iudiciorum circa opiniones, theses et libros" (ex litterarum apographo, ab ipso Hoffaeo scripto et ad Mercurianum praepositum generalem misso. Germ. 138 f. 384[a]). In „scripti" autem huius capite postremo haec, praeter alia, „de Censoribus" praecipiuntur: Censores „quadruplices sunt. Primi quidem, qui vna cum Prouintiali sua iudicia de libris nondum scriptis, sed scribendis, deque scriptore ipso, in Vrbem mittent, sicut dictum est[1]. Hi erunt Consiliarij Prouintialis et si quem alium ipse interdum velit adiungere. ... Tertij erunt Censores librorum nostrorum latine scriptorum, nimirum vterque Pater Canisius, P. Torrensis, P. Peltanus, P. Gregorius Valent. Germanicos vero libros, loco P. Torrensis et P. Gregorij Valentinj, simul cum alijs censebunt P. Rosephius et P. Rabenstein" (ex exemplo ab ipso Hoffaeo scripto et ad Mercurianum misso, Germ. 138 f. 383[a]).

1993. CANISIUS **P. FRANCISCO COSTERO S. J.**, sodalitatis Beatae Mariae coloniensis institutori et praesidi.

Ingolstadio 8. Novembris 1577.

Ex apographo (A), quod saeculo, ut videtur, XVI. exeunte inscriptum est Coloniae in libro, in quo monumenta ad sodalitatis Beatae Mariae Virginis primum tempus spectantia colligebantur (*Hansen*, Akten XXXI); qui liber exstat Coloniae in archivo studiorum fundatorum, Cod. „J. A. 51", p. 62—64. Praeterea ibidem, Cod. „J. A. 17" f. 218[a] est apographum (B) saeculo XVI. vel XVII. scriptum ab ignoto; qui cum epistulae inscriptionem non posuisset, P. Iacobus Kritzradt S. J.

---

[1] Iudicando „de materiae vtilitate, vel necessitate, de tota dispositione et methodo"; de scriptore, num ad id idoneus sit remque „citra detrimentum aliarum occupationum necessariarum" tractare possit (l. c. f. 382[b]).

(1602—1672) eam in capite apographi posuit; idem haec ei ascripsit: „Copia ex Archivo Sodalitatis Maioris D. V. ibidem“ [i. e. Coloniae]. Exstat denique ibidem, Cod. „J. A. 52b“ f. 35 magnae huius litterarum partis („Benedictus Deus · qui charitati“ usque ad „fraude circumuenti“ incl.) apographum (C), ex Canisii litteris archetypis eodem fere tempore ab aliquo ex congregationis Beatae Virginis coloniensis sodalibus transcriptum in exemplum archetypum, cui ipse P. Franciscus Costerus haec inscripsit: „literae annuae Sodalitatis Coloniensis anni 1577.“ Illud huius epistulae caput, quod de sodalitate mariana est, germanice versum exstat in: „*Canisius-Stimmen*“ N. S., 1. Jahrg., Freiburg i. d. Schw. 1896, 164—165 et apud *J. B. Mehler*, Der selige Petrus Canisius, 5. Aufl., Regensburg 1897, 111—114; unde eiusdem capitis partem transcripsi in „Internationaler Marianischer Congress. *Congress-Bericht*, Freiburg (Schweiz) 1903, 370—371. Epistulae brevem mentionem fecit *Hansen*, Akten 718[4].

Opus Marianum. Sodalitatum B. M. V. praestantia. Sodalium ingolstadiensium virtutes. Litterae sodalitatum. Index expurgatorius. Portia nuntius apostolicus. Belgici tumultus. Possevini legatio suecica. Messis iaponica. Libellus sodalitatis.

Pax Christi nobis aeterna R. Pater.

Cum venissem Ingolstadium vt P. nostro Prouincialj in hoc quoque collegio visitando assisterem, redditae mihj sunt literae R. T. quas equidem perlibenter accepi. Veterem enim et fraternum P. Costerj in me animum satis declarant et Marianum opus nostrum vtcunque comprobant, et iam jmpetrata quaedam transactj laboris nostrj praemia nunciant. Benedictus Deus quj Charitatj tuae haec sancta inspirauit consilia, vt per illam piorum adolescentum animj ad precandum pro nobis multis in locis excitarentur[1]. Nec dubito sacratissimae virgini[a] et potentissimae Dominae nostrae, hos vestros conatus, haec[b] pia vota et studia maxime comprobarj. Per eandem nunquam satis honoratam ac honorandam virginem matrem omnes quj sacrae huius congregationis jnstitutum amplexi sunt, etiam atque etiam oro et obsecro, vt in praeclaro suo cursu confirment et augeant animos, certoque sibj persuadeant mirifica diuinae gratiae praesidia non solum in jpsis initijs, sed multo vberius in progressu eiusmodj Mariae cultoribus adfutura esse. Quod vero falsj fratres[2] tam foelicibus auspicijs vel jnuideant, vel obstrepant palam, non obscurum argumentum est hoc opus quia Deo gratum multisque salutiferum[c] existat, jdcirco quorundam jnsectatione probandum ac jllustrandum esse. Habeant hoc studium aemulj sj omnino ita velint, sibj cum jllis[d] quoque commune, qui probatiora etiam religiosae vitae instituta et exercitia non sine spiritu haeretico petulanter arrodunt et perverse convellunt. Nostrum est tanto rectius de Catholica religione in Germania restituenda praeclariusque sperare, quanto plures in Mariae Virginis cultum vindicandum et ad coeptam congregationem exornandam in JESV

a) *Sic B; A haud recte:* virginis. b) hae *A*. c) salutifferum *A*. d) ipsis *C*.

[1] Sodalitatem sive congregationem Beatae Mariae Virginis significat, a Costero a. 1575 Coloniae in gymnasio Trium Coronarum institutam (cf. supra p. 399[2]). Vide, quae sub ipsas has litteras dicentur.

[2] Cor 11, 26; Gal 2, 4.

nomine conspirabunt[1]. Rideant haereticj, Christique paruulos suum Osana[a] vel Aue Maria subinde concinentes increpent[2]: miretur et nouus mundus Deïparae honorem nouo studio in multorum hominum ordinibus instaurarj. Foelices jllos et singularj corona dignos ego dixerim quj cum R. T. ad hoc sanctum opus et inchoandum et propagandum[b] suas conferunt operas, quantumuis Mariomastiges obsistant, nimirum[c] serpentis[d] antiquj[3], qui alterj Euae[e] vel maxime aduersatur[4], astu[f][?] et fraude circumuenti[5]. Illud vero mihj perplacet, ac prorsus effectum reddj cumprimis opto ut quj sunt huius Instituti apud nos, sunt autem nec pauci, nec jgnobiles, ad initium anni mittant jsthuc literas quibus laeta quaedam de suj sodalitij successu atque progressu nuncient[6], vt sane suo jure facere posse videntur, multa enim et scriptu et laudatu digna praestant[g] et seipsos Domina nostra juuante egregie vincunt, atque non sine multorum admiratione eum in pietate progressum faciunt, vt merito Christum ipsum in matre, matrisque cultoribus pientissimis praedicemus. Et proderit certe posteritati, literis Dej opera miranda committj quae nunc subinde tum in minoribus, tum in maioribus huic sodalitio ascriptis passim elucent perinde ac sj nouam quandam lucem Christus propter suam matrem in multorum cordibus excitaret, et sicut antea nunquam in Aquilone porro demonstrare vellet.

De opere nostro[7] nihil dicam aliud, nisj mihj pergratum fore semper si R. T. libere nos admonuerit de ijs quae vel per se, vel per alios notauerit in jllo mutanda vel corrigenda esse vt saltem librj recognitio sit plenior absolutiorque.

Editus est superioribus annis libellus Antuerpiae[h] quem nobis per Calenium[8] transmittj valde desideramus, si ut arbitramur isthic reperirj, ac nostra pecunia emj possit, nimirum de ratione corrigendi et expurgandj libros praesertim veterum, vt satisfiat[i] Cathalogo librorum uetitorum, iuxta Censuram Censorum Tridentj deputatorum[9]. Spero P. Arnoldum[10] Rectorem hac etiam in parte mihi Coloniae gratificaturum, ut liber jnuentus et emptus ad nos bona fide perferatur[k][11].

a) *Supplevi ex B; in A post* suum *aliquid spatii vacuum est; C habet* suum Osianna, *idque correctum ex* suam Osiannam. b) *Ita B C, idque recte, ut mihi quidem omnino videtur;* propugnandum *A.* c) *Ita recte B C;* mirum *A.* d) serpenti *A.* e) *Hoc v. in B deest;* Quae *A;* Euae *C.* f) *Ita A C,* astutia *B.* g) prostant *B.* h) Antwerpiae *B.* i) *Ita recte B;* satisfaciat *A.* k) proferatur *B.*

[1] Cf. Mt 18, 20. [2] Cf. Mt 21, 15–16. [3] Apc 12, 9; 20, 2. [4] Cf. Gn 3, 15. [5] Cf. Gn 3, 13; Eph 4, 14; 2 Cor 11, 3.

[6] Ingolstadii sodalitas mariana hoc ipso tempore Canisii hortatu instituta erat, v. infra, monum. 1218. [7] Mariano.

[8] Gerwinum Calenium typographum coloniensem.

[9] Indicis tridentini, a. 1564 per Pium IV. editi, praecepta de librorum expurgatione vide in *Can.* VI 269. Hoffaeus provincialis in hac collegiorum visitatione libros eorum „expurgandos" curabat; quem laborem inprimis Canisius praestitisse videtur; v. infra, mon. 1219. [10] Havensium (*Hansen*, Akten 698 [2] 721 [2]).

[11] „Index expurgatorius librorum qui hoc seculo prodierunt, vel doctrinae non sanae erroribus inspersis, vel inutilis et offensiuae maledicentiae fellibus permixtis,

Precamur Deum vt bonum nobisque fauentem Archiepiscopum jsthic electum breui accipiatis[1], vtque pestj[a] [?] profligata, cum fructu ad praelectiones publicas redeatis. Quod si Reuerendissimus Dominus Nuncius[2] adhuc moratur Coloniae reuerenter illum eiusque secretarium[3] ex me cupio salutarj: nec dubito quin ambo de Coloniensi Ecclesia bene mererj velint, et possint. Dolemus nullum esse modum ac finem Belgicorum tumultuum qui vtinam non jngentem religionis mutationem secum adferrent, Justus est Dominus[4] qui tot tantisque flagellis Belgas exercet, et ad meliora compellit, si diuinae visitationis tempus velint agnoscere[5]. Belgica collegia[6], vt veremur, tuta satis esse vix poterunt, nisi singularj diuinae virtutis praesidio defendantur. Bene vertat Deus hosce[b] motus in vtriusque Germaniae vtilitatem[c] et clementer auertat grauem Imperiorum mutationem. Ora pro me Pater simulque saluta domesticos omnes meo nomine in Christo JESV Domino nostro[7]. Ingolstadij .8. Nouemb. 1577.

Seruus in Christo P. Canisius[d].

P. Posseuinus qui nostram jngressus est prouinciam, in Suetiam vna cum nonnullis socijs mittitur vt restituendae illic[e] Religioni det operam, et collegij jaciat fundamenta[8]. In Iapponia Reges duos cum 20 milibus Ethnicorum multisque Bontiorum congregationibus Christo jnitiatos esse laeti[f] audivimus[9]. Habet ergo Christus sua domicilia

a) *B* peste, *idque, puto, rectius.* b) hisce *A.* c) utilitates *B.* d) *In B haec subscriptio non hoc loco posita est, sed infra, post* conuersionem vtj non dedignatur. e) *Sic B; A minus recte:* illis. f) *Hoc v. est in B, deest in A.*

---

juxta Sacri Concilii Tridentini decretum; Philippi II. Regis catholici jussu et auctoritate, atque Albani Ducis consilio ac ministerio in Belgia concinnatus, Anno 1571 Antwerpiae, ex offic. Christophori Plantini Prototypographi Regii 1571" ff. 8 et pp. 108. 4°. Ita quidem *Fr. H. Reusch,* Der Index der verbotenen Bücher I, Bonn 1883, 424[1]. Qui Index, ut idem *Reusch* (l. c. 423—424) ait, praefatione Ariae Montani munitus et Philippi II. expensis excusus, iis, quibus librorum expurgandorum officium erat, tradebatur; neque vero venalis erat; immo prohibitum erat, ne quis sine episcopi licentia eum vel emeret, vel venderet, vel retineret.

[1] Salentinus ab Isenburg archiepiscopus Coloniae 13. Septembris 1577 officio libere se abdicaverat (*Hansen,* Nunt. I 163).

[2] Bartholomaeus de Portia. [3] Minutium de Minutiis.

[4] Ps 10, 8; 114, 5; 118, 137; 144, 17 etc. [5] Lc 19, 44.

[6] Socios, qui Noviomagi collegium incohare volebant, in urbe considere senatus 25. Iulii 1577 vetuerat (*Van Hoeck* l. c. 55).

[7] Rom 6, 11 23 etc.; v. supra p. 219[b].

[8] P. Antonius Possevinus eo missus est ab ipso Gregorio XIII. (*Sacchinus,* Hist. IV l. 5, n. 91); cui comites additi sunt P. „Guilielmus Good" hibernus et Fr. „Ioannes Fornerius" burgundus; id quod e *Mercuriani* praepositi generalis *litteris patentibus Roma 16. Septembris 1577 Possevino datis intellegitur (Hist. Soc. 61, fasc. III f. 62[a]). Eidem Mercuriano Oeniponte 5. Novembris 1577 P. *Rabenstein* collegii rector *scripsit (archet., Germ. 138 f. 189[a]): Possevinum „vbi nouem dies se nobiscum recrearat, cum suis duobus" et duobus externis „30°. Octobris, Lincium uersus nauigasse" (*Fell* l. c. 320—321; *L. Karttunen,* Antonio Possevino, un Diplomate pontifical au xvi[e] siècle, Lausanne 1908, 120—130).

[9] Fidem susceperunt a. 1575—1576 reges Arimae et Tosae et princeps Ama-

noua, quantumuis e ueteribus sedibus[a] praesertim per haereticos extrudatur. Migrat Euangelium, nec Anglis nec Germanis alligatum. Benedictus Deus, quj suum regnum barbaris etiam nouisque gentibus jmpertire, et societatis opera in gentium conuersionem vtj non dedignatur.

Servus in Christo P. Canisius.

Optamus admodum R. T. libellum[b] in gratiam[c] nouj Sodalitij editum recudj tertius quj a multis in superiore Germania probatur ac teritur. Titulus nimium simplex et vtcunque ineptus est[1] · aut si cupiatis[d], nos facile illum[e] recudendum curabimus, sed opus fuerit vestra recognitione.

Jdem P. Canisius.

Reuerendo jn Christo Patrj Francisco Costero de Societate Jesu Theologo apud Colonienses[f] in Collegio trium Coronarum Coloniae.

1. Congregatio sive *sodalitas Beatae Virginis coloniensis*, ut supra dixi, huius epistulae partem illam, qua Canisius hoc sodalitatum institutum laudat atque commendat, *„Litteris annuis“ suis Colonia 2. Februarii 1578 datis inseruit, sic praefata: „Reuerendus Dominus Doctor Canisius. Societatis Ihesu insignis Theologus postquam intellexisset fusas pro se ad Deum preces a Sodalitate nostra in gratiarum actionem ob librum, in Deiparae Virginis honorem editum in quo etiam nostra Sodalitas, ab haereticorum calumnijs vindicatur, his verbis scripsit elapso Nouembri Sodalitatis Superiori Benedictus Deus“ etc. (ex exemplo, quod supra dixi, f. 35[a]).

2. Quod Canisius Costero in his litteris de libello coloniensi sodalitatis marianae promisit: „Illum recudendum curabimus“, id brevi post ad effectum deductum est; Ingolstadii enim a. 1578 idem libellus in lucem prodiit, immutato sic titulo: „Thesaurus piarum et christianarum institutionum, In vsum Catholicae iuuentutis; praesertim vero Sodalitatis Deiparae Virginis, emendatius nunc editus per *Ioannem Perellium* (16°; pp. 274; praeterea ff. non sign. in initio 4 [addito tit.] et in fine[3]). Ac Perellii quidem nomine ipsum Costerum se texisse existimarunt

a) *Hoc v. supplevi ex B; in A hoc loco spatium unius verbi relictum est vacuum.* b) *Hoc v. in B deest.* c) gratia *B.* d) capiatis *A.* e) illud B. f) *Quae sequuntur, quia in A desunt, suppleta sunt ex B.*

---

cusae. P. Cabral S. J. 12. Septembris 1575 ex Iaponia scripsit, eo ipso anno 1575 15 000—20 000 neophytorum ad Socios accedere, et in horum numero multos esse proceres; et 24. Septembris 1576 P. Gonzalvez S. J. nuntiavit, in regno arimensi iam 15 000 baptizatorum exstare (P. *Crasset* S. J., Histoire de l'Église du Japon I, Paris 1715, 402; *L. Delplace* S. J., Le Catholicisme au Japon I, Malines 1908, 184—185).

[1] Libellum hunc primum cum nomine „Bullae“ editum esse ipse Costerus postea testatus est (*Duhr*, Jes. I 362[4]). Eum autem „sub annum MDLXXV. primum“ editum esse affirmat *Alegambe* l. c. 119. Neque vero compertum est, eum ante m. Novembrem 1577 bis in lucem prodisse; nam haec sola exstat editio: „Bvlla svper forma iuramenti professionis fidei; cvm piis et christianis Institutionibus, in vsum Sodalitatis B. Mariae Virginis. Coloniae, Apud Ludouicum Alectorium, et haeredes Iacobi Soteris. Anno 1576“. Sine nomine auctoris. 16° (*Sommervogel* l. c. II 1510). Quare sic existimo: Costerus Canisium certiorem fecerat, alteram libelli editionem iam Coloniae parari. Quam a. 1578 cum eadem inscriptione ex eadem officina prodisse constat (*Sommervogel* l. c. 1511). De ingolstadiensi autem editione anno 1578 facta vide, quae sub ipsas has litteras in nr. 2 dicentur.

aliqui, velut *E. Weller* (Lexicon Pseudonymorum[2], Regensburg 1886, 421) et *M. Holzmann-H. Bohatta* (Deutsches Pseudonymen-Lexikon, Leipzig 1906, 211); sed sub eo nomine latuisse vel Ioannem Holonium S. J., vel Ioannem Iacobum Rabum Alberti V. Bavariae ducis contionatorem (qui Sociorum discipulus fuerat), ostendetur infra, mon. 1188.

3. Ceterum de rebus Ingolstadii (cf. supra p. 419) in hac visitatione gestis P. *Paulus Hoffaeus* praepositus provincialis *scripsit Everardo Mercuriano praeposito generali Ingolstadio 6. Decembris 1577: „Non inutiliter hic etiamnum versor in constituendo hoc collegio veluti nouo, et Seminario Albertino vna cum P. Canisio; et velim P. Vestram de hoc Collegio bene sperare.“ Et *Ingolstadio 13. Decembris 1577: „Post biduum hinc me expediam et Monachium cum P. Canisio discedam“ (ex autographis, Germ. 138 f. 110[a] 112[a]). Ex rebus tamen, quae in * *Historia* collegii Ingolstadiensis narrantur (Cod. eystett. „Hist. coll. Ing.“ p. 46) eos etiam post medium Decembrem aliquot dies Ingolstadii mansisse collegeris. Et Monachio 24. Decembris 1577 P. *Dominicus Menginus* collegii rector Mercuriano *scripsit: „Hac proxime transiuit P. Prouincialis.... Hodie Pater Petrus Canisius hinc Lanspergam profectus est ad messem spiritualem. Post festa natalitia erit apud nos uisitatio P. Prouincialis“ (ex autogr., Germ. 138 f. 141[a]).

1994. EVERARDUS MERCURIANUS praepositus generalis Societatis Iesu CANISIO. Roma 14. Novembris 1577.

Ex commentario (vel apographo eiusd. temp.); in margine, eadem manu: „Oeniponti P. Petro Canisio.“ Rh. Inf. 1, II f. 16.

Opus Marianum. Iuvenes sueci. Socii commendati.

Quas R. T. ad nos dedit litteras .16.[a] Septembris eas nuperrime accepimus, at exemplaria operis Mariani quorum illae faciebant mentionem nondum vidimus[1]. Ea si quando venerint in manus nostras dabimus operam vt satisfaciamus eius desyderio. De Suecis adolescentibus iam responderamus[b] cum haec scriberentur vti R. T. cognoscet ex literarum nostrarum exemplo[2].

De P. Gulielmo Elderensi, Christophoro Halensi emptore et Magistro Gerardo quos R. T. nobis commendat scribimus ad p. prouincialem.[3] Non est in praesenti aliud quod scribam, nisi quod cupiam me R. T. precibus et ss. sacrificijs commendatum precerque a domino vt R. T. cumulet coelestibus donis. Romae 14. Nouembris 1577.

Mercurianus in suis „de Suecis adolescentibus *litteris ad quas Canisium in hac epistula remittit, Roma 30. Octobris 1577 cum P. Paulo Hoffaeo provinciali haec communicat: „Cum Suecorum adolescentium qui Dilingam pridem diuerterunt causam serio ac diligenter egissemus, illud tandem ab Jllustrissimo Comensi Cardinali responsum est satius esse vt eis isthic necessaria suppeditentur, atque sese simul atque sumptuum rationes acceperit, curaturum vt ne quid ista prouincia capiat detrimenti. Eo enim loco esse hoc tempore sacrum aerarium, vt commodior illis subueniendi ratio [haud fa]cile iniri possit. Quare velim R. T. isthic alicunde curet hanc pecuniam, siue id per n[ostros] [?] fieri poterit, quibus fortasse non deerit quod transmitti velint ad Aulicos Jllustrissimi Card: Austriaci, siue etiam per

a) *Librarius perperam scripsit: .6.; vide supra p. 419.* b) *Sequuntur vv.* vti R. T. cognoscet, *oblitterata.*

[1] Vide supra p. 417.

[2] Vide, quae sub ipsas has litteras primo loco dicentur.

[3] Vide, quae sub ipsas has litteras secundo loco dicentur.

mercatores aut aliqua alia ratione. Jn quo tamen ea moderatione erit vtendum, vt et inopiae Pontificij aerarij ratio habita videatur, neque bonis istis adolescentibus necessaria desint aut etiam occasio vlla praebeatur susceptum iter minus libenter aut cito prosequendi". Quod autem *Mercurianus* ait se de P. Elderen, Fr. Halensi, Fr. Masseto a Canisio commendatis (v. supra p. 418), Hoffaeo provinciali scribere: *scripsit ille Roma 14. Novembris 1577: „P. Petrus Canisius scribit P. Gulielmum Elderen et Christophorum Halensem emptorem idoneos videri qui formati coadiutores fiant hic temporalis ille spiritualis et M. Gerardum posse ad sacerdotium promoueri. Quod si R. T. erit in eadem sententia consideratis ijs quae praescripta formula requirit, placet vt priores illi duo fiant Coadiutores etsi alias nihil erit tale faciendum nisi prius data iuxta formulam informatione, vt autem 3us sacerdos fiat nihil attinet a nobis nunc peculiarem facultatem dari quandoquidem generalis quam reuerentia t. habet, satis hoc illi permittit (ex commentariis. Rh. Inf. 1, II f. 15^b 16^b). Massetum sacerdotio initiatum esse et Christophorum Öffner Halae 26. Octobris 1578 vota coadiutorum temporalium formatorum emisisse constat ex *Catalogis ab *Hoffaeo* scriptis (Cod. „VI. 35" f. 27^a 79^a). P. Elderen 5. Iulii 1587 Dilingae ad sollemnem trium votorum professionem admissus est (*Can.* II 607 [2]).

1995. EVERARDUS MERCURIANUS praepositus generalis Societatis Iesu CANISIO. Roma 28. Decembris 1577.

Ex commentario (vel apographo eiusd. temp.); in margine, eadem manu: „Jngolstadij P. Petro Canisio." Rh. Inf. 1, II f. 17^a. Epistula usi sunt *Sacchinus,* Can. 291, et *Boero,* Can. 363.

Canisius scribere pergat; Pontificis voluntas magis explorabitur. Opus Marianum. Concilium Ephesinum. Canisius Dilingae vel Ingolstadii habitabit.

Gratae nobis fuere ut solent R. V. litterae quas accepimus datas 25 Oct. quibus quod quaerit a nobis quid sit sibi agendum in posterum[a], de eo nostra est sententia ut siquidem R. V. plane perspectum[b] ac exploratum habet[c] hanc esse summi Pontificis[1] uoluntatem ut adhuc libris scribendis uacet, pergat porro feliciter illius imperium ac iussa exequi: nos[d] enim nec uolumus nec uero possumus eius nos autoritati opponere[e] · nec uideo quid a nobis in hoc Reuerentiae Vestrae amplius praestari posset quam ut Pontifici loqueremur, cuius explorata uoluntate certius aliquid respondere[f] possemus: quod nobis sane erat animus facere, sed non antequam Marianum opus illi offerremus, ut eadem opera utrumque praestaremus: sed adhuc neque librum, neque Dominum Episcopum[g] Sebastensem[2] uidimus cui V. R. aliquot se exemplaria scribit[h] dedisse deferenda. Atque haec quidem de Pontificis uoluntate: nam si nostram quaerit, quoniam uideor mihi[i] uarijs in litteris R. V. aliquam uoluntatis mutationem perspexisse[k], eiusque animum uidisse[l] modo ad scribendum propensum, modo etiam a scribendo abhorrentem[m]: ideo cuperem mihi a R. V. suo commodo signi-

a) *Sequitur* et ag, *oblitt.* b) *Sequitur* habet, *oblitt.* c) *Hoc v. supra versum scriptum est.* d) *Sequitur* non, *oblitt.* e) *Sequitur* quamquam, *oblitt.* f) *Sic in comm. correctum est ex* certiora ad R. V. respondere. g) *Ita in comm. corr. est ex* neque Archiepiscopum. h) *Sic corr. est ex* dedit *vel* dicit. i) *Sic corr. est ex aliquot vv., quae iam legi non possunt.* k) *Ita corr. est ex* perspexissem, et quidem cum *[vel* non *vel simile quid].* l) *Hoc v. supra versum scriptum est.* m) *Sequitur* uidisse, *oblitt.*

[1] Gregorii XIII. [2] Franciscum Sporeno; v. supra p. 305 [3].

ficari certius et planius aliquid de suo statu, conditione, atque adeo etiam propensione, ac desiderio: quo secundum haec id possit statui quod maxime et ad Dei Domini nostri gloriam et Reuerentiae V. commoditatem ac consolationem facere uidebitur. Jnterim autem sciat hic ab omnibus ualde expectari et auide desiderari[a] suum hoc opus Marianum[b]: quocirca maxime uelim ut quam primum poterit aliqua huc[c] exemplaria transmittat: non enim potest omittere[d] quin unum[e] Illustrissimo Osio alterum Sirleto[1], qui id maxime expetere[f] et iure suo postulare uidentur[g], tertium etiam mittat[h] Collegio nostro Romano: nam de nobis nihil dico, deque multis alijs patribus quibus id accidet gratissimum et optatissimum. Et in summa sciat si ad decem mittantur, fore ut nullum abundet[i]. Sciat etiam Illustrissimum Cardinalem Sirletum abstulisse a me concilium Ephesinum P. Peltani[2] quia quod ille acceperat imperfectum erat: quare uelim ut R. V. curet aliud ad me eius loco deferri, et in posterum cum huiusmodi libri ad nos istinc transmittentur expedit diligenter cauere ut integri sint et absoluti[k], nec illis quidquam desit, ne simul et opera perdatur et impensa, nosque diutius expectatione pendeamus. Sed ut ad illius literas redeam, quod scribit de loco, malle se Ingolstadij aut Dilingae degere quam OEniponti, probamus Reuerentiae V. consilium ob eas ipsas rationes quas in litteris afferebat ac praesertim quod eam sedem[l] praecipue autem Jngolstadij ad studia commodiorem illi fore putemus. Quare scribemus etiam hac de re ad P. Prouincialem ut eam ibi esse sinat[m] [3]. Ac interim Deum Dominum precor ut eam pro sua solita pietate protegat semper, et suis coelestibus donis augeat. V. etiam R. vicissim pro me[n] ipsum rogare non desistat. Romae 28. Decembris 1577.

*Epistula ad Hoffaeum praepositum provincialem, quae in his litteris ad Canisium datis commemoratur, a *Mercuriano* eodem illo die 28. Decembris 1577 data est; in qua hic Hoffaeum sic monet: „Quaesiuit a me per literas P. Canisius quid nam sibi in posterum hoc Mariano opero absoluto esset agendum. Jn quo, quanquam ille quidem eam quam par erat aequalitatem et indifferentiam prae se ferret, significabat tamen aliquam ad scribendum propensionem tum studio suo, tum etiam religione quadam quod id sibi oneris a Pontifice demandatum diceret. Jtaque probauimus eius consilium, donec illi aliud significaretur, insuperque concessimus ut prout ille cupiebat, Jngolstadij aut Dilingae ubi maiorem habiturus esset quam Oeniponti librorum copiam, sedem sibi deligeret. De quo ideo R. V. facio certiorem ut illum ubi maluerit esse sinat, eumque et solita et debita humanitate caritateque tractet. Quod si forte illi Collegio aut etiam prouinciae erit aliqua in re grauis, erit nobis gratum id primo quoque tempore intelligere,

a) *Sequuntur vv.* librum hunc, *oblitt.* b) *Sic corr. est ex* suum recentem de B. Virgine. c) *Corr. ex* aliqua mitteret. d) *Corr. ex* deesse. e) *Sequitur* Osio, *oblitt.* f) *Sequitur* uidentur, *oblitt.* g) *Hoc v. supra versum scriptum est.* h) *Hoc v. in margine additum est.* i) *Sic corr. est ex* ut non abundent. k) *Sic corr. est ex* integri et absoluti sint. l) *Corr. ex* ea sedes; *3 vv. sqq. supra versum scripta sunt.* m) *Sequuntur 6 vv. oblitterata, quae iam non possunt integre legi.* n) *Sequitur* De, *oblitt.*

[1] Cardinalibus Hosio et Sirleto. [2] Vide supra p. 230 233.
[3] Vide, quae sub ipsas has litteras dicentur.

ut uideamus, quo nam in loco sine ullius incommodo sua uero etiam cum consolatione possit habitare: quod quidem ut spero non erit difficile" (ex comm.: Rh. Inf. 1, II f. 17[a]).

Canisius Mercuriano respondit 24. Ianuarii 1578.

1996. P. IOANNES RABENSTEIN S. J. rector collegii oenipontani CANISIO. Oeniponte circa initium a. 1578.

Ex Hoffaei autographo. Germ. 156 f. 251[a]—252[b].

P. Paulus Hoffaeus provinciae S. J. Germaniae superioria praepositus Augusta 24. Ianuarii 1578 Everardo Mercuriano praeposito generali haec, praeter alia, de Canisio, mense Septembri 1577 in collegio oenipontano versato (v. supra p. 413—419), scripsit: „Norunt omnes in prouintia quoque P. Canisium mordacissimum esse in scribendo et syndicando qui[a] sua[b] etiam[c] alijs, qui non tacent, iudicibus communicat, et literas per obliuionem relinquit quae veniunt tandem in manus Rectorum, sicut nuperrime[d] vt ante saepe, quoque accidit Oeniponti, vbi Rector syndicationes Patris huius contra se, reperit et grauissime fuit afflictus, ita vt pene officium rectoris desereret, ideoque acerbissimas scripsit P. Canisio quem ne aliquando Oenipontum remitterem, instantissime deprecatus est."

Si quis litteras hasce, ab Hoffaeo ad Mercurianum datas (cf. infra, monum. 1225), cum iis contulerit, quae ad eundem eodem die ex eodem loco de eadem causa datae sunt a Canisio (infra, ep. 1998), facile diiudicabit, utrum Canisius „mordaciter" scripserit an Hoffaeus. Esto, Canisium pro suo disciplinae religiosae studio et ea religione, qua officio consultoris provinciae et socii praepositi provincialis satisfacere volebat, nonnunquam rigorosius et acrius dixisse ac scripsisse. At multo magis peccabat Hoffaeus. „Seine Schwarzseherei", inquit *Kröss*, „und sein Eigenwillen legten dem P. Canisius viele schwere Opfer auf" (Can. 185). Et *Duhr*: „Infolge seines melancholischen und pessimistischen Charakters urteilte Hoffaeus am härtesten über sich; aber auch über andere, besonders über allgemeine Zustände gab er Urteile ab, die mit der Wirklichkeit nicht mehr übereinstimmten" (Ies. I 788). Ac, quod ad querimonias adversus Canisium prolatas attinet, Hoffaei exemplum aliquot ex Sociis secuti sunt. „Manchmal", inquit *Kröss*, „waren die Anklagen so leidenschaftlich und hart, daß der P. General, welcher Canisius gut kannte, den Schreibern Verweise erteilen mußte wegen des Tones ihrer Briefe" (Can. 205). Huius rei exempla vide infra, post epp. 2002 et 2039, et monum. 1254.

1997. CANISIUS **EVERARDO MERCURIANO** praeposito generali Societatis Iesu. Monachio 1. Ianuarii 1578.

Vide infra, litteras Roma 6. Februarii 1578 datas, per quas Mercurianus Canisio respondit; Canisii enim epistula perisse videtur.

1998. CANISIUS **EVERARDO MERCURIANO** praeposito generali Societatis Iesu. Augusta Vindelicorum 24. Ianuarii 1578.

Ex autographo (2°; $2^3/_4$ pp.; in p. 4 inscr. et reliquiae sig.). Germ. 183 f. 277[a]—278[b]. Magnam epistulae partem ex autographo typis exscripsit *Sacchinus*, Can. 291—293. Eiusdem partem (ex Sacchino) germanice versam posuit *Riess* l. c.

a) *Hoc v. supra versum scriptum est.* b) *Ita Hoff. correxit ex* suaque. c) *Quattuor vv. sqq. ab H. posita sunt loco aliquot aliorum vv., quae iam legi non possunt.* d) *Tria vv. sqq. supra versum scripta sunt.*

461—462; epistula usi sunt *Boero*, Can. 363, *Janssen* l. c. VII[1—12] 524, *Michel* Can. 373—374.

Cur in scriptione contra protestantes perseverare voluerit. Provinciali contra sentiente se concilium illud abiecisse. De Mariano Opere Romae distribuendo, rebus a P. Possevino in itinere suecico haud ita bene gestis, provincialis valetudine, re domestica contuberniorum, visitatore.

† Pax Christi JESV nobis aeterna
Admodum Reuerende Pater.

Literas sub finem Decembris ad me datas[1] reuerenter accepi, et ingentes ago gratias indulgentissimo Patri, qui tam benigne respondit de meo ad scribendum instituto ac desiderio, quod meis literis non semel, ac uarie subindicaram. Dicam igitur et aperiam animum meum, ut P. T. uoluntati satisfaciam, et ad iudicium eius referam fidenter omnia. Postquam Pio V. et Gregorio 13. Pont. Max. ita uisum fuit, ut contra haereticos publice scriberem, accedente simul P. Generalis Borgiae fel. mem. sententia, ut idcirco ab omni munere immunis, et socio studiorum instructus, huic scriptioni operam omnem darem, primum Augustae, ac dein Oeniponti, postremo autem Jngolstadij ad hunc laborem me contuli, Deique gratia et obedientia duce perfeci, quae ad praecursorem et matrem Dei Dominique nostri aduersus haereticos uindicandam pertinent. Dedit interim et auxit mihi Christus animum ac propensionem pugnandi contra tot bestias[2], quum uiderem haereticorum foedos errores in illustriss. Euangelij personas incurrere, et plurimis passim obesse, a paucis autem satis obseruari, et ne attingi quidem, quum tamen magni referat, sectariorum insignem impietatem cum ipsa Euangelij luce pugnantem magis ac magis detegi et refutari. Quid autem imbecillis et exiguus ego in hoc profecerim argumento, illi libere diiudicent, qui mea scripta legerint, aut adhuc lecturi sunt. Aduersarij hactenus tot modis impetiti[a] suo silentio satis ostendunt, se non habere quod respondeant. Proinde quum Pont. Max. mandato consentaneum, et P. T. uoluntati gratum esse ducerem, ut coeptum hoc studium scribendi, a quo necdum abhorret animus, prosequerer, nuper isthuc scripsi de Jngoldstadij petenda sede, uelut his studijs aptiore, si P. T. authoritas accederet, quae huic etiam uoto literis ad P. Prouintialem[3] et me datis clementer annuere dignata est.

Nunc uero quae in contrariam partem me rapiant, et ab hoc scribendj instituto alienum reddant exponam. P. Prouintialis ostendit palam displicere sibi quod isthuc de hisce rebus scripsissem, improbat etiam non modo consilium de loco, siue Jngolstadium, siue Dilingam ob maiorem studiorum commoditatem uelim proficisci, sed etiam uniuersum scribendi institutum omitti posse iudicat, dicit plures[b] huius

a) *Duo vv. sqq. a C. in margine addita sunt.* b) *Sic C. ipse correxit ex* alios.

[1] Vide supra p. 427.
[2] Vide, quae de hac dicendi ratione notavi *Can.* V 302[2].
[3] Hoffaeum; v. supra p. 428.

prouintiae Patres in eadem esse sententia[1]. Quod si de Apostolo Petro uelim aliquid edere, satis multos de hoc argumento tractasse, me non meliora esse daturum. Proponit et nouas leges, quae me a scribendo deterrere possint, quum tamen alijs ad scribendum calcar addere uideatur. Atque ut a studijs fortassis me abstrahat, in longa uisitatione[2], quae nouem fere menses absumet, me uult circumcursitare. Haec ansam mihi suggerunt ita cogitandi: Quoniam Superioris tui iudicium et uoluntas pro lege spectari ac suscipi debet, scribendi curam omnem abijce, et ad alia professioni tuae uiciniora et congruentiora te totum compone. Fortasse cum Pont. Max. res facile transigetur, ut rogatus sinat in hac aetate quiescere Canisium, praesertim quum praeter P. Turrianum contra haereticos strenue[a] laborantem, plures alij scriptores longe doctiores facile inueniri possint. Fateor meam imbecillitatem, et scio cum hac scriptione coniungi uarias, ut dicimus, miserias, imperfectiones, tentationes, quas cum ipse sim frequenter expertus, libenter in Patris nostri et aliorum sententia conquiescam, ut deinceps reliquam aetatem in religiosa simplicitate et simplici obedientia tranquille consumam, ubicumque demum me uiuere, et quicquid uel agere, uel sustinere uoluerint superiores. Horum iudicio magis quam meis uel desiderijs uel propensionibus credam.

Jn hac ergo sententia firmus persisto, et quamdiu in hac quidem prouintia uersabor, et[b] non fauebit magis P. Prouintialis, ad scribendum redire non cupio, et fortasse bona conscientia non debeo. Caeterum ut in prouintiam aliam quacumque de causa transferar, nec petiui hactenus, neque petam unquam, quod perfectam obedientiae rationem nolim a me ullo pacto uiolari, aut superioribus esse molestus in hac parte. Domino fortasse uisum est me iam natum annos 56 monere, ut colligam (quod aiunt) sarcinas, et ex Martha fiam Magdalena[3], meaeque disponam domui[4], priusquam ex hoc sit hospicio emigrandum. Quicquid autem P. T. de tota causa decreuerit, id oraculi loco accipiam eiusque[c] iudicio me ex animo pariturum promitto, Dei gratias opitulante.

Mittuntur decem Mariani operis exempla desiderata, eorumque distributio sit penes P. T. quam admonere non attinet, an conueniat fortasse offerri ex his aliquid Jllustriss. Cardin: Sirleto, Hosio, Comensi[d], Commendono: praeterea Romano et Germanico collegio, tum P. Salmeroni, ut nihil dicam de Pont. Max. Fortassis Card. Hosius iam suum accepit exemplum, quod alias misi. Faxit Christus ut haec

a) strennue *autogr.* b) *A C. corr. ex* quamdiu. c) *Sequitur v. a C. ita oblitteratum, ut vix iam legi possit.* d) *Ita corrigendum esse ex* Condensi, *quod Can. scripsit, intellegitur ex Mercuriani litteris 6. Februarii 1578 datis, in quibus Canisius cardinali „Comensi" hunc librum mittere iussus est; v. infra, ep. 2000.*

---

[1] Quid ea de re hoc tempore Hoffaeus et Rosephius Mercuriano scripserint, vide infra, monum. 1225.
[2] Vide supra p. 419. [3] Cf. Lc 10, 38—42. [4] Is 38, 1.

munuscula aequi bonique consulantur, etsi arbitror, iam isthic plura id genus exempla prostare, quae utinam bonis aliqua ex parte satisfaciant.

Mittit et synodum Ephesinam P. Peltanus, ne hoc exemplo careat Romana domus[1], ualdeque rogat Card. Sirletum consuli, an Romae inueniri possit Epiphani opus contra haereticos editum et manu scriptum, quod Principis Bauariae sumptibus a notario aliquo transcribendum curaret, ac Latine rectius quam hactenus factum est, uerteret[2]. Ac sane optaremus, P. Turrianum, qui cumprimis in Graecis Patribus uersatus est, in hoc interpretandi genere pro sua diligentia collaborare, sicut multi Catholici desiderant uehementer.

Adiungam aliquid de R. P. Posseuino, quem scio P. T. charum, et societati nostrae utilem esse, ac cui nos omnes in suscepto difficili munere bene precari debemus. At si libere quod accepi repetere licet, uti P. T. uelle arbitror, optarim illum in quibus[dam] cautius et prudentius agere. Fuit apud nostros Oeniponti et Halae, sed notatus ob liberiorem illum scribendi agendique modum, quem tali personae non congruisse putant. Ad Episcopos et Praelatos sua scripta mittit, tractat de reformatione, tamque libere cum his agere uidetur, perinde ac si Nuntium Apostolicum ageret, et nescio quid prae coeteris saperet. Sumptuosum Oeniponti conuiuium instruxit, non contentus nostris epulis, ut itineris comites laute tractaret[3]. Ad Reginam[4] Halae induxit comitem male gratum, non[a] obseruans decorum Germanicum, ac nimium forte sibi sumens apud exteros[5]. Notum est factum eius de pecunia, quam Oeniponti a nostris extorsit, licet monitus, quam difficile foret illam mutuo accipere, et non statim soluere bona fide. Sarcinam in qua literas Pontificis incluserat, per errorem cum alia commutauit, sero satis accepturus praecipua, ex quibus forte pendet maxime legatio. Queritur et minister de suo hero, plura nostri nouerint, quae licet pro naeuis deputanda sint, tamen bonum Patrem illum apud alios offuscare, et quosdam offendere possunt. Jgnoscat meae in scribendo audaciae P. T. quod ob bonum publicum de his moneam, et

a) *Sic C. correxit ex* male.

---

[1] Vide supra p. 233 428.

[2] Vide, quae sub ipsas has litteras dicentur.

[3] P. Antonius Possevinus in hoc itinere (v. supra p. 424 [3]) praeter duos de Societate habebat duos itineris socios externos, a Ponto a Gardia (de la Gardie) Ioannis III. Sueciae regis legato ipsi adiunctos (*Theiner,* Schw. I 460—461; *K. Hildebrand,* Johann III och Europas Katolska Makter, Upsala 1898, 260—286).

[4] Magdalenam.

[5] *Possevinus* ipse in *„Annalibus quinquaginta Annorum" (Decade 1, l. 4, c. 12 13): „Promiserat" inquit, „Sueci Regis Orator se OEniponti futurum, cum primum illuc Posseuinus peruenisset. At neque id praestitit, alias praetexens caussas; sed missis e suo comitatu duobus, quibus uiaticum deerat, noua sarcina adiuncta est, quae non tam subsidio quam oneri fuit" (ex exemplo ab ipso Possevino recognito. Opp. NN. 336 p. 192—193).

talem Patrem suo tempore admonitum cupiam, uti me quoque ob similem causam et admoneri et corrigi uellem a maioribus[1].

Scripsi nuper de his, quae ad P. Prouintialis personam faciunt. Addo nunc illud, quod idem egere uideatur in quouis collegio admonitore, nimirum circa uictum curamque corporis, sicut et alias indicaui. Praeterea desidero caueri in nouis Jngolstadij et Monachij seminarijs, ut praefectus e nostris non implicetur negotio pecuniario, sed externum habeat Oeconomum, qui rationem dati et accepti reddat suo tempore. Vtinam idem Dilingae obseruetur, minus nostri laborarent, atque[a] tenacitatis notam sibi non conflarent, ad reliqua etiam[b] officia expeditiores.

Fortasse prouintia nostra suum tandem accipiet Visitatorem, sicut uicinis contigit[2]. P. Lanoium huc mitti non suaserim, si dicam quod sentio, sed saluo semper P. T. iudicio. Huius precibus me cupio semper Domino commendari. Augustae 24 Januarij 1578.

Jndignus P. V. filius
Petrus Canisius.

† Admodum Reuerendo in Christo Patri nostro, P. Euerardo Mercuriano, Societatis IESV Praeposito generali.
Ad manus proprias Romae.

Canisius post sacros dies natalitios Hoffaeum provincialem adiuvit primum in visitando collegio monacensi (v. supra p. 426), deinde in visitanda domo Societatis augustana. Augusta 27. Ianuarii 1578 P. *Gregorius Rosephius* S. J. Mercuriano *scripsit: „Agit nobiscum hoc tempore Reuerendus noster p. prouincialis, qui pene absoluit visitationem postquam nobis restitutus est“ (ex autogr.; Germ. 158 f. 258).

Canisius in his litteris cardinalem Guilielmum Sirletum vaticanae bibliothecae praefectum (qui bibliothecam multis codicibus, inprimis graecis, instructam et ipse habebat) nomine P. Theodori Peltani S. J. interrogandum curat, num Romae Alberti V.

a) *Sequitur* in, *oblitt.* b) *Hoc v. supra versum scriptum est.*

[1] *Scripsit Mercuriano Oeniponte 25. Decembris 1577 P. *Rabenstein* collegii rector: „Norit P. V. Reuerenda me a P. Antonio Posseuino ualde rogatum esse ut saltem 200 florenis Rhenensibus subuenirem, quo iter coeptum ad Dej gloriam prosequi posset. Sollicitaui ergo amicos nostros, et cum iam desperatum quodammodo de illa pecunia habenda esset, significatur mihi a quodam amico, se in illa hora 200 florenos accepisse Augustam mittendos, quos libenter si uellem esset daturus. Jllos accipio et P. Antonio trado, accepto ab eo chirographo quod Augustam misi ad Consulem uocatum Wolfgangum Paler“. Et Augusta 27. Ianuarii 1578 *P. *Rosephius* domus augustanae S. J. superior: „Transiuit hac Legatus Regis suetiae qui familiarissime mecum egit, accidit p. posseuino oeniponti res valde incommoda, propter illorum tamen negligentiam quam non animaduertet donec veniat in Suetiam. Est autem haec, praemisit Legatus suas suorumque comitum sarcinas ex Jtalia Oenipontum, inter quas et p. posseuinus habebat suas et suo nomine inscriptas. Js pater cum praeuenisset Nuntium seu Legatum regis et cum alijs dantiscum versus properaret, accidit vt suam sarcinam reliquerit oeniponti, in qua literae pontificis, cardinalium etc. erant, acceperit autem aliam sarcinam alterius qui veniens tandem cum Legato oenipontum videt suam sarcinam ablatam p. posseuini vero relictam“ (ex autographis: Germ. 138 f. 191[a]; Germ. 156 f. 258).

[2] Provinciae rhenanae a. 1576 visitator constitutus erat P. Balduinus ab Angelo; austriacam a. 1577 P. Nicolaus Lanoius visitavit (*Duhr*, Jes. I 596—597).

Bavariae ducis expensis transcribi possit opus „Πανάριον“ (Arcula medica) a S. Epiphanio urbis Constantiae in insula Cypro archiepiscopo circa a. 374—377 contra haereses scriptum et per tres libros digestum, atque Basileae compluries latine, ex Iani Cornarii medici versione satis mendosa, et a. 1544 graece cum aliis Epiphanii libris editum (*Migne*, P. gr. XLI IV—V: *Possevinus*, Apparatus I 512; *Bardenhewer* l. c. III 295—298). Hoc opus Peltanus latine reddere volebat; neque dubium est, quin huius consilii Canisius, si non auctor, certe adiutor ei fuerit. *Peltanus* enim *scripsit Mercuriano Augusta 28. Ianuarii 1577: „Ante annos quatuor R. P. N. Generalis ... intelligens me valetudinarium, et laboribus, quos vltra viginti annos in scholis exhauseram plane fractum, iussit vt relicta cathedra Jngolstadiana, Augustam me conferrem ibidemque quantum per valetudinem et occupationes liceret, tractatus aliquos vtiles contra haereticos scriberem, eosdemque, si digni viderentur, in lucem ederem“. Se igitur, praeter concilium ephesinum, 7 eiusmodi „tractatus“ composuisse, et ex his 4 iam esse typis exscriptos. „Petiui ex R. P. Prouinciali, quod hisce absolutis argumentum explicandum in manus sumere deberem. Consuluit is suos consiliarios, quorum sententiae non conueniunt. Ambo Canisii in vertendis quibusdam auctoribus Graecis occuparj me mallent, alij vt in Theologicis tractatibus conscribendis pergam magis probant. R. P. Prouincialis noluit causam definire, sed scripsit ad me semel et iterum, vt rem totam ad R. P. V. perscriberem, eidemque animum meum patefacerem. Ego vero rem totam R. P. V. integre committo et permitto. Si velit me pergere pergam; sin autem ab hoc studio malit me desistere, desistam.... Quod si R. P. V. pergendum esse iudicaret, sciat me ad graecorum auctorum interpretationem parum animatum esse. Siquidem sedecim totos annos studium hoc intermisi, et ante illud tempus non eos progressus habebam, qui auctoribus Graecis sat esse viderentur. A conscribendis tractatibus non sum alienus, quod in rebus theologicis magnam supellectilem collectam habeam.... Omnia haec tamen, vt ante dixi, relinquo iudicio et arbitrio R. P. T.“ (ex autogr., Germ. 138 f. 146ᵃ—147ᵃ). *Mercurianus* autem in *litteris Roma circa initium Martii 1578 datis Peltanum hortatus est, ut „se ad conuertendos e graeco in latinum libros“, inprimis „Sanctos patres“, conferret (ex comm., Rh. Inf. 1, II f. 20ᵃ). Peltanus deinde, etsi Epiphanii versionem latinam non scripsit vel saltem non edidit, complurium tamen aliorum Graecorum, ut Ioannis Chrysostomi, Sophronii Hierosolymitani, Victoris Antiocheni, scripta latine reddidit et vulgavit (*Sommervogel* l. c. VI, 463—465).

Mercurianus Canisio respondit 20. Februari 1578.

1999. Cardinalis **STANISLAUS HOSIUS** Sanctae Romanae Ecclesiae Poenitentiarius maior, episcopus varmiensis, CANISIO.

Roma 25. Ianuarii 1578.

Ex libro „Alter Tomus Commentariorum de Verbi Dei corruptelis. . . . In eo libris quinque disseritur de Maria Virgine incomparabili.... Authore D. *Petro Canisio* Societatis Iesu Theologo . . . Secunda editio“, Ingolstadii 1583, ubi litterarum pars, quae infra ponetur, posita est in fine libri, in pagina non signata [f. Bbb 6ᵃ], cum hac inscriptione: „Reuerendissimi D. Stanislai Hosii Cardinalis et Episcopi Varmiensis, de hoc opere testimonium ad Authorem scriptum“, et ex Canisii ad Mercurianum epistula autographa, Germ. 183 n. 296. Litterarum pars, quam dixi, in proximis quoque Operis Mariani editionibus posita est; ut in „Altero Tomo Commentariorum de Verbi Dei corruptelis.... Authore D. *Petro Canisio*“ etc., Lugduni 1584, in pagina altera non signata post p. 625. Deinde eadem variis rationibus usi sunt Canisii biographi, ut *Sacchinus*, Can. 290; *Dorigny* l. c. 341—342; *Boero*, Can. 361; *Michel*, Can. 370, etc.

Canisii Opus Marianum laudat. Eius exemplum mancum.

— — Quod Opus Marianum in Septembri promissum[1], tandem aliquando miseris gaudeo: magnam eo nomine tibi gratiam habeo.

[1] Vide supra p. 415.

Delector enim eo legendo plurimum, et iam duos libros integros perlegi, quamuis alienis oculis. Nec obliuiscetur Operis huius tui tam sancti, Virgo sanctissima, quam sic ornare scriptis tuis es conatus, vt vix quisquam sit a quo magis fuerit illustrata. Mihi quidem tam exacte scripta videntur omnia, vt quid in hoc Opere desiderari possit, non videam. Romae 25. Ianuarij, Anno Domini 1578.

Has litteras huncque librum Canisius significat, cum Augusta 12. Aprilis 1578 Everardo Mercuriano praeposito generali de Hosio scribit: „Monet undecim terniones in libro suo deesse, ac decem postea diserte numerat . . . Ostendit idem se libri lectione delectari.“

2000. EVERARDUS MERCURIANUS praepositus generalis Societatis Iesu CANISIO. Roma 6. Februarii 1578.

Ex commentario; in margine, eadem manu: „Monachij P. Petro Canisio.“ Rh. Inf. 1, II f. 19[a].

Magdalenae reginae petitio. Portia nuntius apostolicus. Hoffaei provincialis virtus; eius valetudo curanda. Collegium salisburgense. Opus Marianum.

Litterae Reuerentiae V. quas ab ea Kal. Jan. scriptas accepimus fuere nobis gratissimae, atque in ijs quod scribebat[a] de Halensi domo quam Regina petebat, iam erat[b] confectum, iamque ad P. Prouincialem scripseramus non posse id ei negari[1c]: gratum tamen nobis fuit[d] consilium illud et Reuerentiae V. et reliquorum qui ad nos scripserunt Consultorum sententia[e] approbatum fuisse.

De Nuncio[2] quae scribit esse eius praesentiam[f] istius prouinciae rationibus adeo accommodatam[g] id perlibenter audiuimus, nec uero nobis ignota erat[h] eius uiri uirtus ac pietas; itaque non cessabimus in hac causa quin quantum uires nostrae ferent Reuerentiae V. et Rectoris nostri Coloniensis[3] qui eadem de re ad nos scripsit desiderio[i] [satisfa]ciamus[k].

Grata etiam fuere quae de P. Prouincialis probitate, ac[l] feruore scribebat, quanquam [eadem ad] nos saepe de illius uiri uirtutibus delata

a) *Hoc v. supra versum scriptum est.* b) *Sequuntur vv.* a nobis, *oblitterata.* c) *Ita in comm. correctum est ex* non esse id ei negandum. d) *Duo vv. sqq. supra versum scripta sunt.* e) *Hoc v. supra versum scriptum est.* f) *Ita corr. est ex* esse eum adeo. g) *Sequuntur vv.* etsi fuit id nobis, *oblitt.* h) *Corr. ex* erant i) *Hoc v. supra versum scriptum est.* k) *Et hoc v., et complura proximorum versuum vv. in codice magna quadam atramenti litura vel prorsus vel ex parte obscurata sunt; quare eadem verbis uncis quadratis inclusis suppleta sunt.* l) *Sequitur* prudent, *oblitt.*

[1] *Hoffaeus* provincialis Mercuriano *scripserat Hala 24. Decembris 1577: „Missis duobus Nuntijs me coegit Serenissima Regina ad se Halam venire, hancque Tuae P. esse voluntatem testata est: veni ergo hesterno vespere, et hodierno die mihi narrauit, velle T. Paternitatem vt istuc perscriberem rationes quibus mouetur Regina, vt post mortem eius non fieret statim illa aedium permutatio de qua agunt literae halensis fundationis, quae isthic asseruantur, sed vt in aedibus nos nostris permaneremus et virgines reginales in aedibus Reginae, donec virgines eius superessent: simul etiam P. Vestram velle intelligere quid mihi de Reginae rationibus et voluntate videretur. . . . Hortor et rogo vt eius precibus et flagitationibus locum det“ (ex autogr.; Germ. 138 f. 207[b]—208[b]).

[2] Bartholomaeum de Portia nuntium apostolicum significat, ex Germania superiore Coloniam profectum; v. supra p. 424. [3] P. Martini Florentii.

sunt a multis· itaque quod ad illius austeritatem attinet [quam] in se ipsum exercet plus aequo, danda est omnino opera[a] ut eam cogatur moderari[b], praesertim cum iam saepe eadem de re nos[c] ad eum frustra[c] scripserimus[d]. Jtaque damus Reuerentiae V. hoc negotium ut ipsa cum Consultoribus Prouincialis aliquem constituant[e] [?], qui curam habeat ipsius in ijs[f] omnibus quae ad[g] ualetudinem, corporisque sanitatem tuendam pertinent, cui illum uolumus omnino sine ulla tergiuersatione obedire.

De Salisburgensi Collegio [silent]ium esse[1], non solum moleste non patimur, sed uel magnas Deo gratias agimus : neque enim id unquam plac[uit nobis][h] [?] sed aliter fieri non potuit[i]: quo magis placet a Deo ipso quam a nobis[k] rem istam[l] dissipari.

Post literas Reuerentiae V. accepimus duo uolumina operis Mariani, mihi alterum, alterum summo Pontifici[2]; quod nos quantum res feret eleganter et affabre compactum, ad ipsum deferemus, speramusque futurum illi gratissimum. Sed de hoc libro iam scripsimus superioribus diebus ad Reuerentiam V. esse in magna expectatione apud multos[m], ideo non ab re futurum, si aliquot mitterentur exemplaria ac praesertim Jllustrissimo Comensi[3], cui alioqui non[n] — —, et nostro Collegio Romano, cuius Reuerentiam V. esse patronum uti scribebat magnopere laetor. Et quoniam nihil est quod scribam aliud finem faciam commendans me plurimum Reuerentiae V. precibus sanctisque sacrificijs. Romae 6.ª Febr. 1578.

Mercurianus ea, quae de Hoffaei provincialis valetudine curanda Canisio in his litteris commisit, cum ipso quoque Hoffaeo communicavit; cui Roma 5. Februarii 1578 *scripsit: „Aiunt Reuerentiam V. nimis esse in se met ipsam austeram, suaeque parum parcere ualetudini: in quo etsi nos illius feruor ac mortificatio aedificat, uolumus tamen eam prudentius se ipsam gubernare, suasque uires ac ualetudinem propter Domini gloriam, Deo ac societati quam diutissime conseruare. Jtaque scripsi iam ad P. Petrum Canisium ut ipse cum Consultoribus Reuerentiae V. aliquem deligant qui Reuerentiae V. curam habeat in omnibus quae ad sanitatem tuendam pertinent, in uictu, in uigilijs, in laboribus, in itineribus faciendis, et ceteris eiusmodi: cui quidem Reuerentiam V. in omnibus et per omnia obedire uolo". Eiusdem epistulae alia quoque pars ad Canisium spectabat. Cuius haec erat causa: *Hoffaeus* Dilinga 7. Octobris 1577 Mercuriano *significaverat: Parochos oenipontanum et „gamundiensem" (Gmünd, Schwäbisch Gmünd, nunc reipublicae wurttembergicae oppidum) — huic „Georgio Pruckero", illi „Christophoro Gampasser" nomen fuisse intellegitur ex aliis eius temporis epistulis (Germ. 138 f. non sign. ante f. 135 et f. 186b) — a Mercuriano petere, ut pro potestate a Gregorio XIII.

a) *Ita corr. est ex* dabitur opera *vel similibus vv.* b) *Quae sequuntur, usque ad* tergiuersatione obedire *incl., in paginae margine inferiore addita sunt, praepositis his vv.:* Addenda ad P. Petrum Canisium. c) *Hoc v. supra versum scriptum est.* d) *Sequuntur vv.* nec tamen quicquam *[?]* ea a, *oblitt.* e) *Sic;* constituat*?* f) *Sequitur* quae, *oblitt.* g) *Sequitur* corporis, *oblitt.* h) *Haec fere videntur esse supplenda; v. supra, p. 411; primum in comm. scriptum erat:* unquam probauimus. i) *Ita denique correctum est; primum enim sic fere scriptum erat:* sed ea fuerat necessitas; *dein:* sed coegerat necessitas. k) *Sequitur* consi, *oblitt.* l) *In comm. corr. ex* ipsam. m) *Sequitur (ut videtur)* atque, *oblitt.* n) *Sequuntur duo vv. tam obscure scripta, ut legi non possint.*

[1] Vide supra p. 393 398 411. [2] Gregorio XIII.
[3] Cardinali Ptolemaeo Gallio.

pontifice a. 1573 ipsi concessa (de qua v. infra, monum. 1138) facultatem legendi libros haereticos et absolvendi ab haeresi et a lectione librorum prohibitorum sibi tribueret (ex autogr., Germ. 138 f. 120[a]). Ad haec **Mercurianus*: „Permitto rem totam iudicio P. Petri Canisij et duorum aliorum patrum alicuius autoritatis ac prudentiae qui eos bene noscant et si una cum Reuerentia V. iudicarint esse eos tales ut eis tuto talis facultas concedi possit", eam concedimus. Curandum tamen est, „ne nobis plures molesti sint in eiusmodi re quam non nisi cum summa difficultate, ac ualde inuiti semper concedimus. Immo etiam monitam uolo Reuerentiam V. ut in posterum cum illi aliquid eiusmodi petendum erit, quod uelim et rarissime, et nonnisi magnis quibusdam de caussis faciat, scribat simul ad nos plane ac singillatim eius hominis cui illam facultatem petit, conditiones perinde ac si Pontifex ipse ea de re minutissime edocendus esset, id est, qui sint, qua eruditione, qua probitatis opinione, quantum operae studijs Theologiae dederint et cetera huiusmodi, nam alioqui in re tanti momenti, et quae nostrae fidei ac iudicio commissa est uix possumus conscientiae nostrae satisfacere" (ex comm., Rh. Inf. 1, II f. 19[b]).

Quid de „Operis Mariani" exemplo illo, quod Canisius Mercuriano ipsi destinaverat, factum sit, cognoscitur ex litteris a *Mercuriano* Roma 11. Aprilis 1578 Neapolim ad P. Alphonsum Salmeronem S. J. missis. „Jl libro", scribit ille, „che V. R. dimanda del Padre Canisio non habbiamo hauuto piu che due essemplari l' uno de' quali si diede al Papa conforme al disiderio di detto Padre, l' altro hauea mandato per me, et molto uolentieri me ne priuo per mandarlo à V. R. che ne ha tanto disiderio, et che credo certo che si consolerà assai con quello come han fatto anco tutti questi Padri che lo han letto. Forse che detto Padre ne manderà degli altri: però fra tanto V. R. si goda allegramente questo" (ex apogr. eiusd. temp.; Neap. 2 f. 17[b]—18[a]; etiam, ex eod. apogr., in „Epistolis P. *Alphonsi Salmeronis*" II 681).

Canisius Mercuriano respondit 12. Aprilis 1578.

2001. IOANNES BENEDICTUS eques ferrariensis CANISIO.
Ferraria (?) m. Februario 1578.

Rogat eum, ut librum (philosophicum) a se compositum inspiciat et sibi, quid de eo sentiat, aperiat. Plura vide in epistula 22. Februarii 1578 a Mercuriano praeposito generali ad Canisium data.

2002. EVERARDUS MERCURIANUS praepositus generalis Societatis Iesu CANISIO. Roma 20. Februarii 1578.

Ex commentario; in margine, eadem manu: „Augustae P. Petro Canisio." Rh. Inf. 1, II f. 19[b]. Litteris usi sunt *Sacchinus*, Can. 293—294; *Boero*, Can. 363; *Michel*, Can. 373.

Opus Marianum allatum pontifici. Canisius iam eo scribendi officio liber. Quid ei agendum sit. Varii libri. Possevinus.

Cum iam ad Summum Pontificem[1] essemus adituri ut ei Reuerentiae V. Marianum offerremus, opportune nobis allatae sunt a Reuerentia V. litterae datae 24. Jan. in quibus[a] rationibus utrinque allatis totum suum de[b] scribendo consilium syncere aperiebat. Jtaque cum librum ad eum[c] detulissemus, qui se eo admodum[d] delectatum esse ostendit[e], eadem occasione quaesiuimus quae esset eius uoluntas[f]

a) *Correxi ex* qua, *quod est in comm.* b) *Hoc v. supra versum scriptum est.* c) *Sic in comm. correctum est ex* S. Pontificem. d) *Hoc v. supra versum scriptum est.* e) *Sequitur* egimus, *oblitt.* f) *Sic corr. est ex* quaesiuimus eius uoluntatem; *4 vv. sqq. supra versum scripta sunt.*

[1] Gregorium XIII.

de Reuerentia V. et an ei placeret[a] ut[b] suum scribendi laborem continuaret · atque ille non admodum grauate fecit Reuerentiae V. liberam potestatem, in posterum quiescendi, credo quod noluit Reuerentiam V. iam aetate ipsa satis[c] grauem, et praeteritis, laboribus nimis etiam afflictam[d], magis etiam in posterum huiusmodi oneribus fatigare[e]. Cuius uocem quoniam tum in omnibus tum hac praesertim in re in qua Reuerentia V. ab illius imperio pendebat, oraculi loco habere debemus, non potuimus nos quoque non idem[f] probare gratumque habere · quanquam enim pro eo fructu quem Reuerentiae V.[g] libris in animarum salute cumprimis[h] [?] factum uidemus, cuperemus eam semper in hoc studiorum ac laborum curriculo uersari, tamen quoniam nobis est etiam prouidendum, ne ad illius ingrauescentem seu potius affectam iam aetatem hic etiam scribendi maximus labor accedat, libenter utemur hac Pontificis liberalitate[i]. Jtaque iam Reuerentia V. religione omni liberata, in praesentia quidem omnem huiusmodi molestiam deponere poterit, et se ad animi et corporis quietem et sanctum in Domino[k] ocium tradere, ac praesertim suae diligenter ualetudini[l] inseruire[m], interimque in ijs rebus pro proximorum salute occupari, quae istic uidebuntur P. Prouinciali [1]. Scribebat in ijsdem literis Reuerentia V. se decem exempla Mariani operis mittere: quod nobis gratissimum fuit[n], et ea[o] iuxta eius uoluntatem distribuemus, sed nondum illa uidimus. De Epiphanio etiam quem postulat P. Peltanus agemus cum Sirleto, et quid ab illo fuerit impetratum postea significabimus[2]. De P. Posseuino gratum nobis fecit Reuerentia V. quod illa perscripsit[3]: atque omnibus in rebus semper erit[p] nobis gratissimum si Reuerentia V. quicquid[q] ad Domini gloriam expedire iudicauerit, id ad nos[r] libere[s] deferat. Et quoniam nihil aliud occurrit in praesentia[t], commendo me sanctis Reuerentiae V. precibus ac sacrificijs. Romae 20. Feb. 78.[u]

Mercurianus id, quod scribit: Grata sibi fuisse ea, quae Canisius de Possevino se monuisset, postea factis confirmavit; Roma enim 30. Martii 1578 Augustam ad P. Gregorium Rosephium misit „syngrapham“, ut ipse *ait, „quam a Pontifice impetrauimus ut Domino Vuolfgango Paler restituatur ea summa pecuniae quam ille nostris oenipontanis in gratiam. P. Posseuini accommodauerat“ [4] (ex epistulae comm. vel apogr. eiusd. temp.; Rh. Inf. 1, II f. 20[b]).

a) *Sequitur* Reuerentiam V., *oblitt.* b) *Hoc v. in margine additum est; v. sequens correctum esse videtur ex* hunc. c) *Sequitur* one afflictam, *oblitt.* d) *Sequitur* plus, *oblitt.* e) *Corr. ex* posterum liberare. Quod q. f) *Haec 3 vv. supra versum scripta sunt; primum autem scriptum erat:* non potuimus non. g) *Sequuntur vv.* suis iam, *oblitt.* h) *Hoc v. obscurius scriptum est.* i) *Scriptum erat primum:* libenter Pontificis auctoritati obtemperabimus; *dein:* libenter Pontificis auctoritatem amplectemur [*vel* amplexuri sumus]. k) *Haec 2 vv. supra versum scripta sunt.* l) *Hoc v. supra versum scriptum est.* m) *Sequitur* uel *vel simile v., oblitt.* n) *Sequitur* qui *vel* quae, *oblitt.* o) *Sequitur* secund, *oblitt.* p) *Hoc v. supra versum scriptum est.* q) *Sic in comm. corr. est ex* quod Reuerentia V. si quid. r) *Sic corr. est ex* id nobis. s) *Sequitur* sig, *oblitt.* t) *Sequuntur vv.* nisi Reuerentiam V., *oblitt.* u) *Manu librarii in margine addita sunt 7 vv.; quae tamen non ad hanc epistulam, sed ad litteras 22. Februarii datas spectare omnino videntur; vide infra, ep. 2003.*

---

[1] Hoffaeo. [2] Vide supra p. 432.

[3] Vide, quae sub ipsas has litteras dicentur.

[4] Exstant adhuc *litterae Oeniponte 29. Octobris 1577 Possevini manu scriptae et Canisii manu Mercuriano inscriptae, in quibus *Possevinus* Mercurianum vehementer

Eodem d. 20. Februarii 1578 *Mercurianus* ad Hoffaeum provincialem haec, praeter alia, *scripsit: „Binae mihi redditae sunt a Reuerentia V. literae, 20 et 24 Jan. scriptae [1], ambae de P. Canisio: de quo Reuerentia V. iam soluto animo esse poterit: egimus enim cum Pontifice ut imperium illud scribendi quo se ipse teneri suspicabatur, remitteret: in quo sane se ille satis facilem praebuit. Jtaque scripsi ad ipsum P. Canisium ut in posterum omnem scribendi solicitudinem deponat, et se totum ad quietem animi et corporis conuertat ne se in illa aetate tam grauibus ac diuturnis laboribus frangat. Sed mihi praeter hoc non tam ex litteris Reuerentiae V. quam mea etiam sponte uenerat in mentem [2], fortasse expediens fore ut Moguntiam proficisceretur ibique degeret, quod et id ipsi non inutile ad quiescendum, et nostris aliquo adiumento esse posset in ea praesertim prouincia quae ualde paucos tales habet operarios [2], ac praeterea Archiepiscopo Moguntino [3] gratum eius aduentum fore confidebam quia iam pridem illum nouit. Verum quia nuper iterum a Pontifice, ut paullo post dicam, coepit rursum fieri mentio de negotio Salzburgensi, coepi dubitare ne forte isti prouinciae futurus sit necessarius. Quare adiunctas ad P. Canisium mitto ad Reuerentiam V., ut si rem probarit, obsignatas ad illum mittat, sin eo indiguerit, supprimat, et nos certiores faciat; nam quod ad scribendum attinet iam nos ad ipsum P. Canisium alia uia scripsimus, Ceterum significabatur in litteris Reuerentiae V. suspicio quaedam eius et dubitatio, ne caussa P. Canisij aliquam apud me existimationis suae iacturam fecisset: simulque quae in eius gratiam fecisset, quoque in eum animo esset ac semper fuisset, prolixe commemorabat: Quod quidem totum excusationis siue defensionis genus minime necessarium fuit: nunquam enim nobis aliud de Reuerentiae V. caritate existimare in mentem uenit, neque ipse P. Canisius tale quidquam ad nos unquam uel minimo nutu aut significatione detulit: quin potius credat mihi uelim quoties illi de Reuerentia V. incidit mentio, ea scripsit semper quae sine rubore a Reuerentia V. legi non possent, adeo semper de illa honorifice et sensit, et loquutus est. Sed uenio ad Salzburgense negotium [4] quod cum maxime oppressum ac sepultum crederemus, denuo coepit reuiuiscere. Egit enim nobiscum tum ipse Pontifex, tum Jllustrissimus Comensis, et quidem paullo etiam seuerius, ac paene nos obiurgans de negligentia, quod nondum ea res a nobis esset confecta. Jtaque quamquam diligenter ei breui respondere cogitamus et quantum in nobis erit hoc onus excutere, tamen ne Reuerentia V. istic omnino rei ignara esset, simulque ut iam de rationibus Seminarij meditari inciperet, si forte quod timemus a Pontifice iuberemur illud admittere, uolui eam breuiter admonere“ etc. (ex comm.; Rh. Inf. 1, II f. 20^a). *Litterae autem Canisio destinatae, quas *Mercurianus* Hoffaeo misit, eius arbitrio permittens, ut eas Canisio mitteret vel „supprimeret“, sic habent; „Scripsi iam antea ad Reuerentiam V. ut eius librum ad Pontificem detulerimus, quamque ille eiusmodi munere delectatus sit, ac praeterea ut a nobis rogatus quid in posterum Reuerentia V. agere vellet libenti ac paterno animo, illam omnis imperij sui religione liberauerit · quod quidem existimo Reuerentiae V. ut in literis suis significabat, ualde gratum accidisse, quam omnino iam ualde fessam tam diuturno scribendi labore esse necesse erat. Postea mihi magis de Reuerentiae V. quiete atque ocio cogitanti, uenit in mentem aptissimam forte futuram illi sedem Moguntinam, tum quia probe scio quam nostris omnibus carus atque acceptus futurus sit, atque in primis P. Costero quem nuper Prouincialem illius prouinciae declarauimus: tum quia id summopere scio gratum fore ipsi Archiepiscopo, quem noui quam de Reuerentia V. bene sentiat, quamque ueteri consuetudine sit cum illa iam pridem coniunctus. Atque hoc tamen totum negotium Reuerentiae V. liberum permitto, ut si illic se libentius ac commodius futuram putat, eo se conferat in nomine Domini: sin istic malit remanere, sciat nos nihil eam im-

---

rogat, efficiat, ut iis, qui pecuniam illam sibi mutuam dederint, ilico satisfiat (Opp. NN. 328 f. non sign.).

[1] Vide infra, monum. 1225. [2] Societatis provinciam rhenanam dicit.

[3] Danieli Brendel. [4] Vide supra p. 393 398 411 436.

pellere nec cogere uelle contra suam uoluntatem. Quod si proficiscendum sibi statuerit, quamquam P. Costerum ut dixi, omnia sua sponte facturum puto, tamen scribemus ad eum ut Reuerentiam V. ea qua par est caritate tractet, nec illi quidquam quod eius ualetudo aut aetas requirat, deesse patiatur" (ex litterarum comm., Rh. Inf. 1, II f. 19[b]). Hoffaeum hanc epistulam pro potestate a Mercuriano sibi tributa „suppressisse" cognoscitur ex eo, quod in registro Mercuriani commentario, quem modo dixi, librarii eiusdem manu adnotatum est: „Non est missa ad ipsum". Praeterea ipse *Hoffaeus* Monachio 18. Aprilis 1578 Mercuriano *scripsit; „Gaudeo ex animo opera Paternitatis V. a scribendi labore liberatum esse P. Canisium a Pontifice. At hoc patre nullo modo carere possum in tanta mea paupertate, ideoque apertas illas literas ei non tradidi, et Paternitatem V. rogo ne, dum ego in hoc officio sum, eius praesentia me priuet" (ex autogr.; Germ. 156 f. 328[b]).

Canisius Mercuriano respondit 12. Aprilis 1578.

2003. EVERARDUS MERCURIANUS praepositus generalis Societatis Iesu CANISIO. Roma 22. Februarii 1578.

Ex Canisii litteris autographis, quae sunt in Germ. 183 n. 296, et ex commentariolo sive summa brevi eodem tempore scripta, quae est in Rh. Inf. I, II f. 19[b].

Sententia dicenda de libro equitis ferrariensis.

Canisius Augusta 12. Aprilis 1578 Mercuriano scripsit: „Cum hucusque scripsissem, P. T. literas 6. 20 et 22 Februarij datas accepi una cum libro Joannis Benedicti Tirnauiensis, qui ad me quoque scripsit. Versatur nunc liber in nostrorum manibus, eorumque iudicium expecto, ut boni uiri desiderio in respondendo satisfaciam, praesertim P. T. hanc nostram operam flagitante." In registro autem Mercuriani exstant quidem epistulae 6. et 20. Februarii ad Canisium datae (vide supra p. 435 437); verum deest epistula 22. Februarii data; neque tamen dubium esse potest, quin ad eam spectent vel potius eius commentariolum quoddam sive summa brevis sint haec verba, quae in eodem registro postremae litterarum 20. Februarii ad Canisium datarum parti manu eiusdem temporis in margine ascripta sunt: „De libro equitis Ferrariensis ut eum uideat." Quod vero Canisius de libro „Joannis Benedicti Tirnauiensis" scripsit, vitio memoriae vel calami ita scripsit, perinde ac cum paulo ante (v. supra p. 431[d]) pro cardinali „Comensi" scripserat: „Condensi", et in hac ipsa, quam modo dixi, epistula (v. infra p. 447[b]) pro „Warmiensis" scripsit „Wormatiensis". Id certum efficitur epistulis Mercuriani et Canisii 6. et 9. Augusti et 1. Octobris 1578 datis, de quibus infra, epp. 2013. 2014.

Erravitne in „Benedicto" quoque Canisius? Exstant *litterae a P. *Laurentio Magio* S. J. praeposito provinciali Austriae Vindobona 30. Aprilis 1572 ad „Joannem Baptistam Pignam Ducis Ferrariae secretarium" datae, quibus ille Pignae gratias maximas agit pro „historiarum tuarum uolumine, quod", inquit, „mihi tuo nomine Julius filius tuus paulo ante reddidit"; librum a se et „legi diligenter, et custoditum iri diligentissime"; eius et dicendi genus et res ipsas sibi valde probari (ex apographo, ab ipso Magio scripto; Germ. 121 f. 62[a]). At Pignam a. 1575 mortuum esse affirmat *Girol. Tiraboschi*, Storia della Letteratura Italiana VII.[2], Modena 1778, 293. *Idem* scribit, Ioannem Baptistam Benedetti venetum Taurini in aula ducis Sabaudiae saeculo XVI. mathematicum fuisse (l. c. VII [1], 457). Caeterum — id quod infra suo loco patebit — Canisio scripta philosophica missa sunt. Vidit fortasse atque cognovit

equitem scriptoremque illum ferrariensem Canisius, cum a. 1568 Ferrariae Barbaram Alphonsi ducis coniugem inviseret (*Can.* VI 244 599).

2004. GUILIELMUS (V.) Bavariae princeps CANISIO.
Monachio circa 24. Februarii 1578.

Petit, ut aliquis de Societate 28. Februarii secum proficiscatur Landishutum et ibi sacro Quadragesimae tempore contiones habeat. Plura vide (quia Guilielmi epistula periit) in proximis litteris.

2005. CANISIUS **GUILIELMO (V.)** Bavariae principi.
Landsberga 25. Februarii 1578.

Ex archetypo (2°; 1 p.; in p. 4 inscr. et sigillum integrum), cui Canisius sua manu nomen subscripsit: id exstat Monachii in archivo reipublicae bavaricae, Jesuitica in genere Fasc. 13 Nr. 214.

Faciet, ut contionator, quem princeps petiit, Kalendis Martiis cum socio Landishuti adsit. De mora se excusat.

Durchleichtiger Hochgeborner Fürst.

Ewer Fürstlichen Gnaden sein mein gegen Gott arm demuetig gebet, vnderthenige gehorsame, willige dienst zuuor, Gnediger Fürst vnd Herr.

Euwerer Fürstlichen Genaden genediges ann mich gethon schreiben, darinnen sie ainen auß vnserer geringen Societet, so dise fasten[1] Ew. Fl. Gn. die praedicatur versechen, das auch derselbig auf schier khunfftigen freitag, den 28 diß, sampt Ew. Fl. Gn. nach Landtshuet verraisen solte, gnedig begeren, habe ich an heit dato, mitt demuethiger vndertheniger Reuerentz empfangen. Erkhenne, die Societet vnd mich Ew. Fl. Gn. nit allain hierinnen, sonder in merherm vnderthenig zue gehorsamen. Dieweil aber auß erhöblichen vrsachen mir[a][?] nit wol müglich, gleich ietz khunfftigen Freittag Ew. Fl. Gn. ainen auß den vnsern zu zuordnen, so will ich doch disen vleiß fürwenden, das der begert Prediger, sampt ainem zugeordneten auf den Sambstag hernach, das ist den Ersten Martij, beij Ew. Fl. Gn. zu Landtshut, mit Gottes gnaden, gewislich erscheinen solle, der demuetigen vnderthenigen hoffnung, Ew. Fl. Gn. werden sollchen khlainen verzug, in vngnaden nit auffnemen, sonder zuuoran, wie biß hero, der Societöt, vnd mir mit allen Gn. gewogen sein, zu deren Genaden ich mich demuetig beuelchen thue. Datumb in der Eil zu Lanssperg am 25 Februarj 1578.

Ew. Fl. Gn.
gehorsamer vnd vndertheniger Caplan
Petrus Canisius manu propria.

Dem Durchleichtigen Hochgebornen Fürsten vnd Herrn, Herrn Wilhelmen Pfaltzgrauen bey Rein, Hertzogen [im] Obern vnd Nidern Bayern [Mei]nem Gnedigen Fürsten vnd Patron. München.

a) *Sic videtur quidem esse legendum;* nur? nue?

[1] Sacra Quadragesima eo anno erat a 12. Februarii ad 29. Martii.

Inscriptioni huic haec (a Guilielmo vel eius secretario) ascripta sunt: „Canisius Vice Prouincial wil ain Prediger die vassten gen Landshut schicken.“ Et paulo infra: „Praesentatum Munchen den 28. Februarj.“

Canisius exeunte m. Ianuario cum Hoffaeo praeposito provinciali, cuius socium agebat, Augusta Landsbergam, ubi Svicardus comes ab Helfenstein Societati tirocinium parabat, venisse videtur. *Hoffaeus* autem Everardo Mercuriano praeposito generali „Lanspergae (vbi D. Comes decumbit quem P. V. commendo) 1. Febr. 1578“ *scripsit: „Hic meliorem auram expecto vt Lucernam vadam“. Et *Lucerna 16. Februarii 1578: „Nudius tertius huc perueni ac totam forte Quadragesimam hic transigam“ (ex autographis; Germ. 156 f. 267[a] 279[a]); atque ex altera hac epistula conici licet, eum per Suebiam transisse et in monasterio inzigkofiensi (de quo plura infra) virginibus ordinis augustiniani verbum Dei explicando et sacramenta ministrando solacium attulisse. Canisius vero, dum Hoffaeus abest, eius mandatu „viceprovincialem“ agebat; id cum ex epistula ad Guilielmum ab eo data, tum maxime ex verbis eius inscriptioni adnotatis colligitur. Atque ipse *Hoffaeus* Lucerna 19. Martii 1578 Mercurianum *monuit: „Sum adhuc in eadem sententia, vt P. Canisius (quj iam meo loco praeest prouintiae donec reuertar, et residet Lanspergae, vbi ni fallor concionatur in Parochia) non scribat libros latinos, praesertim graues: Sed per amor d' Jddio rogo, vt P. V. hanc ob causam illum Patrem nobis non auferat, nam penuria nostra ingens est et vehementer hoc Patre egemus: ego ipsum tractabo suauissime, sicut feci semper“ (ex autogr.; Germ. 156 f. 313[b]).

Canisius paullo postquam has litteras scripsit, ipse Landishutum ad contionandum profectus est (alio fortasse, qui contionaretur, non invento); vide infra, ep. 2007.

2006. P. PETRUS LOPPERSIUS S. J. collegii fuldensis vicerector CANISIO. Fulda circa ineuntem Martium 1578.

Ex Thyraei litteris autographis. Germ. 156 f. 294[a].

De collegio Achilli Ilsungio commendando.

P. Hermannus Thyraeus S. J., provinciae rhenanae praepositus, Moguntia 5. Martii 1578 ad Mercurianum praepositum generalem haec rettulit de P. Petro Loppersio (sive de Loppersum; v. Can. III 217) ac de duobus viris, qui, donec controversia inter Balthasarem abbatem principemque fuldensem et Iulium episcopum principem herbipolensem eiusque amicos diiudicata esset, Rudolphi II. imperatoris mandatu terram fuldensem administrabant: Henricum a Bubenhausen dico, magnum ordinis teutonici magistrum (qui tamen saepe aberat, aliis ordinis teutonici equitibus in locum suum substitutis), et Ioannem Achillem Ilsung, patricium augustanum et consiliarium caesareum (Egloffstein l. c. 56, 70; Can. IV 904): „Ecce adferuntur mihi literae Fulda. . . . Jnscripsit autem P. Petrus Vice Rector quasdam P. Canisio cui dominus Jlsinger admodum est familiaris et quia apertas illas misit copiam excerpsi maxime cum me eas legere prius cuperet quam p. Canisio mitterentur. Dominus Jlsinger (qui vna cum M. Teutonico administrare debet ditionem Fuldensem et Catholicus est vir) non lubenter versatur Fuldae quia (vt aiunt) gubernationis modo offenditur et contra flumen niti non potest“.

Dubitari non potest, quin vicerector fuldensis Canisium rogaverit, ut Ilsungio commendaret collegium et iuvenum litteris studentium seminarium collegio adiunctum; nam, ut ex *Thyraei* *litteris illis intellegitur, timebant, ne „seminarij sustentatio impediretur paulatim“, neve ipsum collegium „interiret.“ Neque frustra fuldenses Socii

ad Canisium confugisse videntur. P. *Franciscus Costerus* certe, qui post Thyraeum provinciam rhenanam rexit, Mercuriano (Colonia m. Martio, ut videtur) a. 1579 * scripsit: „Fuldae in Collegio omnes bene habent · D · Achilles Jlsingius Commissarius Jmperatoris ciuitatem inuisit, et multa bona pro Collegio fideque orthodoxa constituit, quae faxit Deus ut obseruentur. Dicitur enim non satis recte inter hos duos Commissarios, nempe D. Jlsingium, et Magistrum Theutonicum per omnia conuenire. Ciues Fuldenses adierunt praedictum Jlsingium, vt a Societate etiam exigeretur contributio Turcica, qui tamen eorum conatui fideliter se opposuit, et nostros immunes esse iussit" (ex archetypo. Germ. 157 f. 233^b).

2007. CANISIUS **EVERARDO MERCURIANO** praeposito generali Societatis Iesu. Landishuto 22. Martii 1578.

Ex commentariis litterarum Mercuriani, quae sunt in „Rh. Inf. 1" II f. 21^a 24^b, et ex relatione *Francisci Sacchini* S. J., quae est in eius libro „De Vita et Rebus gestis P. Petri Canisii" etc., Ingolstadii 1616, 295—296. Cf. etiam *Boero*, Can. 365—366.

Canisii contiones. Guilielmi principis facta praeclara.

Mercurianus Roma 9. Maii 1578 Canisio scripsit: „Binas accepimus Reuerentiae V. litteras alteras Lanshuti 22 Martij, alteras Augustae 12 Aprilis, in utrisque multa gratulanda, praesertim fructus quem Domino cooperante suis se concionibus percepisse scribebat". Supersunt posteriores illae litterae, eaeque autographae et integrae; perierunt priores. Si quis autem Sacchini relationem de rebus Landishuti a Canisio hoc tempore gestis diligentius inspexerit, maximam eius partem ex Canisii litteris 12. Aprilis datis exscriptam esse videbit; aliqua tamen a Sacchino referuntur, quae in his litteris non sunt; et cum Sacchinus se ea quoque ex Canisio cognovisse atque etiam Canisii verbis se uti significet, haec ex prioribus illis litteris ab eo hausta esse satis certum est. Ita igitur Sacchinus de Canisio et de Guilielmo Alberti V. Bavariae ducis filio natu maximo (qui postea Guilielmus V. dux fuit) ac Renata eius uxore: „Canisius . . . effecit apud Principem, . . . vt libros salutares sua coëmptos pecunia passim inter populum spargeret[1] . . . in visendis, et consolandis aegrotis sedulus *(verba Canisij sunt) in aula sua bene constituenda serius, ad cultum diuinum domi, publiceque celebrandum vehementer intentus, et qui sibi, et Vxori, et Aulicis seuerum ieiunium Quadragesima tota indiceret, seruaretque, nunquam cuiquam nisi Dominico die praebita coena". Fortasse hanc quoque epistulam Mercurianus significavit, cum Roma 29. Novembris 1578 Hoffaeo provinciali (et Canisio eius „socio") de P. Dominico Mengino S. J., quem aestate huius anni rectoris monacensis officio levaverat, scripsit: A se, Mengino ex Bavaria avocato, P. Nicolaum Limburgium, ut loco Mengini confessarium Renatae, uxoris Guilielmi principis Bavariae, (et ipsius Guilielmi) ageret, missum esse, „quoniam . . . P. Canisius . . .*

[1] Dubitari vix potest, quin „librorum salutarium" a Guilielmo principe „inter populum sparsorum" nomine significentur catechismi (minores) germanici Canisii et varii libri precationum eorumque similes, ut „Epistolae et Evangelia", de quibus *Can.* VI 690.

nobis scripserat ut alium mitteremus, atque adeo ipsius Menghini discessum aulicis non ingratum fore". De qua re plura infra dicentur.

2008. CANISIUS Patribus **P. PAULI HOFFAEI** Germaniae superioris provincialis **CONSULTORIBUS.**

Augusta Vindelicorum sub 12. Aprilis 1578.

Ex autographa Canisii ad Mercurianum epistula, de qua infra, ep. 2009.

Canisius Augusta 12. Aprilis 1578 Mercuriano praeposito generali de P. Paulo Hoffaeo scripsit: „Scripsi ad alios[a] *Prouintialis nostri consultores, ut dispiciant, quibus rationibus illius uitae austeritatem optime moderandam esse censeant: nec dubito, quin illius ualetudini recte consulent, ut P. T. sententiae, nostrisque simul uotis in optimo Patre conseruando satisfiat".*

Canisius ita exsecutus est id, quod Mercurianus 6. Februarii 1578 ei commiserat (v. supra p. 436). Consultoris officium eo tempore praeter Petrum Canisium habuisse videntur PP. Theodoricus Canisius, Gregorius Rosephius, Theodorus Peltanus, Ioannes Rabenstein; cf. infra, ep. 2033.

Hoffaeus Mercuriano ad litteras, quibus eum in rebus ad valetudinem corporis pertinentibus viro a Canisio et reliquis consultoribus deligendo oboedire iusserat (v. supra p. 436), Monachio 18. Aprilis 1578 *respondit: „Nihil prorsus necessarium fuit, vt P. V. me alicuius iudicio subijceret qui valetudinis meae curam gereret: ego enim per Christi gratiam tam bene valeo quam a multis annis, sed neque vllus in particulari quicquam notare potest, quo ego valetudinem offenderim. Jgitur P. V. me liberet ab hac lege: ego enim P. V. coram Domino promitto, nihil me in ratione victus, vestitus, somni, itinerum acturum vnquam sciens et volens, quod putabo valetudini meae obfuturum: alioqui isti forte aliquid mihi praescribent quod carni futurum sit gratum, sed fratribus tamen scandalosum" (ex autogr., Germ. 156 f. 328[b]). At *Mercurianus* Roma 23. Maii 1578 Hoffaeo *rescripsit: „Nihil immutamus, quin potius Reuerentiam V. hortamur ut in caussa propria alieno iudicio stare malit quam proprio, ac proinde libenter ac studiose exequatur omnia quae illi in hac parte praescribentur" (e comment., Rh. Inf. 1, II f. 21[a]).

2009. CANISIUS **EVERARDO MERCURIANO** praeposito generali Societatis Iesu. Augusta Vindelicorum 12. Aprilis 1578.

Ex autographo (2°; 3 pp.; in p. 4 inscr. et reliquiae sig.). Germ. 183 f. 279[a]—280[b]. Litteris copiose usi sunt *Sacchinus*, Can. 294—295, et *Boero*, Can. 364—366; usus est iisdem *Michel* l. c. 373—374.

Contiones landishutanae. Turca baptizatus. Indulgentiae. Guilielmi principis et uxoris eius virtutes. Num Socii aliquot ei dari possint. P. Menginus confessarius. Aularum pericula. Canisius scribendi cura dimissa provincialis arbitrio se permittit. Opus Marianum. Nuntius apostolicus. Abbas fuldensis. Belgium.

† Pax Christi IESV nobis aeterna,
Admodum Reuerende Pater.

His diebus Augustam redij, Quadragesima Lanshutae transacta, ut iuniori Bauariae principi Guilhelmo a sacris essem concionibus, quae non sine fructu abijsse uidentur[1]. Etenim Princeps ipse hoc nostro labore delectatus impense rogauit, ut si fieri posset, apud se

a) *Sequitur* hui, *oblitt.*

[1] Vide infra, monum. 1226 1228.

diutius degerem, aut certe sub Aduentum domini reuerterer. Tum admonitus a nostris curauit, quosdam aulicos ad officium reuocari, Turcam quendam per nos instructum solemniter et publice baptizari, quae res populum illum ualde commouit ob[a] adiunctas ceremonias[1], ac praeterea Jndulgentias peculiares cum bonorum omnium singulari consolatione et frequenti hominum coetu publicari et accipi[2]. Curatum est insuper, ut nouas et ampliss. Jndulgentias pro uno atque altero Bauariae templo, quod a peregrinis crebro inuisitur[3], a Reuerendissimo D. Nuntio impetraret[4]. Ego tantum uirtutis et spectatae pietatis[b] in hoc Principe, quantum in tota Germania nusquam, comperi: adeo sacris rebus et charitatis misericordiaeque operibus suam operam praebet. Vnde paucis comitatus templa frequenter, sicut et xenodochia et priuatas aegrotorum aedes inuisit, decumbentes et morientes hortatur et consolatur, sacerdotes officij sui admonet, nullum in aula haereticum fert, a uanis et impuris Principum uitijs alienus, in precando sedulus, et qui demum eiusdem pietatis aemulatricem habet coniugem Lotoringam[5], quacum saepe Rectori nostro Monachiensi[6] solet confiteri. Quare tam raro quam praeclaro Principi non possum non fauere, et pro quo P. V. preces offerri domino etiam atque etiam rogo. Testatur enim se Societatis nostrae meritis et precationibus permultum fidere, et his maxime suam salutem cupit commendari.

Visum est autem illi, ut R. P. Prouintiali[7] quaedam proponerem, et hic deinde iussit, ut eadem capita literis ad P. T. datis repeterem, meamque de illis sententiam simul explicarem. Primum hoc suo nomine postulari uoluit, ut Aduentus et Quadragesimae tempore posthac numquam concionatore quodam e nostris destitueretur, ubicumque

a) *Sic C. correxit ex* ad. b) *Ita C. correxit ex* et spectatis.

[1] Hunc aut Sabbato sancto (29. Martii) pro veteri ecclesiae more, aut uno ex proximis diebus paschalibus (a Canisio?) baptizatum esse dixeris. Vide etiam infra, monum. 1169.

[2] Quomodo Canisius indulgentias illas promulgarit, vide infra, monum. 1228. Turcam illum non solum „instructum" esse a Canisio, sed baptizatum quoque esse ab eodem, et „ipsum Canisium" indulgentias illas tum impetrasse a nuntio apostolico, tum „magnifice promulgasse" narrat *Sacchinus* l. c. 295; quae unde acceperit, nescio. Vide etiam ea, quae dicentur infra, monum. 1228.

[3] Significanturne templa B. M. V. ottinganum et tuntenhusianum (de quibus supra p. 381 382)? *Sacchinus* certe (l. c. 295) ita „opinatus est".

[4] Bartholomaeus Portia, exeunte a. 1577 apostolicus ad Rudolphum II. imperatorem nuntius destinatus, ex regione rhenana ineunte Martio 1578 Monachium advenit; unde cum paulo post 4. Aprilis abisset, 21. Aprilis Vindobonam venit (*Hansen*, Nunt. I 8 9 250—257).

[5] Renatam, Caroli III. Lotharingiae ducis sororem, ex Francisco duce et Christiana Daniae regis filia prognatam.

[6] P. Dominico Mengino; is, ex dioecesi tullensi (Toul, in Lotharingia) ortus, linguam gallicam norat (*Can.* II 151 [3]; VI 196 [9]). De difficultatibus, quas Menginus a. 1567—1578, cum simul et collegii monacensis rector esset et Guilielmi ac Renatae confessarium ageret, Societatis praepositis, imprimis P. Paulo Hoffaeo parabat, vide *Duhr*, Jes. an Fürstenh. 111—117 et Jes. I 699—700.

[7] Hoffaeo.

degeret. Deinde duos saltem e societate sibi toto anno praesentes esse cupit, quorum uti possit opera, ut et salutem suam et suorum rectius procuret hoc tempore, quo multis et grauibus de causis opus esset subinde consultare. Postremo si Rector Monachiensis aliquando suo munere liberaretur, hunc Monachij manere optaret, ut coniugi non desit Confessarius Lotaringus.

Ad quae tria responsurus hoc unum praefabor, hunc ipsum Principem nondum annos triginta natum, et morienti Alberto patri, qui satis est ualetudinarius, statim in gubernatione Bauariae successurum, in his quae praestare petenti possumus officijs, minime negligendum uideri, quum tanti referat, praeclaram illius indolem in hoc singulari et mirifico tot uirtutum splendore integram conseruare. Dandum est hoc ipsius imbecillitati, quod adeo nostros amet, ut externorum operam sibi seruire non cupiat, uno saltem nostrorum contentus, si aliquem sibi[a] adiunctum uideat, sicut ipse testatur. Quare consultum iudico, ut P. Prouintialis primam illi gratiam concedat, quoad eius fieri potest, ut ille[b] saltem sacri Aduentus et Quadragesimae tempore aliquem e nostris[c] sed non eundem habeat concionatorem[d].

De secundo capite iam idem Princeps egit coram cum P. Prouinciale, qui multas illi rationes, cur id fieri non posset, reddidit, simulque rogauit, ne ob eam ipsam causam ad Pont. Max.[1] scriberet, sicut ille se facturum minabatur. Vrget nunc iterum eundem lapidem, et ardentiore quidem, ut uidetur, concepto spiritu, nescio quas utilitates inde sibi pollicens, si unum sibi Theologum donarj sentiat. Suasi ego P. Prouintiali, ut negotium ad P. T. referret, seque hoc modo purgaret apud Principem, ne frustra iterum contendere, et negando magis prouocare uideatur. Quod si nobis molestus esse pergat, et P. T. consensus accedat, tum P. Prouintialis illi obsistendo nihil promouere iterum possit, minimo detrimento illi P. Dominicus[2] donabitur, quum Rectoris ille munus[e], ut credo, breui deposuerit, et in collegio quidem exiguus eius usus futurus esse uideatur[f]. Hic enim et eiusdem Principis, et Ducissae quam dixi, Lotaringae[g], et aliorum Gallorum in utriusque aula degentium hucusque Confessarius manet. Qua ratione tertio capiti satisfiet, minusque circa eundem Patrem laborabimus, qui aegre alioquin, ut uereor, in collegio quiete conseruabitur[h] [?], quum desierit esse Rector. Quomodo autem idem in aula uersari, et quoties ad collegium aliquod quotannis redire debeat, id P. Prouintialis iudicio prudentiaeque relinquendum putarim, qui certas leges illi obseruandas praescribet[i], ut rectius in officio contineatur idem Confessarius. Verum priusquam haec gratia Prin-

a) b) *Hoc v. a C. supra versum scriptum est.* c) *Tria vv. sqq. a C. in margine addita sunt.* d) *Sequuntur haec fere vv., a C. oblitterata:* quem non eundem esse conueniret. e) *Duo vv. sqq. in margine addita sunt.* f) *A C. corr. ex* uidetur. g) *Sequuntur haec vv., a C. oblitterata:* manet Confessarius, sicut. h) *Sic; sed puto Canisium scribere voluisse:* conuersabitur. i) *A C. corr. ex* praescribit.

[1] Gregorium XIII. [2] Menginus.

cipi concedatur, serio P. Prouintiali laborandum putarim, ut quemadmodum iam decreuit, post acceptas P. T. literas, ipsam et multiplicem rei difficultatem explicet coram, et si fieri potest, a suo proposito abducat Principem, praesertim ne isthaec dispensatio quasi ostium alijs magnatibus aperiat, ut contra decretum Societatis expressum uelint et ipsi petere, quod largiri nobis non conuenit[1]. Scribent et alij suas de re tota sententias: quare nolo esse prolixior, sed P. T. iudicio sum stare paratus, ipsoque usu edoctus iam didici paucorum esse, qui eiusmodi Principibus sine spiritus detrimento in aulis gratificari et satisfacere possint. Vnde sibi magis quam Societati consulere uidentur.

Cum hucusque scripsissem, P. T. literas 6. 20 et 22 Februarij datas accepi una *[etc., ut supra p. 440]*.

Permultum[a] sane Pont. Max. nunc debeo, qui non modo Marianum opus et munus clementer accepit, uerum etiam scribendi legem ueterem relaxauit, meque molesto et graui studiorum labore prorsus liberauit. Neque solum illius, sed et P. T. uocem atque responsum oraculi loco habeo, curam scribendi omnem libenter depositurus, ac melioribus, ut spero, studijs daturus operam ex arbitrio P. N. Prouintialis. Faxit Christus, ut hanc gratiam indigno mihi factam rite intelligam, et fructum ex ea mihi alijsque congruentem legitime colligam, quicquid demum laboris et oneris mihi demandetur. Fortassis hunc etiam annum in collegijs uisitandis, ut P. N. Prouintialis comes ac socius, pergam absoluere, neque uerbum ullum, uti spero, de mutanda conditione in posterum commutabo.

Mariani operis exempla decem an Romam perlata sint, nescio: Veneti certe nostri ante menses duos accepere sarcinam · si quicquam in illis desiderabitur, cum primum fuerit indicatum, facile supplebimus. Cauebitur etiam in posterum, ne commissus error in libris alijs accidat. Monet Cardinalis Warmiensis[b] undecim terniones in libro suo deesse, ac decem postea diserte numerat, quos his literis, ut arbitror, adiungemus. Ostendit idem se libri lectione delectari[2]: sed acriorem aliorum censuram expecto, ut sciam quae addi uel mutari deceat in ipsa operis recognitione. Hic autem nostri Theologi satis erunt, ni fallor, oculati.

a) *Epistulae caput, quod hoc v. incipit, manu, ut videtur, romana lineis quibusdam sive uncis quadratis signatum est.* b) *Ita corrigendum esse ex* Wormatiensis, *quod est in autogr., facile docet res ipsa.*

[1] Anno 1565 secunda Congregatio generalis Societatis decreverat: „Cum propositum esset: an Illustrissimo Cardinali Augustano Theologus nostrae Societatis dari posset, qui eius confessiones audiret, et aulam sequeretur; visum est Congregationi: nec Principibus nec Dominis aliis saecularibus aut ecclesiasticis assignari debere aliquem ex nostris religiosis, qui aulas eorum sequeretur et in eis habitaret, ut Confessarii vel Theologi, aut alio quovis munere fungeretur; nisi forte ad perbreve tempus unius vel duorum mensium." Decr. 40 (*Institutum* S. J. II 203).

[2] Vide supra p. 434.

Adest[a] modo Nuntius Apostolicus Portia, quia Viennam properat, ut porro Caesari adhaereat[1], mihique fatetur sibi necessarium uideri, ut circa Rhenum ex professo uersetur Nuntius aliquis[b] Apostolicus, si bene consuli debeat religioni, quae in discrimen maximum uenit. Vnde suadet etiam non imminui, sed augeri potius Coloniae operarios, ac praesertim P. Costerum in perturbatissimo illo religionis statu non facile inde dimouendum esse putat.

Scripsi *[etc., ut supra ep. 2008].*

Quoniam uero multum Abbati Fuldensi[2] debemus, et is magnas experiri angustias cogitur, ac priori loco aegre admodum restitui potest, mihi sane dignus uidetur, quem P. T. non modo literis amicis, sed etiam indictis nostrorum precibus utcumque in Domino consoletur. De afflictissimo Belgij statu, qui nostros etiam satis exercet, nihil dicam[3]. Dominus tot ac tantis aerumnis finem imponat, si quidem id populo sit salutare. Oret pro me Dominum P. T. quaeso, diuque in gubernanda societate supersit. Augustae 12 Aprilis 1578.

P. T. indignus filius
Petrus Canisius.

† Admodum Reuerendo in Christo Patri nostro, P. Euerardo Mercuriano, Societatis JESV Praeposito generali. Romae.

Sacchinus, cum de his Canisii litteris scribit (Can. 294—295), animi promptitudinem notat, qua ille, pontificis et praepositi generalis voluntate cognita, omnem novos contra Centuriatores libros edendi cogitationem abiciebat et totum se praepositi provincialis arbitrio permittebat. „Amisimus per haec haud dubie grauissimas de Petro disputationes, vnde omnium haeresum vno quasi ictu iugulum petebatur, Romanae Ecclesiae primatu constabilito. Ceterum obedientia haec ... videtur mihi monumentum, quodcumque stylo edere potuisset, admirabilius". Et *Dorigny* (l. c. 341): „Ceux qui sçavent l' amour qu' ont tous les sçavans pour les productions de leur esprit, jugeront mieux que personne du merite d' une si parfaite soûmission". Et *Riess* (l. c. 462): „Wir entbehren desshalb der dritten Abtheilung seines apologetischen Werkes, der Vertheidigung des Apostelfürsten Petrus und des Primates in der Kirche, welche in der ersten Ausarbeitung zum Abschlusse gebracht, noch vorhanden ist und wofür der Verfasser mannigfache weitere Beweismittel zu sammeln sich angeschickt hatte; allein dafür errichtete Canisius in dieser Unterwerfung seiner Neigungen und seines an sich durch die edelsten Motive begründeten Urtheils unter die Ansicht seines Provincials ein Denkmel seines Gehorsams" etc.

Quod autem Canisius in his litteris Balthasarem abbatem fuldensem Mercuriano commendavit, sane non frustra eum commendavit; *Mercurianus* enim Roma 26. Novembris 1578 Fuldam ad P. Petrum Loppersium *litteras dedit, quibus de abbate haec affirmabat: „Multum pro eo laborauimus, eiusque causam apud primarios uiros hic saepius egimus.... Scripsi ad P. Prouincialem quod idem etiam Reuerentiae V. scribo, magnopere me cupere ut nostri omnes et quibuscunque

a) *Sequitur* hic, *oblitt.* b) *Hoc v. a C. in margine additum est.*

[1] Vide supra p. 435.

[2] Balthasari a Dernbach O. S. B., qui Seligenstadii exulabat.

[3] Amstelodamenses 8. Februarii 1578 Calvinianis permiserunt, ut sacra apud se facerent. Ioannes Casimirus comes palatino-bipontinus ad sedicionem in Belgio fovendam se accingebat.

poterunt studijs illi inseruiant, et illum accurate ut nos hic pro uiribus facimus, Domino Deo commendent". Ad ipsum quoque abbatem *Mercurianus*, si non ante, certe Roma 2. Iunii 1579 et 11. Februarii 1580 amantissime *scripsit (ex commentariis: Rh. Inf. 1, I f. 14[a] 20[b] 26[a]).

Ipso hoc mense Aprili Canisius Augusta Landsbergam venit; ubi 18. Maii novam domum probationis consecravit et 21. Maii novicios cum eorum magistro et Hoffaeo provinciali Monachio profectos excepit; v. infra, monum. 1229.

Mercurianus Canisio respondit 9. Maii 1578.

2010. EVERARDUS MERCURIANUS praepositus generalis Societatis Iesu CANISIO. Roma 9. Maii 1578.

Ex commentario; in cuius capite eadem manu scriptum est: „Augusta P. Petro Canisio." Rh. Inf. 1, II f. 21[a]. Epistula usus est *Duhr*, Jes. an Fürstenh. 118.

Canisii contiones. Guilielmo principi contionator et confessarius conceduntur, nec vero, ut duo semper ei adsint, fieri potest. Volumina Mariana.

Binas accepimus Reuerentiae V. litteras alteras Lanshuti 22 Martij, alteras Augustae 12 Aprilis, in utrisque multa gratulanda, praesertim fructus quem Domino cooperante[1] suis se concionibus percepisse scribebat, de quo eidem Domino omnis honor et gloria[2].

De postulatis Principis Alberti[a][3] scribimus ad P. Prouincialem[4] in eandem pene sententiam quam et Reuerentia V. nempe concedendo illi concionatorem quanquam sine obligatione, et P. Dominicum[5] sic tamen ut ei et modus conuersandi, et tempus redeundi ad collegium praescribantur · ut autem duo semper e nostris illi assistant, non uisum est posse id per Constitutiones nostras fieri[6], iniungendo[b] Prouinciali[c], ut id optimo Principi renunciaret, et caussam afferret cur negemus: speramus enim facile illi pro[d] eius humanitate satisfactum iri: in quo aliquid et Reuerentia V. adiuuare poterit.

Volumina Mariana nondum Romam peruenere: audimus tamen Venetijs esse sed adhuc afferri non potuerunt, quod itinera quae dudum metus pestis clauserat, nondum omnino aperta sunt: sed tamen quoniam

a) *Sic; scribendum fuit* Guilielmi; *v. infra, adnot. 3.* b) *Sequitur* ad, *oblitt.* c) *Sequitur* scrip, *oblitt.* d) *Sequitur* sua, *oblitt.*

[1] Mc 16, 20. [2] Rom 16, 27; 1 Tim 1, 17; Apc 5, 13.

[3] Tria capita rerum, quas Guilielmus, Alberti V. Bavariae ducis filius natu maximus, a Societate petebat, vide supra p. 445—446 et (paullo brevius) infra, sub has litteras.

[4] Hoffaeum; vide, quae ex hac epistula sub ipsas has litteras ponentur.

[5] Menginum confessarium; v. supra p. 446.

[6] *S. Ignatius* in Societatis „Constitutionibus" praeceperat: Ne „primarios viros invisere Nostri consuescant, nisi sancto studio piorum operum ducerentur; vel quando intima benevolentia in Domino tam essent coniuncti, ut huiusmodi officium aliquoties eis deberi videretur": P. 6, c. 2, n. 9. Puto tamen, Mercurianum hac in re nomine „Constitutionum" decreta quoque congregationum generalium (quae Constitionum explicandarum, amplificandarum etc. causa feruntur et ipsa quoque legum vim habent) complexum, decretum illud congregationis secundae potissimum significare voluisse, quo cavebatur, ne Socii aulas principum, nisi forte ad perbreve tempus, ipsas sequerentur; quod decretum vide supra p. 447 [1].

haberi iam commercia coepere[a], cito deferentur · erunt autem ut speramus[b] grata omnibus, quod facile intelligi potuit ex hoc uno uolumine quod habemus, quod horum patrum omnium[c] deinceps manibus iam attritum est[d]. Reuerentia V. ualeat et pro nobis oret.

Romae 9.[no] Maij 1578.

*Litterae, quas *Mercurianus* in Canisii „pene sententiam" ad Hoffaeum provincialem se dare eidem Canisio scribit, Roma 7. Maii 1578 datae sunt. „Significauit", inquit ille, „nobis P. Canisius tria Principis Gulielmi postulata, primum ut quotannis Aduentus et Quadragesimae tempore aliquem e nostris concionatorem haberet, Deinde ut semper illi duo e nostris assisterent, quorum consilio iuuaretur in rebus spiritualibus: tertio ut P. Dominicus Monachij maneat ut coniugis suae confessiones excipiat. Qua etiam in re Consultorum sententias uidimus quas Reuerentiae V. iussu perscripserunt. Jtaque quod ad primum ac tertium attinet non magnopere dubitandum uidetur · quamquam quod ad concionatorem attinet etsi non poterit illi, quoties eum petierit, negari, non tamen censeo expedire, ut hoc ita certum ac perpetuum statuatur, quasi contractus et obligatio quaedam, ut nec nobis eiusmodi onus imponatur, et illi liberum sit cum libuerit aliquando mutare · itaque satis illi sit, id de quo dubitare non debet, quoties petierit semper illi praesto fore concionatorem. De P. autem Dominico, illud etiam commode cadet quod ea erit opportuua occasio ad eum ut Reuerentia V. cogitabat hoc praetextu a Rectoratu remouendum. Erit autem Reuerentiae V. leges ei illius mansionis praescribere, quomodo uel in aula uersari, uel quoties et quo tempore ad collegium redire, denique quid agere debeat. De secundo illo maior est difficultas, nam ut Reuerentiam V. non fugit, omnino id uetant Constitutiones nostrae, et ut illae non essent, certe usus ipse iam saepe nos docuit, quam id periculosum sit, cum multos iam uiderimus quos uitae genus illud paullatim a religiosa disciplina abductos ad exitium perduxit. Itaque non uideo sane quomodo id illi concedi possit: spero autem optimo principi et nostri amantissimo facile caussam nostram probari posse: atque ideo censeo ut Reuerentia V. illi haec diserte et candide aperiat utque illi persuadeat non modo id nostris ut dixi sed ne ipsius quidem rationibus expedire, quippe cum quo se melius in spiritu ac pietate conseruabit Societas eo maiores in eius populis fructus facere possit · non enim dubitamus quin ubi intelligat quantum ea nobis res incommodet, facile pro sua humanitate atque in nos beneuolentia cessurus sit, et suam uoluntatem ad Dei uoluntatem libenter accommodaturus" (ex comm.; Rh. Inf. 1, II f. 20[b]—21[a]).

Canisius Mercuriano respondit 18. Iunii 1578.

2011. CANISIUS **EVERARDO MERCURIANO** praeposito generali Societatis Iesu. Monachio (?) 18. Iunii 1578.

Mercurianus Roma 6. Augusti 1578 Canisio scribens has litteras commemorat ad easque respondet; quae iam non exstare videntur.

2012. P. PAULUS HOFFAEUS S. J. Germaniae superioris provincialis suo et CANISII nomine **EVERARDO MERCURIANO** praeposito generali Societatis Iesu. Monachio 26. Iunii 1578.

Ex autographo (2°; 1 p.; in p. 4 inscr. et pars sig.). Germ. 157 f. 44[a]—45[b].

Iuvenem commendant, ut in collegium germanicum admittatur.

a) *Sequitur* speramus, *oblitt.* b) *Sic corr. est ex* autem eadem *vel aliis vv.* c) *Sic corr. est ex* mani. d) *Sequitur* Do reliquo, *oblitt.*

†

Admodum Reuerende in Christo Pater

Pax Christi etc.

Jllustrissima Coniunx[1] Ducis Alberti hodierna die P. Canisium et me vocauit, et filium Praefecti Aulae[2] per nos isthic commendari cupiuit pro Collegio Germanico, et sicut intelligo, Jllustrissimus Dux Albertus eundem commendat eodem nomine P. D. Toleto[3]. Jgitur si P. V. hac in parte quid potest, si etiam D. Toletus (de quo hic nemo dubitat) aliquid poterit, quaeso ex optato et cito responso hic intelligant, commendationes isthic plurimum valuisse. Juuenem ego non noui, Nobilis est, 20. annorum, Canonicus Passauiensis, ingenio haud singulari, mediocri tamen, aliquid in humanioribus profecisse dicitur: quodque est optimum, aiunt Juuenem valde isthic esse cupere et polliceri omnem diligentiam et obedientiam. Tantundem vna mecum rogat P. Canisius. Ambos nos R. T. P. commendamus. Monachij 26. Junij 1578.

R. P. T.

indignus in Christo filius

Paulus Hoffaeus.

† Admodum Reuerendo in Christo Patri nostro, P. Euerardo [Mer]curiano Societatis Jesv [Prae]posito Generalj etc. Romae.

Hoffaeum provincialem Monachii fuisse 1. Iulii ibique mansisse minimum usque ad 12. Iulii, dein Landsbergae (ubi inter Maium et Augustum domum Societetis visitasse videtur) fuisse 1. et 9. Augusti, inde brevi post Halam (ad visitandum collegium) abisse, ibi 28. Augusti 1578 fuisse cognoscitur ex eius epistulis autographis diebus, quos dixi, ad Mercurianum datis (Germ. 157 f. 46 57—58 70 75—76 92). Canisium autem cum Hoffaeo fuisse certum est; nam is „socium provincialis“ agebat (v. supra p. 447) ideoque in visitationibus eum iuvabat.

In antiquissimo ***Catalogo* collegii germanici notatum est: „Jo. Vdalricus Ramungus Dioecesis Frisingensis annorum 22 missus a Duce Bavariae Casista uenit 6. Junii 1579. Discessit 18. Septembris 1581. Canonicus Cathed. Passaviensis“ (Cod. rom. „All. coll. germ.“ p. 73 n. 84).

Mercurianus Hoffaeo *respondit Roma 6. Augusti 1578: „Accepimus ternas a Reuerentia V. literas primas 26 Junij scriptas quibus Jo. Vdelricum commendabat pro Collegio Germanico, de quo iam cum P. Toleto loquuti sumus, remque ita disposuimus ut cum uenerit nullum sit dubium quin recipiatur: itaque cum erit commodum mitti poterit“ ... P. Toletus „non solum adhuc in palatio Pontificis habitat, sed apud illum in gratia est, ut cum maxime“ (ex comm.; Rh. Inf. 1, II f. 22ᵃ).

2013. EVERARDUS MERCURIANUS praepositus generalis Societatis Iesu CANISIO. Roma 6. Augusti 1578.

Ex commentario; in capite: „Monachij P. Petro Canisio.“ Rh. Inf. 1, II f. 22ᵃ. Epistula usus est *Duhr*, Jes. an Fürstenh. 118.

Volumina Mariana. Censura novorum librorum. P. Menginus. Liber ferrariensis. PP. Costerus et Thyraeus.

---

[1] Anna.

[2] Praefectus sive magister aulae („Haushofmeister“) Alberti V. tunc Monachii in arce nova („Neuveste“) Udalricus Ramung (Romung, Roming) erat (*Georg. Ferchl*, Bayerische Behörden und Beamte 1550—1804, München 1908—1910, 669—670).

[3] P. Francisco Toleto S. J.

Volumina Mariana, de quibus Reuerentia V. postremis litteris 18 Junij[a], ut antea etiam monuimus, Romam perlata sunt; nec solum perlata sed etiam iam ad unum cuncta[b] distracta · quare si Reuerentia V. ut ijsdem litteris significabat horum patrum iudicium pro secunda impressione quaerit, erit illi denuo mittendum unum aut alterum[c]. — —

De Germanicis autem libellis cum erunt imprimendi iudicare poterit P. Prouincialis, et P. Theodoricus, et Peltanus[1].

Quod autem consulit ut P. Dominicus[2] in Lotharingiam remittatur, placuit, et ideo nuntium aliquem mittemus aut scribemus[d] ad Prouincialem Galliae[3] ut alium mittat in eius locum.

De equite illo Ferrariensi libri illius autore, sic faciemus ut ad Rectorem nostrum[e] Ferrariensem[4] scribamus ut ipse suaui aliqua ratione uel ipse, uel per alium illum edoceat quomodo se habeat res: et propterea spero non amplius illum Reuerentiae V. molestum futurum: quare librum retinere poterit donec[f] aliud significetur[g].

De Colonia etiam bene et prudenter monet: sed quoniam P. Costerum nuper Prouincialem fecimus supplebit uicem eius P. Thyraeus quem propter talenta quae habet bene spero functurum officio. Nec est aliud quod scribam nisi ut me Reuerentiae V. precibus ac sacrificijs commendem · Romae 6.° Aug. 1578.

Mercurianus, quod in his litteris Canisio de Ioanne Benedicto equite ferrariensi (v. supra p. 440) promittit, praestitit in * epistula Roma 9. Augusti 1578 Ferrariam ad P. Ludovicum Chizzola collegii illius rectorem data; cuius extrema pars sic habet: „Non dirò altro se non che essendoci stato mandato da Germania l' incluso capitolo nel quale come uedrà uiene il parere del Padre Pietro Canisio sopra alcuni scritti di Filosofia che gli furono mandati à uedere da un certo caualliero del quale non sapendo noi il nome potrà essere che V. R. possa facilmente uenirne in cognitione et trouatolo gli dica con qualche miglior modo di quello che uiene scritto il parere del detto Padre accio pigli qualche risolutione sopra detti scritti" (ex apogr. eiusd. temp.; Ital. 70[a] f. 79[b]). „Capitulum" illud Romae iussu Mercuriani ex Canisii litteris 18. Iunii 1578 ad ipsum datis exscriptum esse videtur.

Canisius Mercuriano respondit 1. Octobris 1578.

2014. CANISIUS **EVERARDO MERCURIANO** praeposito generali Societatis Iesu. Oeniponte 1. Octobris 1578.

Ex autographo (2°; 3 pp.; in p. 4 inscr. manu P. Guilielmi Elderen S. J. scripta et particulae sig.). Germ. 183 f. 281[a]—282[b]. Particulam epistulae germanice vertit *Duhr,* Jes. I 688—689. Epistula copiose usus est *Sacchinus,* Can. 296—301; quem secuti sunt *Dorigny, Python, Riess* etc. Item hac epistula usi sunt *Boero,* Can. 367—369; *Michel* l. c. 358; *Kröss,* Can. 194—195.

a) *Sequitur* scribebat, *oblitt.* b) *Hoc v. supra versum scriptum est.* c) *Sequuntur 11 fere vv. tam obscure scripta, ut legi non possint; primum autem scriptum erat:* nec moleste ferre debet quod plura — *[verbum obscurum]* postulentur, nam hoc optimum signum est placuisse. d) *Ita correctum est ex* ideo quamprimum scribemus. e) *Hoc v. in margine additum est.* f) *Sequitur* nos; *quod a libr. delendum fuit; vide infra, adnot. g.* g) *Ita a libr. corr. est ex* significemus.

[1] PP. Paulus Hoffaeus, Theodoricus Canisius, Theodorus Peltanus; ceterum cf. supra p. 374 [2]. [2] Menginus.

[3] Significare videtur provinciam „Franciae"; cui tunc praeerat P. Claudius Matthaeus (Mathieu).

[4] P. Ludovicum Chizzola; vide, quae de hac re sub ipsas has litteras dicentur.

Praefatio editoris. Notum est, Societati Iesu multum negotium per longum tempus exhibuisse „confessarios principum". Ad gravissimam hanc causam spectat harum litterarum pars maxima. Quae ut recte intellegi possit, primum aliqua notentur oportet de duobus illis principum confessariis, quae huius Canisio tractationis proxima causa fuerunt.

1. Vivebat Halae in collegio Societatis P. Paulus Hetzcovaeus (cf. *Can.* IV 361 [2]), homo minime malus (cf. *Can.* VI 620 [3]), sed valetudinis valde infirmae et ingenii in tristitiam ignaviamque nonnihil inclinantis atque ideo ad vitam communem agendam minus idonei. Hunc Magdalena regina confessarium sibi delegerat; idem in collegio virginum a Magdalena condito aliarum quoque virginum confessiones excipiebat. Atque „cum Magdalena" — ita P. *Nicolaus Lanoius* S. J. ad Mercurianum rebus ipsius mandatu Halae inspectis Vindobona 10. Iunii 1577 *rettulit — „vna et altera ex sociabus eundem Hetzcouaeum mordicus confessarium retinent, et retinebunt quamdiu poterunt. Illae omnes cum sint piae et compassionis affectu teneriori tangantur, mirum non est, si suum patrem spiritualem mollius longe tractent, quam illius vocatio, conditione permittat"; quare „ut is porro viuat more nostri Jnstituti id est tenui et paupertati accommodato victu, videtur iam impossibile" (ex autogr.; Germ. 138 f. 376[a]). Quare reliquis Sociis ingratus ille erat; immo nonnunquam peius apud eos audiebat, quam par erat; ut cum ferebant, eum votis solvi et ex Societate dimitti velle; id quod falso dictum esse Lanoius rebus coram cognitis Mercuriano in litteris, quas modo dixi, testatus est; ubi etiam significavit, Hoffaeum provincialem eo in negotio „vehementius" quam prudentius se gerere, Jnterea non solum ipsius Hetzcovaei animus a Societate valde alienatus esse tradebatur, sed eius quoque vitio fieri putabant, ut Magdalena regina Sociis succenseret. Ita P. *Theodoricus Canisius* S. J. Dilinga 13. Aprilis 1578 Mercurianum *monebat: „His diebus Augustae fui, et vidi literas a Regina Halensi ad R. P. Prouincialem scriptas, acerbas sane illas et amarulentas. Argumentum literarum erat Confessarius ipsius Reginae. Videtur illa Confessarij instinctu tota contra Societatem inflammata, et per eum non de bonis, quae Dei gratia per nostros fiunt, sed de malis, quae per Apostatas et perfidos vbiuis patrata sunt, accuratissime instructa. Dolemus vicem pientissimae Reginae, quae nimium homini isti tribuit, in quo, patrum nostrorum iudicio, nec scintilla spiritus Societatis relucet. Dominus piam principem hac tentatione liberet, et Reuerendo P. prouinciali patientiam concedat." *Hoffaeus* Monachio 18. Aprilis 1578 eidem *scripsit: „Serpentem in sinu alimus.... Vtinam homo contentus esset discedere, libenter ex Halensi collegio dum aegrotabit, quotannis centum florenos impenderem si P. V. id probaret" (ex autographis; Germ. 156 f. 324[b] 328[a]). Neque tamen *Magdalena* Hetzcovaeo tribuebat tantum, ut a Societate animum omnino averteret: nam Hala 1. Maii 1578 ad Mercurianum *litteras dedit, quibus ei gratias agebat, quod ea, quae ipsa de domus mutatione petisset, sibi concessisset; de eadem mutatione litteras publicas, quas Mercurianus petisset, conscriptum iri; „dann jch dahin entschlossen, wo jch nur der Societet vil liebs · guets · vnnd alle befürderung zue jrer wolfart, erzaigen khindte, das jch solches in allem meinem vermögen gerrn thueen will" (ex archetypo, manu Magdalenae subscripto. Epp. Ext. 28 n. 140). Propterea *Mercurianus* per *litteras Roma 31. Mai 1578 Monachium missas Hoffaeo haec mandavit: Nobis „ita uisum est, ut Reuerentia V. aliquem deligeret ex ijs qui aliquam cum" Magdalena „familiaritatem habeant, et qui illi minime suspectus sit, atque is ... ei candide et syncere totum animum nostrum nostro nomine aperiat. Summa autem haec sit, ut patiatur sibi alium confessarium dari, quem ipsa uelit ex tota Societate. Persuadeat autem sibi nihil nos malle quam eius consolationem" etc. Eodem die *Mercurianus* ad ipsam Magdalenam *litteras dedit italicas, quibus eam certiorem faciebat: Illum, qui eas litteras ei afferret, a se iussum esse de causa illa suo nomine cum ipsa agere; petere igitur se ab ea ut illum clementer audiret (ex commentariis; Rh. Inf. 1, II f. 21[b]). Hala igitur 21. Septembris 1578 *Hoffaeus* ad Mercurianum haec *rettulit: „Meminit P. V. quae voluerit per alios vel etiam per me transigi cum Serenissima

Regina: ego ipse, cum quidam alij subterfugerent, rem in me suscepi, sicque Regina magis sibi placere testata est: quid de re petita sentiat, suis ipsa ad T. Paternitatem literis significat, quas Patrj Canisio latine reddendas tradidit seu potius dictauit". Hae *litterae Canisii manu scriptae et Magdalenae manu subscriptae sic habent: „† Reuerende ac spiritualis domine et pater. Reuerentiae tuae literas per dominum Prouintialem et uocalem eius explicationem R. T. nomine factam satis intellexi. Nouit autem Deus, quantopere res ea me contristauerit. Sciat autem R. T. quod ipsius petitioni consentire non possim, quando mihi certum est propositum, nulli alteri Confessario quam P. Paulo, quum superstes erit, me committendi et aperiendi. Nam ut maxime alterum eligerem, idem quod nunc incommodum, et peius fortasse accideret. Quod enim nunc experior, etiam ante P. Paulum initium habuit, et tantisper durauit, donec ijs qui sunt societatis huius, confiteor · quemadmodum plus quam semel, et satis quidem P. Prouintiali est a me commemoratum. Et[a] dicere non immerito posse uideor, quod excepto illo consensu nuper mihi concesso circa domus et horti permutationem, cuius rei gratia summas R. T. ago gratias, parum sane consolationis acceperim ab ipsa Societate, sed saepius crucem potius et tribulationem senserim. Quod si Dei et domini nostri gratia me non conseruasset, nescio quorsum eadem Societas me tandem adduxisset. Proinde per Dei charitatem, et quatenus corporis et animae meae salus R. T. curae est, eandem R. T. oro, praesertim quum res hucusque progressa sit, rogo inquam, ut uelit ipsa esse contenta illis, quae a P. Prouintiale explicabuntur, nimirum ut sicut ex animo desidero, cum quiete et tranquillitate dictae societati[b] breui illo tempore, quo in hac uita superstes ero, adhaerere possim, ne alioquin semel ex animi molestia uel perturbatione subita committam fortasse aliquid[c], cuius et me et societatem ipsam satis quidem poeniteat. Omnipotens Deus clementer in posterum, sicut hactenus, tale quiddam auertat, sicut ego ipsi Societati confido, quod me in posterum ne sic affligar, cauebit. Committo me interim R. T. ac totius Societatis precationibus. Datum Halae 16 Septemb. 1578. madalena" (Epp. Ext. 28 f. 148[a]). Magis autem singillatim *Hoffaeus* provincialis in epistula, quam modo dixi, Magdalenae desideria explicavit: „Minaciter egit et primum absurda petijt. Non enim solum respuit Confessarij permutationem, sed si hic ante se moriatur, insinuauit nullum se amplius a Societate petituram. Similiter vetuit hominem a votis absolui et dimitti: pro vtriusque causa infamiam et honorem suum proposuit. Nec solum petijt eum a Regularum obseruatione liberari, sed etiam ab obedientia omnium superiorum, vt vix Generalem exciperet. Petijt vt nunquam cogeretur ad votorum renouationem[1], aiebat enim ipsum a Societate alienum et sola corporis infirmitate impediri quo minus dimitti peteret ideoque votorum renouationem ei periculosam fore. Cumque dicerem, si res sic haberet, tutius esse ipsi hominj eiusque confessario, a votis absolui ipsum haesit perplexa. Tandem suas petitiones ad quandam mediocritatem reduxit, quam meo scripto A. significo, et quas confessarius alio scripto B. pro suo placito dilatauit: idque tam Regina quam confessarius eius fecit, vt res tota a P. V. decerneretur, sicut et ego vt fieret. petiui, nolo enim hic meam conscientiam amplius grauare". Ex *scripto autem quod „A" ab Hoffaeo vocatur, intellegitur, inter Magdalenam et Hoffaeum convenisse, ut (1)

a) *A Can. correctum ex* Vnde. b) *Sequitur* pauco, *a Can. oblitt.* c) *Sequitur* quis, *a Can. oblitt.*

[1] Hetzcovaeus nondum in numerum „professorum" vel „coadiutorum spiritualium formatorum" assumptus erat, sed simplicia illa Societatis vota nuncupaverat, quae „scholasticorum" dicuntur; atque ita ipse quidem in perpetuum Societati astrictus erat; haec tamen facilius eum dimittere poterat, iustis de causis eius vota solvendo (Constitutiones S. J., P. 2, c. 1 A; c. 2; P. 5, c. 4 B). Constituerat *S. Ignatius*, ut omnes, qui professi vel coadiutores formati non essent, bis singulis annis sua vota religiosa „renovarent", non ut novis se vinculis constringerent, sed „ad devotionis augmentum, et ad excitandam, qua Deo obstricti sunt, obligationis memoriam, et ad maiorem . . . in sua vocatione confirmationem" (P. 4, c. 4. n. 5).

Hetzcovaeus „a Regularum obseruatione liber esset“, (2) „tantum Generali“ et Hoffaeo „suoque confessario obediret“, (3) „quae sibi ad corporales necessitates necessaria futura essent absque scrupulo a Serenissima accipere“ posset, (4) ut „non nisi Collegij Superior tanquam confessarius, et quem superior ad eum mitteret, eum adiret“, (5) ut „aliquis fratrum hyeme, uel cum opus futurum esset tantum hypocaustum calefaceret, et cum decumberet ex morbi afflictione, ut hactenus, ita deinde ei seruiret, caetera Reginalis famulus faceret omnia“, (6) ut ipse „nihil amplius contra Societatem eiusque regulas, modos procedendi, personas etc. diceret vel faceret vnde merito infirmus frater offendi posset; (7) ut ipse „earum rerum confirmationem propter certiorem, et constantiorem animi sui quietem“ a „Generali peteret et expectaret, ne cum nouis subinde Superioribus veteres dolores, et nouas difficultates experiri necesse esset“. Cum haec Hoffaeus 19. Septembris 1578 cum *Hetzcovaeo* communicasset, is ei (scripto „B“) respondit: „Admodum Reuerende P. rogo ne grauetur legere ea quae hic scribo, aut enim breuitatem, qua paucis multa stringis, ignoro, uel quod facile solet accidere T. R. uel Regina, non omnia quae uolui complexi estis. 1 Vt a Regularum obseruatione liber sim, et reliquis ordinationibus domus, sufficit vnum pro 1000 exemplum, recitantur litaniae, non est regula; et tamen fui coactus meo damno interesse. — 2 Obediam Reuerendo Generali, T. R. et confessario meo, et si sit Rector, non ut est Rector, sed confessarius. — 3 Corporales necessitates accipere non habeo neque unquam habui scrupulum, uel ea etiam quae animum exhilarare, et melancholiam depellere possunt, sed peto ut habeam citra contradictionem cuiusquam. — 4 Congressus et confabulationes cupio euitare, et sufficiunt mihi ij quos T. R. posuit. — 5 Quinto ut aliquis sit in Collegio frater qui illud perficiat quod posuit R. T. omnino est necessarium, quia reginalis famulus mihi tam mane, et vesperi commode adesse non potest praesens, et dum calculo premor per suum hominem minime satisfieri potest. — 6 Vt cum Regina libere sit mihi in domino conuersatio sine Societatis detrimento uel cuiuspiam alterius, sicuti puto fuisse, in hunc vsque diem, cupio. — 7 Vt haec supra dicta mihi a Generale concedantur confirmentur non solum uiuente Regina, sed etiam (quod deus auertat) mortua humiliter peto. — 8 Nihil me moliturum sancte promitto contra Societatem. — 9 Tacebo de praeteritis, et in quacumque re potero Societatem, et hoc Collegium domino dante libenter iuuabo. De bonitate V. T. non dubito quicquam, nempe qui mihi penitus persuadeo, quod haec omnia non nisi necessitate compellente existimem me petere, et ut diu desiderata quiete et pace tandem perfrui liceat. — 10 Vota non nisi semel renouare hocque tempore visitationis. — 11 A Visitatione liber, intelligendo rigorosa et exquisita in inquisitionibus, informationibus, examinibus, concilijs etc. — 12 Nullus superueniens visitator in me habeat quicquam iuris, sed si quid P. Generalis uelit a T. Reuerentia mecum transigat“ (ex apographis eiusd. temp.; Germ. 163 f. 351).

Ad haec *Hoffaeus* in epistula ad Mercurianum, quam supra dixi, haec notavit: „Ad singulas petitiones dicam quid mihi in Domino videatur. Jn re desperata hoc tempore puto ea esse amplectenda, quae habent minus mali et periculj. Jgitur rebus ita stantibus, permitterem quod petit primo loco et etiam secundo quo ad obedientiam generalis ac Confessarij. Jtem tertium, modo exhilarationes sint honestae et collegio non molestae. Quarta, et quinta meae potius sunt petitiones, quam ipsius: etenim fratribus interdicam eius congressu sub praetextu valetudinis, et nolim aliquem fratrem circa ipsum in pluribus occupari, probo magis vt Reginalis famulus fere omnia faciat, quem tamen exigat P. Vestra esse modestissimum. Quod ego sexto et ipse 8. et 9. loco dixit, idem ego exegi. Quod ipse vero sexto loco petit, hac condicione concedendum puto, vt Reginales aures v[t] hactenus non oppleat querelis contra societatem et narrationibus scandalosis quibus, nisi fallor, effecit Reginam multo quam erat ante, aliam. Quod petjt septimo loco ipse in suo scripto, non puto esse a P. T. confirmandum vltra vitam Reginae: sed dici posset, si Hetzcouaeus in vita Reginae se gesserit vt decet et tam infirma valetudine manserit non esse cur minus a Societate speret defuncta Regina, quam ipsa viuente:

arbitror enim tam ipsum quam Reginam esse continendos intra limites iusti timoris. Decima, vndecima et vltima eius petitiones reducuntur ad primam et secundam. Jnter caetera dixit mihi hic confessarius haec verba, vbi conualuero, tunc me resoluam an me plane integrae obedientiae submittere velim, an aliam vitam, scilicet extra Societatem, amplecti. Ex his omnibus facile P. V. intelliget quam firma fundamenta suae vocationis hic homo habeat. V. P. videat quid consulendum sit Confessario, qui huius hominis conscientiam habebit gubernare. Mitto, vt dixi, eius scriptum, quod cupio remitti" (ex autogr., Germ. 157 f. 105).

2. Guilielmo Bavariae principi et Renatae eius uxori a sacris confessionibus erat, ut iam dictum est (v. supra p. 446), P. Dominicus Menginus S. J. Hunc bonum, constantem, prudentem, haud indoctum, de Societate optime meritum esse Hoffaeus provincialis a. 1570 testatus erat (*Duhr,* Jes. an Fürstenh. 114). Collegio monacensi Menginus praeerat ab a. 1564 idque primum cum satisfactione Hoffaei (*Duhr* l. c. 112), postea autem ita, ut ille eum officio movendum esse censeret; id quod sub aestatem a. 1578 factum est P. Ferdinando Alber vicerectore per Hoffaeum instituto. *Hoffaeus* autem, pro more suo res exasperans (v. supra p. 429), Landsberga 9. Augusti 1578 ad Mercurianum scripsit: „Cum primum P. Domjnicus Rectoratu exutus est, adeo coepit ociari, omnia domi nauseare, pigere, taedere, simul etiam corpore pinguescere et somno deditus esse, vt si ita pergat, porcinam potius quam religiosam vitam agere videatur: nulla illi sapit disciplina, ad aulas anhelat, vbi nescio quanta cum aedificatione ocietur. Si ei socios adiungo, quid ni corrumpentur? Nobis nulla suppetunt consilia hominem iuuandi: interim principes et maxime ambae Duxissae [1] illum, vt Jdolum, colunt, et contristari hominem nolunt. Prorsus hic sum inops consilij: donatus est a P. V. in Confessarium Duci Gulielmo. et coniugi: huius donationis habent literas ex vrbe [2]: deinde si post rectoratum tam cito ex aulis eripiatur, existimabit Dux, astute nos egisse, dum ei significatum est, vnam causam esse, cur Rectoris officio priuaretur, vt Principibus commodius posset seruire. Huc accedit, quod Dux Gulielmus (qui olfecit Dominicum a Collegij disciplina et inhabitatione abhorrere) optet ipsum. eius Dominicj consolandj causa, magnam anni partem secum in arce Lanshutana habitare [3]. Vnicum hoc consilium mihi occurrebat, vt si Lanshuta, sicut nuper, tardius in Collegium redeat, mittam P. Canisium, quem Dux veneratur [a] qui Ducem Gulielmum conetur capacem alicuius mutationis reddere, addam ego quoque meas literas; sique sic effecero quod volo, insperatum est lucrum: si nil effecero, nostram conscientiam libero. Quicquid sit, non expedit illi socium adiungere, quem habere nolit, et quem habere velit: nulloque modo expedit ipsum in Monachiensi Collegio versari propter scandala. Audio isthic tractari nescio quid in causa Ducis Ernesti, qui Patrj Dominico est notissimus: quid si procurante P. Toleto vel D. Andrea [4], efficeretur vt P. Dominicus a Duce Alberto vel Ernesto isthuc nescio cuius informationis causa, pontifici danda, vel Ducem Ernestum etiam commendando, mitteretur? Esset tamen cum D. Andrea caute agendum, quo ad modum, nam ex eo omnia sciet P. Dominicus, cum sint magni amicj. Quicquid sit, non velim vt P. V. Duci Gulielmo faceret potestatem loco Dominicj eligendi quem vellet: opto potius nullum esse ex nostris cui Princeps confiteatur. Denique quid hac in re P. V. me facere velit, facile monebit.... Ad nullam gubernationem aptus est P. Dominicus omnium iudicio: ac vtinam nunquam fuisset Rector. Si alibi esset, iuuari posset, alioquin vt videtur, bonus vir est, et in temporalibus bene de nobis meritus (ex autogr.; Germ. 157 f. 75[b]).

a) *Sequitur sententia ($1^1/_3$ versuum) uncis inclusa et ita oblitterata, ut iam legi non possit.*

[1] Anna, uxor Alberti ac soror Magdalenae archiducissae, et Renata, uxor Guilielmi.

[2] Harum litterarum, 4. Augusti 1573 a Mercuriano ad Guilielmum datarum, partem posuit *Duhr,* Jes. an Fürstenh. 115 [4].

[3] Arcem „Trausnitz" significare videtur, quae urbi landishutanae imminet.

[4] Fabricio, Alberti V. in curia romano procuratore; cf. supra p. 83 316.

Mercurianus has litteras nondum acceperat, cum Hoffaeo Roma 9. Septembris 1578 *scripsit: „Venit istuc P. Nicolaus Lemburgius [1] ut Ducissae confessarius sit loco P. Dominici, quem quoniam in Austriam mittere decreuimus poterit cum alijs tribus in uiam se statim dare.“ Accepta vero Hoffaei epistula eidem Roma 12. Septembris 1578 *rescripsit: P. Menginum „Romam ... potius euocare cogitamus ut eo commodius si quem ex locis istis contraxit morbum, ei mederi ualeamus. Quare quoniam prudenter a Reuerentia V. missus est ad Ducem P. Canisius, cupimus scire ecquid ille effecerit: ac si uel is aliquid obtinuerit, uel P. Menghinus facile possit adduci ut ueniat, Reuerentia V. mittere illum ad nos poterit: sin ille se difficiliorem praebeat nos admoneat, ut cogitemus qua illum ratione reuocemus“ (ex commentariis; Rh. Inf. 1, II f. 23ª). At Mercuriano *Hoffaeus* Hala 21. Septembris 1578 *scripsit: Accepi „a Duce Gulielmo Bauariae literas, qui acerbe conqueritur, quod suum Confessarium Dominicum exuerim dignitate Rectorali, et instinctu P. Dominicj petit, vt illum faciam Regentem Conuictorum Monachij [2], quod nisi fecero, velle Dominicum in aliam Prouintiam ire, cuius abitus si ego caussa fuero, minatur haud profuturum. Pluribus literis idem a me petijt P. Dominicus, vt Regens esset. Jnsinuat etiam Princeps, quod malit Dominicum perpetuo in Aula esse quam in Collegio subesse. Hanc molestam mihi Camerinam mouet P. Dominicus. Ego quid facerem? Homo nihil valet ad gubernandum: Misi ergo heri P. Canisium Monachium ad Principem, vt eum melioris rationis capacem redderet: quod si non posset, relinqueret omnia Principis arbitrio vt vel Dominicum semper in aula retineret, re transacta cum V. P. vel Regentem Conuictorum institueret, vel Mossipontum abire sineret, vel sine nomine Superioris in Domo conuictorum habitare permitteret, exemptum ab obedientia Rectoris. Nullo enim modo puto expedire vt hic homo conuersetur inter fratres in Collegio: puto etiam non esse exacerbandum bonum Principem, cuius erit post patrem tota haereditas: est tamen nobis magis metuendum a coniuge eius et Matre quas nactus est P. Dominicus aptissimas procuratrices. Cum igitur Prouintiales et Rectores nihil possint citra indignationem principum de aulicis confessarijs disponere: cumque Principibus si quid pro sensualitate suorum confessariorum petunt, Superiores negare nihil audeant, sed videantur Superiores huiusmodj confessariorum reipsa esse mancipia et ministri sensualitatis ipsorum, nomine vero tantum ipsorum superiores, iccirco P. V. propter Christum rogo, vt hos confessarios eximat ab omnj obedientia Prouintialis et Rectorum nostrasque conscientias ab illorum cura liberet: sic enim conqueri non poterunt principes, suos confessarios a Superioribus molestari: sic quietiora erunt nostra collegia; sic etiam sperandum

[1] Hic in Codicis, quo „Societatis Vniuersae Status et numerus sub finem anni M. D. LX·XIIIJ“ describitur, *Indice alphabetico saeculo XVI. vel XVII. scripto (Hist. Soc. 41 f. 65ª) „Nicolaus Limbergius Gallus“, in *Catalogo vero provinciae Franciae anni 1574, quem idem Codex habet, „P. Nicolaus Lotharingus Gallus“ vocatur: in quo Catalogo is in numero Sociorum collegii „burdegalensis“ (Bordeaux) positus est (l. c. p. 308). Neque scio an hic Nicolaus sit idem atque ille, qui alias „Nicolaus Paradensis Lietard“ (Epistolae PP. *Broëti* etc., Matriti 1903, 177 188 192), alias „Nicolaus Paradensis“ sive „Paredensis“ (*Lainii* Monumenta I, Matriti 1912, 360; II, Matriti 1912, 149 460; III, Matriti 1913, 221; *Io. Alph. de Polanco* S. J., Vita Ignatii Loiolae et Rerum Societatis Iesu Historia III, Matriti 1895, 170; VI, Matriti 1898, 493), alias „Nicolaus Lotharingius“ (*Litterae* quadrimestres IV, Matriti 1897, 540) vocatur; hic a 1552 Vindobonae grammaticam latinam tradidit, a. 1553 Neapoli sacerdotio initiatus est, a. 1556 unus ex primis Sociis collegii billomensis (Billom) fuit, a. 1561 Romam missus est (*Duhr*, Jes. I 48; *Fouqueray* l. c. I 185: Epistolae *Broëti* 192).

[2] Monachii die Dedicationis S. Michaelis Archangeli sive 29. Septembris 1578 novam „domum Convictorum“ cum nomine „Collegii S. Michaelis“ apertam esse et P. Michaelem Maiium S. J. primum eius „regentem“ fuisse refert P. *Iacobus Canisius* S. J. in *Michaelio (de quo plura infra, monum. 1213), in a. 1578, f. non sign.

est hos confessarios, si suae relinquantur voluntati et libertati, quam vsque adeo affectant, rectius sibi cauebunt, et si male agent, in ipsos tantummodo redundabit. Deinde non erit difficile Paternitati V. reperire modos cauendj ne huiusmodj exempti pacem et ordinem Collegiorum perturbent" (ex autogr.; Germ. 157 f. 105b—106a).

Magdalenam archiducissam causam confessarii „mordicus" tenere. Guilielmo Bavariae principi, ut in causa confessarii Societatis disciplinae consuleret, persuasum. Privilegia. Socii aulis arcendi. Kleselius. Kratzerus. Stevordianus. Socii ex Belgio mittendi. Castagna pontificis legatus.

† Pax JESV nobis aeterna, admodum Reuerende Pater.

Sexto mensis Augusti ad me datas accepi, unde ob allata tandem Mariani operis exempla, quae tamdiu Venetijs haeserunt, gaudeo, facturus etiam quod Ferrariensis eques ille, cuius manuscriptum librum asseruo, postulauerit, praesertim si remitti ad se uelit exemplar[1].

Ex Patris nostri Prouintialis[2] literis non erit isthic obscurum, quale certamen cum Regina Magdalena nuper habuerit iterum Halae, immo et eiusdem Reginae scriptum, quod ipsa dictante manu mea fuit exceptum, muliebrem huius et commotum animum plus satis ostendit. Jnuitus quidem hanc in excipiendo illi operam dedi, quum P. Prouintialis hortator accederet, eoque magis Reginae uicem doleo, quod causam Confessarij[3] mordicus tuendam susceperit, neque ab illo auelli se patiatur, nullum salutaribus consilijs locum tribuens, quae P. T. nomine haud semel illi explicata fuerunt. Quare illam in suo sensu abundare[4] sinamus, parum etiam commercij cum huius Confessario habituri, quem tamen propter illam in hoc statu ferri, et inter nostros numerari oportere molestum est P. Prouintiali, ut suis ipse literis indicauerit[a].

Idem his diebus me destinauit Monachium, ut Principi Guilhelmo de causa sui Confessarij P. Dominici Mengini coram responderem. Querelas enim ad eundem Patrem scripserat ob id, quod Confessarius a Rectoratu amotus in luctu uiueret, neque magis respiceretur, et[b] idcirco ex hac prouintia discessum meditaretur. Aspera erat satis epistola et quoddammodo expostulatoria, quae utinam suasu Confessarij conscripta et missa non sit a Principe. Is me clementer audiuit, quum rationem redderem de mutato Rectore Monachij, et factum tandem probauit, suumque Confessarinm ad hoc munus obeundum haud satis aptum esse cognouit. Adiunxi non conuenire nostris ipsique Rectori, ut simul toties ad absentis Principis aulam[5] diuerteret, et collegij curam sustineret, magnaque inde hactenus incommoda consequi. Tum quibus de causis eiusmodi Confessarius tandiu uersaretur, et saepius occuparetur in aula, id neque ipsi, nec socio, nec externis et aulicis ipsis frugiferum esse monstraui, adeoque rem cum instituti

a) *Quae sequuntur, usque ad* Jtaque cum eodem Confesasario *excl., manu romana eiusdem temporis linea signata sunt.* b) *Sic C. correxit ex* ac.

[1] Vide supra p. 452. [2] Pauli Hoffaei. [3] P. Pauli Hetzcovaei.
[4] Rom 14, 5. [5] Landishutum; v. supra p. 456.

nostri more ac disciplina pugnare[1] asserui. Et in his meam ille probauit sententiam, praesertim quum nostros in sua et collegiali disciplina relinquendos dicerem, nisi magnum aliquod malum societati creare uellemus. Tandem hoc postulauit, ut placaremus Confessarium, quem sibi et vxori subinde paratum, et in Bauaria quiete morantem cernere cuperet, se non repugnare, quominus una cum alijs in collegio degeret. Jtaque cum eodem Confessario mihi tractandum fuit, qui vt Regens institueretur in seminario Monachiensi, ut antea saepe, ita tunc etiam desiderauit, et alias etiam exemptiones, ne Rectori nouo[2] subesset aliorum more, libere satis expetijt. Ego leniter excepi hominem, et Principi tamen persuasi, non conuenire Confessarij humeris munus onusque Regentis; de alijs uero priuilegijs me in reditu acturum una cum P. Prouintiale dixi. Quare cum bona Principis et Confessarij gratia redij Halam, et cum P. Prouintiale contuli omnia, quae perscribere longum foret. Prouintialis haud dubie magni facit hunc Principem, eumque[a] molliter tractandum putat in hoc negotio, ne illius animum a se et nostris abalienet, praesertim quod Confessarium eiusque artes vereatur[b]. Scripsit igitur Confessario multa illi largiens priuilegia[c], et ex Rectoris potestate illum exemit, etsi iam antea nimiam ille sibi sumeret libertatem, ac parum religiosum sese monstraret, nimium sane ociosus atque delicatus, et[d] qui[e] ad religiosam simplicitatem aegre adduci posse uideatur[f]. Faxit Christus, ut non magnum aliquod malum ex aulicis eiusmodi Confessarijs accipiamus, qui in peius proficere[3] solent, et in collegijs quaerunt licentiam, neque solum onerosi molestique superioribus, sed et paulatim nostris intolerabiles fiunt, praesertim quum se gratos in aula sentiunt, ubi facile patronos faciunt licentiae suae contra superiores. Jtaque ut multis exemplis didicimus, ex arbitrio Principum magis quam superiorum pendent, et spiritu societatis uacui, humanis affectibus reguntur et regunt aulicos, in quorum animis parum sane operae precium faciunt, in se ipsis uero de religiosa uita remittunt plurimum, aulicosque mores induunt et inducunt, alijsque suam affricant scabiem perniciose.

Quocirca per sanctum JESV nomen oro, et P. T. obsecro, ut aduersus praesentia, multoque magis futura incommoda et scandala, quae ob aulicos Confessarios maxime nobis metuenda uidentur, huic nostrae societati mature succurrat. Vereor sane haud parum grauari superiorum conscientias, quum per ineptos, atque ut sic dicam, irregulares homines male curantur Principes, quorum in Germania plurimae et maximae sunt difficultates et aegritudines, ut ijs probe consulere apteque me-

a) *Sequitur* le, *oblitt.* b) *Sequuntur vv.* si is pergat utriusque Principis, id est, uiri et vxoris animum aduersus nos concitare, *ab ipso C. (ut videntur) oblitterata.* c) *A C. corr. ex* priuelegia. d) *Hoc v. in margine additum est.* e) *Hoc v. supra versum scriptum est; antecedunt vv.* et qui unum et alterum e nostris in aulicam illam uitam induxisset, *ab ipso C. oblitt.* f) *A C. corr. ex* uideantur. *Quae sequuntur, usque ad* male curantur Principes *excl. signata sunt, ut supra, p. 458*[a].

[1] Vide supra p. 449[6]. [2] Vicerector (deinde rector) erat P. Ferdinandus Alber.
[3] 2 Tim 3, 13.

deri uix doctissimi et sapientissimi Confessarij possint. Non de Caesare et Archiduce Carolo iam ago: utriusque Confessarium non iudico[1], etsi externum alium esse quibusdam de causis magis[a] optarim. De nostrae prouintiae confessarijs loquor, quos in posterum nulli principum facile concedi summopere cupio, tum ne magnatibus istis seruitutem seruire cogamur, quantumuis nostram in Christo libertatem[2] oppugnent: tum ne nostros his laqueis et uinculis exponamus, a quibus nunc quosdam adeo premi, et uix sine scandalo opprimi cernimus. Certe Alberto principe moriente, et filio eius succedente intollerabile onus fore puto, si e[b] nostris illi Confessarium assignemus: tot tantaque pericula ex parte Ecclesiarum, monasteriorum[c], Consiliariorum in Ducatus huius gubernatione offerunt sese, quemadmodum exemplis uarijs facile posset euinci.

Precor autem supplex P. T. ut hanc meam in scribendo audaciam non male consulat: medico enim aperire morbum uolui, et meum explicare scrupulum debui, quod verear, ne satan per istiusmodi Confessarios in Germania hoc nostrum institutum uehementer oppugnet, ac graues aliquando motus excitet, si Confessarij ipsi munere suo rite debiteque fungantur, praesertim in summa hac rerum sacrarum et profanarum confusione[d], ubi iurisdictio Ecclesiastica clam palam ab ipsis etiam Catholicis miris modis uiolatur.

De nostris apostatis obiter dicam, per quos humiliat et probat nos Deus[3], simulque admonet, ut pro fratribus non modo stantibus, sed et lapsis[4] petamus et quaeramus gratiam. Archidux hoc loco sibi concionatorem, immo et Confessarium[5] illum asciuit Klesselium, qui ante paucos annos Oeniponti factus est profugus, atque a fide Catholica desciuit, cui tamen postea restitutus fuit[6]. Non ita pridem Kratzerus[7] quidam nostros deseruit Viennenses, et primum Augustam, deinde Vlmam[e] se contulit, ut in cathedra pestilentiae sederet[8]

a) *Hoc v. a C. supra versum scriptum est.* b) *Hoc v. supra versum scriptum est.* c) *Sequuntur vv.* et totius *vel similia, oblitt.* d) *Sequitur* et, *oblitt.* e) *Sequitur* ad, *oblitt.*

[1] Rudolphi II. imperatoris confessarius tunc erat P. Laurentius Magius provinciae austriacae praepositus. Carolus (II) archidux et Magdalenae archiducissae frater, qui Stiriae, Carinthiae, Carniolae etc. princeps erat, cum Maria coniuge, quae Guilielmi Bavariae principis soror erat, confessarium delegerat P. Henricum Blyssemium collegii graecensis rectorem; uterque confessarius munere probe prudenterque fungebatur (*Sacchinus*, Hist. IV l. 6, n. 77—79; *Duhr*, Jes. I 697—698; 706 ad 708; Jes. an Fürstenh. 18—20 26—29).

[2] Cf. Gal 2, 4. [3] 2 Cor 12, 21; Ps. 65, 10; Eccle 3, 18; Zach 13. 9 etc.

[4] Cf. 1 Cor 10, 12; Rom 5, 2; 11, 20; Gal 5, 1; 1 Thess 3, 8 etc.

[5] Antea per multos annos Ioannes de Cavaleriis Ferdinandi II. confessarius fuerat (*Hirn* l. c. II 368).

[6] De P. Antonio Klesel a. 1569 Oeniponte misere lapso et a. 1570 ecclesiae reconciliato neque tamen in Societatem iterum admisso v. *Can.* VI 357—360 621.

[7] Caspar Kratzer a. 1546 Ulmae natus, 22. Februarii 1578 diaconatus ordine intiatus, 4. Maii 1578 ex collegio vindobonensi aufugerat (*Duhr*, Jes. I 546).

[8] Ps 1, 1.

apostata · numerumque Lutheranorum ministrorum augeret. Benedictus Deus, cuius mirabili iudicio factum est, ut ab ipsis etiam haereticis nouus hic apostata reijceretur, et[a] saepe quidem Vlmae passus est repulsam, quum ad inferiorem etiam conditionem uellet descendere. Tum e nostris ante fuit, qui nunc Dilingae pastorem agit[1], ut coeteros eiusdem farinae homines praeteream, quibus mentem saniorem praebeat Christus. Optarim certe Germanos aliquos e nostris alibi, ubi extra corruptae patriae conspectum uiuerent, collocari, et consultum putarem, ex Belgis iam exulantibus[2] nonnullos in hanc migrare prouintiam, ut nostris collegijs suppetias ferrent. Sunt illi sane quam Germani, tum in fidei rebus, tum in laborandi sedulitate firmiores. Propitius autem sit Belgio Deus, priusquam Caluinianum uirus altius imbibat, quod iam late spargi dolemus[3]. Oret pro nobis et afflictis Belgis P. T. simulque me R.[b] R. Patribus Assistentibus et P. Natali commendare dignetur. Oeniponti Kal. Octobris 1578.

P. T.

Jndignus filius
Petrùs Canisius.

Gratulamur collegio Germanico, cui noua et ingens ad dotationem facta est accessio ex morte Card. Vrbinatis[4], sicut nobis retulit Archiepiscopus Rossanensis, hinc properans ad designatos in Belgicis tumultibus componendis Principes[5]. Petit autem nostris literis commendari Rhenensibus Patribus.

† Admodum Reuerendo in Christo Patri Euerardo Mercuriano, Societatis JESv Praeposito Generalj etc. Romae.

Ex huius epistulae „Postscripto" intellegitur, tunc Oeniponte versatum et cum Canisio collocutum esse Ioannem Baptistam Castagna (1521—1590) archiepiscopum rossanensem (qui postea Urbanus VII. papa fuit). Huius itineris haec erat causa:

a) *A C. corr. ex* ut. b) *Hoc supra versum scriptum est.*

[1] Martinus Stevordianus, quia disciplinae impatiens erat et imprimis gulae nimium indulgebat, tandem a. 1573 ab Hoffaeo provinciali votis solutus et ex Societate dimissus est, neque umquam, etsi plurimum instabat, in eam iterum est admissus; qui tamen usque ad mortem in Societatem benevolum beneficumque se praebuit (*Can.* IV 732; *Duhr*, Jes. I 550—551; Jes. an Fürstenh. 110—111).

[2] Anno 1578 Socii a Calvinianis Antverpia, Brugis, Duaco, Mosaetraiecto, Tornaco expulsi sunt (*Sacchinus*, Hist. IV, l. 6, n. 113 136—146; Imago primi saeculi Societatis Iesu, a *Provincia flandrobelgica* eiusdem Societatis repraesentata, Antverpiae 1640, 836—840).

[3] Calviniani, Guilielmi principis Arausiaci auctoritate freti, a Matthia archiduce, qui Belgium tunc administrabat, edictum extorserant, quo „reformatae" religionis exercitium permittebatur. Qua libertate et Amstelodami et aliis locis ad templa catholica vi occupanda, sacerdotes expellendos, ritus ecclesiae abolendos utebantur (*Theiner*, Ann. II, in a. 1578 n. LXXV LXXX; *Habets* l. c. 142—143).

[4] Iulio cardinali della Rovere episcopo urbinate et abbate commendatario monasterii S. Crucis Fontis Avellanensis (congregationis benedictinae Avellanitarum) mortuo Gregorius XIII. a. 1578 monasterii illius reditus, qui 6 milibus ducatum aestimabantur, collegio germanico attribuit (*Steinhuber* l. c. I[2] 121—122).

[5] Vide, quae sub ipsas has litteras notabuntur.

Rudolphus II. imperator constituit, ut motuum belgicorum componendorum gratia principes electores ecclesiastici treverensis et coloniensis (Iacobus ab Elz et Ioannes Gebhardus a Truchsess) ac, si fieri posset, moguntinus quoque (Daniel Brendel) cum Iulio Echter episcopo principe herbipolensi et Henrico a Bubenhausen ordinis teutonici magno magistro congregarentur; ad haec consilia adiuvanda Gregorius XIII. Castaneum in Germaniam legavit (*Hansen*, Nunt. II 218—224). *Castagna* igitur cum 29. Septembris Oenipontem advenisset, cum cardinali Ptolemaeo Gallio pontificis secretario maiore haec, praeter alia, communicavit Oeniponte 30. Septembris 1578: „Qui si tiene il negotio di Fiandra come per desperato, massime circa la Religione, così mi dicano il Padre Canisio et il Rettore della Compagnia del Giesù [1], che sono in questa terra“. Et Oeniponte 4. Octobris 1578: „Ho parlato già più uolte con il Serenissimo Arciduca . . .; in effetto non hà certezza di quel che faccino gl' Elettori, ne in che luogo si habbino à congregare; ne del tempo; ne di altro appartenente à questo, se ben' và giudicando, che già possino essere congregati, ò almeno che habbino mandati huomini, et Agenti per risoluere trà di loro circa il luogo del convento, per hauer di poi da concertare sopra ciò ancora con li stati di Fiandra, essendo uerisimile che questi vorranno discostarsi poco da casa loro, et all' incontro quelli desiderino che 'l trattato si faccia più uicino à Fiandra che sia possibile; ma tutto questo è per discorso, et non per scientia. Questo giudicio, non solo di S. A., ma ancora del Padre Provinciale de Gesuiti, et del Padre Canisio, che è qui, li quali credeno non esserui molto tempo, mi hà fermato, altrimente; con tutta la mia debilità mi sarei forsi messo in Barca sin' a Vienna, et di là andato à Praga“ (ex epistulis archetypis, quae sunt in archivo vaticano, „Nunziatura di Germania 97“ f. 104 [114] 116; epistulas ex iisdem archetypis edidit *Hansen*, Nunt. II 224—227).

Ceterum ex hac Canisii epistula cognoscitur, lapsos esse *Dorigny* (l. c. 347): et *Petr. Python* S. J. (Vita R. P. Petri Canisii, Monachii 1710, 293), cum affirmarent, Canisium a Mercuriano praeposito generali iussum esse Guilielmum Bavariae principem adire cum eoque de confessario ipsius agere; Canisius missus est ab Hoffaeo praeposito provinciali. Etiam magis erravit *Python* (l. c. 296), cum scriberet, Guilielmum a Canisio eo adductum esse, ut „adimi sibi Confessarium pateretur“. Similiter *Daurignac* (l. c. 351): „Le Père Mängin partit pour Rome, un autre Père le remplaça auprès des princes“. Item *Longarus degli Oddi* S. J. (Vita del Venerabil Servo di Dio il Padre Pietro Canisio, Napoli 1755, 218—221) labitur, cum existimat, Canisium, quae a Guilielmo petebat, paene nullo negotio impetrasse; diu enim multumque in eo negotio Sociis sudandum fuisse patebit ex litteris quae infra ponentur.

Mercurianus Canisio respondit 29. Octobris 1578.

2015. CANISIUS **P. ALPHONSO SALMERONI S. J.**

Oeniponte 10. Octobris 1578.

Ex „Epistolis P. *Alphonsi Salmeronis*“ etc. II 681—683, in quas hae litterae transcriptae sunt (A) ex operum *Salmeronis* editione principe, Tom. XVI (v. supra p. 39) p. 540. Eaedem litterae exstant (B) in eorundem operum Tom. XVI. Coloniae 1615 edito (v. supra p. 39) p. 421.

Salmeronis opera. Opus Marianum a Salmerone castigandum. Canisius scriptione liberatus. Sociorum virtus. Miseriae germanicae.

Pax[a] Jesu nobis aeterna, plurimum obseruande Pater.

Venervnt huc nuper ex Vrbe Patres, et quod nobis auditu periucundum fuit, de R. T. incolumi valetudine, et libris eius in lucem

a) *In B huic verbo haec sunt praeposita:* Admodum R. in Christo P. Alphonso Salmeroni Petrus Canisius S. D. *A recentibus vero editoribus matritensibus hoc exordium omissum est, idque, puto, merito; neque enim Canisius familiares ad Socios epistulas tam sollemniter exordiri solebat.*

[1] P. Ioannes Rabenstein; sed fortasse Castaneus significare volebat P. Paulum Hoffaeum, de quo aliquot diebus post scripsit.

edendis[1] nuntiarunt. Quare bonorum autori Deo non possumus non gratias agere, qui hanc R. T. senectam adeo firmam vegetamque conseruat, et pios eius in lucubrando conatus ita prosperat, nihil vt dubitemus fore, quin[a] iam diu desiderata eius opera cum huic nostrae Societati, tum vniuersae Christi Ecclesiae magnum et decus et commodum allatura sint.

Caeterum, vt laudanda est prudentia tua, quae posteritati victura scripta nonum premit in annum[2], nihilque nisi elaboratum statuit euulgare: ita vicissim ego stultitiae et leuitatis merito accusari possum, qui more Germanorum scriptorum partus tam immaturos et foetus informes in meis libris ostendo. Exemplo sit optima sanctissimaque Virgo mater non ita pridem a nobis depicta[3], sed crassa, vt aiunt, Minerua[4], minimeque Apellaeis lineis et coloribus expressa, vt rudem, impolitumque pictorem docti omnes possint agnoscere.

Propitia sit mihi Deipara, quod in argumento pulcherrimo decorum saepe neglexerim, multaque resecanda imprudenter admiscuerim, neque pauca praetermiserim, quae ad rem maxime facere videantur. Iudicium omne sit penes R. T. quae sibi magno me beneficio deuinciet, si suam de toto libro censuram, quae magnum apud me pondus obtinet, libere aliquando perscribet. Rogaui certe P. N. Generalem, vt exemplum operis isthuc mitteret, seque ille misisse scripsit[5].

Altera editio, si Christus faueat, aliquando limatior et plenior futura est, praesertim cum ea emendare cupiam, quae Patres et eruditi castiganda putabunt.

De reliquis id genus argumentis tractandis non sum solicitus amplius, quando P. N. Generalis vt a scribendo supersedeam, mihi gratiose permisit: isque labor aliis humeris, qui sint firmiores, merito demandetur.

Quod si de rebus nostris dicendum est, ego cum P. N. Prouinciale[6], vt collegia visitentur, more nostro circumcursito, iustamque consolationem capio e spiritali nostrorum profectu, in quibus viget germanus ille spiritus huius instituti. Rectius haberet torpens et frigida Germania, si e Lutheranis non tam multi Caluiniani passim euaderent, et Catholici non altum sterterent in media tempestate. Ora pro nobis Dominum Pater, et veteris indignique filii Canisii[7] memor esse perge.

Oeniponti 10 Octobris 1578.

Seruus et filius in Christo,
Petrus Canisius[b].

a) *B perperam:* qui. b) *Ita certe pro suo more Canisius.* Petrus Canisius *edd. matr.*

[1] De his v. supra p. 39 44—45.

[2] „si quid . . . olim Scripseris, . . . nonum prematur in annum“: *Horatius,* De arte poetica v. 386—388. [3] Opus suum Marianum significat; v. supra p. 3.

[4] „Ofellus Rusticus, abnormis sapiens, crassaque Minerva“: *Horatius,* Sermonum lib. 2, sat. 2, v. 2—3. [5] Vide supra p. 452. [6] Paulo Hoffaeo.

[7] Salmeron unus ex decem primis Societatis Patribus erat et aliquamdiu Societatis provincias germanicas (et alias) cum vicarii generalis potestate rexerat; v. *Can.* III 177.

Antiqua illa collegii oenipontani *Historia haec habet in a. 1578: „R. P. Prouincialis, ad uisitandum hoc Collegium Hala uenit 23. Septembris, et breui post socius eius P. Canisius est subsecutus.... Deinde post patrum ac fratrum confessiones exceptas, postque fidei professionem ab omnibus factam, uotorum renouatio laete successit 19. Octobris" (Cod. „Hist. coll. Oen." p. 27). Huic caerimoniae Canisium adfuisse valde verisimile est. Oeniponte autem cum Hoffaeo Augustam ad Societatis domum visitandam profectus esse videtur. Augusta enim 7. Novembris 1578 *Hoffaeus* Mercuriano *scripsit: „P. Canisius cum consiliariis Jngolstadianis et Augustanis atque etiam ego, iudicamus Coadiutores Temporales formandos esse Michaelem Sabaudum, Joannem Aigenman et Josephum Brandsteter, quod habeant sufficienter sua requisita [1]. P. V. de his statuat". Alteras *litteras Hoffaeus, nullam Canisii mentionem faciens, ad Mercurianum dedit Augusta 16. Novembris 1578 (ex autographis; Germ. 157 f. 153[a] 158[a]).

De ratione sive instituto fratrum laicorum sive „coadiutorum temporalium" formatorum v. supra p. 418 [3]. „Michael Gandegana Sabaudus" (alias: „gan de gana") Societatis vota nuncupavit primum Monachii 7. Augusti 1569, deinde Ingolstadii a. 1576, 1577, 26. Aprilis et 29. Septembris 1579; in collegio dilingano 1. Novembris 1570 „Janitor et excitator", alias „emptor" quoque et coquus fuit; mortuus est Monachii 16. Ianuarii 1621. Ioannes Aigenman, Societatem ingressus 1570 (ut videtur), eiusdem vota fecit Monachii 1572, Ingolstadii 1573 et deinceps usque ad 8. Maii 1578; mortuus est Lucernae (Germ. 131 p. 277—278 [sign. prior.]; Germ. Sup. 44 f. 360[a] [sign. prior.]; Hist. Soc. 41 f. 175[a]; „Cod. VI. 35" f. 83[b]; Jesuitica in genere N. 199 [Monachii in archivo reipublicae bavaricae] p. 4; Cod. 270 bibliothecae universitatis monacensis f. 28[a] 30[a]). Iosephus „Prandtstetter" (alias: „Brandstetter" vel „Branttstetter"; cf. *Can.* V 377[2]) in *Libro* votorum collegii dilingani sua manu notavit, se Societatis vota nuncupavisse 4. Julii 1568 Augustae „Jn Sant Georgen Capeln Jn vnserm hauß" (Cod. „II 42" p. 54; cf. *Can.* VI 514); *Catalogus Germaniae superioris in Kalendas Ianuarias 1574 conscriptus de eo haec habet: „Collegij Jngolstadiani Coquus et in ea re ualet sicut etiam ad chyrurgiam" (Hist. Soc. 41 f. 175[a]). 1603 ibidem „apothecarius" fuit (*Duhr*, Jes. II 639); in *Catalogo denique Patrum et Fratrum in collegio ingolstadiensi defunctorum, a P. *Georgio Biegeisen* S. J. ibidem a. 1691 ex eiusdem collegii Historia manu scripta collecto, de eo haec, praeter alia, narrantur: „Swazio inter Alpes Tyrolenses oriundus", 60 annos in Societate fuit; „coadiutor formatus" constitutus est 25. Iulii 1587; „Culinae, et Apothecae ministerijs omnia impendit, ad aegrorum auxilia mire semper alacer visus, nec paucis vitam retinuit, contra quos medici pronunciaverant; ... [R. P. Petro Canisio] familiariter, dum Prouincialis esset, seruivit; ... auctor fuit cunarum, quae in Provinciae Collegijs, per natalitia Domini instruuntur"; annos natus 83, in collegio ingolstadiensi mortem obiit 22. Decembris 1625". (Cod. 270 bibliothecae universitatis monacensis p. 87—89).

2016. EVERARDUS MERCURIANUS praepositus generalis Societatis Iesu CANISIO. Roma 29. Octobris 1578.

Ex commentario; in capite: „Oeniponti P. Petro Canisio". Rh. Inf. 1, II f. 24[a]. Epistula usi sunt *Michel*, Can. 356, et *Duhr*, Jes. an Fürstenh. 119.

Confessarii Guilielmi principis privilegia et missio romana. Cavendum a confessariis aulicis. Ferdinandus archidux „demerendus".

Cognoui quae Reuerentia V. egerit cum Principe de P. Mengino [2]: et omnia placuerunt, praeter priuilegia illi concessa quae quidem [a]

a) *Hoc v. supra versum scriptum est.*

[1] Vide, quae paullo infra dicentur.

[2] Guilielmum Bavariae principem et P. Dominicum Menginum eius confessarium significat; v. supra p. 458—459.

reuocari iussimus[1]. Scribo autem ad P. Prouincialem ut utrumque urgeri curet, Principem ut patiatur, Menginum ut uelit Romam uenire · plurimum enim in eo momenti positum esse puto ad eum in gyrum reuocandum, si ab aula abstrahere, et hic illum habere possemus. Jtaque Reuerentia V. una cum P. Prouinciali qua id maxime ratione obtineri possit dispiciat.

De Flandris quos petit, iam scripsi ad P. Costerum ut aliquos mitteret.

De Confessarijs aulicis uere sentit Reuerentia V. non posse non magnum Societati damnum afferre: quod autem a nobis remedium quaerit, sciat nos nihil illi concedere ut plus id optet quam nos. Sed maluissem audire rationem aliquam occurrendi his malis: quae si illi in mentem uenerit, libenter eam exequemur.

De apostatis illis nostris dolemus; sed illud optimum fuerit ut nostri perpetua obseruantia, et officijs principem demereri pergant[2] ut carbones super eius caput ingerant[3], et tandem expugnent. Reliqua quae in alijs erant literis libenter cognouimus, eritque nobis semper[a] gratum ut cum opus fuerit de ijs moneat. Dominus autem Deus et Reuerentiam V. et nos omnes sua sancta gratia impleat. Amen. Romae 29 Octob. 1578.

*Epistula ad P. Paulum Hoffaeum provincialem, de qua Mercurianus Canisio scribit, Roma 29. Octobris 1578 data est. „Ecce", inquit *Mercurianus*, „aliae deliciae P. Mengini non ferendae: de quo tamen scripsit ad nos P. Canisius se non incommode transegisse cum Principe, planeque persuasisse non esse illum aptum ad regimen · quod nostram illam spem confirmauit, si nos recte secundum institutum nostrum ambulemus, fore ut Deus consilia nostra adiuuet et Principum etiam corda quae in eius sunt manu[4] ad commodum nostrum conuertat. Quare maxime uelim urgere hanc occasionem, et quando Princeps iam molliri ac cedere coepit, persuaderi ei, necessarium esse omnino ut eum Romam uenire patiatur, quod alioqui magnum periculum sit ne spiritus naufragium faciat: et in uniuersum nihil neque Deo gratius neque Societati, et uero suis etiam subditis utilius facere posse Principes quam ut liberam nobis nostrorum administrationem relinquant: quoniam nisi nos in spiritu profecerimus, neque ipsos iuuare possumus, immo etiam damnosos ijs esse necesse est. Ac quod ad illum attinet, nihil nos aliud cupere, nihil curare, quam illius consolationem, atque idcirco misisse istuc alium sacerdotem[5] P. Mengini

a) *Hoc v. supra versum scriptum est.*

[1] Privilegiorum Mengino a P. Paulo Hoffaeo provinciali concessorum indiculus perisse videtur; ex Mercuriani autem epistula ad Hoffaeum, quae sub ipsas has litteras ponetur, intellegitur: Hoc, praeter alia, Mengino concessum esse, ut et rectoris collegii et praepositi provincialis oboedientia exemptus esset et soli praeposito generali oboedire deberet.

[2] De Ferdinando II. archiduce *Mercurianus* Hoffaeum iam Roma 2. Septembris 1578 *monuerat: „Difficultates . . . Reuerentia V. nouit multas ac magnas cum illo homine non admodum nobis amico tolerandas esse . . . scit Reuerentia V. quam nobis semper fuerit ille acerbus ac difficilis, et quantum eius alienatio incommodare nobis possit: itaque huiusmodi hominibus multa danda sunt, multa ferenda, ac deuoranda" (ex comm.; Rh. Inf. 1, II f. 22b).

[3] Rom 12, 20; Prv 25, 22. [4] Prv 21, 1.

[5] P. Nicolaum Limburgium (Lemburgium); v. supra p. 457 [1].

loco, quem speramus magis etiam illi satisfacturum. Haec igitur Principi suggeri poterunt, ac si ad rem uidebitur, illud etiam, gratias nos illi agere quod tam facile sibi a P. Canisio satisfieri passus sit. Cum Patre autem Mengino omnem lapidem moueri uellem ut animum induceret Romam uenire: quod illi uel a Reuerentia V. uel a P. Canisio suaderi poterit, quod ibi sit paene infamis, neque unquam uel ipse quietus, uel eius etiam Superiores futuri sint. Quod autem attinet ad illa privilegia quae ut scribit P. Canisius Reuerentia V. illi concessit, omnino uisum est non esse concedenda, neque aperiendus hic aditus ut se nostri obedientiae ac disciplinae subtrahant. Quare Reuerentia V. reuocet ea omnia quae illi extra ordinem concessit, ac si uult dicat, nos id improbasse, ne in exemplum aliorum transiret. Atque hoc etiam ipsum fortasse quo minus istic habebit commoditatis, eo facilius illum permouebit ut ad nos ueniat. Jn has angustias nos regij isti confessarij et homines aulici inducunt: quod hominum genus molestum et damnosum esse Societati assentior Reuerentiae V. illud non assentior ut eos ab eius obedientia eximat · non enim aequum est ut eius conscientiam leuem meam onerari · perinde enim est uelle eos Generali tantum subiectos esse, ac plane obedientiae iugo liberare, cum ineptum sit in tanta locorum distantia uelle immediate gubernari. Haec potius prouidenda fuerant ab initio: sed quoniam iam praeteriere, ferenda sunt ut possumus, et quae possumus remedia adhibenda: ante omnia autem cauendum, ne posthac ullos huiusmodi laqueos induamus. Sed sperandum in Domino qui pro ea cura quam Societatis nostrae gerit hoc ipsum negotium dextre ut solet gubernabit. P. Canisius scripsit ad nos consulens ut aliquos ex Flandria in istam prouinciam mitteremus: quod nobis placuit ut nec illi ociosi essent et uobis aliquod adiumentum afferrent · itaque scripsimus P. Costero quo se maior pars Belgarum recepit, ut ad tres aut quatuor sed bonos et modestos ad uos mitteret, quibus Reuerentia V. tantisper fruetur dum Deus Belgio meliorem dederit statum" [1].

In eadem epistula *Mercurianus* de litteris, quas ad eum Magdalena archiducissa per Canisium Hala 16. Septembris 1578 dedit (v. supra p. 454), et de privilegiis, quae P. Paulus Hetzcovaeus S. J. Magdalenae confessarius postulavit, haec Hoffaeum * monet: „Vidimus literas Reginae, et postulata P. Pauli, quae etsi sunt iniqua, et hominis plane ut uidetur carnalis nihilque de perfectione religiosa sapientis, tamen quoniam Reginae ut quidem nunc est exulcerata et grauiter commota negari nihil potest, existimauimus concedenda, ea uidelicet quae Reuerentia V. suo scripto complectebatur · nam quod ille petebat etiam [?] Regina defuncta, id omnino intolerabile est. Scripsimus igitur ad Reginam nos potestatem facere Reuerentiae V. ut concedat quae ipsa uelit: sic enim satius uisum est, quam ut nos ipsi ea singillatim daremus, simulque ut minus innotescat haec perniciosa et extorta permissio, minusque in exemplum trahi possit, si dici non possit Roma manasse. Quare Reuerentia V. agat cum illa quam commodissime poterit, id est quam minimum concedens, sed tamen satisfaciat. Speramus autem nihil amplius petituram ijs quae iam postulauit: sed tamen si aliquid adhuc afferret noui, Reuerentia V. habebit facultatem id statuendi quod in Domino uidebitur" (ex comm.; Rh. Inf. 1, 11 f. 24[a]).

Ad litteras denique a Canisio Magdalena quasi dictante scriptas, quas dixi, *Mercurianus* Roma 29. Octobris 1578 ipsi Magdalenae sic * rescripsit: „Lectis Serenitatis V. literis quas postremo ad nos misit quibus de sua molestia significabat, non

[1] *Mercurianus* P. Francisco Costero provinciae rhenanae praeposito Roma 27. Octobris 1578 * scripsit: „Quod [R. V.] Belgas nostros acceperit, laudamus eius caritatem, neque impedimus quominus eorum opera tantisper vti possit ne ociose panem comedant. . . . Velim tamen ut ex his ad tres aut quatuor in Germaniam superiorem qui eos postularunt et totidem in Austriam mitteret, sed in Austriam praecipue non nisi bonos et uirtutis exploratae" (ex apogr. eiusd. temp.; Rh. Inf. 1, I f. 22[b]). Ad haec *Costerus* Moguntia 20. Decembris 1578 * scripsit: „Misi in superiorem Germaniam quinque fratres Belgas" (ex autogr.; Germ. 157 f. 176[a]).

mediocrem ipsi sane molestiam percepimus; nihil enim tam contra uoluntatem nostram accidere poterat, quam cum etsi nobis inuitis et inscijs, cum studio nostro semper illi gratificari et obsequi conati simus, non tamen perinde ac cupiebamus grata illi obsequia ac officia nostra fuerint. Volo autem ut Serenitas V. existimet sibique certo persuadeat quidquid a nobis unquam actum aut cogitatum est, uel hoc ipsum de P. Paulo, nullum alium nos in eo finem et scopum habuisse quam Dei honorem et gloriam ac Serenitatis V. bonum ac consolationem · apertius autem et confidentius cum ea agendum putabamus tanquam cum patrona et optima parente nostra, de qua nobis persuasimus nihil malle quam uniuersae Societatis commodum. Neque enim ea est Serenitas V. quae rerum spiritualium rudis sit ac nesciat quanti referat rectam ac integram regulae institutique disciplinam in omnibus religionibus conseruare, qua salua ipsas religiones conseruari, ea dissoluta corrumpi ac perdi necesse est. Quod etsi mihi potissimum prouidendum fuit cui animarum quas mihi commisit Deus seuera ratio reddenda est simulque curandum ne quam a meis maioribus uigentem ac florentem accepi disciplinam, eam perditam eneruatamque ad posteros transmittam, tamen ne Vestram quidem Serenitatem negligere debui [a] tum pro eo amore quo semper Societatem amplexa est, tum etiam quod si quem fructum aut ipsa a nobis expectat, aut in alios proficisci cupit, nulla ad id melior est uia quam ut nos bene ac feruenter in nostro instituto progrediamur, ueraeque et solidae uirtutis fundamenta iaciamus, quia nisi ipsi igniti fuerimus, alios certe calefacere, et nisi illuminati alios illuminare nunquam poterimus. Jtaque hoc unum precor Serenitatem V. ut hoc existimet quod reuera ita est, hoc unum me semper expetisse ut eius consolationi in omnibus et per omnia consulerem, et quod alias semper, id etiam nunc in P. Paulo facere certum est, de quo quoniam Serenitatis Vestrae uoluntatem iam intellexi, scribo ad P. Hoffeum Prouincialem eique facultatem concedo ut Serenitati V. in omnibus quae uoluerat, satisfaciat: itaque cum illo Serenitas V. agere poterit quae uolet commodius quam nobiscum ob absentiam. Nos autem Deum ex animo precabimur ut Serenitati uestrae et longam et tranquillam uitam, aeternamque tandem gloriam largiatur. Amen" (ex comm.; Rh. Inf. 1, II f. 23^b—24^a).

Canisius Mercuriano respondit 24. Decembris 1578.

2017. CANISIUS **IOANNI GEBHARDO A TRUCHSESS**, archiepiscopo electo coloniensi.

Monachio (?) circa initium m. Novembris 1578.

Ex Costeri litteris archetypis, ipsius manu subscriptis. Germ. 157 f. 164^a.

Rogat eum, ut collegium coloniense S. J. tueatur.

P. Franciscus Costerus S. J. provinciae rhenanae praepositus Everardo Mercuriano praeposito generali scripsit Moguntia 2. Decembris 1578: „Postremas meas ad P. V. dedi 5 Nouembris: his reddam rationem eorum quae elapso mense in hac Prouincia Dei beneficio contigerunt . et quidem quod ad Coloniense Collegium attinet, ualent omnes, multumque fructus per Dei gratiam colligunt, tum apud studiosos, quos habent circiter 800, tum apud externos, qui magno numero, et conciones et poenitentiae Sacramenta frequentant: Hunc fructum cum Diabolus ferre non posset, excitauit nonnullos ex opificum tribubus (instigatione haud dubio Haereticorum) qui apud Senatum de Societate conquererentur, tum quod Hispanis nostri addictiores essent, quibus metuerent nostra opera ciuitatem prodi; tum quod mulieres inuitis et inscijs maritis, magnas eleemosynas in Societatem, a nobis sollicitatae, conferrent; tum alias ob causas

a) *Correxi ex* ne Vestrae quidem Serenitati negligere debuit, *quae sunt in comment.*

simili calumnia plenas[1]. *Caeterum duo Senatus Consiliarij, quos ibi Syndicos appellant, uiri boni et Societatis amantes, Doct. Conradus Betzdorpius, et Doctor Petrus Stenuichius*[2], *egregie in Senatu partes Societatis defenderunt, eoque Senatum induxerunt, ut Collegij Societatis patrocinium aduersus ciues illos susciperet: itaque nunc bona pace et quiete uiuunt. Egi cum Episcopo Moguntino*[3], *ut literas ad Senatum in Societatis fauorem daret, qui promptum se statim ad primam petitionem exhibuit, et forte iam aliquem cum literis Coloniam miserit. Jdipsum agam breui (Deo fauente) cum Archiepiscopo Treuirensi*[4], *petentibus id nostris Coloniensibus. Cancellarius quoque Archiepiscopi Moguntini*[5] *ad plerosque Consules daturum se literas mihi addixit. Scripsi porro ego ipse ad primarium Consulem Constantinum Liskirchium*[6], *ut Collegij patrocinium suscipiat; ad quem et ad Archiepiscopum Coloniensem electum, P. Petrus Canysius eiusdem argumenti literas dedit.*"

Ioannes Gebhardus a Truchsess (cardinalis Ottonis Truchsess a Waldburg episcopi augustani ex fratre nepos) archiepiscopus coloniensis 5. Decembris 1577 a capitulo electus, m. Martio a. 1580 a Gregorio XIII. confirmatus est; attamen iam m. Aprili 1578 a Rudolpho II. imperatore „indultum" impetravit, quo ei potestas concedebatur administrandi „temporalia"; eodem mense, cum coram Iacobo ab Eltz archiepiscopo electore treverensi fidei professionem tridentinam fecisset et iusiurandum principum electorum dedisset, ab eodem in electorum collegium admissus est (*Lossen* l. c. 617 622—623; Allg. Deutsche *Biographie* VIII 459—460). De eo P. *Theodoricus Canisius* S. J. ad Everardum Mercurianum, qui 23. Aprilis 1573 Societatis praepositus generalis electus erat, Dilinga 30. Maii 1573 *scripsit: „M' ha pregato hoggi molto, che da sua parte me ralegrasse con V. R. Paternita della sua elettione, della quale ha pigliata singulare consolatione per hauer conosciuta V. P. in louanio, quando iui col suo fratello uisse in nostra casa fra conuittori" (ex archetypo, a Theod. Canisio subscripto; Germ. 153 f. 87[a]). Cf. etiam *Can.* V. 285 325; VI 365 379 387 663. Canisium spes, quam in Gebhardo reponebat, non fefellit. Ille enim, ut ipsi *Socii colonienses* Kalendis Ianuariis 1579 in Litteris annuis narrant, „suam autoritatem interponens, cum de comprimendis haereticorum scholis et consiliis in urbem concessisset, Societatis honorificam mentionem apud senatum fecit, labores eius prolixe praedicavit et in illius fide atque authoritate causam nostram reposuit" (*Hansen*, Akten 726).

2018. CANISIUS **CONSTANTINO A LYSKIRCHEN**, consuli urbem coloniensem regenti.

Monachio (?) circa initium m. Novembris 1578.

Collegium Societatis coloniense ei commendat. Plura vide supra, ep. 2017.

---

[1] Calviniani, qui ex Belgio eiecti Coloniam irrepserant, praecipui erant auctores harum calumniarum et turbarum; quae accuratius describuntur in litteris annuis collegii coloniensis Colonia Kalendis Ianuariis 1579 datis (*Hansen*, Akten 725—727).

[2] De Conrado Betzdorf et Petro Schulting de Steinwech (Steinweg) v. *Can.* II 427; V 679 685.

[3] Danielem Brendel archiepiscopum significat (*Hansen* l. c. 726).

[4] Iacobo ab Eltz. [5] Christophorus Faber (*Hansen*, Nunt. II, 17 556).

[6] Consules rempublicam regentes eo anno erant Constantinus a Lyskirchen et Gasparus Kannegiesser (Cod. „Hist. gymn. tr. cor." f. 168[b]). De Lyskirchio cf. *Can.* I 672—673; II 805—806.

2019. CANISIUS **BALTHASARI A DERNBACH, O. S. B.,** abbati principi fuldensi. Augusta Vindelicorum 16. Novembris 1578.

Ex *Ioannis Friderici Schannat* libro „Historia Fuldensis", Francofurti ad Moenum 1729, p. 274. Schannat (1683—1739) sacerdos et iurisperitus in rebus historicis valde versatus in huius operis praefatione affirmat, sibi „Fuldense Archivum plene et integre patuisse"; inde igitur has litteras hausisse videtur; in ipso deinde opere (p. 273) significat, eas ex Canisii „autographo descriptas" esse.

Abbatem exsulantem consolatur et ad patientiam hortatur.

Pax Jesu Christi nobis aeterna.

Profecturus isthuc famulus me convenit, atque ut ad Celsitudinem tuam aliquid mitterem hortatus est. Peto igitur majorem in modum, sicut et alias feci [1], suam ut crucem constanter alacriterque perferat Pietas tua, quae magna cum laude sua et Christianae fortitudinis tam diu in hoc agone versatur, et praeclarum invicti animi exemplum nobis praebet, ut eo rectius utraque fortuna uti possimus. At erit sane jucundum aliquando meminisse, quam Charitatem et gratiam nobis fecerit Deus hac vere paterna visitatione, quae nos haud dubie multis peccatis atque periculis interea liberavit, quae mentem ad clariorem nostri Deique cognitionem adduxit, quae sinceros et fucatos amicos ostendit, quae perfectiorem mundi contemptum docuit, quae solidas et spirituales consolationes in animum saepe transfudit, quae postremo magna et praeclara in nobis desideria excitavit et[?] [a] ad bene beateque vivendum. Qui enim non est tentatus, ut sapiens affirmat, quid scit [2]? sed imbecillis, sed imperitus, sed puer fere manet, indignus vera gloria, quia crucis expers [3]. Quare Amplitudini tuae non possum hac in re non gratulari, quae optatam a Deo crucem excepit, exceptam hactenus tam generose sustinuit [4], perque multas jam provincias circumtulit [5] animo semper infracto, et ad Deum ipsum erecto, certo sibi persuadens, singulari Divini Numinis judicio isthaec geri omnia et ad profectum nostrum hanc vexationem immitti, quae sit velut salutare pharmacum, quod non nihil amaritudinis admixtum habeat sed magnopere prosit ut et nos dicamus: bonum mihi,

a) *Sic Schannat; sed* r. et *perperam positum esse videtur.*

---

[1] Vide supra p. 355. De Balthasaris ab a. 1576 e monasterio terraque sua exsulantis calamitatibus et animi constantia v. supra p. 355.

[2] Eccli 34, 9. [3] Cf. Gal 6, 14. [4] Hebr 12, 2.

[5] Balthasar, postquam officio cedere coactus est, primum in arce Neuhof prope Fuldam, deinde in arce Hausen prope Salmünster (nunc oppidum provinciae hassico-nassovicae reipublicae borussicae), postea Seligenstadii (Seligenstadt, nunc oppidum reipublicae hassicae) exsulabat; anno 1577 Vindobonam a Rudolpho II. imperatore evocatus venerat (*Egloffstein* l. c. 42 49 58 62; *Theiner*, Ann. II, in a. 1578, n. xxix). P. *Franciscus Costerus* S. J. provincialis rhenanus Moguntia 2. Decembris 1578 Everardo Mercuriano praeposito generali *scripsit: „21 Novembris, uenimus Seligenstadium ad Reuerendissimum Abbatem Fuldensem, ibi misere exulantem · uix potui continere lachrimas, uidens tanti Principis et tam sancti uiri, tantam inopiam et calamitatem, excepit nos pro sua paupertate humanissime, et nihil praeter gratias Deo referebat" (ex autogr.; Germ. 157 f. 164b—165a).

quia humiliasti me[1]. Sed ne consolari velle videar, de his plura intempestive monere supersedeo. Nos certe Christo causam omnem saepe commendamus, et adversariis adeo praefractis meliorem mentem precamur. Dominus Jesus in suam gloriam nos et Ecclesiam Catholicam ubique gentium tueatur. Augustae XVI. Novemb. MDLXXVIII.

C. V.

Servus in Christo
Petrus Canisius.

2020. GUILIELMUS (V.) Bavariae princeps CANISIO.

Monachio (?) sub exitum m. Novembris 1578.

Canisium Monachium ad se venire iubet. Plura vide infra, ep. 2024.

2021. EVERARDUS MERCURIANUS praepositus generalis Societatis Iesu PP. PAULO HOFFAEO praeposito provinciae S. J. Germaniae superioris et PETRO CANISIO ipsius socio.

Roma 29. Novembris 1578.

Ex commentario; in margine, eadem manu: „Augustae P. Hoffeo Prouinciali.“ Rh. Inf. 1, II f. 24^b—25^a. Litterarum summam germanice posuit *Duhr*, Jes. an Fürstenh. 119—120; iisdem usus est *Michel* l. c. 356.

Praefatio editoris: *Hoffaeus* provincialis Oeniponte 10. Octobris 1578 Mercuriano praeposito generali *scripsit de P. Nicolao Limburgio, quem Mercurianus ex Italia miserat, ut loco P. Dominici Mengini Renatae, uxori Guilielmi principis Bavariae, a sacris confessionibus esset (v. supra p. 457): „Halae manet, vbi auide expectat, quid P. Vestra de ipso statuere velit, nam vt Duxissae confessarius fiat, impossibile est, vt doleam hanc famam per Jtalica Collegia sparsam et in diuersa quoque Germanica esse scriptam. Vtinam P. V. hanc suam mentem mihi prius communicasset quam P. Nicolaum misisset.“ Deinde *Hoffaeus*, res mandatu suo m. Septembri a Canisio cum Guilielmo principe de Mengino ipsius confessario collatas et constitutas (v. supra p. 458) significans: „Quicquid“, inquit, „P. Canisius cum Duce transegit, hoc Dux Patrj Dominico reuelavit, qui iccirco grauiter fuit commotus. Liberet nos Dominus ab huiusmodj confessarijs. Post multa hunc tandem modum reperi, qui et Principi et Duxissae et Dominico et Rectorj[2] probatur. Nimirum habitabit Dominicus in aedibus Conuictorum vt priuatus, aletur illic a nostro Collegio vna cum socio coadiutore, ambo exempti erunt ab obedientia Vice-Rectoris[3] et Regentis[4]: . . . mihi tamen Dominicus cum socio subditus erit. Si in hoc scrupus est, ab eo P. Vestra me liberet, vel quod magis opto, a mea quoque obedientia eximat Dominicum, qui scribitur iam semel atque iterum Principi in venatione socius fuisse. Non suadeo autem vt P. Vestra illam exemptionem et cohabitationem cum conuictoribus mutet, nisi velit nostrum Collegium cum nouo Vicerectore atque meipsum effici afflictissimos“ (ex autogr., Germ. 157 f. 123^a). Ad hanc Hoffaei epistulam Mercurianus respondit per litteras 29. Novembris 1578 datas; quae soli quidem Hoffaeo inscriptae sunt; sed ex ipsis earum verbis intellegitur, earum partem praecipuam Canisio quoque a Mercuriano destinatam esse; quare eam hic ponam.

P. Limburgius. Cum Guilielmi principis confessario iam „dissimulandum“ est, nec tamen quicquam contra Societatis institutum ei permittendum, nec oboedientia ille eximendus. Rogandusne Albertus dux, ne ita labefactari Societatem patiatur?

---

[1] Ps 118, 71.

[2] P. Ferdinando Alber, novo rectori vel potius vicerectori collegii monacensis.

[3] Alberi. [4] P. Michaelis Marii.

Omnino[a] molestus esse nobis pergit P. iste Menghinus de quo[b] postremae Reuerentiae V. litterae 10. Oct. datae · in quibus etiam accusare nos uidetur quod istuc P. Nicolaus[1] missus sit[c] re cum illo non communicata. Nos uero ita faciendum iudicauimus, quoniam et Reuerentia V. nos multum rogauerat ut eum inde auocaremus, et P. Canisius qui cum semper Reuerentiae V. adhaereat non dubitabamus quin ex Reuerentiae V. mente loqueretur, nobis scripserat ut alium mitteremus, atque adeo ipsius Menghini discessum[d] aulicis[e] non ingratum fore, quos aulicos uel ipsum Ducem[2] uel saltem praecipuos ex eius domo esse suspicabamur. Itaque ut uidet si in hoc errauimus, de uestris uerbis errauimus. Quod autem uterque magnopere petitis ut malis istis hic prospiciatur, uix iam ullam uidere possum uiam cum a uobis res cum Principe[3] transacta sit. Sed tamen haec mihi in mentem ueniebant ut in praesentia quidem dissimularemus[f] [4], sic tamen ut nihil illi permittatur quod institutis nostris aduersetur, quale illud erat de uenatione · in his enim ita non solum Menghino sed etiam ipsi Principi resistendum erit ut intelligant nullo modo illis permissum iri, non si uel totum[g] illud Collegium funditus[h] dissoluendum esset. Jnterea autem non ab re puto fore[i] si hoc negotium cum Duce Alberto communicetur[k] · cui cum diceretur istum[l] Principis aulam affectare amore carnalis[m] libertatis, nihil autem esse quod citius Societatem nostram labefactare ac perdere[n] possit quam si huiusmodi mores et exempla paulatim in eam inducantur: quod si eueniret, cum[o] maximo nobis damno, tum ne ipsis quidem emolumento esse posset cum nostra eos[p] opera adiuuare nisi nos simus quales esse debemus non possit: ac proinde rogaretur ut pro eo amore ac beneuolentia qua semper Societatem complexus est ne pati[q] uelit exitij nostri initia in domo sua poni: si[r] haec inquam et alia huiusmodi illi suggererentur[s], non sumus extra spem posse illi persuaderi ut filium doceat ut nos in nostris institutis

a) *Ita in comm. correctum est ex alio v., quod iam non potest legi.* b) *Sequitur* Reuerentiae, *oblitt.* c) *Ita corr. est ex* Nicolaum miserimus. d) *Sic corr. est ex* adeo ipsum Menghinum. e) *Sequitur* eis, *oblitt.* f) *Vide infra, adnot. 4.* g) *Sic corr. est ex* tota Societas. h) *Hoc v. supra versum scriptum est.* i) *Corr. est ex vv.:* Mihi tamen de hac re cogitanti ueniebat in mentem fortasse expediens fore. k) *Corr. ex* communicaretur. l) *Sequitur* ideo, *oblitt.* m) *Corr. ex* affectare ut carnalem. n) *Corr. ex* nostram perdere ac dissolue. o) *Corr. ex* tum. p) *Hoc v. supra versum scriptum est.* q) *Corr. ex* patere. r) *Corr. ex* cum. s) *Corr. ex* suggerentur.

[1] Limburgius.

[2] Albertum V. Bavariae ducem vel Guilielmum filium eius natu maximum.

[3] Guilielmo.

[4] Ita in commentario correctum est; quod haec habuerat: „ut malis istis hic prospiciatur, equidem ut maxime uelimus, iam omnem paene nobis aditum obstructum, omnemque ereptam uideo medicinam. Sic enim scribitis cum Principe transactum ut nullo modo de rescindendo illo conuentu cogitari possit · itaque cum antea significassem [*primum scriptum erat:* scripsissem] nullo modo placere illa concessa priuilegia postea ex Reuerentiae V. et P. Canisij litteris intellexi non posse id absque magna utriusque partis animorum commotione tentari. Quare si aliter fieri non potest, nunc quidem ferri poterit [*primum scriptum erat:* potest, feremus], sic tamen ut nihil ei permittatur" *etc.*

liberos pergere velit · hanc autem spem facit nobis tum ipsa eius bonitas et prudentia, tum periculum iam in Martino Stefordiano factum, in quo memini satis facile[a] persuasum illi fuisse, non esse e rationibus nostris ut talem hominem retineremus[b] [1]. Hoc igitur Reuerentia V.[c] una cum P. Canisio uideat[d] an putent aliquid ad rem hanc expediendam conferre posse. Si nihil obtineant[e], tum plane aperiatur Mengino[f] nostro nomine[g] non posse nos ullo modo pati nouam illam et antea inusitatam rationem uiuendi in Societate immunem ab obedientia: proinde statuat aut abeundum sibi esse[2], aut in animum inducat immediatis superioribus subesse · idque nos omnino mandare, et ita uelle. De P. autem Nicolao Lemburgio si uel[h] nihil a Principibus extorqueri[i] possit ut Menginus discedat, uel ipso etiam discedente non adeo ille aptus[k] ad eiusmodi prouinciam iudicetur, aliusque[l] istic aptior inueniatur, poterit in Austriam mitti, quae quoniam in magna est operariorum paucitate libenter illum excipiet[m]. — — Roma 29 Novemb. 1578.

2022. **P. OLIVERIUS MANAREUS S. J.**, praepositi generalis pro Germania et Gallia assistens, CANISIO.

Roma circa m. Decembrem 1578.

Exemplum Operis Mariani mittendum esse cardinali Guilielmo Sirleto, qui illud valde desideret. Plura vide in epistulis a Canisio ad Sirletum 12. Ianuarii 1579 (in capite primo) et a Mercuriano ad Canisium 11. Martii 1579 (in capite ultimo) datis, infra epp. 2031 2038.

2023. **P. PAULUS HOFFAEUS S. J.** Germaniae Superioris praepositus provincialis CANISIO.

Dilinga sub ineuntem m. Decembrem 1578.

Mercuriani praepositi generalis mandata de P. Mengino principum confessario ei mittit et eadem exsequi eum iubet. Plura vide infra, ep. 2024.

2024. CANISIUS **P. PAULO HOFFAEO S. J.** praeposito provinciali Germaniae superioris.

Monachio ab ineunte Decembri ad 24. Decembris 1578.

Ex Hoffaei et Canisii autographis; Germ. 157 f. 170; Germ. 183 n. 298.

De P. Mengino, Guilielmi et Renatae principum confessario.

Hoffaeus provincialis Dilinga 6. Decembris 1578 ad Mercurianum praepositum generalem de mandatis, quibus hic 29. Octobris 1578 Hoffaeum et Canisium iusserat Guilielmo Bavariae principi persuadere, ut P. Dominicum Menginum suum Renataeque uxoris confessarium Romam abire pateretur (v. supra p. 465), haec rettulit: „Superioribus

a) *Corr. ex* memini omnino. b) *Corr. ex* reciperemus. c) *Sequitur* quaeso, *oblitt.* d) *Sequitur* si, *oblitt.* e) *Corr. ex* obtineat. f) *Corr. ex* illi. g) *Sequuntur vv.* ut nouam, *oblitt.* h) *Sequuntur vv.* Menginus iste, *oblitt.* i) *Sequitur* non, *oblitt.* k) *Corr. ex* illum aptum. l) *Corr. ex* iudicetis, aliumque. m) *Reliqua non pono, quia ad solum Hoffaeum pertinent.*

[1] Vide supra p. 461.

[2] „Wohl hier in der Bedeutung: die Gesellschaft verlassen“: *Duhr* l. c. 120 [1].

diebus fuit P. Canisius hinc Monachium vocatus ab Jllustrissimo Duce Gulielmo; interim venit ex vrbe P. V. mandatum de P. Dominico, quod ego quam primum Monachium ad P. Canisium misi, qui quod eo tempore P. Dominicus abesset, non potuit vt intelligo rem satis adhuc apud Principem conficere; apud quem quid egerit, propediem P. V. sciet. Jnterim suspicatur P. Canisius fore vt Princeps S. D. N.[1] *sollicitet pro retinendo sibi Patre Dominico, quamobrem suadet P. Canisius vt apud S. Sanctitatem Paternitas Vestra huiusmodj sollicitationem tempestiue praeoccupet." Deinde ipse Canisius Monachio 24. Decembris 1578 Mercuriano scripsit: „De hoc negotio P. Hoffaeo provinciali saepe scripsi hactenus." At omnes hae ad Hoffaeum epistulae perisse videntur. Vide igitur Canisii litteras ad Mercurianum, quas modo dixi.*

2025. CANISIUS **GUILIELMO (V.)** Bavariae principi.

Monachio circa medium m. Decembrem 1578.

Socios ultro citroque mittendi plenam potestatem praeposito generali constare debere. Plura vide in epistula 2027.

2026. P. PETRUS LOPPERSIUS S. J. rector collegii fuldensis CANISIO.

Fulda 20. Decembris 1578.

Ex imagine photographica litterarum autographarum (2°; 2 pp.; in p. 4 inscr. et reliquiae sig.), quae sunt Monachii in archivo reipublicae bavaricae, Hochstift Würzburg tom. III (Litt. n. 5) f. 140 sq.

Rogat eum, ut seminarium inopia laborans tueatur. Varia a variis tentantur ad pacem inter abbatem et herbipolensem episcopum conciliandam.

Admodum Reuerende P.
Pax Christi.

De rebus nostris cogor subinde ad R. V. scribere quamuis ei cupiam non esse molestus.

Scribo autem non quod importune velim omnino fieri illa quae peto sed vt consilio R. V. melius res dirigantur.

Fuit Nouembri mense Fuldae Jllustrissimus Teutonicus Magister[2]. quid .S. C. jllustrissimae explicauerim quidque responsum ex adiuncta carta R. V. dignabitur cognoscere[3].

Quoniam igitur res omnino postulat vt hoc negotium non languide tractem nisi velim breui interitum huius Seminarij optimis ac pientissimis iuuenibus florentis videre rogo .R. V. vt me in eo iuuare velit et si ita iudicat Principibus suis[4] commendare.

---

[1] Gregorium XIII.

[2] Henricus a Bubenhausen, terrae fuldensis „administrator"; v. supra p. 448 et *G. Komp*, Fürstabt Balthasar von Fulda und die Stifts-Rebellion von 1576; in „Historisch-politische Blätter" LVI, 192.

[3] Loppersius (de quo v. *Can.* III 217) frustra ab eo pro seminario fuldensi in maximis rei familiaris angustiis constituto subsidia petierat; de qua re plura sub ipsas has litteras dicentur.

[4] Alberto V., Guilielmo filio eius, Ferdinando II. archiduci.

Jllustrissimum Teutonicum Magistrum accedere non potui, paucis diebus hic fuit morbo grauatus, nullum fere admisit, ipse non dubito quin optime vellet sed sunt alij qui omnia moderantur, hi ad hoc tendunt vt extincto Seminario facilius impetum faciant in Iesuitas, sic demum euertant religionem[1].

Modi alioquin iuuandi Seminarium sine omni sumptu Principis non desunt.

De communi negotio spes bona sed fefellit iam saepius et quomodocunque vicina expediret tamen autoritate Cesarea hoc seminarij negotium constitui.

Ces: Mai.[2] Commissarium in negotio Pacificationis fecit Moguntinum[3], idem existimatur fecisse Summus Pontifex[4], cum comminatione excommunicationis nisi acquiescat. Cesar satis acres literas ad Episcopum dedit quarum exemplum vidi vt cogitet causae merita. Perpendat quicquid hactenus factum et adhuc tentatur per pacificationem in commodum ipsius fieri. Consideret quam sinistre ob hoc factum etiam Principes viri catholici et alij de ipso sentiant et loquantur etc.

P. Hermannus Thyraeus Rector Moguntinus multum cum Episcopo egit et dominus videtur c o r e i u s t e t i g i s s e[5] · iam cum Moguntino est in arce Rodenbuch[6] Herbipolensis, dominus dirigat consilia, singuli sacerdotes in hac Prouincia ad eum finem dixerunt ter sacrum, fratres alias preces. R. V. dignetur nos iuuare in depraecando deum, valeat nostraque negotia commendata habeat · omnino necessarium est vt ante mensem Martium de Ces: Ma: voluntate nobis constet, si enim dissoluendum Seminarium hoc tempus propter nundinas commodissimum erit. Datum Fuldae 20 decemb. 78.

R. V.

filius

Petrus Loppersius.

† Admodum Reuerendo in Christo Patri .P. Petro Canisio Theologo Societatis IESv München.

De „seminario" illo fuldensi in * *Litteris* annuis provinciae rhenanae Colonia 1. Ianuarii 1579 datis haec narrantur: „Jn Seminario quod Collegio coniunctum est, agunt Conuictores ut plurimum centum uiginti, quorum laus ob insignem modestiam, pietatem, eruditionem, per totam fere Germaniam, passim diuulgatur. Octauo die confitentur omnes, ipsi se gubernant" etc. (ex archetypo, ad romanam Societatis

---

[1] Magistratus a. 1576 ab Iulio episcopo instituti et a. 1578 ab Henrico magistro in officiis confirmati protestantium partibus tantum non favebant et capitulo, nobilitati, civibus fuldensibus, qui Socios excutere studebant, multum indulgebant; eodem fere modo equites teutonici, qui Henrici magistri nomine summae rerum praeerant, se gessisse videntur (*Egloffstein* l. c. 64—68 70; *Komp* l. c. 194).

[2] Rudolphus II.

[3] Danielem Brendel ab Homburg archiepiscopum principemque electorem.

[4] Gregorius XIII. [5] 1 Rg 10, 26.

[6] Cf. *Komp* l. c. 202. Rothenbuch, nunc pagus Franconiae inferioris, reipublicae bavaricae.

provinciam misso, Germ. 141 f. 33[a]). At duodecim ex illis convictoribus Balthasar abbas miserat, suis sumptibus alendos; praeterea aedificia instaurari, suppellectilem comparari, ministris mercedem solvi oportebat; ad quae praestanda mille fere florenis annuis opus erat; quos cum Balthasar abbas regno et parte redituum privatus solvere non posset, iam de seminario dissolvendo agebatur. Ita *Loppersius* ipse 10. Octobris 1578 ad Everardum Mercurianum praepositum generalem * rettulit; qui haec quoque scripsit de Rudolpho II. caesare: „Dicitur mandasse vt Capitularium superflui reditus contraherentur et ad huiusmodi pios vsus conuerterentur sed qui id animaduertunt et Societati non fauent exequutionem non faciunt existimantes se hoc modo nobis rem aegram facere" (ex autogr.; Germ. 157 f. 121[b]). Loppersius igitur a magistro teutonico subsidium petiit; qui id in praesens quidem dari posse negavit; iam enim aerarium aliis pensionum oneribus paene obrui. Neque dubium est, quin „carta" illa, quam Loppersius a se una cum litteris suis Canisio mitti scribit, fuerit exemplum litterarum, per quas magister ille 27. Novembris 1578 ad Loppersii supplices litteras respondit (*Egloffstein* l. c. 70). Canisium litteras a Loppersio ad se datas vel ipsi Alberto V. duci vel uni ex eius familia vel consiliariis eius tradidisse colligi potest ex eo, quod eaedem in archivum principum Bavariae illatae sunt; nec dubitari potest, quin Canisius pro suo religionis studio et iuventutis amore patrocinium seminarii fuldensis susceperit; quod tantum abfuit, ut proximis annis dissolveretur, ut etiam (a. 1584) Gregorii XIII. liberalitate seminarium ei pontificium adiungeretur.

2027. CANISIUS **EVERARDO MERCURIANO** praeposito generali Societatis Iesu. Monachio 24. Decembris 1578.

Ex autographo (2°; 2³/₄ pp.; in p. 4 inscr. et reliquiae sig.). Germ. 183 f. 283[a]—284[b]. Epistula copiose usus est *Sacchinus*, Can. 296—300; quem secuti sunt *Dorigny* l. c. 346—348 (haud accurate); *Python* l. c. 292—297; *Riess* l. c. 465—467. Item hac epistula usus est *Michel* l. c. 356.

Principes non permittunt, ut P. Menginus confessarius Romam veniat; qui iis donandus esse videtur. Viri primarii iam censent Sociis aulas non convenire. Mengini mores emendati; huic certus ordo praescribendus. Socii aulis arcendi.

† Pax Jesu Christi paruuli[1], ac felix annus
Admodum Reuerende Pater.

29 mensis Octobris ad me datas accepi Monachij, sic P. Prouintiale mandante, ut ea quae tum ad ipsum, tum ad me de P. Dominico Mengino P. T.[a] scripsit ac statuit, hic expedienda curarem[2]. Quare totius negotij, cuius permolesta mihi fuit procuratio, summam repetere uisum est, sicut et P. Prouintialis a me fieri postulauit. Cum autem uaria, dum hoc saxum uoluo, hisce tribus hebdomadis inciderint, praecipua quidem capita prosequar.

Abierat Frisingam P. Menginus, quum aggredi coepi Principem Guilhelmum, P. T. et P. Prouintialis nomine rogans, ut hunc suum Confessarium Romam abire pateretur: eius loco iam e nostris alium[3] ex Vrbe mitti, qui non minus in Confessarij officio ipsius Celsitudini satisfacturus esse uideretur. Princeps uero licet initio se mihi benignum

a) *Sequitur* decreuit, *a C. oblitteratum.*

[1] Canisius haec pridie sacri diei „Nativitatis Christi" scribebat.

[2] Epistulas ad Canisium et ad Paulum Hoffaeum provincialem datas v. supra p. 464—466. [3] P. Nicolaum Limburgium sive Lotharingum; v. supra p. 457 ¹.

ac moderatum praeberet, tamen rem omnem cum sua parente et uxore[1] deliberandam suscepit, et communi omnium nomine tandem ita respondit: se non parum mirari, ac etiam probare non posse, quod[a] bonus et gratus ipsis Confessarius, tam subito in Vrbem euocaretur. Hinc Patrem eundem, uelut de re prouintiaque sua male administrata, suspectum reddi, qui tantum seueritatis non commeruerit. At si grauis aliqua culpa subesset, hanc se audire cupere: quae si non explicaretur, se domesticorum odio et inuidiae[b] imputaturos, quod immerentem tam dure tractet P. Generalis. Vbi multa ego tum ad P. T. factum defendendum, tum ad tetras suspiciones nostris abstergendas produxi, nec solum oratione coram, sed scripto etiam ostendi, multum in eo esse momenti, ut P. T. plena constaret authoritas in suis subditis ultro citroque mittendis, id quod instituti nostri sit proprium, ualdeque hactenus usitatum, etiamsi culpa nulla subesset. Sed uicit rationem affectus Principum immodicus, ut ego surdis canere uiderer, et illi suam sententiam defenderent mordicus. Ea fuit, se nolle quidem P. T. gubernationi et receptis in societate legibus praeiudicare et uim adferre, sed multas et graues extare causas ad ueterem Confessarium sibi retinendum, quem cum nullo alio etiam doctiore et aptiore commutare uellent: se bene sperare de superiorum beneuolentia, qui hanc ipsis gratiam non essent denegaturi, seque ad Generalem ipsum hoc nomine scripturos[2], ac etiam, si opus sit, ad Pont. Max.[3]. Tum a me postularunt, ut interea dum Romanum ipsi responsum expectant, ego eundem Confessarium hic manere permitterem, et quod ipsi per literas peterent, ego etiam scripto confirmarem[c], tuaeque P. comprobarem.

Cogitanti uero mihi, quam delicati et morosi, rerumque nostrarum parum aequi censores hi sint Principes, quorum obfirmatos animos frangere potius quam sanare possimus, si porro illis reluctari pergamus, praesertim quum inter ipsos et Confessarium foedus quoddam et uinculum arctissimum, quod nos frustra dissoluere speremus, intercedere uideatur, tanta est utrinque coniunctio, et familiaritas nimis diu corroborata, ac rursus perpendenti mihi huius Confessarij tum in spiritu, tum in corpore debilitatem, qui a Romana profectione adeo se alienum ostendit, nihil sane uidetur consultius, quam ut P. T. uocationem et profectionem hanc urgere desistat, et optimum Patrem Nicolaum[4] alio mittat, ubi et gratior et utilior in domini vinea esse possit[d] operarius[5]. Deinde maiorem in modum rogo, ut P. T. literas quam primum det ad Principem hunc Guilhelmum, siue iam isthuc

a) *Sic C. correxit ex* qui fieret ut . b) iuidiae *autogr.* c) *A C. correctum ex* confimarent. d) *Sequitur* his *vel* hic, *oblitt.*

[1] Anna Alberti V. ducis coniuge et Renata Lotharinga.

[2] Hanc Guilielmi epistulam vide infra, p. 479.

[3] Gregorium XIII. [4] Limburgium; v. supra p. 457.

[5] Mt 20, 1—9; cf. Lc 10, 2; 2 Tim 2, 15 etc.

scripserit, siue non, atque in hunc fere sensum literas parandas putarim: Ex meis literis cognitas isthic esse causas, quae Principem ipsum ad Confessarium P. Dominicum Menginum nunc retinendum impellant, et inter alias eundem Patrem corporis et ualetudinis imbecillitate impedirj[a], quo minus Romam proficisci possit: neque solum Ducissam Lothoringam ipsius Principis Jllustriss. coniugem, sed et matrem eiusdem Sereniss. hoc suadere et cupere, ut eiusmodi Confessarij nulla commutatio instituatur. Quamuis autem P. T. omnino sperauerit, talem inducere commutationem in hoc ministerio, quae et instituto nostro consentanea, et hisce principibus digna, ipsisque minime displicitura esset, tamen quoniam de re tota plenius cognouerit, et ego itidem de mea sententia monuerim, ac preces interposuerim, idcirco se in eandem venire sententiam, quam ipsius Celsitudo approbauit, ut Menginus in suscepto ministerio perseueret, neque Romam venire cogatur. De reliquis uero ad eundem spectantibus, ad P. Prouintialem esse scriptum, qui facile sit omnia rite circa illum dispositurus. Haec aliaue similia si ad Principem benigne scribantur, bona mihi spes est fore, ut eius animum ad reliqua transigenda molliorem habituri simus, etiamsi nunc melioris consilij, quod acriter urgere uolui, capax non fuerit, quandoquidem immodice amat Confessarium, et hunc nouit fortasse potius[b] ex se, quam e superioribus ordinarijs dependere[c].

Fuit interim fructus aliquis huius longae difficilisque tractationis tum cum Principe, tum cum dicto eius Confessario. Cum enim Princeps uiros hoc loco praestantes ad me destinasset, qui meum expugnarent animum, et suae Confessarijque causae fauentiorem redderent, horum sententiam pro parte nostra stare cognouit, quod dicerent, id peti et urgeri a nobis, quod huic instituto eiusque synceritati et aliorum aedificationi congrueret, nimirum ut ab aulis procul absint Jesuitae, nec familiares nimium fiant aulicis, a quibus uocati aliquando cito[d] tamen pedem referre debeant, alioquin periculum esse, ne naufragium spiritus multo facilius ipsi faciant, quam aulicos Christo lucrifaciant, sicut multorum religiosorum, quos aula deteriores effecit, apertis exemplis liqueat. Benedictus Deus, qui tales ueritatis testes, et causae nostrae patronos in ipsa etiam aula tribuit, atque idcirco Principem ad Societatem rectius et cognoscendam et amplectendam efficit propensiorem, quum tot indicijs colligit, nos pro uigore disciplinae non relaxando, sed uindicando certare.

Sed et illud impetrauimus Christo duce, ut Princeps idem suum Confessarium non parum offensum ac perturbatum initio, quum de futura mutatione literis P. Prouintialis admoneretur, nobis conciliarit, eoque permouerit, ut supplex ueniam a nobis precaretur, ac uitam emendatiorem promitteret. Certe non potuit nobis non esse magnae

a) *A C. corr. ex* impedire. b) *Sequitur* quam, *oblitt.* c) *Quae sequuntur, usque ad* familiares. nimium fiant aulicis *incl., manu ignota (canisiana? romana eiusdem temporis?) linea signata sunt* d) *C. 8 vv. sqq. in margine posuit, oblitteratis his vv., quae in ipso litterarum corpore scripta erant:* referant pedem, religiosae disciplinae memores, a qua semel abducti.

consolationi, quod intra paucos dies tantum bonae immutationis in eo experiremur, qui pessime in nos ob accepta noua mandata foret affectus. Praeterea hunc Patrem inueni primum apud conuictores habitantem, sed ab omnibus segregatum, qui et mensa propria, et duobus famulis non sine quorundam scandalo utebatur, maleque cum Regente ipso[1] et quibusdam fratribus ei conueniebat. Effectum est autem Dei gratia, ut ille mutato hospitio migrarit in collegium, et Rectori[2] sese submiserit, iamque collegiali disciplina uti pergat. Proinde quod P. T. mandauit, ut priora illa priuilegia[a] illi abrogarentur, bona ex parte praestari puto, etsi serio monuit Princeps, ut hunc bene lauteque tractari in collegio curaremus, nihilque illi deesse pateremur, cuius tractationis rationem singularem ipse uelit habere. Dixi autem Principi, nos Deum precaturos, magis ut ipse nobis et superioribus fidat in ipsa nostrorum gubernatione, neque magis unius membri, quam totius corporis amorem ostendat. Cum autem hodie uocatus adessem Principi, sibi probari dixit, quod erga Confessarium humaniter ageremus, seque iam intelligere, sapienter esse factum, quod ille collegio restitutus, et ex priore domicilio eductus esset: quod uero hunc sibi retinere cuperet, non tam illius quam sua ipsius causa fieri, quum sciret non expedire, ut suam conscientiam nouo et ignoto Confessario concrederet. Respondi inter coetera, non itidem expedire, ut Confessarium sibi nimis familiarem redderet, eumque in aula diu secum retineret: satis enim fore et ad sacramenti reuerentiam prodesse, cum Confessio tractanda est, ministrum accersere.

Quod superest, P. Prouintialem literis P. V. monendum existimo, ut P. Dominicum, cuius morbos ipse perspectos habet, paulatim ad perfectiora prouehat, ideoque Rectori Monachiensi praescribat, quae ad hunc curandum aegrum maxime pertinebunt. Ego sic statuo, a parte Confessarij non minus quam ob Principem nobis formidandum esse, et quoniam in hac graui aetate suspicacem et melancholicum, uitaeque laxiori iampridem deditum et assuefactum ferre cogimur, nec alio transferre possumus in reliquis officijs fere inutilem hominem, sic illum tractandum puto, ut Principis etiam gratia utcumque nobis retineatur. Viderit ergo P. Prouintialis, quantulum illi concedendum putet, praesertim quum Lanshutam ille a Principe euocabitur, et quamdiu illic haerere debeat, an[b] hic Principi per omnia sit obtemperandum[c], quis comes illi fere adiungendus, quantumque in aula illi permittendum sit. Monebit Rector etiam de hoc negotio, multoque amplius P. Prouintialis, ad quem saepe scripsi hactenus, et cuius nomine hic haerere iubeor, ut rectius in hac rerum mutatione Principi satisfiat. Quanquam nihil obfuerit, si P. Prouintialis ad Principem ipsum excurreret, ac sicut per me semel ac iterum, ita coram et ipse

a) *Quae sequuntur, usque ad* amorem ostendat *incl., signata sunt, ut supra, p. 477*[c]. b) *Sequitur* satisfie *vel simile v., oblitt.* c) *Undecim vv. sqq. in margine addita sunt.*

[1] P. Michaele Mario. [2] P. Ferdinando Albero.

de causa tota conferret. Reliqua iudicio P. T. submissa et commissa sunto, eiusque precibus me commendo in Christo domino maxime, vt nouum annum, qui est aetatis meae 58, ad suam gloriam mihi bene fortunet.

Hoc vnum annectam, fortasse Societati non obfuturum, si Prouintiales nostri omnes P. V. literis excitati dent operam, ut quotannis in Vrbem scribant, an ullos in subditis habeant circa aulas et principes ualde occupatos, et si tales habeant, possintne illos tempestiue alio mittere, ut[a] ne[b] illa pericula et incommoda, quae magis magisque se nostris offerunt, augeantur[c]. Dominus Jesus ex his quoque miserijs nos eruat, et in sancta disciplina conseruet omnes[d], qui mundo et aulis mortui esse debemus. Felicem annum precor omnibus et singulis P. Assistentibus, sicut et P. Secretario[1], qui et pro me Dominum precari dignentur quaeso. Monachij 24 Decemb. 1578.

Seruus in Christo P. Canisius.

† Admodum Reuerendo in Christo Patri nostro, Patri Euerardo[e] Mercuriano, Societatis Jesu Praeposito generali. Romae.

Guilielmi principis *litteras ad Mercurianum, quas Canisius in hac epistula commemorat, hic poni convenit; utilissimae enim sunt ad causam, quam Canisius agebat, perspiciendam; ponuntur autem ex archetypo (2°; 1½ pp.; in p. 4 inscr. et particulae sig.) ab ipso Guilielmo subscripto, quod est in „Epp. Ext. 28" f. 156[a]—157[a] (cf. etiam *Duhr*, Jes. an Fürstenh. 120).

Guilielmus Dei gratia Comes Palatinus
Rheni Vtriusque Bauariae Dux etc.

Salutem ac beneuolentiam nostram, Admodum Reuerende nobis sincere dilecte, Cum Reuerendus vir Petrus Canisius societatis Ihesu Theologus[f], Prouincialis sui[2] nomine atque verbis nuper de vestra voluntate nobis significasset, ad urbem nimirum[g] vocari Reuerendum nobis dilectissimum Dominicum Menginum, vehementer eo nuntio sumus affecti, quippe quod is nobis, coniugique charissimae[3], ac multis praeterea ex Aulica nostra familia, pijs hominibus, per plures iam annos a sacris confessionibus existat. Cui quidem suo munerj, ut vacare posset commodius: superiori aestate, non solum is a Prouinciali liberatus est Monachiensis societatis collegij Rectoratu quod multos annos prudenter administrauit: sed etiam in pietatis deuocionisque nostrae vsum, totus traditus et concessus, vnde facere vicissim libenter voluimus, ut societas quouis argumento experiretur, quam gratum nobis accideret hoc eius offitium, Quod si iam ille eripiendus nobis foret, quo in ijs, quae salutis sunt summique momenti rebus libenter commodeque sumus usi cuiusque vita et conuersatio omnis nihil aliud est, quam viua ad pietatem atque integritatem cohortatio et doctrina, non posset equidem id aliter quam grauissime nobis accidere, Nec enim alium Confessarium facile admittimus, ob causas minime contemnendas. Libenter et ad-

a) *Hoc r. supra versum scriptum est.* b) *Sequitur* in. *oblitt.* c) *Ita corr. est ex* incidamus. d) *Sequuntur vv.* in hoc suo, *oblitt.* e) *Sequitur* Borg, *oblitt.* f) *Monachii in archivo reipublicae bavaricae (Jes. Ingolst. 1359 II f. 1 post 80) harum litterarum exstat commentarium; quod sic habet:* Cum Reuerendus et doctissimus vir nobis in primis dilectus, Petrus Canisius. g) ninirum *archet.*

[1] De assistentibus v. supra p. 130 [2]; Societatis secretarium tunc egisse videtur non iam P. Antonius Possevinus, qui ex legatione suecica circa initium m. Octobris 1578 Romam redierat (*Sacchinus*, Hist. IV l. 6, n. 76; *Theiner*, Schweden I 502), sed P. Iulius Fatius (de quo *Can.* VI 585; *Duhr*, Jes. I 93 [1]).

[2] Hoffaei. [3] Renatae Lotharingae.

ducimur, vt credamus vos nostram domum Bauaricam, ita colere, vt siue Serenissimi parentis [1] gratiam et authoritatem, siue nostrae etiam beneuolentiae opinionem spectetis, minime cupere, tam vtilis ac necessarij viri mutatione, importunius nos affici. Quamobrem si Serenissimi parentis, qui aeque nobiscum Dominicum diligit, fauorem constantem magni facit societas, si de nostra propensione recte sibi pollicetur, efficietis omnino vt quod iam ante sicuti explicatum est, summa cum animi voluptate acceptauimus, firmum certumque nobis perstet, ipseque [a] Dominicus in posterum, quamdiu nobis commodum fuerit quae salutis nostrae sunt, et ad Dei gloriam cum primis pertinet, promouere apud nos libere queat. Id quod vel ex eo futurum omnino nobis persuademus, quod Serenissimo Parenti non ita pridem, post peractas ob erecta Collegia collataque in societatem illustria beneficia deuotas admodum gratias [b] actiones, nihil non studiorum officiorumque vestrorum amplissime per literas obtulistis [2]. Cuius quidem addictissimae vestrae deuotionis, nos quoque fructum hunc iure forsitan haud iniquo nobis expetimus. Valete de nostra vicissim propensione Voluntateque optima certissime uobis persuadentes, si nostrae petitioni satis factum fuisse cognouerimus, Datum Monachij XXVIIJ Die Decembris [c] Anno salutis M. D. LXXVIIJ.[mo]

Guilhelmus manu propria.

Admodum Reuerendo Patrj nobis sincere dilecto, Euerrardo Mercuriano, in vrbe Praeposito Generali Societatis IESU. Romae.

Mercurianus Canisio respondit 4. Februarii 1579.

2028. CANISIUS **P. PAULO HOFFAEO S. J.** praeposito provinciali Germaniae superioris. Monachio sub exitum m. Decembris 1578.

Ex Hoffaei autographo; Germ. 157 f. 192[a].

De exitu negotii confessarii cum Guilielmo Bavariae principe tractati.

Canisius Hoffaei iussu Monachii morabatur, ut apud Guilielmum Bavariae principem negotium P. Dominici Mengini confessarii eius curaret. De quo negotio saepe ad Hoffaeum scribebat (v. supra p. 473). Huiusmodi litteras sub exitum m. Decembris datas Hoffaeus significare videtur, cum Ingolstadio 4. Ianuarii 1579 Mercuriano praeposito generali scribit: „Quod attinet ad P. Dominicum, ille iam denuo in Collegio versatur Rectori [3] subiectus: videtur Rector cum P. Canisio de ipso bene sperare: euentus docebit: vt autem Romam mittatur, aut P. Nicolaus [4] in confessione illi succedere possit, tam faciunt impossibile, quam ego ante isthuc praedixeram. Rogandus est Dominus vt Dux Gulielmus patriae haeres, periculosos de nobis animos conceptos integre deponat, et depositos ex leui occasione non cito repetat, quod est valde procliue. Fuit certe haec tractatio periculosa, et si similis aliq[uando cum] [?] [d] Principibus, dum ego sum in offi[cio, habenda] [?] sit, malim vt P. V. me sicut — — audiret: et puto Paternitati V. satis con[stare, uix] [?] tres

a) ipeque *arch.* b) *Sic; scribendum fuit:* gratiarum. c) *Commentarium habet:* XVJ *die Decembris.* d) *Autographum et hoc loco et infra lacerum mancumque est.*

[1] Alberti V. ducis.

[2] *Litteras Roma 23. Ianuarii 1578 a *Mercuriano* ad Albertum V. datas significat; in quibus notandum est, Mercurianum duci offerre „omne studium, operam, atque industriam nostram in omni genere officij, quod nos quidem pro nostra tenuitate praestare illi possimus“ (ex comm.: Rh. Inf. 1, II f. 18[b]).

[3] P. Ferdinando Alber vicerectori. [4] Lemburgius sive Limburgius.

aut quatuor fratres in hac Pro[uintia in] studijs ali posse, nisi in nos extet t[ant]a ch[a]ritas Principum Bauariae. Vtinam non [vere] [?] dicam, P. Canisium in causa obtinuisse vi[cto]riam, Dominicum vero reportare cupit[a] spolia, juniorique Principi si quid pro Dominico pet[at,] sine periculo negari vix posse · historiam totam fuse scribet P. Canisius et Alber."

2029. P. ANTONIUS GUISANUS S. J. contionator CANISIO.
Oeniponte vel Monachio inter a. 1576 et 1580 (1580?).

Ex archetypo (2°; pp. 3; in p. 4 inscr. et reliquiae sigilli), quod exstat Treveris in bibliotheca urbis, „Cod. 1390" (num. loc. 1353) f. 89a—90b; qui codex accurate descriptus est in „Beschreibendes Verzeichnis der Handschriften der Stadtbibliothek zu Trier" 8. Heft, Handschriften des historischen Archivs, von *M. Keuffer* und *Gottfr. Kentenich*, Trier 1914, 52—57.

De primis episcopis trevetensibus (imprimis S. Severino vel Severo) et compluribus aliis Sanctis historice et maxime chronologice disserit.

Pax Christi admodum Reuerende Pater

Ad quaestionem de B. Seuerino siue Seuero, cuius mentio fit tam in germanico, quam latino martyrologio 12. Cal. Januarij [1], multipliciter respondeo.

Pro opinione, quae censet eundem esse cum Coloniensi praeter conuenientiam historiae de uita utriusque argumentum alterum ex supputatione temporum duci posset, in hunc modum:

S. Agritius ab Helena Jmperatrice, si martyrologio[a] credimus, Treuiros ex Oriente accersitus, Concilio Arelatensi 2. interfuit sub Julio 1:[b] alias sub Siluestro [2].

S. Maximus, alias bonosus[c], sub eodem Julio .1. Concilio Agrippinensi praesedit, in quo Euphratas depositus est, ut uidere est [3] in ipso Con-

a) *Ita Guis. ipse correxit ex* bruschio. b) *Tria vv. sqq. G. postea addidisse videtur.* c) *Tria vv. sqq. a G. supra versum scripta sunt.*

[1] Martyrologium germanicum, ab *Adamo Walasser*, *Canisio* iuvante, editum (v. *Can.* III 791—797) eo die (21. Decembris) haec habet: „Jtem zu Trier des H. Seuerini, derselben statt andern bischoffs vnd beichtigers": Martyrologium. Der Kirchenkalender, Dilingen 1573, f. 354b; ac „Martyrologii secundum morem Romanae Curiae" ab *Usuardo* compositi editio amplificata, quae *Hermanno Greveno* (Greven, Grefgens) curante Coloniae a. 1515 et (emendatius) a. 1521 in lucem emissa est (cf *Can.* III 793—794), eo die haec habet: „Treveris, beati Severini secundi, episcopi et confessoris, qui et Severus dictus est"; et in „*Vsvardi* Martyrologio", opera *Ioannis Molani* professoris lovaniensis primum a. 1568 Lovanii edito, eodem die notatur: „Sancti Severini episcopi Treveresis"; posteriores autem eius editiones habent: „Sancti Severini secundi, episcopi Treverensis" (*Migne*, P. lat. CXXIV, 826); novissima autem Martyrologii editio: „Treviris sancti Severini Episcopi et Confessoris" (*Martyrologium Romanum*, Editio typica vaticana, auspice Pio X. confecta [4°] Romae 1914, 249).

[2] Interfuit concilio arelatensi (Arles) primo, a. 314 sub S. Silvestro I. pontifice habito (*C. J. v. Hefele*, Conciliengeschichte I², Freiburg i. Br. 1873, 204).

[3] „*Conciliorum* omnium Tomus primus", ed. *Petrus Crabbe* O. Min., Coloniae 1551, 316—318; „Tomus primus *Conciliorum*", Coloniae 1567 a Laurentio *Surio* O. Cart. editus, 397—399.

cilio[a] · apud quem S. Athanasius exul hospitatus est, sub Constantio et Constante · anno 246[b][?] S. Paulinus S. Seuerino coaetanaeus: Siquidem hic Euphratae suffectus, ille Maximo seu Maximino[1], ut constat ex apol. 2. Athanasij, uterque tempore Constantij Jmperatoris floruit[2]. Constat autem Paulinum, cum in synodo Mediolanensi[3] Arriana sub Liberio, contra Athanasium subscribere recusasset, in Phrygia exulem esse mortuum, Hilario teste lib. contra Constantium[4], quoad uixit neminem ei suffectum quemadmodum neque Hilario, sed[c] ecclesias in commendam uiciniori alicui Episcopo reliquisse. Fuerit ergo Commendatarius ecclesiae Treuirensis S. Seuerinus, Corcordant ex omni parte tempora. S. Maternus .2.[d] celebris Agrippinensis Episcopus sub Miltiade Papa a Constantino Jmp. Romam accersitus, unus e iudicibus fuit in causa Donati, ut Augustinus et Optatus soepe meminerunt[5]. Euphratas a Constante Jmp. ad Constantium legatus cum Vincentio Capuano post Sardicensem synodum legitur missus. S. Seuerinus Euphratae Arriano suffectus, adhuc uiuente Julio .1. uixit in Coloniensi Episcopatu multos annos, ut [constat][e][?] partim ex testimonio Otthonis Frisingensis lib. 4. cap. 18. quoniam Ambrosio et Hieronymo illum coaetaneum facit[6], partim uero ex narratione celeberrima illa de transitu S. Martini, quem uterque Ambrosius et Seuerinus in coelum transferri uiderunt[7]. Conclusio igitur sit tempora concordare, ut S Seuerinus S. Paulino exulante, utramque pariter ecclesiam administrarit. Sicut S. Agritius Treuirensem et Tungrensem: Nam in utriusque ecclesiae Episcoporum catalogo similiter recensetur.

Pro opinione contraria, alium esse S. Seuerinum Coloniensem Episcopum ab eo, cuius martyrologia tanquam Treuirensis Episcopi meminerunt, Tres[f] praeterea Seuerinos siue Seueros in Episcopatu Treuirensi reperio.

a) *Quae sequuntur usque ad* 246 *incl., a G. postea inserta sunt.* b) *Valde probabile est, Guisanum lapsu memoriae vel calami sic scripsisse pro* 346; *vide adnot. 1.* c) *Vv. sqq., usque ad* Concordant *excl., linea subducta sunt notata.* d) *Hic numerus supra versum scriptus est.* e) *Hoc vel simile v. supplendum esse intellegitur ex vv. sequentibus.* f) *Hoc v. a G. postea positum est, eraso alio quodam v., quod fuisse videtur* Duos.

[1] Maximinus, ut fertur, sub Iulio I. a. 346 synodo coloniensi praefuit, in qua Euphrates episcopus coloniensis propter Arianismum loco motus est (cui S. Severinus successisse traditur); verum viri docti complures acta illius synodi spuria esse censent: cf *J. Marx,* Geschichte des Erzstifts Trier I[1], Trier 1858, 62–67; *Hefele,* Conc. I[2] 628–629; vide tamen ea quoque, quae profert *H. Leclercq* O. S. B., Histoire des Conciles par Ch. Jos Hefele. Traduction corrigée et augmentée I[2], Paris 1907, 830—834.

[2] *S. Athanasii* Apologia ad Constantium n. 3, Apologia contra Arianos n. 50, Historia Arianorum ad Monachos n. 20 (*Migne,* P. gr. XXIV 337—338 599—600 715—718). [3] Guisanus scribere debuit „arelatensi" (II).

[4] Contra Constantium n. 11 (*Migne,* P. lat. X 588).

[5] „Dati sunt judices, Maternus ex Agrippina civitate" etc.: *S. Optatus Milevitanus,* De schismate Donatistarum l. 1, n. 23 (*Migne,* P. lat. XI 930–931). *S. Augustinus* huius iudicii saepe mentionem facit, neque tamen Maternum nominat.

[6] *Ottonis* Episcopi Frisingensis Opera, ed. *G. H. Pertz* I, Hannoverae 1867, 196.

[7] *S Gregorius Turonensis,* De miraculis S. Martini, l. 1. c. 4 5 (*Migne,* P. lat. LXXI 918—919).

Vnum[a] S. Agritio antiquiorem, qui et inter Tungrenses Episcopos numeratur[b] [1].

Alterum, qui S. Germano Antisiodor. Episcopo comes fuit secunda profectione in Angliam S. Lupi Trecassini discipulus[2].

Tertium[c], qui in S. Amandi Traiectensis Episcopi, et Gregorij Turonici[d], tempore incidit[3].

Huic postremo[e] existimarem historiam quae est in annalibus Treuirensibus rectius quam Coloniensi Seuerino accommodari posse: siquidem tam expresse in S. Amandi nomine non solum Gregorius Turon. sed etiam annales Treuirenses conueniunt[4].

Colligo id[f] in hunc modum.

S. Seuerinus[g] (Seuerus uocatur in martyrol. Molani 15. Octobris) secundus Treuer. Episcopus comes fuit S. Germani Ansiod.[h] [?] Episcopi: Testantur id historia uitae S. Germani et Iuonis Chronicon.[5] Mortuus est autem S. Germanus iuxta Sigeberti Chronicon 450 a Celestino Papa in Angliam ad opprimendam ibi Pelagianam haeresin missus.

a) Vunum *G.* b) *Sententia sequens, usque ad* Tertium *excl., a G. postea inserta est.* c) *Hoc v. a G. postea positum est, eraso alio quodam v.; quod fuisse videtur* Secundum *vel* Alterum. d) *Hoc v. similiter in locum erasi cuiusdam v. a G. substitutum est.* e) *Ita G. correxit ex altero v., quod posuerat (*posteriori, *ut videtur).* f) *Sequuntur vv.* ex ratione temporum, *a G. oblitterata.* g) *Vv. uncis inclusa, quae sequuntur, a G., uncis non appositis, supra* Seuerinus *et vv. sqq. scripta sunt ita, ut ea vel post hoc v. vel post* secundus *inserere voluisse videatur.* h) *Sic; sed volebat, puto, scribere:* Antisiod.

[1] 24. Octobris: „Treveris, beati Severini primi, episcopi et martyris" Martyrologium *Greveni* (cf. supra p. 481, adnot. 1; *Migne*, P. lat. CXXIV 618).

[2] Huic nomen potius erat Severo; de quo *Laur. Surius* O. Cart., De probatis Sanctorum historiis Tomus IV, Coloniae 1573, 392. Ex his „Historiis" Guisanus etiam ea hausit, quae infra de Germano, Rustico, Itta, Amando scripsit.

[3] Guisanus hic S. Amandum traiectensem sive mosaetraiectensem (Maastricht) episcopum (a. 647–649) perperam posuisse videtur pro S. Amando burdigalensi (Bordeaux) episcopo († circa a. 432). Hunc enim S. Severino episcopo „de partibus Orientis" venienti munus episcopale cessisse narrat *S. Gregorius Turonensis* episcopus (573—594) in „Libro de gloria beatorum Confessorum" c. 45 (*Migne*, P. lat. LXXI 862—863). Atque hunc Severinum eundem fuisse atque Severinum episcopum coloniensem asseritur in *Usuardi* editione Coloniae a. 1490 facta et in Martyrologio *Greveni* et in prima editione Martyrologii *Molani* (cf. supra p. 481 [1]; *Migne*, P. lat. CXXIV 170); item in Martyrologio *Canisiano* (l. c. f. 297[a]) et in sermone de S. Severino coloniensi, quem posuit *Surius* l. c. V 923—924; idem vero negatur a *J. van Hecke* S. J., Acta Sanctorum Octobris, Tom. X., Parisiis et Romae 1869, 51—52; v. etiam *Analecta* Bollandiana XIV 444—445.

[4] In antiquissimis quidem „*Trevrorum Gestis*" (usque ad a. 1101 perductis) tantum dicitur, Severinum ecclesiam treverensem rexisse; sed Gesta aucta et usque ad a. 1132 continuata haec quoque habent: Ei „dictum est a Domino, ut a sede sua Burdegolam transmigraret. . . . Quo tendenti beatus Amandus illius ecclesiae episcopus . . . loco cessit, Severino sede relicta": Gesta Trevirorum, ed. *G. Waitz*, Monumenta Germaniae historica, Scriptt. VIII, Hannoverae 1848, 160.

[5] Guisanum non *S. Ivonis* episcopi carnotensis (Chartres) „Chronicon de regibus Francorum" (*Migne*, P. lat. CLXII, 611—616), sed copiosius illud *Hugonis Floriacensis* Chronicon (Historiam ecclesiasticam) significasse puto, quod olim quidem ab eodem Ivone scriptum esse dicebant (cf. *Migne*, P. lat. CLXI XLV—XLVI): neque tamen, quae ex eo praesto sunt, excerpta (vulgata a *G. Waitz* in Monumentis Germaniae historicis, Scriptt. t. IX, et ex eo ab *J.-P. Migne* in P. lat. CLXIII) hoc testimonium habent.

S. Aprunculus, alias Aponoculus. Turon. in uita S. Galli[a] [1].

S. Nicetius, qui Concilio Aruernensi[b] interfuit, circa tempora Vigilij Papae, et Parisiensi [2]. to. 2 Concil. p. 654[c] [3]. Scripsit epistolam ad Justinianum Jmp. Vnde intelligitur ante Vigilium Papam quoque Treuirensem Episcopatum tenuisse [4]. Eius sanctitatem et miracula describit Gregorius Turon. in uitis Patrum cap. 17. et Fortunatus lib. 3. carminum.

S.[d] Magnericus de quo martyrologia 25. Julij . Paulo ante Gregorij Magni Pontificatum. Scripsit de eodem Fortunatus, et Eberwinus abbas S. Martini Treueris anno 995 [5]. Gregorius Turon. lib. 8. cap. 37 [6]. Theodebertum Chilberti regis filium e sacro fonte leuauit.

S. Felix .2.[e] de quo martyrolog. Molani 26. Martij. Deinde Rusticus, qui sub Goare presbytero poenitentiam egit, tempore Sigiberti regis et Mauritij Jmp. ponuntur tom. 4. Surij p. 93 in uita S. Goaris[f].

S.[g] Sebaudus de quo 26. Nouemb. in martyrol. Molani.

S. Modoaldus[h] 12 Maij.

S. Seuerinus secundus, siquidem alter qui praecessit potius Seuerus est appellatus. Atque hic ille Seuerinus est forte[i] quem quaerimus, quique 12. Calendas Januarij in martyrologijs habetur. Fuit siquidem S. Amandi Tungrensis siue Traiectensis tempore, quod patet duplici ratione primo quia S. Modoaldi sororem nomine Jttam in sanctimonialem Amandus[k] consecrauit, ut in uita S. Modoaldi legitur. 2º quia uterque tam Modoaldus quam Amandus Dagoberti regis tempore claruerunt. Nam Dagoberti regis filium S. Amandus baptizauit, circa annum 630. Eundem uero esse S. Amandum Burdegalensem, qui et Tungrensis dicitur, probatur, primo quia Traiecti non diu residens, S. Landoaldo Viceepiscopo relicto, in Aquitaniam unde et oriundus erat, se transtulit, ut habetur in eius[l] et S. Landoaldi uita to. 2. Surij p. 282 [7]. 2º Amandum Seuerino Episcopatum Burdigalensem cessisse, maxime quadrat in hunc Amandum cum Tungrensis Episcopus Treuirensium Episcoporum suffraganeus esset.

Jllud uero non exiguum iam scrupulum mihi mouet, quomodo Gregorius Turon. de hoc Seuerino scribere potuerit, uel etiam de S. Amando, cum uterque Gregorio aliquanto posterior fuerit. Nam[m]

a) *Sequuntur 2 vel 3 vv. oblitterata (*St. Gallus*?)* b) *Sequitur* et, *oblitt.* c) *Quinque vv. sqq. linea subducta est.* d) *Quae sequuntur, usque ad* S. Felix *excl., lineis subductis notata sunt.* e) *Hic numerus et proxima 6 vv. a G. postea inserta sunt.* f) *Sequuntur vv.* S. Seuerinus tertius quem martyrologia 12. *[?]* Calend. Januarij Seuerum siue Seuerinum secundum appellant, quem necesse. *oblitterata (praeter primum* S.*).* g) *Sequitur* est, *oblitt.* h) *A G. correctum ex* Modolaldus. i) *Hoc v. postea supra versum scriptum est.* k) *Hoc v. supra versum scriptum est.* l) *Sequitur* uita, *a G. oblitt.* m) *Sequuntur vv.* Gregorium magnum, *oblitt.*

[1] *Gregorius Turonensis*, Vitae Patrum c. 6, n. 3 (*Migne*, P. lat. LXXI 1031).

[2] Cf. *Hefele* l. c. II² 761; III 7.

[3] Significatur „Tomus secundus *Conciliorum omnium*“ Coloniae a. 1567 (a Laurentio Surio O. Cart.) editus. [4] Scribere debuit: „post Vigilium.“

[5] *Acta* Sanctorum Iulii, Tom. VI, Antverpiae 1729, 183—192.

[6] „Historia Ecclesiastica Francorum“ l. 8, n. 37 (*Migne*, P. lat. LXXI 475).

[7] In S. Amandi tamen vita (*Surius* l. c. II 911—912) Landoaldus non commemoratur.

Gregorius Turonensis sedecim annos in Episcopatu exegerat cum Gregorius magnus pontifex Romae factus est anno 590. Amandus autem Traiectensis mortuus legitur anno 661. Vnde sequeretur multo plus quam centenarium debuisse scribere de nostro Seuerino: quae res omnino cogit me reuerti ad priorem opinionem de Seuerino Coloniensi, praesertim cum Gregorius Turonensis nec[a] usque ad Dagoberti regis tempora potuerit uixisse.

Sit uero[b] tertia opinio Seuerinum Aquitanicum, neque Treuirensem neque Coloniensem Episcopum fuisse, sed tertium quendam qui ex Orientis partibus, ut inquit Greg. Turon. eo deuenit, exceptusque a S. Amando non Traiectensi Episcopo, sed longe diuerso, cuius festum 18. Junij in martyrologio Molani[c] annotatur. Placeret haec opinio nisi annalibus, tam Treuirensis, quam Coloniensis ecclesiae repugnaret. Quid praeterea scribam non inuenio. Ado Treuirensis esse potest, etsi Episcopus non fuerit[d]. Oret Reuerentia T. pro suo Antonio Guisano.

Reuerendo in Christo Patri Petro Canisio, Theologo Societatis Jesu. Augustae.

Epistulae huic nec locus nec tempus ascripta sunt; patet tamen, eam post a. 1572 datam esse; nam Tomus quartus operis de Sanctorum historiis a Surio editi in ea commemoratur; qui primum a. 1573 in lucem emissus est. Atque epistula paullo postquam Augustam perlata est, Treveros missa esse videtur; in eius enim pagina quarta notatum est: „Joannes Santgenotius consultus a P. Cre. respondit litteris ad eum anno 1581, 18. Aprilis, S. Amandum Burdegalensem uixisse anno Domini 623. Dagoberto Francorum rege, nihil hu[ius][e], uel similis rei de eo praeterea commemorans“: ita autem eum respondisse P. Ioanni Cremerio S. J. Treveris moranti ex iis cognoscetur, quae modo dicentur: Ille codex, in quo Guisani epistula exstat, usque ad saeculum XVIII. collegii Societatis treverensis fuit et totus compositus est ex epistulis, commentariis, veterum monumentorum apographis ad historiam treverensem spectantibus iisque inter m. Februarium 1576 et Maium 1581 (quantum quidem cognosci potest; nam compluribus scriptis tempus annotatum non est) scriptis; quae Socii treverenses, inprimis P. Ioannes Cremerius, collegerant; atque id quod iam aliunde intellectum est: Iacobum ab Eltz archiepiscopum treverensem († 4. Iunii 1581) a Sociis, ut archiepiscopatus sui historiam scriberent, petisse (*Duhr*, Jes. I[2] 425), id, inquam, huius codicis litteris plenius illustratur. Quare sic conicio: Socii illi treverenses Canisium, quo plurimum iuvante „Martyrologium“ illud germanicum primum a. 1562 editum erat (a. 1573 iterum editum est; v. Can. III 791 et infra. monum. 1115), de Sanctis, qui in episcoporum treverensium catalogis memorantur, et maxime de S. Severino interrogarunt; is vero, cum vel tempus vel libri ei non suppeterent, P. Guisanum, qui aliquamdiu in opere contra Centuriatores scribendo eum adiuverat (*Can.* VI 623, 714 et supra p. 130), consuluit et eius epistulam Augusta Treveros misit; Augustae autem Canisius per breve tempus fuit a. 1576, 1577, 1578 (ter), 1579, 1580 (m. Maio et Septembri et, puto, Novembri). Guisanus autem ad eum scripsisse videtur aut Monachio, ubi 1574—1576 contionatus est et fortasse anno quoque 1578 per breve tempus est moratus, aut, id quod mihi magis probatur, Oeniponte, ubi per maximam illius

a) *Duo vv. sqq. a G. supra versum scripta sunt.* b) *Ita G. correxit ex* Sit ergo. c) martyrologij Nolani *G.* d) *Quae sequuntur, usque ad* Guisano *incl., lineolis transmissis oblitterata sunt, ita tamen, ut haud difficulter adhuc possint legi; eaque non ab eo, qui epistulam scripserat, sed ab altero oblitterata esse ex eo cognoscitur, quod lineolae atramento alterius coloris (haud ita nigri) factae sunt.* e) *Verbum obscurius scriptum.*

temporis partem contionatorem egit (Hist. coll. Oen. p. 10 26). Epistula igitur haec inter a. 1576 et 1580 data est; et maxime verisimile est, eam a. 1580 datam esse.

2030. EVERARDUS MERCURIANUS praepositus generalis Societatis Iesu CANISIO. Roma 3. Ianuarii 1579.

Ex apographo eiusd. temp.; in margine, eadem manu: „Oeniponti P. Canisio.“ Rh. Inf. 1, II f. 25[b].

Quis mittendus visitator in Germaniam superiorem?

Superioribus diebus accepi literas R. V. in quibus consilium de ista Prouincia uisitanda ualde probauimus, sed uarijs subinde negotijs interuenientibus, non potuimus tam cito statuere, cui nam potissimum id muneris recte committj posset. Nam P. Balduinus, quem R. V. proponebat[1], non potest ulla ratione a Belgio auellj, ne in huiusmodj temporibus[2] nostrj omnino superioribus destituantur, cum praesertim etiam paulo ante P. Harlemium fe. re. amiserint[3]. Patrem etiam Costerum[4] quibusdam de causis non ita aptum iudicamus, cui tantam Prouinciam soli praesertim committamus. Jtaque nobis alia quaedam consilia occurrebant, quae una cum Reuerentia V. communicare uoluj, ut eius sententiam in re praesenti exquirerem. Ea sunt ut hanc uisitandi curam mandemus P. Costero addito illi socio Patre Theodorico[5], uel etiam ipsi Patrj Theodorico, uel denique P. Tyreo[6] cum aliquo socio, quem hinc mittemus Jtalo bono, ac perito uiro, et qui bene teneat tum uisitandj rationem, tum etiam uoluntatem nostram, a quo non parum in eo munere adiuuari poterit. Velim igitur scire, quid R. V. de his omnibus censeat, et quem ex his, quos proposui tum melius hoc officio functurum, tum gratiorem Prouinciae isti futurum arbitretur. Et si cum aliquo alio R. V. communicare uoluerit, non impedio, modo ita secreto[a] ne res in publicum manet. Curabit autem ut quamprimum ad nos responsum perferatur, ut in tempore deliberare possimus, quid sit agendum. Qua etiam de causa commodum fuerit, si duplici uia, sicut et nos facimus nobis rescribat. Commendo me *etc.* Romae 3.° Januarij 1579.

Canisius Mercuriano respondit circa medium m. Februarium 1579.

a) *Sequitur* ut, *oblitt.*

---

[1] Canisius in epistula 18. Iunii 1578 data (quae iam non exstat) a Mercuriano petisse videtur, ut aut P. Balduinus ab Angelo (de quo v. supra p. 104), aut P. Franciscus Costerus mitteretur. *Florentius Bronchorstius* S. J. Oeniponte 21. Septembris 1576 Mercuriano de P. Antonio Vinck 7. Septembris 1576 Bononiae mortuo *scripsit: „Oenipontani existimabant nos vna ducturos P. Antonium, atque eum visitatorem suae prouinciae vtilissimum futurum sperabant“. Et P. *Theodoricus Canisius* S. J. eidem *scripsit Dilinga 5. Ianuarii 1577: „R. P. Prouincialem [Paulum Hoffaeum] iamdiu non vidi: non instituit visitationem Collegiorum anno proxime elapso, quod Visitatorem ex vrbe indies expectaret“ (ex autographis; Germ. 137 f. 162[a]; Germ. 138 f. 114[a]).

[2] De provincia S. J. belgica sive flandrica magnam partem dispersa v. supra p. 461[2].

[3] P. Ioannes Wilhelmi Harlemius (de quo supra p. 19) rector lovaniensis et viceprovincialis Belgii 1. Octobris 1578 pestilentia abreptus est (Germ. 156 f. 29[a] 111[a] 112[a]; Germ. 157 f. 111[a]).

[4] Provincialem rhenanum.

[5] Canisio, rectore dilingano.

[6] P. Hermanno Thyraeo.

2031. CANISIUS cardinali **GUILIELMO SIRLETO**, Sanctae Romanae Ecclesiae Bibliothecario. Monachio 12. Ianuarii 1579.

Ex apographo, anno 1896 a D. *Vincentio Nardoni* exscripto ex autographo, quod exstat Romae in bibliotheca vaticana, Cod. Vatic. 6193, f. 314.

Opus Marianum ei mittit. In altera editione paranda ab eo iuvari cupit.

†

Pax Iesv CHRISTI nobis aeterna,
Illustriss. et Reuerendiss. Domine patrone.

Ante menses aliquot misi Romam exempla operis Mariani, et ex illis unum offerri ac donari uolui Illustriss. amplitudini tuae, sicut diserte monueram [1]. Nunc uero ad me scribitur, distracta exempla esse omnia, sed nullum ex his ad manus optimi patroni Sirleti peruenisse, qui tamen habendi et legendi desiderio teneatur. Atque hoc praeter omnem expectationem meam accidit, molesteque fero, hac iniuria illum affici, cui prae coeteris hoc quicquid est operis ac muneris, offerri debebat. Scio enim, et liber ipse loquitur [2], quantum dignitati tuae debeam, a qua multum subsidij mutuatus sum in hac lucubratione. Mitto nunc igitur uolumen desideratum, simulque culpam alieni erroris deprecor, per quem tarde redditur, quod multo tempestiuius exolui oportebat.

Nihil interim ambigo, plura et praeclara extare ueterum testimonia, praesertim apud Graecos authores, quae Deiparae Virginis laudem uehementer illustrent. Quoniam uero meum opus recudendum est, etiam atque etiam oro, ut id genus loca, si quae postea isthic obseruata sint, summatim excerpta benigne mihi communicentur. Faciam sane, ut plenior sit editio altera, quoad eius fieri poterit. Tum praeclari muneris loco ducam, si praestantia tua me admonere dignabitur de locis quibusdam in hoc opere corrigendis, quum sciam illic non pauca posse desiderari, egoque sapientibus et doctis censoribus percupiam facere satis. Faxit Christus Opt. Max. ut labor noster Deiparae Virginis laudem aliqua ex parte uindicet, simulque prosit Ecclesiae Dei contra impios obtrectatores. Bene in Christo uale Illustriss. Domine. Monachij 12 Ianuarij anno post Virgineum partum M.D.Lxxix.

Illustriss. Celsit. tuae
Seruus in Christo Petrus Canisius manu propria.

†

Illustriss. et Reuerendissimo in Christo patri ac Domino, D. Guilhelmo Sirleto S. R. E. Cardinali et patrono ampliss. Romae.

Canisius, cum de Opere suo Mariano Sirleto scribit: „Liber ipse loquitur, quantum dignitati tuae debeam", omnino vere scribit; in primo enim Operis libro, postquam graecum quoddam de Beata Maria Virgine testimonium protulit, haec ei

---

[1] Vide supra p. 431.

[2] Vide, quae sub ipsas has litteras dicentur.

subiungit: „Caeterum ne quisquam haec aliaque Graecorum Patrum testimonia in dubium reuocet, quae in hoc opere subinde recurrunt, et in vulgaribus codicibus non reperiuntur, ingenue quod res est, hoc loco fatebor. Agit Romae praestantissimus simulque doctissimus Cardinalis Guilielmus Sirletus, cui hanc debeo et habeo sane gratiam, quod suas opes ex antiquissimis optimisque Graecorum Theologorum scriptis vndique corrasas nobis perbenigne communicarit. Ex huius locuplete et rara quidem Bibliotheca [1], quae multis Croesi thesauris praeferri meretur, complures veterum sententias veluti lumina quaedam proferimus, vt hinc etiam Catholica veritas illustretur. Quod si hoc studium nouatores offendit, at certe piis, vt spero, non displicebit, qui secundum Euangelicam parabolam vinum vetus“ etc.: De Maria Virgine incomparabili, Ingolstadii 1577, l. 1, c. 2, p. 15.

2032. CANISIUS **P. PAULO HOFFAEO S. J.** praeposito provinciali Germaniae superioris. Monachio m. Ianuario 1579.

Ex Hoffaei autographo; Germ. 157 f. 206[b].

P. Menginum Guilielmi principis confessarium male se gerere.

Ex litteris, quas Canisius Monachio de negotio P. Dominici Mengini confessarii Guilielmi Bavariae principis et uxoris eius, saepe ad Hoffaeum provincialem dabat (v. supra p. 473), magnam partem hausta esse videntur ea, quae Hoffaeus Ingolstadio 2. Februarii 1579 ad Mercurianum praepositum generalem rettulit. „Quid“, inquit Hoffaeus, „vtilitatis effectum sit in causa P. Dominici, mihi non libet scribere: scripserit opinor satis P. Canisius et Collegij Vicerector [2], quomodo se exhibeat subditum Rectori qui totus pendet ex Principe; quomodo habitet in Collegio, qui nunc in Aula [3] manens, cito ad Collegium forte non redibit, quemque Rector gaudet esse absentem; denique quid exacerbati hominis animus et vindictas aperte minitantis principi, cui cohabitat, prodesse possit, non est difficile conijcere. Mitto Dominici literas, quas postremo Lanshutae dedit, vnde facile intelliget (si tamen vera scribit) in quo statu res sit, et quae seminaria inspersa sint et quotidie forte inspergantur animo Principis. P. V. caueat quaeso ne P. Nicolaus Carpentarius [4] sicut nec quisquam alius qui isthinc huc aliquando profecturus est, quicquam de his miserijs resciscat. Sicut parum forte aedificauit Principem, Dominicum a me exauctoratum [5], isthic designatum fuisse Rectorem

[1] Catalogum quendam codicum, qui in bibliotheca Sirleti fuerant, edidit *Possevinus*, Apparatus, Catalogi p. 102—104. De Sirleti bibliotheca codicibus graecis plena scripsit *P. Batiffol*, La Vaticane de Paul III à Paul V, Paris 1890, 51—60.

[2] P. Ferdinandus Alber, vicerector collegii monacensis.

[3] Landishuti.

[4] „Nicolaus Carpentarius [Zimmermann?] Heidelbergensis“, ex parentibus protestantibus ortus, Societatis vota primum nuncupavit Monachii 5. Augusti 1571; logicae ibidem studuit ineunte a. 1574; deinde ab Hoffaeo Romam missus est; unde cum a. 1579 redisset, primum in universitate ingolstadiensi philosophiam magna cum laude tradidit; deinde regens convictorum fuit Monachii, ubi a. 1587 admodum pie mortem obiit (*Liber votorum ingolstadiensis [de quo *Can.* VI 514] f. 38[a]; *Catalogus Germaniae superioris, in Hist. Soc. 41 f. 174[a]; *Hoffaei indiculi autographi in Cod. „VI 35“ f. 57[a]; *Agricola* l. c. I Dec. 5, n. 330; *Sommervogel* l. c. II 766 ad 767; *Duhr*, Jes. I 477).

[5] Officio rectoris collegii monacensis; v. supra p. 446 456.

Olmucensem, et hoc quoque consilium fuisse mutatum ex informatione forte nostra etc. etc.

Cum hac epistula Hoffaeus hanc *epistulam (autogr.; Germ. 156 f. 245). Landishuto 18. Ianuarii 1579 a *Mengino* ad se datam misit:

Admodum Reuerende Pater. Pax Christi.

Voluit Serenissimus dux Guilhelmus ut secum irem in Oeting. quod cum significassem Patri Vicerectorj ad me scripsit hanc schedulam quam hisce inclusam mitto ad R. Vestram [1]. Certe neque is se mihi amicum neque beneuolum ostendit, contra Expectationem R. Vestrae sed imperiosum et nimium sui capitis aut imprudentiolae. Sed haec nihil ad me. Non cessat Canisius culicem persequi nullo cum honore et laude. Sed quid tandem propter culicem? Tutius esset se occupare in iudicij et mortis occupatione [a] [?] ne alios docendo, nos ipsos morte dignos negligamus, aliquando nostra ignoramus nimium occupati alios diiudicando sub specie recti. Sic cum multis frequenter factitatum esse uidemus. Vnusquisque autem onus suum portabit [2], cum non sit respectus personarum apud Deum [3]. Nunc Franciscum [4] hic habeo totum languidum et infirmum, etiam tot lanceis antea iaculatum. Viuimus ut possumus, si non ut uolumus. Deum ex animo precor ut breui hisce miseriis finem imponat, ad salutem animae nostrae [b] et aedificationem totius bauariae. Vtinam R. V. cor meum uideret, scio quod ex animo lugeret, illud tandem eo redactum esse, de quo numquam cogitatum fuit, neque meliora per tantam uim et [c] [?] expectare possum multas ob causas. Credat mihi R. Vestra quod non omnia scit, quae mihi contigerunt, et maiori ex parte per P. Canisium cum pauculis aliis, quj tamen in re non satis bona, gaudere uidentur. Judicet inter me et illos [5] Dominus Deus, qui iustus iudex [6] est. In hisce tantis tamque multis calamitatibus, aliquid [d] [?] nihil peto a R. Vestra, nisi ut non suam misericordiam a me auferat, vel ut Deum pro me oret, ut breuj ex hac uita me auferat, quia coarctor nimium [7], et nulla mihi spes est. Commendo me humiliter precibus R. Vestrae. quam rogo ut sibi caueat, ne etiam decipiatur a P. Canisio, qui uere plusquam excogitari potest mirabilis est. Caetera pertranseo [e]. Neque enim dubito, quin breui aliquid sentire debeat Jllustrissimus Guilhelmus, qui satis capax est rationis et intelligentiae. Lanshoutae .18. Januar:

V. R.

seruus

Dominicus menginus. [f]

Una cum his litteris Hoffaeus Ingolstadio ad Mercurianum misit *epistulam Landishuto 20. Ianuarii 1579 a P. *Dominico Mengino* ad P. Reynerum Fabricium S. J., qui tunc Monachii versabatur, datam (autogr.; 1 p.; Germ. 156 f. 249); quae tamen epistula, ut Hoffaeus eidem sua manu adnotavit, Fabricio a praepositis tradita non est; hanc hoc loco poni oportet; nam ex ea etiam clarius, quam ex superioribus litteris, intellegitur, quid Canisius apud Guilielmum principem de Mengino effecerit, et quid ea de re Menginus senserit [8]. Sic itaque Menginus:

a) *Sic; scribere voluisse videtur:* meditatione, *vel aliquid simile.* b) *Quattuor vv. sqq. a Meng. in margine addita sunt.* c) *Sic; corrigendumne* etc. *aut* etiam? d) *Sic; scribere volebat, puto:* aliud. e) *Sequitur* Lanshoutae, *a Meng. oblitteratum.* f) *In tergo huius epistulae Hoffaeus scripsit:* Epistola Dominici ad Hoffaeum scripta.

---

[1] Haec perisse videtur.

[2] Gal. 6, 5. [3] Cf. 2 Par 19, 7; Act 10, 34; Rom 2, 11; Eph 6, 9 etc.

[4] Famulum significari colligi potest ex proximis Mengini litteris („abest Pater, Dominicus cum suo famulo"). [5] Gn 16, 5; 1 Rg 24, 13 16; Idt 7, 13 etc.

[6] Ps 7, 12; 2 Mach 12, 5; 2 Tim 4, 8. [7] Cf. 2 Rg 24, 14.

[8] Partem huius epistulae germanice vertit *Duhr*, Jes. an Fürstenh. 117: quam a. 1579, non 1578, datam esse cognoscitur ex ordine chronologico rerum inter Guilielmum, Canisium, Menginum etc. gestarum.

„† Pax Christi Reuerende Pater.

„hac scribendi occasione oblata, haec paucula scribere uoluj, teque in domino salutare ac omnia felicia precari. Nostrum iter sic satis prosperum fuit, non tamen, Oetingam vsque, quia ex Dontenhausen, rediimus Lanshoutam propter inundationes aquarum. Nunc igitur Lanshoutae sum, sed non uti olim in splendidis et ornatis cubiculis, sed in quodam haeremitico tuguriolo: non uti olim ociosus, sed totis diebus uariis distentus cursibus et occupationibus, Nunc tamen maxime in audiendis aliorum paupertatibus et querelis, ut huiusmodi misellis apud Serenissimos subuenire possim, quod non dubito insigniter faciam. Vix crederes quantum spei et consolationis in me repositum habeant pauperes et tribulati. Postea, vbi uacat iam incepi tractare et colligere methodum de vita spirituali: Nam hic satis magnam habeo commoditatem librorum, ex biblioteca domini decani [1]. Satis etiam frequenter vtitur mea opera Serenissimus Princeps, qui diligenter obseruat ne nimium speculer uel ociosus sim. Sic enim aliquando mihi obijcit, Dicunt uestri, quod toto die [a] stertjs et in ocio delitescis: Jnsuper sic Jllustrissima [2], audio quod non quotidie celebras, nunc uolo ut quotidie me tuum sacrum audiente celebres, dato pulsu campanae, quod a meo istinc discessu quotidie factum est, etiamsi satis aegrotus fuerim. Aliud mihi obiecit Serenissimus, Vade inquit et des hanc eleemosinam hisce pauperibus, postea restituas mihi quod superest: Nam inquit, Vestri conqueruntur quod habeas proprias pecunias, quibus uteris quando uis, Et quod pecuniis te destruo · qua re audita, rem satis memorabilem feci, non tamen iam tibi dicam. Equidem hisce et multis aliis mihi obiectis strenue et religiose respondi, meque honeste purgauj, sed [b] neque iam tibi dicam quid de me postea senserint, uidentque mihi vbique positas esse insidias iniustas, quas qui ita extendunt contra culicem, quid laudis aut pietatis? Efficiunt ut alios parum laudando seipsos maxime uituperent, una cum suis membris. Putarem multo illis consultius fore, ut pie ac religiose, amice, beneuole ac pacifice uiueremus, quod nullo negotio fierj posset omnium cum laude et aedificatione. Nam mihi credas, quod multi offensi sunt et scandalizati, miranturque istam iniustam uexationem. Esto, nuper redij a conuictoribus ad collegium, quid feci vnde alios offendere potuerim et tamen non placuj (scio quid ego dico) et uoces aliorum sparsae sunt, quod collegium est multo quietius, vbi abest Pater Dominicus cum suo famulo. Quod facile credo, sed quid interim possum? Vt ibi sim paniperda ac Viniperda in scamno super libros, non est meae sanitatis, neque professionis. Vt autem mortificationes faciam ad nostrorum aedificationem [c], hoc est hominem tentare, sed neque ipsi hoc faciunt, qui sibi satis dies bonos concedunt. Perge si placet, Nonne nuper mihi promisisti ex religiosa fide P. Canisij, quaedam honesta et ratione mei status laudabilia priuilegia, et tamen quae mittuntur ad me literae aperiuntur, nunc sub alia uerborum interpretatione, ut faciunt illj qui alios insigniter decipere uolunt. O mj Pater, sola amica beneuolentia et pius charitatis affectus, multo plura concederet, cum [d] vtilitate, cum aedificatione, cum conscientia bona et laeta. Pudet me plura subnectere, ne nimis multas dissimulationes ac fictiones declarem, quas ita manibus palpo, ut nihil mihi sit incognitum, propterea ex ignorantia non decipiar, Nunc uado ad meum solitarium praedictum. Nam dux non vult ut secum uel cum aliis comedam, Ne inquit, Vestri accipiant occasiones conquerendj de te, sicuti in aliis faciunt. Tria parua fercula tantum mihi dant, vti istic. Franciscus totus est

a) *Sic Meng. ipse correxit ex* semper. b) *Sic Meng. corr. ex* ut. c) *Sic Meng. ipse correxit ex* Vt autem alia faciam ad aliorum aedificationem. d) *A Meng. corr. ex* ut.

[1] Significaturne doctus ille vir Ioannes a Via (cf. *Can.* II 125 [4])? Ioannes Baptista Fikler archiepiscopi salisburgensis consiliarius 4. Septembris 1561 „Johanni a Via decano Landeshutano“ epistulam misit, cuius commentarium vel apographum exstat Monachii in bibliotheca nationali, Cod. lat. 715[a] (Fikleri epistolae) f. 43.

[2] Renata, uxor Guilielmi.

languidus et aegrotus, continuo manet retro fornacem. Accepit hodie medicinam. Ora pro nobis mi Pater. Vale[a] [?] Lanshoutae .20. Januarij

Seruus Dominicus.

Pater Michael[1] neque hic neque in multis aliis locis bene audit · sed transeo quia mihi sua astutia et multis miseriis egregie aduersatus est, cum principis futura memoria. Et ille suos omnes superiores decipit. Habeo hic bonum ac pium confessarium · laus Deo.

De meo reditu nihil dico, quia Serenissimus omnia uult ordinare, sic tandem me seruum ac subditum fecistis." [b]

2033. CANISIUS et alii Germaniae superioris SOCII **P. PAULO HOFFAEO S. J.** praeposito provinciali.

Monachio etc. Ianuario et Februario 1579.

Ex litterarum exemplo archetypo, manu ignota scripto et subscriptionibus autographis (de quibus plura infra dicentur) munito (2°; 2 pp.; in p. 4 inscriptio, de qua infra); Germ. 157 f. 183a—184b.

Ethicam in universitate ingolstadiensi tradendam esse in studiosorum theologiae, iuris (protestantium), philosophiae gratiam et ipsius Societatis causa.

Jhesus.

Rationes, propter quas videtur lectio Moralis Jngolstadij a nostris suscipienda, si offeratur[2].

Primum, Est ea lectio consentanea admodum instituto Societatis, cum agat de Virtutibus et vitijs.

Secundo, Reddit auditores affectos ad Theologiae studium, et instructos.

Tertio, Magnam praebebit nostris occasionem bene merendi de adolescentibus Jurisperitis, quorum plaerique sunt haereticj, et quibuscum vix habemus aliam occasionem conuersandj; quandoquidem reliquas nostrorum lectiones non audiunt: hanc autem idcirco auidissime audirent, vt iacerent bona fundamenta Juris. Adde, quod plurimi non Philosophiae modo, verum etiam studiosi Juris, idipsum saepenumero expetiuerunt.

Quarto, Felix quoque progressus triplicis cursus Philosophicj[3] postulare videtur, vt ea lectio sit penes nostros. Nam per pacta inter nos et Academicos, debent studiosi Philosophiae praeter duas lectiones ordinarias Philosophicas quotidianas, audire altero quidem anno lectionem Mathematicam, altero Moralem. Jta vt plane ad nostras lectiones astringi non possint, nisi simul astringantur, vt inter-

a) *Hoc v. obscurius scriptum est.* Vespere? Verte? b) *P. Hoffaeus provincialis in huius epistulae tergo scripsit:* Epistola Dominicj ad P. Reynerum scripta, quam tamen P. Reynerus non vidit.

[1] Marius, regens contubernii iuvenum studiosorum monacensis.

[2] Non theologiam, sed philosophiam moralem sive „ethicam" significari patet ex ipsis litteris, quae sequuntur. Philosophiam autem in universitate ingolstadiensi hoc tempore et Societatis homines et viri externi tradebant; cf. supra p. 113.

[3] „Artium" sive philosophiae „cursus integer trium erit annorum cum dimidio, usque ad promotionem ad magisterium" : *Constitutiones* S. J., P. 4, c. 15, n. 2.

sint quoque lectioni Moralj. Jam vero ad illam eos astringere, quamdiu penes externos fuerit, primum est difficillimum: deinde plus habet incommodj, quam vtilitatis. Jngenue enim fatentur nostrj auditores, se oleum et operam perdere in eiusmodi praelectionibus externorum [1].

Quinto, haec vna via videtur paulatim totam facultatem artium in nos deriuandj. Ex qua re quantum pendeat fructus studiorum in hac Academia, illud satis potest declarare, quod si quas hactenus nostri hic habuerunt difficultates, eae a Professoribus Philosophis externis potissimum profectae sunt. Jtaque vtile erit, quoad fierj possit, eorum numerum minui.

Sexto denique experientia docuit primis fere huius Collegij initijs, cum P. Gaudanus p. m. Ethicam profiteretur, rem fuisse maximae vtilitatis [2].

Neque vero timendum videtur, ne nostris onerj sit futura haec lectio, quin potius vtilitati erit et exercitio, cum probabile sit nunquam hic defuturos, qui commode et vtiliter possint in hoc munere versarj. Vtpote quod non minima eis occasio erit proficiendj in studio Theologico: cum prima secundae D. Thomae fere tota, et magna etiam pars secundae secundae in moralibus consumantur [3].

Sic sentiunt Jngolstadianj Patres vt rationes sonant.

Rationes adductas recipio et probo, Pet. Canisius.

Recipio et probo rationes adductas.

Joh. Rabenst:

Mihi per omnia probantur rationes allatae Gregorius Roseffius.

Mihi quoque peltano Jngolstadiensium rationes non displicent.

Neque mihi displicent, praesertim si timori, de quo in vltima ratione, locus nullus sit futurus. Theodoricus Canisius.

Verba „Sic sentiunt Jngolstadianj Patres vt rationes sonant" scripta sunt manu P. Pauli Hoffaei praepositi provincialis, Ingolstadii eo tempore degentis. Rector autem illius collegii erat P. Wendelinus Volckius. Tradebant in universitate theologiam PP. Hieronymus Torrensis et Gregorius de Valentia, philosophiam P. Christophorus Parchingius.

Petrus Canisius et reliqui his litteris sententias et nomina suis manibus subscriperunt; erant autem P. Ioannes Rabenstein rector oenipontanus, P. Roseffius superior domus S. J. et contionator ecclesiae cathedralis Augustae, ubi etiam P. Theodorus Peltanus habitasse videtur, P. Theodoricus Canisius rector universitatis collegiique dilingani · Quo tempore Canisius has litteras (quibus tempus non est ascriptum) scripserit, ex Hoffaei et Mercuriani epistulis, quae proxime commemorabuntur, potest cognosci.

---

[1] „Professor Ethicorum" tunc erat Sebastianus Knab Eckius, iuris utriusque doctor; qui paucis annis ante in locum Wolfgangi Zettelii sucesserat (*Mederer* l. c. I 265; *Prantl* l. c. I 337; II 292 313).

[2] P. Nicolaus Goudanus S. J. († 1565) ethicam a. 1551 in universitate ingolstadiensi magna cum laude tradidit (*Can.* I 362 380 393).

[3] Notum est, S. Thomam Aquinatem in „Summae theologicae" Parte secunda, quae et ipsa per duas partes („prima secundae", „secunda secundae") distincta est, naturales quoque sive philosophicas rei moralis quaestiones praeclare tractasse.

In litterarum pagina quarta *Hoffaeus* scripsit: „His Rationibus subscribant quod sentiunt P. Rosephius, P. Peltanus, P. Theodoricus, P. Canisius, P. Rabenstein". Itaque ad hos circummissae sunt hae litterae. Deinde Romam ad Everardum Mercurianum praepositum generalem missae sunt. Huic enim *Hoffaeus* Ingolstadio 1. Martii 1579 *scripsit: „Mitto quid Patrus mei sentiant de lectione Moralj Jngolstadij, si offeratur tamen, a nobis suscipienda: ego idem cum caeteris sentio: P. V. constituat quod in Domino videbitur" (ex autogr.; Germ. 157 f. 216[b]).

Hoffaeum Ingolstadii mensibus Ianuario et Februario anni 1579 moratum esse intellegitur ex eius epistulis 4. Ianuarii, 2. Februarii, 1. Martii 1579 ad Mercurianum datis (autogr.; Germ. 157 f. 192[a] 207[a] 216[b]). His ergo mensibus Canisius et reliqui Socii, quid sentirent, scripserunt. Canisius eo tempore Monachii fuisse videtur: v. supra p. 487 488.

Mercurianus Roma 31. Martii 1579 Hoffaeo *respondit: Quod scriptum erat „de lectione morali, nobis etiam non displicuit, et speramus ad multa aptam et utilem fore: quare institui poterit cum benedictione Dominj, sic tamen ut nulla appareat obligatio, uerum ut sponte a nobis suscepta est, sic posse cum libuerit, cumque ita usus tulerit, relinqui" (ex comm.; Rh. Inf. 1, II f. 30[a]).

2034. EVERARDUS MERCURIANUS praepositus generalis Societatis Iesu CANISIO. Roma 4. Februarii 1579.

Ex commentario; in capite, eadem manu: „Monachij P. Petro Canisio." Rh. Inf. 1, II f. 26[a]. Epistula usus est *Duhr*, Jes. an Fürstenh. 121.

Quibus rationibus concedat, ut P. Menginus Guilielmi principis confessarium agat.

Vidi quae acta sint cum Principe Gulielmo de[a] Menghino[1], laetatusque sum ut in malis, aliquid tamen[b] impetratum esse: quin etiam speramus per Dei gratiam[c] quotidie[d] nos illum molliorem[e] habituros ·[f] ipse quoque ad nos eodem argumento scripsit quo Reuerentiae V. loquutus fuerat, magnopere postulans ne Menghinus abduceretur[2]. Respondimus[3] id a nobis in illius gratiam concedi, sed simul petere ab illo etiam atque etiam ne se in nostrorum administrationem interponat ut et nobis disciplina nostra salua perstet, et ipsius commodis melius inseruire queamus · itaque Reuerentia V. hoc idem urgeat, atque illud praesertim quod illi iam prudenter proposuit, conficere[g] modis omnibus conetur, ut confessarium non habeat in aula nimis familiarem, et[h] omnino non accersat nisi cum confessionem obire uoluerit[i] [?], id et ad sacramenti reuerentiam, et ad populorum aedificationem, et ad spiritualem nostrorum profectum plurimum pertinere.

Quod autem Reuerentia V. quaerebat[k] quid sit illi concedendum, quandiu in aula, quoue comite commorari debeat, statuet istic P. Prouincialis[4]. Non est aliud quod scribam in praesentia. Commendo me Reuerentiae V. precibus *etc.* Romae 4.° Februarij 1579.

a) *Ita correctum ex* et cum. b) *Sic corr. est ex* non tamen nihil. c) *Sic corr. est ex* Nec desperamus, quin hoc principio *vel similibus vv.* d) *Duo vv. sqq. supra versum scripta sunt.* e) *Sequitur* nos, *oblitt.* f) *Sequuntur vv.* Principem itaque respond. *oblitt.* g) *Duo vv. sqq. supra versum scripta sunt.* h) *Corr. ex* nec. i) *Vel* uolet; *alterum enim ex altero correctum esse videtur.* k) *Sequitur* de, *oblitt.*

[1] P. Dominicum Menginum, confessarium Guilielmi principis Bavariae et Renatae uxoris eius, significat; vide supra p. 475—479.

[2] Hanc Guilielmi epistulam vide supra p. 479.

[3] Mercuriani epistula sub ipsas has litteras (primo loco) ponetur.

[4] Hoffaeus; vide, quae sub ipsas has litteras in n. 2 dicentur.

1. Mercuriani ad Guilielmum principem *litterae, quae in hac epistula commemorantur, et ipsae Roma 4. Februarii 1579 datae sunt; ex quibus cognoscitur, qua ratione Mercurianus ea, quae ei de Mengino principi concedendo litterisque ad eundem dandis Canisius commendarat, observaverit. „Lectis", inquit *Mercurianus*, C. V. literis uere dicam non mediocriter laetatum esse me quod aliquam nactus essem occasionem quam iam dudum optabam in qua ostendere possem quanti ego C. V. quanti Serenissimum eius patrem facerem, totamque istam illustrissimam familiam quam ob egregiam pietatem suam et perpetua in nostrum uniuersum ordinem eaque illustria merita facio ut debeo plurimi. Jtaque etsi antea non leuibus de causis P. Dominicum Romam euocandum censuissem deque ea re non semel ad P. Hoffeum Prouincialem et P. Canisium scripsissem simulque C. Vestrae consolationi satis prospexisse me putassem per alium sacerdotem quem istuc ob id ipsum destinaueram meo quidem iudicio integritate et prudentia alteri non inferiorem [1], nunc tamen C. V. uoluntate melius perspecta, accedentibus etiam P. Canisij precibus, faciendum putaui ne istinc commoueretur deque eo statim ad P. Prouincialem ut coepto desisteret literas dedi. Et uero in omnibus alijs rebus, quantum uires nostrae ferent, ita sibi persuadere uelim C. V. nobis cordi semper fore idque [a] [?] operam sedulam daturos ut nos gratos et beneficiorum suorum memores quam maxime intelligat. Sed tamen quoniam tum alias saepe, tum in hac ipsa P. Menghini causa multa ad nos istinc scripta sunt, quam se facile C. Vestra docilem ad instituta nostra praebuerit, nosque ipsi ex eius humanissimis literis multa illius in nos beneuolentiae et caritatis argumenta perspeximus, audebo hoc a C. V. orare et obsecrare quod facile me impetraturum confido, primum ut hoc apud sese uerissime statuat nihil tam nobis in tota uita nostra propositum esse quam ut omnium quidem, sed maxime principum hominum quorum uirtus et integritas magnam uim habet ad aliorum exemplum, inter eos autem praecipue C. Vestrae spirituali et utilitati et consolationi inseruiamus: deinde, ut qui nam ad hoc illi officium et obsequium praestandum aptissimi sint horum nobis iudicium et potestatem relinquere dignetur, quippe quos longe melius nostrorum ingenia, et mores, et facultates nosse necesse est. Sic enim fiet ut si nobis libera administratio relinquatur, et multo maiora in C. V. et in eius subditos spiritualia commoda permanare possint, et praeterea Societatis nostrae disciplina salua et integra permaneat, qua corrupta non ad nos modo ipsos sed ad proximos etiam nostros multa damna peruenire oportet. Itaque etsi pro hac disciplina tuenda et conseruanda pro eo officio quod mihi Dominus Deus quanquam indigno commisit manibus ac pedibus mihi depugnandum est tamen ita nobis persuasimus id ne C. quidem Vestrae negligendum esse ne ab ista domo unde tot in nos beneficia tamque ingentia fluxisse uel nobis tacentibus, tot monumenta testantur, ab eadem etiam alicuius plagae initium profectum esse uideatur. Equidem hoc polliceor si C. Vestra ad sua innumerabilia in nos merita hoc etiam unum addere dignetur fore ut huius suae benignitatis fructum capiat sempiternum primum in hac uita ex nostro qualicumque obsequia, post etiam in altera illa immortali cuius ut assidue facimus Deum semper precabimur ut C. V. cum Serenissimo parente suo [2], et illustrissima coniuge [3] compotem aliquando faciat" (ex comm.; Rh. Inf. 1, II f. 25b—26a).

2. Eodem die *Mercurianus* *epistulam dedit ad Hoffaeum provincialem; in qua haec, praeter alia, de Mengini causa ei mandabat: „Scribimus item P. Canisio, quod et Reuerentiae V. maxime commendamus ut rem istam quam optimo loco constituere conetur, non solum ut is quemadmodum coepit Rectori [4] subsit sed et [b] rarissime in aula uersetur, ac si fieri possit, non nisi cum confessionem excipere debebit · reliqua

a) *Sic; corrigendumne* atque? b) *Sequuntur vv.* si fieri possit, *oblitt.*

[1] P. Nicolaum Limburgium; v. supra p. 457. [2] Alberto V. duce.
[3] Renata.
[4] P. Ferdinando Albero; cui „litteras patentes" (quibus rector collegii monacensis constituatur) Roma missum iri Mercurianus Hoffaeo in hac epistula significat.

et, si Principi prodeundum sit quamdiu cum illo uersari, quocum comite, et alia huiusmodi Reuerentia V. statuet, et ut speramus statuet ex instituto et disciplina nostra" (ex comm.; Rh. Inf. 1, II f. 26[a]).

Canisius Mercuriano respondisse videtur post medium Aprilem 1579.

2035. CANISIUS **EVERARDO MERCURIANO** praeposito generali Societatis Iesu. Monachio circa medium m. Februarium 1579.

De hac epistula, quae perisse videtur, vide litteras Roma 11. Martii 1579 a Mercuriano ad Canisium datas, infra n. 2038; per has enim Canisio ille respondit.

Unum addo: Mercurianus Canisio rescripsit, eum sibi gratum fecisse, quod P. Dominicum Menginum, confessarium Guilielmi principis Bavariae et Renatae uxoris eius, „suis coloribus descripsisset". Quae descriptio cum perierit, iuverit alteram hic poni descriptionem, qua Menginus ipse suis se coloribus pinxit et simul aperuit, quid de Canisio sentiret, et quam sinistre ea acciperet, quae de ipso Canisius cum Guilielmo principe et m. Septembri 1578 Monachii constituerat (v. supra p. 458), et m. Martio 1579 Landishuti, traditis Guilielmo Mercuriani litteris 4. Februarii datis (v. supra p. 494), conferebat atque agebat. Sic igitur *Menginus* Frisinga 19. Martii 1579 P. Paulo Hoffaeo provinciali *scripsit:

Jhesus Admodum Reuerende Jn Christo Pater.

Pax semper Christi. Heri accepi literas R. Vestrae, quae parum consolationis mihi attulerunt. P. Canisius romanas tradidit Jllustrissimo Guilhelmo, cum multis commentariis et miseriis: quas ut effugerem, illos depugnantes reliqui, meque statim contuli Frisingam: vbj cum nuper essem, contra me etiam causam egit P. Canisius, apud Jllustrissimos non sine mea magna iniuria et famae nota. Sed qui toties absque causa diffamatus est, cogitur frontem perfricare. Jllud tantum dolendum est, quod ipsi et seipsos et totam societatem maxime diffamarunt. Vix credere posset R. Vestra quid non mali spargatur: idque totum procedit ex nostris, a me omnino nihil, purgatione ubj opus est utor ad Dei gloriam. Et haec transeant, prudenter facit R. Vestra, quod non multum se immiscuerit huic materiae odiosae, sed non satis prudenter P. Canisius, quod nimium et parum apposite, fretus bona conscientia (ut ait) sed non credo, nisi mihi meum honorem restituerit. Sed ad paululum laetiora. Hodie cum ipse mecum ageret, suamque legationem mihi proponeret, eum quieto animo audiuj, suauiterque respondj, quia quod petebat, ipse in causa fuit quod hactenus non habuerit. Equidem apud Jllustrissimum principem [1], de nullo male locutus sum, tantum illj ad illa puncta respondi, quae contra me proposita erant a P. Canisio, Vel a P. Carolo [2], Vel a misello P. Mario [3] etc. Jdem dicere possum de 2° puncto mihi proposito, videlicet ut non tam diu maneam in aula. Siquidem non minus illam etiamnum abominor, quam antea semper feci · propterea cum scirem antea meam naturam actiuam esse, neque me continuis studiis posse occupari, et melancholiis nimium laborare, petiuj ut apud conuictores essem, vbi etiam maleuolas linguas commodius refrenare potuissemus: et certe hic opus erat consideratione, prudentia et magno iudicio, quod tamen antea ignoraui, quia ut libere dicam, ignorauj omnino me esse positum in tanta apud homines sublimitate, quam tamen habere nolim. Concessum est tandem ut apud conuictores solitarius remanerem, sed quam misere tunc actum est mecum, et quam turpiter

---

[1] Guilielmum.

[2] P. Carolum Leopold significari puto, Clusinae (Klausen) in Tiroli natum, qui, cum 42 annos in Societate vixisset, a. 1604 Monachii mortuus est (*Duhr*, Jes. I 452; *Ad. Flotto* S. J, Historia Provinciae Societatis Jesu Germaniae Superioris, Pars tertia, Augustae Vindelicorum 1734, n. 417).

[3] Michaele Mario, convictorum monacensium regente; v. supra p. 491.

reuocatus et deceptus, pudet me dicere [1]. Ad reditum, mihi quidem multa pollicitus est P. Canisius, ut veluti apostata ad gremium redirem, sed ut uarij sunt animi conceptus et amphibologica uerborum interpretatio, tandem natus est ridiculus m[us]. Non dicam quam misere in collegio me tractarunt, et quanta sint usi mecum dissimulatione. Jn summa nihil uideo praeter Orcum contra me apertum, propterea me beatum existima[rem], si breuj ex hac uita discederem, ne deteriora semper sequantur. Jnterim uerum fateor R. Vestrae, quod optimae sim uoluntatis, desiderij et constantiae, meque in vita integra ac religiosa tantum studeo conseruare, quantum antea vnquam, et hic inuenio multas consolationes. De multis particularibus opus non est ut scribam. Prudens est R. Vestra, et quae ob id multum mali impedire potest, bonum autem promouere, propterea eam rogo suppliciter, reuerenter et filiali synceroque corde, ut aliquam habeat rationem in hisce tantis malis, quibus offenditur Deus et societas. P. Canisius non est pro hac dispositione, quem ut uideo statim rigesco. Principes ita offensi sunt, ut vix amplius in nos fidem habeant. Mihi tamen omnes compatiuntur, propter iniuriosam inuidiam contra me, quam ipsi a nostris intellexerunt atque quotidie intelligunt. Et quid bonj bonus Pater Generalis [2] de me sentire potest, ad quem peruolant eae falsae et astutae informationes? Adhuc miror quod tam suauiter ad Jllustrissimum Principem scripserit: sed ille prudens est, benignus Pater et bonae conscientiae, quae nunquam maledicere solet · qui si res meas recte cognosceret, toto pectore me semper amplecteretur, et Canisianas astutias reprimeret. Jnterim rem totam committam Domino Deo, aliud refugium in hac uita non habeo: quod si olim uel vnicum paternum [a] [?] habuissem, facile fuisset illa mala cerebra reprimere, et promissa paupertate ac sua felicitate contenta esse [iubere] [b] [?]: sed iudicium nondum est absolutum, et ad meliora natus eram. Rogo R. Vestram ut haec paucula in bonam partem accipere dignetur. Multa quidem habeo dicere sed dixisse non iuuabit, tanta est nunc calamitas temporis. Jnterim iterum suppliciter rogo R. Vestram ut saltem omnino non me deserat, et si bonorum praeteritorum memor non sit, saltem malorum non recordetur. Plures habet et habere potest benedictiones: nondum perij, neque etiam societatem laesi, quam quotidie uagabundus et pene extra me, promouere ac aedificare conor semperque vti spero conabor, Jllud mihi sufficit modo non sim extra gratiam, sine qua uiuere non est sed morj. Commendo me humiliter et cum lacrimis precibus R. Vestrae: Frisingae festo sancto b. Josephi.

Cras ibo ad Reuerendissimum Principem ex mandato Serenissimi fratris [3]. Die Dominico [4] redibo Lanshoutam iterum ad pugnas et contentiones, quia ille [5] non uidetur posse cessare, ita circumit et dolet quod illi non succedit. Rogo R. V. ut illum temperare dignetur.

R. V. indignus seruus
Dominicus menginus.

† Admodum Reuerendo jn Christo Patri P. Paulo Hoffaeo Societatis Jesu Prouinciali etc. Jngolstadij.

Hoffaeus has Mengini litteras Romam ad Mercurianum misit, haec iis *adnotans: „Has iccirco misi vt P. V. cognosceret in quo statu istius hominis res sint et quid facto opus sit cogitet: hominem enim solum mandatis vrgere et onerare, ante satis suis affectibus onustum, nescio quam consultum sit: frangere omnino, nescio quam etc.“ (ex autogr.; Germ. 156 f. 311ª—312ª).

a) *Sic; scribere volebat, puto:* patronum. b) *Hoc vel simile v. (*facere*?) supplendum esse videtur.*

[1] Cf. supra p. 491. [2] Mercurianus.
[3] Ad Ernestum, Guilielmi fratrem natu minorem, episcopum (episcopatus administratorem) frisingensem et hildesiensem, Frisingae habitantem.
[4] 22. Martii. [5] Canisius.

2036. CANISIUS **P. PAULO HOFFAEO S. J.** praeposito provinciali Germaniae superioris. Monachio m. Februario 1579.

Ex Hoffaei autographo; Germ. 157 f. 216b.

Hoffaeus Ingolstadio Kalendis Martiis 1579 Everardo Mercuriano praeposito generali scripsit: „Audio ex P. Canisio non rediturum ad nos P. Nicolaum Carpentarium[1] *ante reditum Procuratoris*[2]*: hoc mihi valde graue foret, cum P. Carpentarius sit designatus vt ad S. Lucae*[3] *Jngolstadij cursum philosophiae auspicetur, ideoque necesse sit vt saltem ad Pentecostem*[4] *adsit vt se publice ostendat, et Academiae morem discat seseque praeparet etc. Sciat P. [V.]me non habere alium idoneum qui id praestet, nisi forte cogam illum qui iam cursum absoluet vt nouum inchoët quod tamen eius ualetudo minime fert. Jgitur rogo P. V. mei misereatur, et cito huc remittat P. Nicolaum. Si D. Olgiathi quid impenderit in viaticum, hoc quam primum Augustae correspondenti refundetur".*

2037. CANISIUS **EVERARDO MERCURIANO** praeposito generali Societatis Iesu. Monachio paulo post initium Martii 1579.

Canisium hanc epistulam (quae iam non exstat) scripsisse in eaque de provincia visitanda (et Sociis ex Belgio arcessendis?) egisse colligitur ex Mercuriani litteris 28. Aprilis 1579 ad eum datis. Plura vide in iisdem litteris.

2038. EVERARDUS MERCURIANUS praepositus generalis Societatis Iesu CANISIO. Roma 11. Martii 1579.

Ex commentario; in capite, eadem manu: „Monachij P. Canisio." Rh. Inf. 1, II f. 28b. Epistula usus est *Duhr*, Jes. an Fürstenh. 121.

Visitator. Hoffaei provincialis „offensiuncula". P. Menginus per Canisium ab aula principis abstrahendus. Liber cardinali Sirleto debitus.

Accepi sententiam Reuerentiae V. quam eandem esse dicebat P. Posseuini de Visitatore[5]: Nunc curabimus eam potissimum electionem facere quae maxime sit secundum Dei honorem ac uoluntatem. Reuerentia V. rem Deo accurate commendet. Vnum tamen erat in quo [nec][a] Reuerentia V. nec ipse P. Posseuinus sensum nostrum assequutus uidetur. Non enim erat nobis in animo duos uisitatores alterum Italum designare aequali potestate, sed unum plane eum quem

a) *Hoc v. supplendum esse colligitur ex vv. sqq.*

---

[1] De hoc Socio, qui Roma venturus erat, vide supra p. 488 [4].

[2] Procuratorem dicit, qui ex Societatis instituto (v. *Can.* VI 164) eligendus et Romam, ut „congregationi procuratorum" interesset, mittendus erat per Sociorum „congregationem provincialem", m. Maio habendam (v. infra, monum. 1242); congregatio autem procuratorum ineunte Novembri est habita (*Sacchinus*, Hist. IV l. 7, n. 1). [3] 18. Octobris. [4] 7. Iunii.

[5] Vide supra p. 495. P. Antonius Possevinus a Gregorio XIII. iterum ad Ioannem III. Sueciae regem legatus per Monachium, ubi Canisius degebat, Pragam transiit (*Sacchinus*, Hist. IV l. 7, n. 67). Circa 10. Februarii 1579 Augustae, circa 24. Februarii 1579 Pragae fuit (*Theiner*, Schweden I 522 524 [13]; II 182; *Fell* l. c. 322).

dicebamus[a], cum tota auctoritate, cui deinde quia socius aliquis uir grauis et fidelis[b] sine ulla tamen potestate ex[c] eius regulis addi debet[1], de hoc nostro cogitabamus.

P. Hoffei[2] offensiuncula ut leuis erat et nullam habebat causam[d] ita et officiosa Reuerentiae V. et illius optima natura facile euanescet, et ut[e] certo credo iam euanuerit. Nos Menghini cura ualde coquit; nam praeter ea, quae Reuerentia V. scribebat, P. Prouincialis illius nobis litteras misit ad se, et alium quendam scriptas, eiusmodi, ut appareat in illo religiosi spiritus ne scintillam quidem superesse[3]. Quare quoniam Reuerentia V. hac Quadragesima[4] tota[f] operam Principi datura est, curet quaeso ut si qua se offeret occasio, eam ne praetermittat negotium hoc urgendi, ipsumque edocendi quanto nostro cum periculo[g], Menghini detrimento, atque adeo suae etiam animae[h] nullo lucro, illum apud se retineat. Speramus[i] Dominum pro illa prouidentia qua Societatem gubernat Reuerentiae V. conatibus affuturum. Quod in extrema epistola Reuerentia V. nobis hominem illum suis coloribus describebat, et uere scribere uisa est, et gratum nobis fecit quod nos de illius actionibus[k] certiorem fecit.

P. Oliuerius[5] iam pridem scripsit ad Reuerentiam V. de uolumine Mariano ad Cardinalem Scirlettum mittendo, quod ille ualde auide expectat; nec potest negari tali homini, tamque nobis amico[l]. Miratur et queritur quod non modo librum sed ne responsum quidem adhuc uiderit. Quare cupimus ut Reuerentia V. omnem det operam ut is quamprimum ad nos deferatur[6]. Dominus Jesus sit semper cum

a) *Sequuntur vv.* cui deinde, *oblitterata.* b) *Quattuor vv. sqq. supra versum scripta sunt.* c) *Sequitur* constitutionibus, *oblitt.* d) *Sic correctum est ex* ut ab optimo animo procedit. e) *Sequitur* spero, *oblitt.* f) *Hoc v. supra versum scriptum est.* g) *Sequitur* sui etiam bono, *oblitt.* h) *Hoc v. supra versum scriptum est.* i) *Sic corr. est ex* Fortasse. k) *Sic corr. est ex* rebus. l) *Sequitur* Queritur autem, *oblitt.*

[1] Societatis congregatio generalis prima (decr. 128 post el.), a. 1558 habita, decrevit, ut „regulae Visitatoris" conderentur, et septima, a. 1615—1616 habita, ut „Visitatorum Regulae seu Instructiones" a praeposito generali „examinarentur" (*Institutum* S. J. II 185 330). Neque tamen unquam visitationum, quae extra ordinem visitationum a praepositis provincialibus fere quotannis habendarum singulari praepositi generalis mandatu habendae essent, regulae typis exscriptae esse videntur (cf *Sommervogel* l. c. V 99—109; IX 611). In *„*Officio* Visitatoris" autem, quod a Mercuriano vel compositum vel approbatum et confirmatum est, hoc (P. 1, reg. ult.) praecipitur visitatori: „Habeat secum socium, et uideat quae sint ei commendanda, ut ea obseruet in Domibus et Collegijs" (Cod. „Instit. 96" f. 2[b]); et in *„*Instructione* communi Visitatoribus Societatis", quam a Mercuriano conscriptam esse verisimile est (certe ante a. 1588 facta est), visitatori praecipitur (n. 13): „Socium habebit a Generali designatum, qui et adiutor ipsius erit, cuius opera, quando expedire iudicauerit, tum in consultatione, tum etiam in alijs rebus uti poterit" (Cod. „Instit. 117" n. XVI p. 3 et 3[2do]). [2] P. Paulum Hoffaeum provincialem significat.

[3] Has epistulas a Mengino Guilielmi principis confessario scriptas v. supra p. 489.

[4] Haec erat a 4. Martii ad 18. Aprilis. Canisius Landishuti apud Guilielmum contiones quadragesimales, quas vocant, habebat; de quibus v. infra, monum. 1238.

[5] Manareus, Mercuriani „assistens" pro Germania et Gallia.

[6] Canisius iam ante medium m. Ianuarium alterum libri exemplum Romam pro Sirleto miserat; vide supra p. 487.

eius spiritu[1], et ipsa nos diligenter ipsi commendet[a]. Romae 11 Martij 1579.

Eodem die *Mercurianus* ad Hoffaeum provincialem *litteras dedit, in quibus haec eum de Mengino et Canisio monebat: „Vidi quae Reuerentia V. scribit de Menghino, quaeque ipsemet: quae nos in eo confirmarunt ut omnem operam daremus ut is ab aula quoquo modo abstraheretur. Fortasse hac tota Quadragesima qua P. Canisius Principi concionabitur aliquem ad hoc ipsum habebit aditum. Jtaque Reuerentia V. eum moneat ut omnia momenta obseruet, et qui primus dabitur locus, negotium hoc urgere non desistat. Et quidem quo ille labetur turpius, eo facilius erit Principi persuadere neque e suo honore, nec ex illius salute esse, ut eum diutius foueat. Jtaque Reuerentia V. rem commendet P. Canisio, ut inuigilet occasioni" (ex comm.; Rh. Inf. 1, II f. 28[b]). Quam difficile hoc Mengini „ab aula abstrahendi" negotium Canisio fuerit, ex *litteris cognoscitur, quas *Guilielmus*, nondum accepta epistula ad ipsum 4. Februarii 1579 a Mercuriano data (supra p. 494), Monachio 4. Martii 1579, qui erat primus Quadragesimae dies, ad eundem Mercurianum dedit; eam, quantum opus est, pono ex archetypo Guilielmi manu subscripto (Epp. Ext. 28 f. 159[a]—160[b]). „Doluimus", inquit „equidem non parum, cum intelligimus, Patrem Dominicum cuius fidelj opera, in ijs rebus, quae salutis nostrae ac Coniugis[2] sunt, iam plures annos libenter vtimur: Et eius conuersatio religiosa ac inculpata est, tuo mandato in Vrbem auocarj. Illud ipsum etiam, Serenissimi Parentes nostrj[3], qui de Vestra Societate, bene sunt meritj, permoleste tulerunt. Sperabant siquidem, suam in societatem propensam voluntatem, maioris a te fieri debere. Quamobrem, si Serenissimorum nostrorum Parentum Voluntatem, nostramque magni facis, si studium beneuolentiamque nostram in posterum benigne experiri cupit Societas, curabit tua pietas, Vt Pater Dominicus apud nos remaneat: quo illius opera, in ijs quae salutis nostrae sunt, quocunque in loco, et quamdiu commodum nobis fuerit, libere in posterum utj possimus. Hoc Iure prope nostro petere uidemur: quoniam post nuper societatj erecta Collegia nobis paterne in nostrum obsequium Patrem Dominicum, ac Societatis obsequia promptissima obtuleris. Et cum sit ordinis vestri omnium salutem procurare: Illis praesertim, hoc genere officij ac pietatis gratificarj a vobis maxime conuenit, qui in Germania, Vna cum Religione Catholica, societatem vestram tuentur, et plurimis beneficijs ornant. Quo in genere Serenissima domus nostra Bauarica non postrema est. Itaque si nostrum fauorem retinere, et in posterum propensum studium societas experirj cupit, efficies, vt, quoniam id nobis gratissimum accidet, nostrae huic petitionj satisfactum fuisse cognoscamus".

Canisius Mercuriano respondit, ut videtur, post medium Aprilem 1579.

2039. CANISIUS **EVERARDO MERCURIANO** praeposito generali Societatis Iesu.

Landishuto (Monachio?) post medium m. Aprilem 1579.

De P. Mengino Guilielmi Bavariae principis confessario.

Canisium per litteras, quae iam non exstant, ad Mercurianum, quid Landishuti cum Guilielmo principe de P. Dominico Mengino, confessario eiusdem Guilielmi et Renatae uxoris eius, egisset (cf. supra p. 498), rettulisse et simul alia quaedam Mercuriano vel narrasse vel commendasse cognoscitur ex epistula 2. Iunii 1579 data, per quam Mercurianus Canisio respondit; quam vide infra, nr. 2042.

a) *Ita corr. est ex* pro nobis diligenter ipsum oret.

[1] 2 Tim 4, 22; cf. Gal 6, 18. [2] Renatae.

[3] Albertus V. dux et Anna Austriaca.

Hoffaeum provincialem aegre tulisse, quod Mercurianus in hoc negotio tractando Canisii opera multum utebatur, et res a Canisio in ea causa gestas improbasse intellegitur ex *litteris 16. Maii 1579 ab eodem *Hoffaeo* ad Mercurianum datis; in quibus ille scribit: Omnino quidem ea, quae Menginus ageret, sibi improbari; attamen se hominis casum miserari, „quod in istum labirinthum non satis prudenti aliorum consilio et studio veluti coactus sit" et propter vitium quoddam corporis „debiliore animo" sit; „forte si meae dispositionj fuisset relictus, qui coram rectius omnia noui quam P. Canisius, res in meliore statu esset, quamquam nisi fallor nondum est omnino desperata res"; remedia Mengini morbo adhibita nimis acerba sibi videri etc. (ex autographo, quod est Romae in archivo regni italici, Arch. dei Gesuiti, Lettere 1576—1599). Ad haec *Mercurianus* Roma 5. Iunii 1579 *respondit: „Menghino se ait Reuerentia V. ideo compati quod in istum labyrinthum non satis prudenti aliorum consilio et studio coactus sit. Quibus uerbis uidetur mihi Reuerentia V. ita in alios hoc negotium conferre perinde ac si non eius autor ipsa quoque fuisset. Nam de eo Principi concedendo, quis mentionem mouit nisi Reuerentia V. cuius iussu cum ipsa Lucernam se recepisset scripsit ad nos P. Canisius, scripsere etiam alij Consultores multis rationibus expedire ne negaretur, easque multas rationes luculenter explicabant [1]. Sin de reuocando loquitur, quis acrius ac uehementius in eam sententiam scripsit quam Reuerentia V. tum alias saepe de eius moribus conquerens, tum praecipue 9º Augusti, cum diceret eum simul Rectoratu exutus esset adeo coepisse ociari, inque omnibus domi nauseare, pigere ac taedere, simul etiam corpore pinguescere ut si ita pergeret porcinam potius quam religiosam uitam agere uideretur [2]. Mitto cetera in eandem sententiam plura, quae satis esse poterant ut non modo reuocatum eum ab aula uellemus sed etiam quam longissime istinc amandatum. Nunc autem cum Reuerentia V. alienum hoc fuisse consilium asserit, oblita uidetur eorum quae olim scripsit, ut monere eam cogamur ut formulam scribendi seruet quae iubet omnium quae ad Generalem mittantur literarum aut exemplum, aut compendium seruari.... [3] Postremo quod me Reuerentia V. rogat ne tot prouincialibus in prouincia gubernanda utar maioremque subordinationis curam habeam, hoc cuiusmodi sit satis intelligere non possum: sed tamen suspicor velle de P. Canisio loqui quo me aliquando in hac causa uti oportuit. Verum quid aliud facerem cum illum Reuerentia V. ad hoc ipsum negotium elegisset ut illud cum Principe tractaret, cui etiam deinde accessit Quadragesimalium concionum opportunitas qua mihi uidebatur uti posse ad illum facile expugnandum. Recordetur quae ad me scripsit 21 Septem. cum se pridie eius diei P. Canisium Monachium ad Principem cum mandatis misisse significauit, quae item 10 Octob. quae 6º Decemb. cum quid ille suo nutu et approbatione fecisset nobis explicaret [4]. Jtaque non nos quidem nouum prouincialem induximus sed eo Reuerentiae V. administro usi sumus quem sibi ipsamet delegerat, neque unquam ad eum quicquam fere scripsimus quod non item cum Reuerentia V. communicaremus, neque solum quae ad P. Canisium, sed quae ad Principem etiam atque adeo ipsius epistolae exemplar. Quae cum ita sint ut diximus, tamen etsi certis de causis P. Canisij opera in aliquo negotio uti libuisset, non erat quod Reuerentia V. superioris sui iudicium reprehendere posset aut deberet, neque id eius prudentiam obedientiamque decebat. Etsi id in alijs etiam Reuerentiae V. literis iam saepius perpessi sumus, et huiusmodi aculentum scribendi genus cum superiore parum decorum, crebro dissimulauimus, ut iam

---

[1] Vide supra p. 477. [2] Vide supra p. 456.

[3] „Ut inueniantur, cum opus fuerit, quae scripta sunt ad Generalem, exemplum eiusmodi literarum, uel earum summam in libro aliquo, qui scribunt, apud se retineant": „*Formula* scribendi autoritate tertiae congregationis [1573 habitae, decr. 33] confecta" [a Mercuriano praeposito generali] n. 15 (ex apographo eodem fere tempore in collegio dilingano scripto, cui scriptor adnotavit: „Ex urbe 5. Februarij 1579", Cod. „C. 1" p. 65—66; cf. etiam *Institutum* S. J. III 42, n. 16).

[4] Vide supra p. 457 470 472.

Reuerentiam V. serio monere et hortari cogamur, ut posthac tandem parcius, et modestius, atque adeo consideratius aduersus suos superiores gerere se discat" (ex comm.; Rh. Inf. 1, II f. 31[b]—32[a]). Ad haec *Hoffaeus* Mercuriano Ingolstadio 19. Sept. 1579 *respondit: „Mihi mirum est visum quod P. V. ex meis literis conatur probare me autorem esse perturbationis, quam nobis P. Canisius in causa Menghini [ex]citauit. P. V. mihi parcat si hoc ego simpliciter negem · tametsi hoc probare nolim, nisi P. V. mihi iubeat: probare tamen possem, saluis ijs omnibus quaecumque de Dominico isthuc scripsi, cuius vita sicut neque placuit neque placet, sic eius sanandi modus quo P. Canisius vsus est, quemque isthinc me inscio procurauit non placet, sicut neque succedit. Sed in hac miseria neque quicquam P. Vestra meae dispositioni et moderationi reliquit, nisi cum iam res effecta esset insanabilis. Quae sane cogor dicere non vt conquerar de praeteritis, sed vt rogem humiliter R. V. vt si quid cum Principibus agi velit quod sit odiosum et periculosum, aliquid Prouinciali relinquat suauiter moderandum: nam et ego Societatem amo, eique fidelis filius sum et ero per Christi gratiam, dum vixero, quicquid etiam plerique de me Romae iudicent. Sed neque quicquam habeo contra P. V: quam reuerenter amo, cuique libenter obedio: in hoc tamen errorem fateor quod dolore motus, saepe isthuc impatientius, audacius, mordatius, irreuerentius scripserim: culpam humiliter deprecor, et poenitentiam instanter peto" (ex autogr.; Germ. 157 f. 285).

2040. EVERARDUS MERCURIANUS praepositus generalis Societatis Iesu CANISIO. Roma 28. Aprilis 1579.

Ex commentario; in capite, eadem manu: „Monachij P. Petro Canisio." Rh. Inf. 1, II f. 31[a].

Visitatio provinciae. Socii rhenani. Guilielmi principis confessarius.

De uisitatione, de qua postremae erant Reuerentiae V. litterae, sic statuimus, quando tam breui instat Congregatio Procuratorum[1], satius esse ut donec ea absoluta fuerit[a] differatur: itaque faciemus, nisi aliud interim occurrat.

De accersendis ex Rheno aliquibus operarijs, placuit consilium; et commodum P. Costerus nunc ad nos scripsit, id ipsum liberaliter offerens, non isti solum prouinciae sed etiam Austriae . quare scribimus P. Hoffaeo, ut cum eo conueniat[2].

De Principe expectamus an aliquid Reuerentia V. effecerit[3]: sperabamus enim hac Quadragesima qua illi operam concionando datura erat, aliquam ei occasionem oblatum iri pulsandi hominis animum. Quod an successerit[b] poterit iam nos Reuerentia V. certiores facere, absoluto per Dei gratiam labore Quadragesimali quem[c] et ipsi et quam plurimis alijs utilem fuisse ac salutarem, et spero et opto. Non est in praesentia aliud. Commendo *etc.* Romae 28 April. 1579.

*Litterae ad P. Hoffaeum provincialem, ad quas Canisius in hac epistula quasi remittitur, a *Mercuriano* et ipsae datae sunt Roma 28. Aprilis 1579: „P. Costerus Prouincialis Rheni", inquit Mercurianus, „significauit nobis esse sibi satis magnam copiam eorum qui ad Societatem aspirarent. sic plane ut praeter eos qui sibi essent necessarij, possit etiam isti prouinciae aliquos impertiri. Visa est conditio non

a) *Sic correctum est ex* ut in illud usque tempus. b) *Sequitur* cupio, *oblitt.* c) *Ita corr. est ex* qui; *sequitur* ut; *quod delendum fuisse intellegitur ex vv. sqq.*

[1] M. Novembri habenda; v. supra p. 497 [2].
[2] Vide, quae sub ipsas has litteras dicentur. [3] Vide supra p. 498.

aspernanda praesertim pro eius paucitate et inopia · eoque commodius factum iri speramus, quod ipse ne Germanos quidem sibi deesse affirmabat. Quare respondi me Reuerentiam V. admoniturum, quae ad illum scribet quid opus habeat et cum illo conueniet, quot uelit, et quos. Ego enim rem uestrum utrique permitto" (ex comm.; Rh. Inf. 1, II f. 31[a]).

2041. CANISIUS **EVERARDO MERCURIANO** praeposito generali Societatis Iesu. Augusta Vindelicorum 7. Maii 1579.

Ex commentario litterarum Mercuriani; Rh. Inf. 1, II f. 31[a].

De P. Mengino Guilielmi Bavariae principis confessario.

Mercurianus in „Postscripto" litterarum Roma 2. Iunii 1579 ad Canisium datarum: „His scriptis", inquit, „accepimus alias Reuerentiae V. litteras 7° Maij scriptas". Quid autem Canisius tunc de Mengino confessario Guilielmi principis et Renatae uxoris eius Mercuriano scripserit, vide in „Postscripto" illo, infra ep. 2042; nam Canisii litterae perierunt. Neque dubitari potest, quin Canisius in iisdem litteris Mercurianum certiorem fecerit, eius epistulam 4. Februarii datam (quam v. supra p. 494), qua Guilielmo Menginum in posterum quoque, salva tamen Societatis disciplina religiosa, concedebat confessarium, principi illi a se traditam et diligenter explicatam esse (cf. supra p. 498), atque Guilielmum ipsum ad eam rescripturum esse.[1]

Guilielmi *litteras hic pono (ex archetypo, Guilielmi manu subscripto, Epp. Ext. 28 f. 162[a]—163[b]), quia ex iis, quid Canisius apud eum effecerit, quid non effecerit, apparet (cf. etiam *Duhr*, Jes. an Fürstenh. 121).

Guilhelmus Dei gratia Comes Palatinus,
Rheni vtriusque Bauariae Dux. etc.

Salutem et beneuolentiam nostram admodum Reuerende in Christo pater nobis sincere dilecte. Literas paternitatis tuae, quarto Mensis Februarij scriptas accepimus, ex quibus tuam erga nos beneuolentiam animique candorem satis superque perspeximus · in hoc autem potissimum quod Serenissimorum parentum[2] ac nostram petitionem lubens concesseris.

---

[1] Nescio, num Canisius Guilielmo illam quoque tradiderit *epistulam, qua *Mercurianus* Roma 8. Aprilis 1579 ad illius litteras 4. Martii 1579 datas — eas „sat insuaues" vocat, Hoffaeo 31. Martii *scribens — respondebat; in qua haec, praeter alia, proferebat: „Hoc rogamus et obsecramus per Jesu Christi uiscera, et per illam ipsam caritatem, et clementiam quam C. Vestra erga nos profitetur, ut nos patiatur eam rationem in C. Vestrae obsequio seruitioque tenere, quae non professioni nostrae uoti sacramento firmatae penitus repugnet atque aduersetur. Quod et generaliter de omnibus et nominatim de P. Dominico supplicamus, de quo nobis non ex una, sed ex pluribus, et certissimis uijs certum atque exploratum est, quo rarius extra Collegij disciplinam fuerit, eo maiori cum illius C. emolumento futurum. Jtaque non impedimus, quo minus is operam C. Vestrae impendat, aut illius spiritualibus commodis inseruiat, quod nobis est gratissimum, et iucundissimum: uerum si C. Vestra illius salutem amat, si nostram ulla in re satisfactionem unquam expetijt, oramus et petimus, ut ita eius opera utatur, ut uel illi damno, uel alijs offensioni et scandalo esse non possit. Hoc nobis beneficium carissimum accidet, et tanto carius quam reliqua omnia praeterita beneficia quanto spiritualia temporalibus antecellunt, et praeterea apud Deum Creatorem ac Dominum nostrum pro eo quanti religiosas omnes congregationes, atque inter alias etiam Societatem hanc nostram amat, et tuetur, maximi meriti futurum confido" (ex commentariis; Rh. Inf. 1, II f. 20).

[2] Alberti V. ducis et Annae.

Quod autem ad disciplinam Societatis vestrae attinet, speramus dilectum nobis patrem Dominicum confessarium nostrum, eam pro sua animi religione, atque officij sui ratione, toto studio obseruaturum, Sicutj hactenus ipsum fecisse non dubitamus, idque cum aliorum non mediocri aedificatione. Cum vero indies magis varias ob causas egemus eius Consilio et opera, cupimus vt libere et sine aliqua molestia, quam superioribus diebus experti sumus, non sine magna nostra admiratione, vtj eo possimus. Jllo autem consensu, Domum nostram Bauaricam in promouenda Societate in posterum faciliorem et liberaliorem reddet tua paternitas. Jnterim Deus ter Maximus Paternitatem tuam incolumem conseruet, Ex nostro oppido Landshutano. 8. Maij .1579.

Guilhelmus manu propria.

Admodum Reuerendo Patri nobis sincere dilecto, Euerardo Mercuriano in Vrbe Praeposito Generalj Societatis Iesu.

2042. EVERARDUS MERCURIANUS praepositus generalis Societatis Iesu CANISIO. Roma 2. et 6. (?) Iunii 1579.

Ex commentario; in capite, eadem manu: „Monachij P. Canisio". Rh. Inf. 1, II f. 31[a].

Res de P. Mengino Guilielmi principis confessario actae et agendae. Guilielmi pietas. Ursula Fuggera. Colonienses. Mengini „mite pharmacum". Opus Marianum.

Quae Reuerentia V. cum Principe egit optime acta esse iudicams, et quanquam non illum de sententia dimouerunt, ualent tamen ut nostra omnium[a] conscientia exoneretur, et fortasse suum aliquando apud illum pondus obtinebunt[1]. Interim in spe et patientia diuinum auxilium expectabimus. Placuit etiam mihi de eiusdem Principis pietate et religione audisse quae Reuerentia V. scripsit. Dominus eam conseruet[2] et augeat. Spero autem[b] labores Quadragesimales Reuerentiae V. illi neque ingratos, neque inutiles accidisse. Quod Reuerentia V. consulit ut P. Prouincialis[3] negotium idem serio cum Principe tractet[c], nobis quoque iam dudum placebat, idque ei significabimus[4]; ut si non tam cito ne forte exasperetur, certe quam primum fuerit commoditas, facere diligenter et studiose conetur.

De uisitatore iam scripsi nos fortasse expectaturos[d] Congregationem procuratorum quod multa sine dubio melius hic expedientur[5], quibus[e] uisitator iam erit exsolutus.

Dominae Vrsulae spiritus requiescat in pace[f] [6].

a) *Sequitur* sententia, *oblitt.* b) *Hoc v. supra versum scriptum est.* c) *Sequitur* id, *oblitt.* d) *Sequitur* ut, *oblitt.* e) *Sic correctum est ex* expedientur, quam per. f) *Sequitur* speram, *oblitt.*

[1] Mercurianus Canisio mandaverat, ut, cum Landishuti contiones apud Guilielmum Bavariae principem haberet, eidem persuaderet, ne P. Menginum confessarium ad se arcesseret, nisi cum eidem peccata confiteri vellet; v. supra p. 493 498.

[2] Ps 40, 3. [3] Hoffaeus.

[4] Vide, quae sub ipsas has litteras primo loco dicentur.

[5] Vide supra p. 501.

[6] Ursula de Lichtenstein, Georgii II. Fuggeri vidua et Sociorum „mater" quaedam optima (cf. *Can.* III 654; VI 261 289 394), Bauzani (Botzen, Bolzano) 12. Aprilis 1579 pie mortua est (*Pinacotheca* Fuggerorum, ed. nova, Ulmae 1754, n. XVII; *Raderus* l. c. 93).

Colonienses de quorum spirituali periculo cum dolore intelleximus[1], pro uiribus Domino commendabimus.

Nec aliud modo occurrit nisi ut me Reuerentiae V. precibus ac sacrificijs commendem. Romae 2º. Junij 1579.

His scriptis accepimus alias Reuerentiae V. litteras 7º Maij scriptas in quibus consilium de Menghino probauimus[a] et exequuti sumus[2]; Jtaque[b] [?] Reuerentia V. oret ut hoc quemadmodum ait mite pharmaci genus fiat illi salutare.

De Mariano opere Romana domus[3] Reuerentiae V. gratias agit · id nondum peruenit, quod Venetijs substitit idoneum nauigandi tempus expectans[4].

1. Quodnam fuerit „mite pharmaci genus" illud, quod Mercurianus a se Canisii suasu P. Dominico Mengino Guilielmi Bauariae principis et Renatae coniugis confessario adhiberi scribit, et quid Mercurianus ea in causa Hoffaeum provincialem praestare iusserit, ex eiusdem *Mercuriani* *litteris Roma 5. Iunii 1579 Oenipontem ad Hoffaeum missis apparet: „Vidi", inquit ille, „literas Menghini plenas querelis, et summa indignitate[5], cui ut occurramus non equidem uoluntas sed remedia desunt[c]. Jtaque quando iam alia omnia frustra tentata sunt, huc confugiendum putauimus ut quam mollissime ad eum scribentes paterne hortaremur, ut ipse met dare uellet operam ad castra sua redeundi. Exemplum non mitto quod pro certo habeo eam epistolam ab ipso Reuerentiae V. cui uidetur confidere, ostensum iri. Velim autem ut simul Reuerentia V. ei literas nostras tradet, ipsa quoque pro ea auctoritate et gratia qua apud ipsum ualet id ipsum ei efficacissime persuadere conetur eumque tandem expugnet, ut Principi quod illi confidimus facillimum fore persuadeat ut se in nostro Collegio quamplurimum morari sinat, nec eo utatur nisi cum fuerit necessarium ad confessiones excipiendas, ipse autem spiritum illum libertatis ad disciplinam obedientiamque reformare uelit, et quantum antea fratribus nocuit, tantum nunc prosit exemplo" (ex comm.; Rh. Inf. 1, 11 f. 31[b]).

2. En ipsae *litterae Canisio auctore a *Mercuriano* praeposito generali ad P. Menginum „quam mollissime" scriptae: „Credo ad Reuerentiae V. notitiam peruenisse quae praeteritis hisce mensibus sint a nobis in Reuerentiae V. gratiam acta, quamque serio sit a nobis elaboratum ut ab aulico isto iugo liberata in suaui iucundoque ocio uiuere deinceps posset. Verum cum nihil hactenus obtineri a nobis potuerit, Serenissimi Principis bonitate qui iacturam se aliquam spiritualem facere existimans maiorem commodorum suorum quam nostrorum quae fortasse non ita bene percipiebat rationem habere perrexit, uisum est mihi neminem ad hoc ipsum conficiendum aptiorem fore quam ipsammet Reuerentiam V. cuius etiam cum negotium agatur, et quidem maximum speraui omnem ab ipsa in eo diligentiam adhibitum iri. Dicam autem primum quae me ad hoc desiderandum et tentandum impulerint. Jn primis ipsius Reuerentiae V. ratio spiritualisque profectus. Nam etsi eam de illius uirtute

a) *Sequitur* ex, *oblitt.* b) Nunc? *Hoc v. obscurius scriptum est.* c) *Sequuntur vv.* Hoc tamen nobis uidetur, ut quoniam P. Canisius, *oblitt.*

[1] Vide supra p. 468[1]. In collegii coloniensis *Litteris* annuis exeunte m. Decembris 1579 datis narratur: Eo anno „pestilentis doctrinae magistros, quorum sat multi Coloniae hactenus cum ingenti huius reipublicae clade scholas administrarunt", officio deiectos esse (*Hansen*, Akten 735).

[2] Vide, quae sub ipsas has litteras primo et secundo loco dicentur.

[3] Domus professa Societatis.

[4] De tempore, quo hoc „Postscriptum" ipsis litteris, 2. Iunii datis, adiunctum est, vide, quae sub easdem litteras tertio loco notabuntur.

[5] Has vide supra p. 495.

ac religione opinionem habebam, quam et tot anni ab Reuerentia V. et cum tali aedificatione in Societate acti conciliare ei potuerunt, quamque de eo haberi oportuit cui talis Collegij [1] tam diuturna gubernatio credita fuerit, tamen non ignorabam, secularibus consuescere, aulicis moribus perpetuo interesse, esse in Principum gratia, quantam uim habent ad humilitatis, obedientiae, deuotionis spiritum labefactandum, paulatimque ex animo delendum: idque ut timerem tum uetera ex omnibus libris tum ex hominum quotidiana uita, recentia tam multa mihi suppetebant exempla, ut qui id ignoraret, plane quid sit spiritus quidne Dei timor, nescire credendus sit. Sed praeterea urgebat etiam me et urget multo magis aliorum exemplum: uerebar enim ne si haec ianua in Societate patefieret Principum aulas frequentandi, ut sunt homines uiam libertatis amantes, disciplinamque facile fugientes, nimis multi ad hos scopulos adhaerescerent, et quod fortasse periculum P. Menghinus ob suam uirtutem incolumis euasisset, in eo alij innumerabiles naufragium facerent. Quod mihi quidem pro eo officio atque persona quam mihi Dominus imposuit diligenter prouidendum esse intelligebam ne disciplinam quam a maioribus integram et sanam accepi, ad posteros corruptam transmitterem. Accedebat etiam externorum certa offensio quos pro certo habemus scandalum pati, cum uident eos qui euangelicam uitae normam professi sunt in regum domibus [2] commorari, tum quia plerumque ceteros ex suis motibus metiuntur, tum etiam quia quos frequenter in aula esse uident putant etiam libenter, denique quod nullius hominis tam sancta potest esse uita quae si propius inspiciatur non aliquos naeuos atque imperfectiones sine quibus nemo uiuit, habeat: quod etiam multo magis locum habere solet in principum familiaritatibus ubi inuidia scilicet et obtrectatio late regnat. De quo non dicam aliud nisi quod ad me recens ex prouincia istinc non ualde remota Pater quidam perscripsit: Cuius ipsa haec sunt uerba, quae a summo quodam et magnae dignitatis uiro sibi dicta aiebat. O quam bene facerent uestri, et quam laudata esset Societas uestra si se intra limites suos contineret etc. Reliqua ex ipso etc. Haec ille, cuiusmodi quidem ex omnibus prouincijs ubi aliqui modo e nostris curias attingunt, quotidie paene audimus: ex quo cogitandum relinquo Reuerentiae V. quid nobis tum sit animi cum ista de nostris cum tanto et diuini honoris et nostrae existimationis detrimento euulgari intelligimus. Hae igitur fuere causae, cur et antea cupiuerim et nunc ut cum maxime cupiam meque ad id pro uiribus curandum obligatum esse sentiam ut nostri omnes quam maxime ab huiusmodi locis absint, in quibus quantumuis fructus colligatur multo tamen maior semper iactura fiat. Quare ut antea dixi Reuerentiam quoque V. hortor quantum possum ut in hoc negotio pro ipsius causa, atque utilitate suscepto inducat animum nos diligenter ac studiose adiuuare. Jn quo si mihi dubia esset illius uoluntas afferrem hic multa certa et explorata quae religiosi cuiusuis animum impellere possent, promissionem obedientiae sancte Deo factam, breuitatem fragilitatemque uitae et una cum uita humanorum omnium commodorum, inconstantiam etiam hominum quorum fauori innitimur, denique poenam quae procul dubio tum malis religiosis, tum maxime religionum labefactoribus debetur: dicerem etiam quantas consolationes quamque liquidas afferat recte custodita disciplina, quos contra laxa ac dissoluta uita angores cruciatusque conscientiae, quid etiam pars, membrumue corpori toti debeat cuius salutem ac integritatem tueri uel suo oppositu debet non modo non prodere, ac perdere. Sed hanc rationem erga Reuerentiam V. minime necessariam iudico, de cuius uoluntate multa ad me P. Prouincialis tum etiam P. Canisius perscripsit. Quare hoc unum restat ut animi mei sententia patefacta quid ab ea expetam illi aperiam. Velim primum ut in se ipsum descendens, et uere coram Deo qui renes et corda scrutatur [3], et postea etiam iudicaturus est se statuens discuteret in quanto et Reuerentia V. animae et Societas nostra existimationis periculo uersetur: deinde animum obfirmet aliquam uiam reperire sese ex istis laqueis expediendi,

---

[1] Monacensis; v. supra p. 456. [2] Mt 11, 8; Lc 7, 25.
[3] Apc 2, 23; cf. Ps 7, 10; Jr 17, 10.

eaque de causa quibuscumque rationibus Serenissimum Principem eiusque uxorem expugnandi ut sinant se secundum institutum suum quod sacramento professus est, inter fratres in Collegio uiuere, nec ad ipsos Principes ire nisi cum confessionis necessitas compellat, neque uero tanquam inermem[a] [?] militem extra castra ordinesque suos educant sed permittant in domo Domini in qua elegit magis abiectus esse quam habitare in Tabernaculis alienis[1] aes[b] [?] humilitatis et obedientiae quam omnipotenti Deo promisit exsoluere. Hoc erit et in primis quod minime dubitamus Christo Domino gratissimum, et nobis qui ex praesenti illius statu non possumus non dolorem capere: erit etiam dignum Reuerentia V. dignumque ea uita atque opinione quam per tot annos in Societate positos collegit, quam etiam in ista aetate magis ac magis amplificare debet. Jtaque non dicam plura. Dominus Jesus sit semper in eius corde. Amen. Roma 6º Junij 1579" (ex comm.; Rh. Inf. 1, II f. 32; cf. etiam *Duhr*, Jes. an Fürstenh. 121—122).

3. Cum in „Postscripto" epistulae 2. Iunii 1579 a Mercuriano ad Canisium datae dicatur, litteras ad Menginum, quas modo posui, iam esse scriptas, valde verisimile est, Postscriptum illud ante d. 6. Iunii additum non esse; quod ipso die 6. Iunii scriptum esse conicio; ea enim dies sabbatum erat, et singulis sabbatis, nisi fallor, tabellarii Roma in Germaniam proficisci solebant.

Canisius Mercuriano respondit vel 24. Iunii vel 17. Septembris 1579.

2043. CANISIUS **GERARDO** et **OTTONI KANISS**, suis ex patre fratribus. Monachio 11. Iunii 1579.

Ex apographo, quod sub a. 1911 R. P. *Ludovicus van Miert* S. J. transcripsit ex autographo (2º; 2 pp.; inscr. est in folio minore eoque a litteris ipsis separato), quod Buscoduci ('s Hertogenbosch) in familia quadam asservabatur.

Hortatur eos, ut cum suis fidem catholicam teneant et profiteantur, a protestantium libris contionibusque caveant, filios diligenter custodiant, multum orent.

†

Pax Christi Jesu nobis aeterna.

Getrewe liebe bruider.

Ob ich schon eigentlich nit wisse, wie es mit euch und anderen schwestern und freundten stehe in disen ellendigen geferlichen zeitten[2],

a) *Hoc v. obscurius scriptum est.* b) *Hoc v. obscurius scriptum est.*

[1] Ps 83, **11**; ubi tamen pro „tabernaculis alienis" Vulgata habet „tabernaculis peccatorum".

[2] Noviomagi, ubi Gerardus et Gisbertus, Petri Canisii fratres ex patre, cum multis propinquis habitabant (v. *Can.* V 660—661; VI 424), Ioannes quidem Nassovius, Guilielmi Auriaci fratris sui ope praeses Gelriae effectus, 11. Iunii 1578 in foro publico iureiurando promisit, se „pacificationem gandavensem" fideliter esse observaturum nec permissurum, ut catholicorum sacra ulla ratione turbarentur vel impedirentur; at brevi post iusiurandum neglexit. 8. Septembris 1578 senatus urbis, ex quo iam ante, qui catholicorum iura fortissime tuebantur, eiecti erant, ad aedem S. Antonii Calvinianorum usui permittendam coactus est; hi autem catholicos multis contumeliis et iniuriis afficiebant et m. Februario 1579 templum S. Stephani, quod praecipuum urbis decus erat, devastaverunt; eodem anno ecclesia S. Ioannis et monasterium Dominicanorum cum suo templo iis tradita sunt (*Meijer*, Nijmegen I, 44—47). Quam concessionem Gerardus Kaniss aliique catholici apud senatum urbis serio deprecati sunt, ac paullo post Gerardus et Gisbertus cum multis ecclesiasticis et proceribus catholicis urbe abierunt. Otto autem Kaniss, qui Arnhemii a. 1568 urbis scabinus a Duce Albano constitutus erat et ibidem a. 1576 consul rempublicam rexerat, Ioanne Nassovio rerum potito 21. Iunii 1579 ex urbe exturbatus est (*H. Al-*

so kan ich doch nit underlassen euch insonderheit etwas zu schreiben, und meine schuldige bruiderliche trewe mit dem werck zu erzeigen. Was nun das gelt, guit, hauss und hoff belanget, bedarffet ihr gar nit meines radts und ermanung: das zeittlich und weltlich wissent ihr ohn mich gnugsam zu versorgen und zu verrichten mit Gottes gnaden. Aber ich, als ein geistlicher, kan und sol nit schweigen vom wolffart und hail ewerer seelen, welche weit uber alle irdische guiter euch sollen angelegen sein, und allein unsterblich bleiben. Demnach so lieb als euch Gott und Gottes reich ist, gedencket doch ernstlich liebste bruider, das ihr bey disen schweren und geferlichen leufen nicht, wie ein rohr[1] auff dem felt, umbestendig seyet, auch nicht wie die unmundigen kinder, von allerlei winden der newen lehren ewch umbweihen und verfüren lasset[2]. Sonder umb Jesu Christi willen bestehet fest und bestendiglich in dem waren, alten, Catholischen und allein seligmachenden glauben[3], wider welchen alle pforn der hellen endlichs nichts vermögen[4], ob sie schon ein zeit lang herschen, wuten und toben. Disen ungezweifelten glauben habet ihr von vatter und mutter[5], ja von unserer gantze freundschafft, von allen vorigen Landtsregierenden herren entpfangen. In disem unuberwindlichen glauben haben die heiligen martirer ihr unschuldiges bluit vergossen, und ihre Christenliche bekantnuss und Gottseliges leben vollendet. Derhalben ich, als ewer eltiste broider, ermane und warne euch vor Gott und der welt, das ihr und ewere haussgenossen, sampt anderen lieben schwestern und nefen, von solchen uralten und bestendigen Catholischen glauben in keinem stück abweichet, sonder in der eynigkeit und gehorsam der Apostolischen und Römischen kirchen biss zum end eyferlich verharret durch Christum Jesum unsern Herren. So lasset euch dan gar nicht schreckken, ob ihr schon von wegen dises Glaubens verhasset, verstosset oder verfolget werdet, und das man von Glaubs sachen viel disputieret und schwetzet · den es müssen ainmal ergernuss und ketzereyen in die welt kommen. Wehe aber dennen[6], durch welche der rock Christi[7] und die eynigkeit des Glaubens[8] zerrissen wirdt, auch falsche lehre eingefuret werden. Wollet nicht forchtsam und Nicodemi sein[9], bekennet frey eweren waren glauben vor den menschen, gleich wie Christus seine rechtglaubigen vor dem himmelischen Vatter bekennen

---

lard S. J., Canisiana, in „Studiën“, 50. Deel, Utrecht 1898, 255[1]; *L. van Miert* S. J., Canisiana VII, in „Studiën“, 74. Deel, Amsterdam 1910, 199 200).

[1] Mt 11, 7; Lc 7, 24. [2] Eph 4, 14.

[3] 1 Cor 16, 13; cf. 2 Thess. 2, 14. [4] Mt 16, 18.

[5] Iacobo Canisio (Kaniss) et Wendelina van den Bergh; cf. *Can.* VI 396.

[6] Mt 18, 7; 1 Cor 11, 19.

[7] Cf. Io 19, 23 24. [8] Eph 4, 13.

[9] „Nicodemus . . . venit ad Iesum nocte“: Io 3, 1 2; et cf. Io 7, 50; 19, 39.

wille[1], dweil ihr sampt eweren loblichen vorwarern allein in disem eynigen glauben getaufft seiet, und biss hieher alle heiligen Sacrament entpfangen habet, und wiewol ich nit zweifele, das ihr einmal beschlossen seyet, in disen reinen catholischen glauben alle sampt zu leben und zu sterben, dweil ihr auch in keinen anderen glauben kunnet gerecht und selig werden, so bitte ich doch den almegtigen ewigen hymmelischen Vatter, das ihr sampt eweren lieben kindern diss gross kleinet unverletz und gentzlich bewaret biss zum end, onangesehen was ihr von wegen dises glaubens zu leiden habt. Selig sein sie, welche umb der gerechtigkeit leiden[2] gedultiglich, und vil lieber gelt, guit, leib und leben, dan die edle seel und das ewig himmelreich verlieren.

Darneben wirt gar vil daran gelegen sein, das ihr so vil möglich, mit den newglaubligen wenig disputiert und zancket, auch ihre bücher und predig m[ei]det, dweil sie ihre gyfft und irthumme so fein schmucken und bedecken kunnen, eben wie der leidig Sathan do er wider Christum in der wusten disputieret, ihn under dem schein der heiligen Schrifften betriegen wolte[3]. Der buchstabe todtet, der geist aber[4], so in der Catholischen Kirchen alle warrheit lehret[5] und anzeiget, der machet uns lebendig[4]. Lasset euch dergleichen die lieben kinder befolhen sein, do mit sie nit in ihrer jugent jemmerlic mit disen newen und verkerten secten verfuret und beschediget werden. In summa liebste bruider, dweil die welt je lenger, je böser und falscher und irriger wirdt, seyet doch verstendig, klug und weiss, lebet in grosser Gotsforcht, bettet andechtiglich umb sondere krefftige gnad, das ihr wider alle anstoess der feindt bestehen kunnet[6] in der warrhait, und dem listigen Sathan kain raum und statt gebet[7]. Es ist doch nie mehr von nöten gewesen dan zu wachen und zu betten, das ihr nit fallen sollet in die aller geferlichste und schadlichste anfechtung[8], das ist in den unglauben, welcher die aller hochste und verdamlichste sund ist, vor welcher sund uns Christus und alle Apostel so trewlich gewarnet haben, mit offentlicher anzaigung, das an den letzten zeite[9] die falschen propheten kommen, und vil menschen verfuren werden[10]. Der barmhertzig ewig Gott wolle euch wirdig machen, das ihr mit dem heiligen Ioanne Christi Tauffer, in rechter bekantnuss der Christenlicher warrheit bestendig bleibet, auch das ihr eweren glauben mit einem unstrefflichen leben beweret und zieret. Grüsset mir doch alle guite und bestendige freundt, fu[r wel]che ich

---

[1] Mt 10, 32; cf. Lc 12, 8. [2] Mt 5, 10.
[3] Cf. Mt 4, 6 7; Lc 4, 9—12. [4] 2 Cor 3, 6. [5] Io 16, 13.
[6] Eph 6, 11. [7] Eph 4, 27. [8] Mt 26, 41; Mc 14, 38.
[9] 1 Tim 4, 1: cf. 2 Tim 3, 1.
[10] Mt 24, 11; cf. Mc 13, 5 6; Eph 5, 6; 2 Petr 3, 1—4; 1 Io 3, 7.

Gott insonderheit bitten wolle, das er sie hie zeitlich, und dort ewiglich gebenedeye, Datum zu Munchen am 11 Junij 1579

Ewer eltiste und getrewe broider

Doctor Petrus Canisius.

Den Ehrsamen und namhafften Geritt und Ott Kaniss, meinen insonder lieben getrewen freundlichen brüdern, zu Nimmegen und Arhnem wonafftich zu eigenen handen.

2044. CANISIUS **EVERARDO MERCURIANO** praeposito generali Societatis Iesu. Monachio 24. Iunii 1579.

Prior epistulae pars, usque ad „ne multum se huic negotio" incl., exscripta est ex autographo (2°; 2 pp.), cuius magna pars putrefacta est atque decidit; reliqua autem exscripta sunt ex apographo sub a. 1864 ab ignoto scripto, cui sub a. 1890 alia manu ignota adnotatum est: „Non extat nisi alterum folium, priore ut videtur abscisso"; quod alterum folium postea perisse videtur. Apographum autem hoc fide dignum esse, et partem illam autographi ad eandem pertinere epistulam atque apographum illud, intellegitur ex epistulis a Mercuriano ad Hoffaeum et ad Canisium 18. et 19. Septembris 1579 datis, quae ponentur infra, n. 2047. Autographa pars nunc exstat in Cod. „Germ. 184" f. 78; apographum autem in folio (4°) separato positum est.

Magna igitur huius epistulae pars adeo vitiata est, ut, quid Canisius significaverit, equidem plene assequi non possim; verumtamen, quicquid verborum et syllabarum ex autographo superest, ponam, addendo in uncis quadratis nonnullas meas coniecturas; alii fortasse plures melioresque invenient coniecturas; fortasse invenietur quoque apographum, quod, olim ex autographo vel nondum corrupto vel saltem nondum tantopere vitiato exscriptum, ad autographum praesens supplendum utile esse possit. Attamen, ut spatio parcam, lacunas sive parvas sive magnas, una lineola — indicabo (nisi coniectura supplebuntur); simul autem, ubicumque in autographo novus versus incipit, lineolam | ponam.

Particulam epistulae latine et alteram eius particulam germanice quoque posuit *Janssen* l. c. VII[13—14] 427—428.

Versiones P. Peltani accurate recognoscendae sunt, antequam edantur. P. Valentia in sua contra Heerbrandum scriptione modum excedit. Visitator mittatur oportet. Guilielmus princeps Menginum confessarium ex aula dimittere recusat. Ernestus archidux haereticos „opprimit". P. Magius. Seminarium salisburgense.

In initio 1—3 versus omnino desunt. | a[?] — | Jam u[?] — | fortasse — seruetur — | sacerdote — | tum mun — | inest, non — [arbi-] | tror, isth[uc] [?] — posse non — quam serio — | maneant, q — | non possint f — | moleste hanc fe[rre] [?] — | Deinde ex a — | mittit P. Gregorio [de Valentia] [?] — | scripta typis excude[nda] — [Theo-] | logo fuerint hic ap[probata] — | excudendis intelligo — | ait, cohortante, dub — | uersionem eius tam i — | hunc suum foetum ualde cupit — [potes-] [?] tatem allegat, libertas debita dem[itur] [?] — e — | tur, immaturus partus in lucem editur. Pr[obo] [?] — | sententiam[a], propius nostris ad uetus de[cretum] [accedendum[b]] [?] | esse, nimirum ut Romam potius censendi[c] mittan[tur, quam in Pro-] | uintia approbentur[d], quicunque[e] scripti libri euulga-

a) *Sequitur* vt, *oblitt.* b) [redeundum]? c) *A C. correctum ex* censenda. d) *Hoc v. supra versum scriptum est.* e) *A C. corr. ex* quaecunque.

buntur, praeser[tim ne] [per][a] [?] | quosdam et paucos scripturientes nomen societatis hoc nasuto [saecu-] | lo uituperetur potius quam illustretur[1]. Nam et P. Gregorius Hi[s-] | panus limites excedit modestiae, quae nostris conuenit The[ologis,] | quum aduersus Heerbrandum quendam Lutheranum inuehit[ur,] [qui][b] [?] | breui, ut vereor, ad tertiam Apologiam edendam accedet, [vt][c] [?] | maledico et contentioso admodum hosti respondeat[2]. Ex quo [con-] | certationis genere quid solidi boni aut Societas, aut Lector capi[at,] | nondum intelligo. Judicet P. T expediatne P. Prouintialem[3] | admoneri, vt[d] si Romam mittenda non sunt huiusmodi scripta, saltem in censendo non properetur a nostris, utque censores | officium suum sedulo praestent, atque ad approbandum utcunque sint exac[ti.] Tum fortasse non obfuerit, eundem Patrem literis admoneri de P. T. | sententia, quam huc spectare puto, vt quae uertit ex Graeco P. | Peltanus, non edantur, nisi doctis placitura, et editione digna, | atque cum ipsius Societatis honore coniuncta esse uideantur[4]. | — finem Aprilis[e] | — [seme]l atque iterum scripsi. | — is uisitationem, qua de — i, tamen in priore per- — [atque] [?] cum primum | — [ma]gnopere in Domino profutu- [rum] — [procuratore]m isthuc uenturum delegi- | [mus] — [cog]noui alia non leuis momenti, | — [ope]rae precium fore, ut Visitatorem — P. T. uisum est, Procuratorem | — [nesci]o an ea coram explicare poterit, | — ri potest, quae Visitator in hisce | — ae [?] deprehendet. Caeterum in hac | [re] [?] puto [?] tum [?] [ali]orum[f] [?] Patrum, tum nouitiorum, et con- | [uictorum] [ratio]nem singularem habendam esse[5].

a) [propter] ? b) [hic] ? *vel* [Is] ? c) [qua] ? d) *Sequitur* saltem, *oblitt.* e) *Sequitur* datae, *oblitt.* f) [nostr]orum ? *vel* [reliqu]orum ?

---

[1] „Qui talento praeditus ad scribendos libros communi bono utiles eos conscriberet, in lucem edere non debet aliqua scripta, nisi prius Praepositus Generalis ea videat et legi ac examinari faciat; ut, si ad aedificationem fore videbuntur, et non aliter, in publicum prodeant": *Constitutiones* S. J., P. 7, c. 4, n. 11; cf. P. 3, c. 1, n. 18; P. 4, c. 6 O. Mercurianus autem P. Theodoro Peltano Augustae versanti concesserat, ut versiones latinae scriptorum graecorum ab ipso factae (cf. supra p. 233) in provincia Germaniae superioris „examinari" possent. Hae tamen censoribus illis displicebant. Vide, quae sub proximas litteras (n. 2045) dicentur.

[2] Adversus Iacobum Heerbrand (1521—1600) giengiensem (Giengen, oppidum Wurttembergae), theologiae lutheranae in universitate tubingana professorem, P. Gregorius de Valentia theologiae in universitate ingolstadiana professor. Ingolstadii iam ediderat anno 1578 „De Idololatria adversus improbissimas nostri temporis haereticorum, praesertim Tübingensium, Calumnias Disputationem" et 1579 „Apologeticum de Idololatria, adversus impium libellum Iacobi Herbrandi" etc. (*Sommervogel* l. c. VIII 389; *Duhr*, Jes. I 666). Plura sub ipsas has litteras dicentur.

[3] Paulum Hoffaeum.

[4] Hoffaeum et de Valentia et de Peltano a Mercuriano monitum esse intellegetur ex illius litteris ad Hoffaeum et ad Canisium 18. et 19. Septembris 1579 datis; v. infra, ep. 2047.

[5] Mercurianus 28. Aprilis 1579 Canisio scripserat, se visitationem a Canisio semel atque iterum petitam „dilaturum" esse, donec „congregatio procuratorum" Romae proxime habenda absoluta esset (supra p. 501). Sin autem hoc litterarum

[C]ausa, quam toties meis ursi literis, nonnihil [imm]utata est, et nouam ueluti faciem accepit. Cum enim [Colleg]ium hoc a P. Prouintiale uisitaretur, accessit et ille bonus [P]ater [1], ac generalem peccatorum confessionem nostro more fecit [2], sed paulo post ad suam regressus aulam [3]. Suasit interim illi P. Prouin | tialis, ut collegiali disciplina contentus, aulicis tamdiu, tamque familia- riter toto fere anno non [a] adhaereret, ac P. T. uoluntati satisfaceret: | suasit inquam, sed ut arbitror, diffisus se ab eo, qui totus a Prin- | cipe pendere uideatur, tale aliquid impetraturum, quantumuis urgeret negotium, in quo tam multa hucusque tentata fuissent. Prin- ceps aliquoties a me admonitus de periculis et incommodis adiunctis, si P. T. iustae postulationi et expectationi locum dare negligeret, ac Menginum porro in aula secum retinere pergeret, ita respondit, | vt mihi non ex animo loqui, sed uerba dare, ac simulate agere uide- | atur. Nec uideo quid sperare de illo possim amplius: uicit ratio- nem affectus, uicit argumenta nostra, ut colligo, amor coniugis, | quae Mengino vel maxime, ni fallor, patrocinatur, ut marito quasi surdo canamus, et triplicatum hunc funiculum [4] frustra dissoluere | contendamus. Cauet autem P. Prouintialis, ne multum huic se negotio | [immisceat.] [b] [?] [c].

[In] [d] Austria religionis negotium habet rectius, quam antea, [dum] [e] Viennae magnam dat operam Archidux Ernestus, ut haeretici opprimantur. Catholici vero passim suum faciunt officium, sicut haud dubie nostri Romam perscripserint [5]. Admonitus autem tacere

a) *Hoc v. a Can. supra versum scriptum est.* b) [ingerat.]? c) *Hic terminatur pars autographa huius epistulae, neque scio, utrum inter sententiam hanc ultimam autographi et eas, quas ex apographo illo recenti ei adiungo, olim a Canisio aliae interpositae sint necne.* d) (In) *apogr.* e) (dum) *apogr.*

---

caput cum Mercuriani responso, quod dixi (supra p. 510 [4]) contuleris, Canisium haec dicere collegeris: Perstare se in priore sententia: Visitatorem, cum primum venisset, provinciae magnopere profuturum esse; neque enim procuratorem — delegerant P. Martinum Leubenstain — ea omnia coram explicare posse, quae visitator oculis deprehensurus esset etc.

[1] P. Menginus, confessarius Guilielmi principis et Renatae uxoris eius.

[2] Menginus a. 1570 Monachii professionem sollemnem trium votorum fecerat (*Catalogus collegii monacensis pro anno 1572, ab ipso *Mengino* rectore subscriptus; Germ. 131 f. 114[a]). S. Ignatius autem constituerat: „Tam omnes Professi, quam formati Coadiutores, semel singulis annis, et quoties praeterea Superioribus visum fuerit, ad suas conscientias in confessione, vel secreto, vel alia ratione eisdem aperiendas . . . parati esse debebant: tum etiam ad confessionem generalem, quae ab ultima generali inchoëtur, ei quem Superior sibi substituerit faciendam“: Constitutiones S. J. P. 6, c. 1, n. 2. Atque ea quidem aetate Sociorum Germaniae superioris moris fuisse videtur, ut rationem conscientiae provinciali visitationis tempore, eiusmodi generalem confessionem eidem facientes, redderent; v. *Can.* IV 435 441 933; V 599 769; VI 505. [3] Landishutum. [4] Cf. Eccle 4, 12.

[5] In Austria superiore et inferiore protestantes superioribus annis, quamquam inter se multum dissidebant, ecclesiam vehementer vexaverant, sacerdotes expellendo, bona ecclesiastica auferendo, catholicos, ut ad castra sua transirent, vi compellendo, in instituta sacra e templorum suggestibus debacchando; Ernestus autem archidux, vir valde prudens, fortis, diligens, pius (*Duhr,* Jes. I 703—704), cum a Rudolpho II.

non possum de Patre Laurentio Magio Rectore Viennensi, quem verentur in urbem avocandum esse: quodsi fiat magnum inde vulnus religioni infligendum censent, praesertim quum illius authoritas apud illam Rempublicam et Austriae Principes plurimum valeat [1], nec desinant haeretici more suo tumultuari.

Confido autem Paternitatem Tuam pro sua prudentia in Patre illo avocando nihil sine gravi causa esse facturam, quoniam paucos Magios habet, ac desiderat tamen illa provincia haereticis referta.

Commendo me Paternitatis Vestrae ac Patrum Assistentium omnium sanctis precationibus in Christo Iesu, qui nos ad sui nominis gloriam in utroque homine tueatur.

Monachij 24 Iunij 1579.

Reuerendae Paternitatis Tuae

servus indignus in Christo

Petrus Canisius.

Salisburgense seminarium, Deo gratia, externis quibusdam gubernandum tandem traditur [2].

Admodum Reverendo in Christo Patri nostro, Patri Everardo Mercuriano, Societatis Iesu Praeposito Generali.

Ad manus proprias. Romae.

P. *Gregorium de Valentia* merito a Canisio in his litteris reprehensum esse, quod in Heerbrando impugnando „limites excederet modestiae", facile ex Valentiae libris cognoscitur. Ita (ut exemplum ponam) hic in secundi illius „Apologetici de idololatria" ipso hoc anno 1579 editi praefatione „ad pium lectorem" sic scripsit: „Extorsit mihi importunitas aduersariorum, non ita pridem, breuem quandam de Idololatria disputationem.... Ex istorum irrationabili grege vnus Herbrandus, tanquam caeteris petulantior, in arenam prodijt, qui contra veritatis siue stimulum siue aculeum, quo punctum se esse lamentabiliter queritur, frustra calcitrauit: hoc est,

---

imperatore fratre Austriae praepositus esset, a. 1579, reiectis baronum et nobilium protestantium intercessionibus, urbibus pagisque suis imperavit, ut caerimoniis lutheranis penitus abolitis ad religionem catholicam plane redirent, et, nova scholarum ratione promulgata, edixit, ne alii quam catholici admitterentur magistri neve alii quam catholici explicarentur libri etc. (*Janssen* l. c. IV $^{15-16}$ 498—503; *Vict. Bibl*, Die Einführung der katholischen Gegenreformation in Niederösterreich durch Kaiser Rudolf II., Innsbruck 1900, 88—96 119—133). In **Litteris* annuis provinciae austriacae S. J., Graecio 5. Aprilis 1579 datis, narratur: Vindobonae contiones, quas Socii in templis cathedrali, aulico (S. Augustini), Societatis habeant, plurimum frequentari; ad aulicam contionem principes et ipsum caesarem, si Vindobonae sit, accedere; anno superiore „publicam supplicationem Corporis Christi celeberrimam fuisse"; cum senatus urbis instaurandus esset, effectum esse, „ut Catholici potissimum sublegerentur" etc. (ex archetypo olim ad Mercurianum misso. Germ. 141 f. 19).

[1] Etiam apud Rudolphum imperatorem (*Sacchinus*, Hist. IV l. 6, n. 77—79. *Socherus* l. c. 209—211).

[2] Cf. supra p. 436. Salisburgo 16. Iulii 1579 viri „ad negocium Seminarii deputati" Feliciano Ninguardae scripserunt: Iam a se Monachii et Ingolstadii per „commissarios" comparatos esse viros, qui ad seminarium regendum et ad docendum in quattuor eiusdem scholis „idonei" esse viderentur. Litteras integras posuit *Theiner*, Ann. III, in a. 1579 n. XXXII.

doctrinae verae, obstinationem et ignorantiam: perfidiam fidei. Catholicorum in hac caussa innocentiae, calumnias opposuit". Atque „ipse quidem neque responsione dignus est, neque vero responsionis capax". Notantur in eo „vanitas", „ruditas", „levitas", „hallucinatio"; qui „miserabiliter", „indoctissime", „turpiter" scribit; ipse et alii huiusmodi „Pseudoprophetae" „daemonis caussam tanquam ipsius misera mancipia agunt" (*Gregorii de Valentia* S. J. De rebus fidei hoc tempore controuersis Libri ... ab ipso Auctore recogniti, Lutetiae Parisiorum 1610. sect. V. p 19—20). Neque perperam Canisius „verebatur", ne *Valentia* „brevi ad tertiam Apologiam edendam accederet": nam ipso hoc anno 1579 Ingolstadii edidit „Confutationem calumniarum, quas Heerbrandus Spongia quadam sua, vt appellat, complexus est, et in Apologeticum de Idololatria, nuper Ingolstadii aeditum, leuiter ac petulanter effudit". In cuius „Confutationis" capite ultimo (IX.) Heerbrandum sic compellavit: „Vt antea quoque te admonui, sicut caecus, cum de coloribus agit, ita tu cum disputas verba tantum concipere, de verbis loqui, et altercari perpetuo videris.... Infamiam falsarij certam incurristi.... Ausus impudenter es, ... appellare me sicophantam et nescio quae alia.... Quam tu rationem si non probas, prudentia etiam cares, quod tibi, homini seni, et qui, vt ais, nondum sentias senectutis incommoda, est turpissimum.... Te, Heerbrande, eo miserabiliorem quam illos esse iudico, quo scelestius crimen duco, veritatis odio perfidum ex animo esse, quam ex rerum fluxarum caeca quadam cupiditate perfidiam ficte simulare" (p 63—67). Huius autem acerbitatis *Valentia* in „Confutationis" „praefatione" Ingolstadio 24. Augusti 1579 data hanc affert excusationem: „Dum luctuosissimam Germaniae faciem intueor, sic animo saepe afficior, vt quos genti clarissimae, et ad pietatem religionemque natae, ac mihi certe ob naturae ingeniique bonitatem inprimis charae adeo tristem miserabilemque cladem attulisse intelligo, hos quin, a Deo despectos, ipse quoque ex animo contemnam, et cum occasio datur, qua possum orationis seueritate coërceam, temperare mihi nullo modo possum" (f. B[b]). Haec certe ad Valentiae acerbitatem excusandam non sufficiunt. Notandum tamen est, Heerbrandum multa dixisse, quae Valentiae bilem movere debebant. Ut cum eum vocat „hominem opinione eruditionis inflatum, ingenioque natura superbissimo praeditum, superstitiosissimum; idololatriaeque adeo profunde immersum, insuper et calumniis atque sophistica, scholasticaque vanitate, cum suo logodaedalo ita instructum, et assuetum, vt ad omnia, quantumuis recte dicta calumniandum, natus, factus, fictusque videatur, adeo, haec in naturam plane vt abierint". Ego pro veritate, inquit Heerbrandus, Canisium quoque (nisi fallor) significans semper „pugnabo, quicquid seu sues grunniant, seu canes allatrent, mordeant, lacerent". Item de „Gregorio Hispano de Fallentia" [sic!]: „Magis certe furiosum, aut ex furioso insanum factum, nec vidi nec legi vnquam" etc. (Spongia adversus aspergines Apologetici Gregorii de Valentia ... Materia ... pro Disputatione proposita. Authore, et Praeside *Iacobo Heerbrando,* Tubingae 1579, praef. et f. A II[a]).

Mercurianus Canisio respondit 19. Septembris 1579.

2045. CANISIUS **EVERARDO MERCURIANO** praeposito generali Societatis Iesu. Monachio circa 15. Augusti 1579.

Ex commentario, de quo infra, ep. 2048.

De missione ad comitem de Fürstenberg. De collegio germanico.

Mercurianus Roma 9. *Octobris 1579 Monachium ad Canisium litteras misit, in quibus haec sunt: „Gratum mihi fuit quod ex postremis Reuerentiae V. litteris intellexi Reuerentiam V. ad Comitem de Fustemberg destinatam: Gratius tamen fuit quod addebat fore ut ad Aduentum Lanshutam rediret ad concionandum. . . . Altera litterarum pars erat de Collegio Germanico, de quo libenter audiuimus etiam per Reuerentiam V. quae istic circumferrentur" etc.*

Canisii litterae perierunt; quas circa d. 15. Augusti datas esse ex eo colligitur, quod Mercurianus eodem illo d. 9. Octobris, quo ad Canisium litteras, quas dixi, misit, ad P. Paulum Hoffaeum quoque Germaniae superioris provincialem epistulam dedit; quae sic incipit: „Vidi quae Reuerentia V. scribit postremis literis datis 15 Aug.“ Scripserat autem, ut ex eadem Mercuriani epistula cognoscitur, Hoffaeus, Canisium ad comitem illum ire a se iussum esse (ex comm.; Rh. Inf. 1, II f. 34[a]).

Caeterum ad hanc Canisii missionem plenius intellegendam iuverit haec notari: *Mercurianus* Roma 26. Iunii 1579 *litteris Ingolstadium missis Hoffaeum sic monuit: „Jllustrissimus Dominus Pernestain cum uxore sua cum filiam peregrinantem in Sueuiam, ditionem Comitis Alberti cui ea nupta est Praga mitterent, egerant nobiscum per litteras uehementer ut istic aliquem e nostris illi daremus qui eam una cum uiro in Domino consolaretur, et in rebus spiritualibus adiuuaret. Quod beneficium et per se pium, et tam illustribus Dominis, deque nostra Societate haud uulgariter meritis, et mereri paratis, negari non potuit, non tamen ut perpetuo cum illis quispiam maneat, quod decreta prohibent [1], et iamdudum quam sit damnosum experimur, sed aliquis aliquando ad eos excurrat, deinde redeat ad Collegium. Nam neque amplius 24 milliaribus distare locus dicitur, neque eius mansio diuturnior fore, quam aliquot mensium. Quare sic rescripsi his conditionibus aliquem eis nos daturos, deque eo ad Reuerentiam V. scripturos. Nam etiam hoc urgebant ut responsum Augustae quam primum adesset, et si fieri posset ad dimidium Julij: quamquam id iam fieri non posse intelligo ut tam cito hae litterae perueniant.“ *Mercurianus* hanc epistulam Augustam Vindelicorum ad P. Gregorium Rosephium domus illius „superiorem“ misit cum *litteris eodem die datis, quibus ei mandabat, ut Hoffaeo epistulam illam quam primum tradendam curaret; simul Rosephio haec significabat: „Veniet istuc Comes Albertus cum uxore filia Jllustrissimi Pernestain uiri nobis amicissimi: qui quoniam postulauit ut aliquem ei Patrem daremus qui aliquando ad eos consolandos in Sueuiam eorum ditionem se conferret, eiusque rei responsum Augustae habere desideraret“ etc. (ex commentariis: Rh. Inf. 1, II f. 33[a].) Significatur autem Albertus imperii comes de Fürstenberg (1557—1599), unicus filius Christophori I. († 1559) illius, cui a. 1559 in comitatus furstenbergensis distributione vallis Kintiae (Kinzigertal) cum terra iungnaviensi (Jungnau) obtigerat. Albertus uxorem duxerat Elisabetham (Isabellam) filiam Vratislai baronis a Pernestain (Pernstain, Pernstein) supremi regni bohemici cancellarii et Mariae Manriquez de Lara. Hi certe digni erant, quibus Socii plurimum gratificarentur; nam Pernestain († 1582) catholicae religioni in Bohemia conservandae et amplificandae diligenter studebat ac Societatem multis beneficiis afficiebat (*Kroess*, Böhm. Provinz I, 62 199 256 360 374 379 381 621 etc.) De Alberto Furstenbergio *Sacchinus* (usus, puto, relationibus, quae postea perierunt) scribit: „Ex Euerardo Praeposito impetrarat, vt aliquis ad se de societate confessarius in tempus aliquod mitteretur. Nam et ipse a pietatis non abhorrebat studijs, et coniugem habebat admodum piam, assuetamque Pragae Imperatricis [2] in aula frequenti confessioni, sic vt difficillime careret magistro conscientiae, qui ad manum quotidie praesto esset“ (Can. 601). Quo denique animo Hoffaeus provincialis *Mercuriani* de Socio iis mittendo mandatum exceperit, ex *epistula Roma 9. Octobris 1579 data apparet, qua is Hoffaeo ad litteras 15. Augusti 1579 datas sic rescripsit: „Quod ad missionem in Sueuiam attinet, uideo quid Reuerentia V. timeat et nos idem metus satis torsit: sed tamen neque ut tum scripsi, tali familiae negare potuimus neque cautius pacisci: sic enim promisimus ut subinde aliquis iret et rediret, expresse autem negauimus ut in aula quod petebant permaneret. Sin illi pactis non steterint, et aliquid amplius postularint, parati sumus ad resistendum, quod non est difficile in initijs. Laudo tamen Reuerentiae

[1] Vide supra p. 471 [1]. [2] Mariae, coniugis, deinde viduae Maximiliani II. imperatoris.

V. prouidentiam quae P. Canisium potissimum miserit cui necesse erat cito redire" (ex comm.; Rh. Inf. 1, II f. 34a).

Altera litterarum Canisii pars ad res collegii germanici spectat; de quibus vide ea, quae Mercurianus 9. Octobris 1579 Canisio rescripsit.

2046. CANISIUS **EVERARDO MERCURIANO** praeposito generali Societatis Iesu. Dilinga 17. Septembris 1579.

Ex autographo (2°; 1½ pp.; in p. 4 inscr. et particulae sig.), quod est in Cod. „Germ. 184" f. 68a—69b. Magna harum litterarum pars putrefacta est et decidit; in earum pagina 4. manu antiqua eaque romana notatum est: „† 79 Dilingae · P. Petrus Canisius 17 Septemb."; quae recte scripta esse confirmatur epistula proxima (n. 2048).

Litteras hasce eodem modo edam, quo epistulae 2044 partem priorem (quae eadem ratione atque haec est vitiata) edidi: vide igitur supra p. 509. Epistula usus est eiusque particulam posuit *Sacchinus*, Can. 301—302 338.

Praefatio editoris: Vix intellegi poterunt hae litterae admodum mancae, nisi haec eis praenotentur:

1. Cardinalis *Otto Truchsess* de Waldburg, episcopus augustanus († 1573), qui Societati Dilingae collegium condidit et universitatem cum alumnorum et convictorum domo, quod seminarium S. Hieronymi vocabatur, a se iam ante fundatam regendam et administrandam tradidit, haec, praeter alia, constituit: „In omnibus festis diebus haec nos a nostris alumnis obseruari praecipimus: Primum ut intersint concionibus quas esse in eis curabimus. Deinde ut in eis omnium horarum praeces integras absoluant iuxta consuetudinem Augustanam[1], utque matutinas praeces cum laudibus mane cantent, Vespertinas autem hora tertia non modo in ipsis dominicis et festis diebus, sed etiam sabbatis et aliorum festorum uigilijs. Tertio ut pridie omnium praedictorum festorum et sabbatis omnibus post completorium Euangelium futuri festi legatur. Vtque rector breui adhortatiuncula admoneat omnes quid in eo aut in futuri festi celebritate potissimum occurrat, in quo Christianorum meditatio maximo cum fructu possit occupari, atque ad dei et proximorum amorem, uel ad alicuius peculiaris uirtutis studium et uitij contrarij detestationem excitari. Qua hortatione finita iubebit ut de propositis rebus secum omnes taciti magno cum silentio meditentur, diuinam gratiam ardentibus uotis et desiderijs implorando, absque qua nec solida delectatio in spiritualium rerum contemplatione sentiri, nec fructus ullus percipi potest. Postquam autem in hac meditatione quadrantem unius horae consumpserint, hymnum, Te deum laudamus grauiter et deuote dicent. Subijcietur deinde · Pater noster · cum Chyrie etc. et Oratio de festo uel dominica, in cuius conclusione Collegij et nostri mentio fiet. His actis in suum quisque cubiculum se recipiet: „Constitutiones Collegij Dilinguae erecti per Cardinalem Augustanum" n. 14 (ex Constitutionum exemplo saeculo XVI. scripto. G. Sup. 98 f. 226a). Deinde idem cardinalis *Otto* in *litteris fundationis collegii dilingani (de quibus v. *Can.* VI 398[3]) haec praecepit: In seminarium quoque S. Hieronymi Societati plena sit potestas. „Manebunt tamen in collegio et ecclesia sancti Hieronymi eadem statuta, consuetudines, caeremoniae, ritus ecclesiastici et caetera, quae circa cultum divinum, cantum et obligationes alumnorum ad ecclesiae Augustanae inserviendum sunt constituta.... Alumni episcopi, quibus tenebitur episcopus de victu, amictu et omnibus necessariis sufficienter providere" debent „in festis diebus, vigiliis, sabbatis et Dominicis simul cum clericis Sancti Hieronymi clericaliter induti missas et vesperas secundum usum ecclesiae Augustanae cantare, prout hactenus observatum est." Idem praestare debent convictores „ecclesiastici" vel ecclesiastico generi vitae destinati. „Cura porro circa cantum, officia ecclesiastica et ceremonias peragendas non imponetur societati"; sed gubernator vel alius a societate eligendus eam exer-

---

[1] Dioecesis augustana olim suam propriam habebat liturgiam; v. *Can.* II 522[1].

cebit, Rectore „superintendentiam“ gerente (ex apographo recenti, quod exstat Dilingae, in bibliotheca lycei, MSS. Stempfl. Nr. III (2) 15 f. 7—8).

Mercurianus vero praepositus generalis Roma 11. Martii 1579 P. Paulo Hoffaeo praeposito provinciali Germaniae superioris sic *scripsit de collegio dilingano: „Miratus sum, quod ex quibusdam resciui in eodem Collegio non nisi quatuor horas quotidie in scholis poni: quod ab Reuerentia V. corrigi uelim, nam et nostrae consuetudini repugnat, nec potest non plurimum studiorum profectui incommodare: ut illud etiam quod omnibus sabbatis, itemque cuiuslibet sancti peruigilijs et canuntur uesperae, et ijs omnes discipuli cum detrimento unius horae adesse cogantur. Quod etsi a Cardinali bon · mem · pro eius pietate olim coeptum est, facile tamen credimus mutari posse, ut alia multa immutata sunt, praesertim quod eius rei nulla cautio scriptis expressa est.... Quare haec omnia uidebit Reuerentia V. et eam inibit rationem quae in Domino apta uidebitur ad huiusmodi tollenda incommoda“ (ex comm., Rh. Inf. 1, II f. 28). Mercuriani haec praecipientis animo obversabatur constitutio illa a S. Ignatio facta: „Non utentur Nostri choro ad horas canonicas, vel Missas, et alia officia decantanda.... Si in quibusdam Domibus vel Collegiis sic convenire iudicaretur, eo tempore, quo vesperi praedicandum vel legendum est, ad populum detinendum ante huiusmodi lectiones vel contiones, posset vespertinum officium tantum dici. Sic etiam ordinarie Dominicis et festis diebus, sine cantu figurato vel firmo, ut vocant, sed tono quodam devoto, suavi et simplici“: Constitutiones S. J. P. 6, c. 3, n. 4 et B. Attamen iam a. 1558 Societatis Congregatio generalis prima affirmaverat (decr. 40 post el.), ea de re „aliquo in loco dispensari“ posse; et annis 1565 et 1573 Congregationes generales secunda et tertia (decr. 17 post el.; decr. 36 post el.) declaraverant: Praepositum generalem posse cantum illum „in hunc vel illum locum“ inducere et inductum „revocare ac prohibere“ atque dispensare „quoad modum et qualitatem cantus“ etc. (*Institutum* S. J. II 165 198 227).

2. Altera harum litterarum pars potissimum ad expeditionem illam spectat, quam Canisius iussu P. Hoffaei provincialis obiturus erat ad Albertum comitem de Fürstenberg et Elisabetham (Isabellam) de Pernestain eius coniugem in rebus sacris adiuvandos (v. supra p. 514). Fortasse autem Canisius huius rei gratia Dilinga Augustam transmigrare cogitavit, quo citius inde, cum comiti visum esset, ad eum venire posset; tempus certe urgebat: Hoffaeus enim Guilielmo Bavariae principi promiserat fore ut Canisius Landishuti apud ipsum contiones sacri adventus haberet (cf. supra p. 513); qui eo anno 29. Novembris incohandus erat.

Eum rogat, permittat, ut Dilingae sabbatis vigiliisque cantus vesperarum retineatur. De profectione ad comitem de Fürstenberg et contionibus landishutanis.

In initio unus vel duo versus omnino desunt.[a]

| — [aliqu]ibus collegij huius Patribus | — [qu]id [?] de illo, quod P. T. literis | —[b] [stat]uit de cantu Vesperarum | —[c] Cum enim hac de re multa | —[d] [m]aiori Consultorum parti placuit, vt —[e] Paternitati Tuae negotij huius ratio aliquanto —[f] [Pr]imum[?][g] enim bonus Cardinalis[1] instituti | —[h] [d]iserte et saepe[i] cauit in fundationis literis, | —[k] [can]tum ab ipso introductum et confirmatum

a) *Fortasse sic supplendum est:* Pax Christi IESV nobis aeterna, Admodum Reuerende Pater. | — b) *Fortasse sic vel similiter supplendum:* mense Martio ad Patrem nostrum Prouintialem datis. c) *Fortasse sic fere supplendum:* in Vigilijs abolendo, sentiendum sit. d) in utramque partem dicta essent, *vel similiter.* e) *Supplendumne fere sic:* priusquam certum aliquid constitueretur? f) *Supplendumne fere sic:* accuratior per me redderetur? g) [Cum pr]imum? h) huius auctor et fundator? *Vel* nostris hominibus collegium condidit? i) *Haec 2 vv. a Can. supra versum scripta sunt.* k) ne quicquam mutaremus circa?

[1] Otto Truchsess de Waldburg.

— que. Deinde non poterit non multorum —[a] [a]nnis constanter obseruata, multumque —[b] [a] nobis abrogetur. Nam et Germanis —[c] [huius]modi cantatas Vesperas in Vigilijs adhibendi, — [ad cultum diu]inum pertinet, qui cum religiosius et solen- [nius] [quam alibi] [?] [at]que sine nostrorum onere, peragatur, singularem [huic Academiae] [?] [fi]dem et existimationem apud Catholicos parit.

[Veniunt] huc multi non tam ad discendas literas, quam ad [spiritu]m Catholicum imbibendum, praesertim ob ceremonias in [diuino] cultu frequentiores, quam in ullo alio collegio introductas.

[Quod] si ergo cantum hunc et similia, quibus Germana iuuentus non [par]um afficitur et mouetur in templo, substraxerimus, non minimum fructum in studiosis amittemus. Habet insuper hoc oppidulum plaeraque incommoda, et uix in eo pauca studiosos allicere aut delectare posse uidentur, vt hinc etiam plusculum illis, praesertim ad exhilarandos in sacris animos, indulgeri possit. Quare quum alia quaedam, sed minoris illa momenti, paucis ab hinc annis mutata hic[d] | sint et abrogata[1], non satis consultum fore putant nouum nunc vulnus primae fundationi Cardinalis infligere, et praeclaram huic | academiae laudem eripere, quod in cantu et ceremonijs Catholicam religionem ualde commendet ac studiosis comprobet, ideoque multi Canonici nobiles et monachi huc mittantur instituendi.

Etsi uero aliqua in studijs tunc fit intermissio, dum vna fortasse hora cessatur, tamen leuis ea iactura est, quae spirituali fructu | facile compensatur, hoc praesertim loco et tempore, quum tam multi studiosi ad sacram confessionem pridie illius diei, quo uenerandum | Christi corpus sumpturi sunt, sedulo sese componunt: Rogamus igitur, | vt P. T. ueterem, pium et probatum usum in decantandis uespertinis precibus, etiamsi profesti sint dies, Dilingensi huic academiae permittat, ac diuinum cultum hac etiam in parte Germanis integrum manere sinat, praesertim quum illi ualde indigeant ceremonijs Ecclesiasticis, neque nobis desint Momi ac aemuli, ad calumniandum valde procliues[e], | — [?]

Si[f] [?] — qu — | in — | plaerisque — | Hoc unum — Augustam p — [am-] plius interea — [prae-] [?] sentiam et opera[m] [?] — Miramur tam altum sile[ntium] — [de Co-] mitis[2] uoluntate. Jn — [uel][g] [?] potius eius Coniugi[3] ins[eruiam] [?] — [P. Prouin-] tialis, ut quum uellet Aug[ustae] [?] — [con-][h] [?] tionem haberet: nimi-

a) *Supplendum esse uidetur fere sic:* animos offendere, si consuetudo tot. b) ab externis quoque commendata? a populo approbata nunc? c) consuetudo antiqua? d) *Hoc v. a Can. in margine additum est.* e) *Hic prior litterarum pagina terminatur, sententia ultima nondum, ut uidetur, absoluta; nam ei appositum est comma, neque scio, an paginae alterius versus primus iam prorsus euanuerit.* f) *Vel* si. g) *Vel* [aut]. h) *Vel* [ra-].

[1] Ita v. g. 1572 „media hora mane adiecta inferioribus scholis, vt deinceps 5. integras habeant“: Brevis *„Historia Collegii Dilingani“ ab aliquo ex Sociis dilinganis anno, ut videtur, 1572 conscripta (G. Sup. 98 f. 48[b]).

[2] Alberti de Fürstenberg. [3] Elisabethae de Pernestain.

rum — [obse-] | cundaremus. Quod — [ubi primum] [?] dicto Comiti satisfecero, qu — [P. Pro-] | uintialis promisit, vt Adu[entus tempore] [?] [Lans-huti] [?] essem [?] [con-] cionaturus[1]. Fiat autem Domini [uoluntas[2] in omnibus: Ego maioribus][a] obsequi pergam, quicquid impe-[rarint, Christo auxiliante.][b] [Deum pro me] [?] | roget quaeso P. T. una cum P. A[ssistentibus. Dilingae 17. Septembris] 1579.

Seruus in Chri[sto] [Pet. Canisius.]

Cum hucusque scripsissem, vocatus a Domino[c] [?] pr[aefato][d] [?] me accinxi itineri, quod Christus per P. T. [preces fortu-] nare dignetur.

† Admodum Reuerendo in Christo patri nostro, Patri Euerardo Mercuriano Prae | posito generali Societatis Jesu. Romae.

Mercurianus ad has Canisii litteras respondisse videtur non per epistulam, sed per P. Gregorium Rosephium, qui Romae congregationi procuratorum loco P. Leubenstein morbo affecti interfuit (v. supra p. 497 [2]). Atque de cantu vesperarum permittendo, qui litterarum illarum praecipuum erat argumentum, sic sensisse videtur. Eum posse retineri, in praesens saltem, quoad ea res melius esset expensa. Neque enim in codice illo *Collegii dilingani*, in quem auctore P. Theodorico Canisio rectore. praeter Mercuriani „responsiones datas anno 1579. 1º Decembris" ad „capita" congregationum [provincialium] romanae, siculae, mediolanensis etc., complura ab Mercuriano „circa ordinem huius Prouinciae [Germaniae superioris] immutata 1579" cum variis eiusdem „Resolutionibus" ad quaestiones Hoffaei provincialis relata sunt (Cod. „C 1" p. 78—81 103—106), de hoc cantu quicquam praecipitur. Quare P. *Iulius Priscianensis* S. J. Mercuriano *scripsit Dilinga 2 Ianuarii 1580: „Quelli benedetti Vespri de i Sabbati e Vigilie ... ogni giorno piu vediamo tagliar tempo alli studij: percioche non solo tali giorni non vi è piu d'un' hora di scuola, ma i filosofi e Rettorici tutto quel dopo desinare non hanno ne lettione, ne esercitio nessuno, udendo tutti insieme à quell' hora il Catechismo (parlo de i sabbati) il quale ora legge il P. Rettore. Le Dispute si particulari, come generali per non esserui tempo il sabbato, si fanno i venerdi, ne' quali allora non si legge. Se qualche filosofo uuole a quell' hora sentir qualche lection di Theologia, non puo, se ò egli una lectione, o un professore non lasci di leggere ... assai par sia l' hauer le feste Messa e Vespro cantato; ne so scolare che per tal costume, partitosi di qua, tali giorni di lauoro oda vespro; ne in Alemagna è tal usanza che si uada a vespro piu il sabbato e uigilie ordinarie che gli altri giorni" (ex autogr.; Germ. 158 f. 9[a]). Anno deinde 1582 P. *Olirerius Manareus*, qui a Claudio Aquaviva praeposito generali visitator in provinciam Germaniae superioris missus erat, in visitatione collegii dilingani sic *constituit: „Vt plures sint literariae exercitationes. sabathi[s] et profestis diebus omissis uesperis, per duas horas a prandio in scholis doceatur; quibus finitis, loco uesperarum diebus sabathi cantari possunt letaniae sanctorum a Conuictoribus et Sodalitate [mariana], et alijs qui interesse uolent. Praeter sacrum uero et 2[das] uesperas quae dominicis et festis diebus cantari solent. non cantentur primae uesperae, nisi in solennioribus festiuitatibus · quales sunt Natiuitatis" etc. (sequuntur 15 aliae „festivitates") (Cod. „C. 1" p. 120—121).

a) b) *Sic supplendum esse satis est certum; nam Franciscus Sacchinus, cui haec epistula — eaque, ut omnino videtur, integra — prae manibus erat, in numero „vocum". quibus Canisius in epistulis suam erga praesides oboedientiam significavit, ultimo loco hanc ponit:* Fiat voluntas Domini in omnibus: Ego maioribus obsequi pergam, quicquid imperarint Christo auxiliante *(Can. 337—338).* c) *Vel* Domina. d) *Vel* p[raefata] *[?].*

[1] Landishuti apud Guilielmum Bavariae principem.
[2] Act 21, 14; cf. 1 Mach 3, 60; Mt 6, 10; 26, 42 etc.

2047. EVERARDUS MERCURIANUS praepositus generalis Societatis Iesu CANISIO. Roma 19. Septembris 1579.

Ex commentario; in capite, manu eadem: „Monachij P. Petro Canisio." Rh. Inf. 1, II f. 33b.

Provincialis admonitus. Visitator. P. Magius. Seminarium salisburgense.

Non respondimus antea ad postremas Reuerentiae V. litteras scriptas 24 Jun.[a] tum propter alia negotia, tum quia facti potius quam scripti responsionem requirebant. Quare et quae in praesentia confici poterant, de ijs P. Prouincialem admonuimus[1], et de uisitatore quem adeo urget Reuerentia V. cito deliberabimus: neque enim Reuerentiae V. concedimus ut id magis exoptet quam nos ipsi. De P. Laurentio Magio miror eum rumorem spargi[2]: nobis enim de eo mutando adhuc quidem nec in mentem uenit, neque ueniet unquam nisi nos cogat maius Dei obsequium.

Salisburgense seminarium gaudemus alijs elocatum, et nos molestia liberatos[b], idque diuini beneficij loco ponimus, pro quo simul et pro ceteris Christo Domino gratias agentes eum[c] oramus ut uestris[d] [?] rebus ad sui nominis gloriam perpetuo fauere uelit. Commendo *etc.* 19 Sept. 1579.

Quod *Mercurianus* Canisio scribit, se facto potius quam scripto ei respondere: id ex parte praestitit in *litteris Roma 18. Septembris 1579 ad P. Hoffaeum provincialem datis; in quibus de PP. Theodoro Peltano et Gregorio de Valentia (cf. supra p. 509) sic eum monebat: De P. Peltano „delatum est nobis orationes quas is in latinum uertit non admodum istic probari tum a reliquis, tum ab ipsis censoribus. Si ita est uideat Reuerentia V. ne nomen Societatis hoc praesertim saeculo exculto, et iudicioso aliquam notam subeat: nam facultas quam nos concesseramus ut istic ea uersio censeretur huc tamen spectabat ut non ederetur nisi editione plane digna, et doctis esset placitura. Praeterea audiuimus etiam P. Gregorium excedere limites modestiae quae theologis nostris conueniat, iamque binas apologias nimis maledicas et contentiosas edidisse, tertiam etiam cito meditari. Reuerentia V. eum intra limites teneat, et ista cum eduntur, faciat sicut alia ut a nobis uideantur" (ex comm.: Rh. Inf. 1, II f. 33b).

Iterum *Mercurianus* Hoffaeo *scripsit Roma 12. Novembris 1579: „Quoniam audiuimus P. Gregorium nouam denuo responsionem contra Herbrandum moliri uellem moneretur ne tam mordaci stylo ut antea uteretur quod et hominj religioso parum decorum est, et maledicos homines ac contentiosos ad oblatrandum acrius irritat". Et *Roma 19. Decembris 1579: „De P. Gregorio Valentiano concedimus quod Reuerentia V. petit, ut eius modi scripta euulgentur istic uisa, modo bene ac diligenter uisa, ab Reuerentia V. et tribus aut quatuor alijs doctis, et prudentibus uiris" (ex commentariis. Rh. Inf. 1, II f. 34b 36a).

Canisius Mercuriano respondit 22. Novembris 1579.

2048. EVERARDUS MERCURIANUS praepositus generalis Societatis Iesu CANISIO. Roma 9. Octobris 1579.

Ex commentario: in capite, eadem manu: „Monachij P. Petro Canisio." Rh. Inf. 1, II f. 34.

a) *Sequuntur vv.* quoniam quae, *oblitterata.* b) *Sequitur* Mittimus Reuerentiae V. rationem quam, *oblitt.* c) *Correctum ex* eundem. d) *Vel* nostris*; obscure enim scriptum est.*

[1] Paulum Hoffaeum: vide, quae sub ipsas has litteras dicentur.

[2] Eum Vindobona Romam evocatum iri: v. supra p. 512.

Canisii missio furstenbergensis et contiones landishutanae. Rumores de collegio germanico; Patris Lauretani rectoris virtus.

Gratum mihi fuit quod ex postremis Reuerentiae V. litteris intellexi Reuerentiam V. ad Comitem de Fustemberg[1] destinatam[a]: Gratius tamen fuit quod addebat fore ut ad Aduentum Lanshutam rediret ad concionandum[2]: nam hoc ipsum uolebam, et quidem diserte cum illis Dominis[3] pactus eram, ut qui de nostris iret, non illic perpetuo degeret, sed cum illos aliquantum in spiritu recreasset rediret ad[b] Collegium. Jtaque utrumque laetor, et Reuerentiam V. isse, quod non sine fructu[c] per Dei gratiam ut credo fuerit, et iam ut suspicor[d] cum haec leget reuertisse.

Altera litterarum pars erat de Collegio Germanico, de quo libenter audiuimus etiam per Reuerentiam V. quae istic circumferrentur quoniam eadem iam antea[e] per alios ad nos delata fuerant, nosque perpulerant ut P. Prouinciali Romano[4] nominatim mandaremus ut uideret an ita se haberent, quod ille accurate fecit, et complures dies in ipsomet Collegio habitauit[5] ut omnia per se melius inspiceret. Tandem neque tam multa ut rumorem esse uideo, reperit, et si qua fuerunt nimia[f] facile corrigi potuerunt[g]: et in summa quod istic increbuit hos iuuenes in perturbatione esse, omnino falsum est: nam sunt si unquam fuerunt[h] tranquilli, et quieti. Ex quo intelligi potest quod istuc allatum est a paucis profectum esse, quos in tanto numero[6] necesse est reperiri parum dociles, et disciplinae amantes. Ut pro Jtalo externus aliquis ponatur[i], aut omnino mutetur[k] is qui nunc est[7], etiam si uelimus nullo modo facere possumus · est enim et[l] Pontifici[8] et[m] Cardinalibus Protectoribus[9] mire gratus. Et merito quidem · est enim in huiusmodi gubernatione tum[n] magnae prudentiae, tum diuturnae experientiae, et quo[o] amoto uix reperire possimus qui eum multis partibus assequatur.

a) *Sequuntur vv.:* spero enim id non sine eo quem quaerebamus fructu esse potuisse, *oblitterata.* b) *Sequitur* nostrum, *oblitt.* c) *Sequitur* ut credo fuit, *oblitt.* d) *Tria vv. sqq. supra versum scripta sunt.* e) *Sic correctum est ex* etiam. f) *Hoc v. supra versum scriptum est.* g) *Ita corr. est ex* facile correcta sunt. h) *Sequitur* pacifi *vel simile v., oblitt.* i) *Ita corr. est ex* poneretur; *fortasse in commentario omissum est v.* rector; *de rectore certe agebatur mutando; cf. infra, adnot. 7.* k) *Corr. ex* mutaretur. l) m) *Corr. ex* tum. n) *Hoc v. supra versum scriptum est.* o) *Sequitur* si, *oblitt.*

[1] Ad Albertum comitem de Fürstenberg et Elisabetham de Pernestain coniugem eius; v. supra p. 514. [2] Apud Guilielmum Bavariae principem; v. supra p. 513.

[3] Praeter Albertum significantur Vratislaus baro de Pernestain et Maria Manriquez de Lara, Elisabethae parentes; v. supra p. 514.

[4] Claudio Aquavivae, puto (*Sacchinus*, Hist. IV l. 7, n. 52).

[5] Praepositi provinciae romanae in collegio romano, nisi fallor, habitare solebant (cf. Hist. Soc. 41 p. 57); collegium autem germanicum erat in aedibus templo S. Apollinaris adiunctis (*Steinhuber* l. c. I² 108—109).

[6] 130 fere Germani ibi erant (*Steinhuber* l. c. I² 165).

[7] P. Michael Lauretanus (Lauretano) S. J. recanatensis (Recanati prope Lauretum) ab a. 1573 usque ad mortem († 1587) collegii germanici rector maxima cum laude fuit; v. *Steinhuber* l. c. I² 102 125—136 193—194). [8] Gregorio XIII.

[9] Hoc officium a pontifice a. 1573 commissum erat cardinalibus Ioanni Morono, Alexandro Farnesio, Marco Sittico ab Altaemps, Ptolemaeo Gallio (Comensi), Ludovico Madrutio (*Steinhuber* l. c. I² 98—99).

Haec Reuerentiae V. nota esse uolui partim ut eam cura hac[a] leuarem, partim ut sciret quid respondere posset si quando in huiusmodi sermones incidisset. Ceterum commendo me Reuerentiae V. precibus sanctisque sacrificijs. Romae 9.° Octob. 1579.

Ea quae in hac epistula de furstenbergensi Canisii missione dicuntur, confirmantur *litteris Roma 12. Novembris 1579 a *Mercuriano* datis, quibus hic Hoffaeo provinciali ad eius epistulas 27. Augusti, 17. Septembris, 3. et 9. Octobris datas respondebat; sic enim Mercurianus: „Quod [Reuerentia V.] scribit de Comitissa Fustemberg, quae P. Canisium secum retinere meditabatur, gratum fuit admoneri, ut in tempore occurrere possimus: sed non multum laboramus: quod etsi illa aliquid tentet, facile nos eius conatus refutaturos confidimus" (ex comm.: Rh. Inf. 1, II f. 34[b]).

Canisius Mercuriano respondit circa initium Novembris 1579.

2049. CANISIUS **EVERARDO MERCURIANO** praeposito generali Societatis Iesu. Dilinga 22. Novembris 1579.

Ex commentario, de quo infra, ep. 2055, et ex *Sacchino*, Can. 300—302 (cf. supra p. 514). Epistulae particulam germanice posuit *Janssen* l. c. IV[15—16] 460.

Quid apud comitem Furstenbergium profecerit. Socios haud facile nobilibus concedendos esse.

Mercurianus litteris Roma 5. Februarii 1580 Dilingam missis Canisio scripsit: „Duabus Reuerentiae V. epistolis respondebo, uni quam accepimus aliquanto antea datam 22 Nouemb. alteri quam recens 3.° Jan." Utraque vero epistula periit; quare, quid Canisius scripserit, ex Mercuriani responso colligatur oportet. Ex eo hoc constat: Canisius in priore illa epistula, si non plura, hoc certe cum Mercuriano communicavit: Se ex aula Alberti comitis de Fürstenberg et Elisabethae de Pernestain uxoris eius (cf. supra p. 513—514) mature ad collegium dilinganum redisse, victis eorum, qui se retinere voluissent, precibus. Caeterum valde verisimile est, Franciscum Sacchinum ipsam illam Canisii epistulam prae manibus habuisse, cum de furstenbergica illa missione sic scriberet: „Accidit supra vota Comitibus viri talis aduentus. Ille Comites ambos virum, et vxorem, diuinis mysteriis familiam eorum, aliosque complures procurauit: eosdemque ac populum doctrina salutis instituit: multa priuatim, ac publice ad pietatem vel correxit, vel addidit, gratus in dies magis, ac fructuosus. Quo grauius certamen exarsit, vbi mentio facta est remigrationis. Ceterum quia agendum cum viro fuit, qui nullam ad prehendendum dabat ansam, et quicquid collegerat autoritatis, et gratiae id omne conferebat eo, vt cum bona pace mitteretur, abeundi veniam demum vel elicuit, vel expressit."

De eadem missione agens Mercurianus in responso, quod dixi, Canisio scribit: „Quod Reuerentia V. ualde nos hortatur ut quam maxime aulas a Societate propulsemus, equidem" etc. Existimo autem, Sacchinum hanc Canisii „hortationem" ex epistula 22. Novembris 1579 data exscriptam ponere, cum scribit: „Vix dici potest, Vir sapientissimus quan-

a) *Hoc v. supra versum scriptum est.*

tam ab Aulis perniciem nostro Ordini formidaret. Itaque ad Praepositum Euerardum multa saepe in hanc sententiam grauiter, et illa prae ceteris scripsit. Res ipsa docuit, et confirmauit meam iam ante conceptam sententiam, nimirum valde cauendum hoc esse nouum tentationis genus, quod nostris hominibus magis, magisque paratur ab his, qui cum societatis Patroni, et amici videri volunt, quosdam e nostris in suas familias, et aulas deducere, et nescio ad quam seruitutem tacite redigere, ipsisque delinitis, et inescatis paulatim imperare velle videntur. At re vera, vt breuiter dicam, si nostri paulo diutius apud seculares istos, aulicosque versentur, vt nunc res nobilium apud Germanos potissimum comparatae sunt, plus in se ipsis detrimenti, quam in aliis spiritualis commodi experientur: et vix effugient, quin vel inuiti subinde peccatis communicent alienis in hac communi hominum licentia, corruptaque nobilium disciplina. Qua propter etiam, atque etiam Paternitatem tuam rogo, ne se facile istorum magnatum precibus permoueri sinat, qui nostros secum in aula versari flagitant, ac istiusmodi missiones mense longiores expetunt. Omitto in quae fastidia, et pericula nostri incidant, cum se istorum ingeniis vtcumque accommodare coguntur, ita vt nec sibi, nec aliis pro ratione suae vocationis seruire, ac prodesse possint. Loquor autem de Germanorum nostrorum receptis moribus, a quibus nostros, quoad eius fieri potest, abesse consultissimum puto."

Caeterum non est — facile hoc concedo — certum, hanc hortationem factam esse in litteris 22. Novembris 1579 datis; fortasse Canisius, antequam ad comitem proficisceretur, ita scripsit in una ex superioribus illis epistulis, quae et ipsae vel penitus vel ex parte perierunt: ut epp. 2041 2044 2045 2046.

Certe tamen hanc diei 22. Novembris epistulam significavit *Felicianus Ninguarda* O. Pr. episcopus scalensis et nuntius apostolicus, cum Augusta 24. Nov. 1579 Mercuriano *scriberet: „Jn praesentiarum tanta sum negotiorum mole constrictus, et ita alio propero, vt vix haec pauca liberum scribendi tempus integrumque sit, summa tamen beneuolentia mea et studium in R. P. V. et totum ordinem vestrum summe propensa iure suo expetiuerunt, vt aliquid de negotijs meis detraherem spatij, vel eo maxime etiam vt adiunctas literas R. P. Doctoris Petri Canisij mihi diligenter commendatas ad R. P. V. dirigerem, quam diutissime saluam et incolumem nobis et suis seruari conceptis votis plurimum opto" (ex archetypo, a Ninguarda subscripto. Epp. Ext. 13 f. 346ª).

Canisii de missione furstenbergica relatio illustratur et amplificatur per *litteras, quas P. *Julius Priscianensis* S. J. Dilinga 2. Januarii 1580 ad Mercurianum dedit; ille enim de Canisio haec narrat: „Quasi 3 mesi fa andò col P. Canisio un padre di questo Collegio ad un Conte con grande spesa, mandando molte giornate qua un cocchio con 4 caualli e compagni e cosi rimandandolo, ma, per quanto intendo, mai s' uscì fuora à insegnar la dottrina christiana e simil cose [1]: ma fecero

[1] Sacchinus his Priscianensis litteris, quas ab eo visas esse valde probabile est, prohibitus non est, quominus ex ipsa (ut omnino videtur) Canisii relatione affirmaret, eum illic et comitis familiam, et populum „doctrina salutis instituisse"; atque id Canisii ingenio et mori consuetudinique plene congruebat. Priscianensis autem, viri ceteroquin optimi, animus hoc tempore, nisi fallor, in querimonias adversus Petrum et Theodoricum Canisios proferendas inclinabat; cf. supra p. 518.

molt' instanza di tornare ne qui hanno che fare; altrimente quel Conte uolentierissimo li teneua e concedeuali cio che uoleuano" [1] (ex autogr.; Germ. 158 f. 10[a]).

Neque, puto, dubitari potest, quin Canisius ab Alberto comite arcessitus sit Blumbergam (Blumberg, alias Blomberg, nunc vicus reipublicae badensis, prope oppidum Donaueschingen situs); ibi enim Albertus sedem habebat: atque ibidem 27. Octobris 1579 ei nata est Maria filia: Christophorus quoque et Ioanna et Emmanuel Alberti liberi annis 1581—1585 ibidem nati sunt (*Fr. L. Baumann* et *G. Tumbült*, Mitteilungen aus dem F. Fürstenbergischen Archive II, Tübingen 1902, 348—368 376 387 430).

30. Novembris 1579 Alberto aliqui ex ministris eius de duobus pueris, qui eius expensis Rotvilae (Rottweil) scholam frequentaverant, scripserunt: Eos illic iam non posse amplius proficere: Canisium tamen effecturum esse, ut Dilingae litterarum studia prosequi possent, dummodo quotannis 60 floreni pro eorum alimentis darentur et ligna necessaria eis providerentur (l. c. II 319).

In valle Kintiae sub Guilielmo de Fürstenberg († 1549) protestantismus sedem fixerat: cui inde pellendo Albertus, qui optime doctus et educatus erat, diligenter operam dabat. Quodsi nonnumquam ea sibi sumebat, quae potius episcopi constantiensis erant, id pro aetatis illius consuetudine suoque pravorum cleri morum emendandorum studio faciebat: apud Clementem VIII. pontificem in honore erat. „Fromm wie er gelebt, ist er auch gestorben", inquit *Jos. Meister*, Kirchenpolitik der Grafen von Fürstenberg im 16. Jahrhundert, in „Freiburger Diözesan-Archiv" XXXVII, Freiburg i. Br. 1909, 14 17 18 25—27 54.

Mercurianus Roma 19. Decembris 1579 Hoffaeo provinciali *scripsit: „Patrem Canisium reuocatum magnopere probamus" (ex comm.; Rh. Inf. 1, II f. 36[a]).

2050. CANISIUS **GISBERTO KANISS** civi noviomago suoque fratri ex patre [2]. Dilinga 20. Decembris 1579.

Ex libello periodico „*Collection* de Précis historiques" XXV, Bruxelles 1876, 79—80; ubi ab anonymo posita est haec versio archetypi lingua, ut ipse ait (l. c. 22), fere germanica („pour ainsi dire en allemand") scripti atque a se visi et gallice redditi; quod archetypum num adhuc exstet nescio; plura de hac re vide in *Can.* I 72; cf. etiam supra p. 31—32.

Fratrem eiusque uxorem propter fidem catholicam rebus adversis afflictos ad patientiam, constantiam, sacrae communionis frequentiam adhortatur iisque gratulatur.

La grâce et la paix de Jésus-Christ, notre bien-aimé Seigneur [3], en tout temps et pour le bien du corps, et pour celui de l'âme. Cher frère Gisbert, je ne puis m'empêcher de vous écrire une fois à vous et à votre femme [4], d'abord parce que nous deux nous sommes frères selon la nature, nés du même père [5], moi le pre-

[1] *Hoffaeus* provincialis Mercuriano *scripsit Monachio 8. Ianuarii 1580: „P. Canisius a Comite Dilingam redijt" (ex autogr.; Germ. 158 f. 20[b]).

[2] Ex antiquarum confraternitatum noviomagensium tabulariis intellegitur, Gisbertum „Kanijs" a. 1574 unum ex magistris („meisteren") sive praepositis fuisse confraternitatis Sancti Michaëlis („Ellendige Bruderschap"), quae omnium confraternitatum nobilissima erat et pauperum gerebat curam (*J. G. H. Joosting*, Inventaris van het Oud-Archief der Nijmeegsche Broederschappen, Nijmegen 1891, 496). Anno autem 1579 religionis causa, ut supra (p. 506 [2]) dixi, urbe exivit.

[3] Gal 1, 3; 1 Tim 1, 2; cf. Rom 1, 7; 1 Cor 1, 3; 2 Cor 1, 2; Eph 1, 2; Col 1, 3 etc.

[4] Lutgardi (Luciae?) Melen; v. *Can.* V 660.

[5] Iacobo Canisio; v. *Can.* VI 396 422.

mier, vous le dernier, et ensuite parce qu'il me semble qu'il est juste et équitable de vous consoler dans ces temps d'afflictions et de misères. Eh bien, il a plu au Dieu éternel et tout-puissant, que vous et vos pieux et fidèles compatriotes vous eussiez aussi à supporter et à souffrir quelque chose[1]. L'argent et les biens, les soucis et la nourriture, la maison et les enfants[2] ont été souvent pour nous cause de péché, nous avons été infidèles à Dieu et à son Eglise, nous n'avons pas honoré et fréquenté avec zèle les vénérables sacrements, nous avons mal employé les grands dons de Dieu, recherché le temporel plus que le spirituel et l'éternel, nous nous sommes aimés nous-mêmes plus que Dieu en plusieurs choses.

N'est-il donc pas juste et équitable que le père de miséricorde[3] nous visite avec sa verge[4], et que la providence de Dieu permette que nous tombions dans ces temps amers, misérables et dangereux? Voilà que nos amis deviennent nos ennemis et nos persécuteurs. Voilà que nous ne sommes plus en sûreté dans nos maisons et nos propriétés, que nous sommes méprisés et rebutés par un grand nombre et que nous ne savons que faire, pour nous nourrir et nous vêtir, nous, notre femme et les enfants.

Ce sont donc là des croix et une punition que nous avons bien méritée. Bienheureux cependant celui qui prend à cœur l'avertissement et la visite de Dieu[5], qui par là se reconnait et s' humilie et dit de cœur avec le patient Job: Je suis sorti nu du sein de ma mère et j' y rentrerai nu. Le Seigneur l'a donné, le Seigneur l' a repris; tout s'est fait comme il a plu au Seigneur, le nom du Seigneur soit béni[6]. Ainsi vous ne perdrez rien, au contraire vous pourrez mériter et gagner ici-bas beaucoup pour le ciel et pour Dieu par un cœur résigné, humilié et patient, en ne mettant pas votre espérance, votre confiance ou votre appui dans des choses de ce monde ou dans les biens temporels, mais dans le Dieu éternel et fidèle. En vérité, vous avez plutôt lieu de remercier Dieu que de vous plaindre, puisqu'il vous a rendus dignes de boir ce calice[7] pour la cause de la sainte et vraie foi catholique[8]. Il est tout nature, que cette foi doive vous être plus précieuse et plus chère que tout votre or et votre argent et même que la faveur et la louange de tous les hommes. Aussi je vous demande, vous exhorte et vous prie sérieusement, vous et votre femme, que tous les deux,

---

[1] Cf. supra p. 506[2].

[2] Gisbertus iam ante a. 1560 Lutgardem Melen uxorem duxerat; quae inter 22. Novembris 1581 et Iunium 1583 e vita excessit; postea autem „Annam" quandam duxisse videtur; quae certe ante a. 1586 mortua est. Liberi Gisberto hi erant: Wendelina, Theodorica, Jordanus, Gertrudis, Elisabetha. Plura de his narrat *L. van Miert* S. J., Studiën, Jaarg. 43 D. LXXV, Nijmegen 1911, 718—726.

[3] 2 Cor 1, 3. [4] Ps 88, 33. [5] Cf. Lc 19, 44. [6] Ib 1, 21.

[7] Mt 20, 22 23; Mc 10, 38 39; Io 18, 11; cf. Mt 26, 42; Mc 14, 36; Lc 22, 42.

[8] Cf. Act 5, 41.

ainsi que vos chers enfants vous portiez cette présente croix avec une vraie patience puisqu'elle vous a été imposée par Dieu, et que vous perdiez plutôt tous les biens temporels que de vous détourner le moins du monde de notre vieille et pure foi catholique. Mettez votre confiance en Dieu et invoquez-le fidèlement, nourissez-vous souvent du vénérable sacrement, demandez en particulier d'obtenir la grâce de la patience et de l'espérance. Consolez-vous par [la considération de] l'amère passion du Christ, notre très-cher Seigneur crucifié. Pensez souvent que nous ne sommes que des étrangers sur la terre[1] et que nous ne pouvons avoir de demeure fixe que dans notre patrie céleste[2]. Là seulement nous trouverons les vrais et fidèles amis, les richesses perpétuelles et des trésors éternels. Nous devons un jour quitter ce méchant monde, que nous le voulions ou non; il promet beaucoup, mais il est faux et trompe tous ceux qui le cherchent; il poursuit aussi les pieux enfants et rend le mal pour le bien[3], d'après sa vieille et mauvaise coutume. C'est pourquoi il faut bien considérer ce qu'enseigne saint Jean: „N'aimez pas le monde, ni ce qu'il renferme. Si quelqu'un aime le monde, l'amour du Père n'est pas en lui.“[4]

Le monde périt avec ses désirs, mais celui qui fait la volonté de Dieu demeure éternellement[5].

Maintenant, cher frère, je vous souhaite tous les biens à vous et à votre chère épouse. Restez fermes dans votre vieille foi catholique, dans laquelle seule on trouve la rémission des péchés, la grâce de Dieu et le salut éternel. Estimez comme un grand gain que vous ayez à souffrir quelque chose pour votre foi[6]. Laissez rire et triompher pour quelque temps ce monde aveugle et séduisant. Consolez-vous par cette parole du Christ, Notre Seigneur: Bienheureux ceux qui pleurent et souffrent ici, parce qu'ils seront consolés[7]. Et ailleurs il dit: Un cheveu de votre tête ne périra pas, mais dans votre patience vous posséderez votre âme[8]. C'est vraiment avec un cœur joyeux que je remercie Dieu qui vous conserve et vous affermit dans la vraie foi si merveilleusement, que vous acceptez et surmontez cette persécution et ces pertes avec un cœur plein de constance et parfaitement chrétien. C'est pour cela que moi et en même temps votre frère, le docteur Thierry[9], nous nous réjouissons de tout cœur et nous demandons à Dieu une plus grande abondance de grâces pour vous et pour tous nos amis. Il ne me reste qu'à vous souhaiter à tous une bonne et heureuse nouvelle année

---

[1] Hebr 11, 13; cf. 1 Par 29, 15; Ps 38, 13.
[2] Cf. Hebr 13, 14.
[3] Gn 44, 4; 1 Rg 25, 21; Prv 17, 13; Jer 18, 20; 1 Mach 16, 17; cf. Eccli 29, 9.
[4] 1 Io 2, 15. [5] 1 Io 2, 17. [6] Cf. Iac 1, 2—4; Mt 5, 10.
[7] Mt 5, 5. [8] Lc 21, 18, 19.
[9] P. Theodoricus Canisius S. J., rector collegii et universitatis diligensis.

en Jésus-Christ, notre Sauveur. Saluez de ma part tous les frères et sœurs, et tous nos amis et parents.

Donnée à Dillingue, le 20 décembre 1579.

Votre frère aîné,
Doctor Petrus Canisius.

A sage et honorable Gisbert Kanyss, mon frère particulièrement cher et citoyen à Nimègue — En propres mains.

Mercuriano praeposito generali et Hoffaeus et ipse Canisius significaverant fore, ut Canisius sacras orationes proximi temporis „Adventus" Landishuti apud Guilielmum Bavariae principem haberet (cf. supra p. 513); et Guilielmo *Hoffaeus* Ingolstadio 15. Septembris 1579 * scripserat: „So wirtt P. Canisius vor dem Aduent bey E. Furstlichen gnaden zu Landeshut gehorsamlich erscheinen, vnd mit gott, die Aduentuales versechen" (ex imagine photogr. autographi, quod est Monachii in archivo reipublicae bavaricae, Fürstensachen Nr. 426[a] in parte extrema). Verum cum Canisii ad Gisbertum litterae, quas modo posui, 20. Decembris 1579, quae erat Dominica IV. Adventus, datae sint Dilinga, censendum est, contiones illas, impedimento aliquo interposito, a Canisio habitas non esse; id quod epistula quoque 5. Februarii 1580 a Mercuriano ad Canisium data confirmatur; neque in codicibus contionum canisianarum contiones eiusmodi comparent. Illius autem rei hanc puto causam fuisse: Alberto V. 24. Octobris 1579 mortuo Guilielmus regnare coepit: quare Landishuto Monachium, quod Bavariae caput est, transmigravit, atque ibi Hoffaeum sibi per Adventum contionari iussit; v. infra, monum. 1254.

Canisius circa hoc tempus Dilingae etiam adulescentum studiosorum confessiones excepisse videtur; nam *Henricus a Knöringen*, qui a. 1598—1646 magna cum pietatis et fortitudinis laude episcopus augustanus fuit, testatus est, se Canisium „novisse" et „filium confessionis" eius fuisse (R. P. *Petrus Canisius* elogiis magnorum virorum illustratus, Friburgi Helvetiorum 1656, § 3, n. 5), et vix aliud tempus harum confessionum inveniri potest, atque anni 1579 et 1580, quibus uterque Dilingae morabatur; Henricus, 5. Februari 1570 natus (*A. v. Steichele*, in Allg. Deutsche Biogr. XI 451) 17. Octobris 1579 in matricula universitatis dilinganae inscriptus est (*Specht*, Matrikel I 126).

2051. FERDINANDUS II. archidux, Austriae superioris princeps, CANISIO. Oeniponte 23. Decembris 1579.

Ex commentario vel eiusdem temporis apographo, sic inscripto: „An Herrn Petter Canisio" (2°; 1½ coll.); quod exstat Oeniponte in archivo praefecturae, fasc. „December 1579 Hofsachen".

Ab eo petit, ut librum de miraculo eucharistico sefeldiano praefatione muniat et excudendum curet.

Ferdinand *etc.*

Nachdeme wir vnns genedichist entschlossen die historj vnd beschreibung von den grossen wunderzaichen des heiligisten Sacraments des Altars auf dem Seefeld, in Druckh khumen zelassen [1]. So thuen wir dir das Puechlin solcher beschreibung hiemit gnediclich vbersennden· Mit gnedigistem begern, dieweil sich auch geburn will dises Puechlin mit ainer zur Sachen dienstlichen Vorred, zutziern, du wellest gedachte Vorred deinem guetachten nach vnd wie du wol zuthuen waist ver-

[1] Vide supra p. 179 185 196.

greiffen [1]. Volgends das Puechlin mit angelegnem fleiß gerecht vnd sauber zu druckhen verordnen [2] · vnd allain für vnns zwaytausend Exemplar druckhen lassen vnd vnns dieselben vberschickhen, vnns auch daneben des vncostens berichten · der solle dir furderlich richtig gemacht vnd erlegt werden. Jm fal dann der Puechdruckher vber die zwaytausend, auf seinen selbs costen vnd wagnus noch mer Exemplar druckhen wolte, das solle Jme zuegelassen vnd vnsernthalben vnbenomen sein. Vnd du ertzaigst vnns hieran ain sonnder angenemes gefallen, in gnadem vnd guetem gegen dir zuerkhennen. Geben Ynsprugg den 23 Decembris *etc.* 79.

Canisius Ferdinando respondit 15. Februarii 1580.

2052. CANISIUS **EVERARDO MERCURIANO** praeposito generali Societatis Iesu. Dilinga 3. Ianuarii 1580.

Ex commentariis epistularum Mercuriani: Rh. Inf. 1, II f. 36.

De pecunia templo landsbergensi colligenda etc.

Mercurianus Roma 5. Februarii 1580 Canisio scripsit: „*Duabus Reuerentiae V. epistolis respondebo, uni quam accepimus aliquanto antea datam 22 Nouemb. alteri quam recens 3.º Jan*" *Epistula 3. Ianuarii data iam non exstat: quid autem Canisius scripserit, colligi potest tum ex Mercuriani litteris, quas modo dixi, cum Canisii epistula 22. Novembris 1579 data collatis, tum ex epistula Roma 8. Februarii 1580 a Mercuriano ad Hoffaeum provincialem data, in qua haec dicuntur:* „*Nos hic quiddam audiuimus, quod ualde nobis nouum et mirum uisum est, nostros istic in ecclesijs preces publicas curasse quibus mouerentur homines ad faciendam ueluti collectam pro templi Lanspergensis aedificatione: etiam obtentam esse facultatem ab Episcopo Augustano ut in eius dioecesi parochi populum moneant ad contributiones eadem de causa faciendas. Haec igitur Reuerentia V. uidebit, et si ita se habere comperit, omnino tollat: aduersantur enim plurimum institutis nostris: et quomodo se res habeat nos moneat.*"

Anno 1579 Swicardus comes de Helffenstein et Maria eius uxor Landsbergae (quod oppidum est dioecesis augustanae) aream emerunt templo ad domum probationis S. J. a se conditam adiungendo; atque Ionas Holl, urbis augustanae architectus et Eliae Holl, clarissimi illius architecti, pater, totam aedificandi curam, pretio 1000 florenorum sibi constituto, in se suscepit, excepta opera fabrili, de qua cum fabro quodam materiario constitutum est. Cum autem pecunia illa praesto non esset, per P. Carolum Peutinger mandatum quoddam de stipe colligenda a Marquardo de Berg episcopo augustano petitum et impetratum est. Die igitur 12. Februarii Michael Dornvogel suffraganeus episcopus augustanus primum templi lapidem sacravit (*Agricola* l. c. I Dec. 4, n. 373—375 433; *Duhr*, Jes. I 615—616; *Ios. Braun* S. J., Die Kirchenbauten der deutschen Jesuiten II, Freiburg i. Br. 1910, 21—22). Caeterum P. *Bonaventura Paradinas* S. J. Landsberga 6. Martii 1580 haec ad Mercurianum *rettulit: P. Prouintialis mihi scripsit, vt P. T. certiorem facerem.

---

[1] „Vergreiffen = verfassen, abfassen" (conscribere, componere): *J. Andr. Schmeller*, Bayerisches Wörterbuch I [2], München 1872, col. 990.

[2] Vide *Can.* VI 70 [1] 680.

an mandatum Episcopi Augustani in fauorem nostri templi datum per parrochias huius Episcopatus fuerit publicatum · tantum abest, vt sit publicatum, vt vni tantum personae externae nostrae societatis amico ostensum sit, Quare qui hoc scripsit, male fuit informatus, et praecipua causa, quae P. Prouincialem mouit, vt istae literae peterentur, ea fuit: vt cum Episcopi bona gratia templum aedificaremus, quod Episcopo non displicuit (ex autogr.; Germ. 158 f. 78ª). Ad quae *Mercurianus* Roma 29. Aprilis 1580 *rescripsit: „Templi nostri aedificationem iam coeptam placuit, eamque ad rem non deesse uobis piorum hominum liberalitatem: etsi ualde cauendum est ne ea de causa ullam cupiditatis aut auaritiae suspicionem praebeamus: eoque mihi gratum fuit quod Reuerentia V. scripsit mandatum illud Episcopi Augustani minime publicatum fuisse, etsi fortasse alio modo ab illo licentia obtineri poterat, nulla facta eleemosinae mentione" (ex comm.; Rh. Inf. 1, II f. 43ᵇ).

2053. CANISIUS **P. HENRICO BLYSSEMIO,** Societatis per Austriam praeposito provinciali. Dilinga circa initium Ianuarii a. 1580.

Ex Blyssemii autographo; Germ. 158 f. 32ª.

In Rheni provincia multos Societatem petere.

Blyssemius Mercuriano praeposito generali Graecio 18. Januarii 1580 sic scripsit de Societatis hominibus, quos a P. Francisco Costero provinciae rhenanae praeposito ad se in Austriam missum iri sperabat: „De P. Costeri in nos liberalitate pergam bene sperare non solum propterea, quod ipse promiserit se nobis missurum plures, sed etiam, quod P. Canisius nuper ad me scripserit in Rhenensi Prouintia modo septuaginta viros et adolescentes eosque valde idoneos ad nostrum institutum adspirare, multoque plures offerri tyrones, quam ipsi admittere ac alere possint."

2054. CONRADUS WOLFGANGUS PLATZIUS Lutheranorum biberacensium contionator CANISIO. Biberaco initio anni 1580.

Ex libello „Was, vnd welche jm grund der warheit, Catholisch seyen, vnd genendt sollen werden. Ein Christliche Predig, gehalten in des Heyligen Reichsstatt Biberach. Sampt Christlichem Gruss, an Doctorem Petrum Canisium. Durch *Conradum Wolffgangum Platzium*, Heyliger Göttlicher Schrifft D. Getruckt zu Tübingen durch Alexander Hock, Anno M. D. LXXX." f. 𝔉 IIIª—𝔉 IVª.

Praefatio editoris: Conradus Wolfgangus Platzius (Placius, Platz) (1531—1595) ex Poppenweiler vico wurttembergensi ortus, Biberaci (Biberach, nunc urbs reipublicae wurttembergensis) contionator Lutheranorum constitutus, complures edidit libros: quos commemorarunt *Paul. Freherus*, Theatrum virorum eruditione clarorum, Noribergae 1688, 245, et *Martin. Lipenius*, Bibliotheca realis theologica, Francofurti ad Moenum 1685, I 264 279 449; II 41 216 221 379 412 783—784. *Canisius* autem, ut ipse ait, iam ad suum „De Beata Maria Virgine" librum absolvendum „properabat", cum ei ex librorum mercatu francofurtensi allatum est Platzii opus, quod „Catholische Inquisition" inscribebatur. Tam vehementer hoc Canisio displicuit, ut Operis Mariani libro quinto iustum adderet caput (XXVI.) idque sic inscriptum: „Diluuntur obiectiones et cauillationes Platzij cuiusdam, qui Catholicos in Mariano cultu versantes publice ac temere insectatur" (De Beata Maria Virgine, Ingolstadii 1577, 734—740). „Deprehendimus", inquit *Canisius*, in libro illo „Catholicam religionem omnem ex professo conuelli, multisque modis conspui. . . . Autor se Conradum Vuolff[1] Platzium vocat, ac uere, vt nomini suo respondeat, lupum

[1] Wolf = nomen „Wolfgang", more illius temporis imminutum.

agit Catholicis ouibus insidiantem [1]. . . . Totius tractationis summa et scopus in eo versatur, vt veteris Ecclesiae in sacro cultu institutum, obseruatio, consuetudo, in vulgi odium atque inuidiam rapiatur; populus vero . . . ab instituto quidem Catholico magis ac magis abalienetur. Caeterum quod ad Marianum cultum attinet, hunc idem autor virulente appetit, et petulanter oppugnat, vt omni conuitiorum genere Lectorem Orthodoxum obtundat. Proinde quoniam huic audaci et effronti sectario libuit nouum Mariomastigen agere, et veluti spurium illum ac incircumcisum Philistaeum referre, qui castris Israel, imo Dei viuentis, per summam superbiam exprobrauit [2], non possumus cum hoc blasphemo et communi hoste non congredi, et Dauidicis armis assumptis, hoc est, in nomine Domini exercituum [3], effrenem hominis procacitatem, quantum ad causam Marianam attinet, non aliqua ex parte reprimere et cohibere" etc. Respondit *Platzius* edendo libellum, quem supra dixi; cui libello et praeposuit litteras dedicatorias Biberaco 3. Januarii 1580 ad Lazarum de Schwendi consiliarium caesareum datas, et adiunxit salutationem sive litteras hasce patentes („offener Brief"), quas vocant, ad Canisium datas.

Se, a Canisio sugillatum, ei bene precari. Eius nomen arrodit; errores fraudesque ei exprobrat. Ecclesiam romanam — id ex sermone, quem mittit, cognosci — non catholicam, sed cacolicam esse.

Christlicher Grüss, an Doctorem Petrum Canisium.

Lieber Doctor Canisi, in libro quinto, capite vicesimo sexto, deiner erbettelten grossen Kartetschen, de Beata Maria virgine, hat dir gefallen, mein geringe Kirchendieners Person, zur gedechtnuss, auff die Nachkommen, mit volgendem lob, vnsterblich zümachen. Platzius nomini suo, Vuolff, respondet, quia lupum agit Catholicis ouibus insidiantem: Platzius blasphemus et communis hostis, effrons, audax, similis est spurio illi et incircumciso Philistaeo, blasphemo Ecclesiae contemptori Goliath, etc. Dieweil du dann mich verflüchst, schmehest, vnd verfolgest, so wil ich dich segnen [a] [4], vnd bitte von hertzen für dich, vnd alle, die in Finsternuss vnnd falscher lehr stecken, das der Barmhertzige Gott, dich vnd deins gleichen Abgöttische gnediglich erleuchten, vnd in seines heyligen Göttlichen Worts erkandtnuß [b] führen, auch darinnen, sampt allen ausserwölten Christglaübigen, biss zum seligen end erhalten wölle, Amen.

Wiewol ich nun, bey deinem Tauffnamen (welcher Petrus) dich deines eygensinnigen Peterskopff, damit du dein Bäpstischen Gottesdienst, wider das wort Gottes bestreittest, auch der ernstlichen Antwort Christi. Heb dich Satan von mir, du bist mir ergerlich, dann du meinest nicht, was Göttlich, sonder was Menschlich [5], füglich erinnern kündte, vber das dich bey deinem Zunamen, (welcher Canisius) auff die örtter der H. Schrifft, in welchen die böse vnnd falsche Lehrer, Canes, Hundt genendt [6], das du dich darinnen erspiegeltest, hinweisen möchte, jedoch so wil ichs andern zuthün

a) *In margine:* Matth. 5. b) erkandtnns *typogr.*

---

[1] Cf. Mt 7, 15; Io 10, 12; Act 20, 29. [2] 1 Rg 17, 4 10 23 26.
[3] 1 Rg 17, 45. [4] Cf. Mt 5, 44 45; Lc 6, 27, 28.
[5] Mt 16, 23; cf. Mc 8, 33. [6] Cf. Is 56, 10 11; Phil 3, 2; 2 Petr 2, 22.

freystellen, vnd dir an statt eines Christlichen Grůß, dise meine einfeltige Predig vom Catholischen Namen vnd Wesen zůgeschickt haben, mit dem angehenckten Christlichen begeren, du wôllest dieselbig ohn ein Vorurtheil lesen, vnnd der sachen, in warer forcht Gottes fleissig nachdencken.

Dann wann du fallen lassest, 1. Die verfälschung der heyligen Schrifft, 2. Die falsche zůgelegte vnd zůgemessne Bůcher, Satzung, Lehr, welche den heyligen Apostel, jren Discipulis, vnd den andern Våttern vnnd Kirchenlehrern, mit vngrund auffgedichtet worden, 3. Alle Menschliche Satzung, Lehr, so Gottes wort zůwider, vnd wirst für dich nemen die heylige Biblische war Canonisch Schrifft, vnd dich in den Apostolischen vnd Euangelischen Bůchern des newen Testaments ersehen, so wirst du grundtlich finden, das die erst, rein, Christlich, Apostolisch Kirch zů Rom, vnd an allen orten, mit Lehr vnd Ceremoni, dem heyligen Euangelio Christi ebenmessig gewesen, vnnd das dein jetzige Rômische Båpstische Kirch, vnnd dein Båpstischer Glaub, dessen du ein Goliathischer Beschirmer bist, keins wegs Catholisch, sonder Cacolisch, das ist gantz bôß, dem heyligen Euangelio Jesu Christi stracks zůwider, vnd entgegen ist.

Una igitur cum his litteris Platzius orationem iis praepositam Canisio misit: qua demonstrare conabatur, non eos qui pontifici oboedientes catholicos se appellarent, sed Lutheranos sive eos qui Confessionem Augustanam profiterentur, vere catholicos esse; ita vero oratio illa composita est, ut Canisius, cum eam legeret, non potuerit non confirmari in sententia, quam antea de Platzio tulerat: Eum esse audacem, effrontem, blasphemum etc. Nam, ut exemplum ponam, de catholica eclesia haec *Platzius* affirmat: „Die jetzige Rômische Båpstische Kirch glaubt vnd helt, die heylige Schrifft sey dunckel, finster, zweiffelhafftig, ein todter Bůchstab, ein wächsene Nass, ein bleyens Winckelmess, das sich hin vnd her biegen lesst, kůndte in zweiffelhafftigen sachen kein Endschid geben, kůndte nicht sein die Stimm dess Richters, sonder sey Materia litis, ein Zanckeysen" (f. 𝔇 II[b]—𝔇 III[a]). Ita quidem ille. At *Canisius*, optimus certe doctrinae catholicae testis et interpres, in Catechismo sive „Summa doctrinae christianae": „Christianus, quaecunque scriptura diuina seu Canonica complectitur, credat necesse est" (Summa doctrinae christianae, Coloniae 1577, 30). Ad huius Catechismi doctrinam, quam eandem esse atque doctrinam ecclesiae romanae nemo negat, stabiliendam et confirmandam 2000 fere locorum Scripturae vel ad verbum profert vel in libri marginibus breviter commemorat. Alibi scribit, „thesaurum diuinae Scripturae communem, amplum ac locupletem esse, vt in illa minima etiam quae videntur, latissime pateant" (Alter Tomus Commentariorum de Verbi Dei corruptelis, Ingolstadii 1583, 295). Item: „Nihil est verbo dei praestantius, bonorumque animis iucundius, et magis Ecclesiae salutare" (*Can.* VI 451). Ideo contionatores, ut litteris divinis diligenter studerent, monuit (*Can.* II 332; IV 853; Cod. „Can. 37" f. 222[b]), et in libello proprio usui destinato sua manu notavit: „Laudatissimum Deo quod oculis homo facere queat,. sunt amoris lachrymae, et sacrae scripturae iugis lectio" (Can. 10 p. 178). Platzius — hoc unum addam — ut pontificiam ecclesiam non esse veram ecclesiam evincat, hoc quoque ponit argumentum: „So ist das Baptumb mit lugenhafftigen Zeichen vnd Wunder, nach der Weissagung Christi vnd seiner Apostel, bekrefftigt vnnd bestetigt. Als, das die heylig keusch Junckfraw Maria, soll einer aussgetrettnen Nunnen, Beatrix mit Namen, die fůnfftzehen Jar, im offnen schand Hůren leben vmbgeloffen, jren Kůstnerdienst, dieselbig 15. Jar lang im Kloster versehen haben, welch lugenhafftig wunderwerck offentlich getruckt,

vnd gepredigt worden" (f. 𝔈 III[b]—𝔈 IIII[a]). At narrantur quidem haec a *Caesario Heisterbacensi* O. Cist. († circa a. 1240) in „Dialogo miraculorum" l. 7, c. 35[1], non tam historiae quam pietatis causa scripto; ex quo deinde in alios eius generis libros transcripta sunt: verum, ait *Canisius* a. 1562 ex sacro suggestu, „tales libri nunquam pro euangelio sunt habitj, uel ad credendum praecepti · non credo quod nostro tempore ex illis concionator probat fidei nostrae articulos" (*Can.* III 637).

2055. EVERARDUS MERCURIANUS praepositus generalis Societatis Iesu CANISIO. Roma 5. Februarii 1580.

Ex commentario; in capite, eadem manu: „Dilingae P. Petro Canisio." Rh. Inf. 1, II f. 36. Epistulae partem (ex eodem commentario) vulgavit *Sacchinus*, Can. 303; eandem posuit, parum tamen accurate, *Python* l. c. 297—298, et verterunt gallice *Dorigny* l. c. 348 et *Michel*, Can. 359 ac germanice *Riess* l. c. 468; ex quo eam transcripsit *Janssen* l. c. IV[15—16] 460; VII[13—14] 552; item his litteris usus est *Boero*, Can. 369 371.

Gratulatur ei reditum; Socii aulis arcendi. Quis provincialis? Magister noviciorum, „eleemosina landsbergensis", studia humanitatis; collegium Friburgi Helvet.

Duabus Reuerentiae V. epistolis respondebo, uni quam accepimus aliquanto antea datam 22 Nouemb.[a] alteri quam recens 3.° Jan.[b]

Primum autem et gaudeo et gratulor quod Reuerentia V. Comitissae[2] curia expedita ad nostros mature redierit, uiceritque omnes eorum qui illam retinere conabantur[c] preces[d]. Quo animo si essent omnes nostri qui aulas frequentant[e], non tantum nobis molestiae aliquando afferrent, et certe cum ipsis etiam Principibus nullum nobis[f] aut exiguum esset negotium. Quare quod Reuerentia V. ualde nos hortatur ut quam maxime aulas[g] a Societate propulsemus, equidem puto hoc me affirmare posse nemini me[h] concedere ut id ardentius ex animo exoptent. Sed Reuerentia V. qui sit rerum status uidet.

Nobis omnino deliberatum est, (nam et tempus, et rerum status nos admonet) ut Prouincialis mutationem faciamus[3] · itaque tota iam consultatio erat in aliquo idoneo deligendo, atque ut eam ad rem aliquid lucis amplius[i] haberemus monere uolebam Reuerentiam V. ut re diligenter in Domino perpensa scriberet nobis iudicium suum, quis ex tota prouincia aptissimus uideatur. Extra prouinciam unus occurrebat nobis[k] de quo etiam quid Reuerentia V. sentiret[l] libenter cognoscerem ·

a) *Sequuntur vv.* non enim hactenus, *oblitt.* b) *Quae sequuntur, usque ad* ardentius ex animo exoptent *incl., manu, ut videtur, romana uncis quadratis inclusa sunt.* c) *d) Sequitur* et *vel simile v., oblitt.* e) *Sequitur* neque sibi, *oblitt.* f) *Duo vv. sqq. supra versum scripta sunt.* g) *Sequitur* fugerem *vel* fugiam, *oblitt.* h) *Sequuntur vv.* in eiusmodi desiderio, *oblitt.* i) *Hoc v. supra versum scriptum est.* k) *Sequitur* qui *vel simile v., oblitt.* l) *Sic correctum est ex* de quo etiam Reuerentiae V. iudi.

[1] Illustrium miraculorum et Historiarum memorabilium Lib. XII., coll. a *Caesario Heisterbachcensi* O. Cist., Coloniae Agrippinae 1591, II 60—61.

[2] Elisabethae a Pernestain, uxoris Alberti comitis Furstenbergii; v. supra p. 514.

[3] „[Generalis] constituat . . . Provinciales itidem Praepositos ad triennium, ut plurimum (quamvis et contrahi et prorogari etiam id spatium temporis possit, quando ad maiorem Dei ac Domini nostri gloriam id fore videbitur)": *S. Ignatius*, Constitutiones S. J. P. 9, c. 3, n. 14. P. Paulus Hoffaeus iam inde ab a. 1569 Germaniae superioris provincialis erat (*Can.* VI 293 309).

is est P. Georgius Baderus in Prouincia Rhenensi, quem haud ignotum esse puto Reuerentiae V.[a] [1] Jtaque expectabimus quamprimum eius literas super hac re quam tamen ut par est secretam habebit[b]:

De magistro nouitiorum Germano probamus Reuerentiae V. consilium[c], eritque factu non difficile: sed prius statuendum iudicamus de Prouinciali[2].

De Lanspergensi eleemosina nobis et nouum, et certe ita mirum accidit ut nihil magis: itaque scribimus ad P. Prouincialem ut si ita res se habent, omnino[d] tollantur: nihil enim potest esse magis alienum ab institutis[e] nostris[3]. Praeterea quod monet de studijs humanitatis, erit nobis cordi ut debet, sed hoc etiam melius uidetur ut reseruetur nouo prouinciali praesertim cum P. Hoffaeum alio paulisper amandare statuerimus. Nam cum Summus Pont. Reuerendissimi Vercellensis[4] hortatu compulerit nos ut Friburgi quae est Heluetiorum ciuitas catholica, ut dicitur, et ualde pia, Collegium[f] incohemus, deque eius urbis commoditate ad multa bona pro Domini gloria gerenda multa nobis praedicentur, uisum est nobis necessarium aliquem eo mittere qui coram rerum statum inspiciens certo nobis omnia referre possit, et si opus fuerit, etiam rem totam conficere. Neque ullus aptior occurrit P. Hoffeo. Reuerentia V. et rem hanc, et ceteras omnes, et nos accurate Domino commendet suis precibus sanctisque sacrificijs. Romae 5° Febru. 1580.

Eodem d. 5. Februarii 1580 *Mercurianus* Augustam quoque ad P. Theodorum Peltanum *scripsit, ut, quoniam novus in Germania superiore constituendus esset provincialis, quamprimum sibi scriberet, „quemnam in tota" illa „prouincia maxime idoneum ad hoc munus iudicaret, et quibus de causis, aut etiam si plures occurrerent, omnes nominaret": de Patre quoque Georgio Bader sententiam diceret. Huius autem epistulae commentario in registro Mercuriani adnotatum est, „eadem forma" *scriptum esse ad PP. Gregorium Rosephium, Theodoricum Canisium, Hieronymum Torrensem (Rh. Inf. 1, II f. 36[b]). Peltani et Rosephii responsa vide infra, mon. 1253 n. 2.

Ipsum autem Hoffaeum *Mercurianus* Roma 8. Februarii 1580 sic *monuit: „Reuerendissimus Vercellensis cum Pontificis mandato Heluetios uisitaret, Friburgi constituit Collegium nostris instituere[5] deque ea re scripsit et nobis et S. Sanctitati

a) *Sequitur* De magistro nouitiorum Germano, *oblitt.* b) *Sequuntur vv.:* quinimmo has ipsas litteras diligenter seruabit aut certe ita conscindet statim ut in nullius manus peruenire possint, *oblitt.* c) *Sequitur* si, *oblitt.* d) *Sequitur* impediantur *vel simile v., oblitt.* e) *Ita corr. est ex* a Constit. f) *Sequitur* accep *vel simile v., oblitt.*

[1] Vide *Can.* V 359.

[2] Landsbergae magister noviciorum erat P. Bonaventura Paradinas hispanus (segobiensis); de quo *Can.* VI 229—230.

[3] Quid Mercurianus Hoffaeo scripserit, vide supra p. 527.

[4] Ioannis Francisci Bonhomii (Bonomi, Bonhomini) episcopi vercellensis, a Gregorio XIII. ad Helvetios legati: vide, quae sub ipsas has litteras dicentur.

[5] *Héliod. Raemy de Bertigny* scripsit: „On a prétendu, le fait n'est point encore prouvé, que le jésuite allemand, qui accompagna le nonce à Fribourg en 1579, en qualité d'interprête, était le P. Canisius": Le Bienheureux Pierre Canisius, Fribourg en Suisse 1865, 173. Ex monumentis autem infra ponendis intellegetur Canisium Friburgum non venisse ante m. Decembrem a. 1580. Quod si quis de Societate a. 1579 cum Bonhomio Friburgum venit, venit P. Wolfgangus Pyrringer; de quo postea dicetur.

literas. Locus est ut refert sat commodus, ciuitas ampla, et bene munita, et quod caput est ualde catholica et pia. Templum offerunt et aedes ad habitandum satis laxas, redditus erunt uberes. Quare etsi nos nouum onus depellere conati sumus, Pontifex tamen omnino institit ut reciperemus, et etiam coegit". Hoffaeus igitur et Friburgum ibit, et Bonhomium adibit: cuius animum omni, qua poterit, diligentia avertere studebit a consilio condendi aliud quoque in Helvetia colleginm Societatis, „de quo iam huc scripsit"; „exponet enim illi angustias nostras, operariorum praesertim". „Jnterim autem dum Reuerentia V. abest, ne prouincia omnino capite careat, expediet ut aliquem in sui locum relinquat · eum igitur deliget quem uoluerit, quemque idoneum iudicarit." Verum de friburgensi illo itinere *Mercurianus* Roma 8. Aprilis 1580 Hoffaeum *monuit: „Reuerendissimus Vercellensis Visitator Heluetiorum scripsit ad me nuper nihil esse quod Reuerentia V. Friburgum se conferat, donec ipse eo redierit, quod erit ut scribit post Penthecosten, et ne Reuerentia V. dubia sit, ipse eam monebit · timet autem ne se absente aliquid turbae moueatur, quam ipso praesente nullam fore spondet" (ex epistularum commentariis; Rh. Inf. 1, II f. 37[a] 41[a]). Friburgi certe proceres aliqui collegii institutionem impedire conabantur. Deinde difficultas orta erat ex ipsa *Gregorii XIII.* bulla Roma 25. Februarii 1580 („Anno Incarnationis dominicae Millesimo quingentesimo septuagesimo nono, Quinto Kalendas Martii, Pontificatus Nostri Anno octavo") data, qua collegium illud instituebatur; in ea enim pontifex collegio illi praeter monasterium praemonstratense Beatae Mariae de Humilimonte in vico Marsens situm ecclesiam quoque Beatae Mariae in ipsa civitate friburgensi sitam cum domibus ad eam pertinentibus attribuerat; de qua attributione „errorem admissum esse" *Petrus Schnewly* ecclesiae collegialis S. Nicolai praepositus Bonhomio scripsit (*Fr. J.-J. Berthier* O. Pr., Lettres de Jean-François Bonomio, Nonce Apostolique en Suisse, Fribourg 1894, 27 169—170 224—230).

Alterum illud collegium Bonhomius, Gregorio XIII. probante, statuerat condere Thermopoli sive Badae (Baden) in republica ergoviensi (Aargau). De consiliis inter Bonhomium, pontificem, Helvetios iam inde ab a. 1579 de utriusque collegii institutione collatis v. *Berthier* l. c. 5—6 et *Fr. Steffens* u. *Heinr. Reinhardt*, Die Nuntiatur von Giovanni Francesco Bonhomini 1579—1581. Documente I, Solothurn 1906, 588 658 646 676 700—704 707 709 715.

Canisius Mercuriano respondit 7. Martii 1580.

2056. CANISIUS **FERDINANDO II.** archiduci, Austriae superioris principi. Dilinga 15. Februarii 1580.

Ex archetypo (2°; 1 p.; in p. 4 inscr. et sig.), ipsius Canisii manu subscripto, quod est Oeniponte in archivo praefecturae, Fasc. „E Kloster Seefeld" II. 34. Epistula usus est *Kröss*, Can. 204.

Se praefationem in librum de miraculo sefeldiano scripsisse, ipsum librum emendasse, eiusdem 2000 exemplorum excudenda curasse. De sumptibus librorumque missione rectorem oenipontanum esse acturum.

†

Durchleichtigster, gnedigster, Fürsst, Herr vnd Patron, E: Fl: Durchl: sein mein willige diennst, schuldige gehorsam, vnd bereittes gebett gegen Gott, Jeder Zeit beuor etc. Gnedigster Fürsst vnd Herr, E: Fl: Durchl: an mich, gleichwol vnnwürdigen, gethones schreiben, neben dem geschribnen Buech, von dem grossen wunderzaichen, auf dem Sehefeld geschechen[1] · das hab ich mit gepürennder Reuerentz zu Dillingen Empfanngen. Waß dann die Newen vorred belangt, so

---

[1] Vide supra p. 526.

dem Erstgemellten Buech soll angehenckht werden, auf E: Fl: Durchl: guettbedunckhen, hab ich meinen schuldigen gehorsam vnderthenig gelaistet, wie auch das gantze werckh wider ybersechen, vnd an ettlichen orthen gebössert, damit alles desto ansechlicher vnd fruchtbarer ans liecht khomen mechte.

Waß fernerr den Buechtruckherr alhiee zu Dillingen[1] belangt, hab ich auch mit Jme alles abgehanndelt, vnd in dahin vermocht, das E: Fl: Durchl: wie ich gentzlich verhoffe, mit diser jetzt außgangnen Edition vnd getruckhtem werckh nit vbel zufriden sein werde.

Bitt demnach vnderthenig, E: Fl: Durchl: welle vnbeschwert sein, dise meine guetthertzige gethone arbait Jm bösten aufzunemen vnd das gantze werckh Jr gnedigst gefallen lassen.

Souil aber des Buechdruckhers geschechne vncossten beriert, vnd wie das die zweij taussennndt getruckhte Exemplaria fürderlich vnd fuegklich geen Jnsprugkh geschickht mochten werden, dauon würdet vnnßers Collegij Rector zu Jnsprugkh[2] mündtlich hanndlen, damit der Buechtruckher volgendts wisse E: Fl: Durchl: willen vnd befelch gehorsamlich vnd getrewlich nachzukhomen.

Thuee mich also, wie ein altten bekhanndten vnd dienstwilligen Cappelon E: Fl: Durchl: gnedigist befelchen · vnd Bitte Gott den allmechtigen, das er dieselbe, als vnnsern gnedigisten Patronen, Jn Langwierige gesund (· beede Leibs vnd der Seelen,) gnedigklich erhaltten · etc.

Dattum Dillingen den .15. Februarij anno etc · 80 ·

E: Fl: Durchl:

vnderthenigster Capplan
Petrus Canisius.

† Dem Durchleüchtigisten Hochgebornen Fürssten vnd Herrn Herrn Ferdinanden, Ertzhertzogen zu Österreich, Hertzogen zu Burgundi, Grauen zu Tyrol etc. Meinem gnedigisten Herrn.

Huic inscriptioni Oeniponte adnotatum est: „E[mpfanngen?] den 20 Februarii anno 80". Eodem die *Ferdinardas II.* Oeniponte ad cameram Austriae superioris ibidem constitutam *litteras dedit, quibus haec mandat: Cum ipse Ioanni Mayero pro libro illo 138 florenos et 6 crucigeros debeat, curandum esse, ut praefectus aerario marchionatus burgaviensis (Burgau, nunc Suebiae bavaricae oppidum) eidem, acceptis duobus illis librorum millibus, eam pecuniam numeret et libros illos omnes ilico sibi mittat (ex apographo eiusd. temp., Cod. „Geschäfft Von Hof. Anno. 1580" f. 49; Oeniponte in archivo praefecturae). Libri descriptionem vide infra, monum. 1255.

2057. CANISIUS **EVERARDO MERCURIANO** praeposito generali Societatis Iesu. Dilinga 7. Martii 1580.

Ex commentario, de quo infra, ep. 2060.

Mercurianus Roma 17. Iunii 1580 Canisio scripsit: „Accepimus datas a Reuerentia V. litteras alteras 7.° Martij Dilingae, alteras Au-

[1] Joannem Mayer. [2] P. Ioannes Rabenstein.

gustae 14 Maij." *Verum priores illae perierunt; de quibus vide Mercuriani epistulam, quam modo dixi.*

2058. CANISIUS **EVERARDO MERCURIANO** praeposito generali Societatis Iesu. Augusta Vindelicorum 14. Maii 1580.

Ex autographo (2°; 1 p.; in p. 4 inscr. et reliquiae sig.). Germ. 183 f. 286ª—287ᵇ. Duo huius epistulae capita germanice reddita sunt a *Duhr*, Jes. I 201—202 693; eiusdem epistulae particulam germanice posuit *Janssen* l. c. IV¹—¹² 428.

Canisius viceprovincialis. Minime expedit, ut Socii publicis principum negotiis occupentur. Confessarius ducis Bavariae. Initia collegii augustani. Visitator. Collegium friburgense. Bonhomius nuntius apostolicus „exosus".

† Pax Christi Jesu nobis aeterna Admodum Reuerende Pater.

Octauus fere dies est, quod Prouintialis noster[1] in Heluetiam[a] [?] hinc abiens, Heluetiam petiuit, me interim licet indigno sibi in hoc obeundo munere subrogato[2]. Jussit autem, vt ad P. T. scriberem de Principis Bauariae[3] consilio, qui inter coetera onera nostris imposita, et satis quidem grauia, illud etiam in animo habere dicitur, vt eundem Patrem sibi quasi vendicans, Ecclesiastici senatus sui[b] praesidem faciat Monachij[c 4]. Quare ad Pont. Max.[5] fortasse mittet, si nondum misit Legatum, per quem hanc grauiss. et non minus periculosam, odijque plenissimam prouintiam illius humeris iniungere possit. Sum igitur in hac sententia, nullo modo conuenire, vt quisquam nostrorum hisce negotijs et curis publicis uel ad tempus, uel certis annis admisceatur, idque Pont. Max. indicandum omnino putarem, si tale quiddam a nobis postularetur. Et haud scio, an quicquam excogitari possit, quod cum instituti nostri simplicitate pugnet magis, quod maioribus hominum odijs nos grauet, et in maiora pericula conijciat, praesertim vt nunc Senatus ille consistit, qui a vicinis etiam Episcopis reprehenditur, et partim Ecclesiasticos, partim politicos homines tenet assessores. Coepit hic Princeps, ut conscientiae suae, sicut ait, consuleret, priuatis nostrorum vti consilijs: nunc ad publica etiam consilia vocat, aliquando etiam scribi iubet sententiam, tum nostros cum alijs Consiliarijs disputare postulat, et quando vult, nostri aulicum illi consiliarium debent exhibere. Omitto de Confessario eius dicere, qui in antiquo haeret luto, et Collegio Monachiensi non parum praebet negotij, ac ipsi etiam Principi per omnia non satisfacit[6]. Verum de his Pater noster Prouint.

a) *Duo haec vv. oblitteranda fuisse collegeris ex vv.* Heluetiam petiuit, *quae proxime sequuntur.* b) *Sequitur* quasi, *oblitt.* c) *Quae sequuntur, usque ad* a nobis postularetur *incl., manu romana eiusdem temporis linea in margine apposita signata sunt.*

[1] P. Paulus Hoffaeus. [2] Vide infra, mon. 1253, n. 3.

[3] Guilielmi V. ducis.

[4] De ecclesiasticis hisce consiliariis v. *Can.* II 269—270 272; VI 380.

[5] Gregorium XIII; *Hoffaeus* Mercuriano Monachio 6. Aprilis 1580 de Guilielmo scripsit: „Impetrabo, inquit, a Papa literas, vt idem vobis liceat" (ex autogr.: Germ. 158 f. 118ᵇ).

[6] P. Dominicum Menginum significat; de quo v. supra p. 511 et infra, monum. 1254.

vt suspicor, scripserit, quando sex fere menses consumpsit Monachij, Vtinam P. T. uiam et rationem inueniat[a], vt Princeps adeo nostris imperiosus esse desistat, et eos non hominum seruos[1] faciat, sed potius in vocatione sua progredi sinat cum proximi aedificatione, non autem cum offensione publica, neque in rebus tam odiosis uersari procuret.

Benedictus Deus, qui coepta de Augustano collegio consilia in eum locum adduxit, vt ad structuram nouam progredi possimus uel inuitis haereticis, qui merito sibi metuunt a schola per nostros aperienda[2]. Verum ante biennium nostros hoc loco aliquid profiteri non erit necesse, quando nec hoc quidem anno ad iacienda collegij fundamenta venietur. Miraculi loco potest et debet haberi, tam facile nobis ad collegium patere viam post uiginti annos, quibus varia consilia et uota multorum efficere nihil potuerunt. A Domino factum est istud[3], illi gloria: quanquam inter Fuggeros Octauianus sane plurimum hic praestitisse[b] uidetur[c] una cum P. Gregorio[4].

De uenturo ad nos Visitatore rumor quidam, sed incertus, spargitur · fiat autem quod P. T. in Domino uidebitur: idem de Prouintialis mutatione dixerim, quem optarim cito reuerti ex Heluetia, si fortasse Friburgensis collegij primus feruor modo refrixit[5], et eius collegij ratio in tempus aliud conijci potest. An autem expediat, nos cum Reuerendissimo Vercellensi multum habere commercij, praesertim in Heluetia, quae illum satis exosum habet, P. T. iudicandum permitto[6].

Dominus Jesus P. T. consilia prosperet, ac de prouintia nostra bene constituenda sollicitam retinere pergat. Eius sanctis et sacrifijs et precibus commendo me plurimum. Augustae 14 Maij 1580.

Jndignus P. T. filius Pet. Canisius.

† Admodum Reuerendo in Christo Patri nostro, Patri Euerardo Mercuriano, Societatis JESV Praeposito generali. Romae.

a) *Sic corrigendum esse ex* inuideat, *quod C. scripsit, patet ex tota eiusdem oratione.* b) praestissise *autogr.* c) *Quattuor vv. sqq. a C. postea addita sunt.*

---

[1] 1 Cor 7, 23.

[2] Inter Fuggeros, cum Christophorus Fuggerus m. Aprili 1579, liberos non habens, e vita cessisset, 29. Septembris 1579 convenit, ut ex ampla illa hereditate 30 000 florenum collegio, in quo 15 fere Socii 4 vel 5 scholas haberent, destinarentur; cui pecuniae fratres Philippus Eduardus, Octavianus, Antonius Fuggeri 2. Maii 1580 complures domos suas, ut collegio exstruendo locus suppeteret, adiunxerunt; annuit 3. Maii 1580 senatus reipublicae augustanae. Litteras fundationis edidit *Fel. Jos. Lipowsky*, Geschichte der Jesuiten in Schwaben II, München 1819, 221—225; conditiones a senatu positas v. apud *Duhr*, Jes. I 202—203; v. etiam *Pl. Braun*, Kolleg in Augsburg 24—57. [3] Ps 117, 23.

[4] Rosephio, domus augustanae S. J. superiore et cathedralis ecclesiae contionatore.

[5] Vide, quae sub ipsas has litteras dicentur.

[6] Vide, quae de Bonhomio nuntio apostolico sub ipsas has litteras dicentur. *Mercurianus* praepositus generalis in *litteris Roma 18. Februarii 1580 ad rectorem lucernensem datis eius „uirtutem et in Societatem nostram ueterem beneuolentiam", commemorat (ex comm.; Rh. Inf. 1, II f. 38[b]).

Huius epistulae ultimum caput, quod de Friburgensibus et de Ioanne Francisco Bonhomio episcopo vercellensi et apostolico apud Helvetios nuntio est, plenius explicandum esse videtur propter ea, quae postea inter hos et Canisium erant eventura.

1. Ac primum, quod ad Societatis collegium Friburgi Helvetiorum instituendum attinet, *P. Hoffaeus* provincialis Augusta 16 Iunii 1580 haec ad Mercurianum * refert: „Octauo Maij hinc Lucernam discessi et 15. Junij Lucerna huc reuersus sum: Visitationem illius Collegij interea absoluj, simulque Reuerendissimum Vercellensem expectaui, expectaturus eundem etiam diutius nisi ea cognouissem de Friburgo, quae nunc hic subscribam. Postquam Lucernam veni, contestati mihi sunt primarij nostri Patroni et quidem dolenter, Friburgensem Senatum animum et voluntatem mutasse [1] (si tamen vnquam serio eam voluntatem ante habuerunt) de erigendo nobis Collegio, quod quidem Collegium adeo auide cupierunt Lucernates, vt in suo Collegio optassent potius ad tempus aliquam personarum iacturam ferre quam quicquam amicis Friburgensibus a nobis negari, quod scirent quanti referret conseruari in fide Friburgum, quod vndique a lupis caluinianis circumdatum est. Existimaui igitur mihi aliquid esse faciendum, vt quo animo essent Friburgenses certius cognoscerem. Breues igitur ad Senatum Friburgensem Lucerna dedi, quibus aliud nihil significaui, quam hoc solum: me nimirum serio ac saepius ex vrbe monitum esse, vt Lucernam me conferrem, velle enim Friburgenses Collegium erigere. Me igitur Lucernae haerere et visitationj vacare: ipsi si quid me vellent, sicubi me manere aut etiam quo me venire quidue agere vellent, me rogare, vt hoc mihi benigne responderent. Responderunt igitur sic quidem, vt nollent quicquam in causa collegij amplius fierj; sicut illorum originales literae docent quas simul hic mitto et illarum exemplum latinum, vt P. V. in promptu habeat quo se excusare istic possit. Respondj ego postea Senatui, gratias agendo quod hac cura nos liberassent, a qua ob hominum penuriam nos vehementer abhorruisse et nihil prorsus eam procurasse vel affectasse, Romae nobis testes esse S. D. Nostrum et Jllustrissimos Cardinales, Lucernae vero totum fere senatum. Bonus Nuntius Apostolicus Vercellensis nimium praepropere egit, nec satis caute, etsi plus satis crediderit ijs, quos nosse satis nondum potuit: prudentius fecisset si maiore consilio vsus fuisset, et nec nobis nec amicis Lucernensibus inconsultis Romam mox causam deuoluisset. Cum igitur viderem spem nullam superesse futuri Collegij Friburgensis, reuersus sum in Prouintiam, ne si expectarem Vercellensem, et is importunius cum Friburgensibus me praesente agere vellet, sine fructu odio et suspicioni, ac si rem etiamnum affectarem, me totamque Societatem exponerem. Reliqui tamen literas Lucernae pro Reuerendissimo Vercellensi, quibus abitus mei causam exposuj, simulque significauj me paratum fore, si quid amplius mandare aut me etiam reuocare velit. Laetor sine mea vlla culpa hanc causam hoc tempore cecidisse: vix enim credet P. V. quanta penuria idoneorum operariorum haec Prouintia laboret“ (ex autogr.: Germ. 158 f. 185^a-186^a).

2. Nec vero causa collegii friburgensis unica erat ratio, propter quam Canisius optabat, ne Socii cum Bonhomio „multum haberent commercij, praesertim in Hel-

[1] Hoffaei litterae Friburgi in „consilio cotidiano“ recitatae sunt 26. Maii 1580; senatores autem dixerunt: Lucernense collegium, cum non plures quam 6 Iesuitas haberet, maxima reipublicae illi impendia facere; neque igitur bona marsensia collegio Friburgi sustentando suppetere, neque rempublicam, quod aliis iam esset obruta oneribus, quicquam adiungere posse: ideo provinciali respondendum esse: Fieri non posse, ut collegium Friburgi conderetur; civium autem filios Lucernam missum iri (ex Codice Actorum consilii „Manual des Täglichen Raths der Statt Frijburg“ a 25. Decembris 1579 ad 24. Iunii 1580 perducto, qui est Friburgi in archivo reipublicae; n. 119). At Gregorio XIII. consul senatusque litteris Friburgo 26. Decembris 1579 datis affirmaverant, se in „unionem monasterii Marsens pro erectione et stabilimento“ collegii „facile consensisse“ idque ita, ut pontifex primo quoque tempore Socios per praepositum generalem Friburgum mittendos curare posset (*Steffens-Reinhardt*, Nunt. I 703).

uetia, quae illum satis exosum habet". Alia quoque ex Helvetia ad Canisium relata erant de viro illo docto, pio, industrio, quem Gregorius XIII. 2. Maii 1579 nuntium apostolicum in dioecesibus constantiensi, curiensi, lausannensi, sedunensi, basileensi et aliis quibuscunque locis „Helvetiis et Rethis subiectis aut foederatis" constituerat (*H. Reinhardt* u. *Fr. Steffens*, Die Nuntiatur von Giovanni Francesco Bonhomini 1579—1581. Einleitung, Solothurn 1910, CDVIII—CDXIII; *Steffens-Reinhardt*, Nunt. I 325—327). Eum iam inde ab initio „exosum habebant" non solum protestantes, sed etiam plurimi sacerdotes et monachi, qui pessimis erant moribus neque a visitatore illo — hoc quoque officium Bonhomius tenebat — reformari volebant (*Steffens-Reinhardt*, l. c. 463 481 492—511 584 632; *Mart. Kiem* O. S. B., Geschichte der Benediktiner-Abtei Muri-Gries I, Stans 1888, 365—368); et cum initio a populo civilibusque magistratibus multorum locorum humanissime exceptus esset, postea apud hos quoque complures expertus est difficultates, praesertim quia ad clausuram canonicam servandam monasteria sacrarum virginum adigebat, et quia laicis (praeter punitionem clericorum quomodocumque delinquentium) collationem beneficiorum ecclesiasticorum, quam illi, si non aliter, certe iure consuetudinis penes se esse affirmabant, adimere volebat, sola iis „praesentandi" potestate relicta. Exeunte igitur a. 1579 Valesiani eum civitatis sedunensis (Sion, Sitten) ingressu prohibuerunt, et initio a. 1580 oratores quinque pagorum catholicorum Lucernam congregati significaverunt, nuntium illum apostolicum ita se gerere, ut plerisque bilem moveret (*Theiner*, Ann. III, in a. 1580 n. XXVII; *J. G. Mayer*, Das Konzil von Trient und die Gegenreformation in der Schweiz, Stans 1901, 258—262). Neque prorsus vanae hae erant querelae; Bonhomius enim, sicut 13. Decembris 1579 a Sancto *Carolo Borromaeo* sibi amicissimo familiariter reprehensus est, quod in sua cum canonicis vercellensibus lite nimis „appassionato" esset, ita ab eodem cardinali 26. Septembris 1579 est monitus, ut dominis illis helvetiis humaniorem se praeberet, et 26. Decembris 1579 a cardinali *Ptolemaeo Gallio* edoctus est, in abbatis cuiusdam benedictini moribus emendandis „iuris ordinem esse servandum" (*Steffens-Reinhardt* l. c. 540 688 706; *Rich. Feller*, Ritter Melchior Lussy von Unterwalden II, Stans 1909, 72—73 94—95 109—111 113); et Lucerna Kalendis Ianuariis 1580 *P. Martinus Leubenstain* S. J. collegii rector Mercuriano *scripsit: „Reuerendissimus Nuncius nos non parum molestat, cupit enim vt poenitentes cogamus, vt in ea, quae petit consentiant, uel beneficium absolutionis illis negemus, cum tamen omnia adhuc in deliberatione uersentur, nihilque ei hactenus negatum sit, ad Natalem domini humiliter rogatus nostrae prudentiae commisit, timemus autem nobis pro futura quadragesima (ex autogr.; Germ. 158 f. 4[a]). Agebatur autem potissimum de collatione beneficiorum; de qua cum in comitiis m. Novembri 1579 Thermopoli [1] habitis nihil ab Helvetiis constitutum esset, *Bonhomius*, eam moram aegre ferens, inde 20. Novembris 1579 cardinali Gallio scripsit: „Converrà, questo Natale, destramente prohibire l'assolutione a quelli, che saranno intricati in simili provisioni, et che non vorranno promettere, di non se ne impicciare mai più." At hoc ab *eo* tulit responsum: „A S. Santità piacerà più, che non habbi poi esseguito questo Suo intento, per non conturbar gli animi de le genti in tal tempo et solennità, et tener tuttavia la strada men' rigorosa" (*Steffens-Reinhardt*, l. c. 645 707). Haec admonitio certe valde erat opportuna; *Leubenstain* enim in *litteris, quas dixi, de Bonhomio haec notat: „Si ita perget certissimum est, quod plane nihil efficiet, nisi Deus super humanum modum propter eius sanctitatem et continuas preces miraculose faciat. Quia omnium animos ita exasperauit, etiam communis populi, vt domini nihil audeant facere etiamsi uellent, ne fiat seditio in populo [2], neue cogantur bellum cum Lutheranis suscipere. Et illam auersionem peperit illi inconsuetus modus agendi, neminem cons[ulit,] omnia vult facere sua potestate, saepius dicens, Sic volo et non aliter, quae vox in libero populo valde

[1] In urbem Baden (nunc cantonis argoviensis) confoederationis helveticae oratores convenire solebant.

[2] Cf. Mt 26, 5; Mc 14, 2.

est exosa, et sic valde timendum quod posteriora fiant prioribus peiora[1], quod ne fiat sedulo deum precemur (l. c. f. 4)." Singulares deinde molestias Sociis lucernensibus tunc afferebat et Canisio postea allaturus erat P. Wolfgangus Pyrringer (Pyringer, Pirringer), homo Societatis[2], isque Bonhomio ad tempus concessus, ut germanice ad populum diceret, confessiones exciperet, similia Societatis ministeria exerceret; simul Bonhomii interpretem Wolfgangus agebat, orationes, quas ille latine habebat, germanice reddendo, et ea quae Bonhomio germanice dicebantur et scribebantur, in latinum transferendo (*Steffens-Reinhardt* l. c. I 432 481 511 513 514 565 624 679); ac Thermopolitanis eius contiones tantopere placuerunt, ut 30. Decembris 1579 a Bonhomio peterent, efficeret, ut P. Wolfgangus cum alio aliquo Societatis sodali ad parochiam apud se administrandam mitteretur (l. c. 715—716). Verum paullatim in illo — id quod optimus ille episcopus tunc quidem plene animadvertisse non videtur — et prudentia et temperantia magis magisque desiderabantur. „P. Wolffgangus" inquit P. *Leubenstain* rector lucernensis in *litteris, quas supra dixi, „fecit [non] solum se, sed et societatem exosam, agit ipse interpraetem Episcopi, licet non teneat Jtalicam linguam, et sic nuper coram pleno senatu longe aliter, quam Episcopus dixerat, et multo vehementius res exagerando dixit, quod domini qui Jtalicum Jdioma multo melius norunt aegerrime tulerunt, solet ille saepius cum nimia collera cum dominis rixari, etiam notatur in nimio potu, propter haec et similia, nisi ei propter nos, et dominos Lucernenses parcitum fuisset, saepius iam fuisset male tractatus, vt nobis relatum est. Summus noster Patronus in hac Ciuitate, qui et autor Collegij et promotor vnicus est[3], mihi dixit, ego ita amo vos et societatem vestram quod libenter darem ex mea pecunia 1000 ducatos quod P. Wolffgangus non venisset cum Nuncio" (l. c. f. 4^{b}). His et plurium litteris permotus *Mercurianus* generalis Roma *16. Februarii 1580 Pyrringerum ad „humilitatem et passionum mortificationem et uictus temperantiam" graviter adhortatus est; „uisitationi autem non modo nullo se modo miscere, sed hoc etiam prae se ferre, et ostendere omnibus" eundem iussit. Novis deinde querelis Romam perlatis *Mercurianus* Roma 17. Iunii 1580 Hoffaeo provinciali *mandavit: „Reuerentia V. faciat statim ut illum nostro nomine ad se euocet a Reuerendissimo Vercellensi, et potius si is postulauerit alium ei mittat, bonum, et fidelem. Jpsum autem P. Volphangum cum uenerit subito dimittat omnino" (ex commentariis; Rh. Inf. 1, 11 f. 37^{a} 43^{b}). Ita Pyrringer ex Societate Iesu eiectus est; atque anno quidem 1583 petiit, ut iterum in eam admitteretur, nec tamen voti compos factus est (Germ. 161 f. 133 165^{b}).

Mercurianus Canisio respondit Roma 17. Iunii 1580.

---

[1] 2 Petr 2, 20.

[2] „P. Volfgangus pyringerus Lambacensis [„dioecesis Passauiensis". Hist. Soc. 41 p. 178] austriacus annorum .34. ingressus est Viennae die .5. Februarij .1556. et vouit primo die .29. Septembris 1557. Fuit praefectus conuictorum medio anno: nouitiorum biennio Viennae: Seminarij olomucensis biennio. Docuit grammaticam per annum; rhetoricam quadriennio in Societate. Est bonus rhetor: poeta: graecus: cantor: audiuit cursum; et theologiam ultra biennium; est magister artium: idoneus ad docendum, concionandum, regendum mediocriter, confessiones; est compositus et aedificatiuus": Haec P. *Laurentius Magius* S. J. provinciae austriacae praepositus ad S. Franciscum Borgiam praepositum generalem *rettulit Vindobona 22. Novembris 1569 (ex autogr.; Germ. 150 f. 72^{a}). A. 1559 drama de resurrectione Christi composuit, quod Vindobonensibus valde placuit; et a. 1568 Olomucii in synodo dioecesana orationem de ecclesiae per Germaniam calamitatibus et de primatu romani pontificis habuerat. Vide (praeter *Can.* II 574) *Duhr,* Jes. I 351 559; *Sommervogel* l. c. VI 855; IX 773; *Kroess,* Böhm. Prov. I 303 326). Haud recte Sommervogel et Kroess eum Labaco (Laibach, Carniolae caput), non Lambaco (Lambach, Austriae superioris pagus) ortum esse scribunt.

[3] Ludovicus Pfyffer urbis scultetus (Schultheiss); v. *Duhr,* Jes. I 211 216.

2059. FERDINANDUS II. archidux, Austriae superioris princeps, CANISIO. Oeniponte [?] 14. Iunii 1580.

Ex commentario vel eiusdem temporis apographo (2°; 1½ coll.) sic inscripto: „An herrn Peter Canisij"; quod exstat Oeniponte in archivo praefecturae, Fasc. „E Kloster Seefeld II. 34". Litteris usus est *Kröss*, Can. 204.

Libro de sacra aede sefeldiana addendum esse caput de miraculis ibi factis.

Ferdinand *etc.*

Demnach vnnß für guet ansicht, daß dem Buechlein, von dem hoch wunderlichem heyligem Sacrament auf dem Seefeld [1], etliche wunder zaichen, die[a] sich daselbsten, begeben zuegetruckht werden so haben wir dieselben souil deren Jn der khirchen auf den taflen vnd sonnsten zubefinden gewest zusomen schreiben lassen allß du auß der beilag zusechen, vnnd ersuechen dich hierauf ganntz gnedigiclich, du wellest auß sollichen etliche deinem selbß guetachten nach zusamen ziechen, vnnd ainen articl dem Buechlein. (welliche Exemplar wir Jnmitlst beihendig behalten wellen [2]) zue truckhen, vnnd vnnß dieselben zum fürderlichisten zuekhomen lassen, Daß geraicht vnnß von dir zu gnedigistem gefallen mit gnaden haben zuerkhenen. Geben 14. Junij etc. .80.[b]

In commentarii vel apographi capite alia quadam eiusdem temporis manu scriptum est: „Die fürgangne wunderzaichen bej dem heyligen bluet auf dem Seeueld dem hieuor gedruckhten Büechl als einen newen besondern artiggl zuedruckhen lassen". Num libro accessio haec reapse facta est? In duobus certe, quae ego vidi, exemplis ea non apparet. Canisius principi respondere poterat, eiusmodi miracula in sexto libri capite iam satis esse commemorata; vide infra, monum. 1255.

2060. EVERARDUS MERCURIANUS praepositus generalis Societatis Iesu CANISIO. Roma 17. Iunii 1580.

Ex commentario; in capite, eadem manu: „Augustae P. Petro Canisio." Rh. Inf. 1, II f. 44[a]

Provincialis. Visitator Carebitur, ne P. Hoffaeus praeficiatur consilio ecclesiastico ducis Bavariae. „Archetypum aedificationis" collegii augustani.

Accepimus datas a Reuerentia V. litteras alteras 7.° Martij Dilingae, alteras Augustae 14 Maij. Jn[c] illis libenter uidimus eius de Prouinciali instituendo sententiam [3]: quod etiam nos monet de Visitatore mittendo, gratum fuit, etsi id quidem nobis erat cordi, sed uix possumus reperire qui a suis negocijs absque magno incommodo possit auelli. Fiet tamen aliquid Deo uolente.

Jn posteriori epistola cognoui quid Dux Gulielmus [4] de P. Hoffeo cogitaret, quod nobis placuit in tempore rescisse, ut Pontificem [5] occu-

a) *Ita correctum est ex* so. b) *Sic (eadem, ut videtur, manu) correctum est ex* 4. Maij Anno etc. 80. c) *Sequitur* ijs, *oblitt.*

[1] Vide supra p. 533.

[2] I. e. exempla illa interim retinebimus, ut nobis ad manum sint („beihändig sein, praesto esse, zur hand sein": *Jak. u. Wilh. Grimm,* Deutsches Wörterbuch I, Leipzig 1854, 1373—1374).

[3] Vide supra p. 534. [4] Guilielmus V. Bavariae dux.

[5] Gregorium XIII.

pemus, quod statim faciemus. Est enim res maxime periculosa, odijque plena, et a nobis alienissima. Speramus non magnam fore in ea propulsanda difficultatem.

De reliquo quod scribam non habeo, nisi ut Reuerentia V. quando iam est[a] Augustae istius Collegij nascentis rationem una cum P. Gregorio[1] promouere studeat, quam poterit optime, et secundis uentis uti dum spirant. Nos aedificationis archetypum nondum approbauimus, quia expectamus responsum ad ea quae P. Joannes noster[2] proprijs literis a P. Rosefio quaesiuit. Commendo me Reuerentiae V. *etc.* Gratia Domini nostri Jesu christi *etc.*[3]. Romae 17 Junij .1580.

Singulari quadam adnotatione indiget harum litterarum caput ultimum, quod est de „archetypo aedificationis" collegii S. J. augustani. Societatis *Congregatio* generalis secunda anno 1565 decreverat: „Ad R. P. Generalem referenda videtur forma ac modus aedificiorem nostrorum construendorum", ut ille, quomodo aedificandum sit, statuat (decr. 84 post el.; *Institutum* S. J. II 210). Ideo praepositus provincialis in officii sui *Regulis* monebatur: Ad Generalem „pertinet formam, et modum nostrorum aedificiorum praescribere" (*Regulae* Societatis Iesu, Romae 1580, 39; cf. *Institutum* S. J. III 81). Et Mercurianus, ut aedificandi ratio in Societate aequabilior et facilior redderetur, Roma in provincias mittere coepit vel saltem mittere volebat formas aliquot sive „ideas" communes, ut, cum qui aliquid aedificare vellent, earum unam eligerent et, quamnam elegissent, ad generalem referrent (*Duhr*, Jes. I 606—607). Simile aliquid — id quod usque adhuc ignotum erat — in augustana hac aedificatione fiebat: P. *Gregorius Rosephius* superior domus augustanae, qui a. 1579 Romae fuerat, Augusta 5. Martii 1580 Mercuriano *scripsit: „P. Joannes de Rosis Romae promisit se mihi daturum formam collegij aedificandi commode, o quam mihi rem gratam faceret si mitteret, et omnia bene literis notaret, et in alia charta sibi correspondentibus literis explicaret, additis etiam rationibus breuiter aliquando, quare hoc uel illud ita uideatur ordinandum" (ex autogr.; Germ. 158 f. 77[b]). Romae igitur tunc morabatur ille „P. Joannes de Rosis" (Rossis, Rosses), qui in * *Catalogo* provinciae S. J. neapolitanae m. Septembri a. 1574 conscripto traditur „professus trium votorum" esse, in collegio neapolitano versari, „talentum" habere „ad aedificium" (Hist. Soc. 41 f. 51[a] 108[b] 110[a]). Is a. 1574—1575 Societati Neapoli domum et Nolae templum aedificabat; collegii quoque templique Lycii (Lecce) aedificandorum „formas" fecit; et a. 1575 Romam a Mercuriano arcessitus est (Epistolae P. *Alphonsi Salmeronis* II 475 491 613). Idemne communes illas „formas" fecit? Ac satis quidem constat, illum Mercuriani conatum fere irritum fuisse, et singulorum aedificiorum formas postea quoque, ut antea usitatum erat, in provinciis factas indeque Romam missas esse (*Duhr* l. c. 607). Quid autem de romano illo „archetypo" collegii augustani factum est? *Rosephius* Augusta 7. Maii 1580 Mercuriano *scripsit: Joanni Fuggero „cordi est fabrica, seipsum quasi constituit Architectum" (ex autogr.; Germ. 158 f. 150[bis a]). Et historici sic, nulla Ioannis de Rosis mentione facta, narrant: Collegium a. 1581, prima adumbratione per Ionam Holl facta, a Gallo Kiegele et Ioanne Heiss, labores moderante P. Ioanne Volckio, exstructum est (*Pl. Braun*, Koll. in Augsb. 28—31; *Duhr*, Jes. I, 617—619).

Canisius Mercuriano respondit 26. Iulii 1580.

a) *Hoc v. supra versum scriptum est.*

---

[1] Rosephio, superiore domus augustanae S. J.

[2] P. Ioannes de Rosis; vide, quae sub ipsas has litteras dicentur.

[3] Supple: „cum omnibus vobis. Amen": Rom 16, 24: 2 Thess 3, 18: Apc 22, 21. Vel tantum: „vobiscum": 1 Cor 16, 23: 1 Thess 5, 28.

2061. CANISIUS **EVERARDO MERCURIANO** praeposito generali Societatis Iesu. Oeniponte 26. Iulii 1580.

Ex autographo (2°; 2 pp.; in p. 4 inscr. manu P. Guilielmi Elderen S. J. scripta et particulae sig.). Germ. 183 f. 288ª—289ᵇ. Epistula usus est *Duhr*, Jes. I 227.

Praefatio editoris: De causa halensi, quae huius epistulae praecipuum est argumentum, haec oportet praemitti et praemoneri: De Magdalena regina (v. supra p. 466) *Mercurianus* 17. Iunii 1580 P. Hoffaeo provinciali *scripsit: In R. V. epistula 12. Aprilis data „uidi postulata Reginae: in quo toto negotio facimus ut Reuerentia V. petit facultatem ut cum ea transigat reseruata conditione beneplaciti, assensusque nostri: modo tamen uideat ne quid fiat contra institutum, aut si modo aliquid ei concedendum est, non sit perpetuum, sed tantum ad eius uitam. Cetera R. V. tractabit quam optime poterit" (ex comm.; Rh Inf. 1, II f. 43ᵇ). *Hoffaeus* igitur Hala, ubi cum Canisio socio et admonitore suo collegium Societatis visitabat, ad Mercurianum 16. Iulii 1580 haec *rettulit: „Oportune sub finem Collegij huius visitationjs eas accepi, quas P. V. 17. Junij dedit. Transegi cum Serenissima Regina negocium fundationis, cumque in ijs punctis quae P. V. annotauerat, tandem cederet, visum est rem sine alia in vrbem missione plane conficere et confirmatam acceptare, sicut intra paucos dies fiet, quod etiam his Patribus probatum fuit. Vnum solum extorsit Regina, nimirum vt eius hortus, qui post obitum relictarum virginum ad nos iure redire debuisset, maneret ijs quoque virginibus, quae vnquam huius instituti futurae sunt, ac tum demum ad nos rediret. Tentauj varios modos vt hac de re responsum P. V. expectaret: impossibile fuit hoc impetrare: igitur de consilio Patrum hac in re cessi et curaui literas parari: Nil fere incommodi hinc patimur, cum nihilominus hortum habeamus amplum et vtilem: Rogo P. V. ut hoc factum probet: Scribet ipsamet Regina ni fallor hac de re quando mittemus exempla instrumentorum, cui velim P. V. vt respondeat amanter atque ita meam in hac re factam difficultatem, propter obedientiam, probet, vt simul etiam fundationem acceptet, et literas de horto approbet, simulque ipsam roget, ne posthac nouas mutationes in Jnstrumentis faciat, cum iam multas fecerit. Jam opinor puto P. V. scire in priore fundatione non nisi 1035 florenos fuisse fundatos: nunc vero liberaliter bona Mater compleuit fundationem vsque ad 1500 florenos annuos praeter 200 florenos templi [1]. Jpsa, nec ego minus, laetatur vehementer rem tandem confectam, etsi sine cholera et lachrymis multis confici sane non potuerit ab ipsa: forte conqueretur de me, sed rej confectio eam mihi facile reconciliauerit" (ex autogr., Germ. 158 f. 217ª).

Provincialis. Visitator. Difficultates friburgenses. Gomolinskius. Parchingius. Magister noviciorum. Cum Magdalena regina de cantoribus, horto, fundatione constitutum est. Canisius eam placavit. Illius et Guilielmi V. confessarii.

† Pax Christi Jesu nobis aeterna Reuerende admodum Pater.

Literas mense superiore ad me datas accepi Halae, quum illic in uisitatione collegij Patri nostro Prouintiali socius adiunctus uersarer. Nihil dubito, quin P. T. uti literis indicat, noui Prouintialis instituendi curam gerat: eum nos talem esse cupimus, qui gubernandae prouintiae huius grauissimum onus probe sustinere possit. An P. Georgius Baderus hanc tantam sarcinam ferre possit, fateor a me ualde dubitari. Quisquis autem constituetur, non parum subsidij accipiet a Visitatore, quem nostri sperant breui adfore, post annos fere quindecim [2].

[1] Corrigenda igitur sunt, quae de 1500 florenis iam a. 1571 constitutis scripsit *Rapp* l. c. 66—67.

[2] P. Hieronymus Natalis anno 1566 ultimam habuerat visitationem Germaniae superioris; unde m. Novembri 1566 in provinciam Societatis rhenanam transiit (Epp. *Nadal* III 312—315).

Veremur, ne Reuerendissimus Vercellensis[1], uti literis est interminatus, eundem nostrum P. Prouintialem Friburgum euocet, acturus illic iterum cum Senatu de collegio nobis instituendo. Speramus tamen apud eundem antistitem et Nuntium Apostolicum ualituras rationes, quas multas et graues Prouintialis ad illum perscripsit, vt persuadeat non expedire, ut Friburgum ipse petat, nisi constet certius de primis illius collegij fundamentis, deque firma voluntate Senatus[2]. Nostra quidem ex parte parum uidetur optandum, vt cum reliquis prouintiae difficultatibus nouum hoc collegium coniungatur, quum satis hactenus passim laboremus, et idoneis operarijs destituamur.

Proinde P. T. etiam atque etiam rogamus, vt Andream Polonum ad tempus nobiscum manere sinat, donec scilicet cursum[a] Philosophicum semel profiteatur, et hanc quasi gratiam referat prouintiae post tot tantosque sumptus et labores nostrorum in illum collatos[3].

Fuit quidem apud nos aliquot annis P. Christophorus Anglus, sed neque desideratus accessit, neque nisi vocatus Romam se contulit, et si reuertatur, nullo in loco gratus nostris futurus est. Optaremus igitur illum non remitti ad nos multis nominibus, praesertim uero ne et ipsi et nostris uel nouae creentur, uel augeantur tentationes. Tulit et fouit illum parum utilem prouintia nostra, multosque in illum sumptus contulit ex c h a r i t a t e n o n f i c t a[4]: an uero in posterum eiusdem gratia sit grauanda, iudicent alij, misereatur quaeso nostrorum P. T. neque tantum onus imponat prouintiae cum illius et nostro detrimento, quoniam nimium apud nos ille notus est, et in officio continerj uix posse uidetur[5].

a) *Ita C. correxit ex* cusum.

---

[1] Ioannes Franciscus Bonhomius, apostolicus apud Helvetios nuntius.

[2] De his litteris vide supra p. 537.

[3] Ut *Hoffaeus* provincialis in *Catalogo quodam sua manu notavit, ab eo a. 1578 „Andreas Gomolinskius“ (quem is alio loco „Andream Gomolinzkium Polonum“ vocavit) in Societatem receptus est Dilingae (Cod. „VI 35“ f. 52[a] 75[a]), cum iam 26. Novembris 1574 Dilingae in matriculam universitatis relatus esset (*Specht*, Matrikel I 97). De hoc *Mercurianus* Roma 17. Iunii 1580 Hoffaeo *scripsit: Quia admodum nos rogavit, „sed multo etiam magis quia operae precium hic facturum putauimus, Romam nobis euocandus uisus est. Quod ei Reuerentia V. significare poterit eique tempus praescribere quod commodum fuerit ad ueniendum, ubi se remiserint calores. Viaticum, ut audio, subministrabit frater illius“ (ex commentario, Rh. Inf. 1, II f. 44[a]). Qui frater nescio an fuerit Stanislaus Gomoliński, qui postea episcopus camenecensis, chelmensis, luceoriensis (Caminiecz, Chelm, Luck) factus est (*P. B. Gams* O. S. B., Series Episcoporum, Ratisbonae 1873, 343 344 352). *Hoffaeus* iam 16. Iulii 1580 *litteris ad Mercurianum datis petierat, ut Andreas „sequenti anno“ posset adhiberi „Cursui Philosophico profitendo“, „cum excellentis sit ingenij, et nunc Jngolstadij Theologiam audiat, et diu ab hac Prouintia sustentatus et institutus sit“ (ex autogr.: Germ. 158 f. 217[b]). Paulo post a. 1580 in Polonia „Andreas Gomoliński secretarius regius“ comparet (*Stanisl. Załęnski* S. J., Jezuici w Polsce I, Lwów 1900, 692–693).

[4] 2 Cor 6, 6.

[5] „*Christoferus Parcianus*“ Anglus sua mann in *„Libro Professionum et Votorum Collegij Dilinganj“ etc. a. 1572 incohato scripsit vota scholasticorum Societatis

Serio cogitatum est de nouo magistro nouitiorum Germano instituendo, neque aptiorem ullum P. Jacobo Crucio reperimus, eoque ueniente[a] concionatorem e nostris Germanum alium Venetis dabimus[1]. Tantum hic nobis faueat obsecro P. T. et Prouintiali Veneto[2] iubeat, ne diutius P. Crucium abesse sinat, quem cito restitui huic prouintiae magni refert, vt P. Bonauentura[3] Hispanus tandem in hoc munere Lanspergae habeat successorem.

Halae multis actum est cum Regina[4], quae primum nobis in eo cessit, vt liberi maneamus[b] ab omni cura instituendi, mutandi gubernandique cantores templi sui, quemadmodum antea postulauerat ad contentionem usque. Grauior pugna fuit de horto nostris antea donato[c], sed non necessario, quem suae domus foeminis voluit in perpetuum applicari. Eamque rem ursit minis et lachrymis, P. Prouinciali tam importuna, vt valetudinariae et impatienti ausus is[d] non fuerit reluctari amplius, quum postularet statim absolui negotium fundationis collegij, non expectato etiam P. T. consensu. Breui enim

a) *A C. corr. ex* eique uenienti. b) *Sic C. correxit ex* vt nos liberi maneremus. c) *Tria vv. sqq. a C. in margine addita sunt.* d) *Sequitur* fue, *oblitt.*

iisque adnotavit, se ea (primum) nuncupasse „Anno 1567 in die natiuitatis gloriosae uirginis Romae in domo patrum. Renouaui singulis annis sicut 1574. 7 Aug." (Cod. „II. 42" p. 50). *Hoffaeus* deinde „P. Christoferum Parchingium ex vrbe 31. Maij 1572" in provinciam Germaniae superioris receptum esse sua manu *notavit (Cod. „VI. 35" f. 60[a]), et in provinciae *Catalogo Kalendis Ianuariis 1574 dato de eo scripsit: „M. Christophorus Parcianus in Theologia Baccalaureus Domi priuatim praelegit nostris p[am] s[ae] D. Thomae" (Hist. Soc. 41 f. 172[a]); erat autem tunc Dilingae (*Specht*, Univ. Dil. 59). Postea in universitate ingolstadiensi per aliquot annos theologiam tradidit (*Mederer* l. c. II 33; *Prantl* l. c. I 306); eum in collegio ingolstadiensi 1. Ianuarii 1576 et deinceps usque ad 26. Aprilis 1579 vota scholasticorum renovasse constat ex *„Libro Professionum" huius collegii (f. 30[b]; cf. supra p. 231[2]). Postea eum ex Societate exisse intellegitur ex „*Libro* Professionum" dilingano (l. c. p. 117); et in antiqua illa *„*Historia* Collegii Dilingani" notatum est de eo: „factus deinde apostata a religione et a fide profectus in Angliam, Catholicorum proditor et persecutor" (*Specht*. l. c. 59[1]). *Sacchinus* quoque narrat, eum („Perchinum" eum vocat) a. 1583 in Anglia a fide catholica defecisse, cum iam duobus ante annis ex Societatis corpore abscissus esset (Hist. V, T. 1, l. 3, n. 97). Aliunde autem constat, Christophorum illum „Perkins" uxorem duxisse, ab Elisabetha regina „equitem auratum" constitutum esse, mandatu eiusdem varias legationes obisse, a. 1622 mortuum esse (*Henr. Morus* S. J., Historia Missionis Anglicanae Societatis Iesu, Audomari 1660, 28; *Records* of the English Province of the Society of Jesus, S. II—IV, Roehampton 1875, 340—341).

[1] De Iacobo Kraus (Crusio, Crucio) bambergensi (v. *Can.* VI 282[4]) *Hoffaeus* in *Catalogo ineuntis a. 1574, quem supra dixi (p. 543[5]) notaverat: „Superiore autumno Patauium missus est ad studia theologica" (Hist. Soc. 41 f. 173[b]), et *Mercurianus* Roma 22. Aprilis 1580 ad Hoffaeum *scripserat: „P. Crusius uix potest Venetijs auelli ubi certe fructuose laborat cum popularibus suis" (ex comment.: Rh. Inf. 1, II f. 42[b]).

[2] P. Mario Beringuccio (*Sacchinus*, Hist. IV, l. 6, n. 15; V, T. 1, l. 1, n. 54).

[3] Paradinas, magister noviciorum et rector landsbergensis, „incommodius praeest nouitijs Coadiutoribus" (Germ. 158 f. 186[a]).

[4] Magdalena: vide huius epistulae praefationem.

ad thermas profectura est, nec se diu uicturam putat, ac veretur, ne postea illorum quos nunc habet ad manum, opera destituatur, quorum quidem consilijs et ministerio fidit quam maxime. Quare illi prorsus uisum est, in hac uisitatione rem omnem cum Prouintiale transigere, et eidem fundationis literas tradere, ob quas non sine longo fastidio, ut iudicat, cum eo ipso hucusque pugnauit, et adiunctas dedit literas ad T. P. uelut Prouintialem excusans, qui tandem ipsa postulante, huic rei uel inuitus finem imposuerit[1]. Me interim solum euocauit, et suum fecit amanuensem, quemadmodum adiuncta epistola eius testabitur[2], in qua suam inconstantiam sic excusare contendit, vt P. Prouintialem ueluti duriusculum accusare uideatur. Multis praeterea fidenter mecum egit, non sine graui stomacho ueteres querelas repetens, quod et ipsi, et Confessario eius[3] parum aequi essemus, falsisque iudicijs[a] [?] et iniquis suspicionibus nimium loci tribueremus[b], tum ad rem nostram attentiores esse studeremus, ac postremo in leuibus etiam rebus nos asperos ac seueros praeberemus[4]. Quare

a) *Sic; volebatne scribere:* indicijs? b) *A C. corr. ex* tribuentes.

[1] Vide, quae sub ipsam hanc epistulam dicentur.

[2] Haec sub ipsam hanc epistulam ponetur.

[3] P. Paulo Hetzcovaeo S. J.; vide *Duhr,* Jes. an Fürstenh. 83—84.

[4] Ad haec et proxima verba recte aestimanda iuverit aliqua exscribi ex *litteris, quas P. *Nicolaus Lanoius* S. J., cum Roma Vindobonam venisset, inde 10. Iunii 1577 ad Mercurianum dedit: „Hallae", inquit ille, „egi primum cum P. Hetzcouaeo ac deinde cum filia confessionis causam, sicut mihi P. V. mandauerat · huius itaque animum cum veluti a longinquo explorarem, ac dicerem P. Vestram optare ut de bono atque idoneo Confessario illi esset prospectum, et nihil omissuram quo minus id beneficij a nostra Societate obtineat etc. mox illa non sine perturbatiuncula animi (ut facile potui tum ex rubore vultus tum ex concitatiore sermone notare) ait. non muto dum viuam, confessarium, ille mihi placet et satisfacit, et si forte ob nimiam debilitatem ad me venire non potest, possum ad illum accedere etc." His verbis auditis se Mercuriani „intentionem" ita ei explicasse, ut in Hetzcovaei locum alius non esset substituendus, nisi cum ille „sic deficeret viribus, ut nequiret suum facere officium.... Hetzcouaeo autem aperte dixi P. V. et alios patres romanos plurimum admiratos, cum illis esset relatum ipsum velle a nostra Societate per relaxationem votorum abscindi. Respondit ille se id non petiuisse nec petere (quandoquidem sum, inquit, corpore propter acerbitatem calculi et alios morbos ita confractus, ut nihil virium videatur mihi superesse, sed potius solum sepulchrum [Job 17, 1], qua ergo ratione me possem extra Societatem sustentare si fodere non valeo et mendicare erubesco [Lc 16, 3]? quin etiam addidit se ab initio non ambiuisse id oneris, sed defuncto [P. Ioanne] Dyrsio a Magdalena fuisse expetitum et obtentum · cum prius mortua Margareta [archiducissa] nonnullae virgines illius Aulae nulli nisi sibi confiterj vellent. Nunc vero cum Magdalena vna et altera ex sociabus eundem Hetzcouaeum mordicus confessarium retinent, et retinebunt quamdiu poterunt. Jllae omnes cum sint piae et compassionis affectu teneriori tangantur, mirum non est si suum patrem spiritualem mollius longe tractent, quam illius vocatio, conditione permittat. Sed quid facias? ut is porro viuat more nostri Jnstituti id est tenui et paupertati accommodato victu, videtur iam impossibile. Fouendum itaque censeo tanquam illum qui perpetuo apud nos ex morbo incurabili decumbit.... Putarem istos sic in sua pace relinquendos, alias potius videbimur destruere quam construere. Jnterdum fit ut qui praesunt vel ut columnae habentur in Prouintia, vehementius

quum hanc nostram erga se ingratitudinem experta saepe fuerit, non se parum affligi, et de solo mutando interdum cogitasse, sed tamen se cauisse semper, ne suas querelas Archiduci fratri[1] aut exteris alijs exponeret. Ego vero ut potui, blanda oratione commotum animum Reginae placaui, nostrosque purgaui, et simul oraui, vt priores offensiones omnes et solicitudines istas, ac suspiciones uarias omnino missas faceret, et[a] prorsus ex animo suo eiectas sepeliret, simulque mater et Patrona nostrorum esse pergeret, nos quidem officio nostro et ipsius fundatricis expectationi minime defuturos Christo propicio. Tandem nostris illa votis assensit, seque libenter condonaturam dixit, quicquid a nobis molestiarum percepisset, quodque nos ueteri beneuolentia prosequi uellet promisit.

Ego sic sentio, Reginam hanc si propter causam ullam, tum ob Confessarium suum hac affici aegritudine. Acerba est manetque illi memoria, quod P. Lanoius hac transiens, P. T. nomine monuerit, vt illum ipsum Confessarium[b] mutari pateretur, quodque repulsam tulerit pro eodem intercedens, vt ipsa etiam defuncta e suis aedibus illi cibus aulicus praeberi posset. Auxit perturbationem fortasse Princeps Guilhelmus[2], quum ante paucos menses illam Halae inuiseret, ac de suo etiam Confessario[3] apud illam ageret, sicut mihi coram fassa est. Vtrique Principi tanto minus satisfacimus, quo magis necessariam instituti nostri disciplinam defendere, et nouam hanc aulicorum Confessariorum licentiam coercere studemus. Atque huiusmodi tetros fructus, ut vereor plane, ab istis[c] Confessarijs, uelut non optimis arboribus, magis magisque indies colligemus[4]. Parcat illis et Principibus misericors Deus.

Fortasse non abs re fuerit, blandas ad Reginam literas dari, simulque de confectis fundationis literis agi gratias, quum in urbem erunt allatae, ac simul tria pro fundatrice sacra illa celebranda promitti[5]. Benedictus Deus, quod huius collegij Halensis fundatio finem acceperit, minus ut in eo laborandum sit nouo Prouintiali. Certe P. Hoffaeo multis magnisque molestijs ea res constitit, praesertim ob frequentem illam consiliorum mutationem, quam in hac fundatrice plus satis expertus est. Eandem et nos omnes P. T. sacrificijs et precibus in Christo plurimum commendamus. Oeniponti 26 Julij 1580.

Jndignus filius in Christo
Petrus Canisius.

a) *Hoc v. supra versum scriptum est.* b) *Hoc v. a C. in margine additum est.* c) *Sic C. correxit ex* huiusmodi

contra vitia quaedam absque fructu insurgant nostrorum et externorum ut fortasse in hoc casu paulino videtur accidisse et simul in ipso reginali etc. Ita *Lanoius*, Hoffaeum et Canisium nomine „columnarum" (cf. Gal 2, 9) significans eorumque „vehementiam" nonnihil improbans (ex autogr.: Germ. 138 f. 376[a]).

[1] Ferdinando II. principi Tirolis etc.

[2] Guilielmus V. Bavariae dux, cuius mater Anna una erat ex Magdalenae sororibus.

[3] P. Dominico Mengino. [4] Cf. Mt 7. 15—20; 12, 33; Lc 6 43 44.

[5] De his sacris ab omnibus Societatis sacerdotibus faciendis v. *Can.* III 353.

† Al molto Reuerendo in Christo Padre nostro Il .P. Euerardo Mercuriano, Preposito Generale della [Compa]gnia di Giesú.

Ad manus proprias. Jn Roma.

Romam cum hac epistula, ut ex ipsa cognoscitur, missae sunt * litterae germanicae Halae 15. Iulii 1580 a *Magdalena* ad Mercurianum datae eaeque manu quidem ignota scriptae, sed ab ipsa Magdalena subscriptae: missa est praeterea earundem litterarum * versio latina, quam hic ponam, quia et a *Canisio* iussu Magdalenae facta et Canisii manu scripta est, praeter nomen „madalena", quod ipsa scripsit (Epp. Ext. 28 f. 174ª—175ᵇ 176ª—177ᵇ).

† Exemplum literarum e Germanico Latine versarum, quas Regina Magdalena ad Praepositum generalem Societatis Jesu ex Hala dedit 18 [1] Julij, anno 1580.

Reuerende in Christo et spiritualis Pater. His literis ego Reuerentiam tuam certiorem facio, quod anteactis proxime diebus omni ex parte conuenerim et concordarim cum Domino Doctore Paulo Hoffaeo Prouintiale, quantum ad articulos in literis fundationis Halensis collegij hucusque in controuersia positos attinet. Tantum ego ratione horti mei, quem etiamnum possideo, in eadem fundatione mutationem modicam feci, quam tamen Prouintialis diu admittere et probare noluit, quemadmodum Reuerentia tua ex eiusdem literis fusius intellectura est. Ego uero ipsi Societati, dictoque collegio, quod ad principale et instituti uestri essentiam spectat, nihil hic derogo aut praeiudico: quin potius uolo, ut uirginibus per mortem deficientibus, quae praedictum hortum in uita sua occupabunt, eiusdem [a] horti proprietas et dominium omnino maneat penes Societatem, quemadmodum ut ita fiat, certis literis et testimonijs super hoc Societatem et Hallense collegium sufficienter assecurandum curaui, et praeterea bonum frugiferumque hortum, qui probe cultus decentem necessariumque usum culinae praebeat, eidem collegio contuli. Jgitur ex ingenti et singulari confidentia, quam erga Societatem gero, bona mihi spes est fore, vt Reuerentia tua eiusmodi paruam mutationem boni consultura sit, vtpote quum illa societati nullum adferat praeiudicium, et iuuet uirgines, quae sunt eruntque superstites in hac Christiana et pia congregatione, usque dum omnes extinguantur. Spero itidem et confido, Reuerentiam tuam [b] nullum negligentiae uitium imputaturam Domino Prouintiali, sed excusatum illum habituram esse in hoc gesto negotio: qui sane mihi se satis opposuit, et multum moeroris hic attulit. Nec lateat Reuerentiam tuam, me in his alijsque mutationibus non ex quadam animi instabilitate, uel aduersus ipsam Societatem agere voluisse, sed potius una ex parte Societatis ipsius commodum quaesiuisse, sicut quibusdam rationibus confirmari posset. Ego uero hac quam dixi, fiducia me commouente, et quietis semel tandem consequendae causa, fundationis dictae literas nunc expeditas habeo, quarum Originale Domino Prouintiali cito tradam [2]. Jmmortali Deo laus, honor et gloria de hoc absoluto negotio. Me interim Reuerentiae tuae deuotis precibus, nosque omnes diuino adiutorio ualde commendo. Datum Halae in nostris aedibus 18 Julij, 1580.

madalena.

† Reuerendo admodum in Christo Patri Euerardo Mercuriano, Societatis Jesu Praeposito generali, et Patri spirituali. Romae.

Dubitari non potest, quin Canisius Oeniponte, unde has litteras suas ad Mercurianum dedit, Hoffaeum provincialem pro suo „socii provincialis" officio in illius collegii visitatione adiuverit. De qua *Hoffaeus* Oeniponte 6. Augusti 1580 Mercuriano * scripsit: „Per Christi gratiam expediui visitationem huius Collegij Oenipontani et

a) eiusdi *Can.* b) tua *Can.*

[1] Sic in fine quoque huius versionis, quamquam litteris germanicis dies 15. Iulii ascriptus est.

[2] Litterae germanicae habent: „jch hab . . . den Stifft Brief geuertigt, vnnd jn Originali vilgemeltem Herrn Prouincial zuegestelt vnd vberantwurt."

Halensis: igitur post paucos dies hinc discedam Monachium" (ex autogr.: Germ. 158 f. 236[a]).

Hae epistulae in Mercuriani manus non pervenerunt; is enim Kalendis Augustis a. 1580 Romae diem supremum obiit. Canisio autem 24. Augusti 1580 respondit Oliverius Manareus, Societatis vicarius generalis.

2062. GUILIELMUS V. Bavariae dux CANISIO.

Monachio (?) sub initium m. Augusti 1580.

Ex Canisii litteris archetypis, de quibus infra, ep. 2063.

Canisii operam petit ad novum catalogum librorum pravorum edendum etc.

Canisius Oeniponte 8. Augusti 1580 ad Guilielmum V. Bavariae ducem litteras dedit, ex quibus haec intelleguntur: Guilielmus paulo ante id tempus („nuper") Canisio epistulam misit, qua ei suum unius catholicae fidei in Bavaria conservandae et omnium haeresum ab ea depellendarum studium declarabat; inprimis autem Canisium certiorem faciebat, velle se „novum Catalogum malorum librorum" et nominatim „haereticorum qui sunt in Romano Indice praetermissi" (quia auctores illi post eius editionem scripserint etc), „conficiendum et edendum" curare atque „edicta simul et poenas proponere." Simul Guilielmus „Indicis" librorum prohibitorum „tridentini", a Pio IV. ex decreto concilii tridentini a. 1564 Romae promulgati, exemplum (quod ex iis fuisse existimo, quae a. 1569 Monachii excusa esse paulo infra dicetur) Canisio misit et ab eo petiit, ut ad novum illum Catalogum operam suam conferret. Praeterea eum certiorem fecisse videtur de praecepto Kalendis Augustis 1580 a se sive dato sive dando, quo ad unum omnes, ne clericis quidem exceptis, iubebantur, gravibus poenis propositis, statim haereticos, quos quisque haberet, libros parochis magistratibusque tradere, per hos „ad manus" ducis mittendos (Reusch, Index I 472). Fortasse ducis litteris commentarium quoque quoddam sive adumbratio novi illius Catalogi adiuncta est.

Addam aliqua, quae et ad Guilielmi consilia plenius cognoscenda utilia et ad Canisii responsum (quod proxime ponetur) intellegendum paene necessaria sunt. Albertus V. Guilielmi pater, cum a. 1565 libros haereticos proscripsisset et, unde libri sacri emi possent, statuisset, a. 1566 Monachii „Catalogum" edendum curavit librorum de rebus sacris scriptorum, quos per Bavariam vendi liceret. Eiusdem iussu ibidem a. 1569 excusi sunt uno volumine „Librorum" per Indicem tridentinum „prohibitorum. Itemque eorum ex quibus integra Bibliotheca catholica institui recte possit. Indices duo. Pro usu Monasteriorum in Bavaria editi". In institutione denique scholastica („Schul Ordnung") eodem anno Monachii germanice edita, qui libri in scholis latinis Bavariae usurpandi, qui ab iis arcendi essent, ducis auctoritate definiebatur (*Knöpfler*, Kelchbewegung 171—172; *Ios. Hilgers* S. J., Der Index der verbotenen Bücher, Freiburg i. Br. 1904, 544—545; cf. etiam *Can.* VI 275 683). Iam vero hae librorum leges, quantumvis bonae essent, aliqua habebant vitia, de quibus homines religiosiores — eius generis erant Guilielmus et Canisius — afflictari poterant. Ita a. 1566 bibliopolis praeceptum erat, ne libros de rebus sacris venderent nisi eos, qui excusi essent Monachii, Ingolstadii, Dilingae, Moguntiae, Coloniae, Friburgi Brisgoviae, Oeniponte, Parisiis, Lugduni, Venetiis, Romae, Florentiae, Bononiae, Antverpiae, Lovanii, in Hispania[1]. Anno deinde 1569 biblio-

[1] „Catalogus der Büecher vnnd Schrifften, vnser heilige Religion vnnd Geistliche sachen belangendt, welche im Landt zu Bayrn, offentlich fayl zuhaben vnd

thecarum praefecti monebantur, ut libros iis providerent ex Hispania, Italia, Belgio; ibi enim librorum edendorum corrigendorumque iudicium et censuram penes solos esse catholicos; item „posse tuto coemi libros, quos Sorbonici theologi regisque typographi Parisiis typis committerent"; in Germania autem „sincerioris editionis laudem habere Coloniam, Moguntiam, Ingolstadium, Dilingam"; reliquas imperii typographias minus esse securas (*Knöpfler* l. c. 171—173; *Reusch*, Der Index I 466—469; Die Indices etc. 331). Quod deinde ad librorum auctores attinet, in „Catalogo" *anni 1566 Ioannis Feri sive Wild († 1554) O. Min. Obs. „Postillae" libellique precatorii ac Georgii Vicelii sive Witzel „senioris" († 1573) libri polemici („Streitschrifften") homileticique („Postillen") planis verbis commendati erant; in „Indice" autem „selectissimorum auctorum, ex quibus integra bibliotheca catholica institui recte possit", a. 1569 cum Indice tridentino vulgato praeter alia nomina comparent nomina Feri, Conradi Clingii sive Kling O. Min. Conv. († 1556), Iacobi Schaepperi sive Schöpperi († 1554) parochi tremoniensis (Dortmund); eodem anno in „Schul Ordnung" magistris commendabatur, ut „in dialecticis, rhetoricis et phisicis" (praeter alia opera) libris Georgii Cassandri († 1566) uterentur (*Reusch*, Der Index I 468—472; Die Indices etc. l. c. 333—338; *Can.* VI 275). Verum, etsi Ferus et Clingius fideles ecclesiae filii fuerant et contionando ac scribendo plurimum pro ea laboraverant, in eorum tamen libros sive ipsorum sive aliorum, qui eos in lucem emiserant, vitio complura irrepserant, quae cum catholica de iustificatione et aliis rebus doctrina non omnino congruebant; id quod ab aliis iam viris doctis palam erat notatum; et commentariorum aliquot a Fero in libros sacrae Scripturae scriptorum editiones recognitae et „expurgatae" annis 1577 et 1578 Romae et Compluti excusae erant. Vicelius quoque et Cassander, viri doctissimi et diligentissimi, nimio pacis inter catholicos et protestantes conciliandae studio eo abrepti erant, ut complura scriberent, quae cum catholica fide vel disciplina pugnabant (*Hurter*, Nomenclator II³ 1434—1435, 1486 ad 1490; III³ 21—24 34—36; *Can.* I 365⁶ 369; VI 272 273; *Reusch*, Der Index I 561—563). Quare Cassander et a. 1559 in Indice Pauli IV., et a. 1564 in Indice Pii IV. collocatus erat in „prima classe" sive in numero eorum auctorum, quorum opera omnia prohibita essent (*Reusch*, Der Index I 361—362). In aliis quoque scriptoribus difficultates occurrebant; ita Schoepperi „Monomachia Davidis et Goliae" iam inde ab a. 1559 in Indice romano erat proscripta; et eius „Conciones" post ipsius mortem ab amico quodam editae (quarum versio germanica a. 1572 Coloniae vulgata est) in „Appendice" ad Indicem tridentinum Antverpiae a. 1570 auctoritate Philippi II. edita prohibitae erant, „donec corrigerentur", et in „Indice expurgatorio" ibidem a. 1571 excuso (cf. supra p. 423) prorsus erant proscriptae, „quia correctionem non admittunt" (*Reusch*, Der Index I 367; *Hartzheim*, Bibl. Colon. 153).

Etsi vero Canisius in litteris, quae proxime ponentur, has institutiones de libris bonis et malis a. 1563—1569 in Bavaria promulgatas planis verbis non commemorat, facile tamen, qui eius litteras legerit, deprehendet, eum id potissimum spectasse, ut illae emendarentur, amplificarentur, eorum temporum necessitatibus magis accommodarentur.

2063. CANISIUS **GUILIELMO V.** Bavariae duci.

Oeniponte 8. Augusti 1580.

Ex archetypo (2°; pp. 8; in p. 10 inscr.), quod exstat Monachii in illo archivo, quod „Staatsarchiv" (non „Reichsarchiv") vocatur, „Correspondenz der auswärtigen Residenten 1573—1600" Tom. II, f. 65—69. Canisius sua manu et nomen subscripsit et inscriptionem posuit. Litteris copiose usi sunt earumque partes ali-

---

zuuerkauffen, erlaubt seindt" (München 1566); iterum typis exscriptus per *Fr. H. Reusch*, Die Indices Librorum prohibitorum des sechzehnten Jahrhunderts, Tübingen 1866, 324—328 (Bibliothek des litterarischen Vereins in Stuttgart. CLXXVI).

quas sive latine sive germanice posuerunt *Reusch*, Der Index I 478—480, et (rectius) *Hilgers*, Index 203—204; *Reusch* autem (qui has litteras „sehr interessant" esse fatetur) perperam scripsit, eas 8. Augusti 1581 datas esse.

Gratulatur ei firmum haereses a Bavaria depellendi consilium. Respondet de rationibus pravorum librorum e medio tollendorum. Proponantur poenae graves. Dux cum episcopis censores constituat, qui bibliothecas purgent et bibliopolas inspiciant ac regant. Parochi populum moneant. Scripturae interpretationes aliique libri boni donentur iis, qui pravos libros attulerint. Novorum librorum tum bonorum tum malorum indices pro censoribus aliisque viris doctis componantur. Opera haud integre catholica, ut libri Cassandri, Vicelii, Feri, emendentur. Ne existimetur catholicos esse, quicumque catholicis locis excusi sunt, libros. Scribantur multi libri libellique probe catholici.

Pax Jesv Christi nobis aeterna.

Sereniss. Domine et Jllustriss. Princeps.

Jnter multos congratulantium greges, qui Sereniss. Celsitudini tuae ob nouam Bauariae administrationem susceptam secunda et felicia omnia comprecantur, accedo tandem et ego vt infimus, ita et postremus Theologorum summoque DEO bonorum omnium fonti singulares ago gratias, qui mentem tali nostro Patrono prorsus heroicam, vereque Catholico Principe dignam dederit ad ditionem hanc amplissimam rite gubernandam, Caeterum ex literis, quas eadem Celsitudo tua nuper ad me dare dignata est, non obscure cognoui, quanto studio et amore illius animus flagret de Ecclesia Catholica bene merendi, quodque inprimis exoptet, non nisi religionem vere orthodoxam ac sinceram fidei doctrinam in Bauaria conseruari atque propagari. Ac sapientissime quidem iudicat, tot hodie vigentium sectarum ac impiorum errorum pestes, quae omnem religionis Catholicae incolumitatem impediunt et opprimunt, ante omnia depelli, magnoque bonorum Principum zelo profligari opertere. Etenim nisi haereticis eorumque conatibus et scriptis obuiam eatur, fieri nunquam potest, vt vel Dei cultus pure in Ecclesia conseruetur, vel vna eademque fides et confessio Christiana in orbe passim vigeat, vel Reip. et Politiae tranquilla et firma sit administratio. Proinde Celsitudinem tuam Jllustriss. per Christum Dominum, eiusque sacrosanctum sanguinem obtestor et rogo, vt quemadmodum praeclare iam coepit, ita porro duce Christo pergat Catholicae religionis caussam sibi commendatam habere, et ea nihil antiquius ducere, tum in ea illustranda et propugnanda curam operamque maximam collocare. Huc vero pertinet sanctum illud consilium de libris haereticis e medio tollendis, nimirum vt a pessimo vereque serpentino veneno suam Bauariam vindicet, eamque in Catholica fide integram seruet. Ad quam rem dubium non est quin edicta publica et poenae graues propositae serioque exactae magnum momentum adferant, et hoc quidem tempore necessario adhibeantur.

Verum vt ego paulo fusius, quid hac de re sentiam, ex animo scribam, meque totum aperiam, eodem quoque conferet, vt arbitror, si cum vicinis Episcopis noua concordia ineatur, et ex vtriusque ordinis communi autoritate ante omnia decernatur, qua ratione prau

libri ex tota Bauaria tolli commodissime possint. Nam et Jndex librorum prohibitorum ad me missus diserte monet ac praecipit, vt authoritas et mandatum Episcoporum accedat, vbi Catholici Theologi de prauis suspectisque libris suum iudicium ferent, sicut et vetus obtinet Ecclesiae consuetudo [1].

Conferet praeterea, si dictorum librorum inspectores siue Censores quam maxime idonei deligantur, et per varia Ducatus Bauarici oppida distribuantur, nimirum vt vnus saltem Monachij, alter Jngolstadij, tertius Straubingae, quartus Burckhausij [2], alijque plures, si reperiantur, alijs in locis constituantur, et illis praesertim in locis, in quibus solenniores nundinae quotannis ex more veteri celebrantur. Horum officium fore intelligo, vt ab Episcopo simul et Principe confirmati, simulque potestate bracchij secularis, vt vocant communiti, singularem gerant curam librorum et bibliothecarum, quas subinde inspicere, et quoties opus fuerit, malis libris reiectis expurgare possint ac debeant. Ex illorum authoritate pendebunt externi etiam Bibliopolae, qui nec libros, nec imagines, neque cantiones, nec picturas, aliaue id genus in Bauariam inuehere, vel clam palamue diuendere poterunt, nisi ad Censores ipsos prius accesserint, et post sedulum examen facultatem ab illis scripto consignatam acceperint, ad suas merces publice ac libere diuendendas. Adhaec Censorum erit proprium, dictis Bibliopolis denunciare, quam graues poenas daturi sint, si librum aliquem non Catholicum neque approbatum retinuerint, aut occulte vendiderint siue donauerint cuicunque. Qui Censores suum quoque, vt vocant, superintendentem habebunt, penes quem primaria sit potestas huius officij per se et alios administros obeundi, et qui suos oculos in totam Bauariam conuersos teneat, vt haereticorum conatus, artes et fraudes vbique locorum tanto facilius et cognoscantur et maturius dissipentur, ad quem denique Censores alij suas dubitationes atque difficultates incidentes varijs e locis referre ac scribere possint.

Conferet itidem, si parochi et Concionatores in Bauaria constituti, frequenter populum admoneant, quanti sit periculi Christianis, prauae doctrinae libros Ecclesiastica censura damnatos emere, legere, aut

---

[1] Haereticorum (qui non sint haeresiarchae) libri, „qui de religione non tractant, a Theologis Catholicis iussu Episcoporum, et Inquisitorum examinati, et approbati permittuntur“: Indicis Tridentini regula 2. „Libri illi, qui haereticorum auctorum opera interdum prodeunt, in quibus nulla, aut pauca de suo apponunt, sed aliorum dicta colligunt, cuiusmodi sunt Lexica, Concordantiae, Apophthegmata, Similitudines, Indices, et huiusmodi, si quae habeant admixta, quae expurgatione indigeant, illis Episcopi, et Inquisitores una cum Theologorum Catholicorum consilio sublatis, aut emendatis, permittantur“: Regula 5. Cum libri aliaeve scripturae imprimendae sunt, „ad Episcopum, uel alium habentem scientiam libri, uel scripturae imprimendae, ab eodem Episcopo deputandum, ac Inquisitorem haereticae prauitatis eius Ciuitatis, uel dioecesis, in qua impressio fiet, eius approbatio et examen pertineat“: Regula 10 (*Index* Librorum prohibitorum, cum regulis confectis per Patres a Tridentina Synodo delectos. Mutinae a. 1572, f. 25ᵃ—27ᵃ 28ᵇ).

[2] Burghausen, oppidum Bavariae superioris.

retinere; in his enim latere virus pestilentissimum, quod nisi reijciant, vel ad spirituales medicos iudicandum offerant[a] [?], sese in Deum Deique Vicarios peccare grauiter, et in vtriusque ordinis Ecclesiastici et politici indignationem et poenas non leues incidere, sed neque absolutionis beneficium in poenitentiae Sacramento consequi posse. Quod si fortasse Parochi et Concionatores erunt simpliciores, quam vt de libris sibi oblatis certum iudicium ferre possint, ad vicinos saltem Censores siue Theologos doctiores confugiant, vt ex horum consilio respondere, ac de libris ipsis recte pronunciare possint.

Juuabit insuper, ad vetus fermentum[1], quod multos corrumpit, et in prauis libris haeret, e Bauaria profligandum, si pecunia quaedam e mulctis aut aliunde corrasa, in eum conuertatur vsum, vt libri nonnulli, praesertim precatorij, Catechistici, et quaedam scripturae partes vel interpretationes coëmantur, et colligati Codices donentur dictis Censoribus ac Parochis · Etenim ex his libris aliquos consultum erit donare ac gratis distribuere inter plebaeios, qui prauos libros offerent[b] [?], ac velut putres merces relinquent. Nisi enim eiusmodi liberalitas quaedam accedat, vix vlla spes concipi potest, plaerosque libris quamlibet pestilentibus renunciaturos, cum alios nullos substitui, sibique non reddi meliores animaduertent. Tam tenere sua quisque amat, quibus multum assueuit, vt illa sibi eripi aegerrime patiatur.

Juuabit denique, potestatem vendendorum in Bauaria librorum non omnibus, sed peculiaribus et ad hoc munus deputatis bonae fidei bibliopolis concedere, qui quidem et ducali Priuilegio muniri, et certo iuramento adstringi poterunt, ne libros vnquam alios, nisi sincere Catholicos et a Censoribus approbatos, in Bauariam inuehant, atque in toto Ducatu isto diuendant[c]. Certe circumferaneis[d] [?] bibliopolis tuto fidere non possumus, quod vel sint haeretici, vel ad rem suam adeo attenti, vt propter quaestum nihil non fingant, caelent ac tentent, parum[e] soliciti de religione.

Haec ego pluribus persequor, vt ostendam non mihi videri satis, quod ad pestes malorum librorum a Bauaris arcendas Catalogus quidam conficiatur, et edicta simul et poenae cum autoritate publice[f] [?] proponantur. Quare visum est plura media et remedia quae huc referri possent, in medium adferre, nec solum de libris malis in posterum non vendendis agere, sed et rationem ostendere, vt praeclara haec prouincia, quam iam pridem venenatis ac pestiferis libris abundat, eosque in aedibus reconditos seruat, hoc teterrimo toxico liberetur. Jam vero quod ad nouum Catalogum haereticorum qui sunt in Romano Indice praetermissi[2], attinet, est[g] difficile illum conficere ac edere.

a) *Sic; sed puto Canisium dicere voluisse:* afferant. b) *Sic; corrigendumne:* afferent? *Vide supra, adnot. a.* c) diuentant *archet.* d) *Sic; corrigendumne esse videtur:* circumforaneis. e) *Ita in archetypo ipso correctum est ex* nihil fere. f) *Sic; corrigendumne:* publica? g) non est *archet.*: *sed* non *oblitterandum esse patet ex verbis proxime sequentibus; Reusch l. c. 479*[1]: wie der Zusammenhang zeigt, offenbar verschrieben.

[1] 1 Cor 5, 7 8. [2] Vide supra p. 548—549.

Constat enim, Mercatum Francfordiensem[1], velut alteram Aphricam, noui aliquid monstri semper afferre[2], et nouos tum autores tum libros haereticos per totam spargere Germaniam, vt eorum nomina neque definito numero, neque certo Jndice facile possint compraehendi. Jdem vero de Catholicis libris iudicare licet, qui subinde noui ac noui prodeunt, atque ad vniuersalem Catalogum vix referri possunt, inter quos etiam libri posteriores ac omnino recentes editione non raro priores alios excellunt, eisque anteponi merentur. Quocirca non adeo referre arbitror, vt eiusmodi librorum Jndex in vulgi gratiam excudatur, nisi illum ipsum singulis fere annis renouare, et nouis semper adiectis nominibus augere velimus. Satis forte fuerit, vtrumque Jndicem tum haereticorum tum Catholicorum librorum sic edi, vt vsus eius maxime versetur penes dictos Censores et doctiores ac alios, qui suas Bibliothecas probatis vereque Catholicis libris instruere ac illustrare contendunt. Optarim vero, in his rebus moderationem illam afferri, vt Magistratus seipsum non necessaria inuidia liberet, ac aliorum etiam offensionem euitet hoc tempore, quo crabrones irritare non attinet. Bauariae interim modis omnibus consulamus; rem vero ipsam qua fieri potest cautione et prudentia maxima conficiamus.

Vbi nec tacere possum nec debeo, scriptores quosdam huius temporis Catholicos nominari, eorumque libros in precio haberi, et Catholico nomine vulgo celebrari, sed qui reuera et integre Catholici non sunt. Loquor de Georgio Wicelio, Conrado Clingio, Joanne Fero, Jacobo Schöppero, Georgio Cassandro[a][3], vt alios id genus plures praetermittam. Etenim si horum scripta quae extant, legitime ponderentur, ac praesertim ad Sacri Concilij Tridentini normam, vereque solidam Theologiae regulam excutiantur; etiamsi maiore quidem ex parte doctrinam Catholicam tradant atque tueantur[4], tamen, si verum fatendum est, nonnunquam in fide sana, et catholica religione claudicant, ac lima et praecisione quadam indigent, vt sine offensione tuto legantur, et lectoribus pariant aedificationem. Jdem ego de quibusdam libellis precatorijs dixerim, qui sine spiritu Ecclesiae conscripti ac editi circumferuntur, ac occultis haereticorum artibus et fraudibus ita deprauati sunt, vt nomen Catholicum non mereantur, quantumuis modo a catholicis vsurpentur[5]. Nec dici a quoquam facile potest, quousque progressa sit procax et insana haeresis, quae nobis et libros

a) *Verba* Loquor de *et quae sequuntur, usque ad* Cassandro *incl., linea subducta notata sunt.*

---

[1] Francofurti ad Moenum quotannis librorum mercatus vere et autumno per quindenos dies habebatur.

[2] De hoc Graecorum proverbio v. *Can.* V 19[5].

[3] De his omnibus vide supra p. 549.

[4] Ita *Canisius* in Opere Mariano (l. 5, c. 5) de Vicelio scribit: „Extat Georgij Wizelij confessio, qui pro Catholica veritate non pauca cum laude scripsit, ac ingenue profitetur“ etc.: Alter Tomus Commentariorum de Verbi Dei corruptelis, Ingolstadii 1583, 623.

[5] Cf. *Can.* IV 994.

et sacra fere omnia vitiauit non sine magno quidem ecclesiae Catholicae detrimento, certoque periculo conscienciarum[a] [?].

Jam vero haeret apud me dubium, expediatne in vniuersum, vt libri Catholici censeantur, qui Catholicis in locis siue Tipographijs extant editi?[1] Video enim quaedam Coloniae, Lugduni, Moguntiae, id est in Catholicis vrbibus excusa prostare, quae a Catholicis tamen probari minime possint, sed damnari potius mereantur. Fit hoc fortasse vitio Tipographorum, qui vel inscijs Magistratibus Catholicis ea licenter excudunt, quae ad suum commodum facere putant. Quare non satis tutum est catholicos libros ex eo aestimare, quod Catholicis in locis excusi sint, quemadmodum neque statim haereticum iudicabimus, quicquid ab haereticis et in eorum vrbibus editum cernimus, ne alioquin Patrum veneranda scripta etiam damnare cogamur[2]. Verumenimuero ne longior esse pergam, tria quaedam hic maxime et summatim obseruanda putarim. Primum est, vt librarium hoc negotium non tam ad certas leges publice proponendas, quam ad fidos rei tam sanctae procuratores et executores, et inprimis ad idoneos librorum Censores quos diximus, referatur. Qui Censores Episcoporum et Magistratuum authoritate muniti, de re tota bene ac vtiliter transigenda consultent ac statuant, illudque praecipue curent, vt non modo libri noui et praui in posterum apud Bauaros locum nullum habeant, verum etiam vt quaecunque scripta Catholicis obesse possunt, et in priuatis aedibus passim latitant, multosque animos haud dubie vitiant, quoad eius fieri potest, velut certae pestes in[b] [?] Bavaria exterminentur. Qua in re, ni plane fallar, praesens Censorum vigilantia, inspectio, et integritas, si suum officium faciant, et a Magistratibus adiuuentur, non minus sane quam legum et poenarum proposita seueritas Bauariae commodabit.

Alterum est, quod magni etiam momenti esse videtur, nimirum vt Jllustrissima Celsitudo tua non sat habeat ditionem suam malis libris velut noxijs humoribus liberare, sed velut optimum patremfamilias decet, bonis etiam, vereque Catholicis libris, perinde ac salutaribus pharmacis, eandem Bauariam instruere ac promouere dignetur. Parum enim profuerit adulterinam monetam e medio tollere, nisi alia sincera et probata substituatur, vt ciues omnes hac adiuti in officio esse possint, et status reip. suum progressum habeat. Jta certe comparatum esse natura videmus, vt plaerique nouis rebus et libris vel maxime delectentur, et ob nouitatis gratiam multi codices emi ac legi consueuerunt[c] [?].

a) *Sic; corrigendum esse videtur:* conscientiarum. b) *Corrigendumne* ex? c) *Corrigendumne* consueuerint?

[1] Hoc libros aestimandi et discernendi praeceptum Bavaris in mandatis indicibusque a. 1565—1569 Alberti V. auctoritate vulgatis traditum erat: v. supra p 548.

[2] In „Indice selectissimorum auctorum" Monachii a. 1569 edito (v. supra p. 549) affirmatur; „Constat jam, et constabit posteritati magis (sed non absque gravi incommodo), quae damna dederit unica Basilea in depravandis mutilandisque priscis ecclesiae doctoribus" (*Reusch*, Die Indices etc. 331).

Quocirca Jllust. C. T. non modo de Bauaria sua, sed etiam de tota Germania optime quidem merebitur, si tum autoritate tum liberalitate sua huc excitet eruditos, vt non modo magnis, sed paruis quoque libris pie conscribendis et edendis dent operam, et subinde noua euulgent opera, quae Catholicam religionem illustrent atque confirment. Quo in genere tanto magis ac iustius Jngolstadienses ac Monachienses Theologi, vt Lautherius, Vngerus, Francus[1], alijque plures laborabunt, quanto diligentius contendunt aduersarij, nullis laboribus aut sumptibus parcentes, vt suam sectam prouehant, ac seductum populum in veteri Lutheranismo confirment.

Postremo etiam atque etiam precor Jllust. C. T. vt quos dixi, scriptores Catholici nominis claudicare, ac fermenti aliquid suis libris admiscere, eos ipsos doctis quibusdam expurgandos, planeque recognoscendos pro sua pietate committat. Horum enim scripta in manibus Bauarorum versantur, tantoque periculosius, quanto cupidius et incautius a vulgo leguntur. Expúrgati vero illi autores magno cum multorum fructu Jngolstadij possent excudi, totaque posteritas idcirco C. T. Jllustrissimam praedicaret. Quod si ego diutius quam par sit, in hisce tractandis immoror, spero equidem et confido prorsus, me huius prolixitatis veniam facile impetraturum, qui Bauariae Ecclesiaeque iuuandae studio hunc qualemcunque in scribendo laborem suscepi, a tali praesertim tantoque Principe et Patrono prouocatus. Eidem a Deo Opt. Max. precor, semperque precabor in omni virtute ac pietate constantem animum, et singularem in gubernando felicitatem. Oeniponti 8. Augusti. Anno Domini 1580.

Serenissimae Celsit. tuae

Seruus in Christo
Petrus Canisius.

† Sereniss. Domino et Jllustriss. Principi, D. Guilhelmo Palatino Rheni, vtriusque Bauariae Duci, et clementiss. Patrono. Ad manus proprias.

Guilielmus V. huic litterarum inscriptioni sua manu ascripsit: „Vendt zu refferirn“; iussit igitur illas cum Erasmo Vendt (Fend) secretario suo communicari, ut is, quid de iis sentiret, dicere posset.

Canisius hunc scribendi laborem non suscepit frustra. *Felicianus* enim *Ninguarda* O. Pr. episcopus scalensis et apostolicus per Germaniam superiorem nuntius

[1] De Georgio Lautherio (Lauter) vide *Can.* VI 501[4] et *A. M. Kobolt,* Baierisches Gelehrten-Lexikon. Landshut 1795, 397; de Caspare Franco (Franck) *Can.* VI 563[1] et *N. Paulus,* Caspar Franck in „Historisch-politische Blätter“ cxxiv 545—557 617—627: Albertus Hungerus (Hunger) Kelhemio (Kelheim, Bavariae inferioris oppidum) ortus (1545—1604) per tres annos Romae in collegio germanico litteris studuit. Is factus est canonicus eystadianus et passaviensis et consiliarius ducis Bavariae: maxime autem de universitate ingolstadiensi meritus est, ubi per aliquot annos philosophiam, deinde 18 annos theologiam scholasticam tradidit et fere 26 annos universitatis inspectorem et vicecancellarium egit, vir et doctrina, et eloquentia, et pietate insignis (*Steinhuber* l. c. I[2] 78; *Hurter,* Nomenclator III[3] 443 ad 444: *Mederer* l. c. I 302 319: II 102 177—179).

a. 1582 Monachii tridentinum librorum prohibitorum Indicem eumque 300 fere auctorum, qui post concilium tridentinum scripserunt, nominibus auctum una cum mandato 20. Decembris 1581 dato vulgavit, quo omnes, qui eiusmodi libros haberent, eos viris a nuntio et duce ad id delectis tradere iubebantur; si qui autem id detrectarent, eos et eo ipso excommunicationis poena teneri et praeterea aliis poenis gravibus affectum iri. Deinde idem *Ninguarda* Monachio Kalendis Maiis 1582 novum dedit mandatum; quo edicebat: Se Guilielmi ducis suasu Antonio Welzero ecclesiae Beatae Mariae Virginis monacensis „canonico presbytero" et ducis consiliario commisisse, ut, adiuncto sibi in singulis dioecesibus socio „uno per Episcopum deputando", per omnem Bavariam libros prohibitos „inquireret et amoveret", „tam apud Ecclesiasticos, etiam regulares, et quovis modo exemptos, quam apud saeculares etiam nobiles"; item Welzero eiusque adiutoribus mandabat: „In Patrum et aliorum scriptorum Catholicorum libris in locis haereticis impressis deleatur nomen Typographi, si fuit haereticus, dum imprimerentur, et loci, ubi sunt impressi; annotationes ab haereticis appositae et quovis modo suspectae deleantur"; libri quoque haereticorum „ad res fidei minime pertinentes" per „commissarios" aliosque certis rationibus expurgentur; germanici Sacrae Scripturae et controversiarum libri, si catholici erunt, permittantur „data in scriptis legendi licentia". „De libris, quorum approbatio commissa est Ordinariis, moneantur Episcopi, ut per suos ad praescriptum regularum editarum in Concilio Tridentino rem hanc quam primum executioni mandent" (*Theiner*, Ann. III, in a. 1582 n. XVI; *Hilgers* l. c. 205; *Reusch*, Der Index I 473 478).

Quod autem Canisius Feri, Clingii, Vicelii, Schoepperi, Cassandri libros integre catholicos esse negabat, id pontificiis decretis postea ex parte confirmatum est; nam Clemens VIII. in Indice a. 1596 edito et Clingii opera, et libros Feri, paucis exceptis, prohibuit, „donec expurgarentur" vel „emendarentur"; et iam anno 1590 in Indice Sixti V. (qui tamen vim legis nunquam habuit) prohibiti erant libri illi Schoepperi (v. supra p. 549); ex Georgii Vicelii autem operibus ea, quae scripserat, antequam ecclesiae reconciliatus erat, omnino, reliqua, quoad „recognita" essent, in eodem Indice proscripta erant; attamen Clemens VIII. a. 1596 haec oblitteravit, sola Monomachia Schoepperi excepta (*Can.* VI 272[2] 273[3]; *Reusch* l. c. I 567); neque vero de Cassandri libris, qui iam olim omnes prohibiti erant, temperatio ulla facienda esse Clementi VIII. videbatur; et cum postea Parisiis Cassandri „Opera omnia" in unum corpus essent collecta, haec a sacra Congregatione Indicis 23. Februarii 1617 nominatim prohibita sunt; quae prohibitio in „Indice" quoque a *Leone XIII.* a. 1900 recognito posita est (*Index* Librorum prohibitorum, Romae 1900, 79; *Hilgers* l. c. 94 420).

Cum Canisii desideriis atque consiliis in hac epistula declaratis congruebat etiam, magnam saltem partem, ille „Index novus librorum imprimis catholicorum theologorum aliorumque celebrium auctorum quarumcunque facultatum" etc., quem *Valentinus Leucht*, Sedis apostolicae „librorum revisor" et caesaris nuntiique apostolici „in re libraria commissarius" († 1618), a. 1606 Moguntiae „ex speciali mandato" edidit; in quo 389 libri (et in his 93 theologici) comparent, „quorum lectio ubique permittitur"; atque similes Indices postea quoque Moguntiae et Francofurti et (ab a. 1625) Monachii editi sunt (*Hilgers* l. c. 545—547; *Reusch*, Der Index I 479[2]).

Valde cordi erat Guilielmo V. id, quod Canisius eum monuerat: Curaret, ut „eruditi" ad catholicam religionem illustrandam et defendendam libros non solum magnos, sed etiam parvos vulgarent. Ita a. 1582 Hungerus suum de fide S. Athanasii et consensu theologiae Lutheri cum philosophia Epicuri opus et Francus „Rettung und Erklärung des tridentinischen Concils" adversus Chemnitium ediderunt; alios quoque libros apologeticos polemicosque Francus vel latine vel germanice composuit; multi etiam alii universitatis ingolstadiensis professores proximis post a. 1580 decenniis libros et latinos et germanicos, quibus historia religionis christianae, sacri canones, liturgia ecclesiastica illustrabantur et imprimis fides catholica contra protestantismum defendebatur, ediderunt: velut Henricus Canisius, Iacobus Gretser, Sebastianus Heiss, Petrus Stevart, Adamus Tanner, alii. Omnium quoque prima

editio praeclararum illarum „Disputationum de Controversiis Christianae fidei" a Roberto Bellarmino S. J. scriptarum facta est Ingolstadii a. 1586—1593. Monachii autem Albertus Albertinus, Guilielmi scriba et secretarius aulicus, multos libellos composuit fovendae apud populum pietati admodum accommodatos; et Canisius ipse, etsi ab exeunte a 1580 usque ad mortem procul a Bavaria apud Helvetios vivebat, Bavarorum rem litterariam iuvare numquam desistebat; ita a. 1583 Ingolstadii suorum „Commentariorum de Verbi Dei corruptelis" editionem alteram eamque valde amplificatam, annis 1587 et 1588 ibidem suum „Manuale Catholicorum" et „Catholisch Handtbüchlein", a. 1594 ibidem et Monachii suum „Miserere, Gebettsweiß außgeleggt" in lucem emisit. Ingolstadium et Monachium eo tempore arces quaedam fidei catholicae evaserunt munitissimae.

Guilielmus V. Canisio respondit medio vel exeunte (ut videtur) Augusto 1580.

2064. IOANNES DELPHINUS episcopus brixiensis et nuntius apostolicus CANISIO. Oeniponte paulo post medium m. Augustum 1580.

Ex Delphini ad cardinalem Comensem litteris archetypis, quae sunt Romae in archivo vaticano, „Nunz. di Germ. 75", Respons. p. 1—4, et ex Canisii epistula autographa, de qua infra, ep. 2072.

Praefatio editoris: Rudolphus II. imperator turbarum belgicarum sedandarum causa (v. supra p. 461) Norimbergae conventum principum electorum imperii habere statuit; qua re cognita *Gregorius XIII.* Roma 30. Iulii 1580 Iacobo ab Eltz archiepiscopo electorique treverensi scripsit: Timere se, ne in eo conventu „haeretici aliquid adversus Catholicam Religionem moliri vellent"; propterea praeter Horatium Malaspinam apostolicae sedis in aula caesaris nuntium singulari legatione illuc a se mitti Ioannem Delphinum (*Theiner*, Ann. III. in a. 1580 n. LXXXIV). Ioannes Delfino sive — Venetorum lingua — Dolfino (1528—1584), patricius venetus ex episcopatu torcellano (Torcello prope Venetias), quem 1563 regendum susceperat, ad brixiensem (Brescia) a. 1579 translatus (*Schwarz*, Akten I 176—177). Canisium, si non ante, certe a. 1576 in comitiis imperii ratisbonensibus noverat; nuntium enim apostolicum apud imperatorem a. 1571—1578 egerat (*Hansen*, Nunt. I, 10; et v. supra p. 354). De eo *Oliverius Manareus* vicarius generalis Societatis Roma 24. Augusti 1580 in *litteris Halam ad P. Paulum Hoffaeum Germaniae superioris provincialem missis scripsit: „Significauit nobis summus Pont. se iam Episcopo Brixiensi qui eius Legatus Norimbergam proficiscitur ad conuentum, concessisse ut unus e nostris theologus et uir prudens illum comitetur, eique assistat · omnino ita eius expressa uoluntas fuit, praesertim cum iam etiam promisisset, ut resistere non potuerimus. Quare Reuerentia V. cogitabit ex tota prouincia quem habeat aptissimum ad hoc munus, eumque mittet quam primum · iam enim audio Episcopum Brixia discessisse.... Quicumque autem fuerit, eum Reuerentia V. instruet in omnibus quomodo se in eo loco gerere debeat" (ex comm.; Rh. Inf. 1, II f. 46[b]). Delphino autem *Ptolemaeus* cardinalis *Comensis* pontificis nomine Roma 27. Augusti 1580 *scripsit: „Si è fatto scriuere in Augusta da questi Superiori de' Giesuiti, che si accommodi V. S. d' uno de loro Padri qual le piacerà per questo seruizio del Conuento. Onde non faranno difficoltà intorno à ciò". A Delphino igitur, inquit *Hoffaeus* Monachio 27. Augusti 1580 Manareo *scribens, „P. Petrus Canisius postulatus est, vt secum ad Comitia Norinbergensia abiret: annuj" (ex autogr.; Germ. 158 f. 258[a]).

Iubet Canisium statim Norimbergam ad conventum venire.

Ita Ioannes Delphinus Augusta Vindelicorum 25. Augusti 1580 cardinali Comensi scripsit: „D' Ispruch per huomo à posta scrissi al Padre Canisio à Monaco, che di là per auanzare tempo, s' incaminasse subito à Norimbergo, ch'io l' haueria rimborsato per la spesa." Has litteras Canisius significavit, cum Augusta Vindelicorum circa finem m. Sep-

tembris 1580 Manareo scriberet: „Jllud scire optarim, quid uni nostrorum sit faciundum, cum exempli gratia, literis Nuntij Apostolici Delphini . . . ad Nurembergensem conuentum Principum euocatur. Ait sic visum esse Pont. Max. nullas uero aut eiusdem Pont. aut superiorum literas ad me datas ostendit" etc.

2065. OLIVERIUS MANAREUS vicarius generalis Societatis Iesu CANISIO. Roma 24. Augusti 1580.

Ex commentario; in capite, eadem manu: „Oeniponti P. Petro Canisio". Rh. Inf. 1, II f. 46[a].

Mors praepositi generalis. Placent, quae cum Magdalena regina acta sunt, nec tamen ea confirmandi potestas est. Gomolinskius. Crusius. Parchingius.

Credo iam ad Reuerentiae V. aures peruenisse Patris Nostri P. Generalis[1] felicem in Domino obitum, de quo ante quindecim ferme dies scripsi ad P. Prouincialem[2]. Fuit sane id nobis admodum molestum et graue, qui eius uirtutem, ac probitatem adhuc Societati ualde necessariam esse sentiebamus: sed tamen quando ita Domino placuit, sit nomen eius benedictum[3]. Orandus tantum est Dominus ut nobis alium talem patrem reddere dignetur[a], et ego Reuerentiam V. nominatim ualde rogo ut toto hoc tempore quo isto munere indignus fungar, quotidie me Domino suis precibus ac sacrificijs commendare uelit.

Nunc respondebo Reuerentiae V. literis quas scripserat ad N. P. 26 Julij.

De negotio Reginae, ut ipsimet rescripsi[4], nihil per nos effici potest quia Vicarius nullam alienationem facere potest[5]: illud tamen affirmaui, et mihi factum placuisse, neque dubium esse quin Generalis quincunque futurus sit, approbaturus sit. Reuerentiae V. erit, uel Patris Prouincialis eam consolari, et orare ut tantillum morae quam necessitas affert, aequi bonique consulat. Neque ipsam puto in ea re duriorem fore, quando uideat facultatem nobis deesse[b], atque etiam si quid facere uellemus, ratum et fixum non esse. Nos etiam ad eam scripsimus epistolam ut P. Prouincialis et Reuerentia V. admonuerat blandam.

De Andrea[6] Polono etsi prouinciae isti bene cupio, tamen ut P. Prouinciali respondi, non puto me quicquam mutare posse de

a) *Sequuntur vv.* qui nos, *oblitterata.* b) *Sequitur* et si quid fac, *oblitt.*

[1] Mercuriani; v. supra p. 548. Labitur *Feller* (l. c. II 128 132), cum Mercuriano mortuo Claudium Aquavivam vicarium generalem constitutum esse existimat.

[2] Hoffaeum.

[3] Ps 71, 17; cf. Ib 1, 21; Ps 112, 2; Dn 2, 20 etc.

[4] De Manarei ad Magdalenam litteris vide, quae sub ipsam hanc epistulam dicentur.

[5] In „*Officio* Vicarii Generalis" a tertia Societatis congregatione generali (a. 1573) approbato cavetur (n. 11), ne ille quicquam constituere possit „in alienandis bonis stabilibus Societatis, nisi res sit in evidentem utilitatem et necessaria, quae moram non patiatur" (*Institutum* S. J. II 244).

[6] Gomoliński S. J.; v. supra p. 543[5].

eo quod non solum P. Generalis uoluerat, sed etiam promiserat, et iusserat[1].

De P. Crusio placet, sed cum P. Bonauentura[2] mutari nunc non possit, et Venetijs spes sit externum fortasse sacerdotem missum iri[3], satius duximus expectari Congregationem quo tempore P. Prouincialis secure eum reducere poterit.

De Patre Christophoro[4] Anglo equidem aliquamdiu cogitaui quo modo uobis obsequi possem. Ac si P. Nostri consilium exitum habere potuisset, ut hic Romae usui esset[a], iam uos extra molestiam essetis: Verum cum is aërem hunc perpeti non potuerit[b], quouis eum mittamus, multo maiorem conquerendi causam habebunt quam[c] ista prouincia quae eo tamen[d] aliquamdiu utcunque usa est.

Haec ad eius literas extra quas quia aliud quod scribam non occurrit finem faciam commendans me Reuerentiae V. *etc.* Romae 24 Aug. 1580.

Eodem die *Manareus* Hoffaeo provinciali ad litteras 16. Iulii ad Mercurianum datas haec, praeter alia, *rescripsit: „Gauisi sumus, molestum illud negotium Halensis fundationis finem accepisse, atque etiam e multis quae Regina petebat nobis prorsus incommoda et absurda, tandem Reuerentiae V. diligenti ac prudenti opera redactam rem ad hortum solum. Cui pactioni libenter statim assentirer, si liceret.... Hoc scribo ipsi Reginae, literis quemadmodum quidem uoluimus ad Reuerentiae V. mentem confectis, quarum exemplum mittimus. Eas si Reuerentia V. probarit uel ipsa uel per P. Canisium Reginae reddet ipsamque docebit non posse in praesenti aliud fieri per Constitutiones · sed secura sit nihil dubitationis fore." Hae ad Magdalenam reginam *litterae et ipsae Roma 24. Augusti 1580 datae sunt: quae hic poni debere visae sunt, quia — id quod infra (ep. 2072) magis patebit — Canisius cum Hoffaeo censuit eas Magdalenae non esse reddendas. Sic igitur *Manareus:* „Redditae sunt nobis Serenitatis V. literae quas ad Patrem N. Generalem piae mem: scribebat super negotio Collegij simulque etiam accepimus literas P. Hoffei Prouincialis et aliorum quorundam patrum, quae omnes egregiam Serenitatis V. pietatem, atque erga nos beneuolentiam mirifice commendabant. Sed cum ita Domino placitum esset, ut antea paulo quam eae literae peruenirent bonus Pater Noster P. Generalis cum nostro magno moerore ad alteram transiret uitam, et ego ei pro hoc tempore uicarius substituerer, ante omnia hoc Serenitati Vestrae affirmare ac contestari uolui, quod mihi pro ea familiaritate quam cum eo habui certissimum et compertissimum est, eam semper Patris nostri uoluntatem ac mentem fuisse, ut Serenitati V. obsequeretur, neque magis unquam optasse quidpiam quam ut uel quae Serenitati V. petere uisum esset, uel ipsi in mentem uenisset ad illius commodum aut consolationem pertinere de ijs omnibus Serenitati V. gratificaretur. Huius ego ut dixi testis optimus sum; neque eum aliud quicquam unquam remorabatur quam quod institutis nostris, aut legibus repugnare animaduerteret, siue quod id salua conscientia non posset, siue quoniam ita sibi persuaserat id ipsum uelle Serenitatem V. tanquam optimam patronam et matrem nostram, idque etiam ad

a) *Sic correctum est ex* esse posset. b) *Corr. ex* posset. c) *Sequitur* Germania, *oblitt.* d) *Hoc v. supra versum scriptum est.*

[1] Vicarius generalis in „*Officio*", quod dixi, (n. 7 8) „ad spiritum et sensum Generalis demortui se componere, illiusque compertam voluntatem sequi" atque idcirco etiam iisdem „Praepositis, Rectoribus, Praefectis Probationum" etc., quibus ille utebatur, uti iubetur (*Institutum* l. c. 243).

[2] Paradinas. [3] Cf. supra p. 544. [4] Parchingio; v. supra p. 543[4].

populorum istorum pro quorum salute tantum Serenitas V. zelum ostenderat, spiritualia commoda pertinere, quo nos exactius instituta nostra, ac mores, spiritumque a maioribus praescripto, uel consuetudine traditum seruaremus. Quod cum Patri Nostro adeo cordi fuisse sciamus, hoc ego Serenitati V. polliceor ac spondeo et in me primum, et in nostris omnibus eundem semper animum desideriumque fore, omnesque semper omnem operam daturos, ut in nobis tot eius meritorum tamque eximiae benignitatis firmam ac constantem memoriam manere appareat· tantum Serenitatem V. oramus etsi sciamus necessarium non esse ut ipsa quoque quem hactenus erga nos animum habuit, eundem semper retineat, inque eo et nos deinceps magis sibi demereri, et maiorem sibi in coelo gloriam conficere pergat, quam ut ei cumulatam pro suis meritis Dominus reddat nostrum erit diligenter orare. Quod ad Collegij fundationem attinet eamque pactionem quam postremo inijt cum P. Hoffeo primum magnas ei gratias agimus pro ea accessione quam ex sua liberalitate ad priores census addidit, idque nos etiam magis obligabit, ut eam pro uiribus assidue Domino commendemus: deinde de horto, nos quidem quantum in nobis est approbamus ac factum admittimus. Verum cum nullam Vicarius facultatem habeat ad alienationes faciendas, propterea necessario expectandus est consensus futuri nostri Generalis quem quidem Deo fauente breui nos habituros confido[1] · illud uero quantum et ex alijs et praesertim ex horum patrum qui mecum sunt sententia conijcere potui Serenitatem V. dubitare nolo quin is quicunque fuerit libenter assensurus sit, ac proinde ne hac mora molestiam ullam capiat iam nunc pro facto habeat licet, itaque suas rationes instituat ac si iam consensum scripto firmatum et munitum teneret. Postremo illud etiam hac occasione non omittam a Serenitate V. petere ut cum haec ultima conuentio cum P. Hoffeo cum multa deliberatione inita sit, eam uelit deinceps perpetuam, atque immutabilem esse, quod idem non tam ad nostram quam ipsius animae consolationem et quietem pertinere intelligo. Quod superest nos semper Diuinam Maiestatem ex animo orabimus, ut Serenitatem V. pro suis in nos eximijs beneficijs et ueteribus, et his nouis quoniam nos non possumus, iustis praemijs afficiat, et primum in hac uita suis semper donis eam augeat, deinde in altera suae illam gloriae compotem aliquando faciat" (ex epistularum commentariis; Rh. Inf. 1, II f. 45).

Canisius Manareo respondit exeunte m. Septembri 1580.

2066. IOANNES DELPHINUS episcopus brixiensis et nuntius apostolicus CANISIO. Augusta Vindelicorum 24. vel 25. Augusti 1580.

Ex Delphini ad cardinalem Comensem litteris, de quibus supra, p. 557.

Canisium Augustam ad se venire iubet.

Delphinus Augusta Vindelicorum 25. Augusti 1580 Ptolemaeo cardinali Comensi scripsit: Se 24. Augusti advenisse Augustam; ibi se audivisse: Adamum de Dietrichstein supremum aulae caesareae praefectum ad patricium quendam augustanum litteras dedisse, in quibus haec essent nuntiata: Rudolphum II. imperatorem propter impedimenta quaedam initium conventus norimbergensis in diem 25. Septembris reiecisse. Cum autem, ait Delphinus, Oeniponte Canisio scripsissem, ut ilico Monachio Norimbergam veniret, „hauuti i sodetti auuisi hò ritrattato l'ordine, et scrittogli per huomo espresso, se pure arriuara in tempo, che uenga qui."

Paulus Hoffaeus provincialis Monachio 27. Augusti 1580 Oliverio Manareo vicario generali Societatis *scripsit: „Comitia reijciuntur in Octobrem: vbi interea

[1] Manareus congregationi generali, in qua is eligendus esset, incohandae diem 7. Februarii 1581 indixit (*Astrain* l. c. III 207).

haesurus sit Reuerendissimus Delphinus, ignoro". Et cum circa id tempus congregatio provincialis habenda esset ad duos Socios, qui cum provinciali novi praepositi generalis eligendi gratia Romam ituri essent, eligendos, *Hoffaeus* Monachio 11. Septembris 1580 Manareo *scripsit: „P. Canisius deputatus est vt cum Reuerendissimo Delphino Norimbergam se conferret. Verum cum Comitia dilata sint, haec causa fuit cur ad 14. huius, nostram Congregationem indixerim vt ei etiam P. Canisius interesse posset" (ex autographis; Germ. 158 f. 258[a] 280[b]).

2067. GUILIELMUS V. Bavariae dux CANISIO.

Monachio (?) medio vel exeunte (ut videtur) m. Augusto 1580.

Ex litterarum commentario ab aliquo ex Guilielmi consiliariis vel secretariis composito et ad eundem Guilielmum misso (2°; ½ p.; in pag. altera inscr. et reliquiae sig.), quod est Monachii in archivo reipublicae bavaricae, Jesuitica in genere Fasc. 19, n. 320, f. 3.

De libris haereticis eius consilia sequetur et nova consilia petit, nec sine nuntii apostolici auctoritate quicquam statuet.

Erwirdiger hochgelerter besonders Lieber, wir haben Eur schreiben der Sectischen Biecher halben wol empfangen [1], wissen vns also Denach zuerichten, Sollen euch daneben nit bergen[a] vnser mainung niemals dahin gestanden sein, das wir für vns selben one zue thuen der geistlichen obrikgait, solches ybl aussreiten[b] wöllen, sondern wöllen vns mit dem Nuncio Apostolico [2] innen wenig Tagen der execution halber vergleichen, vnd dann, als vil an vns ist, bej den sachen thuen.

Do euch mitlerweil noch mehr zue fiel das zue disem vnserem fürheben dienstlich, wolt vns dasselb one verzug zueschreiben, [das][c] wolten wir euch zuer antwort nit bergen.

In commentarii huius capite eadem manu scriptum est: „† Herrn Canisium nachfolgender massen zebeantworten"; in altera autem huius scripti pagina haec inscriptio eadem manu posita est: „Meinem genedigen Fürsten vnd herrn Hertzog Wilhelmen in Bayern etc. Zue Jr Fln. gn. aigen henden". Quibus verbis ipse, ut videtur, *Guilielmus* ascripsit: „Ain Anttwortt darnach zustellen". His denique verbis (manu tertia vel priore illa) subscriptum est: „ad Patrem Canisium". Cum autem constet, Guilielmum Canisii litteras cum Erasmo Vendt consiliario communicasse, ut is de iis sententiam dicere posset (v. supra p. 555), hoc commentarium ab eodem *Vendt* compositum esse censeo.

2068. CANISIUS IOANNI DELPHINO episcopo brixiensi et nuntio apostolico.

Monachio circa finem m. Augusti 1580.

Se, ut pontificis mandato pareat, paratum esse ad operam Norimbergae in conventu principum Delphino dicandam, si ab eo illuc accersatur. Vide litterarum a Canisio 20. Novembris 1580 ad Oliverium Manareum datarum caput secundum. Litterae enim ad Delphinum missae perisse videntur.

a) *Sequitur* Das, *oblitt.* b) *Ita correctum est (ut videtur) ex* ausbreiten *vel* ausspreiten.
c) *Hoc vel simile v. (*souil *?) videtur esse supplendum.*

---

[1] Vide supra p. 550. [2] Feliciano Ninguarda.

2069. IOANNES DELPHINUS episcopus brixiensis et nuntius apostolicus CANISIO. Augusta Vindelicorum circa initium m. Septembris 1580.

Ex Delphini ad cardinalem Comensem litteris archetypis, quae sunt Romae in archivo vaticano, „Nunz. di Germ. 75", Respons. p. 14—16, et ex Canisii epistula autographa, de qua infra, ep. 2072.

Canisium a se, quando Norimbergam ad conventum ire debeat, monitum iri.

Delphinus, cum conventu norimbergensi per Rudolphum II. in posterius tempus dilato Pragam ad eundem imperatorem profecturus esset, Augusta Vindelicorum 6. Septembris 1580 de Canisio, quem Norimbergae sibi adesse iusserat (v. supra p. 557), Romam ad Ptolemaeum cardinalem Comensem Gregorii XIII. in rebus constituendis praecipuum administrum haec rettulit: „Hò scritto al P. Canisio, che facendosi il Conuento, io l' auuisarò, accioche di Monaco, oue hora si truoua, possa uenire à Norimbergo; non mi parendo conueniente, finche stà in piedi questo dubbio, far' fare al pouero uecchio, 10 leghe, che tante sono di qui à Praga, et poi da Praga à Norimbergo altre .36. poiche di quà, ò da Monaco non ue ne sono più di .18." Et ipse Canisius Augusta sub finem m. Septembris 1580 Manareo vicario generali Societatis scripsit: Si conventus ille „procedat, admonuit me idem D. Nuntius, quod me illuc uelit accersere, suaque mecum conferre consilia, vt Pontifex illi praescripsit."

Delphino *responsum est a cardinali *Comensi* Roma 24. Septembris 1580: „Hà fatto bene à non dar tanto stracco al buon uecchio Canisio" (ex commentario vel apogr. eiusd. temp., quod est Romae in archivo vaticano, „Nunz. di Germ. 11" f. 176[a]). Iam vero die 20. Septembris 1580 *Delphinus* Praga ad Comensem *litteras dederat, in quibus eum monebat: „Per le mie d' Augusta hauerà inteso, che 'l Padre Canisio è pronto per uenire à Norimbergo, ne si mancarà d' auisarlo, quando sarà tempo, anchor che se potessimo essere sicuri, che non si douessi trattare di religione in questo Conuento, si potrebbe forse leuargli questa fatica, et per esser molto uecchio, et per non accrescere l' ombra che si prende qui d' ogni minima cosa; pure mi risoluerò con Monsignor Reuerendissimo Nuntio, appigliandomi à quello, che sara giudicato piu espediente" (ex archetypo, quod est in archivo vaticano, „Nunz. di Germ 75" Respons. p. 20—22). Neque necesse fuit, ut Delphinus cum Horatio Malaspina apostolico in aula caesarea nuntio — hunc enim significabat — ea de re multum deliberaret; nam *Hoffaeus* Monachio 19. vel 20. Septembris 1580 ad Manareum *scripsit: „De Comitijs Norimbergensibus plerique nihil sperant futuris". Et in iisdem litteris paulo infra: „Cum", inquit, „Comitia futura non sint, quaeso vt P. Sonhouius non mittatur" etc. (ex autogr.; Germ. 158 f. 293[a]). Reapse conventus illius habendi ratio tandem omissa est.

Constat Canisium 8. Augusti Oeniponte, circa medium autem Augustum et initio Septembris Monachii fuisse (v. supra p. 555 557 561); constat quoque Hoffaeum provincialem, visitatione collegii oenipontani circa d. 5. Augusti 1580 absoluta, inter 8. et 13. Augusti inde Monachium discessisse (ex litteris eius autographis Oeniponte 6. Augusti et Monachio 14. Augusti 1580 Romam missis: Germ. 158 f. 236[a] 241[a]). Quare valde probabile est, Canisium pro suo „socii provincialis" officio et ipsum eo tempore Monachium profectum esse ibique provinciali in collegio visitando operam praestitisse.

2070. CANISIUS **GERARDO, OTTONI, GISBERTO KANISS.** fratribus ex patre, noviomagis.

Augusta Vindelicorum 27. Septembris 1580.

Litteras hasce a Canisio non lingua, qua infra ponentur, sed lingua Germaniae superioris scriptas esse satis ex iis, quae supra p. 32 dicta sunt, certum est.

Postea illae in Germania inferiore sive Neerlandia in sermonem, quo Gelri (in qua provincia urbs Noviomagus sita est) fere sub exitum saeculi XVI. et priore parte saeculi XVII. utebantur, versa est. Praesto autem mihi erant tria apographa in foliis separatis exscripta ex uno quodam versionis illius gelricae exemplo antiquo (inter exitum saeculi XVI. et exitum saeculi XVII., nisi fallor, scripto) eoque si non mendose certe tam obscure scripto, ut complura in eo ab aliis aliter legantur; horum unum (A) a. 1892 scriptum est; quod ego sequar, quia omnino videtur accuratius exemplo antiquo accommodatum esse, quam reliqua; alterum (B), cui librarius ascripsit „Afschrift eener Copie van een brief van Beatus Petrus Canisius" etc., saeculo XIX. scriptum est idque haud multo post a. 1864, quo Canisius in „Beatorum" numerum ascitus est; tertium (C), cui librarius ascripsit: „Copie van een brief van den Ven. Petrus", eodem saeculo, ante annum illum 1864, haud multo tamen ante, scriptum est; atque C, etsi longe magis, quam A et B, ab antiquo illo sermone recedit, nonnumquam tamen utile est ad lectionem A adversus lectionem variantem B confirmandam. Ex B igitur et C, neglectis eorum interpunctionibus et aliis rebus minutioribus, velut differentia litterarum maiuscularum, quas vocamus, et minuscularum, lectiones variantes adiungam, id spectans, ut versionem ponam non talem, qualis ab ipso antiquo interprete facta est — hoc enim difficilius foret —, sed qualis scripta est ab antiquo illo librario, ex cuius scripto apographa ABC hausta sunt. Litterarum particulam (ex C, ut videtur) posuit *L. van Miert* S. J., Canisiana VIII, in „Studiën", Jaarg. 43, D. LXXV, 717—718.

Urbe Noviomago per Calvinianos oppressa fratribus solacium affert et animum. Quid faciendum sit Catholicis haereticorum imperio subiectis. Hi se in fide stabiliant antiqua, plurimis testimoniis confirmata, pietatis fructibus abundante. Solum vertant. Sin minus, ne ulla sit iis rerum sacrarum communio cum haereticis. Libris catholicis, sacramentis, precatione multum utantur. Ecclesiae fortiter oboediant neve tamen cum haereticis litigent.

†

Jesu Christi vnsers[a] lieffsten Heeren[b] gnad vnd freed, met mynen fruntlicken vnd bruiderlicken gruyt, altytt to foeren, Ghy lyue myne brudern[c] [?] weet v vael to[d] bedencken, woe ick vuyt rechte bruderlicken harten, met myns schryuens v alle insonderheit besoght, vnde vermaent hebben[e], die wyel ick voer Godt vnd die werelt my schuldich kenne, v vnde den vuen in desen tegenwaerdigen[f] aenstoet, vnd noet[1], niet to verlaeten, sonder meer in sulken lyden, v allen in den Heeren to[h] troesten vnd to steercken[i], So haep[k] ick dat ghy dit int goet[l] neemen sult van my, als vuen alsten geistelicken vnd lyfflicken bruder, wat ick tot vuen velfaert[m] hier aenteykenen will met rechtem[n] [?] ernst, wan[o] ghy alleen my geloeuet vnd volget, duer die genaed des almechtigen.

a) unsers *B C; eadem ratione, ut hoc semel dicam, loco litterae* v *ab antiquo scriptore in vocabulorum initiis pro* u *positae a scriptoribus B et C semper scribitur* u; *velut* und *pro* vnd. b) heere *B C.* c) brudren *B C.* d) te *B C.* e) hebbe *C.* f) tegenwardighen *B C.* h) te *B.* i) stercken *C.* k) hoep *B C; sed A habet:* haep [sic]. l) goed *C.* m) welfaert *C.* n) rechte *B;* recher *C.* o) wann *B.*

[1] In Gelria Calviniani, Ioanne Nassovio duce, catholicos vehementer vexabant; qui cum m. Iunio 1579 Ottonem Canisium Arnhemio exturbassent, is, ut videtur, Noviomagum, in urbem patriam, se recepit; cf. supra p. 506[2]. Iam 9. Septembris 1572 *Gerardus Busaeus* canonicus xantensis (Xanten) P. Hieronymo Natali scripserat: „Neque vlla ciuitas est tam odiosa Geusarum factioni atque Nouimagium" (Epp. *Nadal* IV 816).

Jn den irsten[a] so wetet[b], hoe datt[c] ghy allen in den tytt gekomen[d] bynt, dair in v godt[e] hart probiert vnd versuyckt, meer dan ve[f] voraelderen[g] in voel hondert iaeren[h] versoght vnd probiert syn worden, ende bynt ghy niet op den rechten steen gegront off gebowdt, so en moegdt ghy voer sulken stercken storm windt nyet blyuen staen, vnd v gehalden[1]. O voe[i] seligh syet ghy met allen fromen[k] vuytverkoeren Catholischen Christen, wan ghy in deesen swaeren, geferlicken kamp ridderlick streyedt[l] [?], vnd lyeuer all lydet[m], dan dat ghy[n] godt vnd der kercken vntrow vnde meyneidich[o] warden sollet[p], jn sulken onweder erkent men[q] die goede boemen, welke[r] in dem rechten lusthoff geplant syn vnd gewassen, Die wiel sy een gesonde, stercke woirtel hebben, vnd dairom niet wikken in der tytt der growelicke bekaeronge[s] [?], syen[t] oick niet aen, hoe voel datter[u] op deesen tytt van haeren alden Catholischen[v] gelouen affvallen, vnd meer die minschen[w] dan godt vreesen.

Dair om bynt ghy tbefoerens gottfruchtich, aendechtich, froem vnd waekent geweest, so sult ghy tott deeser tytt, als in den hoegsten vnd soerghelicksten aenvechtungh noch to meer godtsfruchtiger, aendechtiger, fromer vnde geschicter weesen, dair met ghy aen vuer edelen syele ia aen vuer ewiger salichheit, niet en verliest, ende v seluen als onechte gaedes [?] vnde der kircken kynder maeckt, Ghy leefft midsen onder den listighen, verkeerden vnd schalckefftigen viandt, welcke dagh vnd nacht v, als den armen verlaetene schaepen nae trachten[2], oer doedelicke vergiffnis vijdt[x] vnd breet vuyt verpen[y], met sueten vnd gelatten waerden den gemeinen man iamerlicken verblinden vnd verfuyren, oick alle oere nyewe verdoemelick[z] [?] leer, vnder den naemen ende schyen des Gotlicken waerdts prechtelick verkopen vnd voergeuen.

Syet dan toe, voe datt Christus ons gewairschowt hefft, datt ghy den valschen profeten nyet geloefft, off sy schoen voel volx verfuyren, landt vnd luyden tot hem trecken, die simpele tegen haere geestelicke vnd werlicke oewericheyt oprůerich maken[3].

Woe sall sich nu eener halden, die nu onder den sectischen heeren gesetten is, vnd all effen wael by synen Catholischen gelouen bestendich blyuen wolde, in deesen eleindighen tyden? Jck segghe irstelick, die selwige sall voer allen dinghen eenen sterken bundt mytt Godt vnd syne consiencie[aa] maken, dat hy tott in syn graff, gheenen

a) ersten *B C.* b) *In B C sequitur* dan. c) *Ita A B;* so datt *C et Stud.* d) gekommenn *B.* e) *B C hic et saepius habent* Godt, *ubi in A est* godt. f) uve *B C.* g) voeralderen *B;* voralderen *C.* h) jaeren *C, et similiter saepius.* i) woe *B C.* k) frommen *C.* l) stryedt *B C.* m) lydt *C.* n) *Hoc v. deest in B.* o) meynneidich *C.* p) solles *B C.* q) man *C.* r) welcke *C.* s) bekoeronge *B C.* t) syn *B.* u) dutter *C.* v) catholische *C.* w) menschen *C. Ut et spatio et oculis parcam, in posterum eas tantum lectiones variantes huius epistulae ponam, quae maioris sunt momenti.* x) wydt *B C.* y) *12 vv. sqq. in C. desunt.* z) verdoemelicke *B C.* aa) consciencie *C.*

[1] Cf. Mt 7, 24—28; Lc 6, 47—49. [2] Cf. Mt 7, 15; 10, 16; Lc 10, 3.
[3] Cf. Mt 7, 15; 24, 11 23—26; Mc 13, 22.

anderen, als den alden, bestendigen, allein selichmaekenden gelouen aen neemen vnd behalden wyll, ongetwyfelt, dat syn Catholische religioen doer die Apostelen in die gantsche werelt, irstelick geplant, met so foel dusen wonder teykenen, wees tot noch to bekrefftiget, duer datt onschuldich bloet, der seeligen Marteren verzegelt, van so foel heiligen, Gaedtz[a] seligen kircken leerers beweert, gesiert[b] vnd beschirmt, oick van so foel seer treffentlicken, hochwisen, vnd veit[c] beruemde vorsten, koeninghen vnd keiseren aengenomen, gefordert vnd besteedicht is worden, By sulken Catholischen gelouen hebben onse lieue, getrowe, froeme alderen[1] altytt gehalden, dair in hebben sy die hoeghweerdige sacramenten alleen entfanghen[d] [?], Oick ist dair geen ander geloeff in die wyde werelt voer Christenlick vnde Euangelysch gespreeckt vnd bekent, Doe gaff godt synen genaedericken segen, dat die rechte vruchten, des waerafftigen geloeffs ower all[e] sich verclaerde, als nemelick, vrede, einicheit, liffde, fruentlickheit tuschen den geestelicken ende werlicken staet, Doe wolt men Godt ter eeren die kircken bowen vnde versyeren, op besonder tyden aepentlick[f] psallieren, singhen vnd bidden, daer wass geluick, victory, genucht, frolickheit, men toende oetmoedicheit, gehorsam, kuyscheyt[g] [?], abstinencie, fasten, penitentie[h] [?], gerechticheit, vnd alle godtselicheit, doe en worden niet geleeden die verloechende verlopen vnd meineidighe[i] geistelicke persoenen, men straeffde die opruyrighe vnde kirken roeuers, vnd geloeff breckers[k] [?], wye will dan vuyter deesen alden vael[l] gegrondten heirlicken vnde altytt geluyck selich Catholischen kercken lopen tot deesen nijen vederspennigen, schendelicken, vnd oprurische Secten, welke in korten iaeren met sulken verderfflicken iamer[m] aengefanghen, so grote veranderingh[n] ower all gemackt, vnd tegen alle gottlicke geestelicke vnde keiserlicke rechten die hoeghe oewericheit moetwillich veracht vnde verfolght hebben?

Ten anderen hielt ick het voer noetsackelick[o] [?] dat een Catholischer Christen die by vnd onder die sectischen woent, nyet to klein mutich, noch oick to seer vermetent sey, sonder dat hy tuschen haep[p] ende sorgh sich voersichtelicke halde, Dan sonder alle twifell godt is seer vertoernt, dwyel hy dat gantze Nederland so hart ende so langh straefft, oick synen vnd der kircken viandt, so groten gewalt verleent, vnde by nae alle gaetz dinst[q] vuyt roeijen laet. Hier tegen is godt genedich, den soenderen penitencie doende, verleet die synen alleen eene tyt lanck, bekaert sy niet bowen haeren vermoegen, blifft bestendich by den ghenigen, so dair wes tot den eindt to in

a) Göedtz *B;* Goeds *C.* b) gefiert *A.* c) weit *B C.* d) ontfanghen *B C.* e) alle *C.* f) oepentlick *B C.* g) kuysheit *B C.* h) penitencie *B C.* i) *A perperam:* metneidighe. k) breekers *B C.* l) wael *B C.* m) iammer *B.* n) veranderingen *C.* o) noetsaekelick *B;* noetsaekelyk *C.* p) hoep *B C.* q) goetzdinst *B;* goetsdinst *C.*

[1] Iacobus Canisius et Aegidia van Houweningen Wendelinaque van den Bergh eius uxores; cf. *Can.* I 7—9 34—35; II 148; VI 396.

die enicheit vnde gehorsam syner kircken verharden, vnd dat wy nu dat cruys dragen moeten, is ons voerseker gesundt vnd salich, driefft vns oick tot godt, vnd tot rechten erkentenis des waerachtigen Catolischen leuen, so wy billick furen sollen, om dat godt syne schrickkelicke[a] gaiessell van die Nederlanden aff noemen[b], off versinnighen wolde.

Dair beneuen, welke den Sectischen Oeuersten onderwoerpen syn, sullen betrachten off sy oick sonder gefhaer haerder consiencie vnd sonder grooten schaeden oers Catholischer[c] [?] geloeffs, by haer luyden blyuen vnd woenen konden, Dan so Christus die heer aenteikent, wat hulpt dogh den mynschen, die gantsche werelt to gewinnen, wan hy aen synder sielen schaeden lyden soll[1]. O woe loffelick vnd Christelick weer hett, wan eener mit dem patriarchen Abraham sich gantz ende all van den Gottlosen vnde haeren babilon[2] affhiel, huys vnd hoff verliet om Goedts willen[3], om dat hy nyet to doende[d], en hette met dem boesen vnd Godt lesterende, mit den Sacramenstoermer[e] [?] vnd siel moerder, gelick so foel fromen alden Christen mit waert vnd exempel geleert vnd gedaen hebben, gelick oick die heilige Apostel Paulus vnd Joannes, trowlick schryuen[4], vnd oer belonungh sall in dem hemel des to groter vnd herlicker syn, hoe dattet einer to sweerlicker aenkompt in dem tyden[f], dat sy met vijff[g] vnd kinder dair vt trekken [?][h], vnd vt den sectischen plaetzen, sich by den Catolischen begeuen, Men syet godt betert aepentlick, dat foel vter[i] den Catholischen, Sectisch vnd Caluinis dair om werden, om dat sy den nyen predicanten vnd Scribenten gehoer geuen, ende meer om dat tytelick dan om dat geestelick vnd dat ewigh is sorcken[k] [?], soergen [?], Dat en heyt[l] [?] niet godt vuyt gantschen Harten, siel vnd verstandt lijff hebben[5]: Ja het is meer dem [ma]mmon[m] dan den hochsten heeren dynen[6], vnde den waerachtighen geloeuen niet fry bekennen willen. Watt sal men dan den gheenen raeden, die niet kunnen off willen van die Sectischen ewech trecken, onder den schyen dat sy met haeren huysgesyn haepen in oeren Catholischen geloeuen to volharden, vnde die eighensinnighen sectischen gelouen to schowen, Desen is trowlick to raeden, dat sy in groten gaetz fruchticheit leuen vnde waken, voer sich vnde oere huysgesyn, om datt sy in oeren Catholischen voernemen onuerlett ende onbeschedicht blyuen.

a) schickelikke *C*. b) aff noem *A*; affneemen *C*. c) Catholischen *B C*. d) doen *B C*. e) Sacramentstoermer *B C*. f) in dem teden *A*; in den tyden *C*. g) wyff *B C*. h) *Vel* treckken, *ut est in B*; troekken *C*. i) unter *C*. k) soecken *B C*. l) *Sic B*; hert [?] *A*; heet *C*. m) *Sic B*; [ma]mmon *A*; . . . ymon *C*.

[1] Mt 16, 26; Mc 8, 36; Lc 9, 25. [2] Cf. Gn 11, 1—9; Apc 14, 8; 16, 19 etc.
[3] Cf. Gn 12, 1—4.
[4] Cf. 1 Cor 5, 9—11; 2 Cor 6, 14—18; Eph 5, 3—11; 2 Io 10. 11; Apc 18, 4.
[5] Dt 6, 5; Mt 22, 37; Mc 12, 30; Lc 10, 27.
[6] Cf. Mt 6, 24; Lc 16, 13.

Ten anderden behoert daer to, datt sy in den gaetz dinst, preeck vnde Sacrament gheen gemeinschap met allen hebben met den Sectischen, met haer luyden niet disputieren off anfarren[a] [?] om dat die verkeerden niet erger en warden, vnde den vegh der waerheit meer versmaeden dan aen neemen.

Ten dorden, sall een Catholischen in die saeken syn hartt stercken vnde bestedighen[b] voe vnd waer hy kan off mach, als effen met den vuygelesen[c] [?] Catholischen buycken, met dat lofflicke gebruyck des hoichverdighen Sacraments, als hy die selwige van einen Catolischen priester hebben vnde bekomen kan, oick mit daghelixen aenropinghe des heilighen Geists so hy der waerafftige leermeister vnde een trowe troester is in allen tegenspoet anxst vnde noet[1].

Ten wierden moet een alsulke Catolischer nummer meer vergeten, wie hy is euen gelick halff verlaeren[d] [?] schaepken, midsen onder den woluen, sonder den[e] rechten herder[2], Dan gedenckt[f] hy duyck, woe grotelik dat hy van doen hefft[g] die stercke ende gewaltige genaede gaetz, om datt hy in synen vaerafftigen schaepstall bestendich blieft, die gebaeden der Catolischer kircken met vieren en vasten heldt, oick in gheenen tstukken[h] van schuldighe gehorsamheyt affwickt, Dair moet hy niet een Nicodemus syn[3], sonder mit dat werck fry toenen, wat hy in syn hartt geloefft, vnde mit sunt Peter segghen, Men moet meer Godt dan den Minschen gehorsamheit toenen[4], O selich die, velken[i] [?] effen vael hier kunden kloeck syn, gelick die slanghen, vnde simpel gelick een dueffe[5], dair met sy sich seluen, vnde die synen, voer dat qwaet vergiffenis van die nyewe lehr ongeschadicht halden, vnd by die reinicheit vnde simpelheit des[k] [?] Catolischen waerheit vast vnde onbeweghelick blyuen.

Ten vijfften om dat een Christen minsche een simpele duyue[6] is vnd bliue, sall hy sich sunderlingh bewaeren voer allerley onnutten ende[l] owervloedighen furwitz, in allsulker gestalt, dat hy onbekummert sie, vnd sonder soerge, vat die Nyewe geloewigen met haeren heeren vnd Regenten aenvanghen, ordinieren vnd maeken; Men sall hen[m] luyden niet berispenen[n], niet ordelen, na oer laeten[o] off doen niet foel vraeghen, voer haer godt bidden, vnd dat qwaet mit goet Christenlick vergelden, Dat heyt dan mit den vromen patientelicke hellen[p] [?] loth in Sodoma lofflick leuen[7], vnde den gotfruchtigen

a) ansarren *B C*. b) bestendighen *C*. c) vuytgelesen *B C*. d) verlaeten *B C*. e) een *C*. f) gedencke *C*. g) hefet *B*; hevet *C*. h) tstucken *B*; stukken *C*. i) velkoer *A*; welken *B*; welke *C*. k) der *B*. l) en *C*. m) hett*(?) *A*. n) beriffenen (?) *A*. o) na . . . laeten *A*. p) *Hoc v. non est in B C;* heiligen ?

---

[1] Cf. Io 14, 26; 15, 26; 16, 12—14; Act 13, 52.

[2] Cf. Nm 27, 17; 3 Rg 22, 17; Mt 9, 36; 10, 16; Mc 6, 34; Lc 10, 3; 1 Petr 2, 25.

[3] „Hic venit ad Jesum nocte“ (Io 3, 2).

[4] Act 5, 29. [5] Mt 10, 16.

[6] Mt 10, 16. [7] Cf. Gn 14, 12 13; 19, 1—22; 2 Petr 2, 7 8.

Tobias volgen, die onder den godtlosen haiden vnd falschen bruederen enen onsterfflicken[a] [?] vandel fuyrde, synen waerafftigen gaets dinst ernstlick vuyt vachten, hem oick om der gerechticheit van foelen bespotten vnde verachten lyet[1]. Die almechtige Godt verleene v drie bruyderen, vnd den anderen Catholischen vrinden een sulken eyfer vnd geist, gelick die selffde Tobias in synen gevenckenis vnd elleindt gehadt vnd aepentlick vergeuen hadt, Jck vunsche v allen samptlick vnde suenderlick die genaed, dat ghy voer Godt vnd allen heiligen, ia oick voer[b] allen Godt liuenden vnd Catholischen heeren vnd frunden dat loff behalded, also dat nymandt, vter vuen alden lofflicken vnd eerlicken geslecht van den rechten alden vegh nummer siet aff geweken, vnde ein [schen]delicken[c] afftrynnigen [?] falschen Christ worden, Dat is meinen[d] [?] vnd vnsers lieuen bruders Doctoris Teodorici[2] eindtlicke[e] [?] meynungh, vnd sonderlinge begheeren in Christo Jesu onsen salighmaker[f] [?], welke v vnde vu[g] [?] vrowen, kinderen vnd hausgesyn aen lijff, guet, vnd siel genedelick v[h] beschudden vnde beschiermen. Datum to Auspurckh den xxvıȷ Septembris Anno: LXXX.

Ewer getrowe alste brueder Doctor petrus Canisius.

Den Eersaemen vnd naemhafftighen Gerardo, Ottoni vnd Giesberto kanis meinen insonderen gelieffden bruideren vnde buergeren in der stadt Nymeghen.

Quod Canisius fratribus commendabat, ut ex urbe Noviomago a Calvinianis oppressa emigrarent, quo certius et liberius fidem pietatemque catholicam colere possent: id hi praestiterunt; Gerardus 14. Decembris 1580 petiit et impetravit, ut sibi liceret cum suis abire; abisse autem videtur Calcariam (Kalkar, in Borussia rhenana), quod oppidum Cliviae duci catholico parebat; Otto in oppido Huissen (nunc provinciae gelricae regni neerlandici) eiusdem ducis imperio subiecto consedit; Gisbertus quo concesserit, non constat; atque hic sine licentia exisse videtur; nam cum proximo anno Noviomagum redire vellet, multorum rogatu 13. Aprilis 1581 venia ei data est ea condicione, ut 50 daleros pro mulcta penderet; qui postea quoque catholicam fidem Noviomagi strenue profitebatur (*L. van Miert*, Canisiana VII, in „Studiën“ D. 74, 199—200; Canisiana VIII l. c. 713—715).

2071. P. NICOLAUS DE BOBADILLA S. J. CANISIO.

Laureto (?) m. Septembri vel Octobri 1580.

Ex epistulae a Canisio 20. Novembris 1580 ad Manareum datae „Postscripto“ autographo; Germ. 183 n. 305 f. non sign., quod est proximum post f 361. Maior postscripti pars ex eodem autographo transcripta est in *Bobadilla*, Monumenta 681.

Litterae „suaves“. Liber gennadianus.

Canisius litteris suis Dilinga 20. Novembris 1580 ad Oliverium Manareum Societatis vicarium generalem datis hoc addidit „postscriptum“: „Admodum Reuerendos in Christo Patres meos, P. Salmeronem et

a) *Sic A B C; corrigendum videtur:* onstreffficken. b) ia voer *B*; ja ... voer *C*. c) *Ita recte, ut omnino videtur, in B suppleta est lacuna, quae est in antiquo exemplo.* d) *Ita B*; [myn] *A*; meine *C*. e) eindelicke *B C*. f) salichmaker *B C*. g) uven *B*; uwe *C*. h) *Hoc v. deest in C*.

[1] Cf. Tob 1, 1—21; 2, 1—23 etc.

[2] P. Theodorici Canisii, rectoris dilingani.

P. Bobadillam, quibus me debere multum fateor, inprimis ex me salutari uelim. Ac Gennadij Patriarchae liber, quem idem P. Bobadilla cum suauibus literis ad me misit, Reuerendissimo Augustano dignus iudicatur, qui Dilingae recudatur quemadmodum breui futurum auguror."

Bobadillae (de quo v. *Can.* I 120 [5] 146 [4] etc.), unius ex primis S. Ignatii sociis, viri indolis vehementioris, litterae cum libro illo Canisio redditae esse videntur post m. Septembrem — neque enim in epistula initio Octobris ad Manareum data (infra p. 570) eas memorat — et aliquanto ante 20. Novembris; iam enim eo die liber ille episcopo augustano (Marquardo a Berg) bene notus erat; quare Bobadillam m. Septembri vel Octobri scripsisse censeo. Qui plurimum per Italiam discurrebat; constat autem, eum a. 1580 8. Septembris Laureti, 12. Septembris Rhegii (Reggio) fuisse (*Bobadilla* l. c. 541 542 [2]). Initio tamen anni 1581 et ipse et Salmeron Romam ad Societatis congregationem generalem venturi erant.

„Gennadii Patriarchae" nomine hic non significatur Gennadius ille, qui a. 458 ad 471 patriarchatum constantinopolitanum tenuit; huius enim scripta paene omnia perierunt; sed significatur Georgius Scholarius monachus († circa a. 1468), qui cum nomine Gennadii (II.) patriarcha constantinopolitanus factus, Ioannem Palaeologum imperatorem in occidentem euntem comitatus est et in concilio oecumenico Ferrariae Florentiaeque habito „unionem" illam inter Graecos et Latinos serio, etiam orationibus aliquot, commendavit, postea vero adeo in contrariam partem discessit, ut scriptorum eius Leo Allatius duos, qui eiusdem nominis fuissent, auctores, unum catholicum, alterum schismaticum, statuere conatus sit (*Hefele*, Conciliengeschichte VII, 708—709; *K. Krumbacher*, Gesch. der byzant. Lit., 2. Aufl., München 1897, 119—122). Circumferebatur autem „Gennadii Scholarii Constantinopolitani Patriarchae Expositio pro sancta et oecumenica Synodo Florentina quod legitime congregata est, et defensio quinque capitum quae in decreto eius continentur"; circumferebatur, inquam, cum Gennadii nomine; saeculo demum XVIII. *Guilielmus Cuperus* S. J. hagiographus bollandianus (cui assentitur *Krumbacher* l. c. 118) demonstrare studuit, librum non a Gennadio, sed a Iosepho Plusiadeno (saec. XV.) episcopo methonensi (Methone, urbs Graeciae) compositum esse (Acta Sanctorum Augusti, Tom. I., Antverpiae 1733, Tractatus praeliminaris de Patriarchis Constantinopolitanis n. 1192, p. *197); et sub hoc nomine editus est a *Migne*, P. gr. CLIX 1107—1394. Hic igitur „Liber Gennadii", cum primum a. 1577 Romae una cum Concilii Florentini Actis graecis graece in folio, quod vocamus, editus esset, a. 1579 ibidem, latine redditus a Fabio Benevolentio senensi (cf. supra p. 198), cum inscriptione, quam supra iam posui, in 4⁰ editus est (*Migne* l. c. 1107—1108; CLX 287; *Possevinus*, Apparatus I 562); nec dubitari potest, quin haec editio a Bobadilla ad Canisium missa sit. Qui recte de ea „auguratus" est; nam a. 1581 Dilingae typis exscriptus est: „Gennadij Scholarij Patriarchae Constantinopolitani defensio quinque capitum, quae in sancta et oecumenica Florentina Synodo continentur, De processione Spiritus Sancti, De sacrificio in azymo vel fermentato. De purgatorio. De fruitione Sanctorum, De primatu Papae. Fabio Beneuolentio Senensi interprete": [Georgii Willeri] *Catalogus* novus Nundinarum vernalium Francofurti ad Moenum, Anno M. D. LXXXI. celebratarum, Franckfurt am Mayn 1581, f. B[a].

2072. CANISIUS **OLIVERIO MANAREO** vicario generali Societatis Iesu. Augusta Vindelicorum sub initium m. Octobris 1580.

Ex autographo (2⁰; 2 pp.; in p. 4 inscr. et particulae sig.). Germ. 183 f. 290[a]—291[b].

Gaudet de eius electione. Negotium halense et alia. Conventus norimbergensis; Nuntii „imperiosi". Provincialis urgendus, ut curet, ne permittantur 5⁰/₀. Opus contra Centuriatores; Sirletus. Sadeelis liber et „Doctrinae Iesuitarum" etc. refutanda.

† Pax Christi Jesu nobis aeterna, Admodum Reuerende Pater.

Quas P. T. 24° superioris mensis die ad me dedit, eas quum in Prouintiali conuentu essemus[1], accepi, nunc Augustae degens, et mox Dilingam duce obedientia profecturus[2], et fortassis illic etiam hyematurus Christo propicio.

Quandoquidem ita Deo summo visum est, vt optimum Patrem Generalem[3] ad optimam beatissimamque vitam transferret, licet eius obitus nobis et Societati ualde acciderit luctuosus hoc tempore, in eo sane diuinam eius prouidentiam praedicamus, quod eum demortui Patris Vicarium dederit, quem[a] nos maxime optabamus, et de cuius electione[4] permulti haud dubie sibi totique Societati in Domino Jesu[5] gratulabuntur. Ego certe uel non monitus id praestabo, nullo vt die P. T. non commendem Domino, qui suam illi gratiam ad hoc munus digne obeundum copiose subministret.

De negotio Reginae cum P. Prouintiali nostro contuli, et vtrique uisum est, P. T. literas illi non esse reddendas[6]: utilius enim atque tranquillius rem omnem ad nouum Generalem Praepositum differri atque reijci posse. Interea ut illa tantillum morae modeste ferat, facile poterit hic impetrari.

Verum de hoc ipso, et Andreae Poloni et P. Crucij negotio respondere supersedeo, quandoquidem Pater noster Prouintialis ex professo scripsit, et mutationum aliquarum causas reddidit, quas P. T. non displicituras esse confido[7].

Jllud scire optarim, quid uni nostrorum sit faciundum, cum exempli gratia, literis Nuntij Apostolici Delphini, qui Brixiensis est

a) *Sequitur* nos *vel* non, *oblitt.*

[1] De hac congregatione provinciali Monachii a d. 14. ad 19. Septembris habita vide infra, monum. 1261. [2] Vide ea, quae sub ipsas has litteras dicentur.

[3] Mercurianum.

[4] Cum Mercurianus vicarium generalem non designasset, statim post eius mortem ex Constitutionum Societatis praescripto congregati sunt professi Romae degentes, qui erant 26; et ab his vicarius electus est Manareus (*Astrain* l. c. III 207).

[5] Rom 14, 44; Phil 2, 19; 1 Thess 4, 1; Philem 5 etc.

[6] Has ad Magdalenam litteras v. supra p. 559—560.

[7] Nescio quas *Hoffaei* litteras Canisius significet. De Andrea Gomoliński ille *scripsit Monachio 11. Septembris 1580: „Isthuc veniet"; et de P. Iacobo Crusio (Kraus) Venetiis operam Germanis praestante, quem et ipse et Canisius Landsbergae pro P. Bonaventura Paradinas magistrum noviciorum effici cupiebant, idem *scripsit Monachio 27. Augusti 1580: „Vtinam P. V. mandet nobis vt remittatur P. Crusius cito: egeo Pater. Fecit mihi R. P. N. p. m. spem fore vt externus substituatur Crusio: vtinam sic fiat: ego enim praeter Carolum Leopoldum neminem habeo quem substituere possim, et tamen hic reijcitur". Et 11. Septembris 1580: „Rogo P. V. vt recta huc remittat P. Crusium: ego enim coram Romae facile cum socijs supplebo in cognoscendo modo quo Romae in Nouitiatu vtuntur, quem deinde P. Crusio communicabo. Aut si P. V. putet magis expedire vt Romam prius abiret et coram inspiceret modos et ordines istius Nouitiatus, non omnino hoc displicet: sed quaeso fiat hac hyeme, vt deinde nobiscum redire possit in Germaniam" (ex autographis: Germ. 158 f. 258[a] 280).

Episcopus, ad Nurembergensem conuentum Principum euocatur[1]. Ait sic visum esse Pont. Max. nullas uero aut eiusdem Pont. aut superiorum literas ad me datas ostendit[2]. Placuit P. Prouintiali, vt euocatus Nurembergam proficiscerer, meque D. Nuntio adiungerem: sicut omnino fecissem, si conuentus ille processisset, quem in aliud tempus prorogatum esse constanter affirmant. Sin procedat, admonuit me idem D. Nuntius, quod me illuc uelit accersere, suaque mecum conferre consilia, vt Pontifex illi praescripsit[3]. Etsi uero illum hic non fallere aut mentiri uelle credam, tamen maiori forte consolationi nostris foret, si scriptum aliquod accederet superiorum, et Domini Nuntij in Germaniam destinati[a] quibusdam in rebus minus essent imperiosi, seque nostris magis accommodarent. Sed alij querelas his de rebus isthic coram exponent[4].

Quoniam P. Prouintialis post paucos menses isthic aderit[5], vt speramus, minus iam de illo et huius prouintiae statu scribere sit necessarium: uenient enim et duo alij Patres electi, et commissa sibi prouintiae negotia[b] tunc oportune proponent. Meminit autem P. T. proculdubio, Pont. Max.[6] sententiam ad nos fuisse perscriptam, qui Patri Generali fel. mem. responderat, a nostris absoluendos non esse, qui in mutuo quinque pro centum, ut fit in Germania, paciscuntur. Et cauendum etiam scripsit, ne quid nostri de hoc genere publice disputarent aut concionarentur. Sic Pater ille noster ex urbe mandauit 16 Martij anno 1576 vt arbitror. Quoniam uero aduersus hoc mandatum siue decretum et Pont. Max. et Praepositi generalis agi coeptum est, nouaeque contentiones augentur[7], putarim ego P. T. de prouintia nostra optime merituram, si P. N. Prouintialem admoneret, an et quomodo in collegijs omnibus hoc ipsum decretum obseruetur, quod obseruari quidem cupiat tum a Concionatoribus, tum a Theologis, tum a Confessarijs omnibus omnium prouintiarum, in quibus ille contractus crebro incidere solet. Sed rogo ne resciscat ille, me consilij huius authorem uel suggestorem esse. Coetera praetermittam, quae huc pertinent, sperans hoc quod dixi, remedium multis malis amputandis

a) *Sequitur* se, *oblitt.* b) *Correctum ex* negotiam *vel* negotium.

---

[1] Vide supra p. 557 560—562.

[2] Sed Manareus Hoffaeum provincialem de pontificis voluntate certiorem fecerat; v. infra, ep. 2074 et supra p 557.

[3] Haud recte igitur *Daurignac* (l. c. 353): „Canisius . . . arrive à Nuremberg et apprend bientôt que la Diète est différée.“

[4] Facturi id erant, ut ex actis congregationis provincialis (v. supra p. 570 [1]), cognoscitur, Patres, qui ex Germania superiore ad Societatis congregationem generalem venturi erant: Paulus Hoffaeus, Gregorius Rosephius, Martinus Leubenstain; cf. infra, monum. 1261.

[5] Primus congregationis generalis conventus habitus est 7. Februarii 1581 (*Franc. Sacchinus* S. J., Historiae Societatis Iesu Pars quinta sive Claudius, Tomus prior, Romae 1661, l. 1, n. 11; *Astrain* l. c. III 207).

[6] Gregorii XIII. [7] Vide, quae hac de re sub ipsas has litteras dicentur.

sufficere posse, nimirum[a] prioris decreti confirmatione seria nostris proposita atque commendata.

Typographus Jngolstadiensis[1] recudere cupit vtrumque opus meum de S. Joanne baptista et Deipara Virgine conscriptum, et ex duobus uolumen vnum facere statuit. Peto igitur a P. T. ut liceat bona venia vtrumque opus recognoscere, et si quae mutabuntur, ad censores huius prouintiae ordinarios referre, sicut hactenus ab alijs nostris factum fuit. De Cardinale Sirleto nihil dicam, qui de Maria quaedam mihi communicare proposuerat, vti nouit P. T. sed cui in hisce minutijs nec volo, nec debeo esse molestus[2].

Deum precari pergemus, ut P. T. ad futuram congregationem et cogendam et celebrandam potenter adesse dignetur, nosque suis sacrificijs uicissim Domino commendet quaeso.

Nouus liber prodijt sub hoc titulo, Ad repetita F. Turriani Monachi Jesuitae Sophismata de Ecclesia et ordinationibus ministrorum Ecclesiae, Responsio Antonij Sadeelis. Nescio, an hoc opus P. Turrianus uiderit, quod nondum inspexi[3]. Tum alius extat liber forte pestilentior, sic inscriptus, Doctrinae Jesuitarum praecipua capita, a doctis quibusdam Theologis retexta, solidis rationibus testimonijsque sacrarum Scripturarum et Doctorum ueteris Ecclesiae confutata, Et quoniam Rupellae excusus est liber[4], Galliae Patribus nostris ignotus esse[5] non

a) *Sequitur* e, *oblitt.*

---

[1] David Sartorius. [2] Cf. supra p. 487.

[3] Antonius Chandieu (Camp Dieu, de la Roche) antiquo Galliae genere ortus, iuvenis a catholicis ad protestantes transgressus et a Calvino et Beza institutus, usque ad mortem (1591) plurimum pro protestantibus laboravit; eorum enim ministrum Parisiis et Genevae egit, eorum synodis cum auctoritate interfuit, Henrico IV. Navarrae aliquamdiu a contionibus et consiliis fuit eiusque legationibus in Germania functus est. Is cum nomine „*Antonii Sadeel*" P. Francisci Turriani S. J. libro „Aduersus Capita disputationis Lipsicae Andreae Freyhub, de Ecclesia, et de Ordinationibus Ministrorum Ecclesiae" Coloniae 1573 edito (v. supra p. 141) opposuerat „Sophismata F. Turriani Monachi, ex eorum sodalitate, qui sacrosancto Jesu nomine ad suae Sectae inscriptionem abutuntur" (Genevae 1577); ac cum *Turrianus* a. 1580 Coloniae „Defensionem locorum S. Scripturae, de Ecclesia Catholica, et eius Pastore Episcopo Romano . . . Aduersus nugatorias cauillationes Antonii Sadeelis" etc. vulgasset, hic Genevae eodem a. 1580 edidit: „Ad omnia repetita F. Turriani Monachi Iesuitae Sophismata de Ecclesia et ordinationibus Ministrorum Ecclesiae Responsionem" (*Sommervogel*, Bibl. VIII 118—120). Quae Responsio, a Sadeele perinde ac „Sophismata" Guilielmo Landgravio Hassiae dedicata, exstat etiam in libro „*Antonii Sadeelis Chandei* Nobilissimi Viri Opera theologica", ed. 2., s. l. 1593, 603—802.

[4] De hoc libro plura dicentur infra, monum. 1249. Et hic, et Sadeelis ille liber Francofurti ad Moenum, puto, in mercatu librorum autumnali venales erant, idque Canisius ex „Catalogo" librorum novorum francofurtensi (cf. *Can.* VI 713) cognovit.

[5] Canisius scripsit: „Marloratus" ; neque vero Societas Iesu unquam scriptorem, cui nomen erat Marlorato, habuit; et Augustinus ille Marloratus, ab ordine S. Augustini ad Calvinianos transgressus, qui Commentarios in sacram Scripturam et alia scripserat, iam a. 1562 Rotomagi (Rouen), quia sedicionem commoverat, suspendio necatus erat. Quare, sive ipsa huius causae ratio, sive litterae, quibus Manareus

potest, quem vtinam P. Maldonatus[a], aut P. Edmundus[b 1], aliusue Theologus refutaret.

P. T.

Jndignus filius
Petrus Canisius.

† Admodum Reuerendo in Christo Patri nostro, Patri Oliuerio Manaraeo, Societatis JESV Vicario generali. Romae.

Canisius in initio huius epistulae ait, se „nunc Augustae degere, et mox Dilingam duce obedientia profecturum“ esse; tempus vero ascribere oblitus est. Verumtamen cum aliunde cognosci possit, eum 19. Septembris Monachii, 27. Septembris Augustae, 6. Octobris Dilingae fuisse (cf. supra p. 568 570 et infra p. 576[4] et monum. 1261), dicendum est, eum hanc ad Manareum epistulam sub initium m. Octobris 1580 dedisse.

Magni momenti sunt, quae in his litteris a Canisio dicuntur de Hoffaeo provinciali, cum Romam venerit, monendo, curet, ut quae de iis, qui „in mutuo 5 % paciscantur“, Sociis a pontifice et praeposito generali praescripta sint, omnes et contionatores et theologi et confessarii Societatis observent: iam enim contra hoc mandatum „agi coeptum esse“ etc. Quibus verbis significatur gravissima controversia, quae, cum paene sopita esse videretur, hoc tempore proximisque annis denuo multorum theologorum et iurisperitorum animos vehementer erat occupatura. Anno quidem 1573 doctissimi Societatis theologi Romae statuerant: Eiusmodi pactiones „ex genere suo“ esse illicitas neque licitas effici „per solam consuetudinem etiam lege probatam“; attamen iustis de causis accipi posse „lucrum ultra sortem in mutuo, quamvis non ex mutuo“: velut „in quindecim casibus, qui notari solerent“ a „Summistis“ etc. (quae „resolutiones“ integrae ponentur infra, monum. 1137). Cum vero ne haec quidem sufficerent ad animorum pacem in Germania faciendam, Mercurianus praepositus generalis Gregorium XIII. consuluit, „an liceat in mutuo quinque pro centum paciscj Js“ — ita *Mercurianus* Roma 16. Martii 1576 Hoffaeo provinciali *scripsit — „respondit non esse a nostris absoluendos qui sic paciscuntur, cauendum tamen isthic ne quid nostri de hoc genere publice disputent aut concionentur“. Velim autem nostros omnes „ita sese gerere vt nihil minus quam turbas aut discordias affectare videantur“ (ex commentario; G. Sup. 1 f. 40[a]). At haec diversis patebant interpretationibus: „Contractum germanicum“ (sic enim vocabatur) alii iam censebant illicitum habendum esse semper; alii, quoad singillatim constaret, ei adiunctam esse aliquam ex iustis causis, quas theologi romani a. 1573 statuissent: alii eiusmodi causam fere semper adesse ideoque sumendam, non demonstrandam esse, et propterea contractus germanicos, si non certe, saltem probabiliter licitos esse neque a magistratibus universos prohiberi posse existimabant; nec vero pugnare cum ea sententia prohibitionem pontificis, quia Romae vera contractus germanici ratio nunquam explicata esset. P. *Gregorius* igitur *Rosephius* cathedralis ecclesiae augustanae contionator Everardo Mercuriano Societatis Iesu praeposito generali Augusta Vindelicorum die 14. Maii 1576 sic *scripsit: „Quod Romae constitutum fuit circa contractum de 5 pro cento“, id quidem fideliter et strenue exequendum ego curabo . . ., „maioris enim facio pontificis voluntatem et obedientiam

a) *Correxi ex* Marloratus; *vide supra, p. 572*[5]. b) *Correxi ex* Egmundus; *vide infra, adnot. 1.*

27. Octobris 1580 ad hanc Canisii epistulam respondit, considerentur, dubitari non potest, quin Canisius significare voluerit praeclarum illum P. Ioannem Maldonatum (Maldonado) hispanum (1534—1583), „Commentariorum in quattuor Evangelistas“ etc. auctorem, qui ab anno 1563 usque ad hoc fere tempus variis Galliae locis magister, scriptor, visitator fuerat.

[1] Edmundus Augerius; cf. *Can.* V 94; VI 596.

sanctam, quam fallacem hominum gratiam, dominus nos non derelinquet. Sed vnus me adhuc vrget scrupulus quem paternitati vestrae exponam, . . . quod . . . nesciam alijs si opus foret, respondere. Si non debemus nec possumus absoluere illos qui praenominatum contractum exercent, signum est euidens contractum esse in se malum. Si malus est cur non licet illum publice detestari, vt alijs timor incutiatur? hoc enim scire debet paternitas vestra hanc Rempub., item Norimbergensem, Ulmensem, omnes item ciues ne dicam Germanos vtcunque pecuniosos hoc contractu implicitos esse. Si tacemus ipsi interim pergunt exercere quod exercent, videntur excusati, aut saltem nos participes efficimur peccati alienj, quid enim faceret populus simplex quando videt consuetudinem antiquam defendi a Magistratu, laudari ab Episcopo, non reprehendi a contionatore?" (ex autogr.; Germ. 137 f. 150). In litteris autem P. *Theobaldi Stoz* S. J., quas Roseffius commemorat, haec, praeter multa alia, a Theobaldo „ex consilio" Hoffaei provincialis Augusta 7. Maii 1576 ad Mercurianum referebantur: Vir quidam „nobilis et potens" in familiari „collatione ita mecum egit, ut nullo modo fateri uellet, 5 pro 100 accipere, esse peccatum; imo charitatem uel maxime hoc modo exerceri putabat, et quasi minando nobis, dicebat se mirari nos solos huic tam usitato contractui, opponere, cum alij quoque sint Canonum Doctores, qui tam bene atque nos in Canonibus essent uersati, et tamen huiusmodi contractum condemnare non auderent, maxime cum scire possimus, neque modernum episcopum nostrum, nostrum hac in parte rigorem aequo animo laturum. Dicebat item certo se scire, Judicium Imperiale, quod uocant Camerale, ordinarie pronunciare, ut inter homines promiscuae sortis 5 pro 100, et inter negociatores 8 pro centum, census nomine, ex mutuo soluerentur; Quare consultum nobis aiebat, ut intra templum id est in spiritualibus rebus nos contineremus et rebus politicis nos non misceremus. Cum autem responderetur, nos hoc solum contendere, ut ex mutuo nihil lucri acciperetur, et inter negotiatores, et eos qui negotiatoribus pecunias tradunt, aliqua iustificari posse per modum societatis . . . quae in mero mutuo locum nullum haberent, Jpse respondet non opus esse ambagibus, quibus uideremur, Deum uelle dicipere. Cum etiam praetenderet, ob periculum sortis mutuatae aliquid licere accipi, responderetur que illud periculum, pignore accepto, uitari posse, ipse iudicabat hoc esse Judaicum, minimeque decere Christianum, super pignus aliquid mutuare. . . . Postremo tamen ita me dimisit ille, ut diceret, se de toto negotio diligentius cogitaturum" (ex autogr.; Germ. 137 f. 149^a-150^a; *B. Duhr* S. J., Die deutschen Jesuiten im 5%-Streit des 16. Jahrhunderts, in „Zeitschrift für katholische Theologie" XXIV, 223–228). Ipse deinde *Hoffaeus* Augusta 21. Aprilis 1577 Mercurianum *monuit: „Sciat P. T. casum de 5. per cento nobis malum nomen parere: non possum rem dilatare: hic mitto duos alios casus, saltem P. V. his vti permittat, vt ijs qui 5. per cento male accipiunt, aliquid remedij adferamus quod consolationi esse queat: ne non solum conscientias exagitare, sed ijs etiam remedia adferre velle videamur. Nouerint confessarij vti sua prudentia. P. V. si hic esset magis nobis compateretur. Si haec duo remedia quoque reijciuutur, facile quidem nobis erit omnes a beneficio absolutionis repellere, et seruitia tantum atque mendicos admittere: sed quid tandem hoc nobis parere possit, non difficile est conijcere, praesertim cum alij passim omnes absoluant, et nos soli scrupulosi et reip. perturbatores habeamur. Liceat ergo nobis his duobus casibus vti eosque priuatim tantum ijs suadere qui illos amplecti velint et alia consilia admittere nolint. Theologi aliqui, non omnes huius Prouintiae haec duo consilia aliter improbare non potuerunt, quam quod viderentur noua, priuata, et quibus facile aliquis posset abuti · sed an hoc satis sit, rebus ita stantibus, vt reijciantur omnino, ego non assequor" (ex autogr.; Germ. 138 f. 157^b-158^a). Ne sic quidem multum profectum est. Vix autem Guilielmus V. Alberto V. patre mortuo in Bavaria regnare coeperat, cum pro pietate ac religione sua in hac causa sibi suisque consulere studuit. Ac primum quidem 8. Februarii 1580 facultas iuris in universitate ingolstadiensi, re cum theologica facultate (ut videtur) non collata, duci respondit, pactionem de 5% semper illicitam esse neque unquam a principe permitti posse. Deinde, ut in

* *Litteris* annuis collegii monacensis narratur, per sacram Quadragesimam ab Hoffaeo „in aula iussu atque auctoritate Principis ter in hebdomada de usura instituta est oratio" (Cod. „Annales Coll. Monacensis" I 45 p. 13—14), in eaque Hoffaeus — id ex contionum illarum exemplis, quae supersunt, intellegitur — fere mediam illam, quam supra dixi, sequebatur viam (*B. Duhr* S. J., Noch einige Aktenstücke zum 5%-Streite im 16. Jahrhundert, in „Zeitschrift für katholische Theologie" XXIX 179). Ingolstadii vero 2. Augusti 1580 iuris et theologiae professores — in horum numero erant PP. Otto Eisenreich et Gregorius de Valentia, Societatis sodales — nomina subscripserunt litteris communibus, quibus Guilielmo, ne contractu germanico ineundo omnibus interdiceret, dissuadebant, tum quia graves aliquot auctores contractum illum defenderent, tum quia Bavari ea in re ducis voluntati obtemperaturi non essent, tum alias ob causas. Eodem mense Guilielmus ipse Ingolstadium venit et in urbis arce professores aliquot verbis coram se de 5% agere iussit (*Mederer* l. c. II 67). Exeunte denique m. Augusto tertium quoddam responsum ingolstadiense principi traditum est, quo affirmabatur, contractum germanicum duci posse in „contractibus trinis" (cf. *Can.* IV 568—569), hos autem „probabiliter" licitos esse, ideoque supersedendum esse publica contractus germanici proscriptione (*Duhr* l. c. 180). Verumenimvero ipso illo verbo „probabiliter" significabatur, exstare etiam rationes solidas, quibus viri prudentes ad „contractus trinos" improbandos et prohibendos moveri possent[1]; atque (ut alia testimonia omittam) ex litteris Ratisbona 27. Ianuarii 1581 a *Feliciano Ninguarda* O. Pr. episcopo scalensi et apostolico per Germaniam superiorem nuntio ad cardinalem Comensem datis cognoscitur, ita contra Ingolstadienses sensisse PP. Petrum Canisium, Theodoricum Canisium universitatis collegiique dilingani rectorem, Hieronymum Torrensem theologiae in eadem universitate professorem, Theodorum Peltamum, qui in universitate ingolstadiensi theologiam tradiderat, Casparem Haivodum, qui Dilingae eandem docuerat (ex archetypo, quod est in archivo vaticano, Nunz. di Germ. 90, p. 17—19). His assentiebatur Martinus Dhum (Dummius, ex pago Röhrmoos prope Dachoviam in Bavaria superiore ortus), in collegio germanico ad theologiam institutus, qui, cum Straubingae rem catholicam praeclare adiuvisset, a. 1578 a duce Monachium arcessitus ibique contionator aulicus, consiliarius ecclesiasticus, canonicus ecclesiae B. Mariae Virginis constitutus erat, vir et a Guilielmo V., ut *Ninguarda* Monachio 6. Februarii 1580 Comensi scripsit (ex archet.; Nunz. di Germ. 89 f. 35—39), „molto fauorito per il suo zelo", et a Ninguarda atque Bonhomio nuntiis apostolicis laudatus (*Steinhuber* l. c. I² 296—297 271¹; *Hansen*, Nunt. II 461; *Duhr* l. c. 182²). Neque negari potest, hos potius quam Ingolstadienses verbis Gregorii XIII. tueri se potuisse, per praepositum generalem Sociis mandantis, ne eos absolverent, „qui in mutuo 5% paciscerentur".

Haec cum ita se haberent, Ingolstadio 2. Octobris 1580 *Hoffaeus*, qui iam totus in Ingolstadiensium partes transierat, Manareo vicario generali Societatis *scripsit: Se „his diebus" ad Guilielmum V. ducem in inferiorem Bavariam arcessitum esse. „Jn discessu voluit Princeps vt ad se Landishutam mitterem P. Casparum Heiuodum, quocum videtur acturus de contractu germanico de 5. pro cento. Etsi enim ego tota praeterita Quadragesima de hoc contractu et de tota vsura egerim, inuitus licet, principe sic imperante; etsi etiam Academici Jngolstadienses eadem de re suam sententiam ad Principem perscripserint, vtrique conformiter Resolutionibus Romae datis, quibus P. Tua interfuit praeses: quia tamen neque Romanae resolutiones, neque mea atque Academicorum sententia satis quadrat gustuj Dominj Dumij concionatoris Principis et P. Caspari Heiuodi et quorundam aliorum Patrum huius Prouintiae plus satis zelosorum, iccirco ab his effectum est, vt Princeps non conquiesceret, sed vt ante fecerat instinctu Dilinganorum Patrum et presertim Heiuodi

¹ Cf. *Franc. Zeh* S. J., Rigor moderatus doctrinae pontificiae circa usuras, Diss. II, cap. 2, § 154—185 (*I.-P. Migne*, Theologiae cursus completus XVI, Parisiis 1841, 930—950) et *F. X. Funk*, Zins und Wucher, Tübingen 1868, 84—86.

Episcopus Augustanus [1], sic nunc etiam quorundam meorum Patrum instinctu factum est vt contra hunc contractum Princeps quoddam mandatum non satis prudenter euulgaret, cuius non nostrj tantum, sed etiam Aulici cum indignatione dicunt Heyuodum esse autorem cum P. Canisio, qui huiusmodj rem per Dumium Concionatorem apud Principem procurent, clam et me ignorante. Reprehenderunt Academici hoc mandatum: quae causa fuit cur Princeps ad se vocarit solum Heiuodum, ni fallor vt Academicorum censor esset: multum enim Heiuodo tribuit Princeps ex persuasione sui concionatoris. Quid boni autem Heyuodus hac in re Principi consulturus sit, quisque huius Patris spiritus sit, facile cognoscet P. V. ex literis, quas Rector Monachiensis, P. Ferdinandus [2] heri ad me dedit, quasque vna cum his mitto: videbit P. V. quam religiose, scilicet, loquatur de Patribus societatis, deque Resolutionibus Romanis, quamque nihili faciat congregationem generalem, sed recta ad Pontificem (quo cum etiam Canisius nobis minatus est) sua deuoluere velit. Hic nunc mihi sudandum est vt horum patrum honorem apud Principem tuear, et simul illorum indiscretionem impediam: vtrunque simul video esse impossibile si alterum consequi velim: faciam saltem hoc vt Romanis Patribus constet autoritas, si Heiuodo absurde indiscreto suum honorem defendere non potero, qui etiam Societatis honori adeo non consulit. Primum igitur a P. V. peto vt P. Canisium mittat ad Rhenum [a]: Doleo quod hoc ante impediuerim · bonus ille vir est, et bona intentione multa facit, sed quae nobis periculosa sunt, et vehementer hactenus meam gubernationem impediuerunt, vt ego eius modos ferre amplius non possim: Ac vix pauci sunt [b] in hac Prouintia Patres, qui hoc improbabunt. Secundo peto vt P. V. quaesita occasione vocet P. Casparum Heiuodum vel ad Rhenum vel in Poloniam vel Austriam, ne suo indiscreto zelo nobis bonum Principem tandem prorsus infatuet: insanit hic Pater contra contractum praedictum [c]. Eius loco remitti posset P. Nicolaus Lemburgus [3]. Tertio cum verear ne Heiuodus multa insulta scribat per Principem ad Pontificem de contractu germanico, rogo vt P. V. isthic attendat, et efficiat ne quid hac de re isthic decernatur, donec Patres isthuc ex hac Prouintia cum plena informatione veniant" (ex autographo, quod est Romae in archivo regni italici, „Arch. dei Ges. Lettere. 1576—1583").

Iterum *Hoffaeus* Manareum *monuit per litteras Ingolstadio 4. Octobris 1580 datas: „Repeto quae ante biduum scripsi [4], Nimirum esse quosdam Patres nimirum P. Petrum Canisium et P. Casparum Heiuodum Anglum qui [d] vt fide digni fatentur, etsi P. Canisius factum neget, per medias personas vrgent bonum Principem Gulielmum vt euulgato mandato procedat contra contractum de 5. pro cento sicut aliquando frustra fecit Episcopus Augustanus defunctus eodem Heiuodo instigante. Accedit quod Heiuodus temere damnat Resolutiones quae R. V. P. praesidente post vltimam generalem congregationem isthic super hoc contractu factae sunt, aitque Rectores pessime facere, qui huiusmodj Resolutiones e libris non continuo lacerent et comburant [5]. Jdeoque aperte professus est non se de hoc contractu acturum amplius apud Patres sed apud Pontificem: cumque nactus sit aliquam opinionem apud Ducem ac simul occasionem aptam, decreuit suam phantasiam bono Principi inculcare vt

a) *Quinque vv. sqq. ab Hoffaeo in margine addita sunt.* b) *Sic H. ipse correxit ex* vix vllus est. c) *Sententiam proximam H. in margine addidit.* d) *Verba sqq., usque ad* neget *incl., ab H. in margine addita sunt.*

[1] Ioannes Egolphus a Knöringen; v. supra p. 341 [2].

[2] Alber. [3] De P. Nicolao Limburgio v. supra p. 457 [1] et 480.

[4] Ex his verbis intellegitur, has litteras, etsi Hoffaeus diem 6. Octobris iis ascripsit, Ingolstadio 4. Octobris datas esse; accedit, quod aliae exstant litterae, quas Hoffaeus Dilinga 6. Octobris 1580 a se datas esse sua manu notavit.

[5] In *Codice collegii Societatis dilingani, in quem sub P. Theodorico Canisio rectore congregationum praepositorumque generalium decreta, responsa etc. in usum rectorum transcribebantur, hae „Resolutiones" usque adhuc exstant, neque ulla ratione oblitteratae vel, quod ratae non essent, notatae sunt (Cod. „C 1" p. 10—11).

is eam contra Patrum Resolutiones Pontifici proponat vna cum alijs phantasijs quas concepit contra sententiam horum Academicorum de eodem contractu. Do quidem ego operam vt temerarius et indiscretus hic Pater nihil simile tentet per Principem, neglectis Patribus: sed quid effecturus sim ignoro. Rogo igitur P. V. vt isthic tempestiue caueat ne quid resoluatur de hoc contractu donec patres qui ex hac Prouintia istuc breui venturi sunt plenam adferant de hoc contractu informationem: longe enim aliter res habet quam isthic putetur, sicut ego ipse expertus sum qui tota quadragesima de eodem contractu concionari a Principe coactus fuj. . . . Expediet tandem honesto modo bonum P. Canisium ad Rhenum mittere" (ex autogr.; Germ. 158 f. 292; germanice haec reddita sunt a *Duhr*, 5%-Streit l. c. 228—229). Brevi post Hoffaeus Ingolstadio Dilingam venit ibique Canisium invenit et vituperavit, idque, ut videtur, acrius quam suavius; neque mirum est, Canisii animum valde demissum et praepositorum observantissimum provincialis sui verbis magnopere commotum esse. *Hoffaeus* itaque Dilinga 6. Octobris 1580 ad Manareum haec *rettulit: „P. Canisius prolixe a me veniam petijt: amo bonum Patrem, et quamdiu in hoc officio ego fui, permisi illi omnia liberrime, sed certe non satis bene vsus est Prouintialis sui beneuolentia et indulgentia: promittit multa, sicut saepius promisit, sed facile redit ad ingenium non tam vitio voluntatis quam senectutis: Egregie sane meam patientiam tredecim annis exercuit et adhuc paratus sum mores eius tolerare modo sibi soli et Deo vacet nihilque se consilijs et gubernationi aut scriptioni de gubernatione immisceat, neque enim ipsius quieti expedit neque aliorum nisi ego vehementer fallor[a]. En denuo obnixe rogat P. Canisius, et promittit etc. Esto, habebo patientiam cum bono Patre" (ex autogr.; Germ. 158 f. 290[a]). Ita Hoffaeus; qui ipso hoc anno a praeposito generali petierat, ut Canisius sibi „socius et admonitor" adiungeretur, et tum a. 1578 tum a. 1580 Canisium Germaniae superioris „viceprovincialem", quamdiu ipse in Helvetia versaretur, agere iusserat (v. supra p. 442 et infra, monum. 1253). Miram huius viri indolem: magna praeditus virtute, paterna prorsus caritate suorum rationibus serviebat; sed nonnunquam, bile commota, atro quodam colore et suas et aliorum res offundebat et sic offusas depingebat (*Duhr*, Jes. I 783—798); ita aegre ferebat Canisii „scriptionem de gubernatione" sua; at ille et „consultoris" officio, quod ei iniunctum erat, et singularibus planisque praepositorum mandatis, ut interdum ea de re Romam referret, adigebatur (v. supra p. 8 321); scribebat autem — contra quam Hoffaeus opinabatur — de eius virtutibus copiose, de erratis modeste; cf. supra p. 9 154 229—230 273 ad 274 etc.). Aliter Hoffaeus Societatis moderatores tractabat. Ut pauca ponam exempla, Roma 27. Iulii 1577 *Mercuriani* nomine ei *scriptum est: „Cum proximae R. T. litterae . . . tum aliae nonnullae visae sunt nonnullis de rebus agere paulo acerbius, sic vt R. P. N. Generalis consilium et voluntatem viderentur multo minoris facere quam par esset . . . Quare optat idem P. N. vt R. T. in posterum memor sit eius reuerentiae quae superioribus debetur, ac omnino eius modestiae quam nostra vocatio a nobis requirit". Et Roma 23. Augusti 1579 ipse *Mercurianus* P. Theodorico Canisio de Hoffaeo *scripsit: „Totis his annis nunquam ad nos scribere destitit literas plenas querelis, aculeis, denique indignas quae ad superiorem a subdito mitterentur · quod nos simplicitati cuidam et candori tribuentes, leuiter aliquoties eum castigauimus, uel potius admonuimus · praecipue tamen hoc anno fuit intolerabilis eius acerbitas . . . Quod Reuerentia V. de illius prudentia, diligentia, et probitate commemorat, haec neque nos fugiunt, sed noluimus pati ad illius ceteras uirtutes hanc quoque mansuetudinis et uerae subiectionis uirtutem deesse" (ex commentariis; Rh. Inf. 1, II f. 12[a] 33[a]). Electus deinde Hoffaeus a. 1581 Claudii Aquavivae praepositi generalis pro Germania assistens, eo in munere omnia rigidius tractando et suam aliquando sententiam neglegi aegre ferendo tantum molestiae Aquavivae facessebat, ut is tandem illi denuntiaret, ipsi, nisi aliam rationem inire vellet, officium fore deponendum: quam abdicationem Hoffaeus probe prompteque praestitit (*Ios. Iu-*

a) *Quattuor rr. antecedentia ab H. postea ascripta, et rr. sqq., usque ad* Patre *incl., ab eodem in margine addita sunt.*

vencius S. J., Historiae Societatis Jesu Pars quinta, Tomus posterior, Romae 1710 l. 11, n. 66, p. 20—21; *B. Duhr* S. J., Paulus Hoffaeus, in „Zeitschrift für katholische Theologie“ XXIII 617).

Ad 5% redeo. Ingolstadio 9. Octobris 1580 *Hoffaeus* Manareo vicario generali Societatis *scripsit: „Cum Contractus germanici causa pernitiosae animorum dissensiones multis iam annis hanc Prouintiam diuexerint, etiam vsque ad Principum virorum scandala, neque putem vnquam animorum concordiam sperari posse, nisi clarius res omnis intelligatur et magis serio isthic a Nostro futuro Patre tractetur et conficiatur, Jccirco Paternitatem V. aequo animo laturam confido, si quaedam consilia experiar, quae ad huius negocij compositionem multum adiumenti, et tamen Paternitati V. atque Societatis ordini nihil praeiudicij allatura videbuntur, de quibus nunc quidem nihil scribo, quod illa mecum et cum alijs nondum satis deliberauerim (ex autogr.; Germ. 158 f. 296b—297a). Quid autem Hoffaeus expertus sit, proximis epistulis, ex parte saltem, declarabitur.

Manareus Canisio respondit 27. Octobris 1580.

2073. P. CASPAR HAIVODUS S. J. P. PETRO CANISIO S. J. praepositi provincialis Germaniae superioris socio et P. HIERONYMO TORRENSI S. J. theologiae professori in universitate dilingana.

Monachio 17. Octobris 1580.

Ex autographo (2°; 1⅓ pp.; in p. 4 inscr. et reliquiae sig.). Germ. 158 f. 305 306. Epistulae summam germanice posuit *Duhr*, 5%-Streit l. c. (v. supra p. 574) 230—231 et Jes. an Fürstenh. 125—126.

Se de 5% quippiam respondere vetitum esse ab Hoffaeo provinciali. Eundem eam pactionem defendere. De libro Medinae.

† Reuerendi Patres. Pax Christi et cetera.

Pater Prouincialis noster[1], iam pridem in virtute Sanctae obedientiae mihi mandauit, ut nec Principi, nec .D. Dummio, nec Nuncio Apostolico[2], nec vlli alteri, verbo uel scripto per me uel per alium directe uel indirecte, quicquam de Contractu Germanico vel de vllo alio negotio proponerem uel tractarem. Nec ita multo post literas ad .P. Rectorem[3] dedit, quibus iterum jdem iussit addens ut nec ad jnterrogata responderem, si de istis aut vllis similibus jnterrogarer etiamsi sub sigillo Confessionis mea sententia peteretur. Obediui huc vsque eatenus, quatenus tale mandatum obligare potuit. Nec vnquam mihi quicquam est cum Principe, nec vnquam fuit, nisi ex voluntate ipsius P. Prouincialis, et ipso praesente. Jnterea Reuerendus Pater hunc in modum (nobis nescientibus) processit. Principem nostrum Serenissimum Guilielmum obtestatus est clanculum, ne vnquam meam sententiam[a] petat de justitia uel iniustitia huius contractus[b]. Jnterrogatus deinde a Principe cur id faceret, respondit, se non posse efficere vt omnes sui subditi, sint tales, quales nostra vocatio postulat: sed nos etiam

a) *Sequitur* de, *ab Hair. oblitteratum.* b) *Sequuntur vv.* Deinde ad eundem Principem literas misit, quibus in se suscipit, *oblitt.*

[1] Paulus Hoffaeus.

[2] Haivodus significat Guilielmum V. Bavariae ducem, doctorem Martinum Dumium contionatorem eius aulicum, Felicianum Ninguardam O. Pr. episcopum scalensem nuntiumque apostolicum; de his ac de tota hac 5% causa vide supra p. 573.

[3] Ferdinandum Alber, rectorem collegii monacensis.

esse homines. Deinde absens, ad eundem Principem[a], literas, (ut certo mihi constat) misit, quibus in se suscipit defensionem contractus Germanici de .5. pro .100. et promittit se nunc in vrbe[1] effecturum, ut iste contractus per viam Census personalis vtrinque redimibilis approbetur[2]. Commouit quoque[b] (auxilio .P. Gregorij de valentia) Doctores Jngolstadienses ut a priori sua sententia discederent, et priori suo responso (eoque optimo) reuocato, alia darent, quorum summa est, quod iste contractus approbatus sit siue per contractum societatis propter tria pacta implicita, siue per censum personalem vtrinque redimibilem (subscripserunt autem ex nostris .P. Gregorius de Valentia et .P. Ottho Eisenreich)[3]. Et ideo non debere eius Celsitudinem prohibere quo minus Judices et magistratus in Bauaria hunc contractum in Judicijs approbent, sed sufficere hoc conscientiae Principis si relinquat hoc prudentiae et fidelitati eorum sicut hactenus. Eius Celsitudo hunc contractum tolerare quidem impune statuerat, et ad eius publicam condemnationem (ex nostro, etiam meo consilio) non procedere. Verum cum nuper ad Judices scripserit[c] · etiam ex consilio .P. Prouincialis. ut in Judicio non approbent, sed ad ipsum Principis Tribunal (quando talis casus in Judicium veniet) referant hoc ipsum nunc reuocandum aut suspendendum esse contendunt donec jste contractus aliqua ex supradictis vijs[d] approbetur, sicut ipsi aiunt approbandum esse. Jtaque in posterum (nisi Deus nos iuuerit) res iusta et sancta reputabitur. Ad hoc autem persuadendum, nunc denuo nostrorum opera, diligenter Jngolstadij excuditur tractatus ille Johannis Medinae de censu vtrinque redimibili[4]. Princeps ad Literas .P. Prouincialis, excandescens dixit · Ecce qualis Jesuita, vento inconstantior[5]. Haec ad vos duos

a) *Sequitur* misit, *oblitt.* b) *Hoc v. supra versum scriptum est.* c) *Quinque vv. sqq. in margine addita sunt.* d) *Sequitur* declaretur, *oblitt.*

[1] Ad Societatis congregationem generalem venturus erat Romam; v. supra p. 560 [1].

[2] Id ne imperii quidem legibus concessum erat; in comitiis enim a. 1548 Augustae habitis planis verbis constitutum erat, ut 5 % redimendorum potestas penes solos venditores esset (*Jos. Biner* S. J., Apparatus eruditionis ad jurisprudentiam, praesertim ecclesiasticam, VII, Augustae Vind. et Friburgi Brisg. 1754, 755—756).

[3] Vide supra p. 575.

[4] Ioannes Medina complutensis, qui in patria universitate (Alcalá) per 20 annos theologiam docuit et anno 1546 mortuus est, aliquas opiniones tenebat, quas post Concilium Tridentinum, ut ait *Hurter* (Nomenclator II[3] 1559) „non amplius defendere licet"; caeterum operibus suis (quae primum Salmanticae 1550, deinde Ingolstadii 1581, Brixiae 1606, Coloniae 1607 edita sunt) sacrarum litterarum studia egregie iuvit (*Nicol. Antonius*, Bibliotheca Hispana nova I, Matriti 1783, 740—741).

[5] Haec quam vere dicta sint nescio; Hoffaeus certe se sibi constitisse, „resolutiones" illas romanas (v. supra p. 157) semper sequendo, affirmabat (cf. *Duhr*, Jes. I 726); sed *Ninguarda* Monachio 6. Februarii 1580 cardinali Comensi scripsit: In deliberatione a Guilielmo V. cum 4 iurisperitis et 5 theologis de 5 % habita pactionem illam iurisperiti licitam, theologi illicitam esse censuerunt; et in theologorum sententiam dux discessit; in theologorum autem illorum numero praeter Dumium erant Hoffaeus provincialis et alter quidam Societatis homo, „buon canonista" (Haivodus); utrumque a se missum esse „per maggior' satisfatione del Signore

(Reuerendi patres) secreto scribenda habui, ne periculum in mora esset, si meum consilium nuper datum sequeremini · vos pro vestra prudentia quid vobis faciendum sit probe nostis. Bene valete in Domino, et pro me orate · Monachij .17. Octobris .1580.

.V.V. RR.

Seruus in Christo
Gaspar. H.

Reuerendis in Christo Patribus, Petro Canisio, et Hieronymo Torrensi Societatis Jesu Theologis Dilingae.

Epistula haec (a Canisio?) Romam missa est cum hac inscriptione „Soli N. P.“; i. e. Soli Patri Nostro (generali) tradatur.

Haivodus his litteris impedire non potuit, quominus Medinae opus quoddam Ingolstadii in lucem emitteretur; exstat enim „*Ioannis Medinae*.... De Poenitentia, Restitutione, et Contractibus, praeclarum et absolutum opus, in duos divisum tomos: non modo Theologiae, sed et Iurisprudentiae Professoribus ac Studiosis omnibus quam vtilissimum: antea quidem in Hispania, nunc vero primum in Germania editum.... Ingolstadii Ex Officina Typographica Davidis Sartorii. Anno M. D. LXXXI.“ Cum litteris dedicatoriis Alberti Hungeri „professoris theologi et procancellarii in academia Ingolstadiana“, Ingolstadio 31. Martii 1581 ad Ernestum Bavariae principem, „confirmatum Hildesheimensis et Frisingensis, nuper etiam electum Leodiensis Ecclesiarum Episcopum“, datis, in quibus Medina summis laudibus extollitur. Tomus secundus huius operis proprium quoque titulum habet, et ipse quoque Ingolstadii editus est a. 1581; huius pars ultima constat 15 „quaestionibus“ „de rebus per vsuram acquisitis“ (f. 250^b—361^a).

2074. OLIVERIUS MANAREUS vicarius generalis Societatis Iesu CANISIO. Roma 27. Octobris 1580.

Ex commentario; in capite, eadem manu: „Dilingae P. Canisio.“ Rh. Inf. 1, II f. 49^a.

Magdalena regina. P. Crusius. Canisius nuntii apostolici theologus. De 5%/₀ in praesens nihil morendum. P. Haivodus. Nova editio librorum Canisii. Cardinalis Sirletus. Libri contra Socios.

Accepi Reuerentiae V. literas datas Augustae, unde breui se Dilingam profecturam significabat. Jn ijs quod literas Reginae[1] retentas scribit, probaui P. Prouincialis[2] et Reuerentiae V. consilium de expectanda P. Generalis creatione: nam neque ego aliter in meis literis scribebam Reginae, quam nihil in praesentia agi posse: scripseram autem ueritus ne illa dilationem hanc molestius ferret.

Duca“; ac vehementi suo motum rogatu Hoffaeum proxima Quadragesima in principis aula de 5 $^0/_0$ e sacro suggestu „molto bene“ dicturum esse. Die vero 2. Decembris 1580 Ratisbona ad eundem cardinalem rettulit: Postea P. Valentiam et Hoffaeo et professoribus ingolstadiensibus persuasisse, ut iam 5 $^0/_0$ permittenda esse dicerent; id se ex P. Haivodo nuper accepisse. Die tamen 27. Ianuarii 1581 Ratisbona eundem cardinalem monuit, se Ingolstadii fuisse ibique de Valentia et iis, qui cum illo starent, aliter ad se relatum esse, quam Haivodus narrasset (ex epistulis archetypis, quae sunt in archivo vaticano, Nunz. di Germ. 89 f. 35—39, p. 311—314; Nunz. di Germ. 90, p. 17—19. Complura ex iis posuit *Duhr*, 5 $^0/_0$-Streit l. c. 232—233, et Jes. an Fürstenh. 127—128).

[1] Magdalenae; v. supra p. 570. [2] Hoffaei.

De P. Crusio[1] iam scripsi[a] P. Prouinciali eum a nobis cito remissum iri, id est simul ac appulerit is quem illi successorem destinauimus, quem miror cur adeo moretur: monueram enim ut festinatione uteretur.

Gauisus sum Reuerentiae V.[b] potissimum contigisse ut Reuerendissimo Delphino adiungeretur[2] · spero enim si res progrediatur ex Reuerentiae V. laboribus in ea re non minimum prouentum · Jlle autem a summo Pontifice obtinuerat unum e nostris. Postea mandato eiusdem Pontificis idem ego quoque scripsi ad P. Prouincialem. Nunc autem quod ipse Reuerentiam V. nominatim elegerit, ut dixi gauisus sum.

Quod autem cognoui ex Reuerentiae V. literis, iam etiam ex alijs resciueram ueterem illam litem de censu quinque pro centum[c], tot disputationibus, et decretis, et responsis etiam Patris Nostri piae me[3]: iugulatam denuo[d] reuixisse; quae res mihi molestiam aliquam attulit, praesertim quod audiui, quaedam a P. Heiuodo dicta quae[e] ad animorum coniunctionem conseruandam parum conferunt, et praeterea[f] negotium usque ad Serenissimum[g] Ducem Gulielmum etiam progressum esse. Ego uero nihil in praesenti huic rei mederi possum. Nam etiam si Pontifex olim ut Reuerentia V. scribit in partem[h] illam inclinari uisus sit, tamen suspicor non omnes circumstantias fuisse tum illi plane expositas[i]: Et certe cum hae nouae exortae sint dubitationes non uidentur ullo meo mandato tolli posse, nisi cum P. Prouincialis et electores istinc ad Congregationem uenerint: quo tempore et illis et alijs[k], nostrisque insuper[l] doctoribus qui hic sunt in consultationem adhibitis[m] ut in alia Congregatione praesente Reuerentia V. factum est[4] aliquid decerni poterit quod deinde Pontifici delatum vim[n] ab illo et autoritatem accipiat, et ab omnibus uniformiter seruetur. Nam ad eius Sanctitatem ut hoc faciat impellendam maius etiam pondus habebit,, si intelliget rem bene agitatam ex uniuersae prouinciae[o] [?] sententia illi proponi. Quare maxime uelim ut interim Reuerentia V. P. Heiuodo[p] et si quis alius fuerit qui de hac re loquatur et autoritate sua, et ratione etiam persuadeat, ut quiescat, neque[q] autor esse uelit Serenissimo[r] Duci ullius rei innouandae ante id tempus quod dixi, praesertim cum tam breui affuturum sit. Hoc Reuerentiae V. propter nostrorum unionem, et concordiam magnopere commendo.

a) *Sequitur* ill. *oblitt.* b) *Sequitur* destinat, *oblitt.* c) *Sequitur* iam et, *oblitt.* d) *Hoc v. supra versum scriptum est.* e) *Sequitur* non, *oblitt.* f) *Sequuntur vv.* hoc totum, *oblitt.* g) *Hoc v. supra versum scriptum est.* h) *Sic correctum est ex* R. V. scit hanc eandem partem. i) *Sic corr. est ex* propositas. k) *Sequitur* in consult et, *oblitt.* l) *Hoc v. supra versum scriptum est.* m) *Novem vv. sqq. supra versum scripta sunt.* n) *Duo vv. sqq. supra versum scripta sunt.* o) *Sic; sed tota haec oratio suadere mihi videtur, ut dicam Manareum scribere voluisse:* Societatis. p) *Decem vv. sqq. supra versum scripta sunt.* q) *Sequitur* quicqu, *oblitt.* r) *Hoc v. supra versum scriptum est.*

---

[1] P. Iacobus Kraus Venetiis, ubi Germanos sacris ministeriis excolebat, Landsbergam, ut magister noviciorum esset, venturus erat; v. supra p. 544 559.

[2] Vide supra p. 570. [3] Mercuriani praepositi generalis.

[4] Vide infra, monum. 1137.

De eius[a] opere tum B. Virginis, tum S. Jo: Baptistae, rescripsi P. Prouinciali qui item hoc quaesierat, facere nos Reuerentiae V.[b] potestatem eius[c] denuo recognoscendi, et quae mutabuntur cum tribus istius prouinciae patribus conferendi, ac deinde ut rursum imprimatur[1]. Cardinalem autem Syrletum ego sane saepius ursi ut quae dudum promiserat communicare dignaretur, ac scriptorem etiam obtuli si forte ille propter negotia ei rei uacare non posset; quod etiam feci accurate nudius tertius: sed adhuc nihil praeter promissionem multarum rerum elicere[d] potui · si quid dabit mittetur ad Reuerentiam V. statim.

P. noster Turrianus cuperet uidere librum Sadeelis illius quem Reuerentia V. scribit denuo exisse: eumque ab Reuerentia V. uel per Patres qui ad Congregationem uenient, uel si commodius fuerit, prius etiam, ad se mitti petit, quod mihi quoque gratum accidet. De altero etiam Rupellae excuso[2] scribam ad P. Maldonatum, ut uideat an operae pretium sit confutari: nam adhuc nihil a nostris Gallis de eo audieram.

Postremo quod se Reuerentia V. Deum assidue precaturam[e] ostendebat, ut mihi auxilium mitteret in hoc munere gerendo et praesertim in ijs quae ad Congregationem celebrandam pertinebant, sciat se nihil mihi gratius facere posse, quando id non solum in meam, sed communem etiam Societatis utilitatem cedit[f]. Quare tum eius caritati gratias ex corde ago, tum etiam eam rogo[g] ut id facere semper pergat: atque ego uicissim illi etiam uberem[h] Dei gratiam et benedictionem precor. Romae 27 Octob. 1580.

*Epistula ad Hoffaeum provincialem, quae in his litteris commemoratur, Roma 24. Octobris 1580 data est; in qua *Manareus* ad complures eius epistulas respondens haec, praeter alia, scripsit: „Mirum ualde mihi et molestum accidit quod [Reuerentia V.] de P. Canisij, et Heiuodi opinione, alterius etiam contumacibus uerbis significauit[i 3]. Quare cum mihi ad quasdam P. Canisij literas respondendum esset, uolui aliquid de hoc attingere eumque commonere ut uel aliorum sententijs

a) *Sic corr. est ex* Pro. b) *Sic corr. est ex* illi. c) *Hoc v. supra versum scriptum est.* d) *Sic corr. est ex* reportare. e) *Sequitur* promitteba, *oblitt.* f) *Corr. ex* cedat. g) *Corr. ex* hortor. h) *Hoc v. supra versum scriptum est.* i) *Vide infra, adnot. 3.*

---

[1] *Hoffaeus* Monachio 19. Septembris (ut videtur) 1580 *scripserat: „P. Canisius petit facultatem castigandi suum opus Marianum et denuo illud euulgandi“ (ex autogr.; Germ. 158 f. 293[a]). Ad haec *Manareus* Hoffaeo Roma 24. Octobris 1580 *rescripsit: „P. Canisius poterit Marianum suum castigare ut petit, quas castigationes ubi istic cum tribus patribus contulerit, V. R. facere illi poterit facultatem eius denuo imprimendi“ (ex comm.; Rh. Inf. 1, II f. 48[b]).

[2] Significantur *Antonii Sadeel* (Chandieu) „Ad omnia . . . Turriani . . . Sophismata . . . Responsio“ et hominis anonymi „Doctrinae Jesuitarum praecipua capita“. v. supra p. 572.

[3] In harum *litterarum commentario sequuntur haec verba: „Nam in eo certe uel maxime utriusque non solum humilitas sed etiam prudentia merito requiri posse uidetur, qui soli et omnium istorum Doctorum opinioni, et resolutioni hic Romae adeo considerate, et mature factae refragari audeant.“ Haec tamen sententia, ut ex lineis per eam transmissis intellegitur, Manareo postea visa est omitti debere, idque recte; neque enim verum erat, quod dicebatur, imprimis de „solis“ illis: v. supra p. 575.

sese accommodet idemque ipsemet P. Heiuodo suadeat uel saltem si quid contra habeat id ad generalem Congregationem deferant, eiusque iudicium expectent. Hoc mihi, et his Patribus satius uisum est quam eos tam subito[a] prouincia mutare[b] [1] hoc maxime tempore quo Generali caremus[c], praesertim cum eorum alter etiam elector substitutus sit[2]. Jnterea tamen attendemus si quid istinc ad Pontificem scribatur, ne ullum decretum fiat, donec ut Reuerentia V. scribit, Patres pleniorem afferant instructionem: quamquam etiam per se scimus Pontificem in huiusmodi rebus definiendis non nimis esse procliuem" (ex comm.: Rh. Inf. 1, II f. 48[b]).

Caeterum in registro praepositorum generalium commentarium litterarum 27. Octobris ad Canisium datarum, quae supra positae sunt, proxime antecedit *commentarium epistulae die 25. Octobris 1580 ab eodem *Manareo* ad Canisium dandae: in qua haec sunt: „Nuper intellexeram ueterem illam questionem de fructu quinque pro centum in ista prouincia rursum reuixisse, cum aliqua quorundam perturbatione, eoque magis quod suspicabantur etiam Reuerentiam in eo aliquid partis habere. Jtaque monere eam uolui ad euitandam omnem dissensionem, et ut omnia nostra in caritate fiant, gratum mihi fore ut Reuerentia V. si quid in eo genere habet quo minus resolutioni iam factae, atque etiam usui iam inueterato, et a tot doctis uiris approbato, acquiescere possit, saltem eam disputationem reseruet ad Congregationem generalem, quo tempore ista melius uideri, et decerni poterunt. Neque solum uelim ipsa hoc faciat, sed etiam si qui alij in hoc genere aliquid mouere cernentur, quemadmodum audiui de P. Heiuodo, ut Reuerentia V. eos et auctoritate et ratione inhibere studeat. Et quoniam scio pro sua prudentia, et communis pacis studio Reuerentiam V. omnia facturam diligenter, idcirco longior non ero." Eodem die *Manareus* Haivodo quoque *scribere statuit; in quarum litterarum commentario haec sunt; „Venit ad aures meas Reuerentiam V. de usura illa quincunce seu quam uulgo appellant quinque pro centum ita ab alijs Patribus istic dissentire, ut etiam neget quenquam posse absolui, et errare [dicat] nostros qui absoluant, in eandemque sententiam etiam conari ut Ducem pertrahat.... Reuerentiae V. sufficere poterat generalis uel locorum istorum usus, uel Doctorum consensus, uel certe decretum olim Romae super ea re factum tanta cum consideratione adhibitis Patribus qui ex ista prouincia uenerant et alijs quibusdam, ac praecipue ipso etiam P. Toleto et alijs nostri Collegij doctoribus" (Rh. Inf. 1, II f 48[b]—49[a]). Postea vero, ut ex lineis per duo haec commentaria transmissis cognoscitur, Manareus satius esse duxit, utraque epistula mittenda supersedere, quam ex Germaniae usu et „Doctorum consensu" 5% defendere.

Canisius Manareo respondit 20. Novembris 1580.

2075. P. PAULUS HOFFAEUS S. J. Germaniae superioris praepositus provincialis CANISIO et aliis quibusdam SOCIIS.

Landsberga circa d. 16. Novembris 1580.

Ex Canisii epistula autographa, de qua infra, ep. 2078, et ex litterarum P. Haivodi apographo eodem tempore scripto, quod est in „Germ. 158" f. 312[a]—313[b]. Litterarum Haivodi summam brevem posuit *Duhr*, 5%-Streit l. c. 231 et Jes. I 725 et Jes. an Fürstenh. 126.

a) *Sic corr. est ex* eos hoc tempore. b) *Sequitur* quod, *ex quo correctum est* quae res; *deinde haec quoque oblitterata sunt.* c) *Sequitur* multis sermonibus expositum esset; *deinde scriptum est* multis sermonibus exposita esset; *postea haec quoque deleta sunt.*

[1] Hoffaeus a Manareo petierat, ut Canisium „ad Rhenum", Haivodum „vel ad Rhenum vel in Poloniam vel Austriam" mitteret; v. supra p. 576.

[2] A congregatione provinciali Germaniae superioris cum (electis duobus, qui cum provinciali Romam profecturi essent) eligendi iam essent tres in locum electorum, si ii forte legitime impedirentur, substituendi, ultimo loco electus erat Canisius; v. infra, monum. 1261.

Praefatio editoris. *Hoffaeus* provincialis Landsberga 17. Novembris 1580 Oliverio Manareo vicario generali Societatis *scripsit: „Scripsi heri ad P. V. nostrum Patrem Heyuodum Anglum ad Pontificem [1] aliquoties appelasse propter et contra resolutiones Romanas de 5. pro cento quas anno 1573 · praesidente P. V. fecit D. Toletus cum pluribus alijs Patribus [2]. Expectat a Pontifice in horas responsum quod Romam vocetur. Princeps Bauariae [3] eius appellationis conscius est et promotor vna cum suo concionatore Dumio [4].... Sciat P. V. neminem nostrum vllam minimam causam dedisse Heyuodo vt Romam appellaret: nec de eius appellatione ego quicquam suspicari potuissem nisi tunc seipsum prodidisset quando ab eo peterem vt meo loco Friburgum iret et Collegium illud quale futurum esset consideraret et acceptaret: hac enim occasione dixit sibi propter factam appellationem discedere [a] non licere. Multa mihi scripsit de sua appellatione quorum exemplum hic mitto: vocaui huc aliquot Patres de quorum consilio responderem homini, qui mihi videtur quodam spiritu phanatico exagitari. Et meminit P. V. quod simili phraenesi etiam defunctum Augustanum Episcopum [5] dementauerat vt is mandatum Augustae contra 5. pro cento euulgaret, quod nisi minis Senatus Augustani territus illico reuocasset, se et nos in summum discrimen adduxisset. Nunc similia tentauit in Bauaria vbi eius causa Principis Consiliarij toti Societati infensi sunt, et teste Principe, meditantur modos quibus nos diuexent et humilient, ne praesumamus nos sic ingerere reformationibus et rebus Aulicis. Princeps interim, inuitis consiliarijs totus est Heyuodianus et eius causa duriter nos tractat maleque de nobis sentit et loquitur quod ego non sim illi in omnibus sicut Heyuodus in dicto contractu obsequens, sed improbem potius quod nimium ab vno Heyuodo pendeat" (ex autogr.; Germ. 158 f. 314^b^—315^a^; summam litterarum germanice posuit *Duhr*, 5%-Streit l. c. 231—232, et Jes. an Fürstenh. 126—127).

P. Haivodi ad pontificem appellatio. Canisii iter friburgense.

Canisius Dilinga 20. Novembris 1580 Oliverio Manareo Societatis vicario generali haec, praeter alia, scripsit: „P. Heiuodus . . . pro suo zelo inauditum appellationis genus instituit, et aduersus maiores suos . . . sese munire uoluit, . . . etsi de censu quinque pro centum non conueniat inter omnes. . . . Rogatus a P. Prouintiali meam scripsi sententiam. . . . Visum est P. Prouintiali, me hinc mittere Friburgum, vt collegij fundamenta iaciantur. . . ."

Epistula quidem, qua Hoffaeus prouincialis haec cum Canisio communicavit, perisse videtur; superest tamen apographum litterarum Haivodi, quod Hoffaeus una cum epistula illa Canisio et iis, quos statim dicam, misit, ut ex eo Haivodi causam cognoscerent et, quid de ea sentirent, sibi scriberent (Germ. 158 f. 312). Huic apographo, manu P. Bonaventurae Paradinas rectoris noviciorumque magistri landsbergensis scripto, ab ipso Hoffaeo haec inscripta sunt: „Exemplum literarum P. Heyuodi ad P. Hoffaeum. Pro Patribus Gregorio Rosephio · Theodoro Peltano · Vtroque Canisio · Hieron. Torrensi . Remittatur [6]." Sic igitur P. Caspar Haivodus Monachio 14. Novembris 1580 Hoffaeo scripsit:

a) discere *autogr.*

[1] Gregorium XIII. [2] De his v. infra, monum. 1137. [3] Guilielmus V. dux.
[4] De hoc v. supra p. 575. [5] Ioannem Egolphum a Knöringen; v. supra p. 341[2].
[6] Rosephius et Peltanus Augustae, Petrus et Theodoricus Canisii et Torrensis Dilingae erant.

† *Reuerende in Christo Pater Pax Christj. Cur ego nunc ex hoc loco discedere nequeam paucis aperiam. Ego dum apud me considerans qualia ea sint, quae in hac prouincia multis iam annis gesta sunt, et quae tradita sunt nobis in resolutionibus nomine Romanorum Patrum*[a], *spectantia ad contractum illum vsitatum in Germania, quo quinque floreni annui pro singulis centenarijs accipiuntur, et postea summa capitalis, conscientiae stimulis agitatus, et putans me ad hoc obligatum esse, ratione status mei in societate, frustra omnia alia remedia tam in hac Prouincia quam apud supremos superiores nostros de societate Romae expertus, optimo animo et non sine multis lachrymis ad summum Pontificem scripsi, et ad Sanctam Sedem Apostolicam, super omnibus grauaminibus conscientiae meae (ad contractum de .5. pro 100 spectantibus) pro mea et posterorum salute secreto, et extra Judicium appellaui*[1]. *Quod autem in casu justi metus canones fieri praescribunt, in praesentia duorum bonorum virorum protestatus sum et cetera*[2]. *Supplicauj quoque suae sanctitati, vt cum extra iudicium appellauerim, vt omnes defectus appellationis meae tolerare dignetur, et eandem acceptare etiamsi iuridica forma non seruetur. Causas quoque addidi cur aliter procedere non potuerim · et submisi me in hac causa suae sanctitatis protectioni. Quibus in causis, aut quo modo homini Religioso ad sedem apostolicam a suis superioribus appellare liceat, aut non liceat optime noui, et iura canonica huc spectantia probe teneo. Nec vlli hac in re iniuriam facio, dum meo iure vtor. De mala mente autem in me sanctiores sunt patres societatis nostrae, quam vt sinistre definiant, cum solus Deus cordium scrutator sit*[3]. *Cum itaque summi Pontificis responsum huc Monachium mittendum, in dies expectem, ego nulla ratione hinc interim discedere possum; ne prosequutio appellationis meae retardetur, aut sedes apostolica deludatur. Nec potest P. T. me interim hinc remouere, sine meo consensu, etiam si adhuc non ueniret responsum de Justificatione appellationis meae, sicut expresse in iure canonico statuitur*[4]. *Haec praedicta a me gesta sunt die 26. Octobris. Literasque ad Pontificem binas, de eodem argumento per diuersas vias et per diuersas celerrimas postas misi. Mittamque adhuc tertias, ne*

a) Patruum *apogr.*

---

[1] „Sacri canones etiam extra judicium passim appellare permittunt"; c. 5, X 2, 28.

[2] Significat, puto, illud: „Si iustus metus, quo minus appellaveris, te excusat, ad appellationis reputaris beneficium convolasse: Dummodo intra tempus, quo licite provocatur, coram iudice a quo appellasse volueras, vel si habere ipsius copiam nequivisti, in praesentia bonorum virorum protestatione super hoc proposita, causas appellationis duxeris exprimendas": Ita habent Decretales *Gregorii IX.* (c. 73, X 2, 28).

[3] Cf. 1 Par 28, 9; Ps 7, 10; Sap 1, 6; Rom 8, 27; Apc 2, 23, etc.

[4] Tueri se volebat Haivodus (nisi fallor) loco illo, qui est in Decreto *Gratiani:* „Appellatione interposita, sive ea recepta fuerit, sive non, medio tempore nihil novari oportet": c. 31, C. II, q. 6; caeterum cf. c. 5, C. III, q. 6; c 51, X 2, 28; c. 7 in VI 2, 15; c. 1, X 2, 29 etc.

fraus, vis, aut casus me impediat · statui enim hoc miserum corpus licet varijs modis non optime affectum, in hac praesente causa pro salute fratrum meorum, et pro liberatione eorum a multis periculosis erroribus morti exponere. Ne autem causa mea periret, si nullae literae meae ad manus Summi Pontificis peruenirent, nunc clare significo R. T. me ad sedem apostolicam constanter, extra iudicium appellare. Et peto, vt R. T. det mihi quam primum literas dimissorias (quas iura mihi dari iubent) quibus significet me hac de causa Romam tendere. A die enim 26. Octobris proxime praeterito inter Romipetas iure computor[1]. *Protestor tamen me per hanc praesentem appellationem, et literarum dimissoriarum petitionem, non intendere reuocare meam priorem appellationem per literas Romae factam, nec eidem quicquam praeiudicare (quam etiam ob causam omnem sententiam de contractu praedicto de .5. pro 100 a minori aut inferiori iudici, quam ab eo, ad quem appello datam aut dandam constantissime recuso) sed ideo me literas dimissorias siue (ut iura vocant) apostolos a P. T. petere*[2], *vt si forte a summo Pontifice responsum tempestiue non accepero, per literas vestras dimissorias hinc abire possim, ne mea appellatio differatur, quam sine mora prosequi statuo. Mihi autem de conscientia religiosissimi viri, et mei amantissimi Patris, ac superioris meliora persuadeo, quam quod vir tantus et tam doctus per vim aut fraudem, aut silentium me sedem apostolicam licite appellantem retardare velit, vnde et causa sua tandem redderetur deterior, et conscientia grauibus casibus implicaretur. Quod si tamen (quod absit) vllis rationibus impedirer, ad alterum, iure concessum, remedium confugere cogor, et iter mea propria authoritate arripere, quod etiam in religioso uiro (quando non agitur de constitutionibus regularibus sui ordinis)*[3] *nec cum antiquo iure, nec cum concilio Tridentino pugnare*[4] *sed expresse concessum esse satis superque scio*[5]. *Haec ad R. T. scri-*

[1] „Cum autem plus sit ad sedem Apostolicam facto provocare quam verbo, et ipsis propter dictam causam ad Romanam Ecclesiam venientibus intelligatur ad sedem Apostolicam provocatum“ etc.: c. 52, X 2, 28.

[2] „Post appellationem interpositam literae dandae sunt ab eo, a quo appellatum est, ad eum, qui de appellatione cogniturus est sive Principem, sive quem alium: quas litteras dimissorias, sive apostolos appellant. Sensus autem literarum talis est: appellasse (puto) Lucium Titium a sententia illius, quae inter illos dicta est“: c. 31 C. II, q. 6.

[3] „Praecipue vero hoc in religiosis volumus observari, ne religiosi, cum pro aliquo excessu fuerint corrigendi, contra regularem Praelati sui et capituli disciplinam appellare praesumant, sed humiliter ac devote suscipiant, quod pro salute sua fuerit eisdem iniunctum“: c. 26 X 2, 28; cf. etiam c. 3, X 2, 28.

[4] Significare videtur decretum illud *Concilii Tridentini:* „Nec liceat regularibus a suis conventibus recedere, etiam praetextu ad Superiores suos accedendi: nisi ab eisdem missi aut vocati fuerint. Qui vero sine praedicto mandato, in scriptis obtento, repertus fuerit; ab Ordinariis locorum tamquam desertor sui instituti puniatur“ (Sessio XXV, c. 4 de regul.); dubitatum certe olim est, utrum verbo illo „Superiores“ etiam summus pontifex comprehenderetur; cf. *Franc. Suarez* S. J., De virtute et statu Religionis Tom. IV, tract. 8, l. 2, c. 11, n. 15, Moguntiae 1626, 102.

[5] „Ab eo, quo appellatum est, ad eum, qui de appellatione cogniturus est,

benda habui · de reliquo me orationibus, et sacrificijs suis plurimum commendo Monachij 14. Nouembris 1580. V. R. filius in Christo in omnibus quae appellationem meam non concernunt, obedientissimus. Gaspar Heiuodus."

Persuasit quidem Haivodus Ninguardae nuntio apostolico, sibi ad pontificem appellare fas fuisse; id quod ex Ninguardae litteris Ratisbona 23. Novembris 1580 ad Guilielmum V. Bavariae ducem datis liquet, quas posuit *Duhr* in Zeitschrift für kath. Theologie XXIX, 181—182. Atque eandem rem ille ex iure canonico Hoffaeo aliisque Sociis persuadere conabatur. Verumtamen iam Eugenius IV., Iulius II., Leo X., Gregorius XIII. pontifices „iuri suo cedentes propter bonum Religionum", ut inquit *Lezana*, Benedictinis S. Iustinae, Olivetanis, Camaldulensibus, Canonicis regularibus S. Salvatoris concesserant, ut ab institutis, ordinationibus, correctionibus, mandatis capitulorum sive congregationum generalium vel aliorum praepositorum nemini eorum religioso liceret ad quemquam externum, ne ad pontificem quidem vel sedem apostolicam appellare, nisi singularem quandam appellandi licentiam a pontifice impetrasset; haec autem concessio ad Societatem quoque pertinebat; huic enim Gregorius XIII. 3. Maii 1575 concesserat, ut omnium ordinum religiosorum privilegiis uti posset (*Emm. Rodericus,* Nova Collectio Privilegiorum Apostolicorum Regularium Mendicantium et non Mendicantium, Venetiis 1611, 84—85; *Io. Bapt. de Lezana* O. Carm., Summa Quaestionum regularium I, Venetiis 1646, c. 9, n. 6, p. 42; *Litterae* apostolicae etc. 143; *Compendium* Privilegiorum et Gratiarum Societatis Iesu, Antverpiae 1635, 30—31 42. *Institutum* S. J. I 57 528 542). Perperam igitur Haivodus in his litteris affirmabat, se, quando et quomodo homini religioso a suis praepositis ad pontificem appellare liceret, „optime nosse".

Notandum est, Haivodum, unum ex Beati Thomae Mori cancellarii illius martyrisque clarissimi nepotibus, virum caeteroquin doctrina et virtute praestantem (de quo *Can.* IV 459—460; V 349 [1]), diu a daemonibus (ut ipse ceterique Socii censebant) afflictum, magnis capitis doloribus laborasse, quibus etiam ipsa eius mens turbata esse videtur. Ita *Theodoricus Canisius* Dilinga 10. Iunii 1575 Mercuriano praeposito generali de eo * scripsit: „Post diuturnos languores, et perpetuas pene cum nocturnis spectris, iam supra triennium, conflictationes, hodie decumbere coepit; fuit enim iam octiduum grauius a spiritibus illis noctu exagitatus, vt quiescere non sineretur". Atque, ut P. *Antonius Balduinus* S. J. Dilinga 4. Ianuarii 1573 Romam *rettulit, „indiscreto zelo" in excipiendis confessionibus Sociorum uni eorum Societatis deserendae causam praebuit et „complures alios in similis defectionis discrimen" adduxit (ex autographis; Germ. 136 f. 160[a]; Germ. 152 f. 270[a]).

Canisius Hoffaeo respondit circa d. 19. Novembris 1580.

2076. P. PAULUS HOFFAEUS S. J. Germaniae superioris praepositus provincialis CANISIO. Landsberga circa d. 16. Novembris 1580.

Ex litterarum Manarei commentario, quod est in Rh. Inf. 1, II f. 48[b], et ex Canisii epistula autographa, quae est in Germ. 184 f. 70—71, et ex litteris Bonhomii archetypis, quae sunt in archivo vaticano, Nunz. di Germ. 103 p. 354—357.

De rebus Friburgi agendis.

---

dimissoriae literae dirigantur, quae vulgo apostoli appellantur, quarum postulatio et acceptio intra quinque dies ex officio finienda est": c. 24, C. II q. 6. „Quod si judex in termino ad dandum Apostolos praefixo per eum ipsos appellanti petenti non dederit: aut si dum peterentur Apostoli, responderit se daturum eosdem, nullo termino certo sibi praefixo, vel intra juris terminum se eos asseruerit velle dare, et postea per appellantem congruo loco et tempore saepius et instanter uno contextu etiam requisitus, eos non curaverit intra eundem terminum exhibere, appellationem suam extunc prosequi possit appellans, ac si expresse fuissent eidem Apostoli denegati": c 2 Clem. 2, 12; cf. c. 31 C II, q. 6; c. 6 in VI 2, 15.

Oliverius Manareus Societatis vicarius generalis Roma 24. Octobris 1580 Hoffaeo de monasterio O. Praem. marsensi, a Gregorio XIII. collegio Societatis Friburgi Helvetiorum instituendo assignato (v. infra, monum. 1270), scripsit: „Jllud quidem esset diligenter inuestigandum, quanti sint illius Abbatiae prouentus, ne nostro periculo nimis creduli simus, etsi non propterea posset collegium in dubium reuocari, cum Pontifex plane ita uelit, et iam Abbatiam uniuerit. Quare . . . ut res omnes coram inspiciantur . . . uidetur nobis ut Reuerentia V. unum saltem sacerdotem . . . cum aliquo socio Friburgum mittat, quem instruet de omnibus quae ab illo agi et curari uelit, et nominatim, de domo aedificanda, siue concinnanda, ne ciues illi utpote nostri instituti ignari, aliam nobis habitationem parent, quam nos uelimus." Canisius autem Friburgo 5. Ianuarii 1581 Hoffaeo scripsit, Bonhomium nuntium apostolicum (qui eum Friburgum secum adduxerat et ad collegium constituendum serio incumbebat) „a plaerisque consilijs instructionis a R. T. conscriptae dissidere". Quare mirum non est, Bonhomium in litteris Friburgo 14. Decembris 1580 Romam ad cardinalem Comensem missis haec de Canisio notasse: „Non uuol mostrarmi egli le commissioni che tenga dal Prouinciale." Instructio ipsa perisse videtur. Quae qualis fuerit, ex Canisii litteris, quas dixi, aliqua ratione colligi potest.

2077. CANISIUS **P. PAULO HOFFAEO S. J.** praeposito provinciali Germaniae superioris. Dilinga circa 19. Novembris 1580.

Ex Canisii ad Manareum litteris autographis; Germ. 183 n. 305. Litterarum caput, quod hic ponam, ex eodem autographo paene integrum exscripsit *Duhr,* Aktenstücke zum 5%-Streite l. c. 184.

P. Haivodum temere ad pontificem appellasse; ei tamen offensionis vitandae gratia iter romanum permittendum esse.

Canisius 20. Novembris 1580 ad Oliverium Manareum Societatis vicarium generalem litteras dedit (v. infra, ep. 2078), in quibus haec, praeter alia, ad eum referebat: „Vtinam P. Heiuodus et sibi et nobis parceret, qui pro suo zelo inauditum appellationis genus instituit, et aduersus maiores suos iudiciali processu[1] *et odiosis illis exceptionibus iam ad Pont. Max. transmisssis sese munire uoluit praeter omnem necessitatem, et contra omnem, ut arbitror, modestiam ac prudentiam religiosam. Factum certe nostris omnibus merito displicet, nec est quisquam, quocum ille sua consilia tam cruda contulerit, etsi de censu quinque pro centum non conueniat inter omnes, neque conuenire quidem possit, nisi tandem hic lapis e medio auferatur. Rogatus a P. Prouintiale meam scripsi sententiam, nimirum quod etsi P. Heiuodus sine*

[1] P. Caspar Haivodus, etsi non a sententia per iudicem lata — nulla in eum lata erat — ad Gregorium XIII. pontificem provocaverat (quae appellationes proprie iudiciales vocantur), provocaverat tamen propter alia gravamina a Societatis praepositis, ut ipse opinabatur, sibi illata, idque „protestando" coram testibus, petendo „apostolos" etc.; quae provocationes et ipsae „appellationes", amplificata quodammodo eius verbi significatione, vocantur; cf. supra p. 585—586.

fundamento ullo hanc instituerit appellationem, nimiumque diffidat maioribus, tamen illum modo puniendum aut reijciendum non uideri, ne et ipse et Princeps[1] *Monachij magis offensi, a societate grauius abalienentur, atque ita crescat scandalum, ac vulnus inflictum augeatur. Suasi autem ut quacumque ratione illi concedatur quod optat, Romam iter ingredi, causamque suam apud Pont. Max. agere. Si enim apud Principem haerere pergat, qui nostris parum fauere coepit, vereor, ne Monachienses et Jngolstadienses nostri male habeant, et perpetuam fere molestiam, ac offensionem etiam publicam ex hoc homine capiamus."*

Duriora haec sunt Canisii verba: nec tamen iniusta vocari possunt, si ea considerentur, quae de Haivodo ad Manareum *rettulit ipse *Hoffaeus*, et quae, si forte rei actae modum aliquantulum excedant, maximam tamen partem vera esse negari non potest. Sic enim is Oeniponte 4. Decembris 1580 Manareo *scripsit: Haivodum „solitum ante esse ex Joachimo Abbate" florensi († sub a. 1202), cuius varia vaticinia eaque satis suspecta circumferebantur, „nugari coram nostris prolixe et societatem nostram corvo illj ex Arca Noe exeunti sed non reuertenti comparare, et perituram Societatem propter Theologiam Scholasticam, atque secuturam columbam albam[2], id est aliam perfectiorem religionem quam dicit esse Theatinorum propter tibialia alba quae dicuntur gestare. Omnino his de nugis tam asseueranter coram multis locutus est, vt plane visus sit ita fore credere". Itaque Haivodus et Martinus Dumius contionator aulicus ab Haivodo deceptus „suis indiscretis zelis sic exagitant Juuenem et conscientiosum Principem, vt eius Cancellarius[3] hac hebdomade nostro Rectori[4] dixerit cum magno suo dolore, se vereri vehementer, Principi iccirco imminere periculum grauis alicuius morbi vel etiam mortis etc." Atque Haivodus „contempte etiam locutus est de electione P. Euerardi[5] s. m. in Generalem: et certum est quod ipsum non absoluisset in confessione, sicut nec P. V. nec Toletum, nec vllum Rectorem huius Prouintiae propter Resolutiones Romanas de 5. pro cento absolueret" (ex autogr.; Germ. 158 f. 322^a—323^b).

Hoffaeus, Canisii consilium secutus, neque Haivodum punivit, neque eius appellationem impedivit; immo eum iussit d. 27. Novembris Oeniponte adesse, ut secum Romam petere posset; Hoffaeus enim ipso illo tempore cum Sociis Romam ad congregationem generalem Societatis profecturus erat (*Hoffaeus* *Manareo, Oeniponte 25. Novembris 1580; autogr.; Germ. 158 f. 318^a—319^b). Haivodus vero ex aula ducis, in quam ex collegio monacensi se receperat, Ratisbonam ad *Felicianum Ninguardum* nuntium apostolicum venit; qui 2. Decembris 1580 ad cardinalem Comensem rettulit: Se, cum eius animum a profectionis romanae proposito revocare frustra conatus esset, tandem ei assentitum esse, de litteris tamen commendaticiis, quas ille petisset, recusasse, quod se admiscere nollet rebus Societatis, quam magnopere diligeret „sapendo con quanto frutto studiano questi Padri d' aiutar la chiesa santa in ogni luoco, doue sono" (l. c.). Haivodus igitur, nullo nisi famulo quodam ducis comitante, Romam venit: ubi cardinali Ludovico Madrutio eum hospitio excipere abnuente, a Sociis humane exceptus et a pontifice benigne auditus est; brevi tamen post in Bavariam redire vel potius per eam transire iussus est, ut deinceps in patria ecclesiae operam dicaret (*Duhr*, 5%-Streit l. c. 230—239, et Jes. an Fürstenh. 127—134 et Jes. I 724[3]). In Anglia cum catholicis de ieiunio rixatus, a protestantibus in vincula coniectus et in exsilium pulsus, Neapoli tandem a. 1598 pia morte defunctus est (*Sacchinus*, Hist. V, T. 1, l. 3, n. 98—101; *Juvencius*, Hist. V, T. 2, l. 13,

[1] Guilielmus V. Bavariae dux. [2] Cf. Gn 8, 6—12.

[3] Dr. Christophorus Elsenheimer.

[4] P. Ferdinando Alber rectori collegii monacensis.

[5] Mercuriani.

n. 132). Pontifex autem „formam contractus germanici“ [1] cum variis quaestionibus ab Haivodo nomine Guilielmi V. ducis sibi traditam dedit Claudio Aquavivae in Societatis congregatione generali electo praeposito generali, ut per delectos congregationis theologos omnia cognoscenda et diiudicanda curaret. Atque hi — in quorum numero P. Gregorius de Valentia erat — Romae m. Aprili 1581 „ex communi consensu“ „tractatum“ quendam composuerunt, in quo „contractum eo quo propositus erat modo consideratum, ad nullam aliam speciem, quam mutui reduci posse“ ideoque „intrinsece malum“ esse statuebant, deinde autem varias rationes et conditiones, quibus homines de 5% licite pacisci posse viderentur, proponebant [2]. Ex horum igitur sententia *Gregorius XIII.* duci scripsit, pactionem de 5% ea, qua sibi proposita esset, ratione fieri nequaquam posse; si qua tamen in Germania alia de 5% paciscendi esset ratio, eam a se neque improbari neque probari, antequam singulatim cognita et diiudicata esset. Guilielmus deinde, etsi pontifex pactionem de 5%, quae licita esset, inveniri posse haud obscure significaverat, „rebus“, ut ait *Zech*, „provinciae suae necessarium aut utilem esse talem contractum, nequaquam ratus, edictum misit ad omnia tribunalia, quo prohibebantur judices assistere, aut actionem dare iis, qui stipularentur quinque annua pro centum“ (*Zech* l. c. 975—979; cf. etiam *Duhr,* 5%-Streit l. c. 239—242). Quae postea ea in re acta sunt, iam huius voluminis tempus excedunt.

2078. CANISIUS **OLIVERIO MANAREO** vicario generali Societatis Iesu. Dilinga 20. Novembris 1580.

Ex autographo (2°; 1⅔ pp.; in p. 4 inscr. et reliquiae sig.). Germ. 183 f. 292ᵃ—293ᵇ. Epistula usi sunt *Sacchinus,* Can. 303; *Janssen* l. c. VII[1—12] 524;

---

[1] „Forma contractus in Germania passim celebrati, de quo vltima resolutio petitur. Titius in Germania pecuniam habens, eandem Sempronio cuiusuis conditionis homini ad nullum certum usum, sed pro arbitrio debitoris distrahendam ea lege tradit, ut Titius ex pacto et ciuili obligatione, quae aliquando in ijsdem literis, interdum in alijs adijcitur, ius habeat, quamdiu eadem pecunia apud Sempronium relinquitur, accipiendi quotannis ab eodem Sempronio quinque florenos pro singulis centenarijs, et postea totam quoque summam capitalem. De tempore autem, quo restitutio capitalis fierj debeat, licet interdum aliquid certi determinetur, ut plurimum tamen nihil statuitur, sed tam Titio quam Sempronio plena potestas relinquitur, ut quandocumque voluerit, (utilitate interim percepta in partem sortis non computata) contractum rescindere possit, dummodo is qui contractum rescindit, alterum sex menses antea praemoneat. Ex ui autem contractus aut pacti adiecti Titius annui lucri aut summae capitalis perdendae nullum periculum subit, sed siue Sempronius fructificet, siue non, ius habet ab eo exigendi lucrum quinarium annuum pro omni centenario. Et siue uiuat Sempronius, siue moriatur, Titius ab illo uiuente vel illo mortuo, ab eius haerede summam capitalem recuperat, nihil quod interim accepit restituens“: Ita *Canisius* a. 1581 sua manu hanc formam descripsit, Can. 4, f. 13; eadem habet *Zech* l. c. 975—976.

[2] Ita statuerunt, „contractum trinum“ (de cuius ratione v. *Zech* l. c. 930—931 et *Funk,* Zins u. Wucher 84—85) „probabiliter“ defendi posse, „ita vt nec obligandi sint ad restitutionem, qui iam ex contractu lucrum reportarunt, neque neganda sit absolutio his, qui tali modo contrahere voluerint“ (ex Canisii autogr.; Can. 4, f. 16ᵇ—17ᵃ). Eandem pactionem saeculo XVI. affirmarunt esse licitam (praeter alios) praeclari illi theologi Ioannes Maior professor universitatis parisiensis et Martinus Azpilcueta sive Navarrus professor universitatum salmanticensis et conimbricensis (*Fr. X. Funk,* Geschichte des kirchlichen Zinsverbotes, Tübingen 1876, 57—59). Et Ioannes Eckius universitatis ingolstadiensis lumen decusque studiosissime defendebat sententiam, qua 5% permittebantur (*Jos. Schlecht,* Dr. Johann Ecks Anfänge, in „Historisches Jahrbuch“ XXXVI 20—30).

Michel, Can. 379 382. Eius partem edidit *Duhr*, Aktenstücke (v. supra p. 575) 184. Eiusdem particulam posuerunt gallice *Raemy de Bertigny* l. c. (v. supra p. 532[5]) 58—59, germanice *Duhr*, Jes. I 227.

Conventus. Bonhomius nuntius. Angli. 5 %. *Canisius Friburgum iturus. Penuria sodalium. Libri Turriani. Sadeel. Legati ad Turcas. Visitator.*

† Pax Christi nobis aeterna,

Admodum Reuerende Pater.

Quae superiore mense scripsit ad me P. T. heri sunt reddita, et eodem die ad nos uenit P. Crusius[1], huic prouintiae ualde gratus.

Conuentus ille Principum Nurembergae indictus, semel ac iterum nescio ob quae impedimenta progressum nullum habuit, nec ante Pentecosten[2] habiturus existimatur. Jtaque non est, cur Reuerendissimus Delphinus utatur opera mea, quam illi paratam obtuleram, vt Pontificis mandato parerem, si me accerseret.

† Vtinam P. Heiuodus et sibi et nobis parceret *[etc., ut supra p. 588)*. Fuit apud illum Reuerendissimus Vercellensis Monachij, et uereor ne is aliquam eius defensionem susceperit, qui de nostro quidem Prouintiali non optime sentire uidetur ac scribere[a][3]. Doleo uicem P. Prouintialis, qui ob hunc Anglum, sicut et propter alterum P. Christophorum nescio vbi modo versantem, reliquit enim nostram prouintiam, satis affligitur atque vexatur[4]. Egemus profecto singulari gratia Domini, vt nostros in officio contineamus, neque dissensiones istas admittamus, sed seuero mandato potius extinguamus, sicut post futurae Congregationis[5] exitum omnino fore confido.

Visum est P. Prouintiali, me hinc mittere Friburgum, vt collegij fundamenta iaciantur, et urgenti tum Pont. Max. tum dicto Nuntio satisfiat. Cras igitur ingrediar iter fauente Christo, et cum benedictione P. T. quam in hac graui missione mihi concedi percupio. De-

a) *Quattuor vv. sqq. antiqua manu romana linea signata sunt.*

---

[1] Iacobus Kraus; v. supra p. 581.

[2] Ante d. 14. Maii 1581; ne tunc quidem habitus est.

[3] *Bonhomius* Hoffaeo succensuerat maxime propter epistulas, quibus ille semel atque iterum significaverat Friburgensibus, gratum sibi fore, si collegii condendi rationem omitterent (v. supra p. 537 et infra, monum. 1262); qua in re Hoffaeum „certe imprudenter, ne dicam impie, aut maligne, egisse" Petro Schnewly praeposito friburgensi 30. Septembris 1580 scripsit (*Berthier* l. c. 53—54; cf. ibidem 49—50 167—168). Verumtamen iam aliquot ante diebus Hoffaeus, pontificis certa voluntate plane cognita, animum ita mutavit, ut *Bonhomius* 9. Novembris 1580 Schnewlio promittere posset, eum collegii rebus „fauturum eo ardentius, quo in illo impediendo ardentior fuisset" (*Berthier* l. c. 58).

[4] P. *Christophorus Parchingius* S. J. (de quo supra p. 543[5]) Hala 10. Octobris 1580 Manareo *scripsit, se 30. Septembris Mediolano profectum 9. Octobris Halam venisse (ex autogr.; Germ. 158 f. 298[a]—299[b]).

[5] Societatis congregationi generali incohandae dies 7. Februarii 1581 indictus erat; in qua controversia quoque illa de 5 % orta erat componenda; vide supra p. 581.

signatus est sacerdos[a] e nostris, qui mecum Friburgi hac hyeme persistat[1], quod vtinam cum fructu fiat ad Christi gloriam.

Optarim P. Prouintiali animum ad externos uel aliarum nationum professores et operarios expetendos, quibus profecto multis modis isthaec indiget prouintia, et iuuarentur ab illis nostri quoque Germani, praesertim si Hispani graues et docti mitterentur.

Valde probo P. Turriani consilium de suis libris recognoscendis, et rogo, vt illi ad hoc faciendum addantur calcaria, designatis quibusdam Theologis, qui ex operibus eius excerpant peregrinas parumque probatas hactenus opiniones, quae in nostris hominibus non aemulos modo, sed amicos etiam offendere solent[2]. Curabitur a nostris Augustae, ut liber ille Sadeelis ad urbem perueniat; doctum et eloquentem hunc aduersarium esse putant[3]. Ego ab operis Marialis recognitione supersedere cogor, quod alia quidem maioris momenti allatura sit missio Friburgensis, ut arbitror.

Adiunxi quaedam de Confessione Augustana, si tamen illa nonnullis Romae communicanda uidebuntur, quae ad S. Sedem Apostolicam tuendam scitu forte digna sunt. Dolet mihi haereticos potius quam Catholicos ministros seu Oratores a Caesare mitti Constantinopolim, et hinc religionis causam impediri potius quam prouehi aut confirmari[4]. Fortasse contrahi poterit haec quae mittitur historiola. Vtinam filij

a) *Sic correctum est ex* sacerdotes.

[1] Robertus Ardrenus (de quo *Can.* V 54[1]); hunc vocant „Andrenum" *Agricola* l. c. I, Dec. 5, n. 1 et *Riess* l. c. 472 473, et „Arden" *H. Foley* S. S., Records of the English Province of the Society of Jesus VII[1], London 1882, 16; sed ipse et a. 1574 in *„*Libro* Professionum Collegii Dilingani" (Cod. „II. 42" p. 58), et a. 1576 in *„*Libro* Professionum ingolstadiensi" (f. 29[b]; v. *Can.* V 51[5]) sua manu scripsit: „Robertus Ardrenus". De Canisii missione friburgensi v. infra, monum. 1262.

[2] Franciscus Torres sive Turrianus (de quo *Can.* VI 31—32), cum iam inde ab a. 1549 de iustificatione, auctoritate summi pontificis, residentia pastorum ecclesiae, votis monasticis, Constitutionibus Apostolicis etc. scripsisset, anno 1566 Societati nomen dedit; in qua Coloniae, Dilingae, Florentiae, Romae, Venetiis etc. varios edidit libros, velut „De hierarchicis ordinationibus" (1569), „Pro Canonibus Apostolorum et Epistolis decretalibus Pontificum" (1572 1573), contra Freyhubium (1573 1578), contra Boquinum (1578), „De Sanctissima Eucharistia" (1575 1576), „De ratione dispensationis bonorum Ecclesiasticorum" (1577), alios; v. *Sommervogel* l. c. VIII 113—119; cf. etiam *Can.* III 573[3]; VI 683—685.

[3] Vide supra p. 572.

[4] Ita (ut exemplum ponam) Rudolphus II. imperator a. 1576 Gasparum ab Herbersdorf et Andream de Zollner nobiles stiros cum Jeremia de Schorndorf et Christophoro Wohlzogen in Turciam miserat, ut Ioanni libero baroni de Ungnad, qui et ipse stirus erat, in munere honorario Murado III. imperium adepto tradendo adessent. Stiriae nobilitas omnis fere cum protestantibus stabat. Ungnad a. 1573 ministrum protestantem Constantinopolim secum adduxerat. Joachim quoque a Sintzendorf et Goggitsch, qui a. 1578 in Ungnadii locum successit, protestantium partes sequebatur et ministrum protestantem secum adduxit (*C. J. Hefele*, Beiträge zur Kirchengeschichte I, Tübingen 1864, 446 458; *Jos. v. Hammer*, Geschichte des Osmanischen Reiches II[2], Pesth 1834, 455 536; *Joh. Wilh. Zinkeisen*, Geschichte des osmanischen Reiches in Europa III, Gotha 1855, 560—564).

seculi[1] et tenebrarum[2] non superarent nos lucis filios[3] omni diligentia, sed in Suam et Ecclesiae perniciem maxime.

Quod superest, commendo me et hanc Friburgensem missionem P. T. cuius precibus cupio adiuuari, et oro peculiariter ob graues causas, vt ne Patres nostri ex congregatione huc redeant, nisi cum proprio huius prouintiae Visitatore, certoque decreto de illo censu atque contractu, qui nostros adeo distrahit, et magnum discrimen[a] adfert conscientijs. Dominus Jesus in suam gloriam uertat omnia. Dilingae 20 Novemb. 1580.

R. P. T.

filius indignus
Pet. Canisius.

Admodum Reuerendos *[etc., ut supra p. 568]*.

† Admodum Reuerendo in Christo Patri Oliuerio Manaraeo, Vicario generali Societatis JESV. Romae.

2079. MONACHI variorum monasteriorum Dilingae litteris studentes CANISIO. Dilinga circa medium m. Decembrem 1580 (?).

Ei in proximum annum fausta optant ominanturque et „xenia" sacra (precationes, poenitentiae et caritatis opera) offerunt.

Plura de his litteris, quae perisse videntur, in proximo volumine dicentur, cum Canisii epistula 2. Februarii 1581 (?) data proponetur, qua is monachis illis respondit.

2080. IOANNES FRANCISCUS BONHOMIUS episcopus vercellensis et nuntius apostolicus CANISIO.

Ex monasterio S. Urbani 30. Decembris 1580.

Ex apographo eiusdem fere temporis eoque sic inscripto: „Patri Canisio." Cod. rom. „D. II 36" p. 556.

De ipsius itinere et epistula quadam. Saepe ad se scribendum esse.

Reuerende admodum vti frater in Domino charissime. Post horam quintam pomeridianam fuimus hic in Sancti Vrbani monasterio[4] quorsum paulo post quintam ante diem ex ponte Censiaco[5] discesseramus, incolumes quidem Dei gratia, sed non leuiter fessi prope omnes, propter longum, ac non parum morosum iter, quod XI. horarum, et amplius spacio, nunquam ab equis descendentes peregimus; id autem erit causa, cur Epistolam ad Patrem Prouincialem[6] a me Friburgi datam non miserim ad Paternitatem tuam exscriptam, et sigillo meo obsignatam: Eam autem Luceriam mittam primo quoque tempore, vel ego ipse fortasse relinquam, iam enim accepi iter per Curiensem vallem in-

a) *Sequitur* hab, *oblitt.*

[1] Lc 16, 8; 20, 34. [2] 1 Thess. 5, 5.
[3] Lc 16, 8. Io 12, 36. Eph 5, 8. 1 Thess 5, 5.
[4] Hoc monachorum cisterciensium coenobium in terra Lucernensium situm erat.
[5] Pons sensiacus (Sensebrücke, Pont de la Singine), medius inter fines Friburgensium et Bernatium (*Berthier* l. c. 285: *Steffens-Reinhardt,* Nunt. I 571 [4]).
[6] Paulum Hoffaeum, Romam ad Societatis congregationem generalem profectum.

stitutum, prope recta Luceriam ducere, vt inde habere illam possit, vt cupere se ostendit; Reliquum est, vt Paternitati tuae salutem plurimam dicam, Patrique Ruperto[1] iterum insinuem de frequentibus literis ad me in singulos menses dandis; vtriusque autem vestrum precibus me quam diligentissime commendatum esse vehementer opto; Datum in Sancti Vrbani Coenobio iij. Cal. Januarij MDLXXX.

Canisius Bonhomio respondit 12. Ianuarii 1581.

2081. IOANNES FRANCISCUS BONHOMIUS episcopus vercellensis et nuntius apostolicus CANISIO.

Ex monasterio murensi 31. Decembris 1580 et Lucerna 3. Ianuarii 1581.

Ex imagine photographica apographi eodem fere tempore scripti et „Patri Canisio" inscripti, quod est in Cod. rom. „D. II 36" p. 559—560.

Epistula ad provincialem. Iter. Optat, ut Canisius Lucernae coetui catholicorum intersit. Lucernenses contiones eius desiderare.

Reuerende admodum in Christo pater, atque vti frater charissime. Mitto ad Paternitatem tuam promissas, quas ego ad Patrem vestrum Prouincialem iam dedi literas[2], quanquam celerius multo[a], ac fortasse tutius ego mitterem Mediolano, quo Deo bene iuuante octo, aut decem ad summum dierum spacio fore me non despero: Cogitaram equidem ex Sancto Vrbano Luceriam me conferre, sed[b] [?] postquam iam iterato me scripsisse memini contrarium, ad Murense monasterium[3] veni, vbi crastinum diem, videlicet octuagesimi primi anni caput, agere integrum constitui, famulumque Luceriam cum literis missum expectabo, vt si fortasse Lucerinis Dominis visum fuerit, debere me illos conuenire hoc officij non praetermittam, quamuis longe grauiora me alio auocarent negocia; Spero autem Paternitatem tuam Luceriae comitiorum tempore adfuturam[4], suaque pietate, consilio, atque authoritate non parum pertractandis negocijs profuturam; Jd vero ad memoriam reuocare visum est, maximum tenere Lucerinos Dominos vestrarum concionum desiderium, ideoque si parata ad concionem eo se contulerit, non leuem spero inde fructum perceptum iri; Valeat in Domino Paternitas tua, coeptoque istic spiritali aedificio, vti plane confido diligenter intendat, meique ac Bernatum, aliorumque Heluetiorum a Catholica Religione dissidentium, in quotidianis suis precibus, et sacrificijs memor sit, rogo; Datum in Murensi Coenobio Prid. Cal. Januarij .MDLXXX.

a) multi *apogr.* b) *Sic corrigendum esse conicio pro* se, *quod est in apogr.*

---

[1] Roberto Ardreno, qui cum Canisio Friburgum venerat.

[2] Vide, quae de hac epistula ad Hoffaeum data sub ipsas has litteras dicentur.

[3] Muri pagus nunc est cantonis argoviensis (Aargau); ibi tunc exstabat monasterium Benedictinorum, quod in confoederationis helveticae tutela sive patronatu erat.

[4] Oratores septem Pagorum catholicorum confoederationis helveticae circa d. 10. Ianuarii 1581 Lucernae se congregaturi et, praeter alia, quomodo iniuriae a Bernensibus Bonhomio illatae occurrendum esset, deliberaturi erant (*Theiner*, Ann. III, in a. 1581, n. XXX; *J. G. Mayer* l. c. 282—285).

Cum nondum dimissae essent superiores literae, haec adijcienda putaui; venisse me Luceriam hesterno die a Senatus Secretario[1] Dominorum Praetorum[2] consilio admonitum; hinc autem recta Mediolanum per Sancti Gottardi Alpes proficiscar, cum iam illac patuerit transitus; hoc ipso mane, seu verius dicam, hac nocte, venit ad me Lucerinus nuncius, Friburgum iam ab Jllustribus Dominis allegatus, si quid ei literarum dare vellem interpellans; sed ne illum parumper detinerem, erant enim tantum obsignandae literae, hominem sine literis dimisi, iubens[a], vt me Paternitati Vestrae excusaret, eiusque orationibus diligenter commendaret, ac praeterea eidem vna cum Patre Ruperto[3], et Reuerendo Praeposito[4] meis verbis salutem plurimam diceret; Datum Luceriae IIJ. Non. Januarij. MDLXXXI.

Una cum hac epistula Canisio missa est *epistula a *Bonhomio* Friburgo 28. Decembris 1580 ad P. Hoffaeum provincialem Romam profectum data; in qua Bonhomius: „Conquesta est", inquit, „Paternitas Vestra me nimis ad suspicandum esse propensum, cauendum sibi proposuit ab omni, vnde mihi suspiciones exoriri possent, occasione; et tamen quaerere illas videtur, vt mihi obijciat, cum neque ipsa Friburgum, vt pollicita erat, venerit[5], neque literas ad me vllas dederit; Patrem autem Canisium cum quibusdam mandatis allegauerit, quae mihi se communicare non posse is saepius affirmauit[6]; ac praeterea ostendere nunquam voluit, possessionis monasterij Societatis nomine capiendae facultatem; Ego tamen omnia boni consului, satiusque duxi, ne vllam offensionis causam laicis viris praeberem, aut etiam venerabilem hunc senem contristarem, res omnes vtcunque transigere, quam infectas vlla ratione relinquere; Accepta igitur est ab eodem Reuerendo Patre Canisio Marsensis monasterij Societatis vestrae nomine possessio, ipso S. Thomae Apostoli die[7]; locataque sunt bona omnia praeter vineas, ex quibus ducenti circiter coronati singulis annis percipientur, nongentorum coronatorum annuo ad sex annos censu: Tres autem tantum monachi alendi supersunt in monasterio, vnusque est prope moribundus[8]; quorum singulis quinquaginta coronati pro necessariis alimentis attributi iam sunt; salem spero habebit gratis Collegium, ex antiquo Ducum Burgundorum privilegio[9] lignaque item precio quam vilissimo; Reliqua Paternitas tua ex Patre Canisio diligentius intelliget; Dominorum autem propensam ad Collegium voluntatem ex ipsius Senatus, quas idem Pater ad eam mittet, literis[10]; Id ego subticere non debeo, sperare me vehementer, vt magno sit futurum Collegium hoc Catholicae Religioni adiumento, non eas modo, quas olim scripsi, ob causas; sed praecipue ob iniuria [?][b], probra, ac contumelias, quas eo die, quo Friburgum peruenimus, huius Collegij funda-

a) iubent *apogr.* b) *Sic; corrigendum esse videtur:* iniurias.

---

[1] Renwardum Cysat, Lucernensium „Stattschryber", dicere videtur; cf. *Steffens-Reinhardt*, Nunt. I 117 220 [1] 221 [2] 234 [3] 411 [3].

[2] Unus horum praetorum sive „sculteturum" (Schultheissen) erat Ludovicus Pfyffer; alter erat, nisi fallor, Rochus Helmlin sive Helmli; cf. *Steffens-Reinhardt* l. c. 229 [5] 411 [3]. [3] P. Roberto Ardreno S. J.

[4] Petro Schnewly, collegialis ecclesiae S. Nicolai praeposito.

[5] Hoffaeus adversa valetudine prohibitus erat, ne Friburgum veniret; v. infra, monum. 1262. [6] Cf. supra p. 536 591.

[7] Litteras publicas hac de re conscriptas vide infra, monum. 1270.

[8] De his v. infra, monum. 1270.

[9] De hoc privilegio a Ioanne comite Burgundiae a. 1259 Praemonstratensibus marsensibus dato plura in proximo volumine dicentur; vide interim *Berthier* l. c. 67 [1].

[10] Has vide infra, monum. 1267.

menta iacturi (non enim alias erat hoc mihi iter nunc suscipiendum) Bernae rettulimus, non vulgares quidem, sed peculiari quadam ratione suscipiendas, vti non dubito Paternitatem tuam iam intellexisse[1]; tum vero ob Pontificias vnionis ipsius literas, quae cum post annum frustra a me expectatae essent, praeter omnem spem ad me perlatae sunt, ea ipsa nocte, qua primum in monasterio fuimus[2], maximeque ego eram sollicitus, qua ratione sine ijs a Patre Canisio legitima caperetur [?][a] possessio: Qui quidem Pater omnibus Friburgensibus quam gratissimus fuit, cum ob celebre illius nomen, tum ob conciones, quas duas tantum habuit[3], magno cum totius populi, ac praesertim senatus vniuersi applausu, ac prope admiratione; Quamuis autem idem nullam a Paternitate vestra potestatem bona monasterij locandi, vel locationi consentiendi, sibi traditam affirmauerit, excusatione tamen dignus est, sicut illum apud P. v. excusari plane cupio, quod bonorum locationi supradictae, consulente me, senatoribusque ipsis impellentibus, assensum praebuerit; siquidem bona fide testari possum, locationem ferme necessariam fuisse, cum periculum esset apertissimum, ne si diutius dilata esset, census et bona dissiparentur, ac pessum irent omnia, et tres illi senatores, qui omnem operam suam et praestiterunt hactenus, et praestituri sunt deinceps quam promptissime[4], taedio affecti, omnem de rebus Collegij curam abijcerent; Reliquum iam est, vt de Patris Ruperti[5] comitatu, mihi omni cum fidelitate, sollicitudine, ac pietate praestito gratias agam Paternitati vestrae; cuius etiam precibus me humiliter, atque obnixe commendo" (ex imagine photographica apographi, quod eodem fere tempore scriptum exstat in Cod. rom. „D. II 36" p. 547—549).

Canisius Bonhomio respondit 12. Ianuarii 1581.

2082. CANISIUS **P. PAULO HOFFAEO S. J.** praeposito provinciali Germaniae superioris. Friburgo Helvetiorum 5. Ianuarii 1581.

Ex autographo (2°; 3½ pp.; in p. 4 inscr. et particulae sig.). Germ. 184 f. 70[a]—71[b]. Epistula usi sunt *Sacchinus*, Can. 306—307, et *Michel*, Can. 383. Eius particulam posuerunt italice *Boero*, Can. 379—380; gallice *V. Alet* S. J., Le Bienheureux Canisius, Paris 1865, 102, et *Daurignac* l. c. 360—361; eadem exstat neerlandice in „Leven van den gelukzaligen Petrus Canisius S. J. door Pater *E. Seguin* S. J. in 't Hollandsch overgezet, vermeerderd en verbeterd door P. *Bongarts* S. J., opnieuw bijgewerkt door *H. J. Allard* S. J., Nijmegen [1897], 255. Maiorem epistulae partem posuerunt gallice *Bertigny* l. c. 65—67, et *J. Genoud*, Le Bienheureux Pierre Canisius, Fribourg 1915, 100.

Paradies. Inzigkofen. Bonhomius nuntius apostolicus cum Canisio etc. Bernae contumeliis affectus. Cavendum, ne Socii nuntios comitentur. Bonhomius Sociis et favet et incommodat. Bona marsensia. Habitatio. Contiones. Friburgensium virtus. Scholae.

†

Pax Christi Jesu et felix annus Admodum Reuerende Pater.

Dedi operam consolandis sororibus, sicut R. T. praescripserat, in Jnschouen et Paradiss, neque me poenitet illas in hoc itinere inuisisse[6]. Octo fere diebus apud Lucernates nostros haesi, indeque cum Re-

a) *Sic vel similiter (*capi posset*?) patet esse corrigendum ex* capere, *quod est in apogr.*

[1] De his vide proximas litteras et infra, monum. 1266.

[2] 20. Decembris; de his litteris v. infra, monum. 1270.

[3] Dominica IV. Adventus et die Nativitatis Domini (18. et 25. Decembris) in templo S. Nicolai ad populum dixit; v. infra, monum. 1268, 1269.

[4] Franciscus Gurnel, Guilielmus Krummenstoll, Bartholomaeus Renaut; vide litteras proximas. [5] Roberti Ardreni.

[6] De rebus a Canisio ibi gestis v. infra, monum. 1263 1264.

uerendissimo D. Nuntio[1] Friburgum decimo Decembris duce Christo perueni. Jdem Nuntius a me literas R. T. utpote huius missionis testes exigere uisus est[2], excusationem uero tum R. T., tum aliorum Patrum hac non transeuntium libenter admisit, parumque curare visus est. Ego diuinam prouidentiam laudo, qua factum est, vt in Heluetiam non deflecteretis iter, et Reuerendissimum tamdiu, his enim diebus primum discessit, et tam moleste non expectaretis. Probauit ille consilium de duobus iam designatis operarijs hic relinquendis ad tempus, donec post absolutam Romae congregationem Patrum[3] huc veniat R. T. nobisque consensit, vt in illius aduentum inspectio differatur locorum, ex quibus vnus collegio nostro seruiat, praesertim quum P. Michael[4] podagra[a] sua impeditus hic adesse non[b] potuerit. Neque dubito cunctationem hanc R. T. placituram, quando illa cum bona Friburgensium pace facta est, qui tamen exoptant R. T. aduentum a paschate[5], sicut suis etiam literis explicabunt, et praesenti duorum missione contenti sunt hoc tempore.

Quo die Friburgum ingressi sumus et Bernae prandium sumpsit Reuerendissimus, egregie cum illo Senatus Bernensis expostulauit, quod ciues haereticos[6] diceret, ac quaedam in suae ditionis praeiudicium machinaretur[7]. Episcopus M. Robertum[8] adhibuit interpretem, sed satis infelicem, per quem Senatui respondit: neque tamen effugere potuit eam legis seueritatem, vt Bernensium fines ac ditionem posthac attingeret nunquam[9]. Cum uero discederemus ex urbe, spectaculum et fabula et opprobrium ludibriumque populo facti[10] fuimus: quod nos clamoribus, ignominijs et globulis niueis prosequerentur. Faxit Deus, vt isthaec Bernensium insectatio ad Friburgensis collegij fundamentum rectius[c] feliciusque iaciendum conuertatur, sicut Episcopus auguratur. Vtinam uero in quibusdam ille sic suum obeat munus, vt nostram et Ecclesiae causam non impediat magis quam prouehat. Certe neque nostris neque Societati expedire arbitror, vt cum eo quisquam ita circumcursitet, neque solum publicis, sed et odiosis negotijs operam dare cogatur[11]. Quae inde consequantur incommoda, nouit cum P. Mar-

a) podragra *autogr.* b) *Sequitur* possit, *oblitt.* c) *A Can. correctum ex* rectiusque.

[1] Bonhomio. [2] Vide supra p. 595. [3] Vide supra p. 593[6].

[4] Marius, collegii lucernensis sodalis.

[5] Hoc futurum erat 26. Martii. [6] „Ketzer"; v. infra, monum. 1266.

[7] Relationem de contumeliis, quibus Bonhomius eiusque comites Bernae affecti sunt, v. infra, monum. 1266.

[8] Ardrenum S. J.

[9] Paulo post hoc interdictum temperatum est (*J. G. Mayer* l. c. I 285).

[10] 1 Cor 4, 9. Hebr 10, 33. Dt 28, 37. 3 Reg 9, 7. Tob 3, 4. Ps 78, 4; 108, 25. Dn 3, 33.

[11] „La position du nonce était alors très-difficile en Suisse", inquit *J. Gremaud*, historiae helveticae illius temporis peritissimus (Mémoires historiques sur le diocèse de Lausanne par le P. *Martin Schmitt* C. SS. R., publiés et annotés par J. Gremaud II, Fribourg 1859, 406).

tino[1] R. T., ut ego uehementer optarim Romae id nunc impetrari, ne posthac nostri tam noxiam seruitutem huiusmodi Nuntijs seruire cogantur. Verum de Bernensi tractatione, qua nos dignos fecit Dominus[2], M. Robertus quaedam adiunget, aut alias mittet[3].

Miratus sum, cum audirem ex Reuerendissimo, quod diceret sexennium[a] hic expectandum videri R. T. priusquam ad constituendum collegium veniretur: tantam operariorum in prouintia nostra esse penuriam. Obiecit et illud, R. T. iudicio satis fore, si nostri hoc loco sicuti Monachij, templo alieno vterentur[4]. Sed iam ego minus miror, eundem antistitem a plaerisque consilijs instructionis a R. T. conscriptae[5] dissidere, quum suo potius quam Societatis spiritu alijs etiam in rebus commoueatur. Jtaque non probauit, vt per ipsum aut per nos admoneretur Senatus Friburgensis, Lucernatum exemplo immunitates et priuilegia nostris concedere: immo uero assecurauit, ut dicunt, Senatum, quod in collegium ex obligatione nihil collaturus sit[6]. Quare cum obijcerem fieri non posse, vt ex solis monasterij prouentibus[7] collegium et scholae construerentur, alijque sumptus necessarij compararentur, sola nos spe lactare uisus est, nescio quid pollicens de spontanea Senatus et priuatorum hominum liberalitate. Rursus quum admoneretur de soluendis debitis, quae tum suscepti ex Dilinga itineris, tum paratarum Lucernae uestium ratione contraxissemus, non obulum[b][?] pendere uoluit, ac nos etiam deterruit, ne quicquam a Senatu restituendum peteremus, sed satis fore dixit, si ex monasterij bonis paulatim debita illa persoluerentur. Atqui monasterium illud permulta debet, quae longum sit enumerare, Friburgensibus quidem quingentos coronatos: conseruandus praeterea monasterij status, ut alia onera praetermittam. Fateor D. Nuntium in nos beneficia non pauca contulisse, et fundandi huius collegij praecipuam dedisse causam, eiusque fundationis literas[8] Romae gratis expeditas[c], et totius monasterij possessionem solenniter mihi coram tribus Senatoribus et alijs tradidisse, eiusque possessionis acceptae instrumentum authenticum hic reliquisse[9], ac demum singularem curam et operam huic erigendo et

a) *Ita omnino videtur corrigendum esse ex* sexcennium, *quod est in autogr.* b) *Sic; corrigendum esse videtur:* obolum. c) *Sequuntur vv.* nobis tradidisse, *oblitt.*

---

[1] P. Martinus Leubenstain collegii lucernensis rector cum Hoffaeo ad congregationem generalem profectus erat; caeterum v. supra p. 536 571.

[2] Cf. Act 5, 41. [3] Vide infra, monum. 1266.

[4] Monachii utebantur templo Patrum Eremitarum Ordinis S. Augustini; cf. *Can.* II 870. [5] Vide supra p. 591 595.

[6] De hac „assecuratione" v. infra, monum. 1262.

[7] Monasterium marsense a Gregorio XIII. collegio friburgensi tributum erat: v. supra p. 588.

[8] Has Gregorii XIII. litteras, Roma 25. Februarii 1580 (non: 1579) datas typis exscripsit *Berthier* l. c. 224—230. Earum apographum a Canisio Romam ad Societatis supremos moderatores missum exstat in G. Sup. 98 f. 402a—405b.

[9] Hoc vide infra, monum. 1270.

prouehendo collegio impendisse, qui nunc etiam Pont. Max. consensum ad collegium nouum Vercellis instituendum dicitur obtinuisse. Verum in quibusdam ille, quum in suo abundat sensu[1], nostras rationes impedit, ac fortasse nimium in nos sibi sumit ac arrogat.

Cuius rei exemplum uidere fuit in[a] ratione et forma praescripta de bonis monasterij ante menses aliquot administrandis[b][2]. Quae forma magnas turbas postea excitauit, et adeo[c] disciplinam meliorem monachis non attulit, vt illi paucis post mensibus octingentorum aureorum debita conflarint. Ex eadem Episcopi constitutione ingens animorum secuta est perturbatio, monasterij bona distracta maleque dilapidata sunt, vt Senatores etiam de mala dispensatione rerum conquererentur[d], et praesenti quodam remedio esse opus affirmarent omnes. Vbi Episcopus adhibitis tribus, qui e Senatu delecti fuerant[3], cum duobus fide dignis[4] paciscitur de bonis monasterij ad sexennium elocandis. Promittunt illi nongentos coronatos quotannis pendere, vinum etiam[e] quod ducentis fere aureis uendi potest, nostris integre permittere, aliaque commoda tum nostris, tum in monasterio habitaturis, et multorum debitorum solutionem pollicentur. Sed huiusmodi conuentionem ab Episcopo fieri, antequam possessionem ego traditam acciperem, probare non possum[f]. Rogaui, ut literae contractus conscriptae lingua Gallica, mihi Latine uel Germanice conuersae ostenderentur sed neque hoc impetraui. Postea vt solus ego repugnarem omnibus, nescio quam consultum fuisset, praesertim quum Episcopus ante suum discessum iam iam imminentem rem omnem uellet confici, et e[g] communi omnium consensu praesens bonorum dissipatio tali medio atque remedio prorsus indigere uideretur. Scio hac ratione nos molestijs et incommodis maximis liberari, nostrorumque tranquillitati sequentibus annis sex praecipue consuli, grauem praeterea inuidiam apud multos euitari, remque totam Senatus iudicio approbari. Sed tamen quoniam alijs e nostris nisi uno socio, praesentibus res transacta non est, et R. T. P. Michaelem[5] tunc aegrotum adesse iusserat, per Christum rogo, vt quicquid hac in parte fortasse peccatum est, quod eidem elocationi consenserim tandem, mihi clementer ignoscat. Certe quum huc venerit, prudentum audiet iudicia,

a) *Quinque vv. sqq. a C. supra versum scripta sunt.* b) *Sequuntur vv.* noua et mirabili ratione, quae, *oblitt.* c) *Sequitur* quietiorem, *oblitt.* d) *Sequuntur vv.* Nobis uisu. e) *Sequitur* nostris, *oblitt.* f) *Quae sequuntur, usque ad* hoc impetraui *incl., a C. in margine addita sunt.* g) *Hoc v. a C. supra versum scriptum est.*

[1] Rom 14, 5.

[2] Senatus friburgensis 11. Augusti 1580 monasterii marsensis in Societatem transferendi rationem et curam Bonhomii arbitrio permiserat et 20. Augusti eius rei adiutores Bonhomio Franciscum Gurnel et Guilielmum Krummenstoll senatores adiunxerat (Cod. friburg. „Manual", in 11. Aug. et 20. Aug. 1580).

[3] Duobus, quos modo dixi, senatoribus 16. Decembris 1580 Bonhomii rogatu a senatu additus est Bartholomaeus Renaut (Cod. frib. „Manual", in 16. Dec. 1580).

[4] „D. Castellano Erhardo Garmisvil et Francisco Gapanio eiusdem loci commissario" : *Cod. frib. „Hist. coll. Frib." p. 2—3.

[5] Marium.

qui et nos syncere amant, et de his rebus optime censent, minusque factum mirabitur.

Cum autem huc R. T. uenerit, facilem ut spero, rationem inueniet aedes quasdam in usum collegij[a] conuertendas[b] [?][c], sicut Senatus omnino decreuit. Tum licebit cum primum uoluerimus, quinque uel sex nostrorum hic alere, ex quibus optarim vnum esse qui non procul abest in collegio Camberiacensi Sabaudiae, patria Friburgensem et sacerdotem e nostris mihi commendatum, de quo isthic agi poterit cum Prouintiale simul et Generale futuro[1]. Egemus autem inprimis bono et sagaci coadiutore, qui domi et foris nobis seruiat: magnam interim capimus molestiam ex ministro crasso et seculari, quem ferre cogimur ob necessitatem, nullumque scriptorem possumus reperire. Domum nobis assignarunt amplam, quae sex[d] nostris sufficere possit[2]: partem supellectilis e monasterio accepimus, mensam praebet uicina domus Parochi[3]. Jn maiore templo[4] quod est proximum concionamur, et Dei gratia satisfit auditoribus: breui succedet Catechista. Humanitatem singularem Clerus et populus nobis exhibet: ac prorsus existimo, in Catholica Heluetia nihil esse cultius, nihil fertilius, nihil coeli salubritate, vini prouentu et uictus facilitate praestantius hoc Friburgo, Bernae quidem aemulatrice, sed[e] super[?] omnes fere ditionis huius ciuitates superiore, si innatam ciuium comitatem humanitatemque spectemus. Et quoniam in medio haereticorum saeuissimorum laudem conseruatae pietatis conseruat hactenus, id quod miraculo adscribi potest, magnoque consensu clerus et populus religionis iura defendit, dignissima certe mihi uidetur haec Resp. cui Pont. Max. non sine diuino nutu tantopere faueat, et cuius adiuuandae curam et operam seriam suscipiat Societas nostra. Non est cur metuat R. T. de praescribendis conditionibus, de certo numero alendorum, de nostris priuilegijs labefactandis. Tantum illis ab initio parcat, neque multa simul postulet quaeso[f], partim ne prorsus Episcopo reclamare uideatur, partim ne illorum confirmet opinionem, qui Lucernae et Friburgi de Jesuitarum insatiabilitate, vt vocant, inuidiose loquuntur. Satis erit illis, unam aut alteram classem hoc loco institui, quum collegij locus utcunque paratus fuerit. Postea dimidium collegium ex monasterij

a) *Sequitur* facile, *oblitt.* b) *Sic; aut corrigendum esse* conuertendi, *aut ante v.* aedes *v.* ad *supplendum esse videtur.* c) *Sequuntur vv.* et si uelit, vn, *oblitt.* d) *Sequitur* e, *oblitt.* e) *Sequuntur 2 vv. (vel 1 v.?), quae ita oblitterata sunt, ut iam legi non possint. Caeterum aut hoc loco* super *supplendum, aut proxime ex* omnes *et* ciuitates *corrigendum esse videtur* omnibus *et* ciuitatibus. f) *Hoc v. supra versum scriptum est.*

[1] Significari puto Stephanum Bertinum (Bertigny), de quo plura in volumine proximo huius operis dicentur. Collegium camberiacense (Chambéry, urbs Sabaudiae) ad Societatis provinciam aquitanicam pertinebat, cui praeerat Guilielmus Creighton viceprovincialis. Praepositus autem generalis futurus erat Claudius Aquaviva.

[2] Domum canonici cantoris ad S. Nicolai; v. infra, monum. 1267.

[3] Sebastiani Veronii, parochi ad S. Nicolai.

[4] Hoc et erat et est templum collegiale et parochiale S. Nicolai. De Canisii contionibus v. infra, monum. 1268 1269.

bonis alere non sit difficile. Quod si monasterij bona diuendantur, id quod nobis facere semper licet, putant ingentem pecuniam quae integro collegio sufficiat, colligi posse. Nec dubitant de Senatus et amicorum liberalitate, qui uelint et possint res collegij et structuram omnem egregie[a] promouere. Hoc rogo maxime, vt post pascha huc accedat R. T. et D. Nuntium post Pentecosten, vti credit, rediturum praeuertat aduentu suo: ita enim commodius atque liberius cum Senatu quae uolet, transiget Christo duce.

Absunt hinc Bernenses duobus dumtaxat[b] miliaribus, Lossanenses[1] sex aut septem · Geneuenses itinere tridui, et ex famosis horum libellis colligi potest, quantopere sibi a Jesuitis metuant[2]. Jtaque suas illi scholas student prouehere, et doctos professores arcessunt, aduersus quos hic etiam non uulgares scholae magistros institui erit operae precium. Magna certe nostrorum est expectatio tum apud Clerum mire fauentem, tum apud magistratum, qui propter nos ingentia certamina multosque motus superauit. De alijs quae notari scribique voluit R. T. alias monere cogito: illius sacrificijs et precibus me et missionem hanc omnem in Christo commendo plurimum, et Patres isthic congregatos reuerenter saluto. Friburgi 5 Januarij 1581.

Jndignus filius Pet. Canisius.

† Reuerendo admodum in Christo Patri Paulo Hoffaeo, collegiorum Societatis Jesu [Pr]aeposito per Superiorem [Ger]maniam Prouintiali nunc Romae degenti. Romae in domo Patrum Societatis.

Litterae *Consulis senatusque friburgensis*, quas Canisius in hac epistula commemorat, Friburgo 4. Ianuarii 1581[3] ad Hoffaeum datae sunt; in quibus illi haec scribunt: „Allßdann wir ein Zytt lang nach übergebung des Gottshuß Marsens, so Bäpstliche Heiligkheit vnser gnädigster Herr, an die Societet Jesu, vnnd besunnderlich zu vffrichtung eines Collegij in vnnser Statt, annexiret, gewidmet vud vniret, mit verlangen gewerttig gwesen. Das üwer Eierwürde alher in vnnsere Statt ankhommen, etliche Patres zu institution auch besatzung des Collegij, vnnd inuestitur des Gottshuß Marsens güttern mit vnd die sachen zu guetem fortgang bringen

a) *Sequitur v., quod postea oblitteratum est.* b) *A C. correctum ex* dumxtaxat.

[1] Lausannensibus (Lausanna, Lausanne, nunc caput cantonis „Vaud“ sive „Waadt“) Bernenses protestantismum obtruserant.

[2] „Editus hoc anno [1580] Basileae libellus germanice scriptus de venefica, et Jesvita, nomine Georgio Zieglero, Dilinganis, quorum execranda flagitia memorabantur“: **Historia* antiqua collegii dilingani (Cod. friburg. „Hist. coll. Dil.“ [cf. *Can.* IV LXXII] f. 11[a]); haec, ut videtur, altera erat editio libelli „Newe Zeitung von einer erschrecklichen That“ etc. a. 1579 Ursellae (Ursel) editi, de quo *Duhr*, Jes. I 831. Item a. 1580 prodierunt: „Doctrinae Jesuitarum praecipua capita“, Rupellae (Basileae? Cf. infra, monum. 1249); „Jesuiter Spiegel“, Erfordiae; „Von der Maulesel Auffrhur ... an ... P. C[anisium], Dulingae“ (Basileae?) (v. infra, monum. 1250); „Colloquium Iesuiticum. Auctore *Christiano Francken*“, Basileae (*Catalogus* novus nundinarum vernalium, Franckfurt am Mayn 1580, f. A 3[a]).

[3] In commentario quidem, ex quo has litteras exscripsi, a. 1580 iis ascriptus est; sed 1581 scribendum fuisse tum ex ipsis litteris, tum ex commentariis, quae in codice illo hoc commentarium antecedunt et sequuntur, patet.

wurde, mögen wir nit vnnderlassen v: Ei: gantz fründtlicher wolmeinung zevermelden, Das vnns zu großem befreuwen vnd congratulation gevallen, Das Dise verwijlung vermelltter Vättern der Societet Jesu ankhunnfft, mit der zukhunnfft Des eerwürdigen hochgeleerten Herren D: Petri Canisij so mit Bischofflicher Hochwürde von Vercell Apostolischem Legaten allher über vnnser verhoffen, ankhommen, rijchlich ersetzt vnnd erbesseret worden. Khönnend allso weder Bäpstlicher Heiligkheit [noch derselben nuntio][a] der gnädigen befürderung vnnd wolmeinung vnnsere Statt mit diser Collegij institution zuvereeren vnnd begaben, Deßglijchen iiwer Eierwürde Des vätterlichen geneigten willens nit gnugsamlich bedancken, das dieselb vnns mit einem sollichen fürnemen mann, alls desse rum in gantzer Christenheit, vnnd besunderlich in teütscher nation erschollen, meinen, vnd ime sijn wonung bij vnns vßgan vnd bescheiden wöllen, wälcher guttath vnd vätterlich patrocinium wir zu kheinen Zijtten in vergeß stellen noch vallen lassen, sunders vnnssers möglichen vngesparten flijsses erkhennen sollen vnd wöllen.

Hieneneben sollen wir v̈: Ei: verner vnbericht nit lassen, wie dann wir wolerwelltten Herren Canisium vnnd sijn mitgeferten den H: P: Robertum, mit bijstand vnnd zuthun hochermeltts Herren Nuntij, Durch etliche vnsere abgeordnette mitträth in possession vnnd gweer Des bemelltten Huses Marsens vnd desselben güttern, vnd allen derselben Dependentzen in vnserer Obern Herrlicheit gelegen, insetzen lassen, Sind auch wolgeneigt sij vnd die patres so disem Collegio ie zu Zijtten vorstehn werdend, so wijtt vnnd lang vnns gott der allmechtig gnad gibt, zuhandthaben, schützen vnnd schirmen, achtend auch ir von obgemelltem Herren Canisio diser sachen wijttlöuffigern bericht empfahen werdend. Jm übrigen will vnns nach erstattung oberzelltter Dingen, ervorderlich beduncken, das die institution nunmero ins werck gebracht, vnd nit lenger verwijllet solle werden, Derhalben vnnser gantz fründtlich gesinnen an v̈: Ei: ist, Dieselb wölle zu erster gelegenheit sich vmb sovil bemuijen, vnnd ir hannd an den ijngang vnd vffrichtung des Collegij, als wir achtent v̈: Ei: des von Bäpstlicher Heiligkheit beuelch empfangen habe, zelegen. Darzu v̈wer Eierwürde vnnsers geneigten willens, vnnd bijräthiger hillff, alls dann zwischen hochermelltem Herren Nuncio vnd vnns bered worden, nit manglen soll noch wirt" (ex commentario, manu ipsius Guilielmi Techtermann urbis archigrammatei [„Stadtschreiber"] scripto, quod est Friburgi in archivo reipublicae, Cod. „Missiuen Buch, angefangen jm 1580. vnnd vollendet jm 1583 Jahr" f. 43b—44b; epistulae apographum circa a. 1675 scriptum est in Cod. frib. „Cod. iur. Coll." p. 415—419; ex quo eam integram edidit *A. Büchi*, Freiburger Geschichtsblätter IV, Freiburg i. Ue. 1897, 66—67).

a) *Haec supplevi ex „Freiburger Geschichtsblätter" IV 66, de quibus paulo infra.*

VIII.

MONUMENTA CANISIANA.

1089. 1550—1580.

Ex „exhortationum" commentariis, quorum maxima pars a scriptore ignoto (Canisio, ut videtur, dictante) scripta et ab ipso Canisio correcta est; reliqua pars Canisii manu scripta est. Can. 14. f. 68^b—72^a.

Lectiones sacrae de libro Proverbiorum. Scripturae dignitas.

Canisius aliquando coepit lectiones sacras, quas vocamus [1], easque, ut videntur latinas de libro Proverbiorum ad „studiosos" — sic enim earum auditores appellat — habere. Quas sic exorsus est: „Constat imprimis, vtilem, laudabilem, et honestum esse morem, cum non solum in templis sacrae contiones, sed etiam alijs in locis piae[a] et spirituales exhortationes apud auditores instituuntur". Deinde notat: „Triplex modus exhortandi solet institui. . . . Tertius modus proponit sibi scripturae librum integrum ordine prosequendum et illustrandum[b], non sicut in scholis fieri solet, singula quaeque ad theologorum regulas excutiendo, sed quantum fieri potest ad auditorum mores et pietatem omnia referendo[c] et applicando. . . . Nihil in exhortatione dignius proponi potest, quam quod sit ex sacrosanctis et Biblicis literis depromptum, in quibus quicquid continetur est uerbum Dei, omni acceptione dignum[2], est doctrina ueritatis et salutis, sine omni suspicione erroris, mendatij, uel corruptelae, est sapientia et scientia quae omnem aliam, scientiam et sapientiam humanam excedit, ueluti regina gubernatrix omnium artium et disciplinarum."

Primam hanc exhortationem sequuntur duae aliae, quibus explicatio libri perducitur usque ad versum septimum capitis primi. Incertum tamen est, utrum Canisius deinde, alio arcessitus vel aliis occupatus negotiis, ab ea explicatione destiterit, an eam prosecutus sit, ita tamen, ut reliqua vel non scriberet, vel in alio aliquo codice (neque enim hoc inusitatum ei erat) scriberet. Existimo autem, Canisium dixisse in aula sive auditorio universitatis alicuius; ibi enim maturiores habebat auditores, quam in scholis humanitatis et rhetoricae; quare eum lectiones has sacras habuisse dixerim aut Ingolstadii (1550—1551, 1576—1577), aut Vindobonae (1552—1554), aut Dilingae (1568—1571, 1580).

1090. 1571—1576.

Canisius in domo rustica vici Arzl catechismum explicat.

Socios oenipontanos a. 1574 in vico Arzl (Artzel) ab urbe tres fere horae quadrantes distanti contionatoris munus administrasse constat ex illius collegii Historia manu scripta. In eadem narratur, unum ex Sociis in eodem vico anno 1579 per sacrum tempus Quadragesimae pueris catechismum explicasse (*Franc. Krus S. J.,* Petrus Canisius und

a) piè *archet.* b) illustrando *archet.* c) rofferendo *archet.*

[1] De harum ratione et utilitate erudite scripsit *Florentinus Ogara* S. J., Lecciones sacras, Bilbao 1914, 10—77. [2] 1 Tim 4, 9.

die älteste Jesuiten-Katechese in Innsbruck, in „Zweites Jahrbuch des Vereins für christliche Erziehungswissenschaft“, Kempten und München 1909, 243—244). Atque anno 1890 ibidem villam sive domum rusticam ipse vidi, de qua haec traduntur: In superiore eius contignatione olim scholam habitam et a Canisio doctrinam christianam traditam esse; et postea, cum magna vici pars incendio consumeretur, domum illam incolumem stetisse; in eadem domo vidi Canisii imaginem antiquam, eamque pigmentis oleatis eleganter pictam; in exteriore autem domus pariete altera erat imago eaque maior; cernebatur Canisius in ipso vico sub divo cum altero Societatis sodali stans et sacram doctrinam pueris adultisque tradens; cui imagini haec erant subscripta:

„Peteres Canisij hauss, vnd dorff gemein · Dir · maria hilff Pefolchen sein · von schwerer Sind vnd feursgefahren · sie treulich wirst alzeit pewahren.“

In Societatis Litteris annuis anni 1596, typis exscriptis, haec de collegio oenipontano narrantur: „Doctrina Christiana, et in vrbe, et in suburbanis agris belle procedit. Pia quadam controuersia rustici certarunt inter se, qui eorum potissimum domum suam Catechismo commodaret, cum suam quisque opportunissimam esse contenderet, ad tenellulam eorum, qui instituuntur, aetatem ab hiemis iniurijs tuendam; praesertim cum ipsorum maligne instructi vestibus essent quamplurimi“: *Annuae Litterae* Societatis Iesu Anni M.D.XCVI. (Neapoli 1605) 155.

Beda Weber (1798—1858) tirolensis, insignis ille scriptor et urbis francofurtensis parochus, laudibus extollit „das Benehmen des Pater Kanisius, der als Provinzial der Jesuiten in Deutschland nach Tirol hereingekommen, um die Ordenshäuser in Innsbruck und Hall einzurichten, auf seinen Wanderungen zwischen beiden Städten überall einkehrte, in jede Bauernhütte am Wege die populärste, freundlichste Christenlehre trug, und die Herzen der Kinder so ganz an sich zog, dass sie ihm schon von weitem entgegenliefen, und mit Gewalt von ihm getrennt werden mussten. Diese gänzliche Entäusserung im hochgelehrten Manne, den die ersten Fürsten der damaligen Zeit als Rathgeber benützten, der die wichtigsten Angelegenheiten in Deutschland und Italien verhandelte, verfehlte nicht im Volke den nachhältigsten Eindruck zu machen, und man durfte sich nicht wundern, wenn sie den wundersamen Christenlehrer an die Mauern ihrer Häuser malen liessen, ihn ehrend bis auf den heutigen Tag“: Tirol und die Reformation, Innsbruck 1841, 380—381.

Quaesieris, quandonam Canisius catecheses arzlenses habuerit. Inter annos, puto, 1571 et 1576; tunc enim collegium oenipontanum iusta eius sedes erat. Caeterum *Kröss* (Can. 192) sic idque rectissime censet: Canisius huiusmodi excursiones catecheticas haud ita saepe fecisse et tum fere suscepisse videtur, cum Socius ille, cui id munus erat iniunctum, impeditus erat; nam in scriptionem adversus Centuriatores a praepositis sibi mandatam diligentissime et religiosissime incumbebat.

1091. 1571—1580.

Sitne Canisius Schwazii contionatus?

Locorum, quibus Canisius concionatus est, duo exstant indiculi antiqui, iique ita inter se diversi, ut unum ex altero haustum esse dici non possit: Unum P. *Martinus Licius* S. J. († 1623) posuit in brevi sua *Vita Canisii, „Quaedam de vita R. Patris Petri Canisij p. m.“ inscripta, quae est in cod. „Can. 47“ p. 77—83; alter est in Vitae Canisii a P. *Matthaeo Radero* S. J. († 1634) prima adumbratione, quae asservatur Romae in bibliotheca „Vittorio Emmanuele“, MSS Ges. Cod. 1355 (p. 44). In horum locorum numero Licius ponit „Schwazium“ (Schwaz, pagus tirolensis haud procul Oeniponte situs et eo tempore amplus nobilisque); Raderus vero omittit hoc nomen, ponit autem „Switzium“ (Schwyz, Helvetiae pagus), quod Licius non habet.

Contionatusne est Canisius utrobique? Certe id fieri poterat; nam et in Tiroli, et in Helvetia diu vixit. An in alterutro loco a scriptoribus illis erratum est, posito perperam Schwazio pro Switzio aut Switzio pro Schwazio? Et Schwazium et Switzium eo tempore a Sociis exculta esse sacris ministeriis certum est (v. *Agricola* l. c. I Dec. 5, n. 287; *F. J. Lipowsky*, Geschichte der Jesuiten in Tyrol, München 1822, 41; *Duhr*, Jes. I 475—476).

Licii indiculum ante a. 1609 conscriptum esse patet ex eius *litteris autographis Ingolstadio 17. Decembris 1609 ad P. Ferdinandum Alberum datis (Germ. 184 f. 167 168); Raderi autem scriptum Augustae a. 1611 compositum vel absolutum est. Licius anno, quo Canisius Friburgi Helvetiorum mortuus est, ibidem collegii vel rector vel vicerector erat; Raderus vero aetate longe minor erat, quam Canisius, neque umquam in huius familiaritatem venisse videtur. Satis ergo verisimile est, Canisium a. 1571—1580 aliquando Oeniponte Schwazium ad contionandum excurrisse.

1092. Inter a. 1571 et 1576 (1580?).

Ex archetypo, quod Oeniponte Balthasar Arnoldt, Canisii scriptor (ipso, ut videtur, dictante) scripsit. Can. 14 f. 58[b]—60[a].

Initium Postillae. Ecclesia romana. Vitia Postillarum quarundam et multorum contionatorum.

Iam ante a. 1570 Lovanio et Antverpia ad Canisium scriptum est, „magnates hispanos" optare, ut ipse „opus postillare" conscriberet; et simile aliquid Dilingae Adamus Walasser ab eo petiit; neque id displicebat Hoffaeo praeposito provinciali (*Can.* VI 384—385 691 700). Atque Canisium hanc „Postillam" Oeniponte inter a. 1571 et 1576 (1580?) incohasse ostendunt ea, quae modo ponentur; Balthasar enim Arnoldt, cui ea dictavit, Oeniponte ab a. 1571 ad 1576, si non longius (ad 1580), Canisio in scribendo operam praestitit (*Can.* VI 625 et supra p. 249).

Praefatio:

„Jta visum est diuinae bonitatj, cuj me totum debeo, vt multis iam annis et Theologus et Ecclesiastes verser in Germania superiore. . . . Etsj vero meos in Christj vinea quantumuis exiles labores praedicare nec possum, nec debeo, tamen hanc praesentem ex illis capio voluptatem, quod mihi docenti[a] obtigerint[b] multj et graues aduersarij[c], quorum odijs et insectatione me dignum Christus effecit, praesertim dum ijdem sanctae Romanae et Apostolicae Ecclesiae hostes se publice profiteantur. Huius enim fidem et doctrinam meam[d] fidem ac doctrinam esse affirmo, huius iudicio et authoritatj tantum tribuo, quantum Cyprianus, Hieronymus, Augustinus, et veteres alij Patres tribuj volunt[e] [1], ab huius praecellentj dignitate alienos, hedos quidem esse posse, Christj autem oues esse non posse pronuncio, quia summum Pastorem in terris a Christo ipso constitutum et ouilj conseruando necessarium adeo non agnoscunt, vt etiam fugiant, quin et pro Antichristo damnent impij et execrentur. Cum vero multis iam annis, vt dicere coeperam, in Germania verser, et sacra publice doceam, non abs re fore putauj, sj successiuis saltem horis quaedam annotarem atque colligerem, quae nonnullis fratribus, ac praesertim rudioribus ad sacras conciones in templis habendas aliquem vsum, et sj sperare licet, auditoribus etiam vtilitatem et fructum possent adferre. Nam tametsj multj et Catholicj nominis et alicuius existimationis virj multa in hoc genere scripserint, postillatores[f] eos vulgo dicunt, tamen nihil impedit credo inuentis alienis aliquid addere et eandem materiam varie tractatam digestamque proferre, et hoc meum studium Deo et Ecclesiae commendare. Vbj sj libere dicendum est, quod res ipsa postulat, non possum equidem probare per omnia, sed lima[g], imo et circumcisionis cultello[h] egere illa sentio, quae nonnullj

a) *Hoc v. supra versum scriptum est.* b) *Sequitur* aduersarij, *oblitt.* c) *Decem vv. sqq. in margine addita sunt.* d) *Ita in archet. correctum est ex* vnam; *3 vv. sqq. in margine addita sunt.* e) *Sequitur* ad, *oblitt.* f) postulatores *Arn.* g) *Sequuntur vv.* egere illa sentio. h) scultello *Arn.*

[1] Horum Patrum testimonia vide *Can.* VI 745—746.

vt Vicelius, Ferus, Schopperus tum germanice, tum latine in hoc argumentum conferre, et Germanis praesertim edere voluerunt [1]. Etsj enim arbitror bonos viros illos Ecclesiae catholicae ciues ac de re catholica non male meritos esse, tamen doctrinam illorum non satis vbique tutam et synceram esse multj mecum deprehenderunt, praesertim si scripta illorum ad solidioris Theologiae, quam Catholicae scholae defendunt et ad [a] Concilij Tridentinj, quod postea publicatum fuit normam et amussim reuocentur ac sedulo examinentur. Deinde multj [b] sacras lectiones, quae diebus festis in templis proponuntur sic explicarunt, vt in literalj, sicut vocant, sensu potissimum haereant et vulgaria tantum adferant, vel in rebus adeo non necessarijs morentur lectorem, non satis huic quidem temporj et praesentibus hominum moribus sese accommodantes, nec raro illis vsu venit, vt etiamsj Catholicos [c] [?] ex professo scribere videantur, tamen sectariorum verba, phrases, inuentionem et consuetudinem nimium aemulentur, vtque ad mulcendos potius quam ad sanandos populj animos sua referre videantur. Sic enim plaerique scribunt et concionantur, vt vulgo egregie loquantur placentia et locis communibus immorentur, et saepe occinant nobis de misericordia Dej, de Christj meritis, de iustitia fidej, de libertate Christiana, de abusibus Ecclesiasticorum. Rursus vero aut mutj aut timidj esse solent in tractandis alijs capitibus, quae hodie in controuersiam adducta sunt, et in fide male sanos offendunt, vt cum docetur, de operibus, quatenus ad satisfactionem et meritum credentium pertinent, cum tres poenitentiae partes [d] necessariae commendantur, cum de Pontificis et Episcoporum disseritur authoritate, cum [e] sanctorum cultus et inuocatio defenditur, cum de Consilijs [f] Euangelicis et statu monastico sententia catholica confirmatur. De his aliisque id genus controuersijs [g] vix leuiter populus admonetur, quod medicj vel ob imperitiam, vel quia [h] vulgj iudicium reformidant, non attingant vlcera, ideoque [i] errores communes [k] nouaeque doctrinae semina, quae sparsa ab aduersarijs longe lateque creuerunt, adeo non eximuntur animis, vt hoc praepostero silentio et stulta dissimulatione foueantur [l] et in plurimis pestilenter augerj videantur [m]. Hinc vero quantus verae pietatis catholicaeque doctrinae neglectus simul et contemptus passim inualescat, de Germanicis etiam catholicorum Ecclesijs loquor, afflictus et miserandus sane illarum status abunde declarat. . . ."

Praefationem sequuntur „Tractandae quaestiones circa Dominicam primam aduentus"; ponuntur autem duae quaestiones cum suis responsionibus; atque secunda responsio ipsius Canisii manu emendata est; neque plura, quae ad Postillam spectent, in hoc codice comparent; quare Canisius Oeniponte ab hac scriptione brevi post destitisse videtur. Prior autem Postillae canisianae pars anno demum 1591 Friburgi Helvetiorum in lucem prodiit, sic inscripta: „Notae in Evangelicas lectiones, quae per totum annum dominicis diebus in ecclesia catholica recitantur"; quam a. 1593 ibidem „Notae" de festis Sanctorum diebus secutae sunt; neque vero in hoc opere ea, quae modo posita sunt, apparent.

1093. 1571—1580.

Exhortationes domesticae Oeniponte a Canisio habitae. Iubilaeum ab eo commendatum.

„Exhortationum domesticarum" a Canisio ex Societatis instituto (v. *Can.* VI 62 [1] 584) habitarum multa supersunt commentaria, eaque per codices contionum canisianarum et alios codices eius dispersa; dolendum autem est, multis huius generis commentariis neque locum neque annum ascriptum esse, ita ut, ubi quando ille dixerit, ex rebus, quas dixit, et ex manibus eorum, quibus dictavit, et aliis ex

a) *Ita corr. est in archet. ex* et ad eam normam. b) *In archet. corr. ex* quj. c) *Sic archet. idque graece potius quam latine. Corrigendumne* Catholice? d) *Sequitur* tand *vel simile v., oblitt.* e) *Sequitur* de, *oblitt.* f) Concilijs *Arn.* g) *Sequitur* ita, *oblitt.* h) *Sequitur* delica, *oblitt.* i) *Sequuntur vv.* communes error, *oblitt.* k) *Sequitur* adm, *oblitt.* l) voueantur *Arn.* m) *Sequuntur vv.* Ac miserandus, *oblitt.*

[1] De horum libris vide supra p. 549 556.

rationibus colligi et conici oporteat. In numero igitur exhortationum Oeniponte annis 1572—1580 ab eo habitarum hae sunt ponendae:

1. „De tribulatione". „Dicam 1 de 3 genere tribulationis 2 quod licet desiderare et a[mare eam]." Explicatur regula illa Societatis, quae nunc est 11. in „Summario Constitutionum". Commentarium scriptum est a Balthasare Arnoldt (*Can.* 1. f $65^b—67^a$); cuius opera in contionibus scribendis Canisius Oeniponte ab aestate a. 1571 (*Can.* VI 625 628) usque ad m. Septembrem a. 1572 et ab Aprili 1574 ad Novembrem 1575 multum utebatur (cf. supra p. 97 230). Exhortationem ex eodem commentario typis exscripsit *G. Schlosser* S. J., Beati Petri Canisii S. J. Exhortationes domesticae (Ruraemundae 1876) 16—20.

2. Eadem manu scripta sunt duo commentaria exhortationum vel institutionum de „Bulla Coenae" (cf. *Can.* I 253 [3]); horum unum (*Can.* 14 f. $124^b—125^b$) „Circa bullam coenae Domini" inscriptum est; exordio autem *Canisius* ipse in margine ascripsit: „Bulla timenda et tremenda"; explicatur potissimum prima eius excommunicatio, quae est de haereticis eorumque fautoribus etc. . . . Commentarium alterum (Can. 1 f. $67^b—68^a$) inscriptum est „Jn principium Bullae coenae Domini" et incipit: „Non repetemus quae dicta sunt hactenus in genere, sed solum prosequemur pauca quae nobis supersunt tractanda de Bulla coenae Dominj, et deinde ad primum casum excommunicationis progrediemur".

3. Item Arnoldtii manu scripta est (Can. 42 f. $22^a—24^b$) est exhortatio de regulis Societatis, quae sic est inscripta „Praefatio in exhortationes circa regulas". Post praefationem explicantur „Summarii Constitutionum" (quod incipit a „Summa Sapientia") regulae 1., 2., 3.; ex ipsis autem earum verbis intellegitur, Canisio eo tempore nondum prae manibus fuisse „Summarium" illud a Mercuriano praeposito generali recognitum, quod Roma 14. Decembris 1578 in omnes Societatis provincias missum est (Hist. Soc. 42, Diuersi Ordini, in a. 1578), sed eum usum Summario illo, quod cum inscriptione „*Quaedam* ex constitutionibus Societatis Iesu excerpta" Romae a. 1567 typis exscriptum est. In margine inferiore primae paginae huius commentarii *Canisius* ipse scripsit: „1 Cogitaui sit ne bonum mutare materiam in principio anni huius. 2. Videtur a regulis non discedendum. Vnde excluditur tentatio Estne semper audiendum de Regulis? 3 Dico quod nemo potest se hic grauare, sed debet potius libenter audire. Hic est thezaurus per P. Ignatium e celo nobis datus 2 Medulla et summa constitutionum 3 Doctrina Christi et sanctorum 4 Testamentum P. Ignatij".

4. Item Arnoldtio *Canisius* dictavit (Can. 42 f. $128^a—129^b$) exhortationem initio anni ante renovationem votorum religiosorum (v. *Can.* IV 710 [1]) a se habendam. „Dicam primum quomodo Deum merito laudemus de hac sancta inspiratione superioribus nostris inspirata, Vt quotannis semel et iterum vota renouemus". Deinde „de modo se praeparandi ad renouationem".

5. Eiusdem scriptoris manu scripta est *Canisii* exhortatio „De Iubilaeo fratribus publicando" (Can. 30 f. $151^b—156^b$). Quod iubilaeum neque in magna illa totius Societatis historia ab Orlandino, Sacchino, Iuvencio etc. composita, neque in historiis provinciarum germanicarum Societatis memoratum invenio. Exstant vero de eo litterae pontificiae (nondum, quod sciam, typis exscriptae), quarum praecipua capita hic ponuntur ea quoque de causa, quia ex iis cum Canisii exhortatione collatis intellegitur, Mercurianum praepositum generalem gratias illas ex potestate sibi collata (cf. etiam *Can.* IV 472) aliquantum restrinxisse vel temperasse: *Gregorius XIII.* Roma 10. Februarii 1576 ad omnes Societatis sodales et eorum ministros famulosque atque etiam ad „scholasticos" externos „Societatis collegia frequentantes" *Breve dedit, quo eis rogatu Everardi Mercuriani praepositi generalis „plenariam anni Jubilaei proxime preteriti omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem" concedebat, dummodo „penitentes et confessi quatuor altaria ecclesiarum seu Capellarum suarum per superiores suos deputanda, uel ubi tot non essent altaria saltem vnum per quindecim dies continuos uel jnterpollatos deuote uisitarent et ad singula ex quatuor altaribus quinquies orationem Dominicam et toties salutationem

Angelicam uel si unum tantum altare fuisset, viginti uicibus eandem orationem Dominicam et toties salutationem Angelicam genibus flexis pro peccatorum suorum remissione recitarent, ac pro Christianorum Principum vnione ac heresum extirpatione sancteque matris Ecclesie exaltatione pie orarent"; simul pontifex permittebat, ut Socii „confessores a superioribus suis, scholastici uero ab ordinario loci deputatos et approbatos eligere possent", qui eos ab omnibus omnino peccatis et paenis ecclesiasticis absolvere possent; „superioribus" deinde concedebat, ut non solum de infirmis, senibus, aliter impeditis, quod ad condiciones illas attineret, aliter statuere possent, sed etiam ut „in praemissis omnibus et singulis", quae ad consequendum iubilaeum illud pertinere existimaturi essent, suo „arbitrio ordinare ac procedere, ac quecunque remedia ad id oportuna adhibere possent"; atque eas litteras earumque exempla authentica „ad duos menses a die eorum publicationis in quolibet Collegio ac loco duratura" esse (ex apographo eodem fere tempore in ipsa, ut videtur, sede praepositi generalis scripto; Instit. 196 f. 340). *Canisius* igitur suam de hoc iubilaeo institutionem ita exorsus est, ut „3 personas considerandas" esse affirmaret. „Pontifex, dico, qui solus dare potest et iam dat nobis Jubilaeum. 2. superiores qui nobis declarant Pontificis intentionem et suam voluntatem, ut bene [et] cum fructu utamur hoc Jubilaeo. 3 Nos ipsi, ut non impediamur in hac oblata gratia, sed etiam ex parte nostra illis cooperemur et digne illam vsurpemus in principio in medio et fine." In pontifice non solum potestatem esse considerandam, sed etiam „charitatem"; qui „multas nobis gratias ab initio huc usque communicauit", et nunc quasi dicit: „Possem a uobis exigere ut Romam uel Brixinam iretis uel magnam poenitentiam faceretis, ad hunc thesaurum consequendum sicut alij fecerunt in anno Jubilaei. Sed manete domi et paucis diebus uos praeparate" etc. Generalis autem „paternam adhibuit monitionem, ut magis excitaret filios ad bonum et salutarem usum huius Jubilaei"; qui est tam sollicitus ea de re, „ut etiam fieri velit certior a superioribus de effectu Jubilaei. . . . Debemus gratias Generali et Prouintiali, quod conforment se voluntati Pontificis in potestate concedenda ut quisque sibi eligat confessarium quemlibet ex multis designatis a Rectore cuiuslibet Collegij", qui eum absolvere possit ab omnibus peccatis, „casu haeresis dumtaxat excepto", et „quod huiusmodi facultas et gratia etiam se ad scholasticos nostros et domesticos extendat, quando ita visum fuerit Rectoribus. . . . Specialiter etiam debemus prouintiali qui suadet, ut qui possunt aliquod sibi tempus deligant ad orandum et meditandum ultra solitum. . . . Vnde visum est expedire ut mane uel vesperi tempus orationis ordinariae prolongetur, et ut quilibet cum suo confessario consultet de augendo penso deuotionis intra hos dies quindecim, hoc est usque ad festum paschatis"; de paenitentia quoque agenda cogitandum esse. Postea *Canisius* Socios vehementer urget, ut iubilaeum maximi faciant et eius gratias consequi diligentissime studeant. Haec, ut ex ipsius verbis cognoscitur, dixit 15 diebus ante Pascha vel potius, puto (quia hae exhortationes diebus Veneris haberi solebant; v. *Can.* VI 584), feria VI. ante Dominicam Passionis sive 6. Aprilis 1576. Totam orationem ex eodem commentario edidit (verbis tamen Canisii paululum immutatis) *Schlosser* l. c. 409—415.

6. Manu illius Socii collegii oenipontani, qua a 12. Maii ad 8. Septembris 1575 multae contiones canisianae scriptae sunt et in Canisii litteris Oeniponte 26. Iunii 1575 ad Mercurianum datis inscriptio posita est (v. supra p. 297), scripta sunt commentaria harum trium exhortationum a *Canisio* habitarum (Can. 43 in foliis non sign.): „De fine Societatis"; „De paupertate" in Societate servanda; „De castitate" in Societate servanda, cum „Repetitione brevi de Paupertate". Harum orationum primam et secundam ex iisdem commentariis edidit *Schlosser* l. c. 6—12 135—140.

De exhortatione 5. Augusti 1580 Oeniponte habita dicetur infra, monum. 1260.

1094. 1560—1580.

P. Natalis de Canisii catechismo Germanis explicando praecepta.

Ex opere „Monumenta paedagogica Societatis Iesu quae primam Rationem Studiorum anno 1586 editam praecessere · Ediderunt *Caecilius Gomez Rodeles, Ma-*

rianus Lecina" etc. S. J., Matriti 1901, 113—114: in quo opere haec posita sunt ex archetypis manu P. Natalis emendatis (cf. l. c. 18—20, 107 [1]). Eadem iam antea ex apographo posteriore (saeculi XVII.?) vulgaverat *Pachtler* l. c. I 254—255. Hoc tamen inter Pachtlerum et editores matritenses interest, quod institutio illa praesto his erat, ut ab auctore paulo, ut videtur, ante mortem († 1580) diligenter erat correcta, Pachtlero vero, ut primum ab eo composita erat, et in Germania aliquamdiu, ut videtur, observata est (cf. *Duhr*, Jes. I 255 454—462).

Exstat „Ordo Studiorum" quidam, a P. *Hieronymo Natale*, notissimo illo S. Ignatii discipulo et Societatis per Germaniam aliasque terras visitatore, tempore non ascripto, compositus (a. 1560—1580?), in quo haec, praeter alia, praecipiuntur: „Catechismus P. Canisii in Germania, minor quidem inferioribus classibus, maior superioribus [a], exponetur die veneris hora vltima lectionum antemeridiana, et curabitur [b] vt omnes teneant memoriter saltem minorem [c]. Instituentur de his disputationes siue interrogationes puerorum [d] inter se: aut etiam praeceptores [e] pueros interrogent [f] die sabbati · fiet etiam [g] in ecclesia lectio catechismi diebus dominicis et festis. Ad vnam earum [h] lectionum [i] catechismi [k], quae in scholis habebuntur, conuenient grammatici, quae erit simplex et ad eorum captum et vtilitatem accommodata: ad aliam vero humanistae et rhetores et alii, si qui fuerint auditores, quae erit lectio grauior [l]; vel plures erunt lectiones pro vario captu auditorum. Ad has lectiones deligentur uel ex praeceptoribus, uel ex aliis nostris [m], qui videbuntur aptissimi. Alphabetarios docebit suos [n] [?] praeceptor [o] pro eorum modulo. Ad lectionem catechismi diei [p] dominicae et festi conuenient omnes auditores".

1095. 1571—1573.

Canisii catechismus in dioecesi monasteriensi.

In visitatione canonica dioecesis monasteriensis (Münster in Westfalen) iussu Ioannis ab Hoya episcopi principis a. 1571—1573 habita cognitum est, „cathechismum Canisii" explicari in scholis (latinis) urbium coisfeldensis (Coesfeld) et renensis (Rheine); neque dubitari potest, quin „Parvus Catechismus Catholicorum" significetur. Item intellectum est, in abbatia sacrarum virginum ordinis cisterciensis rengeringensi (Marienbuch in Rengering) „praelegi cathechismum Canisii latine" ipsis virginibus (Die Akten der Visitation des Bistums Münster aus der Zeit Johanns von Hoya, herausgeg. u. erläut. v. *Wilh. Eberh. Schwarz* [Die Geschichtsquellen des Bistums Münster VII.], Münster 1913, CXLVI CLVIII CLXIX 91 150 231 et[e]) LI. De catechismo canisiano a. 1563 et 1573 Monasterii Westphalorum excuso v. infra, monum. 1119.

1096. 1572.

Latine editur Canisii Catechismus parvus Annessiaci, Antverpiae, Dilingae, „Summa" Dilingae.

1. Anno 1572 Annessiaci (Annecy), quod oppidum imperio ducis Sabaudiae subiectum erat, Canisii catechismus medius sive „Parvus Catechismus Catholicorum" sic editus est: „CATECHISMVS | CATHOLICVS, | IVVENTVTI FOR- | MANDÆ HOC SÆCVLO | VTILISSIMVS, Auctore D. Petro Canisio, Societatis IESV doctore Theologo. | *Tabulam & carmen ad totius libelli ordinem | facilius complectendum, in gratiam studiosorum adiecimus.* | ANNESSIACI, | Apud Iacobum Bertrandum. | M.D.LXXII."

4⁰; pp. 29 (addito folio titulari); praeterea in extremo libro 3 pp. non. sign.; quarum duae occupantur „tabula" illa sive „Omnium eorum, quae in Catechismo habentur generali ad iuvandam memoriam comprehensione"; in ima tabula legitur:

a) minor quidem in Inferioribus, maior in Superioribus classibus *Pachtl.* b) curabunt *P.* c) *Hoc v. manu ipsius Natalis scriptum est;* parvum; et *P.* d) e) *Duo vv. sqq. ab ipso Nat. scripta sunt.* f) etiam praeceptorem, qui pueros interroget *P.* g) autem *P.* h) *Hoc v. a Nat. scriptum est.* i) *Quinque vv. sqq. a Nat. scripta sunt.* k) *Hoc v. non est apud P.* l) *Octo vv. sqq. a Nat. ipso sunt scripta; quae non sunt apud P.* m) *Hoc v. non est apud P.* n) suus *P., idque, puto, rectius.* o) *Tria vv. sqq. non sunt apud P.* p) die *P.*

„Annessiaci, excudebat Iacobus Bertrandus, XVIII. Cal. Ian. M. D. LXXI“ [sic!]; in tertia illa pagina signum typographicum Bertrandi cernitur; in pagina altera folii titularis: „Precatio scholastica ad initium scholae legenda“; sequuntur precationes duae; p. 26 terminatur catechismus: p. 27—28 carmen de praecipuis catechismi partibus, „in gratiam studiosorum ex maiore catechismo adiectum“.

Librum vidi Parisiis in bibliotheca reipublicae (nationali), D. 3519 (5). Idem iam descriptus est in „*Catalogue* des livres imprimez de la Bibliotheque du Roy. Theologie · 2de partie“, Paris 1742, 4 (D. 42). Inde eius notitiam hausit *Sommervogel,* Bibl. II 624.

2. „INSTITVTIONES | CHRISTIA- | NÆ PIETATIS: | SEV | PARVVS CATECHISMVS | CATHOLICORUM, | Auctore D. PETRO Canisio, | Societatis IESV Theologo. | ACCESSERE PRECES HORA | riæ de æterna DEI sapientia, IESV | CHRISTO Domino nostro, cum | pijs quibusdam & Christianis exer- | citationibus. | ANTVERPIAE. | *Apud Ioannem Bellérum, sub* | *Aquila aurea.* | M. D. LXXII.“ In pagina priore folii ultimi: „GANDAVI, | Ioanni Belléro | Bibliopolæ | Antuerpiensi, Gislenus Ma- | nilius Typo- | graphus iura- | tus, excude- | bat.“

16°; pp. sign. 48; praeterea ff. non sign. in initio 12 (addito titulari) et in fine 33. Titulum sequitur Canisii praefatio „Exiguum est opus hoc .... Augustae Vindelicorum“ (sine tempore); v. *Can.* III 777; deinde „edictum“ Ferdinandi I 10. Decembris 1560 datum (v. *Can.* I 752—754), Calendarium. Catechismo addita sunt „Testimonia Scripturae Sacrae“ et „B. Augustini sententiae tres“. Sequuntur Preces horariae de aeternae Dei Sapientia; Meditationes quotidianae de virtutibus Christi, aliae quaedam precationes, ut S. Thomae Aquinatis oratio ante studia litterarum („Creator ineffabilis“); preces vespertinae; „orationes in schola quotidie ante Lectionem dicendae“. Cf. *Can.* III 777; V 823.

Huius editionis vidi exemplum, quod est Treveris in bibliotheca urbis (N I 15). *Sommervogel* eam non posuit.

3. „INSTITVTIONES | CHRISTIANÆ | PIETATIS, | SEV | PARVVS CATECHISMVS | CATHOLICORVM. | *Authore* | PETRO CANISIO Socie- | tatis IESV Theologo. | PRECES HORARIAE De | æterna Dei sapientia. | *Cum gratia & Priuilegio Cæs. Maiest.* | DILINGAE | Excudebat Sebaldus Mayer. | M. D. LXXII.“ Versus 1, 2, 3, 8, 9, 12, 13, 15 rubri sunt. Totus titulus figuris marginalibus ornatus et quasi inclusus est.

16°; ff. sign. 80; praeterea in initio ff. non sign. 9 (addito titulari), in quibus Calendarium cum praefatione quadam positum est; catechismus terminatur f. 28a: sequuntur testimonia sacrae Scripturae contra haereticos in promptu habenda; tres sententiae S. Augustini; preces horariae de aeterna Dei Sapientia; meditationes quotidianae de virtutibus Christi; preces mane, vesperi, ante litterarum tractationem (oratio S. Thomae Aquinatis), ante scholam recitandae; cf. *Can.* II 721 [1]; III 777; IV 1005; V 823.

Librum vidi Monachii in bibliotheca nationali (Catech. 81). Idem exstat Upsalae in bibliotheca universitatis. Brevem eius mentionem fecit *Sommervogel,* Bibl. II 636.

4. *J. B. Reiser* (B. Petrus Canisius als Katechet in Wort und Schriften. 2. Aufl., Mainz 1882, 62) scribit, Canisii „Summam doctrinae christianae“ Dilingae a. 1572 in 8° editam esse; „selten; sehr schön für die bayer. Gymnasien eigens vom Autor besorgt“. Haec fuerit „Summae“ a. 1571 „in usum scholarum inclytae Bavariae“ Dilingae a Canisio editae, de qua *Can.* VI 708—709, editio altera. Quam neque Sommervogel commemoravit, neque ego vidi.

Legitur quidem apud *E. M. Fant,* Annales typographici seculi decimi sexti in Svecia, Upsalae 1793, III 26, Canisii catechismum minorem suecice versum iam a. 1572 excusum esse Gedani (Danzig); neque vero ante 1579 is liber suecice editus esse videtur; v. infra, monum. 1233.

Pro appendice haec pono: Ioannes Chodkiewicz († 1579), archimarschalcus generalis magni ducatus Lithuaniae et capitaneus Samogitiae, qui olim Philippo

Melanchthoni Vitembergae in universitate operam dederat, anno 1572, cum PP. Stanislaum Varsevitium, Balthasarem Hostovinum, Franciscum Toletum, S. J., audivisset et Summam sive catechismum maiorem Canisii Confessionemque Augustinianam P. Hieronymi Torrensis S. J. (*Can.* V 818) legisset, haeresibus abiuratis, Varsaviae a cardinali Ioanne Francisco Commendono in ecclesiam, a qua defecerat, iterum receptus est; deinceps ita vixit, ut reliquis catholicis exemplo esset, et religionem strenue defendit atque fovit (*Sacchinus*, Hist. III l. 8, n. 205; *Załęski* l. c. [v. supra p. 543[3]] I 194—195).

1097. 1572.

Catechismus Canisii in Gallia et in republica friburgensi explicandus.

1. P. *Claudius Matthaeus* (Matthieu) S. J., a. 1571 in locum P. Edmundi Augerii provinciae tolosanae praepositi substitutus, Lugduno 11. Octobris 1572 Romam ad P. Hieronymum Natalem haec rettulit: „Ho consultato la cosa del cathechismo, et la maggior parte de consultori è di parere che leggiamo in questa Prouincia, tanto in lingua latina, come francesa, quello del Padre Canisio, per molte ragioni, spetialmente a causa de l' vniformità, che quanto si puo, suole cercarsj nella compagnia, et perche cosi li putti imparando prima il francese, con più grande facilità imparanno[a] il latino nelle classj superiorj, oltre che quello contiene il trattato de virtutibus et vitijs, che non ui è nel cathechismo del Padre Emondo, V. R. ueda quel che si ha da fare" (ex archetypo, a Matthaeo subscripto. Gall. Ep. VI n. 116).

De catechismo Augerii v. *Can.* VI 596 663 704. Ipse *Augerius* Canisium magni faciebat; ita enim Parisiis 8. Augusti 1574 P. Ioanni Rethio S. J. regenti coloniensi *scripsit: „Audio patrem Natalem et p. Canisium aliquid" scripsisse „in Lutheranos, obsecro vt intelligam ex te quid noui ex illa tam longa meditatione patris Canisij profectum natumque est, nam amo illum ex intimo pectore, vt verum Christi athletam in ea Europae regione, vnde pansum[b] [?] est omne malum" (ex autogr.; Cod. colon. „Un. 603" f. 348[b]).

2. In „Ludi litterarii friburgensis novis legibus" Friburgi Helvetiorum a „*Petro Schneuwli*" contionatore urbis conscriptis et anno 1572 a senatu confirmatis constituitur, ut in „scola vulgari" sive elementaria ludimagister pueris illis, qui latinae linguae prorsus ignari sint, catechismum Canisii germanice reddat (*Fr. Heinemann*, Das sogenannte Katharinenbuch, Freiburg i. Ue. 1896. xxxix—xl).

1098. 1572.

Volumen quoddam, quo Canisius utebatur. Eisengrein ei librum dicat.

Exstat adhuc volumen in 4° membrana alba vestitum, quod hos libros complectitur: 1. Rettung Der Maiestât, Glori vnnd Herrligkait vnsers Hailands IESV CHRISTI, dess wahren Menschens vnd natürlichen Son Gottes . . . Durch *Martinum Eisengrein* der H. Schrifft Doctorn, Propst zů Alten Oeting, Vnnd der hohen Schůl zů Jngolstatt Vice-Cantzler". Jngolstatt 1572. 2. „Constitutio · Veteris, Apostolicae et Orthodoxae Ecclesiae . . . Omnibus et singulis per vtramque Lusatiam Divinorum rectoribus . . . obserua: demandata. A Reverendo D. *Ioann: Leisentritio* Administratore Ecclesiastico etc." Budissinae 1572; 3. „De Romana Ecclesia Tractatus *Hieronymi Mutii* Iustinopolitani. Impressum Pisauri MDLXIII." 4. „Catholica de fide, et infidelitate Disputatio: Anno, post Virginis partum, M. D. LXXI. in actu Doctorali Reuerendi, ac Clarissimi viri, Domini *Alberti Hungeri*, SS. Theologiae Licentiati, publice proposita". Ingolstadii 1571. 5. „Christenliche vnd wolgegründte Predig . . Durch . . *Petrum Canisium*" Dilingen 1570; de quo libro vide *Can.* VI, 690—691.

Canisius hoc volumine utebatur et in foliis eius vacuis complures operum SS. Augustini, Hieronymi, Bernardi locos per scriptorem suum latine describendos curavit;

a) *Ita in archet. correctum est ex* imparano; *legendumne* impareranno? b) *Vel* passum; *alterum enim ex altero correctum est.*

videtur autem pleraque scripsisse P. Sigismundus Ilsung S. J., cuius in scribendo opera Canisius postremo vitae tempore Friburgi Helvetiorum utebatur (v. *Can.*I, 1 [3]); praeterea sua manu Canisius complures considerationes et admonitiones suas in paginis vacuis germanice scripsit.

Hoc quoque notatu dignum est: Primi libri („Rettung" etc.) folium titulare habet dedicationem ab ipso *Martino Eisengrein* libri auctore scriptam; cuius tamen dedicationis versum; 2. (et 3.?) is, qui libros compegit, ita resecuit, ut soli compareant apices summi. Ita autem Eisengrein scripsit: „Admodum Reuerendo in Christo Patrj ac Domino Petro Can[isio] [S. Theologiae Doctori] [et] [?] [amico summe] [?] colendo." In summo folii titularis margine *P. Antonius Guisanus* S. J. (Oeniponte, ut videtur) scripsit: „Societatis professae".

Volumen exstat Valkenburgi in collegio ignatiano S. J.

1099. **A 4. Ianuarii 1572 ad 6. Ianuarii 1573.**

Orationes sacrae a Canisio Ferdinandi II. archiducis contionatore Oeniponte habitae. Earum argumenta. Canisii dicta quaedam notatu digna. Contionum fructus.

Canisius, aestate a. 1571 Ferdinandi II archiducis contionator institutus, a 4. Ianuarii 1572 ad 6. Ianuarii 1573 fere 86 contiones Oeniponte in templo Sanctae Crucis habuit. Quae eiusdem fere rationis erant et eodem modo ab eo parabantur atque illae, de quibus dictum est *Can.* VI 626—627; idem de contionum commentariis dici potest; v. *Can.* VI 627. Quare hic hoc solum noto: Usque ad medium m. Septembrem 1572 plerumque opera Balthasaris Arnoldt, qui camerae tirolensis expensis ei adiunctus erat scriptor (*Can.* VI 625), ad commentaria scribenda usus est; deinde ille Romam in collegium germanicum abiit (v. supra p. 97); die autem 19. Octobris 1572 primum comparet manus novi scriptoris ab eadem camera Canisio adiuncti; qui deinde plurimas ei contiones scripsit. Alii quoque complures ei interdum aliquid operae praestiterunt; velut P. Guilielmus Elderen S. J. (Can. 51 f. 159[a]—160[b] etc.). Ipse omnia recognovit atque emendavit; nonnulla capita sua manu scripsit. In evangeliis dierum sacrorum recitandis et explicandis, ut alias iam monui, ritum brixinensem, non romanum servavit; v. *Can.* VI 627.

Ponentur hic singularum contionum „propositiones" sive argumenta praecipua; deinde, cum quid notatu singulariter dignum in eis occurrerit, si quidem breve erit, propositioni subiungetur; sin autem longius, suum habebit monumentum; ad quod lector remittetur.

Die Circumcisionis sive 1. Ianuarii 1572 Canisium „ob absentiam Principis" contionem non habuisse notavit Balthasar Arnoldt scriptor, cui contionum commentaria dictare solebat (Can. 51 f. 78[b]).

Cum autem die 4. Ianuarii post mediam noctem terra ingentibus motibus concussa esset [1], eodem die sacram orationem sic exorsus est: „Non scio aliter istam

[1] *Jacobus Pontanus* S. J. in „Litteris annuis" provinciae Germaniae superioris, Dilinga 1. Septembris 1572 datis, haec de „Oeniponto" narrat: „Terrae motus ... pridie Non. Januarij habuit initium, ad secundam horam noctis. Ante ortum vero solem totam regionem ingenti omnium pauore ac tremore quadragies concussit ac tremefecit. Perdurauit deinceps interpositis semper aliquot horarum interuallis ad 40. dies, et postmodum ad diem paschae subinde notatus fuit. Eius vi multis in

incipere concionem nisj per narrationem eius quod contigit hac proxima nocte. Visitauit nos Deus ex improuiso sicut ipsj audistis. . . . Quid multa dicam et querar? Jst vns ein seltsame botschafft kommen". Deinde, post alia: „Dicam quomodo filij mundj de talj opere cogitent et iudicent · 2. Quomodo etiam filij Dej. 3. Quid nobis faciendum hoc tempore et in hac visitatione. Ero autem breuis" (ex contionis commentario, ab Arnoldt scripto et a Canisio emendato. Can. 51 f. 392b—393a).

„Am Fest der Heiligen drey Könige" sive die Epiphaniae (6. Ianuarii 1572) „Propositio": De evangelio diei (Mt 2, 1—12) „primo dicam, vt sciamus gratiam, quam Christus hoc die non solum Magis, sed et nobis omnibusque gentibus exhibuit. 2. Quomodo sit considerandum exemplum Magorum, vt discamus cum illis Christum quaerere et inuenire, imo etiam illum decenter tractare. 3. Quomodo hj Magj exemplo suo mundum praesentem arguunt et instruunt, vt vere Christum honoremus." In hac contione *Canisius*, archiducem eiusque consiliarios iudicesque haud obscure significans: „Vtinam", inquit, „hodie Christianj omnes et Principes tam essent prudentes, sicut Herodes, quj sibj non vsurpauit officium sacerdotum in iudicanda religione, sed defert causam ad Principes sacerdotum et scribas populj, volens ab illis sciscitarj vbj Christus nasceretur. Non docet nos Deus nec perfecte illuminat, nisj per media ordinata et per suos Vicarios, in quibus vult audirj et honorarj" (ex commentario, ut supra; l. c. f. 78b—81a).

Deinde *Canisius* „Concionem de Terraemotu in processione" sive supplicatione publica habuit; cui dies quidem non est ascriptus; eam tamen aliquanto post 4. Ianuarii habitam esse, ostendunt haec contionis huius verba; [Deus] „terribilis est super filios hominum [Ps 65, 5], nec potest quisquam Princeps tale quid facere per tot miliaria in tot locis, et vno die post alterum. . . . Tanta potestas aetate hominum vix visa et audita est in his regionibus, et nouit Deus quando sit finis secuturus". „Dicam igitur quomodo hic praesens Terraemotus nobis specialiter considerandus sit et acceptandus, vt operatio Dej se in illo monstrantis et cognoscj a nobis volentis. 2. Quomodo nobis haec Dej visitatio seruire debet ad verum Dej timorem et vitae emendationem. Sj volumus ex necessitate virtutem facere et huiusmodj terribile flagellum a nobis et nostris imo a tota regione auertere" (l. c. f. 390a—392a).

„Dominica prima post Epiphaniam" (13. Ianuarii). „1. Ponderabimus circa hoc Euangelium (Lc 2, 42—52) quid Christus nobis det intelligendum hoc verbo: Nesciebatis quia in his, quae Patris mej sunt oportet me esse? [Lc 2, 49.] 2. Quomodo omnes coniuges respicere debent pulchrum exemplum Joseph et Mariae, vt discant suos filios bene et Christiane educare. 4. [*lege:* 3.] inspiciendum quomodo quisque se gerere debeat hoc tempore terremotus." „Non sufficit seruasse anteactas Processiones et inuocasse Deum. . . . Quj supra dicta cogitat, facile admonebit se ipsum, quomodo debet posthac se et suos ad timorem Dej dirigere et in eo conseruare, et nouum propositum ac ordinem facere diligentius orandj domj, mane et vesperj. 2. Festos dies cum maiore reuerentia sanctificandj. 4. Non curandj morem mundanorum ihn der fleischlichen vnzichtigen Fasnacht. 5. Saepius adeundj

---

locis labes factae sunt, terra descendit, domus et tecta corruerunt. Jn plurimis ciuitatibus turres et speculas demoliri necesse fuit, ne ruina populum, aedesque vicinas opprimeret. . . . Vidisses quasi conclamatis vasis totam vrbem ex vrbe demigrare in agros. Principem in frigore sub tentorijs et papilionibus habitare. Nostri in preces incumbere Dei et sanctorum auxilia implorare. . . . Concionatores sane argumentum idoneum habuerunt, populum qui tum omnia templa complebat, ad poenitentiam et lachrymas incitandi, cum mors ante oculos volitaret. Jnstitutae sunt tota ciuitate magistratus imperio supplicationes, Corpus Christi circumlatum conciones ad destinata loca eodem tempore habitae. Sed his non expectatis sua sponte populus omnia tentauit, vt impendentem suis ceruicibus diuinam vltionem averteret. Jn nostrum potissimum templum frequens confluxit, ibi precibus, confessionibus, concionibus si vnquam antea, diligentem operam dedit (ex exemplo archet.: Germ. 134 f. 151b).

templa et illic cum Deo se reconciliandj cum confessione poenitentiae" (l. c. f. 81ª ad 85ᵇ). Plura vide infra, monum. 1100.

„Euangelium de nuptijs in Cana Galilea" (Io 2, 1—11), quod erat Dominicae II. post Epiphaniam, (20. Ian. 1572). „Propositio, 1 quomodo uarij errores excludendi qui circa hoc Euangelium emergunt. 2. Quomodo admonentur hic coniuges Christianj suum statum recte inchoare, et in illo saepe considerare hoc Euangelium. 3. Quomodo omnes status ex hoc Euangelio bonas et salutares exhortationes possunt et debent haurire et corde percipere." In numero peccatorum, quae a coniugibus nonnunquam committuntur, hoc a *Canisio* ponitur: „Jurant et precantur sibj mortem Frantzhossen, Pestilentz vnnd das ihn der Teuffel hol." Omnibus autem Christianis vehementer ab eo commendatur misericordia in pauperes. Hoc quoque *Canisius* sua manu huic commentario inseruit: „Adhuc uidemus et audimus Christum operari magnalia, proculdubio in confirmationem uerae et catholicae fidei Vt per suum s. corpus in Seuelt [1] 2 per suam b. matrem Laureti 3 per suum Apostolum Jacobum in Galitia [2] 4 per suos sanctos in monte sancto" [3] (l. c. f. 85ᵇ—90ᵇ).

„De leproso et Centurione" (Mt 8, 1—13), Dominica III. post Epiph. (27. Ianuarii). „Proximis diebus exiuit et publicatum est serium mandatum [4] ex magnis et praegnantibus causis ibidem assignatis, vt omnes et singulj subditj huius oppidj, imo totius Prouinciae et comitatus animo perciperent, die yetz schwebendte Plagen vnnd straffen, so wir hören, sechen vnnd entpfinden allenthalben, als ihn sonderheit spalt vnnd zwitracht ihn der Religion. 2. Grosse erbärmliche, iämerliche Teuerrung vnnd hungersnot. 3. einreissende Jnfection der Pestis vnnd Sterbleuffen. 4. Über das alles die erschröckliche unerhörte Erdpidem [5]. Assignatur praeterea in eodem mandato vera causa talium plagarum, nempe quod Deus secundum iram suam et merita nostra nos visitat et punit vnser Sund, laster vnnd vnbuosfertigs leben vnser fleischliche wollust, vnordenlichs, vihisch wesen vnnd vnchristenliche Leichtfertigkheit, so bey allen Stenden clam et palam gesechen vnnd gespuret werden. . . . Jn mandato nouo ordinatur et praecipitur superioribus et inferioribus, quod omnes meminerint hoc tempore intermittere mundana gaudia vnd Yppigkheit als tentz, fasnacht Mumerey, zutrinckhen, Fullerey, Kürchtäg, Panchet, grosse hochzeit, Ladschafft, Kindlbett vnnd Todmäler vnnd allerley vberflussig essen vnnd trinckhen, sonderlich nach den Malzeiten. Et merito haec prohibentur" etc. *Canisius* autem in hac oratione ostendit, „quomodo hoc Euangelium nobis seruiat ut tempus tribulationis agnoscamus et inde uitam emendemus et hoc exemplo leprosi et Centurionis" (Can. 51 f. 90ᵇ—95ª).

„Jn festo Purificationis" (2. Februarii) „propositio. Credo bonum fore, primum aliquid dicere, ad quid hoc festum nobis possit et debeat vtile esse et merito solenniter celebrarj ab omnibus Christianis. 2. Quomodo consideranda specialiter persona Simeonis in Euangelio, qui vere fructum huius festj primum sensit in templo. 3. Quod nemo debeat impedirj per nouum mundum, quicquid clament et opponant contra festum et eius caeremonias, sed quod in uera fide Ecclesiae cunctj possint et debeant seruare caeremonias solitas, etiamsj propterea contemnantur et rideantur" (Can. 51 f. 278ª—281ª).

„Dominica Septuagesimae" (3. Februarii) ex evangelio diei de operibus ad salutem necessariis dicit. In contionis exordio, sacri temporis rationem explicans, haec, praeter alia, suadet („meum fidele consilium est"): Abhinc cotidie „qui nouit legere, incipiat legere septem psalmos poenitentiales, quj non potest legere, legat [*corrige*: recitet *vel* dicat] saltem septies Pater noster, recordando septem peccatorum mortalium, et adhuc septem in honorem effusionis sanguinis Christi, et cogitemus omnes, quod secundum ordinem Ecclesiae initium et ingressum habeamus ad Quadra-

[1] Seefeld; de eucharisticis hisce miraculis vide supra p. 160 et infra, monum. 1255.
[2] Compostellae. [3] Andechs; v. *Can.* III 643, V 372.
[4] Dubitari nequit, quin Ferdinandus II. archidux hoc mandatum ediderit: cf. *Hirn* l. c. I 173.
[5] Concussiones terrae; v. supra p. 612, adnot. 1.

gesimam et ad tempus poenitentiae, licet prohibitum non sit carnibus vescj" (l. c. f. 95a—97a).

„Dominica sexagesima" (10. Februarii). „Propositio. Circa Euangelium [Lc 8, 4—15]. 1. Expendemus quid intelligendum per seminatorem qui exijt seminare. 2. Quid in semine verbj Dej considerandum. 3. Quomodo etiam hodie mundus in illo periculo versatur, quod vix quarta pars bonj seminis conservatur, sed in communj turba pereat et ex quibus causis hoc fiat" (l. c. f. 97a—102a).

„Dominica quinquagesimae" (17. Februarij) „Propositio. Quia tertiam habemus Dominicam in nostra Septuagesima, dicam de illa breuiter, quid in specie designat. 2. Quoniam in Euangelio [Lc 18, 31—43] Christus breuiter de sua passione, monebo quod hodie peccent in illam maxime et inter nos etiam esse inimicos crucis Christj[1]. 3. Nolo obliuiscj der Fasnacht, sed explicare, quomodo probj Christianj hoc tempus recte et laudabiliter seruare possunt, ante suam Quadragesimam." In secunda contionis parte *Canisius* haec, praeter alia, notat: „Nunquam fuit tam commune paruis et magnis blasphemare et iurare durch Christi Creutz, Leidt, marter, wunden vnnd bittern Tod. Ex leuj causa oportet nunc dicere es sey dir zugesagt bey dem Leidt Christi, Peius adhuc est, quando ex ira et vindicta dicunt es sey dir oder jhm ein Creutz geschworen. Jtem quando seipos adiurent. Olim audiebatur solum apud milites impios · nunc putant nobiles rem decentem se facere sic iurando. jmo ciues, opifices, mulieres et pueri quotidie palam faciunt, nec puniuntur cum digni essent ut illis lingua praescinderetur ob blasphemiam. . . . Peccant superstitiosi qui dicunt, vel dici sibi faciunt die Wundersegen credentes sibi non nocere gladium ignem uel hostem, uel si quis uellet wider sie schiessen. Hoc est abuti nomine domini et facere contra intentionem et ordinem Ecclesiae, quae non condidit uel confirmauit tales orationes, etiamsi addatur quod papa sit author imo prohibet fidem ponere in talibus chartis orationibus et wunderzeichen oder segen" [2] (l. c. f. 102a ad 106a). Plura vide infra, monum. 1101.

„Volget das Quadragesimal". Feria quarta Cinerum (20. Februarii). Explicat prima verba Epistolae diei (Convertimini ad me in toto corde vestro: Joel 2, 12); deinde ostendit, „quomodo seruiat" Evangelium diei (Mt 6, 16—21) „ad Quadragesimam bene incipiendam": denique „de caerimonijs Ecclesiae" et praesertim de cinerum impositione agit (l. c. f. 282a—285b).

„Feria sexta" post Dominicam Quinquagesimae (22. Februarii). „Propositio. Dicam 1 de mandato Christi, Diligite inimicos uestros. 2 cur Christus saepe et serio doceat de charitate et misericordia erga proximum. 3 quomodo charitas refrixerit et quasi emortua sit." Haec, praeter multa alia, reprehendit: „Vides pauperem mendicum, et cogitas vel iudicas illum esse indignum eleemosina, sicut soepe iudicamus male de pauperibus, et propter quosdam malos mendicos, reliquos etiam condemnamus vel negligimus. . . . Orat aliquis pauper et dicis berat dich Gott, oder helf dir Gott. . . . Roganti pauperi tribuis ein haller oder fierer[3], sicut consuetudo est, et aliquando magis ad redimendam vexationem quam ad eleemosinam tribuendam. . . . Soepe sinunt perire superflua et reliquias ciborum, nec curant per se vel alios quicquam ad pauperes peruenire" (l. c. f. 286a—289a).

„Dominica quadragesimae" [prima] (24. Februarii). „Non immerito nunc clauduntur altaria[4] et ostenditur nobis imago de cruce Domini, ut cum noua deuotione nos conuertamus ad meditationem tantj mysterij" etc. „Proposuj mihj primum tractare breuiter de Euangelio [Mt 4, 1—11], quomodo mirabile Christj exemplum nobis illic proponatur, et merito ad poenitentiam debeat esse viua praedicatio et admonitio. 2. Quomodo idem Euangelium nobis seruiat ad cognoscendas et vincendas

---

[1] Phil 3, 18.

[2] Hanc superstitiosorum reprehensionem Canisius sua manu scripsit.

[3] Nummum (nisi fallor), cuius valor dimidiam vel quartam partem assis (Pfennig) aequat.

[4] Altaria alata, quae vocamus (Flügelaltäre).

quotidianas tentationes[a], quae nobis in hac misera vita solent occurrere. 3. Quomodo sit pugnandum contra immundum spiritum, qui non modo apud Christum, sed etiam apud nos hodie disputat contra ieiunium Christianum." „Nos Catholici . . . in nullo opere bono sumus frigidiores, fastidiosiores, negligentiores et magis inuoluntarij. Vnde vix ex decem inuenitur vnus, qui seruet ordinem et constitutionem Ecclesiae et bene ieiunet hoc tempore" (l. c. f. 106ᵇ—110ᵃ).

„Jn festo Matthiae" apostoli (25. Februarii, anno bissextili) primum de exemplo Matthiae imitando dicit; deinde ex evangelio diei (feriae II. post Dom. I. Quadr.) „opera misericordiae et charitatis fraternae" commendat. Improbat „die guldin rinck, hauben, spangen, ketten, die harleck, die sameten vnd seiden röck, die vergulden brem [1], die sameten pantofflen, vnd was solches brachtes und vnnutzen eitelen vnkosten mehr ist" (l. c. f. 289ᵇ—291ᵃ).

„Feria 6ᵗᵃ post Inuocauit" (29. Februarii) ex evangelio diei paenitentiam commendat (l. c. f. 291ᵇ—293ᵇ).

„Dominica 2 in Quadragesima" (2. Martii) evangelium diei, quod ex ritu brixinensi erat Mt 15, 21—28, explicans ostendit, „cur Christus durius agat cum Cananea"; deinde „fidem Cananeae" in exemplum proponit „contra nouatorum fidem" (l. c. f. 110ᵇ—112ᵇ).

„Feria 6ᵗᵃ post Reminiscere" sive post Dom. II. Quadr. (7. Martii). Ex evangelio diei (Mt 21, 33—44) ostendit, „quomodo paterfamilias irascatur, et nos puniat ob malos fructus factos in uinea sua". Hoc, praeter alia, notat: „Nos Germanj merito timere debemus . . . nam iudicium Dej contra nos incepit manifestum, quia iam hanc, iam illam partem de regno amittimus, in Vngaria, in Cypro, in Stiria, et indies fit regnum Dei angustius et debilius, Nolo nunc dicere, de temporali regimine, quantum amiserimus in 20 vel 30 annis, miserandum est meminisse" [2] (l. c. f. 293ᵇ ad 296ᵃ).

„Dominica Oculi quae est 3ᵗⁱᵃ in Quadragesima" (9. Martii). „Circa hoc Euangelium [Lc 11, 14—28] breuiter dicam de quadruplicibus personis in illo comprehensis, nempe de Christo, muliere, de muto, de malis et conuitiantibus Phariseis. . . . Postea dicam cur mihj proposuerim in sequentibus concionibus aliquid tractare de vera et Christiana poenitentia." Reprehendit „abusus de nigromanticis, de hexen, de superstitiosis" et loquitur „contra prouerbium [: Satan] non est tam niger ut pingitur" (l. c. f. 113ᵃ—116ᵃ).

„Feria 6 post Oculi" (14. Martii). „Dicam primo, quod ad veram poenitentiam praestandam opus sit Christiano his tribus rebus: Primo vt se et peccata cognoscat. 2.ᵈᵒ Vt a peccatis agnitis se conuertat ad Deum ex toto corde. 3ᵗⁱᵒ Vt a Deo roget pro specialj gratia verae poenit. incipiendae et consummandae. Postremo quod aliter se habeat in poenitentia illorum peccatorum qui sunt baptizandj, quam qui post baptismum Deo reconciliantur" (l. c. f. 296ᵇ—298ᵇ).

„Dominica Laetare" sive IV. in Quadragesima (16. Martii). In exordio queritur, „das wir . . . bis hieher so wenig laider nach der beicht vnd bus trachten, ja schier alles guttes biss auff die letste Marter wochen auffschieben". „Damit ich nun aber zu dem heuttigen Euangelio [Io 6, 1—15] greiffe, will ich die gantze historj von dem ersettigten Volckh zuechen auff die Communicanten, das ist, dieweil die Zeit sich herzu nechert, das alle frombe Christen müessen vnd sollen mit dem heiligisten Sacrament vnd Himbl brot sich speissen lassen, so will ich denselbigen mit khürtze ihn disem Euangelio anzeigen, die fünembste stuckh, so sie bey solcher communion zu wissen vnnd zu bedenckhen haben. Zum letsten, wöllen wir dann

a) *Ita corrigendum esse ex verbo* cogitationes, *quod Canisii scriptor posuit, intellegitur ex ipso huius secundae partis commentario, quod est l. c. f. 110ᵇ.*

[1] Limbos vel extremos quasi margines vestium.

[2] Mirum est sane, *W. Köhler* professorem tigurinum affirmare: Canisius „hat nie deutsch gefühlt": Canisius, Petrus, in „Die Religion in Geschichte und Gegenwart" I, Tübingen 1909, 1568.

auch der Puess Predig nicht vergessen, sonder mit khürtze melden, uber was sund und missthat tenemur coram Deo et Ecclesia poenitentiam agere" (l. c. f. 116ᵇ—119ᵇ).

„Feria 6ᵗᵃ post Laetare" (21. Martii). Evangelium diei, quod est „de Lazaro resuscitato" (Io 11, 1—45) „applicat ad poenitentiam"; inprimis docet: „Quomodo et quibus medijs magni peccatores ex malo statu erigendi et reducendj ad poenitentiam" (l. c. f. 298ᵇ—301ᵃ).

„Dominica passionis" (23. Martii). Primum sacri temporis rationem explicat; in qua explicatione „Qui potest legere", inquit, „huic consulo vt quotidie uel soepe legat de passione Dominj. Quj non potest legere, vel est impeditus, oret aliquid pro sua deuotione et offerat Christo mane et vesperj quinquies Pater noster in eius quinque sacra vulnera, vel septem pro septem effusionibus sanguinis eius, vt sic recordetur sui redemptoris hoc sacro tempore." Deinde „praecipue notanda in Euangelio" diei profert. Denique „de confessione facienda" agit (l. c. f. 119ᵇ—122ᵃ). „Festum annunciationis Mariae" (25. Martii). „Propositio. Dicam ergo primum, quomodo Christianj verum huius festi vsum habere debeant. 2. Cur laudandus et retinendus mos salutandj beatam virginem. 3. Quid nobis det considerandum Aue Maria." In prima parte Canisius hoc, praeter alia, ostendit: „Habent communicantes hic pulchrum exemplum quomodo se praeparare debeant ad recte accipiendum sacramentum"; hoc quoque auditores monet: „Vetus et laudabilis mos est, vt Christianj soepe legant rosarium. 2. Vt quotidie saltem bis flexis genibus et aperto capite dicant Aue Maria, cum pulsatur mane et vesperj" (l. c. f. 301ᵃ—304ᵃ).

„Feria sexta post Iudica" sive post Dominicam Passionis (28. Martii). „Proposuj mihj tractare sicut coepj de confessione. Et primum quidem quid bonus Christianus de confessione credere debeat. 2. Quomodo ad eam opus sit praeparatione. 3. Quae sint causae et impedimenta, cur multj male confiteantur, vel nullum fructum inde capiant." In horum impedimentorum numero *Canisius* haec quoque ponit: „Non reputatur peccatum frücht vnd wein Zinss zufordern bey dissen thewren Zeiten, als in den andern wöllflern Jaren, lassen den armen Bauren vnd Schuldnern nichts nach wider alle recht vnd billigkheit, nemen etwan für 100 gulden 18 oder 12 ffl., Halten die armen Leuth so streng, das sie miessen ihn grosse schulden geraten. . . . Jst der verfluchte Wucher bey dem gemainen mann vnd bey den grossen Hanssen nie so hoch auffgestigen, nie so gemeain vnd so vnlaidlich worden, Kheiner schier wil sein gelt recht anlegen auff rechte gebürliche Kauffmanschafft, auff beide verlierung vnd gewin. . . . Nobiles et diuites . . . sinunt perire pauperes et vicinos in hac grauissima annonae difficultate, et vix vnum dant florenum singulis mensibus" (l. c. f. 304ᵇ—306ᵇ).

„In die Palmarum" (30. Martii). „Nostri maiores . . . hanc septimanam appellarunt . . . die Carwochen, propterea das ein yeder für sich selbs soll karg sein ihn essen, trinckhen, ligen, schlaffen vnnd ihn andern dingen den Leib betreffente." [1] „Mihj proposuj duo potissimum tractare in hac concione: Primum quo modo Euangelium hoc [Mt 21, 1—9] et eius historia bonam det occasionem considerandj, ut fideles se debeant disponere et gerere circa communionem, vtque sanctissimum sacramentum digne sumant hoc tempore, sicut sunt obligatj. 2. Cur magni facienda sit hebdomada sancta et pie transigenda atque sanctificanda" (f. 122ᵃ—126ᵃ). Plura v. infra, monum. 1103.

„Jn die coenae Domini" (3. Aprilis). „Quid Christianum debeat consolari et confirmare in fide antiqua, vt in conscientia sua sit quietus, neque curet contentiosos et Schuuermeros circa communionem sub una specie. Quid respondendum petentibus sub utraque specie communionem, qui dicunt se non posse facere contra conscientiam" (l. c. f. 124ᵇ—127ᵇ).

Sacro die Parasceves (4. Aprilis). „Dicam primo an sit aequum et Christianum Christi passionem deflere uel cum animi tristitia meditari, sicut hodie solent boni facere, et idcirco tractabimus dictum illud Christi, quod multos offendit, Nolite

---

[1] Hanc explicationem nunc vix quisquam probaverit.

f l e r e s u p e r m e [Lc 23, 28] 2 de 7 uerbis Domini in specie 3 de fructu passionis." In prima parte Canisius novem illos Christi patientis „transitus" sive „processiones" recenset et haec quoque notat: „Pie creduntur in passione domini haec etiam accidisse. Das ein blinder Ritter, mit namen Longinus, Christum stach in sein seyte, et quod hinc fuerit illi uisus restitutus. Das grausame stumpffen Näglen Christo durch sein händ vnd füss sein geschlagen worden mit so manchen hammerschlägen, das so manche bittere stöss zu seinem hertzen kamen, vnd er so manches elendes seufftzen aus seinem krancken hertzen liess, auch das die ein hand, vnd der ein fuss tod waren, ehe dann die andern durchgraben wurden. . . . Quod nullus locus in corpore domini fuerit non uulneratus id est verzert, eius autem uulnera fuisse 6666" (l. c. f. 307[a]—314[b]).

„Jn festo paschatis" (6. Aprilis). „Dicam primum quomodo Christus hunc diem specialiter honorauerit et in pretio haberi uelit ab omnibus fidelibus super omnia alia festa. 2.° explicabo duas partes siue articulos fidej nostrae, quibus maxime hoc festum fundatur. De descensu Christi ad inferos et de eiusdem resurrectione a mortuis 3.° die. Postea dicam de Marijs in Euangelio [Mc 16, 1—7] descriptis, quomodo laudentur et nobis ad imitationem proponantur" (f. 128[a]—131[b]).

Feria II. Paschatis (7. Aprilis). „Propositio. Dicam 1 de sensu articuli Resurrexit a mortuis 2 qui designentur per 2 discipulos in Euangel." (Lc 24, 13—35) (l. c. f. 131[b]—132[b]).

„Feria tertia Paschatis" (8. Aprilis). Evangelium diei explicat et „De Apparitione spirituum" dicit. Affirmat, „spiritus aliquando apparere hominibus, siue cognoscantur siue non, siue boni sint spiritus siue mali. . . . Contra ueritatem et Scripturam loquuntur, qui negant spiritus aliquando uenire in domos, et quibusdam apparere, haisen sie bolder gaister et contemnunt plane tales apparitiones. . . . Neque tamen probo quosdam meticulosos qui nimium facile et leuiter credunt adesse spiritum in domo, cum aliquid strepitus praeter morem audiunt, uel terrentur umbra, uoce, aut simili accidente. Siue sit in domo, platea uel campo . . . Multis in locis audiuntur flebiles voces defunctorum qui haud dubie non sunt beatj. Quia uero [Deus] benignus est concedit vel ipsis defunctis vel angelis, vt eorum loco se manifestent in habitu, quo prius vtebantur, vt eo citius liberentur per viuos amicos, vel alios quibus fit haec apparitio" (l. c. f. 133[a]—135[b]).

„1 Dominica post Pascha" (13. Aprilis). Evangelium diei explicat; ex quo de resurrectione Christi et de resurrectione iustorum omnium dicit; addit „Admonitionem de peste et eleemosina", de qua plura infra, monum. 1104 (l. c. f. 136[a]—138[a]).

Dominica II. post Pascha (20. Aprilis); ex evangelio diei, quod est de Christo „bono pastore" (Io 10, 11—16) ostendit, „quod sectarij non possint merito gloriarj se solum esse oues sub Christo pastore"; describit Christum pastorem, mercenarios, lupos; ac de lupis haec, praeter alia, notat (ministros acatholicos significans): Lupus, „cum venit in stabulum, corrumpit textum, praedicat suam phantasiam pro uerbo Dej, opponit se sanctis Patribus, wiedtet vnd tobet wider die Kirchen, erreitzet die brüederliche lieb, frid vnd einigkheit, reitzet offt die Geistliche guetter zu sich, wo er khan vnd mag, schmechet vnd schendet alle Catholische stende. . . . Vor solchen Wölffen hat vns Christus gewarnet, die yetzunder auch der Kirchen den maisten schaden thuen, ihn dem sie alle einigkheit, ordnung vnd heiligkheit zerreissen, vnd darumb vil greuelicher wüetten, dann die ersten Ketzer, Tyrannen vnd Hellenporten, so ihm anfang der Kirchen das vnschuldig bluet der Kirchen vergossen haben". Ostendit etiam, „cur nullus offendi debeat, sed constans manere in fide et obedientia Christiana, licet uideat et audiat multa mala in ecclesiasticis, imo in tota Ecclesia" (l. c. f. 138[b]—141[b]).

Dominica III. post Pascha[a] (27. Aprilis). „Deest concio: M o d i c u m e t i a m n o n u i d e b i t i s m e [Io 16, 16—22], Sequitur autem de dedicatione templj Luc. 19. Quoniam hodie nach alter gewohnung habemus et seruamus die Kirchweihunck de

a) *Ab Arnoldt hanc contionem perperam* 3. Dominica post Pascha Io 11. *inscriptam esse intellegitur tum ex ipsa hac contione, tum ex ea, quae eam in codice proxime sequitur.*

hac laudabili domo dei [1], volumus seponere alterum Euangelium quod solet hac 3[a] dominica inter pascha et pentecosten tractari, et solum manebimus circa pulchram et amabilem historiam Euangelicam de Zachaeo [Lc 19, 1—10] Dicam 1° quod maxime considerari nunc debet exemplum Zachaei 2 quid tenendum von der Kirchweihung, Kirchenbaw, zier vnd besuchung." In prima contionis parte Canisius multa dicit adversus feneratores; ut cum „Indies", inquit, „fiunt diuites deteriores in augendis usuris [2], vt aliquando non sint Judaeis inferiores accipiendo pro centum 6. 7. 8. 9. 10 florenos. . . . Licet ius Caesarium in hac parte aliquid permittat et magistratus non puniant vsurarios communes, tamen sciendum est conscientias esse in grauj peccato coram Deo. . . . Tantum dico von den leidigen vnchristenlichen vnd verdampten Wuecher, quod solum propter mutuum quaeritur et accipitur lucrum, etiam a rusticis et pauperibus. . . . Proximus excusatur, cum vel accipit vel petit pecuniam vsurariam, sj hoc facit in necessitate, sicut etiam coguntur soepe facere magni Principes, et promittere pro centum florenis aliquando 8. 10. vel 20. Vae autem accipientibus, quia non possunt coram Deo esse excusatj" (l. c. f. 141^b—145^a; cf. f. 365^a).

„De ascensione Domini" (15. Maii). „Propositio. Dicam primo, cur Christianj suam ascensionem debeant magnifacere et honorifice celebrare. 2. Quomodo Christj commissio in Euangelio facta [,Euntes in mundum universum, praedicate Evangelium omni creaturae': Mc 16, 15], etiam nunc locum habeat et habere debeat semper in Ecclesia Dej. 3. Quomodo circa hoc Euangelium cauendj sunt errores hodie immixtj occulte et aperte" (l. c. f. 315^a—316^b).

„Dominica post ascensionem" (18. Maii). „Propositio. Mecum conclusj hodie primum aliquid tractare de hac ascensione Christj, praesertim ob errores nouos hic se immiscentes et verum hunc articulum corrumpentes nobis cum magna offensione simplicium. 2. Dicam quid Christus nunc faciat in coelo, An tantum sedeat ad dexteram. 3. Quomodo Euangelium seruiat, vt bene praeparemur ad futurum festum" [Pentecostes]. In prima parte refutantur „noui doctores, qui . . . Corpus Christj post resurrectionem glorificatum est, inquiunt, in omnibus locis, imo supra, infra, intra et extra coelum et terram, ein newe selsame erdichte falsche lose ubiquitet". In tertia parte Canisius „suadet et admonet omnes Christj fideles vt non discedant ab antiquo et laudabilj more se praeparandj ad hoc instans festum per confessionem et veram poenitentiam. Id quod maxime dictum volo illis, qui tempore Paschatis impeditj sacramenta intermiserunt" (l. c. f. 145^a—147^b).

„Jn exequijs Reginae Polonicae [Catharinae] 23. Maij 1572" (Can. 5 f. 109^a—116^a). De hac oratione v. infra, monum. 1105.

„Jn die sancto Pentecostes" (25. Maii). „Cur hoc festum magni faciendum; qui male seruent hoc festum, ut paruum aut nullum ex eo fructum sentiant: qui vere et perfecte celebrant suam Pentecosten" (Can. 51 f. 148^a—150^a).

„Am Pfingstmontag" (26. Maii). In exordio Canisius queritur, quod „magna turba Christianorum . . . non curet accipere et monstrare Spiritum sanctum. . . . Audent etiam irridere bonos et deuotos et spirituales, qui hoc festum diligenter celebrant, neo raro vocant pios, qui Spiritum sanctum habent et retinent, Aberglaubige, Phariseer, Heuchler, Gleisner, Apostitzler, Knieabbeisser etc." „Nunc autem statuj tractare duo tantum in reliqua concione: Principium nempe Euangelij hodiernj [Io 3, 16—21], quod nihil est aliud, quam de amore Dej erga nos. 2. Principium besternj Euangelij, quod ostendit proprietatem et vtilitatem amoris, quem erga Deum habere debemus" (l. c. f. 150^b—152^a).

a) *Sic ex 4, quod Canisius scripserat, correxi; nam evangelium Io 16, 16—22 et ritu romano, et antiquo ritu brixinensi Dominica 3. post Pascha legitur.*

[1] In hunc igitur diem sollemnia haec translata esse videntur; consecratum autem est templum S. Crucis 14. Februarii 1563 (*Tinkhauser* l. c. II 115; *Karl Atz*, Kunstgeschichte von Tirol und Vorarlberg, 2. Aufl., Innsbruck 1909, 493).

[2] Vide supra p. 10—11 91 129 174.

„Am Pfingstenchtag“ (feria III. Pentecostes sive 27. Maii). Evangelio diei explicato ostendit, Christianos Spiritui Sancto debere invocationem, oboedientiam amorem (l. c. f. 152ᵃ—154ᵇ).

„Dominica Trinitatis“ (1. Iunii). Evangelium diei explicans, inprimis de sacramento baptismi agit; dein quomodo eo die sacro recte utendum sit, ostendit. „Habet hodie mundus multos Nicodemos [cf. Io 3, 1 9 10], id est, qui magnj et sapientes coram mundo videntur, sed sunt coram Deo et in spiritualibus rebus tam rudes et imperitj, vt egeant bono Catechismo, imo etiam reprehensione non minus quam instructione. . . . Non audent soepe in templis diu manere. 2. Soepe communicare. 3. Jn die ieiunij inter socios edentes abstinere. 4. Fidem suam et Praelatos defendere“ (l. c. f. 154ᵇ—158ᵇ).

„Festo Corporis Christi“ (5. Iunii). „Ad quid Processio et solennitas hodierna? Quomodo festum, processio et octaua eius utiliter celebrentur. Quid cogitandum simplicibus circa hoc festum?“ (l. c. f. 158ᵇ—160ᵇ).

„I Dominica post Trinitatis“ (8. Iunii). In exordio dicit „de sacramento reuerenter deducendo ad aegrotos“ (plura v. infra, monum. 1106); deinde „Dicam“, inquit, „quomodo seruiat Euangelium [de epulone divite et Lazaro paupere, Lc 16, 19—31] 1 ad fidem 2 impellat ad timorem 3 qui praecipue debeant se monere circa historiam“ (l. c. f. 161ᵃ—163ᵇ).

„2 Dominica post Trinitatis“ (15. Iunii); evangelium diei explicat (l. c. 164ᵃ—168ᵃ).

„3. Dominica post Trinitatis.“ (22. Iunii), evangelium diei (Lc 15, 1—10) explicans, potissimum ostendit, „quid hodie multos impediat, quo minus uere conuertantur, et sua poenitentia faciant gaudium in coelo“, et „qui capaces sint remissionis peccatorum et gratiae Christi et aeternae salutis“ (l. c. f. 168ᵃ—172ᵇ).

„Festum S. Ioannis Baptistae“ (24. Iunii). „Propositio. Dicam ergo, quomodo Joannis natiuitas multum excedat communem natiuitatem filiorum Adae, et merito a fidelibus in hodierno festo honoretur. 2. Quomodo vita Joannis consideranda et conferenda huic tempori. 3. Quomodo status omnes Christianitatis in Joanne tamquam in speculo se contemplarj, et secundum illius exemplum se reformare possint et debeant“ (l. c. f. 316ᵇ—319ᵇ).

„Jn Festo Petri et Pauli“ et 4. Dominica post Trinit. (29. Iunii). „Dies hodiernus dat nobis occasionem bonam de multis, magnis et praeclaris rebus cogitandj et praedicandj. Habemus enim duplex Euangelium, vnum de Dominica hodierna; alterum vero ad festum pertinet Apostolorum principalium.“ „Tria sunt in Euangelio valde notanda, et cuique nostrum ad iustitiam et salutem necessaria. 1. Vt habeamus fidem Petrj confitentes cum illo Christum et omnem Christianam veritatem creditu necessariam. 2. De Ecclesia Petrj, vt veram fidem non alibj quam in vera Petrj Ecclesia nobis et alijs prodesse sciamus. 3. De clauibus vel potestate Petrj, vt certo constituamus peccata nobis a Deo non remittj, nisj cum fide petamus in vera Ecclesia nobis communicarj claues Petro praecipue commissas et ex eius authoritate alijs communicatas.“ „Quid est vera Ecclesia? Est congregatio ordinata illorum, quj in Christj nomine collectj regj se sinunt a pastore et successore Petrj vsque ad finem mundj.“ „Cur Ecclesia Romana magnifacienda“ (l. c. f. 319ᵇ—325ᵇ et cf. Can. 31 f. 42ᵇ—46ᵃ). Plura vide infra, monum. 1107.

Dominica 5. post Trinit. (6. Iulii) ex evangelio diei (Lc 5, 1—11) ostendit, „vbi et quae sit uera Ecclesia, et quomodo cognoscatur“; deinde explicat, „quid nobis designet labor et piscatio der Fischzug der Aposteln“. In altera hac parte monet etiam, „quod praedicationis officium non habeat perfectum cursum et exitum, nisj etiam magistratus seculares velint addere suam operam et authoritatem . . . et Ecclesiam ab hostibus fidej defendere et aliquando gladio vtj contra rebelles et scandalizantes“. Hoc quoque notat: „Magnus et reprehensibilis est abusus, quod nouus mundus sic est inimicus labori manuali; et quod quisque studet ditescere, vt non opus habeat laborare, sed vt possit otiose viuere et bonos dies habere. . . . Multj quasj habent pro re infamj quaeritare victum necessarium opera manualj mit aigner Handt oder aignem Handtwerckh“ (Can. 51 f. 172ᵇ—177ᵃ).

„VI. Dominica post Pentecosten. Nisi abundauerit iustitia uestra.“ Scribendum vero fuit: „post Trinitatis“ (13. Iulii); nam haec ritu brixinensi habebat evangelium „Nisi abundaverit“ etc. (Mt 5, 20—24); et Dom. VI. post Pent. iam fuerat 6. Iulii. Evangelio breviter explicato, bullam iubilaei a Gregorio XIII. concessi promulgat. „1 dicam de summa mandati Apostolici et quid in eo contineatur. 2 quod nullus se grauare propterea, sed toto et grato [animo] acceptare deberet gratiam“ (l. c. f. 177ᵃ—186ᵇ 389). Plura vide infra, monum. 1109.

„2.ᵈᵃ Concio de Jndulgentijs.“ En eius partes praecipuae: „Repetitio prioris Concionis. Vnde ueniat et oriatur lndulgentia. Quando inceperit Indulgentia in Ecclesia. Quae causae dandi lndulgentias frequentius modo et copiosius quam olim. Quomodo se quisque disponere debeat ad indulgentiam. Quomodo Indulgentia fundata super potestatem Ecclesiasticam.“ Indulgentia plenaria, inquit *Canisius*, „est relaxatio gratiosa poenarum omnium iustitiae coram Deo et Ecclesia debitarum, quae compensantur et soluuntur per summum Praelatum ex infinito thesauro meritorum Christj.“ Censet autem, „maiores Praelatos“ potestate indulgentias concedendi a Christo sibi data „usos esse omnibus aetatibus“; S. Paulum Corinthio illi propter incestum a se excommunicato (1 Cor 5, 1—5) postea veram donasse indulgentiam (2 Cor 2, 5—11), et poenitentiarum canonicarum relaxationes, quae temporibus S. Cypriani, conciliorum nicaeni, ancyrani etc. concedebantur, iustas indulgentias fuisse (l. c. f. 186ᵇ—191ᵃ). Dies huic contioni annotatus non est. Estne habita eodem illo die 13. Iulii, quo prior illa de iudulgentiis habita est? An Dominica proxima? Sed huic in codice alia assignata est contio. Dixerim potius, Canisium 16. Iulii in ecclesia parochiali eam habuisse; nam in commentario prioris illius contionis primum scriptum erat (eam sententiam omittendam esse Canisius postea, linea transmissa, significavit): „Reuera habet haec res in se plura et maiorem fructum praebet quam nouus mundus et multj simplices credunt, sicut sequentj die Mercurij in Parochia declarabo.“

„Dominica VIII. [post Pent.] Marc. 8. De turba saturata“ (20. Iulii). „Dicam 1. quomodo secundum litteram sit accipienda historia. 2 de spirituali sensu. 3 de nouo mandato“; significat autem „mandatum Principis ad Sacramentum reuerenter deferendum infirmis“; de qua re plura infra, monum. 1106. Indulgentiam iubilaei iterum commendat (l. c. f. 191ᵃ—193ᵃ).

„Jn festo sanctae Magdalenae“ (22. Iulii). „Recte et merito fit, ut nos Catholici hodiernum diem solenniter celebremus.“ „Quomodo historia [evangelica Magdalenae] seruiat ad destruendos errores noui mundi, et ad confirmandam Catholicam fidem.“ „Quomodo haec historia Euangelij et exemplum Magdalenae omnibus et singulis prosit ad uitae correctionem“ (l. c. f. 325ᵇ—327ᵇ).

„Jn festo S. Jacobi Apostoli, Matth. 20“ (25. Iulii). „Certo debet credj, esse laudabilem et antiquam deuotionem, quod quisque eligat sibj [unum] ex Apostolis in Patronum, et quod Oenipontanj honorent S. Jacobum intercessorem apud Deum.“ [1] „Dicam 1 quomodo Euangelium [Mt 20, 20—23] ducat ad rectam cognitionem de regno Dei 2 quomodo utendum Euangelio ad uitam corrigendam.“ In fine contionis: „Deberem vobis commendare honestum virum et equitem ainen Edlen Ritter Petrum Muscauum, qui diues et honoratus fuit in patria, multis bene notus, habitans in Nicosia metropolj Cyprj, quj ante annum fuit in eadem ciuitate captus vna cum vxore et quinque liberis, quando Turcae illam vrbem occuparunt et magna cum vj

[1] Urbis oenipontanae ecclesia parochialis (vel quasi-parochialis, sive „filialis“ quidem ecclesiae wiltensis, sed parochialibus iuribus instructa) sancto Iacobo „maiori“ apostolo sacra erat (*Tinkhauser* l. c. II 87—88). Canisius in ea contione etiam locutus est „contra abusus, quia hoc die negligunt propriam intentionem. 2. Obliuiscuntur Dej et Jacobj bey ihrem Kirchtag. 3. Seruiunt ventrj et carnj. 4. offendunt Deum et proximum. 5. Exercent semibachanalia. 6. Ludunt tesseris. Nec tamen damnandus mos amicorum se mutuo recreantium Sj fieret in timore Dej et cum bona discretione sine peccato et scandalo“.

trucidarunt et diripuerunt. Jlle fuit liberatus in illa magna victoria Christianorum [1], cum esset in classe Turcica seruus Leib aigen, et venit Venetiam. Jllic accepit literas ab vxore et filijs iam detentis in Constantinopolj et quj cupiunt etiam liberarj ex manu Turcica auss der Dienstbarkhait des Türggen. Et quia non potest hoc facere, nisj per pecuniae summam, venit huc et petit a bonis omnibus auxilium et eleemosinam, et vt pium hoc opus ego commendem. Habet autem testimonia fide digna tum ab Ecclesiasticis, tum a secularibus magistratibus, quod ita se res habeat, vt nemo habeat dubitare, illum esse fidum etc." Deinde Canisius diligenter huius viri petitionem commendat (l. c. f. 328ᵃ—332ᵃ).

„Dominica IX. post Pentecosten. Attendite a falsis prophetis" (27. Iulii). „Cur cauendi pseudoprophetae." „Quomodo dictum est, ex fructibus eorum cognoscetis eos." „Signa ex quibus cognoscendi pseudoprophetae." „Ex quibus causis haereses oriantur et propagentur." „Quomodo quisque debeat se praestare bonam arborem." In numero „fructuum nouae doctrinae" Canisius hos quoque recenset: „Rusticj contra dominos insurrexerunt ad centum millia. Multae ciuitates ab imperio defecerunt. Principes contra Caesarem et regem publice bellarunt. Multj subditj varias tentarunt seditiones contra ihre Landsherren vnd natürlichen Fürsten sicut factum est in Franckreich, Schodtlandt etc. Occupantur monasteria, collegia, Episcopatus. Templa prophanantur et cultus diuinus abrogatur" (l. c. f. 194ᵃ—197ᵃ).

„Dominica X. post Pentecosten" (3. Augusti). Ex evangelio diei auditores hortatur „ad misericordiam et eleemosynam libenter et copiose dandam" (l. c. f. 197ᵇ—202ᵃ).

„Dominica X. [post Trinit.] de destructione Jerusalem et repurgatione templi" et die festo S. Laurentii (10. Augusti). S. Laurentio breviter laudato et in exemplum proposito ostendit ex evangelio Dominicae (Lc 19, 41—47), cur Christus „fleverit amare, et lamentabiliter prophetizaverit supra et contra Hierusalem", ac „quomodo Christianus peccet circa templum". Reprehendit graviter eos, „qui non soluunt in anno iura Parochialia, vel dant malam pecuniam die verbrochne, lose, nichtige heller oder pfennig", et „qui currunt sicut canes e templo ante finem orationis vel Missae". „Arguuntur hic Principes et magistratus et potestates mundj, nihil curantes, nisj quod ad politiam et pacem communem et externam gubernationem attinet. Collocant suam spem saepe in magnis vrbibus, firmis muris, munitis arcibus, munitionibus, equitibus, armis et alijs rebus bellicis. Et ita volunt suis viribus procurare foelicitatem terrenam, defendere populos et suum statum conseruare, vel augere.... Nisj in ciuitatibus nostris Deum timeamus et pacem cum illo faciamus, frustra nitimur externis praesidijs, quae non possunt prodesse, sj Deus contra nos mittit flagella." In fine contionis instat, ut archiducis mandatum de sacramento ad infirmos reverenter deducendo observetur, et ut fideles proximo die sacro Assumptionis Beatae Virginis sacramenta confessionis et communionis suscipiant, „quia unum est ex 4 principalibus festis totius anni. 2 quia nullum aliud de Maria virgine celebratur honorificentius" etc. (l. c. f. 202ᵇ—208ᵃ); cf. etiam infra, monum. 1106.

„Jn festo Assumptionis B. Mariae" (15. Augusti). Dicam 1 Quomodo Catholicus non debeat offendi calumnijs et argumentis nouatorum in hoc festo. 2 quid mouere debeat probos, ut nihil sinant perire abghen quod ad honorem Virginis spectat. 3 quomodo Euang. bene sit festo appropriatum et nobis ad uitae correctionem seruiat." Honores recensens, quibus „maiores nostri" Beatam Virginem afficere solebant, „Nulla" ait, erat „domus, quae saltem non ostenderet imaginem uirginis · nullus dies, in quo non pulsaretur bis ad memoriam angelicae salutationis, mane et uesperi · nulla tam pauper femina, quae non haberet et gestaret rosarium. Nullus tam miser mendicus qui non dicere posset, Rogo propter Deum et charam dominicam matrem" (l. c. f. 332ᵃ—336ᵃ).

Dominica XI. post Trinit. (commentarium perperam inscriptum est „Dominica XI. post Pentecosten") sive 17. Augusti. „Euangelium [Lc 18, 9—14] esse consolato-

[1] Victoriam dicit, quae 7. Octobris 1571 apud Echinadas insulas sive Naupactum (Lepanto) de classe turcica reportata est.

rium." „Quomodo a nouatoribus male accipiatur et scandalose exponatur." „De utilitate et necessitate operum" bonorum. „Quomodo in hoc Euangelio discamus recte et christiane orare." „Qui apud Christianos hodie possint pro ueris Pharisaeis haberi" (l. c. f. 208ᵇ—213ᵃ).

„Dominica XII. [post Trinit.] de surdo et muto, Marc. VIII." et die festo S. Bartholomaei apostoli (24. Augusti). Primum breviter de Bartholomaeo agit; deinde ex evangelio Dominicae (Mc 7, 31—37) caerimonias ecclesiasticas defendit; praeterea declarat, „quomodo praesens Euangelium in multis rebus arguat den brauch, handel vnnd wandel der yetzigen Welt" (l. c. f. 213ᵃ—218ᵃ).

„Dominica XIII. [post Trinit.] De Samaritano Luc. X." (31. Augusti). „Quomodo hoc Euangelium iuuet ac seruiat homini ad uirtutem fidei cognoscendam. Quomodo intelligendum et obseruandum praeceptum magnum dilectionis Dei. Quomodo fidelis se et alios excitare habet ut sibi commendatam habeat et exerceat charitatem proximi" (l. c. f. 218ᵃ—222ᵃ).

„Dominica XIIII. [post Trinit.] de leprosis decem" (7. Septembris). Evangelium diei explicans hoc, praeter alia, auditoribus inculcat, ut sacerdotes honorent „tanquam pastores, medicos spirituales, patres, angelos, vicarios Christj". „Jubet illos agnoscj et honorarj, etiamsj male viuant, distinguens inter personam et officium." „Magnj sunt Principes, sed maior dignitas sacerdotum" (l. c. f. 222ᵇ—225ᵇ).

„Jn festo natiuitatis Mariae" (8. Septembris). „Ex quo fundamento et intentione Ecclesia instituat et nos celebrare debeamus hoc festum 2 quomodo Mariam agnoscere et uitam eius cogitare debeamus ex 7 uerbis eius" (l. c. f. 337ᵃ—339ᵃ).

„Dominica XV. [post Trinit.] Nemo potest 2 dominis seruire" (14. Septembris). „Dispositio contionis. Cur Euangelium [Mt 6, 24—33] magni faciendum. 1. Est pars longae et praeclarae concionis in monte. 2. Sunt omnia Christi verba plena sapientiae et doctrinae salutaris omnibus et necessariae · constant lieblichen worten, schonen gleichnuss, et potentibus argumentis. 3. Est concio pauperibus et egentibus consolatoria, praesertim in difficilj angore. 4. Docemur paruo labore multum lucrarj, vt et in anima diuites fiamus et in corpore nobis nihil desit" (l. c. f. 226ᵃ—229ᵃ; haec est orationum, ad quas scribendas Canisius opera Balthasaris Arnoldt anno 1572 usus est, postrema).

„Jn festo Matthei" et Dominica XVI. post Trinit. (21. Septembris). „Jn hac dominica duplex Euangelium nobis proponitur considerandum, unum iam auditum de mirabili uocatione et conuersione Matthaei apostoli. . . . Alterum Euangelium proprie spectat ad dominicam. . . . Relinquamus Euangelium dominicale propter festum Apostolicum, in quo nobis, historia de Mattheo, satis multa dat consideranda. Primo de persona Christi tam gratiose uocantis et conuertentis magnum peccatorem Mattheum 2do quomodo se hic Christo [adiunxerit] et gratia Christi sit usus, et quid exemplo suo Mattheus nos doceat. 3 de dicto · Misericordiam uolo et non sacrificium." „Fratres Matthei sunt nostri mercatores occupati circa vinantz vnd wucher, nec ullam habentes conscientiam in mutuanda pecunia, vnd das sie vber das Hauptgut, für den gewin einnemen in krafft dess Leihens" etc. „Posthac tractandum de magnis mysterijs sacrae Missae" (l. c. f. 339ᵇ—342ᵃ).

„Dominica XVII [post Trinit.] de hidropico et Sabbato" (28. Septembris). Vehementer reprehendit feneratores („usurarios"); deinde loquitur „de uero usu festorum" et pia celebratione diei Dominicae. „De Missa tractatio." „Promisimus posthac in qualibet concione de Missae mysterijs tractare, et causas dedimus nostri propositi." „Quale nomen Missae? Quid Missa" (Can. 51 f. 229ᵇ—232ᵃ 359ᵇ—360ᵇ; Can. 34 f. 1ᵇ—2ᵇ). Plura vide infra, monum. 1111.

„Jn festo Michaelis" (29. Septembris). „Quomodo Euangelium seruiat nobis ad consolationem." De angelorum excellentia. „Quomodo se homo debeat erga illos gerere." „Qui Angelis se magis in hac uita conformant?" In horum numero Canisius ponit etiam „pueros circa rem diuinam libenter et crebro uersantes, Missae sacro et altari reuerenter ministrantes, uel in templi ceremonijs magis quam rebus

terrenis et mundanis se oblectantes". Deinde iterum de mysteriis Missae agit, ut dicetur post contionem 6. Ianuarii (Can. 51 f. 342^b—344^a 386^a; cf. Can. 34 f. 2^b—4^b).

„Dominica XVIII" [post Trinit.] (5. Octobris). „De summa Evangelij" (Can. 51 f. 233); deinde de missa, ut infra.

In Codice „Can. 51" sequitur commentarium ab ignoto scriptum et a Canisio emendatum, quod ignota illa manu sic est inscriptum: „Dominica 19. de paralytico Math. 9"; Canisius vero huic inscriptioni ascripsit: „non habita haec est contio propter Nasum" (de quo vide supra p. 170); verba tamen „propter Nasum" lineis transmissis oblitterata sunt (f. 233^b—235^a).

„Mat. 22. Dominica 20 [post Trinit.] de nuptiis et ueste nuptiali" (19. Octobris). „Quomodo Euangelium seruiat nobis ad ueram fidem cognoscendam et conseruandam contra falsas doctrinas huius temporis" (ecclesiam in multis rebus errasse et esse invisibilem; fidem sufficere ad salutem). Deinde ex evangelio fideles hortatur ad „considerandum statum conscientiae suae" et ad „praeparationem ad communicandum in maioribus festis" etc. (Can. 51 f. 235^b—237^b). Postea de missa, ut infra dicetur. In huius orationis commentario primum comparet manus secundi ex scriptoribus illis, quorum opera Canisius Oeniponte per longius tempus usus est. Contiones autem inter 14. Septembris et 19. Octobris interpositae variis scriptae sunt manibus.

„Euangelium de Regulo Ioan. 4."; quod erat Dominicae XXI. post Trinit. (26. Octobris). „Trahemus hoc Euangelium ad nostros infirmos, ut discant illi quae maxime sunt ipsis obseruanda tempore infirmitatis 2 in genere quomodo moneat ad correctionem uitae." „Quomodo Euangelium seruiat nobis ad festum futurum recte celebrandum de omnibus sanctis" (l. c. f. 238^a—240^a). Dein de missa, ut infra.

„Jn festo Simonis et Iudae" (28. Octobris). „Quomodo [evangelium diei] seruit nobis ad hoc festum celebrandum?" „Quae praecipua capita doctrinae Apostolicae hodie utilia et necessaria scitu et obseruatu?" (Can. 51 f. 344^a—346^a). Postea de missa, ut infra.

„Jn festo Sanctorum [omnium] de Euangelio Matth. 5" (1. Novembris). „Dicam ergo primum quam inaequaliter se habeant [erga Sanctos] ueteres Catholici et noui Christiani 2 ex quibus causis offendantur multi, et se separant ab Ecclesia in hoc argumento" (Can. 51 f. 346^b—350^a). De missa, ut infra.

Sequitur commentarium contionis sic a librario inscriptum „Dominica 22 [post Trinit.] de seruo debitore, Matth. 18. Cum eodem die incidit commemoratio animarum" [defunctorum] (2. Novembris). Huic vero inscriptioni Canisius ascripsit: „Non fuit contio propter Nasum" (l. c. f. 240^a—241^b). Videtur igitur P. Ioannes Nasus O. Min. eo die pro contione dixisse atque ita quasi praelusisse muneri contionatoris aulici, quod annis proximis apud Ferdinandum II. administraturus erat.

„Dominica 23. [post Trinit.] de Censu reddendo Caesari. Matth. 22." (9. Novembris). „Propositio. Dicemus circa hoc Euangelium quomodo nobis seruire possit hodie. Primo in cognitione Christi. 2. vt ueros et falsos amicos discernamus. 3 In obseruanda iustitia christiana coram Deo et mundo." „O quam multi sunt nunc adulatores non apud paruos sed magnos diuites et principes contra mentem saepe laudantes coram ad gratiam promerendam." „Obligatur Christianus reddere Caesari et superioribus, eorumque mandatis et legibus quibuscunque, quae aperte non pugnant cum Deo et Dei uerbo nec sunt contra ius diuinum expresse. . . . Peccant igitur non solum contra Caesarem, sed contra Christum ipsum Caesari rebellantes, ipsius authoritatem imminuentes, contra ipsius ordinationes et leges se opponentes, et subtrahentes aliquid ex uectigalibus uel tributis ipsi Caesari, uel alijs principibus debitis." „Christiana iustitia non obseruatur, nisi reddamus etiam praelatis obedientiam et reuerentiam, imo etiam decimas, oblationes et ad corporalem sustentationem necessaria. . . . Vnde . . . etiam Ignatius S. Ioannis discipulus scribit ad Smirnenses, Omnes Episcopum sequimini, sicut Christus Jesus patrem, presbiteros sicut Apostolos. Nemo praeter Episcopum aliquid agat eorum quae ad Ecclesiam pertinent. Non licet sine Episcopo neque offerre" etc.[1] (l. c. f. 241^b—243^a). Et dicit de missa, ut infra.

---

[1] *S. Ignatii Martyris* Epistola ad Smyrnaeos c. 8 (*Migne*, P. gr. V 713–714).

„In festo S. Martini“ (11. Novembris). „Festum hoc a nostris catholicis ita seruatur, ut magis honorent Martinum in mensa quam in Ecclesia, et ex illo quasi Bacchum faciant, quasi Martinus delectetur in suo festo uidere multos uentri seruientes magis quam Deo, et ebrietate et comessatione potius quam temperata uita. Si adessent nobis Turcae et Iudaej, merito offenderentur, quod sic honoramus nostros sanctos, et sic sanctificamus nostra festa. Credo daemonis esse institutionem ex inuidia et odio Martini, qui maximus fuit hostis omnis carnalis libertatis et uoluptatis.“ Martinum magistratibus, divitibus, iuvenibus, infirmis in exemplum proponit et evangelium diei explicat (l. c. f. 350ª—351ᵇ). Deinde de missa, ut infra.

„Dominica antepenultima de Iairo et Emoroissa“, i. e. Dom. XXIV et penultima post Trinit. (16. Novembris). „Quomodo Iairus admoneat omnes parentes et patresfamilias, ut iuxta uocationem suam debitam habeant curam suorum ipsorum curae commissorum.“ „Quomodo Emoroissa quemque moneat, ut si uelit esse iustus et saluus, participem se faciat gratiae Christi.“ „In hoc opere [consulendi saluti suorum] infideles etiam uidemus saepe laudabiles, ut Aeneam quum liberat et educit ex igne patrem Anchisen [1]. 2 cum Cicero pugnat pro patria contra seditiosos. . . . [2] Dolendum de multis qui deteriores aethnicis relinquunt suos in necessitate corporali, praesertim famulos et ancillas, et sicut canes habent.“ „Nonne mirum quod quidam in dubium uocant, An sit bonum, utile et laudabile, saepe confiteri et communicare. . . . Sciunt exemplum Ecclesiae primitiuae [3], et audiunt consilium Augustini [4], qui excellit omnes praedicatores, Legunt conclusionem Concilij Tridentinj [5], Nonne igitur reprehensibilis est inscitia de illo dubitare, an bonum sit facere, quod tota Ecclesia tradit, quod Christi honorem promouet, quod in Dej seruicio nos reddit diligentiores, quod ad salutem animi et corporis prodest?“ (l. c. f. 352ª—353ᵇ). Dein de missa, ut infra.

„Domin. ultima [post Trinit.], De abominatione desolationis“ (23. Novembris). „Quid faciendum Christi fideli secundum huius Euangelij [Mt 24, 15—35] intentionem et praescriptum?“ „Quomodo Deus gratiam et misericordiam ostendat ad consolationem Ecclesiae in summa tribulatione“ (l. c. f. 243ª 354ª—355ᵇ). Deinde de missa, ut infra.

„In festo S. Catharinae, de Thesauro abscondito, de nobili margarita et de sagena missa in mare Matth. 13.“ (25. Novembris). Evangelio diei ad laudandam Catharinam et ad auditores exhortandos utitur · inprimis „statum virginalem“ defendit (l. c. f. 356ª—357ª 362ᵇ—363ᵇ). Deinde dicit de missa, ut infra.

„Dominica prima aduentus“ et die festo S. Andreae apostoli (30. Novembris). „Mea intentio stat in hoc, ut hodie nihil tractem iuxta morem nostrum de Missae officio, ne sim longior in hoc frigido tempore, sed Primum agam de intentione et ordinatione Ecclesiae de hoc sacro tempore aduentus consideranda et obseruanda. 2. Quomodo Euangelium [Mt 21, 1—9] moneat fideles Christum et eius aduentum reuerenter excipere et honorare debito cultu. 3. Pauca etiam de S. Andrea et eius uita producam“ (Can. 51 f. 244ᵇ—245ª; Can. 22 f. 3ª—6ª).

„Jn festo Nicolai Luc. 19 de talentis in seruos distributis“ (6. Decembris). De S. Nicolai „priuilegijs“ et eius virtutum exemplis, et de „breuibus Euangelij doctrinis“ (Can. 22. f. 6ᵇ—8ᵇ). Deinde de missa (?).

„Dominica 2 Aduentus“ (7. Decembris). Ex evangelio diei (Lc 21, 25—33) iudicium considerandum proponit. „Cur Christus ultimum iudicium instituet et celebrabit, cum iudicet unumquemque in hora mortis?“ „Quid faciendum Christiano de Christi iudicio cogitanti?“ „Nunquam habuit mundus souil Zuckher, trost vnd gnad prediger, qui urgerent primum Christi aduentum. Nunquam autem pauciores buess prediger, qui cum Ioanne terrerent peccatores, et cum Apostolis annunciarent ultimum iudicium

---

[1] *Vergilius,* Aeneis, l. 2, v. 705—748.

[2] Potissimum significare videtur ea, quae Cicero in opprimenda coniuratione catilinaria praestitit.

[3] Cf. Act 2, 42 46 47. [4] Vide *Can.* IV 558 [5].

[5] Sessio XXII c. 6; cf. Sess. XIII c. 2.

Christi, et ad illud homines praepararent“ (Can. 22 f. 9ᵃ—11ᵇ; Can. 51 f. 245ᵇ). De sacrificio missae nihil tractat (Can. 22 f. 15ᵃ).

„Ein Leichpredig bej der begengnuss der Hertzogin von Ferrar zu Ynsprugg gehalten am aylfften decembris anno 72ᵗᵉⁿ.“ Catholicum morem orandi pro vita functis defendit, et quam pie Barbara, Ferdinandi II. archiducis soror et Alphonsi II. Ferrariae ducis uxor, et vixerit et mortua sit, narrat (Can. 51 f. 357ᵇ—359ᵃ; Can. 22 f. 194ᵃ—196ᵇ). Plura vide infra, monum. 1112.

„Dominica 3 Aduentus“ (14. Decembris). „Nunc dicemus aliquid de hodierna dominica et eius Euangelio [Mt 11, 2—10] quomodo rursus moneat de primo Christi aduentu, ut fidem nostram confirmemus, in hoc primo et praecipuo articulo christianae religionis. 2. Quomodo Christus, et Christi beneficium non recte acceptetur nisi Ioannes Baptista accedat cum suo officio et faciat nos ueros Christi discipulos. 3. Vellem etiam tractare aliquid de incohata materia sacrae Missae, sed uideo tempus esse breue, et non libenter discedo ab aduentu, qui solus nobis dat amplam occasionem circa Euangelium inmorandj, et nihil aliud admiscendj, praesertim cum frigus non permittat longas conciones haberj“ (Can. 51 f. 246ᵃ—248ᵃ; Can. 22 f. 12ᵃ—15ᵃ).

„Dominica 4.ᵃ Aduentus, cum simul Thomae festum celebratur“ (21. Decembris). „Hodierna die potest et debet bonus Christianus tria maxime considerare. Primum, quod Ecclesia celebrat nunc festum Thomae Apostoli, cui Christus ipse dixit, Quia uidisti me Thoma, credidisti[1], Ioan. 20. 2. Est 4.ᵃ dominica nostrj aduentus, quae rursus nobis proponit Ioannem, et constans eius testimonium de Christo coram primoribus Iudaeorum editum [Io 1, 19—28]. 3. Est ultimum festum praecedens vnserm heyligsten Christtag, et merito nos excitat, ut paremus uiam Domini[2], et tanti regis natalem digne et utiliter accipiamus. . . . Postea uero pergemus tractare, An omnes Christiani sint ex aequo sacerdotes, ita ut non sint personae speciales ad hoc deputatae, ut conficiant et tractent sacrificium Missae.“ Canisius omnes monet, „ne committant leuitates in ipsa nocte [Nativitatis Domini]. uel postquam exeunt e templo, seruientes uentri, et currentes zu den gepratten wursten, zum schlemmen vnd prassen. 3. Meminerint Christo illa nocte seruire vnd Jrn weichenachten nicht zu uberschlaffen“ etc. (Can. 22 f. 16ᵇ—20ᵇ; Can. 51 f. 272ᵇ—273ᵃ).

„IN FERIIS NATALITIIS“ (25. Decembris). „Ego uero mihi proposui hoc sacro die duo tantum explicare id est Cur Christiani omnes debeant in magno precio habere et festiue celebrare suum Christag et peculiariter hoc festum sibi commendatum habere. 2. Quomodo der Christag dat nobis causam non solum laetandi sed etiam tristandi hoc tempore infaelici“, idque „partim ex amore Christi, partim ex dolore peccatorum suorum et alienorum.“ Hoc sacro tempore „est tanta laetitia non solum in templo, sed etiam in domo, ut etiam pueri sciant cantare, Der tag ist so freidenreich, Das khundt ist vns geboren“ (Can. 22 f. 21ᵃ—28ᵃ).

„In die S. Stephani“ (26. Decembris). „Haec breuiter de festo et eius Euangelio, quod anno superiore pluribus explicaui. Nunc quia sumus adhuc in octaua natiuitatis, non possum obliuisci vnser Christkundlin, sed statui hanc quaestionem de illo tractare, Cur dominus in aduentu suo uoluit sic paruulus nasci, sicut Esaias dicit, Paruulus natus est nobis.“[3] „Tractemus aliquid de magna et mirifica eius paupertate“ (Can. 22 f. 28ᵃ—30ᵃ). Deinde de sacerdotio dicit, ut infra.

„De festo innocentum“ et Dominica infra octavam Nativitatis (28. Decembris). „Habemus hodie dominicam in octaua natiuitatis occurrentem, et quae proprium Euangelium sibi habet annexum, in quo historia de Anna uidua nobili tractatur [Lc 2, 33—40]. Hoc ipsum Euangelium post octo dies proponetur, ut satisfiat mori Ecclesiae Brixinensis, quae hodie contenta est Euangelio iam dicto, et proprie pertinente ad festum puerorum innocentum“ (Mt 2, 13—18). Hoc evangelium Canisius explicat (Can. 22 f. 30ᵇ—32ᵇ). Deinde de sacerdotio agit, ut dicetur infra.

---

[1] Io 20, 29. [2] Is 40, 3; Mt 3, 3; Mc 1, 3; Lc 3, 4. [3] Is 9, 6.

„In die circumcisionis" (1. Ianuarii 1573). „Dicam primum de Christo, quomodo hunc diem ornauit et sanctificauit, ut merito hunc annum, a gaudio spirituali incipiamus, et ad ipsius gloriam et honorem nos totos conuertamus." Deinde „xenia distribuit" (Can. 22 f. 33ᵃ—35ᵃ; Can. 51 f. 248ᵇ—250ᵇ). Postea de sacrificiis agit, ut mox dicetur. Quomodo xenia distribuerit, v. infra, monum. 1122.

Dominica post Nativitatem (4. Ianuarii) evangelium (Lc. 2, 33—40) explicat et ex eo virgines, coniuges, viduas, pueros instituit (Can. 22 f. 35ᵃ—39ᵃ; Can. 31 f. 183ᵃ—187ᵃ); deinde de sacrificio dicit, ut infra.

„In die Epiphaniae" (6. Ianuarii). „Dicam 1 cur Epiphania dictum festum 2 quomodo seruiat nobis exemplum Magorum 3 quomodo historia moneat nos multorum pertinentium ad Missae sacrificium" (Can. 22 f. 39ᵃ—42ᵇ; Can. 31 f. 175ᵃ—178ᵇ).

Cum contionum argumentis modo positis Canisius alia quaedam coniunxit; die enim 21. Septembris promisit, se deinceps „in qualibet concione" etiam aliquid, quod ad missae mysteria pertineret, tractaturum esse (v. supra p. 623) Atque id plerumque praestitit; plerumque, inquam: nam Dominicis Adventus 1. et 2., atque, ut videtur, etiam 3., si non saepius, ea tractatione supersedit (cf. supra p. 625 626). Supersunt harum tractationum commentaria (Can. 34 f. 1ᵃ—47ᵇ; Can. 22 f. 15ᵃ—16ᵃ; 19ᵃ—20ᵇ; Can. 51 f. 231ᵃ—232ᵇ); neque tamen unicuique eorum adnotatum est, quo die argumentum illud esset tractatum. Ponam tractationum capita, et, quantum fieri poterit, tempus adnotabo. Dominica XVIII. post Pent. sive 28. Septembris: „Quale nomen missae? Quid missa?" (Can. 51 f. 231ᵃ; Can. 34 f. 1ᵇ—2ᵃ). Deinde: „Vbi est Missa fundata". „Quae partes Missae principales". „Ad quid ordinatae ceremoniae Missae". „Cur magnifaciendae et retinendae ceremoniae Missae". „Quid credendum de prima parte Missae", sive „de consecratione". „2 tractatio de consecratione". „Cur Missa magnifacienda et libenter audienda". „Cur [Christus] non manet post consecrationem in sacramento uisibiliter, sed abscondito modo et cum glorioso corpore sub specie panis et uini?" „Cur in scriptura hoc sacramentum dicitur panis etiam post consecrationem?" „De adoratione Christi in sacramento". „In sacramento manere corpus Christi, durante specie panis, nec tantum adesse tempore communionis". „De modo adorandi Eucharistiam". „De honore externo Eucharistiae tribuendo". „Cur faciem conuertimus ad altare circa eleuationem sanctae eucharistiae?" „Cur oculos leuamus ad sacramentum?" „Cur circa eleuationem quidam pectus tundunt?" „De sacerdotio Christiano" [1] (tractatio incohata 21. Decembris: Can. 34 f. 31ᵇ, et cf. supra p. 626). „Apostolos et eorum discipulos sacrificasse". „Christi sacerdotium non excludit sacerdotes proprios noui testamenti". „Non idem esse praedicare et sacrificare". „Quomodo historia S. Stephani seruiat ad propositam materiam de sacerdotio" (26. Decembris; Can. 34 f. 35ᵇ—36ᵃ). „Quid tenendum et contemptoribus et calumniatoribus sacerdotum". „Quid sentiendum de nouo mundo, in quo multi non uocati uel missi praedicant, et sacramenta ministrant". „De ipso Missae sacrificio". „De sacrificijs antiquorum" (1. Ianuarii 1573; Can. 34 f. 41ᵇ—45ᵇ). „Quomodo Magorum exemplum nos admoneat multarum rerum ad Missae sacrificium pertinentium" (6. Ianuarii; Can. 34 f. 45ᵇ—47ᵇ).

Paucis post diebus Canisius Augustam ad Sociorum congregationem provincialem profectus est; deinde Oeniponte, Monachii, Salisburgi Gregorii XIII. mandatu cum principibus illis egit; postea pontificis iussu Romam venit ibique Societatis congregationi generali interfuit (v. supra p. 100—126).

---

[1] „Hinc sequitur errare grauiter omnes promptiores ad obediendum secularibus quam Ecclesiasticis magistratibus.... Quidam hodie non maiores habent hostes quam clericos, et putant se multum praestare illos persequendo, eijciendo, spoliando, opprimendo, occidendo, et omnibus modis affligendo. Tales habent cogitare de Pompeis, Antiocho, Heliodoro et alijs tyrannis grauiter punitis a Deo" (Can. 34 f. 25ᵃ).

Paulo autem antequam Canisius Roma in Germaniam versus proficisceretur, *Everardus Mercurianus* novus praepositus generalis interrogatus est, num Ferdinando II., in cuius gratiam iam unus e Sociis oenipontanis ecclesiae parochialis contionatorem agebat, aulicus quoque contionator iterum concedendus esset; in „*Resolutionibus“ enim „datis a R. P. N. Generali, P. Paulo Hoffeo Prouinciali Germaniae superioris 26 Junij 1573“ haec posita est septimo loco: „Vtrum sint posthac duo Concionatores dandi Archiduci, et quinam? Jtem si patrem Joannem[1] petat, quid agendum? Respondetur · Placet, ut ibi maneat P. Doctor Petrus Canisius, quoad fuerit aliter prospectum“ (ex responsionum exemplo eodem tempore Romae scripto; Congr. 42 f. 36[b]). Verum cum Canisius m. Iulio Oenipontem redisset, princeps Canisium nomen quidem contionatoris aulici habere voluit, sed P. Joannem Nasum Franciscanum, qui in Canisii absentis locum substitutus erat, in eo officio administrando perstare iussit; v. supra p. 130 170.

Canisius, ut modo dictum est, semel atque iterum ex sacro suggestu questus est, se monentem neglegi (v. supra p. 615 616). Ita etiam in *contione Oeniponte 13. Aprilis 1572, quae erat Dominica prima post Pascha, habita: „In Quadragesima“, inquit, „parum profuere penitentiae contiones. Tot milia noluerunt communicare et dubium an Judas defuit[2], tot centuriae non ueniunt ad contiones et multo magis ad Missam. Habemus Thomas non solum dubitantes sed et tuentes suos errores, se statuentes super utrumque magistratum[3], uolunt liberi esse in religione. Non dicam qualia demus exempla uicinis nostra crapula“ (ex Canisii autogr.; Can. 51 f. 128[a]). Item in *contione 9. Novembris 1572 de Pharisaeis Christum tentantibus (Mt 22, 15—21) habita: „Praedicator“, inquit, „experitur etiam tales homines, sicut hoc loco Christus, insidiantes[4], ut capiant eum in sermone[5]. Volunt obseruatores[6] esse magis quam auditores, ueniunt ad iudicandum et tentandum, ut merito dicere possit et ipse Quid me tentatis hypocritae[7] et uosipsos impeditis in uerbo Dei, Vbi est cor et deuotio et fides Magdalenae in audiendo et acceptando uerbo cum omni desiderio[8] et cum fame et siti iustitiae“[9] (ex commentario a Canisio recognito; Can. 51 f. 243[a]).

Caeterum *Jacobus Pontanus* S. J. in *Litteris annuis provinciae Germaniae superioris Dilinga 1. Septembris 1572 datis de oppido et collegio oenipontano narravit: „Tres sunt in hoc oppido qui pro concione populum docent, P. Petrus Canisius, quem Ferdinandus Archidux Austriae cum proceribus et familia sua diligenter audit, P. Rector[10], in prae-

[1] Merquitium S. J.; cf. *Can.* VI 613–614 621.
[2] Homines sacrilege eucharistiam sumentes significat; cf. Mt 26, 25; Mc 14, 20; Lc 22, 21; Io 13, 18—30.
[3] Cf. Io 20, 24—29.
[4] Lc 11, 54.
[5] Mt 22, 15; Mc 12, 13; Lc 20, 20.
[6] Mc 3, 2; Lc 6, 7; 14, 1; 20, 20.
[7] Mt 22, 18; cf. Lc 20, 23.
[8] Cf. Lc 10, 39.
[9] Mt 5, 6.
[10] Gerardus Pastelius.

cipuo templo, quo totius Prouinciae supremum maximumque consilium [1], et plebs vniuersa studiose confluit, Tertius in aede sacra Collegij, doctrinae christianae elementa iuuentuti proponit [2]; intersunt etiam Disciputi, et matronae aliquot nobiles. Quantum porro ipsorum trium indefesso labore in omni genere pietatis apud populum, apud principem et nobilitatem effectum sit, non est obscurum. Sunt enim iam mores peruersi in optimos commutati, haereticorum seditiosi greges ex oculis elapsi penitus euanuerunt . . . Virgines aliquot nobiles Christo sponso perpetuam castitatem suam nostrorum consilio dicauerunt. Librorum haereticorum diuersis temporibus magna vis ad concremandum allata" (ex archetypo; Germ. 134 f. 151[b]). Etsi autem haec fructuum a contionatoribus illis collectorum descriptio rei actae modum nonnihil excedit (idem de descriptione a *Boero*, Can. 347, facta dicendum est), recte tamen ex ea colligitur, Canisium nequaquam frustra laborasse.

Ita etiam dubitari vix potest, quin in Canisii gratiam et grato in eum animo [3] Ferdinandus II. archidux collegio oenipontano magnam beneficiorum illorum partem tribuerit, quae a *Pontano* in iisdem *litteris referuntur: „Plurimis et necessarijs libris bibliothecam auxit, triticum ne deesset sedulo curauit, hortum domesticum satis amplum asseribus cinxit, Senatui Tyrolensi in mandatis dedit, vt ad perficiendam Collegij fabricam sumptus necessarios suppeditet, materiam, calcem et caementa prouideat, Patres nostros veneratur et obseruat, de grauissimis causis, et maxime religionis, ipsorum consilia et sententiam exquirit, de fructu quem Societas colligit maximopere gaudet ac laetatur" (l. c. f. 152[a]).

Sacer ille suggestus, ex quo Canisius in templo S. Crucis olim dicebat, iam non (ut ex amicis oenipontanis accepi) videtur exstare.

1100. 13. Ianuarii 1572.

Ex commentario, quod Balthasar Arnoldt Canisio dictante scripsit et Canisius sua manu emendavit. Can. 51 f. 83[b]—84[a].

Canisius Oeniponte e sacro suggestu parentes monet, ut filios bene educent; puerorum mores pessimos esse.

Canisius, Oeniponte officio contionatoris aulici (Ferdinandi II. archiducis) fungens, in oratione sacra, quam Dominica prima post Epiphaniam sive 13. Ianuarii 1572 in templo S. Crucis habuit, parentes christianos sic adhortatus est: Propter [a] Christum et eius amaram mortem admoneo et rogo vos omnes coniuges, vt animo percipiatis, quare Deus [b] sanctum matrimonium instituit et vult obseruarj, vt non modo

a) *In margine Canisius sua manu scripsit:* Exhortatio ad coniuges. b) *Sequitur* vest, *oblitt.*

[1] In templum parochiale S. Iacobi maioris „Domini de regimine" Austriae superioris venire solebant. Cf. *Can.* VI 630 [1].

[2] „P. Gaspar Obergasser" („Catalogus Collegij Oenipontani . . . pro anno 1572", a *Gerardo Pastelio* Rectore scriptus; Germ. 131 f. 185).

[3] P. *Paulus Hoffaeus* provincialis iam circa m. Augustum 1571 S. Francisco Borgiae praeposito generali *scripserat: „P. Canisius gratissimus est in concionibus Archiducj, qui si Pragam eat ibi gubernaturus, cogemur forte dare illi P. Canisium" (ex autogr.; Germ. 133 f. 230a).

habeatis liberos, sed etiam illos ad suam gloriam et vtilitatem Ecclesiae[a] cum omni diligentia et disciplina educetis, sicut et Paulus docet[b]. Exod. 20. Deut. 5 Ephes. 5. Coloss. 3. Promisit sedulis parentibus benedictionem singularem super filios et familiam[1]. 2. Cogitetis cur filios statim natos deportarj facitis in Ecclesiam et offertis illos Deo, sanctificatis aqua baptismj, et totos illos obligatis ad obseruandam regulam Christianitatis, sicut etiam Patrinj promittunt[c]. Sunt vere paruuli quos Christus amat, et vult ad se venire, quorum est regnum coelorum[2], quos non vult scandalizari sub aeterna maledictione[d 3], sunt optima portio Christianismi · Der edelste uorrat der kirchen. Lust vnnd freud [hat Gott] an den Kinder. 3. Exaudit orationem et confirmat benedictionem datam filijs. 3. Cogitate quam infirmj, impotentes, tenerj sint puerj in primis annis, tanquam nouae Plantulae, quae sinunt se facile inflectj. 2. Tanquam cera[e] [et] rasae tabulae, in quibus licet cuilibet scribere, vt possitis illos paruo labore ad omne bonum promouere et dirigere[f]. 4. Quomodo sensus et corda[g] hominum sunt propensa ad malum ab adolescentia[4], et quomodo stultitia alligata est cuilibet puero[5], ita vt egeant bona disciplina et non possint sanarj. nisj verbis et verberibus in timore contineantur. Timor enim est initium sapientiae[h 6]. Muossen nicht allein mit ernsthafftigen wortten gezichtiget, sonder auch mit ruothen vnnd streichen geschlagen vnd gestraffet werden. Et qui parcit virgae odit filium suum[7]. 5. Quod sj puerj permittantur viuere pro sua libertate[i], fiunt lasciuientes vitulj, imo indomitj equj[8], et non solum discunt mala, sed etiam in illis confirmantur et assumunt consuetudinem peccandj, vt postea vel nunquam vel[k] difficillime[l] possint ad bonam viam reuocarj et virtutj assuefierj[m]. Vnde tam diligenter monent Ethnicj de pueris instituendis, vt Aristoteles, Cicero, Cato, Plutarchus, Quintilianus. 6. Cogitate quanta mala, damna et pericula sequantur, cum filij neglectj sunt in iuuentute et non vj[n] auocantur a malis socijs, exemplis et moribus. 1. Coguntur parentes saepe irascj[o], vnd hertzlich leid haben, conquerj, anxiarj et turbarj. 2. Coguntur timere, quod indies fient peiores[p], inobedientiores et ingratiores, omni gratia praesenti et futura, quam illis facere vellent. 3 Priuantur omni gaudio, quod habere solent bonj parentes ex bonis et modestis filijs, qui sunt ipsorum thesaurus[9], ipsorum consolatio[10], et baculus senectutis[11 q] et decus domus et familiae. 4. Saepe coram mundo confunduntur[r] et ridentur et damnantur videntes et audientes scelera filiorum, vt cupiant illos esse[s] absentes vel mortuos, vel nescio vbj: 5. Coguntur soepe etiam filios habere pro summis inimicis et Diabolis a quibus praecipue offenduntur, contristantur, oppugnantur et tribulantur vsque dum[t] prae tristitia moriuntur vel tandem venit carnifex et debet illorum esse magister[u] cum gladio am Galgen. Demum cogitate vos esse in caussa omnium malorum, quae filij tam male educatj faciunt, ad quemcunque statum perueniant, et omnium scandalorum ex illis consequentium. O qualem rationem reddetis Deo, qui scandalizastis paruulos[12], quando

a) *Sequuntur vv.* in omni, *oblitt.* b) *Quae sequuntur, usque ad* 2. Cogitetis cur *excl., in margine addita sunt.* c) *Quae sequuntur, usque ad* 3. Cogitate quam *excl., in margine addita sunt.* d) *Hic numerus et 9 vv. sqq. a Can. ipso scripta sunt.* e) *Hoc v. a C. supra versum scriptum est.* f) *Sequitur* parua, *oblitt.* g) *Sequuntur vv.* illorum su *[?], oblitt.* h) *Quae sequuntur, usque ad* gestraffet werden *incl., in margine addita sunt.* i) *Sequitur* et, *oblitt.* k) *Sequitur* diffi, *oblitt.* l) dificillime *libr.* m) *Quae sequuntur, usque ad* Quintilianus *incl., in margine addita sunt.* n) *Sequuntur vv.* a malis, *oblitt.* o) *Quattuor vv. sqq. supra versum scripta sunt.* p) *Sequitur* et, *oblitt.* q) *Sequitur* et; *alterum* et *cum 4 vv. sqq. in margine additum est.* r) *Quattuor vv. sqq. supra versum scripta sunt.* s) *Sequitur* mort, *oblitt.* t) *Quattuor vv. sqq. supra versum scripta sunt.* u) *Duo vv. sqq. supra versum scripta sunt.*

[1] Cf. Ex 20, 12; Dt 5, 16 29—33; Eph 6, 1—4; Col 3, 20 21.
[2] Mt 19, 13 14; Mc 10, 14; cf. Mt 18, 3. [3] Cf. Mt 18, 6; Mc 9, 41.
[4] Gn 8, 21. [5] Prv 22, 15.
[6] Cf. Ps 110, 10; Prv 1, 7; 9, 10; Eccli 1, 16. [7] Prv 13, 24.
[8] Eccli 30, 8. [9] Cf. Tob 10, 5.
[10] Cf. Tob 10, 4; Prv 10, 1; 15, 20 etc. [11] Tob 5, 23; 10, 4.
[12] Cf. Mt 18, 6; Mc 9, 41.

requiretur sanguis illorum ex manibus vestris[1]. O vermem[a] immortalem[2], qui vos anget postea in altero seculo propter hanc negligentiam. O tristitiam[b] aeternam[c] et ineffabilem, quam sentietis[d] a filijs maledicentibus in sua[e] damnatione et expetentibus vindictam a diuina iustitia, quod illis fueritis tam clementes, sorglos, nachlesig et permiseritis illos viuere secundum voluntatem suam corruptam, et sequj libertatem nec correxeritis, in ipsorum infidelitatibus, vnzucht, fluechen, schweren, freuel vnnd muotwillen, liegen vnnd betriegen[3].

Deinde Canisius vehementer queritur de pueris illarum regionum: Vix cogj possunt ad templum et in eo currunt, clamant, ludunt, rident inquietj, irreuerentes, . . . klaffen[f] und zancken, dreiben buberey, werfen mit stein und schneeballen, hancken den verlauffenen lutterbuben an, . . . tam leues, vanj, scandalosj, corruptj, vt omnes offendant, bonos contristent, parentes et praeceptores dehonestent, . . . non curantes admonitores, resistentes parentibus, maledicentes bonis et vindicatiuj[g] mit den tolchen *etc.*

1101. 17. Februarii 1572.

Ex commentario scripto, ut supra p. 629 dictum est. Can. 51 f. 103b—105a

Canisius ex sacro suggestu dicit, Bacchanalium tempore laetandum esse; pauperes commendat; abusum in aula archiducis vigentem reprehendit.

Canisius, cum Oeniponte contionatorem aulicum Ferdinandi II. archiducis et principis Tirolis etc. ageret, 17. Februarii 1572, quae erat Dominica Quinquagesimae (initium temporis quadragesimalis proxime antecedens), in templo S. Crucis pro contione hoc argumentum, praeter alia, tractavit: Quomodo Christianus mit Gott vnd[h] ehren[i] mag vnnd soll sein Fasnacht frölich[k] halten? *Ex qua tractatione hic ponuntur aliqua*: Audiui dicere quod Sathan his tribus diebus maius damnum facit Ecclesiae et animabus, quam postea[l] contionatores omnes quadraginta diebus possunt recuperare et lucrari. . . . Nolo prohibere vel damnare[m] uel abrogare die Fasnacht[n], credo quod Petrus et Paulus, Caesar et Rex non possent id abrogare, sed suadere et docere uolo ut hoc tempus cum prouidentia et discretione omnes expendant[o]. Hortor ergo primum nobiles et diuites et omnes qui possunt, vt seruent fasnacht non solum pro se, sed etiam pro alijs inaequalibus, et [qui] egent recreatione, in sua magna paupertate, infirmitate[p] et tribulatione, Audite quomodo Christus docuerit fastnacht halten[q]: Cum facis conuiuium voca pauperes, debiles, claudos et caecos et beatus eris, quia non habent retribuere tibj: Retribuetur enim tibj in resurrectione iustorum[4]. 2. Non vultis fortasse[r] esse tam liberales et misericordes in pauperibus inuitandis[s] et tractandis. Hortor adhuc, vt saltem de superfluo detis pauperibus, sicut Christus dixit: Colligite fragmenta ne pereant[5]. Soepe tantum coquitur[t] gesodens vnnd gebradens vt non possit consumj ante feriam quartam, et postea datur pauperibus non sine scandalo, quia occasio datur famelicis[u] quod contra conscientiam edunt prohibitum cibum[6]. Vnde magnus

a) *Sequitur* inextinguibilem, *oblitt.* b) *Sequitur* quam, *oblitt.* c) *Duo vv. sqq. supra versum scripta sunt.* d) *Sequitur* filijs, *oblitt.* e) *Sequitur* maledicti, *oblitt.* f) *Hoc v. et quae sequuntur usque ad* lutterbuben an *incl., a C. ipso in margine addita sunt.* g) *Tria vv. sqq. a C. ipso supra versum scripta sunt.* h) *Hoc v. a Can. supra versum scriptum est.* i) *Sequuntur vv.* vnnd freuden, *oblitterata.* k) *Hoc v. a Can. ipso additum est.* l) *Duo vv. sqq. a C. in margine addita sunt.* m) *Duo vv. sqq. a C. supra versum scripta sunt.* n) *Duodecim vv. sqq. a C. ipso in margine addita sunt.* o) *Sic C. correxit ex* sed tantum ostendere modum et viam hoc tempus cum prouidentia et discretione expendendj. *Sequuntur vv.* Vis bene et Christiane laetarj, *oblitt.* p) *Hoc v. a C. supra versum scriptum est.* q) *Sic C. ipse correxit ex* memores praeceptj Dominicj. r) *Sequitur* et, *oblitt.* s) *Duo vv. sqq. supra versum scripta sunt.* t) *Sequuntur vv.* von Geso, *oblitt.* u) *Sic C. correxit ex* pauperibus.

[1] Ez 3, 18 20. [2] Cf. Is 66, 24; Mc 9, 43 45 47.
[3] Cf. *G. Lamers* S. J., Petrus Canisius als opvoeder, Antwerpen [1921], 38—45.
[4] Lc 14, 14. [5] Io 6, 12.
[6] Ex veteri illa ecclesiae disciplina usus carnium omnibus sacrae Quadragesimae diebus, etiam dominicis, prohibitus erat; neque facile cum quoquam ea in re dispensabatur vel excusatio admittebatur.

est abusus, quod etiam ferijs sextis et Sabbathi dantur eleemosinae ex[a] reliquiis carnium, et licet hoc fiat in aula Principis[1] non possum laudare, sed admoneo seruitores Principis, vt hunc abusum tollant et suo tempore dent pauperibus, quae possunt et debent dare. 2. Hortor ad seruandum Fasnacht omnes et singulos, qui stant in dissensione et contentione cum proximis aut retinent in corde[b] rangorem, inuidiam, inimicitiam. Jllj faciunt rem gratam Deo et charitatj Christianae consentaneam, sj hoc tempore cum illis sint laetj et se cum illis componant et[c] reconcilient ante tempus poenitentiae. Hoc enim est, quod Christus ipse docet: Vade prius reconciliarj fratrj tuo, priusquam veniens offeres[d] munus tuum[2], Mt 5. Primum enim est facere pacem cum proximo, et postea cum Deo offerendo illj sacrificium spiritus contritj[3] in Quadragesima. In signum autem huius pacis hortor omnes, vt amice agant cum offensis et inimicis et edant laete, sicut credo fecisse nostros maiores hoc tempore cum talj intentione. 3 Hortor ad exteriorem laeticiam honestam. *Hanc hortationem Canisius deinde accuratius exsequitur.*

Ex hac oratione sacra patet, Oeniponte tunc nondum exstitisse morem illum, qui iam compluribus Italiae locis vigebat et postea in Germaniam quoque inductus est; morem, inquam, sacrae eucharitiae tribus diebus bacchanalibus publicae et communi fidelium adorationi proponendae, ut ita Deo aliqua praestetur satisfactio pro iniuriis, quibus eo tempore afficitur.

1102. Circa initium m. Martii 1572.

Canisii Liber primus contra Centuriatores Dilingae iterum editus, ab auctore recognitus.

P. *Theodoricus Canisius* S. J. rector dilinganus P. Hieronymo Natali Societatis vicario generali *scripsit Dilinga 28. Martii 1572: „Liber R. P. Canisij contra Centuriatores, emendatus et auctus ab authore, hoc loco minori forma nuper excusus est" (ex autogr.; Germ. 134 f. 174[b]). De ea *„Jacobus Pontanus"* S. J. in litteris annuis provinciae Germaniae Superioris, Dilinga 1. Septembris 1572 datis, haec narrat: Dilingae in „Typographia, quae est Academiae huius" „P. Canisij primus Commentariorum liber contra haereticos iterum impressus et auctus, quem audimus emi, et cum doctorum approbatione plurimorumque vtilitate perlegi" (ex exemplo archetypo; Germ. 134 f. 150[a]).

Prostabat igitur Francofurti ad Moenum in mercatu verno (cf. *Can.* VI 376[a]):

„COMMENTARIORVM | DE VERBI DEI COR- | RVPTELIS | *LIBER PRIMVS:* | IN QVO DE | SANCTISSIMI | PRÆCVRSORIS DO- | MINI IOANNIS BAPTISTÆ | Historia Euangelica, cùm aduersus | alios huius temporis sectarios, tùm | contra nouos Ecclesiasticæ histo- | riæ consarcinatores siue Cen- | turiatores pertra- | ctatur. | AB AVTHORE | D. PETRO CANISIO | Societatis IESV Theologo nunc pri- | mùm recognitus & auctus. | PSALM. CXVIII. | Narrauerunt mihi iniqui fabulationes, | sed non vt Lex tua. | DILINGÆ, | *Cum Priuil. Cæs. Maiest. & facultate Superior.* | Excudebat Sebaldus Mayer. M. D. LXXII."

16° vel potius 8° min.; ff. sign. 422; non sign. in initio 44 (addito titulari) et in fine libri 28; f. a 2[a]—b 2[a] Canisii litterae dedicatoriae ad Ferdinandum II. archiducem Oeniponte Kalendis Augusti a. 1571 datae; quae in prima iam libri editione positae erant (exstant in *Can.* VI 450—456), iterum positae sunt, aliquot tamen verbis immutatis (quae ibidem in lectionibus variantibus sunt); f. b 2[b]—f 2[b] „Ad Lectorem, de corruptelis Verbi Dei fida praemonitio" sive praefatio; f. f. 3[a]—f. 4[b] „Authoris Confessio" (quam vide *Can.* VI 745—746); f. A[a]—A 2[b] „In librum primum de Corruptelis Verbi Dei praefatio"; f. 422[b] imago S. Ioannis Baptistae in deserto viventis, cum locustis et cum apibus sub arbore nidum habentibus: imagini subscriptum est „Epi-

a) *Sequuntur vv.* relictis carnibus, *oblitt.* b) *Sequuntur vv.* rangorem rem cora, *oblitt.* c) *Hoc v. supra versum scriptum est.* d) *In comment. correctum ex* offeras.

[1] Ferdinandi II. [2] Mt 5, 24. [3] Cf. Ps 50, 19; Is 66, 2; Dan 3, 39 etc.

gramma ad Lectorem"; sequitur f. Hh[a]—Ii 6[a] „Index locorum Scripturae Sacrae"; f. Ii 6[b]—Ll 3[a] „Index rerum"; f. Ll 3[b]—Ll 4[a]: „Quae sequuntur partim ad correctionem erratorum pertinent, partim adiungenda sunt operi, quia Typographo tardius reddita".

Haec editio perinde atque prior illa impensa Georgii Willer bibliopolae augustani facta esse videtur; quae ideo, puto, typis minoribus chartaque minore ipso iam m. Septembri 1571, quo prior in lucem emittebatur (*Can.* VI 712—713), parari coepta est, quia periculum erat, ne quis alius Canisio et Willero invitis librum cum horum damno rursus excuderet; v. *Can.* VI 438—439 475.

Librum vidi Valkenburgi Neerlandiae in bibliotheca collegii ignatiani S. J. Idem exstat Cracoviae in bibliotheca universitatis iagellonicae, Monachii in bibliothecis nationali et academica, Bonnae (Bonn) in bibliotheca universitatis, Dilingae in bibliotheca Lycei (XIV 968). Editionis mentionem fecit *Sommervogel*, Bibl. II 674.

1103. 30. Martii 1572.

Ex commentario scripto, ut supra p. 629. Can. 51 f. 123[a].

Canisius Oeniponte e sacro suggestu exercitia quaedam poenitentiae, pietatis, caritatis commendat.

Canisius Oeniponte in templo Sanctae Crucis Dominica Palmarum, qua incohabatur hebdomas maior sive sancta, orationem habens complura commendavit „exercitia nunc fidelibus facienda": in quorum numero haec erant: Quj norunt et possunt legere, curent recitare septem horas canonicas, von der Marterwochen de sancta cruce vel alias similes orationes de passione Dominj, sicut et sunt quindecim orationes sanctae Brigittae[1]. 2. Qui non sciunt in libris legere, vel non habent tempus, honorent quotidie praecipuos articulos passionis, vel nouem transitus a Christo factos[2], aliquando septem effusiones sanguinis eius, aliquando septem vltima verba eius in cruce dicta, vel quinque eius vulnera pretiosa. Quj nouit aliquid de passione Christj meditarj, potest quotidie sibj aliquam partem de historia passionis proponere considerandam. . . . Qui non nouit aut non potest de his vel similibus meditarj, potest sibj proponere aliquot templa, et deuote illa inuisere, quasj cum Christo iret ad palatium Annae, Caiphae, Pilatj, Herodis, Caluariae. 2. Legat ad honorem Christj ter vel quinquies Pater noster, petens esse particeps illius passionis, quam exegit in hoc vel illo loco; nec dubitet quin Christus ratum habeat quicquid homo fidelis faciat ex amore et gratitudine erga Dominum suum crucifixum, siue se flagellet, siue humj dormiat, siue ieiunet in pane et aqua, siue portet cilicium, siue subtrahat sibj aliquid in cibo et potu[a] (uitare molles lectos. 2. cibos delicatos 3 dulcia uina), siue oret extensis brachijs oder creutzweis auff seinem angesicht, siue eat ad hospitale, siue inuitet et alat pauperes aliquot, siue oret in die quinquies aut septies in honorem passionis.

1104. 13. Aprilis 1572.

Ex commentario scripto, ut supra p. 629. Can. 51 f. 128[a].

Canisius Oeniponte iussu „regiminis" propter temporis calamitates auditores ad mores emendandos et stipem largiendam e suggestu hortatur.

Canisius, contionatorem Ferdinandi II. archiducis agens, Oeniponte in templo S. Crucis 13. Aprilis 1572, quae erat Dominica prima post Pascha, hanc „Admonitionem de peste et eleemosina", a „regimine Austriae superioris" oenipontano iussus — ipse enim exordio „Admonitionis" verba „Etsi nullam haberem commissionem a magistratu" ascripsit — e sacro suggestu pronuntiavit: Jniunctum est mihi vos admonere[b] vt quilibet[c] mente velit percipere haec aerumnosa et grauantia tempora, in quibus

a) *Quae uncis includuntur, a Canisio ipso in margine ascripta sunt.* b) *Sic in comment. correctum est ex* aliquid vobis denunciare. c) *Sequuntur vv.* hoc tempore, *oblitterata.*

---

[1] Vide *Can.* IV 1018. [2] De his v. *Can.* VI 525 531 532.

nos iustus Deus[a] visitat varijs modis, als mit vngewonlicher[b] langweriger theurung, mit erschrecklichen vnd geferlichen Erdbidnen, mit verderblichen vnd verdamblichen vnglaube, Ketzereyen vnd secten vnd darzu ihe lenger ihe mehr mit einreissender gefehrlicher infection bössen Kranckheiten vnd sterbsnöten, Welches alles nit anderst anzusechen vnd anzunemen ist, dann das Gott der almechtig vns mit solchen Botten[c] heimsuecht[d], auch mit solchen geisseln vnsere großere Sund vnd vngerechtigkheit straffet durch solche mitel[e] vnsere sundige Hertzen zur bueß vnd poenitentz gewaltig ermant vnd treibt, damit ein yeder seinem standt vnd berüeffung nach sein leben pösser vnd souil ihmer möglich ihn aller Gotsforcht eingezogen vnd züchtig wandel vnd lebe, Zum andern soll man wissen vnd gedenckhen das man vnns hie wil ermant vnd gefurdert haben ihnsonderheit zu den werckhen Christlicher lieb vnd barmhertzigkheit, so man gegen den lieben armen vnd Kranckhen trewlich beweisen vnd erzeigen soll, Demnach sein etlich darzu gesetzt vnd verordnet das sie offentlich das liebe Almuesen samlen vnd einnemen sollen, zu trost, vnterhaltung vnd ernehrung der armen Leuthen, die solcher handreichung am maisten bedarfen vnde meum fidum est consilium ne hoc tempore periculoso dormiamus, imo etiam serio vigilemus et praesentem Dei visitationem ad[f] emendationem vitae conuertamus. Quaerite Dominum dum inuenirj potest, inuocate, eum dum prope est[1]. Tales praenuntij merito uos cautos et timoratos facere deberent, vt eo minus peccaremus in crapula et ebrietate. Est ingens adhuc numerus eorum, qui cum Deo et Ecclesia nondum se reconciliarunt. quos volo admonitos serio vt Christianam et debitam praestent obedientiam confitendo et communicando. Reliquis omnibus dico cum Daniele: Vt peccata sua eleemosinis redimant, et iniquitates suas misericordijs pauperum[2]. Eleemosina enim ab omni peccato et morte liberat et non patietur animam ire in tenebras[3].

1105. 23. Maii 1572.

Ex „Can. 5“ f. 109^a—116^a. Brevem orationis summam ex eodem codice posuit *Kröss*, Can. 189—190.

Canisius Oeniponte in exsequiis Catharinae reginae Poloniae huius virtutes laudat.

Canisius Oeniponte in templo S. Crucis orationem funebrem habuit, cuius ipse commentarium a Balthasare Arnoldt scriptore suo eleganter scriptum et a se recognitum sic sua manu inscripsit: „Jn exequijs Reginae Polonicae · 23 Maij 1572“. Quas exsequias, ut Canisius in orationis exordio dicit, Ferdinandus II. archidux Tirolisque princeps et Catharinae Poloniae reginae frater haberi iusserat.

Ostendit *Canisius:* 1) „wie es ein Gottseliges vnd lobliches werckh sey, solcher Besinckhnuss beizuwonen“, 2) „Auch wie vns billich lieb vnd wert sein soll die gedechtnuss der hochloblichen vnd Königlichen Person, derenthalben man heuttigs tags alhie claget, bittet vnd singet.“

Operae pretium fuerit ex secunda huius orationis parte aliqua ad verbum exscribi in gratam memoriam Catharinae, unius ex Ferdinandi I. imperatoris filiabus, quae a. 1533 Vindobonae nata, cum a. 1549 Francisco Gonzagae duci mantuano nupsisset, hoc mortuo uxor a. 1553 adiuncta est Sigismundo Augusto regi Poloniae († 7. Iulii 1572), homini libidinoso et de rebus tum civilibus tum sacris in utramque partem vacillanti, qui a Catharina prorsus alieno factus est animo neque ullis episcoporum, nuntiorum apostolicorum, regni procerum precibus adduci poterat, ut cum ea tranquille viveret; immo id agebat, ut matrimonium cum Catharina, ex qua

a) *Sequitur* nos, *oblitt.* b) *Sequitur* theurung, *oblitt.* c) *Sequuntur* vv. geisseln vnd stra, *oblitt.* d) *Sequitur* vnsere, *oblitt.* e) *Sequitur* vns zu, *oblitt.* f) ac *comment.*

[1] Is 55, 6. [2] Dn 4, 24. [3] Tob 4, 11.

filios non susceperat, initum dirimeretur sive irritum esse diceretur (cf. *Can.* V 55). Catharina tandem a. 1566 ex Polonia exivit et a. 1567 Lentiae (Linz, Austriae superioris civitas) consedit: ubi 29. Februarii 1572 mortua est (*Can.* II 319 334; *Rapp* l. c. 17; *Eichhorn* l. c. II 241—246 420—426; *Gust. Turba*, Venetianische Depeschen vom Kaiserhofe III. Wien 1895, 520).

Ita igitur *Canisius:* „Darbey haben wir gar nit zuuergessen der grossen gaben vnd genaden, so die höchste, ewige, Göttliche Maiestet vnserer offtgemelten Durchleuchtigsten Königin vnd Frawen Catharina etc. ihn ihrem leben raichlich mitgethailt, iha auch vns zu einem lebendigen Exempel ihn ihrem Christlichen wandel hat scheinen vnd leuchten lassen. Dann mit khurtzen von ihrem löblichen thuen vnd lassen zu melden, khan man vngezweifelt sagen vnd bezeugen, das sie ihrem hochen Königlichen herkhomen vnd geschlecht nach, die schöne blüende Jugent ihn rechter Christlicher Zucht, Gottsforcht vnd Catholischer religion zugebracht vnd sambt ihrem geliebsten wol bekhanten Frawen schwestern [1] hie zu Jnsprugg Gottselig vnd löblich aufgezogen worden, Nach dem sie aber ihre Adeliche sinnreiche natur vnd Königliche iugent so weitt gebracht hette, das sie nun möcht verheirat werden, hat sie warlich nit aus einigerem willen, sonder allein auß ihres geliebsten herrn Vatters vnd Römischer Kaisserlicher Maiestet hochlöblicher gedechtnuß ernsthafften befelch sich dahin begeben, das sie erstlich zu Mantua den heiligen vnd Fürstlichen Ehstandt angenommen vnd geehret hat, Nach dem aber Gott der Almechtig ihren ersten Gemachel von disem Jamerthal abgefordert, vnd sie für alle andere ein Königin ihn Poln begert, erwelt vnd furgenommen ist worden, hat sie sich ihn kheinen weg des hochen Königlichen standts vnd heurats vbernomen, iha ist zu solchem vast ansechlichen heurat mit betrüebtem Hertz vnd weineten Augen von Wien ausgezogen, dieweil sie nit ihrem eigenen, sondern allein ihres lieben hochgemelten hern Vatters vnd Kayssers ernstlichen willen vnd rath zufolgen gentzlich entschlossen gewesen. So ist auch menigclich wol bewisst, wie diser frommen Königin ihn ihrem obgemelten heuraten nit weniger wasser dann wein sey eingeschenckhet worden, iha das sie allerley schwere Anfechtung, widerwertigkheit, creutz vnd leiden darbey heufflich eingenomen, vnd dannoch bey solchem seltzamen vngewitter vnd gewaltigen Sturmwinten sich vast gedultigclich vnd beschaidenlich gehalten dermassen das der ihn dergleichen gedult, messigkheit vnd standthafftigs gemüet wenig Adels Personen, ich geschweige von Königlichen vnd Kayserlichen stammen yetzunder gefunden werden. Jch künnte auch sagen von ihrer angeborner Königlicher sonderlicher güette, gnad vnd barmhertzigkheit gegen den lieben Armen, denen sie von hertzen geneigt, getreue vnd milt allenthalben gewesen, Jch vnterlaß auch wie sie bey weltlicher freudenzier, bracht vnd frolockhen nit stoltz vnd hoffertig, sondern sich gern eingezogen, gemeß vnd demüettig erzeigt vnd gehalten hat, Will auch nit melden, wie sie auß Göttlichem eyfer mit der Kirchen Zier gern umbgangen, die Tempel Gottes mit ihrem uncosten vnd geschenckh reichlich geehret vnd an vilen örtern zu dem Gottes dienst mit Altar Zier vnd dergleichen vil hat ordnen vnd machen lassen.

Das alles aber laß ich yetzunder fallen, vnd eyle nur zu ihrem vast loblichen vnd Gottseligen endt, so an einem yegclichen Christen am maisten zu bedenckhen, zu loben vnd zu riemen ist, quia finis coronat [a], Nit wol anfangen, sondern wol vnd Christenlich vollenden, das beweiset einem recht Christgelaubigen, gibt ihm auch das furnembste lob vnd die pesste Chron, Nach dem nun vnsere hochberiembte vnd Durchleuchtigiste Königin auß Poln ihn Osterreich ankhomen, vnd ein Zeit lang zu Lintz ihr Hofhaltung riemblich gehalten, ist sie von schwerer, tödtlicher Kranckheit angestossen, vnd ye lenger, ye schwecher worden, Dieweil sie aber nach ihrem hochen verstandt wol gemerckht, es wurde ihr Bilgerfart hie auff Erden nit lang

a) *Supplendum esse videtur* opus.

---

[1] Elisabetha, Anna, Maria, Magdalena, Eleonora, Margarita, Barbara, Helena, Ioanna; cf. *Rapp* l. c. 16—18.

weren künnen, vnd Gott der allmechtig sie als sein geliebte Tochter zu einem Pessern leben furdern wolte, siche da hat sie nichts weltlichs mehr angesechen, sondern bey Zeiten sich entschlossen, wie sie ihr Christliche Seel zu einem recht Gottseligen hinziechen schickhen vnd beraiten möchte, Derhalben sie mit guetem verstandt ihr Testament gemacht vnd beschlossen, ihr Hofgesindt gnedigclich bedacht vnd versorget, ihren Gelauben offentlich mit hertz, mundt[a] vnd werck bekhennt, Wie auch ihn ihrem letsten Testament austruckhlich angezaigt, das sie ihn kheinem andern, dann allein ihn dem waren, Christlichen vnd Catholischen Gelauben, Auch ihn einigkheit, gehorsam vnd gemainschafft der Heiligen, Apostolischen Römischen Kirchen, darinn sie geborn vnd aufferzogen, entschlossen sey entlich zu leben vnd zu sterben, Darauff sie dann die hochwirdige Sacrament mit andacht entpfangen, auch die letste heilige Ölung, nach sant Jacobs Apostolischer vermanung[1] vom Priester begert vnd genommen, vnt entlich ein Crucifix angegriffen, gekhusset vnd geehret, Darbey sie weitter ein dapffere Trostred vor menigclichen gesprochen, vnd dermassen die gegenwertigen beweget hat, das sie sich alle von weinen nit enthalten kunten, iha auch frey bekhenneten, das sie gleich mit der Gottseligen Königin auß disem Jamerthal gern schaiden vnd zu dem ewigen Vatterlandt willigclich raisen wolten, Hat noch zu dem allen etliche beywesente Personen von wegen ihres schwachen Gelaubens angesprochen vnd vermanet, Auch ihnen allen ein crefftigs Warzeichen geben vnd gelassen, das sie auff dem Erdboden nichts mer gesucht vnd begert habe, dann mit Christo ihrem geliebsten Herrn vnd Heilandt hie vnd dort ewigclich sich zuuerainigen.“ [2]

1106. 8. Iuni, 20. Iulii, 10. Augusti 1572.

Ex commentariis scriptis, ut supra p. 605. Can. 51 f. 163[b] 193[a] 208[a].

Canisius Oeniponte e suggestu fideles hortatur, ut sacramentum pie comitentur ad aegrotos. Paulo post archiducis ea de re mandatum promulgat.

Canisius, Oeniponte apud Ferdinandum II. archiducem contionatoris officio fungens, 8. Iunii 1572, quae erat Dominica intra octavam Corporis Christi, in templo Sanctae Crucis sic auditores monuit: Vnum solum addam, quod vellem vobis esse commendatum fideliter, quia pertinet ad honorem illius sacramentj promouendum, et haud dubie esset opus bonum, Deo gratum et sanctum, sj meum consilium sequj velletis. Scitis quomodo in alijs locis venerabile sacramentum pulchre et honeste deportatur ad infirmos, quod quidam praecedant, quidam sequantur, deducentes non modo sacerdotem, sed Christum ipsum dominum[b] et benedictionem accipiunt cum reuerentia. Scitis etiam quid hoc loco fieri soleat, et quam male habeat, quando sacerdos[c] solus vadat cum sacramento, vt vix sit tutus a canibus, nec sine periculo vadat circa noctem et prope ebriosos et furiosos. Hinc sequitur vt multj etiam se valde irreuerenter habeant erga sacramentum, nec vllum exhibeant honorem siue Christo vel sacerdoti[d] uix audent

a) *Duo vv. sqq. ipsius Can. manu supra versum scripta sunt.* b) *Quinque vv. sqq. a Canisio ipso in margine addita sunt.* c) *Sequitur* quasj, *oblitt.* d) *Quattuor vv. sqq. a Can. in margine scripta sunt.*

[1] Cf. Iac 5, 14 15.

[2] *Franciscus comes de Monteagudo*, Philippi II. apud Maximilianum II. caesarem orator, Vindobona 5. Aprilis 1572 Philippo de Catharina scripsit: „Acabó cristianamente, porque confesó, comulgó y hizo testamento, y duróle el entendimiento hasta que espiró“: Marqués de la *Fuensanta del Valle*, Colección de Documentos inéditos para la Historia de España CX, Madrid 1894, 419.

attingere pileum. 2. Jmo vero vt garriant[a] et rideant. 3. Hinc scandalizatur iuuentus et discit talem leuitatem excercere. 4. Exteri mirantur merito in talj oppido non aliter promouerj cultum diuinum[b], da man sicht vnd hat solche Furstliche residentz vnd Hofhaltung auch die löbliche Regierung[c], auch der Statt Hern vnd burger[d], vbj[e] punirj deberent qui in[f] summam maiestatem peccant, vbj est principate oppidum totius comitatus. Tot sunt Aulicj Principis, tot in Regimine, tot in oppido Dominj et seruj, et ex omnibus non potest inuenirj, qui veniat ipse, vel mittat aliquem ad sacramentum deducendum[g]. Non optant Christo tantum honoris sicut uellent sibi fieri. Meo quidem iudicio posset inueniri modus et ordo, vt hoc tempore periculoso aliquid nouj constitueretur, et hoc scandalum euitaretur. Non esset peccatum etiamsj fieret contributio vel collecta in talem effectum. 2. Esset signum et testimonium verae fidej, sj qui irent vel mitterent suos seruos ad comitandum sacramentum. 3. Christus non sineret irremuneratum, quod publice coram hominibus confiterentur Dominum[1]. 4. Multis esset occasio hoc sacramentum magis honorandj. 5. Opus esset verae charitatis aegrotos inuisere et sacerdotem ducere et reducere. Spero quod erunt aliqui de hac re sollicitj, vt hoc salutare opus initium bonum accipiat: si possem et ego adiuuare, ex animo facerem lubens.

Haec Canisii admonitio nequaquam inutilis fuit. Iam enim 20. Iulii 1572 (quae erat Dominica VIII. post Pentecosten) ille ad populum dicere potuit „de mandato Principis[2] ad Sacramentum reuerenter deferendum infirmis". Eucharistiae praestantia declarata, et exemplis eorum, qui Christum „in mortali corpore adorarint", ex sacra Scriptura prolatis deplorat, quod multi paruum vel nullum honorem Christo in eucharistia exhibeant. De quo abusu timorati quidam saepe questi sunt, et desiderarunt inueniri modum aliquem, ut hoc in oppido diuinus cultus circa hoc sacramentum non ita negligenter et contemptibiliter obseruaretur. Nunc autem Deo gratia, mandatum quoddam est factum a magistratu, quod ego de uerbo ad uerbum legam, ut omnes sciant quo modo in posterum circa hoc sacramentum [se] debeant exhibere. Sapientes et intelligentes omnes debent fateri nihil hic contineri scripturae contrarium uel reprehendendum. *Et lecto mandato:* Firmiter credo nullum hic esse tam indiscretum et imperitum qui[h] hoc modo lectum mandatum non aestimaret bene vtiliter et salubriter factum et publicatum esse. Causae ipsae ob quas emittitur mandatum clare sunt expressae et bene deductae[i]. *Deinde has causas et mandati fructus*

a) *Duo vv. sqq. in margine addita sunt.* b) *Sequitur* vbi*; quod delendum fuisse patet ex vv. sqq.; quae, usque ad* burger *incl., ab Arn. in margine addita sunt.* c) *Sequitur* und, *oblitt.* d) *Sequuntur vv.* est residentia Principis, vbj adest regimen*; quae oblitteranda fuisse patet.* e) *Sequuntur vv.* multj punien *[?], oblitt.* f) *Hoc v. supra versum scriptum est.* g) *Sententia sequens a Can. ipso in margine scripta est.* h) *Sequitur* aliquem, *oblitt.* i) *Can. haec omnia, incipiendo ab inscriptione* de mandato Principis *etc., sua manu scripsit.*

[1] Mt 10, 32. Lc 12, 8. [2] Ferdinandi II. archiducis.

explicat, et orationem his verbis terminat: Rogo igitur et moneo omnes, vt posthac sibj commendatum habeant, et post auditum pulsum libenter veniant, vel suos saltem mittant, nec Christo negent honorem debitum, et praecipue vt vbique Christum honorent[a] non[b] vno genu, sicut Judaej, sed vtroque vt Christianj.

Neque tamen haec ilico sunt diligenter observata; itaque 10. Augusti 1572 Canisius e sacro suggestu templi S. Crucis Oenipontanos monuit: Docet[c] experientia, proh dolor, quod tali dicto mandato parum satisfit, et quod hactenus neque ob amorem Dei neque ex timore superiorum nouus conceptus ordo seruatur. . . . Propterea uos omnes et singulos moneo et quoad possum propter Christum Jesum rogo, ut posthac sitis in hac parte paratiores et obedientiores, neque se ullus excuset. . . . Si quis non fecerit, et fuerit punitus, is meminerit, quod sit praemonitus fideliter a me, et quod magistratus faciet in ea parte offitium suum, ut transgressores facti mandati iure castigentur. Si est defectus ex parte campanae, facile intelligetis posthac quando signum dabitur in hoc templo, ut in tempore conueniatis. . . . Sciant omnes quod mens et uoluntas Principis [est,] ut huic mandato stricte pareatur.

At circa m. Novembrem denuo mandatum idem Oenipontanis a Canisio in memoriam revocari necesse fuit. „Mirum", inquit ille, „et dolendum tum paucos reperiri obedientes dicto mandato iam saepe confirmato, multos uero nihil omnino curantes, ut neque per se, neque per suos reuerentiam ullam exhibeant sacramento cum exportatur" (Can. 34 f. 18[b]).

Anno proximo ea de re mandatum novum idque amplius in lucem emissum est; die enim 5. Martii a. 1573 Ferdinandus mandavit, ut ubique quadrante, antequam sacramentum ad aegrotum aliquem perferendum esset, populus campanae pulsatione ea de re certior redderetur, et ut ex singulis domibus unus saltem vel una sacramentum comitaretur; item, ut quicunque in via sacramento obviam facti essent, debitam „reverentiam" ei exhiberent; de urbe autem oenipontana praeterea praecipiebatur, ut qui in principis valetudinario alerentur, sacramentum comitarentur, et ut semper ex „scholaribus pauperibus" duo sacerdoti vexilla parva praeferrent (*Hirn* l. c. I 180).

1107. 29. Iunii 1572.

Ex commentario scripto, ut supra p. 605. Can. 51 f. 325[a].

Canisius Oeniponte, cur multi ecclesiae romanae adversentur, e suggestu exponit.

Canisius in contione Oeniponte in templo S. Crucis anno 1572 die SS. Petri et Pauli apostolorum sive 29. Iunii ad Ferdinandi II. archiducis aulicos habita haec, praeter alia, eos monuit: Cur hodie multi non fauent sed aduersantur Ecclesiae Romanae. 1. Quia sunt male persuasj ab hostibus Ecclesiae, quod sit Romana Ecclesia Antichristiana et[d] credunt horrendis mendacijs et figmentis, quae scribuntur et sparguntur contra Pontificem, cardinales, Cortisanos et alios Romae habitantes, et sic auertunt etiam bonos ab hac Ecclesia, quasj nusquam magis ac grauius peccetur quam Romae et in Romana Ecclesia. 2. Non distinguunt inter personam Pontificis et potestatem, sed putant propterea minorem esse[e] Pontificem in potestate et

a) *Sequitur* si, *oblitt.* b) *Sequitur* sicut, *oblitt.* c) *Haec vv. et omnia, quae sequuntur, ipsius Can. manu scripta sunt.* d) *Sequuntur vv.* affingunt de illa horrenda mendacia, *oblitterata.* e) *Sic correctum est ex* posse.

authoritate, quia non est aeque sanctus et perfectus, sicut Petrus et Paulus, cum tamen Christus aeque nos baptizet, absoluat, iustificet et sanet per malos, sicut per bonos ministros. 3. Male in fide fundatj facile credunt maleficis[a] [?] repraehensoribus Ecclesiae Romanae, Sunt autem semper plures[b] cupientes audire mala quam bona de proximis et maxime de superioribus. Quod ad hostes fidej catholicae attinet non possunt non odisse Romanam Eccles. cum videant et sciant se ab illa condemnarj, Nonne puerj odere virgas, non amant canes baculos, quibus caeduntur, et lupj non libenter vident canes a quibus coercentur.

1108. Aestate a. 1572.

Canisii Catechismus trilinguis Pragae editus, in tota Bohemia usurpandus.

In *„*Diario* collegii" pragensis S. J. ab a. 1560 ad 1575 et ab a. 1580 ad 1583 perducto, quod nunc Pragae in bibliotheca canoniae strahoviensis (Strahow) ordinis Praemonstratensis asservatur (sign. „D. C. III. 20), de nova editione „Parvi Catechismi Catholicorum" canisiani, primum a. 1559 Pragae bohemice excusi (*Can.* II 892), haec narrantur (f. 162[b]) in m. Septembrem a. 1572: Cum ab Antonio Brus de Muglitz archiepiscopo pragensi P. Laurentius Magius S. J. provincialis Austriae et P. Henricus Blyssemius rector collegii pragensis Pragae ad mensam vocati essent, a Magio „oblatus est catechismus paruus trilinguis Reverendissimo auratus ac eleganter compactus, quem nostri pro usu scholarum nostrarum imprimendum Pragae curarant, isque illi acceptus adeo et gratus fuit, ut se curaturum receperit[c], ut per omnes scholas regni huius catholicas uel, si fieri posset, etiam Husiticas pueris et ludimagistris tradatur ediscendus; est enim mire breuis, simul Latine, Bohemice atque Germanice conscriptus" (ex apographo, a. 1913 a R. P. *Aloysio Kröss* S. J. mecum communicato: qui hoc Diarii loco usus est in „Geschichte der böhmischen Provinz der Gesellschaft Jesu" I, Wien 1910, 171).

In *Codice „Fundatio Collegij Pragensis ad S. Clementem et Synopsis Historiae ejusdem Collegij Romam allata an. 1696" haec leguntur (p. 48): Pragae „recusus Catechismus [Canisii] Anno 1572 linguis tribus, et Archiepiscopo dedicatus". Eadem fere scripsit *Schmidl* l. c. I 316. Item ea de re scripsit *Ios. Jungmann*, Historie literatury české. Druhé wydání (w Praze 1849) IV, n. 1268. Catechismus breviter commemoratur a *Sommervogel* l. c. II 655.

1109. 13. Iulii 1572.

Ex contionis scripto, ut supra p. 605. Can. 51 f. 179[a]—186[b]

Canisius Oeniponte in templo S. Crucis auditorum animos ad novam indulgentiam iubilaei pie percipiendam sollerter praeparat.

Canisius Oeniponte apud Ferdinandum II. archiducem Tirolisque principem officio contionatoris aulici fungens 13. Iulii 1572, quae erat Dominica VII. post Pentecosten, in templo S. Crucis, evangelio diei breviter explicato, cum auditoribus bullam iubilaei a Gregorio XIII. novo pontifice, causa sive occasione, puto, ex ipsius electione accepta, fidelibus concessi (quae bulla in Bullariis Romanis non exstat) communicavit: „Nos Christiani in haec miseranda tempora incidimus[d] in quibus multis est libido et gaudium contendere et de rebus fidej disputare, et ea quae soepe non intelligunt contemnere. Sicut et Pharisaei faciebant Euangelium primo audientes, irridentes Christum et sermones eius[e]. Scilicet non sunt meliores serui domino suo[1], debent etiam pati die vnfreundliche auditores, qui illis mala pro bonis retribuant[2], uerba ipsorum interuertant, saepe contemnant, cum dicitur quod nouus mundus aegre acceptat. Si praedicatur de misericordia Dei, meritis Christi, promissionib. Euangelij,

a) *Sic; corrigendumne* maledicis? b) *Sequitur* imperfecti, *oblitt.* c) *Correxi ex* recepit, *quod est in Diario.* d) *Quae sequuntur, usque ad* Luc. 16 *incl., in margine scripta sunt.* e) *Sequuntur vv.:* Sic et hodie ministrj Christj debent esse patientes et expectare iudicium et contemptum nouj mundj, et quasj, *oblitterata. Quae sequuntur, usque ad* Luc. 16 *incl., ab ipso Canisio scripta sunt.*

[1] Cf. Mt 10, 24; Io 13, 16; 15, 20. [2] Ps 37, 21.

de iustitia fidei, sunt illis suckerpredig. Si uero dicitur de papa, de Ecclesia, de Indulgentijs, de excommunicatione, libertate[a] [?] clericorum, hoc illis amarum sicut solet acetum, offendunt se sicut Capharnaitae Io 6 [1], et irrident sicut Pharisaei Luc 16 [b] [2]. Haec dico propterea, quod admonitos volo omnes auditores et rogatos per nomen Christj, ne sint faciles ad iudicandum et condemnandum ea quae dicentur de nostro praesente Pontifice vnd seinen Apostolischen mandat briefen[c], sed vt patientes[d] audiatis et sedulo corde percipiatis, quod ego ex mandato superiorum[e] spiritualium et secularium vobis habeo denunciare, quodque nullj potest adferre damnum, sed magnam praestare[f] vtilitatem[g] nobis et toti Christianitati.. Quae ergo summa illorum, quae sunt denuncianda, et quae a nobis requiruntur? Vt[h] ab omnibus et singulis per totum orbem impetretur[i] gratia summo pastorj. 2. Christianis Principibus. 3. Ecclesiae Catholicae[k], Pastorj quidem idcirco, vt ad Dej honorem possit suo munerj recens suscepto satisfacere, Principibus vero ut[l] contra Turcas susceptum foedus ac bellum promouere[m] possint[3], Ecclesiae autem vt ab hostibus suis, praesertim sectarijs, liberetur; et[n] illj vt conuertantur ad fidei vnitatem, vel in suis malis conatibus impediantur. Quid praeterea est denunciandum et sciendum? Vt communis et deuota fiat oratio populj Christianj[o]. 2. Vt[p] omnes et singulj Christj fideles.[q] considerent[r], ponderent et confiteantur sua peccata cum corde humilj et contrito. 3. Vt trium dierum ieiunium in signum verae poenitentiae assumant. 4. Vt orationem et ieiunium ornent et sanctificent eleemosina. 5. Vt post talem praeparationem Dominica sequente deuote accipiant sacramentum. Haec autem omnia fierj debent intra 14. dies id est hac vel sequentj septimana.

Ex verbis, quibus Canisius ad hanc iubilaei denuntiationem auditorum animos praeparat et apud eos quasi se excusat et purgat, facile intellegitur, quam non grata ipsis etiam catholicis eiusmodi iubilaea fuerint. Lutheri et similium adversus indulgentias declamationes id magnam certe partem effecerant; accedebant alia, velut iubilaeorum frequentia; de qua re plura dicta sunt supra p. 23—24.

1110. Sub autumnum a. 1572.

Canisio auctore Vegae liber de iustificatione Coloniae editur.

Gervino Calenio, typographo et librorum editori coloniensi (de quo *Can.* VI 72), Canisius, ut ipse ait (v. supra p. 82), „auctor fuit", ut Andreae Vegae O. Fr. Min. insigne opus de iustificatione, „in Italia primum a Typographis male tractatum", opera Bartholomaei Laurens

a) *Sic corrigendum esse opinor ex* libertatione, *quod scripsit Can.* b) *Sic a Can. immutatum est hoc exordium; quod primum sic erat conscriptum:* Nos Christianj in haec miseranda tempora incidimus, proh dolor, quod etiam probi coram mundo scelerato sibj quasi timere et erubescere habent, quando volunt suos proximos ad catholicam viam et regulam admonere et dirigere. Praedicatores autem opus haberent semper in armis stare, et cum solicitudine circumspicere quando aliquid volunt proponere, quod nouo mundo contrarium et odiosum, et ridiculum videtur. Vnde fit vt multj Praedicatores non ausint attingere aliquid de Papa, indulgentijs, excommunicatione; sed praedicant talia, quae hoc tempore gratiora sunt auditoribus, haerendo circa textum Euangelij et cogitant, Populus tam est mirabilis et curiosus, melius est non attingere vulnera quam vt infirmj deteriores fiant. c) *Ita Can. correxit ex* Ablass briefen. *In commentario haec sequuntur:* et quod debeamus ad Jndulgentias nos disponere et praeparare. Nam reuera habet haec res in se plura et maiorem fructum praebet quam nouus mundus et multj simplices credunt, sicut sequentj die Mercurij in Parochia declarabo. 2. Quia officium meum requirit, vt non erubescam Euangelium, sed vt libere profitear, et proponam Christianam veritatem et defendam catholicam doctrinam, Jterum peto. *Can. haec omnia postea oblitteravit et v.* sed *ascripsit.* d) *Sequitur* audiamus, *oblitt.* e) *Sequitur* Ecclesiasti, *oblitt.* f) *Sic Can. correxit ex* adferre. g) *Quattuor vv. sqq. a C. ipso ascripta sunt.* h) *Sequuntur vv.* fiat communis oratio ad Deum, *oblitt.* i) *Ita C. corr. ex* orbem pro impetranda. k) *Sequitur* Pontif, *oblitt.* l) *Hoc v. supra versum scriptum est.* m) *Sequitur* posset, *oblitt.* n) *Sequuntur vv.* ab illorum cona, *oblitt.* o) *Sic C. correxit ex* Vt communis talis oratio populj Christianj sit efficax et habeat optatum exitum, requiritur ab omnibus et singulis. p) 2. Vt *correctum est ex* monentur. q) *Sequitur* vt, *oblitt.* r) *Sequuntur vv.* sua peccata, *oblitt.*

[1] Cf. Io 6, 41 42 60—67. [2] Cf. Lc 16, 14. [3] Cf. supra p. 6 13 97.

sive Poin „rei suae typographicae procuratoris" eleganter ederet (v. supra p. 82). Quod post m. Iulium a. 1572 (ante librorum nundinas, puto, quae Francofurti ad Moenum m. Septembri habebantur; v. *Can.* VI 376[a]) in lucem prodiit sic inscriptum:

„DE IVSTIFI- | CATIONE DOCTRINA VNIVERSA, LIBRIS XV. ABSOLVTE TRADITA, *&* contra omnes omnium errores, iuxta germanam sententiam Orthodoxæ veritatis, *&* sacri Con- cilij TRIDENTINI, praeclarè defensa. | AVTHORE R. P. ET PRAESTANTI THEOLOGO ANDREA VEGA HISPANO, | MAGISTRO SALMANTICENSI. | *Quæ praecipua huius sint Operis Capita, & quàm varij in eo confutentur errores,* | *& quæ porrò eiusdem Argumenti, eodem Authore, adiecta sint, versa mox* | *pagina cognoscet Lector, magnumq; Thesaurum, in Germania nunquàm anteà editum, hic à nobis offerri Lectio ipsa docebit.* | Cum INDICE triplici, videlicet, Errorum qui hic confutantur, Locorum sacræ Scriptu- | ræ explicatorum, Rerumq; & Verborum memorabilium, copiosissimo. | COLONIAE, Apud Geruinum Calenium & Hæredes Quentelios, anno CHRISTI nati M. D. LXXII. | *CVM Gratia & Priuilegio Cæsareæ MAIESTAT. in Decennium* "

2°; pp. 867; praeterea in initio ff. non sign. (addito tit.) 28; 8 ff., quae titulare proxime sequuntur, habent Canisii litteras dedicatorias Oeniponte Kalendis Augustis 1572 ad Ernestum Bavariae principem et episcopatus frisingensis administratorem datas, quas posui supra p. 62—84; sequuntur indices et errata; p. 1—3 Vegae epistula dedicatoria partis prioris huius operis (v. supra p. 83) ad Petrum cardinalem Pacaecum, data Venetiis 1. Octobris 1548; p. 4 praefatio ad lectorem; p. 721 incipit pars posterior; in cuius initio est epistula dedicatoria Vegae ad eundem Pacaecum Tridento 1. Novembris 1546 data.

Henricus Sedulius (de Vroom) O. Fr. Min., clivensis (Cleve), insignis pietatis et eruditionis vir, qui a. 1578—1580 Oeniponte in monasterio S. Crucis theologiam docuit et deinde provinciae tirolensis Franciscanorum de Observantia primus minister provincialis fuit, haec scripsit: „Vir magnus Petrus Canisius, Societatis Iesu, . . . bonam operam praestitit, vt Vega noster correctior, tutiorque in nomine Principis magni appareret": Historia Seraphica Vitae Beatissimi P. Francisci Assisiatis, Antverpiae 1613, 113.

Librum vidi Romae in bibliotheca casanatensi et Wittemi (Wittem in Hollandia) in bibliotheca collegii Congregationis SS. Redemptoris; idem exstat Luxemburgi in bibliotheca publica (n. 2154, 2°). Libri mentionem fecit *Sommervogel*, Bibl. II 675.

1111. 28. Septembris 1572.

Ex contionis commentario manu ignota scripto et a Canisio recognito. Can. 51 f. 360[b].

Canisius Oeniponte adversus fenerationem dicens aliquot recenset rationes, quibus quis absque culpa aliquid ultra sortem accipere possit.

Canisius in oratione sacra Oeniponte in templo S. Crucis Dominica XVIII. post Pentecosten, quae erat d. 28. Septembris 1572, habita, cum feneratores vehementer reprehendisset, haec addidit: Quid consulendum hoc tempore timoratis. Die Reiche Jm fall das sy nit ehewigen Grundt Zinss finden, das sy ein solche verzinsung kauffen das Sy dem verkauffer die ablesung freilasset secundum ordinem imperij et iuxta morem aliarum regionum.

2 das der gemain mann nit ein lieb vnd lust habe zum Wucher Zinss im schmalz, traidt. etc. das Jhnen die Bauren von Jrem schwaiss zinssen solten, sonder das Sy verstendige Leut lassen den Zinss anschlagen.

3 die arme Leut wölche nit wissen Jre Hauptsumma zugebrauchen, das Sy Bitweiß handlen mit vermüglichen gewerblichen Personen, das Sy Jr Hauptguett aufnemen vnd nach Jrem willen brauchen wellen, vnd Inen vber die Hauptsumma geben nit auss creffen des leibs[a] [?] sonder auss guettem freien willen vnd auf die Form wie die verschreibung laut. Die Losskhündigung aber der Gültuerschreibung sollt altzeit bei dem verkhauffer stehn.

1112. 11. Decembris 1572.

Ex commentario (A) manu ignota (Canisio, ut videtur, dictante) scripto atque ab ipso Canisio emendato et amplificato, quod exstat in Can. 51 f. 357[b]—359[a]. Eiusdem orationis commentarium (B) idque eadem illa manu scriptum, quod et ipsum a Canisio recognitum est, exstat in Can. 22 f. 194[a]—196[b]; hoc tamen brevius et aliis quoque rationibus ab altero illo diversum atque ita compositum est, ut probabile sit, in eius locum alterum illud commentarium a Canisio substitutum esse; quare ex B praecipuae tantum lectiones variantes ponentur.

Canisius Oeniponte in pompa funebri Barbarae uxoris ducis ferrariensis orationem habet, in qua eius virtutes enarrat.

Canisius in pompa funebri, quam Ferdinandus II. archidux Oeniponte (in templo S. Crucis, ut videtur) 11. Decembris 1572 Barbarae sorori, Alphonsi II. Ferrariae ducis uxori, aliquanto ante („newlicher Zeit oder vor wenig Monaten") mortuae, faciebat, orationem habuit; in qua haec, praeter alia, de Barbara, quam et Oeniponte ad pietatem instituerat, et Ferrariae inviserat (Can. III 715; IV 582; VI 599), dixit: Wie hat sy Jren Jungkfrawenlichen standt so gar eingezogen gotts fortig vnnd vnsträflich alhie zu Ynsprugg, mit den[b] Durchleuchtigisten Jren lieben Frawen[c] mitschwestern[1] fur vnd fur gehalten, nit mit lusten vnd freuden[d], sonder mit vast bekomerten vnd betruebten Hertzen, vnd allain auß rath vnd beuelch Jres geliebtisten herrn vatters vnd[e] Khaysers Ferdinand hochleblichister gedechtnus hat sy sich zu den Furstlichen ehestandt bewilligt. Wie sy nu aber Jr furstlichen standt zu Ferrara gehalten, was leben vnd exempel sy bej 7 Jar menigclich erzaigt vnd gelassen hatt, das wirdt niemandt genuegsam antzaigen vnd loben khunden. Die gantze statt[f] ferrar, Ja das gantz Landt[g] beclagt sich nuch heytigs tag, das sy so bald ain solche Ertzogin verloren haben, wissen auch von Jrm thuen vnd lassen souil vnd große dingen zusagen, das man mir auch geschriben hatt, Es soll nun in villen Jarn khain Ertzogin gelebt haben, die mer von den vnderthonnen geliebt, geruembt vnd geheret[h] [?] sej worden[i]. . . . Sy pfleget 2 od 3 messen von tag zu tag mit grosser andacht zu hern[k] vnd ir ordenlichs gepeth fleißig auszurichten[l]. So ist es offenbar, das sy grosse[m] gunst vnd naigung allzeit gehabt vnd erzaigt gegen den lieben armen, auch sich derhalben vasst bemuhet, das[n] sy die werckhen der lieb vnd barmhertzigkhait haimlich vnd offentlich den notturfftigen zu laisten vnd zu beweisen[o]. Nach Jrn abschid ist das gmain schrey der armen erschollet vnd gehert allenthalben[p] la madre nostra e morta. . . . Will allain mit kurtze etwas melden von der letsten Zeit Jres

a) *Sic; sed corrigendum esse videtur* leibs *vel* leibens. b) *Ita in A correctum est ex* Jren. c) *Sequitur* vnd, *oblitt.* d) nit auss lust muetwill vnd frechait *B.* e) *Sequuntur vv.* Kay: Mt: hoch leblich, *oblitt.* f) *Sequitur* vnd, *oblitt.* g) *Sequuntur vv.* waiß auch biss auf den heuti, *oblitt.* h) *Corrigendum esse videtur:* geehret; *B habet* geprisen. i) das sy frey sagen vnd bezeugen, Sy haben ain solche frome gottselige vnd tugentreiche hertzogin vnd furstin nie gesechen vnd funden *B.* k) *Sex vv. sqq. in margine addita sunt.* l) *In B sequitur:* Hett ain gewonhait offt im Jar sich der heyligen Sacrament der beicht vnd Comunion zu gebrauchen. m) *Sequitur* naygung, *oblitt.* n) *Hoc v. oblitterandum fuisse videtur.* o) *In A sequitur* Man, *oblitt. B haec habet:* Derhalben sy auch ain solich gunst bej dem gemainen man erworben, das sy schier fur heylig von menigclich gehalten vnd geruembt ist worden. Jst nit zu sagen, was hertzlich mittleiden die gantze statt zu Ferrar gehabt in Jrer schweren kranchait, derhalben souil vngewendtliche gottselige werckh mit betten, vasten, beucht, buess allenthalben ist geschechen, also das man gelaubet, Gott hab so fromen hertzogin derhalben das leben ettliche monat verlengert, des grossen embsigen gemainen gebets halben. p) *Hoc v. supra versum scriptum est.*

[1] Vide supra p. 635[1].

lebens, souil mir bewisst auß etlichen glaubirdigen schrifften, so mir von Ferrara seint zuekhomen. Bej funff [monat][a] hat dise offtgemelte selige hertzogin gar große schwere geferliche vnd schmertzliche kranchait vberstanden vnnd eingenomen, wie woll sy auch sonst von natur nit vasst gesundt vnd starckh gewesen, vnd darumb ir lebenlang vill[b] grossen schmerzen an Jrn schwachen zarten[c] leib[d] — entfunden, welliche nun bej Jr letsten kranchait sich haben finden lassen, die betzeugen, wie auch die artzet das Jre[e] dapferkhait vnd gedult sej wunderbarlich groß[f] gewesen in dem hefftigisten schmertzen vnd das sy wider alle forcht des todts ritterlichen gestritten hatt, Ja das sy etwan die andern hatt frey angesprochen vnd getressten, welche auß hertzlichen mitleiden bej Jrem pet waineten vnd clageten. Da khundt sy[g] all andere zeitliche ding vnd sorg auß dem hertzen schlagen, wolt von geystlichen sachen horn vnd reden, vnd ließ Jr furlesen auß dem buech, so das haisset kundtst zu sterben[1], Der beuchtuatter muesst auch zu ir khomen, damit er sy von Gott ermainete vnd die[h] hochwirdige Sacrament daraichete, hett Christliche gewanhait offt zu beuchten vnd zu comunicieren, insonderhait aber in Jrer letste kranchait · am dritten tag vor Jrer absterben, dorfft sy frey sagen im bej sein der hertzogin von Mantua Jr liebe frawen schwester[i] [2]. was ist, das Jr fur disem leib solche sorg habet vnd trawet. Jr gedenckhet aber wenig mainer seelen nach, so will ich dan selbs fur mich sorgen, vnd[k] meine seel zu der letsten stündlen beraitten, hatt also widerumben mit andacht gebeuchtet vnd mit dem hochwirdigen sacrament sich versechen lassen, auch dem beuchtuatter gebetten, Er wolt von Jr nit weichen, damit sy in dem letsten kampf mechte ritterlich vnd Christenlichen besteen, vnd biß zum deme enndt vmb Christi willen leiden vnd alle anfechtung[l] vberwinden.

1113. 1572. 1573.

J. G. Th. Graesse haec habet in suo „Trésor de Livres rares et précieux“ (III, Dresde 1862, 374): „Hortulus animae suavissimis floribus refertus. Diling. 1573 in —16. Av. beaucoup de fig. en bois. Il y en a une trad. allemande publ. ib. s. d. (1569) et 1572 · 6 part. en un vol. in —16. Av. les mêmes fig.“ Haec aliqua ratione confirmari possunt ex „Hortulo animae suavissimis floribus referto“ et Canisii „Parvum Catechismum“ (praeter multa alia) complectenti, quem Dilingae a. 1575 editum esse constat; in hoc enim libro tabula festorum mobilium ab a. 1571 incipit; quare haec ex huius operis editione priore exscripta esse videtur. Hae igitur fuerint „Hortuli“ a. 1563 Dilingae Canisii opera germanice et latine editi (*Can.* IV 991—995) editiones novae; ceterum v. infra, monum. 1158 1177.

1114. 1572 et 1573.

Ex Codicibus „Raittung De Anno 1572“ f. 292[b] et „Ambts Raittung“ a. 1573 f. 337; qui codices sunt Oeniponte in archivo praefecturae.

Camera tirolensis scriptori Canisii stipendium solvit.

„Michael Linggahöl“ Ferdinandi II. archiducis consiliarius et camerae tirolensis magister („Kammermeister“) de scriptore quem Ferdinandus Canisio concesserat, camera tirolensi stipendium solvere iussa (v. *Can.* VI 625), notavit in codice dati et accepti a. 1572: „Balthasari Arnoldt“ 29. Martii, 20. Iunii, 10. Septembris 1572

a) *Hoc v. supplevi ex B.* b) *Ita corr. est ex* mit villen. c) *Hoc v. ipsius Can. manu additum est.* d) *Sequitur v. obscure scriptum.* e) *Sequuntur vv.* seltzame starckhmuetigkhait, *oblitt.* f) *Hoc v. a C. supra versum scriptum est.* g) *Sequitur* die, *oblitt.* h) *Ita corr. est ex* mit dem. i) *Ita C. ipse correxit ex* liebe mitschwester. k) *Sequitur* mich, *oblitt.* l) *Ita corr. est ex* alles vbls,

[1] Iam inde ab artis typographicae initiis multi libri germanici typis exscripti sunt, quibus „ars moriendi“ tradebatur: Dominicus quoque cardinalis Capranica († 1458) „Speculum artis bene moriendi“ scripsit, quod etiam germanice editum est (*Franc. Falk,* Die deutschen Sterbebüchlein von der ältesten Zeit des Buchdrucks bis zum Jahre 1520, Köln 1890, 1—62, 82—83).

[2] Eleonora, Guilielmo duci mantuano a. 1561 matrimonio iuncta (*Rapp* l. c. 17).

vicenos florenos datos esse. Et in codice anni 1573 (nomine Balthasaris iam non posito): Se dedisse Canisio 10. Martii „an seines zuegeordneten Schreiberss Sold vnnd Diennstgelt“ 20 florenos, et 14. Aprilis „zu völliger betzallung seines gewesten vnnd zuegeordneten Schreibers Sold vnnd Diennstgelts, zu Hannden des Herrn Rechters“ (P. Wendelini Völck rectoris) 20 florenos, et 14. Octobris pro stipendio „seines widerumben zuegeordneten Schreibers“ 20 florenos.

Ultima contio, quam Canisio dictante Balthasar Arnoldt scripsit, est contio diei 14. Septembris 1572 (Cod. „Can. 51“ f. 221ᵇ—225ᵇ); deinde Balthasar Romam in collegium germanicum abiit (v. supra p. 97). Ipse autem Canisius a. 1573 m. Martio (sub d. 10.) Romam discessit; unde exeunte m. Iulio Oenipontem rediit (v. supra p. 127). Arnoldt quoque (cuius nomen in collegii germanici catalogis non comparet) haud multo post Oenipontem redisse videtur; certe Canisius a. 1574 (a m. Aprili), 1575, 1576 eius opera in orationum sacrarum suarum commentariis scribendis saepe usus est.

1115. 1573.

Martyrologii germanici primum a. 1562 Canisii ope editi editio emendata.

Martyrologium germanicum, quod Adamus Walasser, Canisio plurimum iuvante et copiosum commentarium, quo catholica de Sanctis doctrina explicatur, addente, primum Dilingae a. 1562 ediderat (*Can.* III 791—797), ibidem a. 1573 iterum ab eodem editum est cum hoc titulo, a superioris editionis titulo paululum diverso: „Martyrologivm · | Der Kirchenkalender, | darinnen die Christlichen Feste vnnd | Hayligen Gottes bayder Testament begriffen, | wie dieselbigē durch das gantz Jar in der Christenheit, von | tag zů tag begangen werden. Auch mit verzaichnuß vnzal= | barer Hay· ligen, wie sie gelebt vnd gelidten, was sie ge· | than vnd gelassen haben, zů jhrem ewigen hayl, | vnd jhren Mitchristen zů einem leben= | digen Exempel. Alles auffs newest fleißig Corrigirt vnd gebessert, | zů sterckung aller recht Christglaubigen. | Mit des Ehrwürdigen vnd Hochgelerten Herrn | D. Petri Canisij Vorred vnd notwendiger Erklärung, | wie Gottes Heyligen mögen vnd sollen Christ· | lich gehret werden. | Sampt einem gemainen Christlichen Kalender, vnd zů end ange= | hencktem nutzlichem Register, an welchem blat ein | jeder Hailig zufinden sey. | Mit Röm. Kay. May. Freyheit. | Getruckt zů Dilingen, durch | Sebaldum Mayer. | 1573.“

Huius tituli versus 2, 3, 4, 13, 14, 15, 16, 21, 22 rubri sunt; 4°; ff. sign. 364; praeterea ff. non sign. in initio 24 (addito titulari) et in fine 22; titulum sequuntur Walasseri litterae dedicatoriae ad Georgium et Marcum Fuggeros a. 1562 datae (v. *Can.* III 791) et *Canisii* „Erklärung“ sive commentarius, quem modo dixi (12 ff.).

In „regulis“ Calendario et Martyrologio praepositis affirmatur: „DJses Martyrologium ist mit hülff vnnd rath gelehrter Leut durchauss gebessert vnnd gemehret, dass zuuerhoffen, es werde menigklich vil angenemer vnnd nutzlicher sein, dann zuuor.“

Quae a. 1562 in Canisii commentario dicta erant de Christo unico salutis auctore (*Can.* III. 793), a. 1573 aliquantum sunt amplificata: „Nach aller Catholischer Glaub vnnd bekanntnuß ist vnd bleibt Christus allein der Hayland, Helffer vnnd Gott, der aigens gewalts, aigner krafft vnd verdienste die sünden verzeihet, allen Geistlichen mangel vnd gebrechen wendet, die Leiblichen, Geistlichen vnd Ewigen güter schencket, vns rechtfertiget vnd selig macht. Die Heiligen aber bitten vnd erlangen vns, daß wir Gottes gnad vnnd Christi verdienste desto leichter empfahen, vnd jhrer zu wahrer gerechtigkeit vnd seligkeit hie vnd dort thailhafftig werden.“ Videtur igitur in hac quoque Martyrologii editione Canisii opera intercessisse.

Librum vidi Friburgi Helvetiorum in bibliotheca dioecesana. Idem exstat Hildesii (Hildesheim) in bibliotheca gymnasii episcopalis (H. H. VII 12), Guelpherbyti (Wolfenbüttel) in bibliotheca publica, Fuldae in bibliotheca seminarii, Monachii in bibliothecis nationali et academica; *Sommervogel* hanc editionem non posuit.

1116. 1573.

„EPISTOLÆ D. HIERONYMI | STRIDONENSIS, | in libros treis distributæ, & | nunc tandem pristinæ | suæ integritati restitutæ. | *De cuius operis noua ratione, ordine & vti- | litate singulari, ex sequentj* PETRI | CANISII *præfatione plenè intelliges.* | LOVANII, | *Apud Hieronymum Wellæum sub Diamante · 1573.*" Cum signo typographico, quod exhibet venatorem cum cane duos lepores insectantem et hac cinctum inscriptione: „Qui duos insectatur lepores neutrum capit". In extremo libro: „Lovanii, Typis Ioannis Masij Typ. Jurat. 1573".

16°; ff. sign. 309; non sign. in initio libri 12 (addito titulari) et in fine 3; f. A2ª—B4ª „Petri Canisii Theologi, ad florentis Academiae Dilinganae Rectorem, Professores et studiosos, Praefatio", data Augustae Vindelicorum a. 1565 (de qua vide *Can.* V 26—30); f. B 4ᵇ „Sententia D. Hieronymi. Quoties diem illum considero, toto corpore contremisco" etc.; f. H H 2ª—H H 4ª „Index Epistolarum". Ceterum de S. Hieronymi epistulis aliisque scriptis a Canisio in usum scholarum selectis v. *Can.* III 274—285 784; V 790—791.

Librum vidi Valkenburgi in bibliotheca collegii ignatiani S. J. (Ab I 8). Idem exstat Monachii in bibliotheca universitatis et Tubingae in bibliotheca contubernii guilielmiani (Wilhelmsstift). Editionem posuit *Sommervogel* l. c. II 670.

1117. 1573.

Anno 1573 Venetiis apud Christophorum Zanettum iterum in lucem prodiit editio „Sermonum et Homiliarum" S. Leonis Magni, quae, Canisio curante, primum in lucem emissa erat Coloniae a. 1546. Editio haec veneta descripta est in *Can.* I 222.

1118. 1573.

Canisii Summa latine editur Coloniae (et Leodii?); eadem latine excuditur Novariae.

1. „SVMMA | DOCTRI- | NAE CHRISTIANAE, | *PER QUAESTIONES CATECHI | sticas luculenter tradita, multis in lo- | cis locupletata, & postremò | recognita.* | *AVCTORE D. PETRO CANISIO Societatis IESV Theologo. COLONIAE.* | *Apud Maternum Cholinum* | *M. D. LXXIII.* Cum Priuilegio Cæs. Maiest." (Cum Cholini signo typographico.)

12°; ff. sign. 424; praeterea ff. non sign. in initio 12 (addito titulari) et in fine 9; f. A2ª—A5ᵇ Canisii litterae dedicatoriae ad Colonienses (cf. *Can.* V 159—163); f. A6ª—A11ª eiusdem litterae dedicatoriae ad Guilielmum Bavariae principem (cf. *Can.* VI 426—431); f. A12ᵇ signum Societatis Iesu (ex imagine ligno incisa); f. T 9ª—T 12ᵇ, „Index" sive conspectus rerum catechismi; f. V 1ª—V4ª „Authoris confessio" (v. *Can.* VI 745—746).

Librum vidi Herbipoli in bibliotheca FF. Minorum Conventualium et Friburgi Helvetiorum in bibliotheca FF. Minorum Capucinorum; qui etiam exstat Darmstadii (Darmstadt) in bibliotheca palatina et Fuldae in bibliotheca seminarii maioris. Eundem posuit *Sommervogel* l. c. II 624.

2. „Summam" cum eodem titulo Leodii typis Gualteri Morberii in 12° a. 1573 editam esse affirmant: *X. de Theux,* Bibliographie Liégeoise 1, Bruxelles 1867, 5; *August. de Backer* S. J., Bibliothèque des Écrivains de la Compagnie de Jésus I², Liège-Paris 1869, 1056; *Sommervogel* l. c. II 624; neque vero quisquam eorum videtur eam vidisse; et *Sommervogel,* ut ipse mihi scripsit, cum postea editionem leodiensem anni 1574 (de qua infra suo loco dicetur) invenisset, suspicari coepit, Summam a. 1573 Leodii editam non esse.

3. Anno 1573 Novariae Franciscus Sesallus „Summam" latine excudit, utendo editione aliqua huius libri, quae ante eius recognitionem a. 1566 a Canisio Coloniae absolutam (*Can.* V 159 803—804) facta erat; id intellegitur ex litteris dedicatoriis a Sesallo in „Summae" nova editione a. 1574 positis; v. infra, monum. 1156; iisdem autem litteris dubium efficitur, utrum opus anni 1573 in lucem emissum sit necne: saltem iam non videtur idem exstare. Cf. etiam *Can.* V 799.

1119. 1573.

Canisii Catechismus parvus iterum editur Monasterii Westphalorum.

„PARVVS | CATECHIS- | MVS CATHOLI- | *CORVM.* | Secunda editio, priori & emen- | *datior & locupletior.* | *MONASTERII, Theodorus Zuuiuelius excudebat. Anno* | *M.D.LXXIII.*" Cum signo typographico Zwivelii.

12°; ff. non sign. (addito titulari) 25 (quorum ultimum ex exemplo, quod vidi, exscissum est). In pagina altera folii titularis carmen illud „Ad pueros novi Coronarum Gymnasij": „Frustra Christicolae puer" etc.; f. A2[a] „Ad eosdem novi Coronorum Gymnasij pueros. Sedulo vos quidem . . . Coloniae VI. Calend. Decemb. M. D. LX"; vide *Can.* II 891. Sequitur Catechismus parvus Catholicorum conscriptus a Canisio; cuius tamen nomen nullibi in hac editione positum est. Est haec altera editio libri Monasterii Westphalorum anno 1563 ab eodem Zwivelio excusi; qui et ipse in folio titulari „Secunda editio, priori et emendatior et locupletior" vocatur; neque quicquam in editione anni 1573 immutatum esse videtur.

Editionis vidi exemplum, quod exstat Monasterii Westphalorum (Münster i. W.) in bibliotheca paulina (G [1] 1498). Editionem descripsit *W. E. Schwarz,* Die Akten der Visitation des Bistums Münster etc. (v. supra p. 609), CLVIII [4]. *Sommervogel* eam non posuit.

1120. 1573.

Canisii Precationes germanicae Dilingae quintum eduntur cum eius Catechismo minimo.

„Betbůch vnd | Catechismus. | Nach rechter Catholi= | scher form vnd weiß, jetzt | zum fünfften mal in Truck | außgangen. | Durch | Petrum Canisium der | H. | Schrifft Doctor ꝛc. letstlich | gemehrt vnd baß | gebessert. | Mit Röm. Kay. Mayest. Freyheit. | Getruckt zů Dilingen, durch | Sebaldum Mayer | 1573." Versus 1, 2, 8, 9 (praeter verbum „letstlich"), 13, 14 rubri sunt.

8° min.; ff. sign. 391; praeterea ff. non sign. in initio 46 (addito titulari) et in fine libri 9; f. A 11[a]: „D. Canisij Vorred. DJss Betbůch sampt dem Catechismo wirt jetzt zum fünfften mal getruckt, vnd das, wie ich vernimm, auff anhalten viler gůthertziger Menschen" etc. (cf. *Can.* IV 989): praefationi huic nec locus nec tempus ascripta sunt; sequitur Calendarium; f. C[a]—D 7[a] Catechismus Canisii minimus, cum fidei symbolis et sacrae Scripturae testimoniis; f. F VII[a] incipiunt precationes; in 9 foliis ultimis index sive conspectus rerum. Singulae tum catechismi tum libri precationum paginae figuris marginalibus cinctae sunt; in libro precationum multae imagines ligno incisae cernuntur. Cf. *Can.* VI 668.

Huius editionis vidi exemplum, quod est Maihingae (Maihingen) in bibliotheca principum de Oettingen-Wallerstein. Eadem exstat Tubingae in bibliotheca universitatis. *Sommervogel* hanc editionem non posuit.

1121. 1573.

Exstatne commentarius de religione catholica in Germania iuvanda et haereticis ad eam reducendis a Canisio a. 1573 scriptus?

Canisius, ut praecepto Polanci vicarii generalis S. J. 8. Ianuarii 1573 sibi misso satisfaceret, Oeniponte commentarium de ratione religionis catholicae in Germania

instaurandae et haereticorum ad eandem reducendorum composuit. Quem vix absolverat, cum sub 8. Februarii litteras accepit, quibus Gregorius XIII. eum iubebat ad principes Bavariae et Tirolis et archiepiscopum salisburgensem adire et, quid illi ad religionem iuvandam pontifici faciendum esse existimarent, Romae verbis ad se referre (v. supra p. 103 109). Profectus est Canisius ad principes; Romam deinde petiit, nec dubium est, quin Gregorio, quid vidisset et audivisset, coram idque diligenter et copiose significaverit; idem eum scripto quoque praestitisse constat (v. supra p. 113).

Quaeritur autem, num praeter hanc relationem priorem quoque illum commentarium Romae vel pontifici vel cardinalium congregationi germanicae (cf. supra p. 104) vel supremis Societatis moderatoribus tradiderit. Hoc certe scriptum Canisius dicere videtur, cum 8. Februarii 1573 Polanco scribit: „Properabo" ad principes; „postea de scripto rectius aliquid statuetur, si tamen illud erit necessarium."

Est adhuc penes Societatem (Germ. 184 f. 88^a—103^a; 105^a—120^b) exemplum idque duplex et illis ipsis annis scriptum commentarii amplioris, quo de rebus germanicis eae proferuntur sententiae et ea commendantur remedia, quae Canisii sensui aliunde cognito magnopere congruunt. Quare *Iosephus Boero*, Canisii biographus, cum exemplis illis auctoris nomen ascriptum non esse eaque iam olim penes Societatem fuisse intellexisset, commentarium a Canisio compositum et m. Iulio a. 1574 (non 1573) pontifici missum esse censuit (Can. p. 358; cf. p. 352—353). Deinde *Ioannes Janssen* iisdem usus est exemplis et varias commentarii partes cum Canisii nomine germanice edidit in „Geschichte des deutschen Volkes" V^{1-12}, Freiburg i. Br. 1886, 180—182. At postea clar. D. *W. E. Schwarz* in archivo vaticano duo eiusdem commentarii exempla invenit, quorum uni manu eiusdem temporis adnotatum vel potius inscriptum est, cardinalem Ottonem Truchsess (qui protector nationis germanicae apud apostolicam sedem et unus ex cardinalibus „congregationis germanicae" erat) commentarii huius esse auctorem (*Schwarz*, Gut. XXII—XXIII); atque id aliis quoque rationibus confirmatur; ita, ut reliquas omittam, in dorso alterius ex exemplis, quibus Boero usus est, manu cardinalis Truchsess (quam Boero non noverat) notatum est: „Sommario et tutta la scrittura Jnformatoria sopra il stato de Germania de presente".[1] Praeterea Schwarz ex quattuor illis exemplis inter se collatis hoc demonstravit: Truchsess commentarium scripsit primum quidem a. 1568, cum Romam ex Germania advenisset; deinde autem, cum Gregorius XIII. pro Pio V. regnare coepisset et intermortuam illam „congregationem germanicam" ad vitam revocasset, eum recognovit et nonnihil immutavit (l. c. XXII—XXV). De Canisio autem *Schwarz*: „Ob und in wieweit", inquit, „sich der Kardinal dabei der Hilfe jenes ihm eng befreundeten Ordensmannes bedient hat, ist eine offene Frage" (l. c. XXIII). Canisius certe a. 1568 cum Truchsessio Dilinga Romam venit (*Can.* VI 574—577); ubi ipse usque ad Decembrem a. 1568, Truchsess usque ad mortem manserunt[2]; annis deinde 1569—1573 illi litteras inter se dederunt; iterum Canisius Romam advenit circa 2. Aprilis 1573 (cf. infra monum. 1132); eo ipso autem die cardinalis, cum per aliquot menses stomacho laborasset, sacramentis ecclesiae munitus, vita cessit (ex *litteris archetypis ab *Henrico Khellner* Ottonis secretario aulico Roma 2. Aprilis 1573 ad eiusdem officiales dilinganos datis; quae sunt Augustae Vindelicorum in archivo curiae episcopalis, fasc. „Tod des Card. Otto). Valde dubium igitur est, num Canisius illis diebus Truchsessio adesse potuerit; neque id ullibi memoratum invenio. Nec tamen quicquam obstat, quominus cum *Francisco Xaverio Funk* de scriptione illa Truchsessii dicatur: „Derselbe mag sich dabei der Hilfe des ihm enge befreundeten Ordensmannes bedient haben" (Theologische Quartalschrift, 75. Jahrg., Tübingen 1893, 331).

---

[1] Truchsessium huius commentarii auctorem esse notavit clar. D. Dr. *Ludovicus de Pastor*, cum, Ioanne Janssen mortuo, editiones 13. et 14. voluminis V operis illius anno 1893 in lucem emitteret (l. c. V 189^3).

[2] Statuerat cardinalis Truchsess Augustam hoc ipso tempore redire (*Plac. Braun*, Geschichte der Bischöfe von Augsburg III, Augsburg 1814, 511).

Sodales quoque aliqui Societatis Iesu eo tempore eiusmodi commentarios conscripserunt. Ita P. *Ioannes Rethius*, coloniensis gymnasii Trium Coronarum regens, m. Aprili 1573 Romam ad Societatis congregationem generalem advectus, 1. Maii 1573 cardinalibus congregationis germanicae scriptum suum misit, his verbis pro exordio positis: „Audivi ex doctore Petro Canisio, velle sanctissimum dominum nostrum, ut scribam, qua ratione existimem iuvari posse Germaniam"; integrum Rethii scriptum editum est ab *Hansen*, Akten 644—647. Item exstat in archivo vaticano commentarius de eadem re Moguntiae 8. Februarii 1573 scriptus (editus a *Schwarz* l. c. 33—39); cui etsi nomen auctoris additum non est, certum tamen est, eum a P. Hermanno Thyraeo provinciae rhenanae S. J. praeposito esse compositum; nam praesto sunt ipsius litterae archetypae Moguntia 8. Februarii 1573 Romam ad Polancum vicarium generalem missae eaeque ipsius manu et subscriptae et Polanco inscriptae (Germ. 152 f. 314—316), quae cum commentario illo vaticano omnino conveniunt, paucis rebus exceptis; et hanc discrepantiam Polancus, non Thyraeus, effecit; ille enim, ut exemplum ponam, verba „in discipulis et convictoribus, quos habemus etiam a parentibus haereticis nobis transmissos" in ipsis litteris archetypis suo calamo sic immutavit: „in discipulis et convictoribus, Patres Jesuitae quos habent etiam a parentibus haereticis ipsis transmissos" (cf. *Schwarz* l. c. 38); item signa quaedam in archetypo posuit, quibus monebat, verba prima et ultima et alia quaedam in transcribendo (ne Societati odium concitaretur) omittenda esse; atque ita opusculum illud transcriptum et a Polanco cardinalibus traditum est.

In illo quoque archivi vaticani commentario, qui „Modus pro redimenda Germania" inscribitur (apud *Schwarz* l. c. 39—47), nomen auctoris desideratur. Hicne Canisii est? *Schwarz* censet id esse verisimile (l. c. XXXII). Scriptum sane hoc eiusdem temporis et generis est atque superiora; et multa in eo remedia recensentur, quae Germanorum morbis adhiberi Canisius vehementer cupiebat; accedit, quod auctor ille rerum Germaniae superioris valde peritus est et paratum se esse significat ad ea, quae scribit, Romae coram explicanda; haec in Canisium optime conveniunt. Verumenimvero commentarii auctor affirmat: Sibi adolescenti studiorum commoditatem quaerenti, ab haereticis annua stipendia esse oblata, „quae apud catholicos nondum invenerit"; sed Dominum sibi fuisse „adiutorem". Haec a Petro Canisio dici non potuisse omnis historia vitae eius plane testatur. Attamen ea vera esse possunt de P. Paulo Hoffaeo, in vico quodam prope Bingam nato, deinde in collegium germanicum recepto; qui Societatem ingressus, in Germania superiore diu multumque laboravit, a. 1569 provincialis factus est, m. Ianuario anni 1573, quid de Germania iuvanda sentiret, notare iussus est (v. supra p. 103), m. Martio 1573 Romam profectus est; atque acre illud et liberius et paene importunum orationis genus, quo scriptor ille utitur, Hoffaeum sapit, Canisium non sapit.

Quaesierit denique aliquis, num Canisii sit scriptum illud archivi vaticani nomine auctoris destitutum, quod incipit „Remedia aliqua Germaniae" (apud *Schwarz* l. c. 47—50). En remedia illa: Mores Romanorum emendandi; „taxae" moderate exigendae; Germanorum ratio Romae diligentius habenda; amplae facultates episcopis concedendae; biblia germanica permittenda; principes praelatique comiter tractandi; scriptores constituendi et fovendi; collegium germanicum amplificandum. Haec omnia Canisius alias quoque commendaverat. Fateor tamen, aliqua in eo commentario dici latinitate ea, quae Canisio digna esse non videatur; sed fortasse hoc peccatum est eorum, qui commentarium vel calamo vel typis exscripserunt. Probabile igitur, puto, est, hunc commentarium esse canisianum.

1122. 1. Ianuarii 1573.

Ex commentario manu ignota (Canisio, ut videtur, dictante) scripto atque ab ipso Canisio recognito et amplificato. Can. 51 f. 248ᵇ—250ᵇ.

Canisius Oeniponte initio anni 1573 „xenia" sacra e suggestu distribuit archiduci, consiliariis, nobilibus, sacerdotibus, civibus etc.

Canisius 1. Ianuarii 1573 Oeniponte in templo S. Crucis ad Ferdinandum II. archiducem, consiliarios, nobiles, clerum, senatum urbis etc. dicens hac ratione ex illius temporis more „xenia“ sacra iis distribuit: Quod unus Christianus alteri nouum annum precatur et donat, non potest merito reprehendj, imo est laudabilis antiqua consuetudo .2. opus et signum ueri Christiani amoris[a], qui docet ut simus affecti erga alios, sicut nos ipsos, si fiat ex uera charitate. 3. Defendi potest exemplo Christi, qui soepe suis charis discipulis precatus est pacem[1], et iussit illos etiam precari alijs[b] cum annexa promissione. Si fuerit ibi filius pacis[2], ueniat pax uestra super eum[3] Matth 10. 4. Videmus idem factum ab Apostolis, ut in suis scriptis multa bona precentur illis ad quos scribunt[4], sicut et angeli ex uera charitate nobis precati sunt, freud vnd frid circa Christi natiuitatem[5]. Vnde agnosco me debitorem esse ueteri consuetudinj, quae requirit a praedicatoribus, ut illis nouum et foelicem annum precentur[c], quia habent hoc nomen in scriptura, quod sunt Euangelizantes bona, pacem[6], et annum domini acceptum[7]. Luc. 4.

Et quis potest irasci, si[d] habet et audit amicum multa bona sibi precantem[e]. Quis tam diues potens felix, qui non egeat gratia ut conseruet bona 2 ut defendatur a malis et periculis 3 ut[f] bonum exitum[g] in consiliis sortiatur. 2 Quis potest nobis nimis multum boni precarj, quando experientia docet, superiores annos, mer vngluckhs, vnrath, driebsall, theuerrung, Jammer vnd ellendt, dann sonst etwas guettes haben vns mitgebracht. 3. Quia sum Petrus, et cum sancto Petro dicere possum Aurum et argentum non est mihi[h], quod autem habeo[i 8] et[k] inuenio in diuite thezauro scripturae, hoc proferam simpliciter, Vtinam omnes possem tam diuites secundum spiritum facere sicut indigeretis, uel saltem contentare uolo et debeo rem expedire mit[l] geystliche gaben vnd wünschen. 4. Relinquam praelatos et spirituales Superiores, quia puto illos non adesse, et libenter maneo[m] cum praesentibus auditoribus[n] qui expectant gewertig sein[9].

Incipiam igitur von dem[o] durchleuchtigisten hochgebornen herrn vnd fursten[p] herrn Ferdinand vnser aller gnedigisten Landtsfursten · wünsche von hertzen Jrer Durchlaucht zu ainem frelichen seligen newen Jar, den weit beruempten Khunig vnnd heyligen Propheten Dauid, Dieweil er auch das weltlich Regiment und khunigclich gewalt[q] so ehrlich gefuert vnd gezieret hatt. Dem Almechtigen Gott so[r] [?] grossen lob, der warn kurchen so[r] [?] merchlicher aufpawung, den lieben vnderthonen zu gmainer wolfart, vnd aller feind gottes vnd der kurchen so[r] [?] grossen abpruch vnnd verlust. Diser Dauid war der man, den gott selbst lobt, als der in funden hett nach seinem hertzen[10], gab im darumb raichlich seinem geyst, in kriegshendl den sig, die andacht in gebeth, die dapfrigkhait in den anschlege, die sterckhe vnd weißhait in grossen hendlen, Der zu gleich zu seiner Zeit geystlich

a) *Decem vv. sqq. a Can. ipso supra versum scripta sunt.* b) *Quae sequuntur, usque ad* Matth. 10 *incl., in margine addita sunt.* c) *Sequuntur vv.* nec dubitare possum, *oblitterata.* d) *Duo vv. sqq. a Can. supra versum scripta sunt.* e) *Quae sequuntur, usque ad* sortiatur *incl., a C. ipso in margine addita sunt.* f) *Sequitur* ad, *oblitt.* g) *Sequitur* et, *oblitt.* h) *Quae sequuntur, usque ad* contentare *incl., in margine addita sunt.* i) *Sequuntur vv.* hoc tibi do, *oblitt.* k) *Hoc v. et quae sequuntur, usque ad* contentare *incl., a C. ipso scripta sunt.* l) *Sequitur* ainem, *oblitt.* m) *Sic C. correxit ex* et sat habeo negotij. n) *Quattuor vv. sqq. a Can. addita sunt.* o) *Ita corr. est ex* vnnsern. p) *Ita corr. est ex* Landtsfursten. q) *Sequitur* gefuert, *oblitt.* r) *Corrigendumne* zu?

[1] Cf. Lc 24, 36; Io 14, 27; 20, 21 26. [2] Lc 10, 6. [3] Mt 10, 13.

[4] Cf. Rom 1, 7; 16, 20; 1 Cor 1, 3; 2 Cor 13, 13; 2 Petr 1, 2; 2 Io 3; 3 Io 2 etc.

[5] Cf Lc 2, 13 14. [6] Nah 1, 15. Rom 10, 15; cf. Is 52, 7.

[7] Lc 4, 19. [8] Act 3, 6.

[9] Si haec verba cum sequentibus contuleris, intelleges adfuisse et Ferdinandum II. archiducem, et consiliarios (tum eos, qui de Austriae superioris „regimine“, tum eos, qui de eiusdem „camera“ erant; cf. *Can.* III 165[2], 169[3]), et nobiles, et sacerdotes quosdam. [10] 1 Rg 13, 14; Act 13, 22.

vnd weltlich sein khundte, vnd nach seinem exempel alle herrn[a], Fursten vnd Khunigen so treulich ermanet vnd warnet. Et nunc reges intelligite[1].

2. Soll ich auch nit vergessen der hochloblichen Regierung, auch der hochweisen Camer herrn, denn wünsch ich samentlich zu ainem newen Jar, den hochtreflichen Propheten, vnd gnadreichen gesetzgeber Moysen, das sy mit sollichem geyst vnd eufer wie Moyses gehabt, Jren hochen ampt vnd standt treulichen nachsetzen, Gott vnd gottes ehr v̈ber allen dingen vor augen haben, und der gerechtigkait nachhandlen vnnd wandlen, wie sy es vor gott vnd der welt zuuerantwurtten haben. Mit Moyse werden sy woll wissen vnferdrossen, geduldig vnnd sanftmuettigclich, auch etwan ernstlich vnd eufrig mit der sachen vmbzugeen insonderhait aber, wellen sy nit vergessen, wie Moyses an Gottes stat, beuolchen. Non facies quod iniquum est, nec iniuste iudicabis. Non consideres personam pauperis, nec honores uultum potentis: iuste iudica proximo tuo[2]. Das ist. Jr sollt nit vnrecht handlen vnnd niemandts an gericht vnrecht vrtln. Du soll die person des armen nit ansehen, noch ehrn die person des gewaltigen · Du sollt deinem nechsten recht richten.

Dem ehrlichen beruempten[b] Adl.

Sit illis xenij loco uir ualde nobilis sanguine, et adhuc nobilior uirtute Matathias, qui tempore Antiochi regis tam generose ante omnes alios se gessit, ut fere solus ipse cum suis filijs et familia auderet se opponere contra impios persecutores, et defendere honorem Dei, uerumque cultum. Vnde manu occidit[c] Judaeum super aram, quia sacrificabat idolis, et seruum[d] Antiochi regis qui cogebat immolare, et potius uoluit omnia relinquere in ciuitate, et in deserto habitare cum suis filijs et cognatis, quam uidere et ferre tantam iniustitiam et impietatem. Pugnauit igitur contra hostes Ecclesiae: destruxit aras, et restituit usum circumcisionis, et[e] confortauit suos filios, ut et ipsi iuxta suum exemplum uere se nobiles declararent[3]. Vnde moriturus uocauit filios, et praecepit, Vos filij confortamini et uiriliter agite in lege, quia cum feceritis quae uobis praecepta sunt in lege a Domino Deo uestro, in ipsa gloriosi eritis[4]. Das ist · mein lieben sön steet vnerschrockhen, vnd seit getröst, vnd haltet euch mandlich in dem gesetz. Denn wen Jr thuen werdet, das euch gebotten ist in gesetz euers Herrn Gottes, so werdet Jr groß lob vnd ehr erjagen. Hoc dictum Matathiae sit uobis commendatum xenij loco, ut filij et imitatores eius sitis in vero et Christiano zelo. 2. In defensione iustitiae contra impios. 3. In constanti proposito Dei gloriam et utilitatem publicam promouendj.

Der Erwirdigen briesterschafft, vnnd allen geystlichen. Sit illis xenij loco egregius Propheta et uerus amator patriae[5], et multo magis diuini cultus Jeremias, qui fuit et ipse sacerdos in terra Beniamin[6], in utero matris sanctificatus[7], et a Deo singulariter electus ad consolandum populum tempore captiuitatis. Hic ualde orauit pro populo[8], et statum miserum Ecclesiae deplorauit, multumque pugnauit contra falsos prophetas, et fideliter monuit populum obstinatum, a quo tandem fuit lapidatus.

O quam foelicem annum habebunt, si iuxta exemplum huius prophetae suum officium fideliter administrent, et cum illo sint uoces in deserto clamantes[9]. 2. si deplorent imo comedant peccata populi hoc misero tempore, quo spiritualis Hierusalem ab hostibus grauiter oppugnatur et obscuratur, ita ut nullum sit sacrificium in templo, nulla obedientia et reuerentia sacerdotibus tribuatur, et falsi prophetae ubique praedicant, licet a Deo non mittantur.

a) *Sequitur* vnn, *oblitt.* b) *Can. in margine scripsit:* Den vesten hochgelobten. c) *Sequitur* idololatra, *oblitt.* d) *Sequitur* Antichion, *oblitt.* e) *Sequitur* populum, *oblitt.*

[1] Ps 2, 10. [2] Lev 19, 15.
[3] Cf. 1 Mach 2, 19—46. [4] 1 Mach 2, 64. [5] Cf. 2 Mach 15, 14.
[6] Ier 1, 1. [7] Cf. Ier 1, 5. [8] 2 Mach 15, 14.
[9] Is 40, 3; Mt 3, 3; Mc 1, 3; Lc 3, 4; Io 1. 23.

Recordentur saltem huius uerbj, quo se ipsos admoneant ad hunc annum bene transigendum. Scrutemur uias nostras, et quaeramus, et reuertamur ad Dominum. Leuemus corda nostra cum manibus ad dominum in coelos[1] Tren. 3. Das ist. Lasset vns vnsere werg erkhunnen vnd ersuechen. lasset vns wider zu dem herrn bekern. Lasst vns vnsere hertzen mit den henden aufheben zu Gott, der in den himbl ist.

Ainem Ersamen weisen Rath, Vnd gantzer burgerschafft zu ynsprugg Sit xenij loco probus, sapiens[a], patiens et probatus et a Deo ipso laudatus Iob, uir simplex et rectus ac timens Deum et recedens a malo[2], qui et in prosperitate se et suos prudenter regebat, et in aduersitate ac tribulatione constans et fortis, ut seipsum consolaretur, in summa miseria, spoliatus substantia, priuatus filijs et filiabus, et ab ipsa uxore magis afflictus quam consolatus[3], imo et a Satane percussus ulcere pessimo a planta pedis usque ad uerticem[4] Iob 1, et 2. Demum ab amicis suis praecipuis oppugnatus[5]. Precor igitur senatoribus et ciuibus talem sinceritatem[b], et prudentiam, ut nullum dent locum satanae[6], et ita pugnare sciant contra omnes fortuitos casus, et stare sicut murus contra uarios uentos, et ante omnia Deum timere, et proximos amare. Praecipue autem meminerint illius dicti, quod Job de seipso dixit. Semper quasi tumentes super me fluctus[c] timui Deum[d] et pondus eius ferre non potui[7]. Et rursus Os fui ceco et pedes claudo. Pater eram pauperum[8] et moerentium[e] consolator[9]. Ab infantia mea creuit mecum miseratio[10] Iob 31, et 29. Das ist · Ich forchte alzeit Gott wie die aufwellende wass, vnd khundte sein lasst nit ertragen. Ich war des plinden haupt, vnd des lamen fueß, Jch war vatter der armen, vnd tröstete, welliche da leiden truegen.

Den züchtigen dugenthafften Jungkhfrawen. Sit illis xenij loco Sarra Rachuelis filia[11] *etc.*

Den andechtigen vnd gelassnen wittfrawen

Sit illis xenij loco nobilis famosa diues[f] et uictoriosa uidua Judith *etc.*

Allen frommen Christen, Jungen vnd allten, Reichen vnd Armen in gmain.

Sit illis xenij loco fidelis Dej amicus et misericors amator fratrum[12] Tobias *etc.*

Sed[g] adhuc unum habeo admonere, quod magni est momenti, et sine quo non iuuabit quicquid donaui. Nullus propter Deum impediat seipsum in hoc nouo anno, nec[h] excludat oblatam et nuntiatam gratiam, ne fiant alioquin posteriora peiora priorib.[13] Videmus enim quomodo superiorib. annis parum aut nihil effecerint expensa xenia, et omnes precationes. Quae causa? 1 Nullus potest incipere annum nouum et bonum, nisi relinquat ueterem malum annum. Si manserimus in finibus faulen vnd losen antiquae domus, irritus est labor meus, et uos sentietis parum fructus. O quam multi non cogitant semel, ut se liberent ex seruitute diabolica, ex desiderijs carnis, ex mundi uanitate, sed solum putant sibi satis esse ut pergant[i] hoc anno, sicut finierunt annum antiquum, non plus orando, non timoratius uiuendo, non magis sobrie et caste uersando.

Opus est dilecti ut annum inprimis incipiamus a fundamento bono. 1. timore Dei, qui initium sapientiae[14] et omnis boni 2 super hoc fundamentum super-

a) *Sequitur* probat, *oblitt.* b) *Sequitur* ut, *oblitt.* c) *Sequitur v. obscurum, quod oblitteratum est.* d) *Sex vv. sqq. a Can. ipso addita sunt.* e) merentium *libr.* f) *Hoc v. supra versum scriptum est.* g) *Hoc v. et omnia sqq. a Can. ipso scripta sunt.* h) *A C. correctum ex* et. i) *pergunt C.*

[1] Thren 3, 40 41. [2] Iob 1, 1 8; 2, 3.
[3] Cf. Iob 1, 13—19; 2, 9—10. [4] Iob 2, 7.
[5] Cf. Iob 2, 11—13; 4, 1—5 27; 8, 1—22 etc. [6] Cf. Eph 4, 27.
[7] Iob 31, 23. [8] Iob 29, 15. [9] Iob 29, 25. [10] Iob 31, 18.
[11] Cf. Tob 7, 10; 8, 4 etc. [12] 2 Mach 15, 14. [13] 2 Petr 2, 20.
[14] Ps 110, 10; Eccli 1, 16; cf. Prv 1, 7; 9, 10.

struamus forte propositum cauendj antiquas unordnungen et grauiores defectus qui grauant conscientiam, et merito nos arguuut. Pax hominibus bonae uoluntatis[1] 3 Sollicitudo bene applicandi hoc tempus quasi annus esset vltimus uitae nobis datus. 2 quasi securis posita ad radicem[2] 3 quasi iudex ın ianua adsistat[3].

1123. A d. 11. ad 21. Ianuarii 1573.

Ex congregationis actis authenticis, Romam ad Societatis congregationem generalem perlatis, quae exstant in Codice „Congr. 42“ f. 27—40. Maioris partis actorum apographum, quod a. 1587 pro provincia Germaniae superioris scriptum est, exstat in Cod. „B. 10“ p. 18—25. Ex actis authenticis aliqua germanice posuit *Duhr,* Jes. an Fürstenh. 4 et Jes. I 688.

Canisius Augustae in congregatione provinciali ad electores praepositi generalis designandos coacta deligitur ad seligenda „postulata“. Postulata de scriptoribus, confessariis principum, bonis monasteriorum, 5%, novis libris.

Congregatio provincialis, quae a Sociis Germaniae superioris sub initium a. 1573 habenda erat (v. supra p. 100 105), a Paulo Hoffaeo provinciali indicta est, ut Augustae 11. Ianuarii incoharetur. „Conuenerunt ad locum tempusque praescriptum P. D. Petrus Canisius qui etiam Procuratoris OEnipontani vicem gerebat[4]. P. Alfonsus Pisanus Halensis Procuratoris vicarius. P. Theodoricus Canisius Collegij Dilingani Rector. P. Gregorius Rosephius in Theologia Licentiatus et Augustanae Domus Superior. P. Gasparus Heyuodus Procuratoris Dilingani vicarius. P. Theodorus Peltanus; quatuor votorum professi. Jtem P. Mathias Lacknerus Collegij Halensis Vicerector et P. Wendelinus Volckius item Vicerector Collegij oenipontanj ac ambo trium votorum Professi. Aperta itaque est Congregatio die 12.mo Januarij, et sederunt professi quatuor votornm ad dextram Prouincialis, caeteri uero ad sinistram singulj secundum professionis antiquitatem eodemque ordine sententias dixerunt.“ „Sedentibus suo ordine Patribus, breuis exhortatio a Prouincialj Praeposito est habita.“ Cum vero neque ingolstadiensis, neque monacensis collegii patres adessent, constitutum est, ut „ad diem unum exspectarentur“. Die autem secundo (13. Ianuarii) P. Wendelinus Volckius „secretarius“ congregationis electus eique P. Matthias Lacknerus adiunctus est. Ac cum diebus 13. et 14. Ianuarii P. Joannes Rabenstein collegii ingolstadiensis „superior“, P. Nicolaus Lanoius professus 4 votorum, „qui etiam Procuratoris [ingolstadiensis] locum suppleuit“, P. Hieronymus Torrensis professus et ipse 4 votorum, P. Henricus Arboreus professus 4 votorum, qui rectoris ac procuratoris collegii monacensis „vices gessit“, Augustam advenissent (qui omnes iustas ob causas non potuerant prius venire), „pluribus votis decretum est“, ut cum provinciali Romam ad congregationem generalem (quae novum praepositum generalem electura et multa alia constitutura erat) irent PP. Alphonsus Pisanus et Theodorus Peltanus; deinde horum „substituti“ electi sunt PP. Haivodus

[1] Lc 2, 14. [2] Mt 3, 10; Lc 3, 9. [3] Iac 5, 9.

[4] Anno 1572 Collegii oenipontani minister et procurator erat P. Georgius Rotarius (* *Catalogus,* de quo supra p. 57). Cum praepositus generalis eligendus est, in congregationibus provincialibus ante congregationem generalem habendis „convenient et suffragii ius habebunt Professi omnes Provinciae, qui interesse poterunt; Praepositi Domorum atque Collegiorum Rectores ac Procuratores, vel ii quos tanquam vicarios illi suo nomine miserint“. Ita quidem *Constitutiones* S. J. P. 8 c. 3. Postea autem, maxime in congregatione generali quinta, a. 1593—1594 habita, huic constitutioni ea adhibita est interpretatio et dispensatio (praeter alias), qua non omnium collegiorum procuratores, sed solus procurator totius provinciae, vel, si eiusmodi procurator non esset, procurator collegii maximi ad congregationem admittebatur (Congr. V decr. 24 38 60 81. Formula Congregationis Provincialis recens c. 2, n. 5 [*Institutum* Societatis Iesu II, Florentiae 1893, 599—600]).

et Rosephius. „Porro electi sunt ad plura suffragia duo ex primarijs patribus qui una cum Praeposito Prouinciali seligerent quae essent huic congregationi [provinciali] proponenda quaeque reijcienda, uidelicet P. D. Petrus Canisius et P. D. Nicolaus Lanoyus." Decretum est denique „omnium suffragijs", ut P. Pisanus esset etiam collegiorum et provinciae apud congregationem praepositumque generalem „procurator". Proximis diebus inter congregatos quaesitum est, quae congregationi generali vel praeposito generali essent proponenda; et die 21. Ianuarii ex omnium sententia congregatio est absoluta.

Decretorum vel potius „postulatorum" illorum aliqua ita sunt composita, ut ex ipsis rebus et fere ex ipsis etiam verbis intellegatur, Canisium ea vel proposuisse vel saltem vehementer commendasse; quare ea hic ponenda esse censeo.

Proponenda congregationi generali: [3.] „Cum non minus debeat Societas conuersioni haereticorum quam infidelium, et constet non solum venenum haereticum librorum corruptissimorum euulgatione longe lateque disseminatum esse, sed contrarijs quoque studijs repurgari posse, Deum precamur ut Congregationem efficaciter permoueat ad designandum aliquem numerum Theologorum, qui uel simul in eodem loco, uel pro se singuli exacta quaedam contra haereticos scribant, quod ut fiat Patres obnixe rogamus, neque enim desunt qui honestam sustentationem omnesque sumptus abunde suppeditare velint et aueant." [1]

[7.] „Sitne consultum ut solus Pater Generalis et difficulter quidem facultatem nostris tribuat ad audiendas ordinarie confessiones principum vtriusque status et sexus. Nota enim sunt pericula inde consequentia et magis timendum ex parte nostrorum quam sperandum ex parte aliorum quorum confessiones excipiuntur [2]. Praecipue uero uidetur optandum, ne donentur Duxissis certi et ordinarij Confessarij, utque nostri se tueantur immunes ab aulis [3] sicut et ante fuit constitutum in decretis 2.ae congregationis num: 57. cuius quidem decreti dispositionem solj Praeposito Generalj reseruari optamus ad ingentia pericula praecauenda." [4]

Proponenda nomine congregationis provincialis praeposito generali:

„Sit ne conueniens ad Paupertatem nostram magis restringendam, et ad effugiendam omnem notam cupiditatis apud clerum et populum, ut moneatur P. Generalis difficulter admittere incorporationem bonorum ad monachorum uel Ecclesiarum aliarum iura pertinentium, ne ex illis Collegia nostra fundentur uel dotentur hoc tempore, quo nostra Societas male audire incipit ob eiusmodi incorporationes et translationes bonorum, licet dispensatio Pont: Max: nobis patrocinetur." [5]

„Si conuenire non posset inter Patres hoc tempore, ut certi aliquid definiretur circa communem contractum accipientium quinque pro centum: Romae scriptum aliquod concipiatur et plurium quam nostrorum Theologorum nomine confirmetur, quod proponi et exhiberi possit omnibus de hoc ipso casu nos postea consulturis, si sic opus [a] fore uideatur." [6]

„Vt Romani et Lusitani aliique Patres in bono proposito confirmentur et promoueantur, qui prae manibus habent opera utiliter edenda siue in Theologia, ut P. Alfonsus Salmeron [b], P. Emanuel, P. Toledus [7], siue in philosophia et artibus inferioribus [8].

a) *Sequitur* esse, *oblitt.* b) *Hoc v. in margine additum est.*

[1] Cf. *Can.* VI 417 419 425 441 460 482 487 490; et supra p. 17 38 51 96 236.

[2] Cf. *Can.* V 346 352—355; VI 94 497; et supra p. 17 20 96 139 522 546.

[3] Cf. *Can.* V 346 353 473 568; VI 16.

[4] Decretum hoc (in decretis, quae typis vulgata sunt, n. 40) vide in *Can.* V 759.

[5] Cf. *Can.* VI 191; et supra p. 356 369.

[6] Cf. *Can.* VI 252 284 403 416; et supra p. 571—577.

[7] Significantur PP. Salmeronis et Emmanuelis Saa commentarii et scholia in sacram Scripturam et P. Francisci Toleti Summa de instructione sacerdotum; cf. *Can.* VI 481 489 490; et supra p. 6 15 38—39.

[8] Significantur, puto, potissimum duo Socii lusitani: P. Petrus Fonseca („Aristoteles lusitanus"), cuius „Institutiones dialecticae" Olissipone a. 1564 et Coloniae

Optandum esset conscribi aliquid pro nostris, quod esset illis uice compendij Theologicj, et pro casibus conscientiae recte dijudicandis, idque paulo fusius quam quod P. Polancus edidit." [1]

In codice „B. 10" (p. 21—25) singulis „postulatis" ascriptum est (manu eadem), quid ad ea ab *Everardo Mercuriano* praeposito generali esset responsum. Ad postulatum igitur, quod de scriptoribus contra haereticos erat, „responsum est Praepositum Generalem curaturum, ut ij qui ad scribendum ualent atque ocio uacant, serio animum ad hoc applicent. Nec uero ullo in loco hac de re instituendum esse Collegium"; ad postulatum autem de confessariis principum et de decreto secundae congregationis generalis ad eosdem spectante: „Satis perspicuum est ex eodem decreto huius decreti dispositionem Praeposito Generalj reseruatam esse."

Hoffaeus provincialis Augusta 24. Ianuarii 1573 Polanco vicario generali *scripsit: „Hesterno die dimisi nostrae congregationis Patres in sua collegia incolumes, quibus placuit, vt ego quoque ad Generalem Congregationem venirem, . . . in Prouintia vero meo loco relinquerem R. P. Lanoyum" (ex autographo; Germ. 152 f. 296[a]).

1124. GREGORIUS XIII. Pontifex Maximus FERDINANDO II. archiduci, principi Tirolis etc. Roma 24. Ianuarii 1573.

Ex litterarum commentario (A), quod ab Antonio Buccapadulio secretario compositum esse videtur; idem, nisi fallor, sua manu et inscriptionem („Dilecto" — „Austriae" incl.) et tempus („Datum, ut supra") et nomen suum posuit. Commentarium hoc exstat Romae in archivo vaticano, „Ep. Gr. XIII. Lib. III" f. 31[b]. Apographum (B) autem earundem litterarum, idque saeculo vel XVI. vel — id quod magis est probabile — XVII. scriptum, exstat in eodem archivo, Arm. 44, tom. 21, f. 261, n. 339; cuius apographi imaginem habebam photographicam.

Principis virtus; fides Pio V. ab eo data; Canisii legatio.

Dilecto filio nobili viro Ferdinando Archiduci Austriae[a]
Gregorius PP. XIIJ.

Dilecte fili, nobilis vir salutem et Apostolicam benedictionem[b]. Non dubitamus, ea quae pertinent ad Christianae Reipublicae bonum, atque ad Dei gloriam summopere tibi cordi esse, teque in huiusmodi rebus[c] curandis atque efficiendis omne studium, atque operam positurum. Sic enim decet insignem pietatem, et nobilitatem tuam. Quid autem putemus duo illa, quae diximus maxime continere, accipies nostro nomine a dilecto filio Petro Canisio, cuius uerbis fidem ut[d] adhibeas rogamus[2]. Libentissime tuam sententiam cognoscemus: eam enim propter tuam prudentiam plurimi facimus; de voluntate non dubitamus. Scimus enim nobilitatem tuam suum consilium atque operam de rebus Germaniae ad Catholicam religionem reuocandis[e] pollicitam fuisse Sanctae memoriae Pio Quinto, quo etiam

a) *In B sequitur haec litterarum summa brevis:* Vt fidem adhibeat Petro Canisio. *Deinde:* Gregorius PP. XIIJ. *In A autem haec omnia desunt.* b) salutem etc. *A B; v. supra p. 106.* c) *Hoc v. deest in B.* d) ut fidem *B.* e) *B perperam:* reuocanda.

a. 1567 iam erant editae; et P. Emmanuel Alvarus sive Alvarez, de cuius libris grammaticis v. *Can.* VI 481. Toletus autem a. 1572 praeclarum suum „Cursum" philosophicum sive Commmentarios in Aristotelem edere coeperat; de quibus vide *Astrain* l. c. IV 57—58.

[1] De P. Ioannis Polanci „Directorio" confessariorum v. *Can.* VI 78[4].

[2] Vide supra p. 106—108 113—118.

libentius eisdem de rebus tractabimus[a], Deumque oramus ut tuam pietatem remuneretur in hac uita omni felicitate, in futura praemijs sempiternis. Datum[b] Romae apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris de XXIIIJ. Januarij MDLXXIIJ. Pontificatus Nostri Anno Primo.

Ant. Buccapadulius[c].

1125. GREGORIUS XIII. Pontifex Maximus ALBERTO V. Bavariae duci. Roma 24. Ianuarii 1573.

Ex litterarum commentario (A), quod est eiusdem omnino rationis, atque superius illud (v. ep. 1124), et exstat Romae in archivo vaticano, Ep. Gr. XIII. Lib. III f. 31[b]. Apographum (B) autem saeculo XVI. aut — id quod verisimilius est — XVII. scriptum exstat in eodem archivo, Arm. 44, tom. 21, f. 261[b]; cuius apographi imaginem habebam photographicam. Litteras ex commentario illo typis exscripsit *Theiner*, Ann. I, in a. 1573 n. I, n. 340. Easdem (ex Theiner?) posuit *Boero*, Can. 476.

Ducem laudat et de rebus religionis per Canisium consulit.

Dilecto filio nobili viro Alberto Bauariae Duci[d]
Gregorius PP. XIIJ.[e]

Dilecte fili nobilis uir salutem [et Apostolicam benedictionem][f]. Caritas Dei, quae diffusa est in cordibus nostris per spiritum sanctum[1], facit, ut non dubitemus quin ardeas eiusdem Dei[g] gloriae[h] desiderio, quo Catholicos omnes, cum[i] [?] priuatos[k], tum uero principes ardere oportet. Communicabit cum nobilitate tua nonnulla nostro iussu Petrus Canisius quae maxime ad Christianae Reip. bonum, atque ad eam, quam diximus Christi gloriam pertinent, eius uerbis ut fidem adhibeas rogamus[2]; aperiasque ei quid ipse sentias pro tua prudentia, quam ut perspectissimam habemus, sic plurimi facimus. Datum [Romae apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die XXIIIJ. Januarij MDLXXIIJ. Pontificatus Nostri Anno Primo][l].

Antonius Buccapadulius[m].

1126. GREGORIUS XIII. Pontifex Maximus IOANNI IACOBO KHUEN DE BELASY, archiepiscopo salisburgensi, imperii principi. Roma 24. Ianuarii 1573.

Ex litterarum commentario (A), quod est eiusdem omnino rationis atque duo superiora (v. supra p. 654), et exstat Romae in archivo vaticano, Ep. Gr. XIII. Lib. III. f. 32[a]. Apographum (B) autem saeculo XVI. aut — id quod verisimilius est — XVII. scriptum exstat in eodem archivo, Arm. 44, tom. 21, f. 262[a], n. 341; cuius apographi imaginem photographicam ad manum habebam.

Eum laudat et de rebus religionis per Canisium consulit.

a) rebus tecum agimus *B*; tractagimus *A*. b) *Quae sequuntur, usque ad* Primo *incl., suppleta sunt ex B; A enim habet:* Datum ut supra. c) *Hoc nomen deest in B.* d) Duci Bauariae *B. Ibidem sequitur:* Jdem argumentum; *cf. supra p. 654.* e) *In A hoc pontificis nomen deest.* f) salutem etc. *A B; v. supra p. 106.* g) *Hoc v. non est in B.* h) *Hoc v. deest apud Theiner.* i) tum *A*; cum *B*; *id quod mihi magis probatur.* k) *Th. haec 2 vv. omisit.* l) Datum ut supra *A B; quae uncis inclusa sunt, exscripsi ex apographo, quod apographum B proxime antecedit; commentarium autem, quod A antecedit, sic habet:* Datum Romae apud sanctum Petrum etc. die XXIIIJ. Januarij. 1573. Anno primo. *Theiner:* Datum Romae apud S. Petrum die XXIIII. Januarij 1573. Pontificatus Nostri Anno Primo. m) *Haec 2 vv. non sunt in B.*

[1] Rom 5, 5. [2] Cf. supra p. 106—108 113—119.

Venerabili Fratri Jo: Jacobo Archiepiscopo Salisburgensi[a].
Gregorius PP. XXIIJ[b].

Venerabilis Frater salutem [et Apostolicam benedictionem][c]. Nihil est quod Christi vicarium magis curare oporteat, quam animarum salutem, et Christi ipsius gloriam, quae in ea salute maxime uersatur· qua etiam cura Fraternitatem tuam, in eiusdem solicitudinis partem uocatam angi non dubitamus. Voluimus dilectum filium Petrum Canisium tecum agere nonnullis de rebus, ad hanc quam diximus curam pertinentibus · eius uerbis fidem adhibebis, et quid tibi spiritus sanctus in animum immittet expones: cupimus enim tuam sententiam cognoscere, quam propter prudentiam, et pietatem tuam plurimi facimus[1]. De tua uero optima uoluntate dubitare non possumus. Datum [Romae apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die XXIIIJ. Januarij MDLXXIIJ. Pontificatus Nostri Anno Primo][d].

Ant. Buccapaduliius[e].

1127. **1573, sub in. Februarium.**

Adversus Marbachium, Eisengreinii librum et Canisii exorcismum sugillantem Rabus illos defendit.

Ioannes Marbach, theologiae Lutheranorum professor et magistratus ecclesiastici praeses argentoratensis, a. 1571 ediderat librum: „Von Mirackeln vnd Wunderzeichen . . . Sampt Grundtlicher widerlegung des Wunderzeichens, so vor einem Jar Canisius, wie er vermeint, an einem besessnen Jungfrewlin gewürcket . . . wider des Antichristischen Bapstumbs, diser zeit durch die Mammelucken vnnd Jesuiten, ernewte Abgötterey, geschriben“; de quo libro contumeliis atque calumniis agresti sermone prolatis pleno v. *Can.* VI 651—654.

De eodem P. *Ioannes de Polancus* vicarius generalis Societatis Iesu Roma 15. Novembris 1572 P. Hermanno Thyraeo provinciae rhenanae S. J. praeposito scripsit: „Quanto al libro heretico di Gio: Marbachij, V. R. ci auisi quel che la conli suoi consultori giudicassi douersi fare, et non sara, se non bene mandare un essemplare al Padre Pietro canisio, et che lui anche uisto ci auisasi di quel che li paressi conuenire“ (ex apogr. eiusd. temp.; Germ. 109 f. 95[a]).

Iustum deinde librum adversus Marbachii opus edidit *Ioannes Iacobus Rabus* (Rabe) argentoratensis, Alberti V. Bavariae ducis contionator et capituli mosburgensis canonicus, qui Canisio iuvante ex protestantismo ad ecclesiam redierat aliisque rationibus ab eo adiutus erat (*Can.* V 294 829; VI 110—111): „Christlicher vnd wolgegründ= | ter Gegenbericht | Von Miradeln vnnd | wunderzaichen, wie man die= selbi= | gen auß Gottes wort, vnd nach Catholi= | scher allgemainer warhait rechtge= schaffen erkennen vnnd vr= | thaylen soll. | Wider die vngegründte, Ehrrüri= | ge Lester= schrifft, welche Johann Marpach | Superintendent zů Straßburg, wider die wun= | der= werck der lieben Heyligen Gottes im Bapstum̄ | newlicher zeyt in offentlichen Truck | hat lassen außgehn. | Durch | Jacobum Rabus, Catholischen, vn= | würdigen Priester, vnd Hofpre= | diger zů München. | PSALM. 67. | Gott ist wundersam in seinen Hey= ligen, | dann er ist ein Gott Jsraels. | Mit Röm. Kay. May. freyhait, vnd Geystlicher | Oberkait bewilligung. | M. D. LXXIII.“ Versus 3, 4, 9, 10, 16, 17, 18, 22, 23 rubri sunt. In folio ultimo: „Getruckt zů Dilingen, durch Sebaldum Mayer“; 4°: ff. sign. 162, non sign. in initio 18 (addito titulari) et in fine 4. Liber a Rabo „Benedicto“

a) *In B sequitur:* Simile argumentum; *cf. supra p. 654.* b) *In A hoc pontificis nomen deest.* c) salutem etc. *A B; v. supra p. 106.* d) Datum ut supra *A B; quae uncis inclusa sunt, supplevi ex apographo, quod dixi supra p. 655*[1]. e) *Haec 2 vv. non sunt in B.*

[1] Cf. supra p. 106—109 113—119.

[Obergasser][1] abbati monasterii benedictini S. Petri, quod est Salisburgi, dedicatur Monachio 30. Novembris 1572; unde colligi potest, eum a. 1573 sub tempus mercatus librorum quadragesimalis sive circa m. Februarium in lucem emissum esse.

Praefationem *Rabus* sic incohat; „Das walt Got, Amen. Es hat der vermaint Strasspurgische Superintendent, Johann Marpach genannt, der fromme Mann, nechstuerflossne Franckforter Herpstmess seinem Abgot Baal, vnnd der Babilonischen hůren abermal ein fettes opffer gethan, vnnd wider die fürtrefliche, ansehenliche, getrewe der Catholischen Kirchen Scribenten, vnnd Lehrer, Herrn Martin Eysengrein etc. vnd Herrn Petrum Canisium etc. ein groß, vngehewrs, doch seinem alten gebrauch nach, sehr vngereumbts, vngesaltzens, vnnd vngeschmaltzens schreiben in den offentlichen truck lassen aussgehen, darinnen er, gleich wie die Catholische Kirch selber, also auch die mirackel, vnnd wunderzaichen, in krafft welcher sie anfencklich gepflantzt vnnd erweytert worden, auch noch heutigs tags zů allgemainem bestendigem trost frommer Christen, vermittelst der gnaden Gottes, hin vnnd wider an vilen orten confirmiert vnnd bekrefftiget wirdt, zum schandtlichsten, ja dermassen grob antast, daß ich glaub, er hab alles sein gifft, auss verstocktem recht Sathanischem můtwillen, zusamen geschütt, vnd in sollichem seinem Bůch wider den Herrn Christum, wider sein vilgeliebte Můter, die hochgelobte vnd vbergebenedeyte Himmel Fürstin Mariam, wider alle Heyligen Gottes, vund wider die allgemain Christliche Catholische Kirch außgossen.“ Se autem a multis hominibus sibi amicis et probe catholicis, ut librum illum refutaret, rogatum, iis morem gerere statuisse propter varias causas. Has deinde *Rabus* recenset; earum aliquas hic ponam: Affirmat ille, se a Marbachio propter libellum, quo Ioannem a Manderscheid episcopum argentoratensem adversus Marbachii libellum quendam famosum defenderat, conviciis et calumniis affectum esse tum libello „Nachtrab oder Näbelkräh ohn ein Titel Anno 70. außgangen“ [2], tum aliis rationibus. „So erkenne ich mich von rechts wegen schuldig, dass ich jhme die beissende haut bestens vermögens erkratze, sein erdichte lumpenschrifften erlege, sein lugenmarckt zu grund richte, mein vnschuld, vnnd jetztmals tragend hohes Ampt verthädige, vnnd ihme diser gestalt zuuerstehn geb, dass wir Catholischen eben so wol als er teutsch reden vnnd schreiben können.“ Deinde se contra Marbachii librum „Von Mirackeln“ scribere propter honorem Dei et Sanctorum eius, „welche dann allzumal durch ermeldte des auffrhürischen Marpachen schmachschrifft dermassen gröblich vnnd vnchristlich angetast werden, dass kein Türck, kein Hayd, jha auch kein vnglaubiger spöttlicher darwider hette reden können, vnd keiner nit zweyflen darff, es hab Marpach allain auß anstifftung des laydigen Sathans, der dann seines Praeceptoris vnnd Promotoris Lutheri[a] (Marpach hat zů Wittenberg vnder Luthero promouiert) Praeceptor, vnnd Lehrmaister auch gewesen, solche seine Maisterstücklein so freuenlicher weiß lassen an Tag kommen. . . . Zum dritten hat mich zů solcher defension vnnd Rettung schrifft billich auch bewögen sollen, die authoritet, vnnd das ansehen bayder meiner geliebten Herrn vnd Preceptorn, Eysengreinij vnd Canisij, vnd das vnbillich trutzen, toben vnd wůten, schenden, schmehen, vnd lestern, dessen sich Marpach wider sie, vnnd jren Christlichen eyfer, gegen dem hauß Gottes vndernommen hat. Dann dieweyl ich je auss solcher Herrn in offentlichen truck außgangen, herrlichen Schrifften vnnd Bůchern ein grossen thayl der erkantnuß Gottes, vnnd seiner Kirchen geschöpfft, auch sonsten von jhnen vil gůts, grosse promotion, getrewe freundtschafft, vnd vnderweisung inn Christlicher Catholischer Religion empfangen hab: so erkenn ich mich je diser vrsachen halben zu schutz

a) *Quae uncis includuntur, a typographo in margine posita sunt.*

[1] Cf. *Pirmin. Lindner* O. S. B., Profeßbuch der Benediktiner-Abtei St. Peter in Salzburg, Salzburg 1906, 280–281.

[2] Nunc constat, Ioannem Fischart, variarum satirarum scriptorem, famosi huius libelli auctorem esse (*Janssen* l. c. V^{15-16} 552—553; *Johann Fischart's* sämmtliche Dichtungen. Herausgegeben von *Heinr. Kurz*, I, Leipzig 1866, XXXIII 1—98).

vnnd schirm verpflicht zusein, alles des jenigen, so ich durch jren fleiss, mů̊h vnd arbayt biss anher erlernet vnd erfasst hab. Ja ich erkenn, vnnd bekenn mich auch schuldig zusein, allen spott, neyd, hass vnd verachtung, so jnen als meinen geystlichen Vättern (die mir der Allmechtig Gott an stat meiner leiblichen Eltern zůgeschickt vnd verlihen hat) vngegründter vnbillicher weyß zůgefůgt werden, mo̊glichstes fleyß von jnen abzulegen, vnangesehen daß jr redlichait, jr tugent, hoher verstand, jr weißhait vnnd Gotsforcht, allen frommen, auch vil hohen der Welt Potentaten dermassen bekant sein, dass sie sich für sich selber aller ehren würdig machen, vnnd dises meines defendierens wenig oder gar nichts bedörffen" (f. 𝔅^a—𝔈^a).

Foliis igitur 109^a—143^b *Rabus* exorcismum Canisii ottinganum defendit adversus Marbachium; quem vocat „Roraff" (f. 119^a) et „der vngelehrte Dölpel" (f. 124^b); protestantium ministros argentoratenses et tigurinos (Zürich) ait a daemone obsessos ac veros „energumenos" esse (f. 117^b—118^a). Deinde capite XXVII. (f. 138^b—141^b) agit „Von den Herren der Gesellschafft IESV". Marbachio Iesuitas, quod reliquis Christianis ipsi se praeferant, vituperanti Rabus respondet: Si Christianorum nomine designantur haeretici, recte iis se praeferunt; sin autem catholici significantur, „so waiß ich das gewißlich, daß den frommen Vättern vnrecht geschicht, vnd dass sie sich keines wegs andern fürzuziehen, oder besser zu sein, dann sie, willens sein. Vnnd die mit jhnen kundtschafft haben, jhr thůn vnd lassen, jhr mů̊h vnd arbait, so sie in allerhand Christlicher ůbungen zů gemaines Vatterlands Teutscher Nation nutz vnd frommen, mehr knechts dann Herren weiß, doch mit hertzlichen frewden, vnd frewdenreichem hertzen haben vnd tragen, erfaren haben, die wissen anders daruon zureden. Jch zwar, der ich wol so offt als ein anderer bey vnd vmb sie gewesen bin, waiß von jnen anders nichts zusagen, dann daß alle jhr exercitia vnd ůbungen auff nichts anders, dann auff inbrünstige lieb, auff langwirige gedult, auff Christliche demůt, auff gebürenden gehorsam, auff stäte Casteyung jhres leibs, auff sonderbare må̊ssigkeit, vnd auff ein emsiges gebett etc. dirigirt vnd gerichtet seind. . . . Mit was grausamen Famosschrifften hat man jhnen vnd jhrem instituto . . . zůgsetzt? Was für reimwerck, gemalts Brieffwerck, vnnd schändliche figmenta hat man wider sie auffbracht? Summa summarum, maister Ketzerteufel hat alle weg vnd mittel versucht, ob er doch in einem stuck, an disen frommen leuten mo̊chte zů einem ritter werden. . . . Man hat es zwar andern gaistlichen leuten auch nit gespart, spart es jhnen auch noch nit. Aber die Jesuiten sein doch insonderheit rayens genossen, die mů̊ssen alles miteinander gethan haben, vnd die ergesten sein, vmb keiner andern vrsach willen (dann ich waiß wo es den Ketzern ligt) dann dass sie etwas mehr auch mit gro̊sserem ernst, dann etliche andere, Christo Jesu sein vilgeliebte Gespons die Christliche Kirchen defendirn vnd verthädigen, sich als ein veste maur wider die Ketzer entzwischen setzen, vnd jnen grössern schaden dann andere biß anher zůgefůgt haben, hinc illae lachrymae . . ." (f. 139^b—140^a). „Das vnbild thůt mir wee, das der tropff Marbach mit den Patribus Societatis treibt" (f. 139^b—140^b). Neque vero se — id quod Marbach suspicetur — Societatis Iesu sodalem esse. „Nun bin ich diser heyligen vnnd lo̊blichen Gesellschafft, von grund meines hertzen hold, nit allein dieweyl ich durch jre getrewe fůrsorg vnd vnderweisung, auff mein selbs aigen begern, ein Catholischer Christ worden bin, Sondern vnd vilmehr auch, dass ich bey, vnd in jren Academijs, als zů Rom, Co̊llen vnd Meintz, auch eins thails zů Dilingen, mein studium Theologicum ergriffen vnnd volfůrt, auch sonsten allerhand gůt vnd wolthatten in meinem Exilio, da die Gottlosen wider mich allenthalben wůteten, von jhnen empfangen hab, . . . schreib auch nit auß jhrem angeben oder auß jhrem einblasen, sondern auß aignem willen, vnd auß dem, daß ich (Gott lob) weil ich bey jhnen gewonet vnd gelebt, erfast hab: allein daß meine biß anher geschribne Bucher, durch jr, als durch der superiorum censuram vnd probation, nach laut des Trientischen Concilij, herfürkommen, in massen es dann auch andere vnd wol fürtreflichere leut dann ich, auß wol angesteltem rath gethan haben, vnd noch thůn: sonst waiß ich von keinem anhetzen der Jesuiten, das mich zum schreiben jemals bewegt hette" (f. 141). Plura de hoc

opere vide apud *Pfleger*, Eisengrein 78—79. Rabi librum vidi Monachii in bibliotheca nationali.

Ceterum Canisius factum virginis nobilis a se exorcismo daemonis obsessione levatae non solum per litteras praeposito generali Societatis narrare (*Can.* VI 399—400), sed etiam in libro typis vulgato testificari et simul ea, quae Eisengreinius et Rabus ea de re scripserant, palam probare et confirmare voluit. Id ille praestitit primum in opere „De Maria Virgine incomparabili“ etc. Ingolstadii a. 1577 edito (p. 667 ad 669), deinde, paucis verbis immutatis (quae infra notabuntur), in eiusdem operis editione recognita et cum titulo „Alterius Tomi de Verbi Dei corruptelis“ Ingolstadii a. 1583 in lucem emissa (p. 730—731). Ita igitur *Canisius* a. 1577: „MARTINVS EISENGREINIVS, Vir de Catholica religione bene meritus, idemque Procancellarius Ingolstadiensis, ante paucos annos librum Germanice scriptum edidit, eoque tractationem de nostrae Virginis miraculis asserendis est erudite complexus. Quam veritatis lucem cum exosam haberent, qui nouarum opinionum tenebris delectantur, ex his Marbachius Argentorati, vt vocant, Superintendens audacter magis, quam foeliciter prosiliit, talemque librum in lucem edidit, in quo non solum authoris doctrinam, sed et modestiam et sapientiam et veritatem liceat desiderare. Accessit igitur Iacobus Rabus, qui hactenus Bauarici Principis Catholicus est Ecclesiastes, atque vt Eisengreinij causam vindicaret, propositum de Sanctorum miraculis argumentum excussit pressius, simulque aduersarium petulantissimum ita repressit, vt nullus illi hucusque ausus fuerit respondere. Sparsae sunt postea de hac ipsa materia Theses quaedam ab Argentoratensibus, in quibus architecti priora nonnulla Marbachij dicta vtcunque molliunt, alia vero ex haereticorum lacunis male deprompta peius defendunt, neque modo cum veteris Ecclesiae sensu et consensu, sed etiam cum nouis suae sectae Doctoribus haud obscure pugnare videntur.[1] Verum enimuero dum inter se isti conflictantur, ego etiam, quem testem ad probanda MARIÆ miracula Eisengreinius in suo libro citauerat, in theatrum pertrahor, et a Marbachio primum[2], deinde a Chemnitio[3] perquam acerbe traducor. Etsi vero Catholicum doctorem a talibus Ecclesiae hostibus, quorum damnata est memoria, vituperari, sapientum quidem iudicio, non nisi laudari est, et calumniantib. non solum ignoscere, sed etiam bene precari debemus[4], sicut equidem ex animo istis duobus precor, tamen vt veritas cognoscatur, et imbecilliorum minor sit offensio, non possum hoc loco non aliquid respondere. Quoniam vero historiam integram, vt Oetingae gesta res est, Praepositus ipse Oetingensis fuse perscriptam edidit[5], ac eandem dictus Rabus vtcunque defendit; sat mihi fuerit accusationis capita praecipua perstringere, ne hic fortasse lectorem diutius remoremur. Nondum octo[a] elapsi sunt anni, quod ego Augusta profectus Oetingam peruenerim, quod oppidum est Bauariae, a templo sacrosanctae Virginis MARIÆ, quae multis illic claret miraculis, et aliquot abhinc saeculis claruit, inprimis nobilitatum. Sed, o scelus inexpiabile, hanc ipsam aedem a Ruperto insigni Bauarorum Apostolo consecratam[6], ac ipsa vetustatis specie venerabilem religionis ergo me petiuisse. Hic ego porro Lauretanam Litaniam coram aliis recitaui. Sit hoc alterum et enorme crimen. Quasi vero nunquam satis laudata Virgo minores etiam titulos, quam in illa leguntur, non promereatur, atque etiam a Patribus iampridem non sit consecuta. Rogatus assensi, vt Catholicum exorcistam praestarem iuuandae energumenae[7], quae tunc eo loco sese offerebat a daemone grauiter discruciata. An vero nouum

a) *Ita editio quoque anni 1583.*

[1] Ad has theses spectare videtur *Iacobi Rabi* „Aduersus theses contra S. Reliquiarum miracula, Argentinae publice disputatas, succincta velitatio“ Monachii a. 1574 edita, quae commemoratur in [Georgii Willeri] „*Catalogo* novo, ex nundinis autumnalibus“ etc. (cf. supra p. 312 [4]), Franckfurt am Mayn 1574, f. 𝔄 III[b].

[2] Vide *Can.* VI 651—654. [3] Vide supra p. 240.

[4] Cf. Mt 5, 44; Lc 6, 28; Rom 12, 20 21.

[5] Hanc narrationem posui *Can.* VI 642—648.

[6] Cf. *Can.* VI 430 [1]. [7] Annae a Bernhausen.

et apud Orthodoxos inusitatum, aut illaudatum videri potest exorcistae institutum? Igitur aggressurus hoc munus, MARIÆ patrocinium imploraui, vt Deum in graui functione propitium magis haberem. Pudenda scilicet inuocatio, quam Veteres ad foelices rerum successus et exitus diuinitus impetrandos non modo priuatim, sed et publice adhibuerunt, sibique prodesse senserunt. Cum iam adiuratus daemon in foemina loqueretur, vt praesentes omnes audirent, simul et horrerent, Diuinae bonitati visum est, per hoc qualecunque ministerium, Ecclesiae fide cooperante, hostem formidabilem non coercere modo, sed etiam profligare, vt mulier tam diro hospite liberaretur. Hoc est, scilicet, in principe daemoniorum eiicere daemonia[1], et signo mendaci Papisticam confirmare superstitionem. Quid hic facias, quaeso, maledicis obtrectatoribus, qui Paulum ipsum Apostolum, si coram adesset, vel patrem vel filium Beelzebub[2] fortassis appellarent. Affingant etiam candidi homines, me aucupandae laudis, vel parandi quaestus gratia hunc suscepisse laborem, cuius quantumuis haud exigui me prorsus poenitere iam ac pigere non potest. Illud ingenue bonaque conscientia testabor, quia veritatis confessionem extorquent aduersarij, me nihil priuati commodi, nec gloriolam vllam in hoc toto negotio, vt par erat, spectauisse, sed Christianae charitatis rationem vel maximam habuisse, omnemque successum instituti exorcismi, per quem foemina ter misera, licet genere nobilis, restituta est, Deo Opt. Max. inprimis, ac deinde sanctissimae Virgini matri, cuius efficax illic fuit inuocatio, acceptum retulisse, et idcirco ad gratiarum actionem Diuino nomini reddendam praesentes illos[a] omnes conceptis verbis excitauisse. Quid enim inde mihi arrogarem, vel ab aliis ascribi paterer, quod Christus per viles quoque ministros ad aedificationem Ecclesiae[3] suae operatur, et in cuius nomine illi etiam qui sancti non sunt, se in terris prophetasse, et daemones eiecisse, aliquando in supremo illo iudicij die fatebuntur[4]? Quod ministerium in daemonibus eiiciendis tanto minus, vt credo, placet aduersariis, quanto rectius norunt, illudipsum in veteri Ecclesia receptum atque probatum, et ad nos Catholicos veluti per manus transmissum, per Christi gratiam suum retinere vigorem, et cum euidenti fructu eorum, qui a daemonibus obsessi sunt, per ministros Catholicos crebro exerceri, et feliciter expediri. Vident autem ac dolent inuidi, sicut alia plaeraque Diuina charismata, sic etiam exorcistarum officium ac potestatem in nouis ipsorum Ecclesiis omnino iacere, ac prorsus nullum habere locum, adeo vt si quando magistri eorum aut socij eiiciendis daemonibus operam nauent, vt quosdam[b] nauasse constat[5], nec principium illi, nec finem inuenire possint, sed oleum et operam perdant, seque suis etiam ridendos exponant. Quomodo enim daemonibus imperarent, etiamsi vel Catharos et Nouatianos externa pietatis specie excellerent, nisi Deus ipse (quod absit) falsitatis testem sese praestaret, veraeque Ecclesiae capitales hostes, ac eorum praua dogmata miraculis obsignaret? Ego demum ingentes Deo summo gratias ago, qui mihi tot annos in hac Iesu societate versanti tales socios dedit, qui vt praestantibus Dei donis me longe superant, ita etiam si non verbis, at re ipsa quidem (absit arrogantia) id quod apud Tertullianum[6] legimus, dicere posse videantur: ‚Daemones non tantum respuimus, verum et reuincimus, et quotidie traducimus, et de hominibus expellimus, sicuti plurimis notum est.‘ Id verum esse,

a) *Hoc v. deest in ed. a. 1583.* b) *Vide infra, adnot. 5.*

[1] Mt 9, 34; 12, 24; Mc 3, 22; Lc 11, 15. [2] Cf. Mt 10, 25; Mc 3, 22.
[3] 1 Cor 14, 12. [4] Cf. Mt 7, 22 23.
[5] Editio anni 1583 habet: „sicut Lutherum et alios nauasse constat". Quare dubitari vix potest, quin significentur ea, quae de Luthero a. 1545 Vitembergae mulierem, ut ipse existimabat, obsessam a daemone liberare conato Fridericus Staphylus universitatis ingolstadiensis superintendens, qui rem coram viderat, in libro „Nachdruck" etc. Ingolstadii a. 1562 edito narravit; v. *Grisar*, Luther III[1-3] 629—631. De exorcismis ab aliis ministris protestantibus frustra factis v. *Can.* IV 806—807. [6] Liber ad Scapulam c. 2 (*Migne*, P. lat. I 779).

non obscuris exemplis, in orbe nouo alibique gestis possem demonstrare [1]: sed isthaec commemoratio praesenti loco quidem non necessaria, imo et odiosa est; perinde ac si nosipsos commendare velle videremur. Haec vero si satis non sunt nostris aemulis, ne plus ego temporis in me vel excusando, vel defendendo consumam, id solum cum eodem Tertulliano ad extremum dicam: ‚Cruciate, torquete, damnate, atterite nos; probatio est enim innocentiae nostrae iniquitas vestra [2]. Semina non nisi corrupta et dissoluta foecundius surgunt' [3]".

Eodem anno 1573 Rabus, urgentibus PP. Petro Canisio et Ioanne Rethio (cf. supra p. 241), Ioanne Egolpho a Knöringen canonico (postea episcopo) augustano, „Frisinganis" (Andrea Fabricio [v. *Can.* VI 99], puto, etc.), P. Laurentii Surii O. Cart. opus „De probatis Sanctorum Historiis", quod ipso hoc anno 1573 „Tomo quarto" usque ad finem mensis Augusti perductum erat, germanice vertendum suscepit; sic enim *Rabus* in *litteris Dachovia (Dachau) 10. Ianuarii 1573 Coloniam ad Rethium missis scribit. „Etsi immensum mihi proponas pelagus in translatione Mensium Surianorum sulcandum, quod inuitus ingredior, tamen cum tot aliunde etiam in me coniectis orationum monitionumque telis facile obruar uincarque gloriae Dei inseruire decreui, ac translationem auspicari. . . . Vincor omnino precibus Rethianis, Canisianis, Knöringianis, Frisinganis etc. ad hoc munus obeundum, nihil alioqui inter tot meas occupationes quibus vehementer distrahor facturus, nisi de tam manifesta gloriae dei ac Ecclesiae Catholicae emolumenti vtilitate a vobis passim erudirer" (ex autogr.; Cod. colon. „Un. 603" f. 208ᵃ—209ᵇ).

Rethius optabat, ut Rabus „insigniores vitas" seligendo tres tomos Surii latinos in unum germanicum redigeret (*Hansen* l. c. 617). Neque tamen Rabus versionem perfecit; quam Alberti V. impensis faciendam *Ioannes a Via* suscepit; atque iam anno 1574 Monachii in lucem prodiit „Der erste Theil Bewerter Historien der Lieben Heiligen Gottes", menses Ianuarium et Februarium complectens (*K. v. Reinhardstöttner* in „Jahrbuch für Münchener Geschichte" IV, Bamberg 1890, 124—127 173; *W. Goetz*, Beiträge 810). Integrum deinde Surii opus, quod 6 tomos complectitur, Henricus Fabricius, episcopus suffraganeus spirensis, in unum volumen germanicum contraxit; cuius editio secunda („Ausszug Bewerter Historien Der Fürnemsten Heiligen Gottes") a. 1592 Coloniae apud Calenium excusa est.

1128. Circa exeuntem m. Februarium 1573.

Ex apographis vel commentariis fere saeculo XVII. ineunte scriptis, quae sunt Monachii in bibliotheca nationali, Cod. lat. 715ᵃ f. 124ᵃ 137ᵇ—138ᵇ („Joannis Baptistae Fikleri . . . epistolae").

Canisius Salisburgi cum Fiklero de huius „Theologia iuridica" agit.

Joannes Baptista Fiklerus Ioannis Iacobi Khuen a Belasy archiepiscopi salisburgensis consiliarius [4] Salisburgo 9. Julii 1572 P. Feliciano

[1] Vide e. g. ea, quae *Io. Petrus Maffeius* S. J. protulit in libro cardinali Ottoni Truchsess dedicato „Rerum a Societate Iesu in Oriente gestarum Volumen", Coloniae 1574, 205—206 213 317. Cf. etiam *Can.* IV 1043; V 543; VI 260 375.

[2] Apologeticus adversus gentes c. 50 (*Migne*, P. lat. I 602—603).

[3] L. c. c. 48 (*Migne* l. c. 592).

[4] Ioannes Baptista Fiklerus sive Fickler Backnangiae (Backnang) in ducatu wurttembergico natus (1533—1610), iuris civilis doctor, hoc tempore consiliarius erat Ioannis Iacobi Khuen a Belasy archiepiscopi salisburgensis. Canisium, puto, iam inde ab a. 1551 noverat, quo Ingolstadii ipse litteris studebat, Canisius theologiam docebat; postea Canisii consuetudine frui poterat tum Augustae, ubi a. 1555—1559 Ambrosio de Gumppenberg ecclesiae cathedralis canonico operam praestabat, tum Tridenti, ubi a m. Maio 1562 ad Iunium 1563 oratoribus salisburgensibus ab epistolis erat (*J. Fr. v. Schulte*, Die Geschichte der Quellen und Literatur des Canonischen Rechts, 3. Bd. 1. Th., Stuttgart 1880, 129). Anno 1588 Guilielmus V. Bavariae dux

Ninguarda O. Pr. scripsit: „Habeo etiamnunc sub manibus opus iustae magnitudinis, fere absolutum, in quo ex legibus solum ciuilibus conatus sum per trigintaquinque pene locos theologicos, ab haereticis in controversiam actos, probare, eam fidem esse ueram et genuinam, quam nos Catholici, non uero recentiores[a] Euangelici asserunt. Ideoque eius titulum sic inscripsi. Theologia iuridica, seu ius ciuile Theologicum, quo ex Imperatorum Christianorum, et uetustissimorum quidem, a Constantino magno uidelicet, usque ad Justinum secundum[1], sacratissimis legibus atque constitutionibus probatur, eam quam hodie a maioribus nostris, ueluti per manus traditam Christianitas tenet religionem et fidem catholicam, illam ipsam esse, quae ante mille ducentos et eo amplius annos, istorum caeterorumque Augustorum, et iam inde ab Apostolorum temporibus inuicta floruit.“ Deinde sub m. Martium a. 1573 *Fiklerus* P. Theodorico Canisio collegii universitatisque dilinganae rectori scripsit: „Contulit etiam hoc de libro hisce diebus coram non pauca Reuerendus P. Doctor Petrus Canisius[2], frater tuus chariss. mihique iam antiquae familiaritatis iure coniunctiss. qui etiam suasit, ut singulis illis capitibus, siue locis ex iure ciuili congestis, eodem ordine atque serie ius Canonicum aptare uelim, neque id mihi aduersum est, idque ab initio facere animus fuit: sed quia mihi uidebatur rarius quiddam, et hactenus, quod ego meminerim, a nemine tentatum, legibus ciuilibus tueri causam spiritualem, quod aliquo modo contra rerum seriem fieri quibusdam uidebitur: itaque plures ob curiositatem in huius lectionem, tanquam re noua allectos, prouocari inducique posse speraui. Deinde ueritus sum ne sectarij clamarent, me Papatum papatu (ut ipsi loquuntur) defendere uelle, ideoque alios ab eius lectione deflecterent, consulto omittere statueram, sed quoniam Dominus Petrus arbitratus est, opus ipsum fore perfectius, catholicisque hominibus longe gratius, nec aduersarijs nauseam statim obiecturum, uiro optimo et solertissimo parere, quam rationib. meis pertinacius insistere uolui, et licet nouum minimeque paruum laborem pariat, statim tamen onus illud subiui, in quo cursu iam incepto libentius pergam, ubi cognouero, et tuam[b] et collegarum tuorum sententiam accedere.“

Fiklerus iam antea, ut ex hac ad Theodoricum Canisium epistula intellegitur, librum illum per „uere nobilem, et pium uirum, Dominum Egolfum Cneringium

a) recentiore *libr.* b) tuum *libr.*

Maximilianum (I.) filium ei tradidit ad iuris peritiam instituendum. Libros scripsit cum ad ius, tum ad theologiam spectantes; inprimis protestantium wurttembergensium ministros quosdam refutavit, vir de re quoque numismatica bene meritus, qui vel ab ipso *Petro Philippo Wolf* „ein redlicher und einsichtsvoller Mann“ vocatur (Geschichte Maximilians I. und seiner Zeit I, München 1807, 88—91). Cf. etiam *St. Ehses,* Ein deutscher Chronist des Trienter Konzils unter Pius IV., in „Görresgesellschaft, Jahresbericht für 1917“, Köln 1918, 32—49.

[1] Ab anno 313 ad 578.

[2] Canisius sub exeuntem m. Februarium Salisburgi per breve tempus moratus est; v. supra p. 110.

(Knöringen) Canonicum Augustanum" Dilingam ad Societatis theologos miserat examinandum.

Sive vero Socii dilingani aliter atque Canisius senserunt Fikleroque suaserunt, sive aliud intervenit impedimentum, iuris canonici placita non comparent in Fikleri libro. Qui tandem a. 1575 Dilingae ex typographia Societatis in lucem prodiit („Theologia Iuridica, Seu Ius Civile Theologicum. . . . Authore *Ioanne Baptista Ficklero* I. V. D. etc. . . . Cum priuilegio Caes. Maiest. et facultate Superiorum. Dilingae. Excudebat Sebaldus Mayer. .CIↃ. IↃ. LXXV." Cum litteris dedicatoriis a Ficklero Salisburgo 24. Augusti 1575 ad Maximilianum II. imperatorem datis).

1129. Sub m. Martium 1573.

Ex autographo; Cod. colon. „Un. 603" f. 226ª; complura ex eo posuit *Hansen* l. c. 639 °.

Stephanus Isaak catechismum Canisii hebraice vertendum suscipit.

Stephanus Isaacius, natus a. 1542, natione hebraeus, Ioannis Isaak linguae hebraicae in universitate coloniensi professoris filius, Colonia, ubi canonicus ad S. Ursulae et „Parochus S. Mariae ad Indulgentias" erat, P. Ioanni Rethio S. J. Colonia Romam misso (cf. supra p. 122) 3. Martii 1573 scripsit: „Deliberaui cum venerabilibus patribus D. Doctore Arnoldo, et Hasio [1], vt breuius aliquod opus transferendum susciperem. Itaque dum circumspicio, video me plus vtilitatis et fructus Reipub: Christianae allaturum si pro initio Paruum catechismum Domini Canisij, hebraicum faciam. Seruiet enim cum Iudeis ad fidem conuertendis, tum Hebraicarum literarum studiosis, qui praeter pietatem, etiam linguae vtilitatem inde haurient. Itaque ex consilio Reuerendorum Patrum Domini Leonardi [2], Arnoldi, et Hasij, iam operi me accinxi, ac fretus Dei auxilio negotium conficiam. Si potero addam in fine ex consilio Domini Patris Leonardi Horas B. Mariae Virginis iussu pij quinti vulgatas [3]. Statui S. pontifici [4] dedicare, ac petere vt eundem catechismum sic Hebraice factum dignetur Iudeis Romae et alibi agentibus proponere: Quodsi videro hunc meum laborem Reipub: Christianae esse gratum, conabor magnum illum catechismum Hebraice facere. Poterit vero Reuerentia tua hac de re conferre cum huius linguae peritis, nam ex stylo literarum mearum ad Professorem Hebraicae linguae Societatis Iesu scriptarum, facile iudicabitur, sitne iste meus labor Ecclesiae Catholicae vtilis futurus, vel non. Expecto R. T. iudicium" etc.

Isaak postea fidei studium magis magisque remisit, et tandem Calvinianorum minister factus, a. 1586 libellum famosum adversus ecclesiam germanice edidit (*Hartzheim,* Bibl. Colon. 198—199). Hebraicam autem „Parvi Catechismi Catholicorum" canisiani versionem P. Georgius Mayr S. J. edidit (Ingolstadii 1620; Dilingae 1621, 1622); cf. *Sommervogel* l. c. V 813).

1130. 9. Martii 1573.

Ex exemplo, quod a. 1915 exscriptum est ex apographo antiquo (eiusdem temporis), quod exstat Oeniponte in archivo praefecturae, Cod. 465 f. 229 230.

Magistratus tirolenses Canisium eiusque socios Romam petentes non venire ex locis pestilentia laborantibus testantur eosque valde commendant.

Nos n. [5] serenissimi principis et domini, domini Ferdinandi, archiducis Austriae, ducis Burgundiae etc. comitis Tyrolis, domini nostri clementissimi locumtenens [6], regentes et consiliarij superioris Austriae prouintiarum vniversis et singulis principibus ec-

---

[1] Arnoldo Havensio et Ioanne Hasio, S. J. [2] Kessel, rectoris collegii.

[3] De his v. *Can.* VI 485. [4] Gregorio XIII.

[5] Sic; in exemplo archetypo pro „n.," puto, „infra scripti" vel nomina eorum, qui has litteras dabant, vel eius, qui praecipuus inter eos erat, posita sunt.

[6] Ferdinandi II. archiducis „locumtenens" (praefectus, „Statthalter") tunc erat Swicardus comes a Helfenstein (*Hirn* l. c. I 462), vir Sociorum amantissimus.

clesiasticis et saecularibus, archiepiscopis, episcopis, ducibus et marchionibus, comitibus, nobilibus, clientibus, praefectis, locumtenentibus ac ciuitatum, oppidorum et locorum quorumcunque capitaneis, gubernatoribus, magistris curiarum, judicibus, consulibus, necnon passuum [1] et portuum offitialibus, vectigalium praefectis, daciarijs et thelonearijs [2], ac quibuscunque, qui praesentibus requisiti fuerint, debitis commendationibus et obsequijs nostris praemissis notum facimus, reuerendos patres et dominos societatis Jhesu sacerdotes Paulum Hoffaeum, eiusdem societatis prouintialem in superiorj Germania, Petrum Canisium, Alphonsum Pisanum, Theodorum Peltanum, sacrae theologiae doctores, ac Jacobum Bautenum confratrem et coadiutorem, harum literarum exhibitores, ob negotia sua [3] iter Romam instituisse. Cum igitur ipsj hinc discedentes nos rogauerint, vt eis testimonium in scriptis impartiremur, quod in hac ciuitate Oenipontana nulla pestis grassetur, idque ita sese habeat ac verum sit, ac longo iam tempore nemo quisquam eo morbo in hac ciuitate correptus fuerit, neque is in circumvicinis vel illis locis, per quae praenominati reuerendi patres in Jtaliam per hunc comitatum Tyrolensem profecturi sunt, vigeat, non detrectauimus illis in veritatis certitudinem huius scripti nostri adminiculo gratificari, nam benignitate diuina non modo vlla [a] [?] apud nos saeuit pestis sed nec aliqua de ea suspitio est. Vt igitur praefatis reuerendis patribus et dominis nostra commendatione nostroque testimonio tanto liberior vbique pateat accessus et transitus, ideo omnibus et singulis suprascriptis cuiuscunque status, gradus aut conditionis existant, commemorati serenissimi principis Ferdinandi subditis mandamus, alios vero humaniter requirimus, vt ipsos cum rebus suis, vbique apud vos sine impedimento transire et illis hospitii locum dari permittatis et curetis. In hoc praemissae suae serenitati subditi expressam voluntatem nostram, coeteri autem rem nobis pergratam executuri. In cuius rej fidem et testimonium has literas sigillis nostris annularibus obsignauimus. Datum IX martij anno etc. MDLXXIII.

1131. Ineunte et medio a. 1573.

Ex libro „De vita Petri Canisii de Societate Iesu. . . . Libri tres a *Matthaeo Radero* ex eadem Societate conscripti", Monachii 1614, 138—142. Ex Radero *Iulius Cordara* S. J. hausit (ut videtur) ea, quae posuit in „Collegii Germanici et Hungarici Historia", Romae 1770, l. 2, n. 1—4. Deinde eadem ex Radero et Cordara transcripta sunt a *Dorigny*, *Python*, *Riess*, *Boero*, *Michel* etc.

Cardinali Truchsess auctore Romam Canisius arcessitur. Qui Gregorio XIII. suadet, ut collegium germanicum amplificet et alia collegia Romae alibique condat.

P. Matthaeus Raderus S. J. in vita Canisii a. 1614 Monachii a se edita longam posuit epistulam de rebus Romae olim a Canisio gestis ex eadem urbe a. 1613 ad se datam a P. Sebastiano Beretario S. J.; qui, ut Raderus ait, „spectator adfuit, cum Romae Canisius esset"; de qua epistula complura dicta sunt Can. VI 578—581. In eadem de Canisio Romam a. 1573 profecto Beretarius haec narrat: Occasio Canisii accersendi illa fuit. Conflato, auctore Pio Pont. Max. inter Romanam Ecclesiam, Hispaniae Regem, et Venetorum Rempublicam foedere aduersus Turcam Italiae imminentem, ac post partam nobilem illam naualem victoriam ad Echinadas, ac post Pii V. mortem rescisso; Gregorius XIII, qui Pio successerat, magno animo belli consilia susceperat, spe concepta (eae vires hac conspiratione Christianae Reip.

a) *Sic; scribendum fuisse videtur:* nulla.

[1] Adituum custodiis munitorum.
[2] Exactoribus tributorum et vectigalium. [3] De his v. supra p. 106 110.

accesserant) fore vt a Graeciae ceruicibus Turcarum iugum pelleretur, et vtraque Ecclesia in antiquam concordiam reuocaretur. Hac spe deiectus[1] in tantum incidit moerorem, vt dolorem suum in omni sermone praeseferre non dubitaret, Graecorum damno maxime permotus. Agebat adhuc in Vrbe magnis de causis Trucksessius Augustanus Cardinalis, is ad auertendum ab ea molestia eius animum, Pontificem admonuit, finitimae Germaniae mala non minori illi curae, quam Graeciae toto mari a nobis dissitae esse debere, faciliusque eius vulnera adhuc recentia, quam Graeciae iam inueterata sanari posse. Non auersis auribus haec accepit Pontifex, desperataque Graecia ad opem Germaniae ferendam omne studium conuertit: consilium ad id quaerenti; neminem posse, commodius consilium rei totius expedire, respondit Augustanus, quam Petrum Canisium, e Societate Jesu virum doctrina, fide, vitaeque sanctitate, Germania tota in primis clarum; ipsum Germaniam pene omnem, primariasque Vrbes lustrasse, viros principes adiisse, quo morbo singulae quaeque partes laborent, inspexisse; quibus remediis sanari possint, omnium optime tenere. Accitus Romam, nullum esse docuit praesentius remedium, quam si Germanorum alumnorum Collegium, iam inde a primis nostrae Societatis initiis Romae institutum, per id tempus ad eam paucitatem redactum, vt raro admodum duodecim alumnorum numerum excederet, subleuaretur, aliaque per Germaniam eiusmodi Collegia excitarentur, quibus Germani adolescentes Ecclesiastica disciplina doctrinaque Catholica et literis educarentur[a], his postea paroeciae, cathedrae, aliaque Ecclesiastica munera demandarentur, nulla re magis Germaniam laborare, quam inopia doctorum Sacerdotum, qui praesint Ecclesiis et animarum curae, populos sincera doctrina erudiant, et loquaci audaciae haereticorum doctrina et Euangelica veritate se opponant. Probatum est sapientissimo Pontifici integerrimi hominis consilium. Inde Germanicum Collegium in Vrbe, ad hanc, quam nunc videmus, amplitudinem redactum, aliaque, quae nunc felici cursu progrediuntur, variis Germaniae in Vrbibus instituta,* annuo prouentu copiam simul honestorum, simul et doctorum Sacerdotum Germaniae suppeditant, qui quocunque mittuntur, haeresin profligant. Profuit consilium non Germaniae solum, sed aliis etiam nationibus, maiore quam Germania peste laborantibus, quippe Germanici Collegij exemplo et consilio a Canisio indicato, eodem ferme tempore, ab eodem vigilantissimo, et religionis propagandae studiosissimo Pontifice, alia Collegia in Vrbe instituta: Anglorum primum, numero, studio et uirtute Germanico haud multum impar. Neophytorum alterum, in quod tenera aetate adolescentes ex Iudaismo et Mahometanismo ad

a) educaretur *Rad.*

[1] Neque Maximilianus II. imperator, neque Carolus IX. Galliae rex foederi adversus Turcas facto ascribi volebant; immo Carolus Turcas fovebat; et Veneti initio a. 1573 a foedere illo recesserunt.

Baptismum admissi cooptentur... Maronitarum tertium haud ita multo post Collegium erectum . . . Graecorum quartum; varia denique in exteris nationibus, Dilingae, Viennae, Remis, atque adeo etiam apud Iapones et Paganos coetus aluit adolescentum, quibus domicilia in spem orbis totius ad Christum reuocandi collocauit. His magnis operibus ab vno Canisio initium profectum.

Aliquanto quidem haec narratio posterior est quam istae res quae narrantur; verum, quae eiusdem temporis sunt, monumenta fidem et auctoritatem ei conciliant; quare *Sacchinus* quoque, quod ad seminaria germanica attinet, eam secutus est (*Can.* 286—287). Fatendum tamen est, Beretarium rei actae modum excedere, cum seminariorum illorum „ab uno Canisio initium profectum" esse scribit; certe alii quoque iique multi consilium et operam ad eam rem contulerunt [1].

Reliqua pars litterarum Beretarii posita est in *Can.* VI 578—580, quia ad ea spectat, quae Canisius Romae annis 1565, 1568, 1573 praestitit, adulescentes collegii germanici et alios Germanos exhortando, templa, valetudinaria etc. obeundo, pietatis romanae exempla colligendo, cum S. Philippo Nerio, Caesare Baronio, aliis familiariter agendo.

Dubium esse non potest, quin Canisius hisce mensibus semel atque iterum ad pontificem coram rettulerit non solum de illa ad principes legatione (v. supra p. 106), sed etiam de plurimis aliis Germaniae rebus. Certum quoque est, „congregationem germanicam", quae ab initio m. Maii ad exeuntem Iunium minimum 6 consessus habuit (*Schwarz,* Gut. 74—77), Canisii consiliis usam esse; quorum cardinalium complures, ut Moronus, Hosius, Delphinus, eum iam diu noverant.

Deinde hoc et ex Canisii litteris 15. Octobris 1573 ad cardinalem Hosium datis (supra p. 143) colligitur, et aliunde conici potest: Canisius ea opportunitate utebatur ad bibliothecas pro libris, quos parabat, perlustrandas.

1132. **A 12. (26.) Aprilis ad 16. Iunii 1573.**

Ex Codice „Congr. 1", p. 97—115.

Canisius Romae 3. congregationi generali S. J. interest.

Tertiae congregationis generalis Societatis Iesu, anno 1573 habitae, Acta Romae inter a. 1581 et 1593 inscripta sunt in codice, quo novem primarum Societatis congregationum (1558—1649/50) acta comprehenduntur. Eiusdem tertiae congregationis Actorum magna pars postea saepe typis exscripta est (mutatis complurium decretorum numeris et aliis rebus minoris momenti) in libellis librisque, qui „Canones Congregationum generalium" vel „Decreta Congregationum generalium" inscribuntur, et in editionibus totius „Instituti" Societatis (*Sommervogel* l. c. V 81—86 95—97). Praeterea historiam quandam congregationis scripserunt *Sacchinus,* Hist. IV l. 1, n. 10—37, et *Astrain* l. c. III 1—21. Quare hic ea sola ex ipsis Actis exscribentur, quae ad Canisium proxime spectant. Ac primum quidem omnium sessionum, quibus Canisius interfuit, dies et decreta brevissime ponentur; deinde decreta, quae ad Canisii historiam maxime pertinent, singillatim ponentur.

Sessiones habitae sunt „domi nostrae" sive in domo professa Societatis. Sessionibus 12., 13., 14., 15., 18., 25. Aprilis Canisius, quia nullum ei ius, ut interesset, erat (v. supra p. 652), non interfuit. Diebus 22. et 23. Aprilis, cum praepositus generalis eligeretur, ipse cum aliis electores „includebat"; de qua re infra, monum. 1133, dicetur. D. 26. Aprilis congregatio decreto 8. (post electionem) statuit, ut Canisius in posterum admitteretur, nullo tamen assistentes eligendi iure; deinde decreta 9. et 10. condidit; postea habiti sunt consessus et facta decreta: Aprilis

[1] Modestius *Longarus degli Oddi* S. J.: „A' consiglj del Canisio debbonsi in parte e il Collegio Germanico . . . in Roma, e i tanti altri nella stessa Germania, fondati da quel zelantissimo Pontefice" (l. c. 215).

d. 28. decr. 11., 12; d. 29. decr. 13.—16.; Maii d. 1. decr. 17.—19.; d. 2. decr. 20.—22; d. 4. decr. 23.—25.; d. 8. decr. 26., 27.; d. 9. Maii electi sunt praepositi generalis „assistentes"; assistens pro Germania et Gallia electus est P. Oliverius Manareus, rector collegii parisiensis; idem „admonitor" generalis est constitutus. Post sessionem 10. Maii habitam consessus habiti et decreta facta sunt: Maii d. 16. decr. 29; d. 18. decr. 30; d. 22. decr. 31.; d. 23., 24. decr. nullum; d. 27. decr. 32.—34.; d. 28. decr. 35.; d. 29. decr. 36.—38.; d. 30. decr. 39.; Iunii d. 2. decr. 40., 41.; d. 4. decr. 42.—44.; d. 5. decr. 45.; d. 9. decr. 46., 47.; d. 12. decr. 48., 49.; d. 13. decr. 50.—52.; d. 14. decr. 53. —55.; d. 16. decr. 56.

Eodem die 16. Iunii „postremo loco R. Pater Generalis" Everardus Mercurianus „breuem exhortationem habuit latinam, qua omnes Patres ad omnium virtutum perfectionem, et praesertim ad unionem animorum et exactam Constitutionum obseruationem adhortatus est: et cum Te Deum laudamus, et alias orationes simul omnes recitauissent, et in mutuos amplexus incurrissent, maxima singularis Charitatis et summae Coniunctionis argumenta sibi inuicem declarantes Congregationi finem in nomine Jesu imposuerunt praedicta die 16. Junij 1573."

1133. 15. Aprilis 1573.

Ex Actorum exemplo, de quo supra p. 666. Congr. 1, p. 99. Actis usus est *Sacchinus*, Can. 287.

Canisio (aliisque) electorum generalis „inclusio" committitur.

Die 15. Aprilis 1573 a Societatis tertia congregatione generali, ad praepositum generalem eligendum se parante, P. Petrus Canisius omnium consensu electus est, ut cum Procuratoribus Prouinciarum, et Ministro Domus Romanae electores ipso electionis die includeret: *Ita congregationis Acta.*

„Procuratores provinciarum" aderant duo: P. Ignatius Martinez procurator „Indiae et Brasiliae" et P. Richardus Tectorius procurator Poloniae (ex iisdem Actis, l. c. p. 103). Domus professae minister erat P. Christophorus Madridius (*Sacchinus*, Hist. S. J. IV l. 1, n. 22).

S. Ignatius constituerat: „Ipso die electionis, . . . qui suffragium habent, . . . in . . . locum Congregationis ab aliquo ex Praepositis, vel Rectoribus, vel aliquo quopiam de Societate, cui id officii in Domo Congregationis commissum fuerit, includantur; ita ut nec inde egredi nec eis aliquid ad victum, praeter panem et aquam, dari possit, donec Praepositum Generalem elegerint": Constitutiones P. 8, c. 6, n. 3 4.

Custodia haec, inquit P. *Sebastianus Beretarius* S. J. Roma a. 1613 P. Matthaeo Radero scribens, est „munus non nisi primario alicui de Societate viro demandari solitum" (*Raderus* l. c. 138).

1134. 22. et 23. Aprilis 1573.

Ex Actorum exemplo, de quo supra p. 666. Congr. 1, p. 102—103.

Electione praepositi generalis mandato pontificis de non eligendo quoquam hispano intercepta Canisius cum aliis Sociis mittitur Tusculum ad libertatem electionis petendam; qua restituta electio absolvitur.

Decretum 13.m die 22. Aprilis.

Cum Patres Congregationis . . . ad eligendum Praepositum Generalem in consuetum locum conuenissent, et iam latina exhortatio pronuntiaretur[1] · Jll. Cardinalis Comensis[2] Summi Pont. nomine eo uenit,

---

[1] P. Antonius Possevinus ad eam habendam a congregatione 15. Aprilis delectus erat (Acta l. c. p. 99).

[2] Ptolemaeus Galli, Gregorii XIII. in rebus gerendis praecipuus administer.

et sedens totam Congregationem allocutus est, cumque officiosa oratione nostram Societatem Sanctissimo D. N. summae curae esse declarauisset, tandem significauit illius Sanctitatem monere Congregationem ac etiam iubere, ut quandoquidem hactenus omnes Praepositi Generales Hispanicae nationis extiterant, nunc Generalem Praepositum ex aliqua alia natione pro hac uice et non ex Hispanica eligerent, propterea quod persuasum habebat ad commune bonum Ecclesiae, et ipsius Societatis pertinere. Cui cum responsum fuisset a P. Vicario, rem esse prius cum Congregatione tractandam, et deinde ad Summum Pontif. referendam, qui nos obedientiae filios[1] semper esset inuenturus, ille discessit. Post eius porro discessum ab instituta actione cessatum, et deliberari coeptum est, quidnam agendum esset, et decretum fuit, ut rationes, et incommoda quae ex huiusmodi praecepto consequerentur, a Patribus superius decreto 8º deputatis[2] (quibus et alij si quid occurreret suggerere possent) colligerentur, et ex illis neruosum aliquod scriptum conficeretur, quod summo Pont. offerri posset, et ut ad illum cum eo scripto quamprimum proficiscerentur Congregationis nomine P. Leo Enriquez .P. Paulus Hoffaeus .P. Laurentius Magius .P. Oliuerius Manaraeus .P. Petrus Canisius, qui omnes eodem die Tusculum[3], ubi Sum: Pont. erat profecti sunt.

Decretum 14. die 23. Aprilis

Cum praecedenti nocte Praedicti Patres redijssent et in Congregatione retulissent Sum: Pont. praeceptum suum reuocasse, et nos pristinae nostrae libertati, quae in Constitutionibus nostris exprimitur[4] restituisse, et disertis uerbis saepe testificatum esse, se nolle ulla ratione nostrarum Constitutionum synceritati praeiudicare, adiecisse tamen, sibi gratum admodum fore, si ex aliqua alia natione praeter Hispanicam Praepositus Generalis eligeretur · decretum fuit ut fieret electio libera, et simpliciter iuxta Conscientiam uniuscuiusque prout summus Pont. concedebat et seruata consueta iuramentj formula[5], et ut statim ad electionem pergeretur, quemadmodum etiam summus Pont. se cupere monuerat; et ibi inchoaretur ubi heri desitum fuerat. Quod et factum est, et primo Scrutinio R. P. Euerardus Mercurianus in Praepositum Generalem electus fuit 27. suffragijs pro illo numeratis,

[1] 1 Petr. 1, 14.

[2] Congregatio decreto 7. (ante electionem) constituerat, ut ex quinque nationibus germanica, italica, gallica, hispanica, lusitanica quinque Patres eligerentur, qui cum Polanco et quatuor assistentibus et PP. Alphonso Salmerone et Nicolao Bobadilla viderent et cognoscerent, num quid detrimenti Societas vel passa esset vel „passura timeretur"; decreto autem 8. (14. Aprilis) elegerat P. Oliverium Manareum pro Gallia, P. Paulum Hoffaeum pro Germania, P. Franciscum Adornum pro Italia, P. Michaelem Torres pro Lusitania, P. Ioannem Plaza pro Hispania (ex iisdem *Actis, Congr. 1, p. 99).

[3] Frascati. [4] P. 8, c. 6, n. 5 6 et F.

[5] Cf. Constitutiones P. 8, c. 6, F et Congregationis generalis primae decr. 70 post elect. (*Institutum* S. J. II 171).

et decretum a P. Vicario formatum fuit, et reuerentia illi secundum Constitutiones exhibita.

1135. 26. Aprilis 1573.

Ex Actorum exemplo, de quo supra p. 666, Congr. 1, p. 104—105. Decretum, ascripto numero 5., typis exscriptum exstat in „Decretis tertiae Congregationis post electionem" (*Institutum* S. J. II 220).

Canisius ad Societatis congregationem generalem admittitur.

A Societatis tertia congregatione generali in sessione 26. Aprilis 1573 habita decreto 8. post electionem praepositi generalis sic constitutum est: Propositum fuit an P. Petrus Canisius, qui a Summo Pont. Romam accersitus fuerat ad Congregationem esset admittendus, et quo loco collocandus · Decretum autem fuit, ut ex quadam aequitate admitteretur, cum praesertim non paruam utilitatem negotijs tractandis afferre posset, et ut sederet post Prouinciales iuxta ordinem suae professionis. Verum ut hoc factum non traheretur in exemplum, nec ipse ad electionem Assistentium suffragium haberet iuxta Const. 9. par. cap. 5º §º 3ª.

Hoc *Constitutionum* Societatis loco praecipitur: Assistentium electio „eorum erit, qui Praepositum eligent, quando ad id congregantur".

Iam die 25. Aprilis decreto post electionem 2. „declaratum" erat, PP. Martinez et Tectorium procuratores (v. supra p. 667) „debere uocari" in congregationem; simul „decretum" erat, „ut suffragium haberent ad omnia praeterquam ad electionem Assistentium" (l. c. p. 103).

1136. 28. et 29. Aprilis et 5. Iunii 1573.

Ex Actis, de quibus supra p. 666. Congr. 1, p. 105—106 113. Decreta 12. et 45. exstant, ascriptis numeris 8. et 30., in „Decretis tertiae congregationis post electionem" typis exscriptis (*Institutum* S. J. II 220 225).

Canisius cum 6 aliis designatur ad notanda instituti Societatis loca concilio Tridentino repugnantia et ad colligendas difficultates constitutionum etc.

28. Aprilis . . . Decretum 12.m

Propositum . . . fuit de deputatione facienda ad examinandum si quid in Concilio Trid. reperiretur quod nostris Constitutionibus aduersari uideretur; et de quo declaratio aut etiam dispensatio a summo Pont. peti deberet? et placuit, ut ijdem, quibus in 2ª generali Congregatione decreto 8. hoc munus commendatum fuerat [1], id etiam nunc expedirent, et quae tunc annotata fuerant, nec tamen ad Congregationem relata, ea diligenter inspicerent, adiungendo illis, si quos P. Generalis adiungendos esse iudicaret, in eorum, qui deerant, locum aliquos alios, et quae perfecissent, Congregationi proponerent.

Decretum 13.m 29. Aprilis

A P. Generali . . . ad expendenda acta Concilij Tridentini et notanda ea[a] quae Constitutionibus nostris aliquo modo aduersari uidentur,

a) *Hoc v. supra versum scriptum est.*

[1] Vide *Can.* V 756.

et ea Congregationi proponenda, designati sunt tres sequentes· P. Christoforus Madridius. P. Emundus Hayus Prouintialis Franciae. P. Alfonsus Pisanus, qui adiungerentur quatuor alijs, qui ex septem in Decreto 8. 2.ae Congregationis post electionem nominatis praesentes aderant. P. Alfonsus Salmeron Prouintialis Neapolitanus. P. Petrus Canisius. P. Hieronymus Natalis. P. Michael Gouiernus, et omnes in Congreg. publicati fuerunt.

Decretum 14m [1].

Propositum etiam fuit, an aliqui essent deputandi, qui difficultates circa Constitutiones et Bullas Societatis occurrentes colligerent, et ad Congregationem referrent. Placuit autem hos deputandos esse, et hanc deputationem eisdem committendam esse, quibus officium expendendi acta Concilij Tridentini incumbebat.

Decretum 45.m die 5.a Junij. Cum in plena Congregatione legerentur illa, quae deputati ex Concilio Tridentino nostris Const. et priuilegijs repugnare annotarant, decretum fuit, ut Reuerendus P. Generalis primo quoque tempore oportuno relaxationem illarum derogationum curaret.

In iisdem Actis (l. c. p. 136—137) congregationis generalis tertiae exstant duae „Designationes" sive indiculi, unus locorum concilii tridentini, „quae cum nostris Constit: priuilegijs et usitato agendi modo plane pugnare uidentur", alter eorum, „quae cum nostro instituto, eiusque priuilegijs quodam modo pugnare posse uidentur"; in fine autem prioris indiculi haec quoque dicuntur: „Visa est etiam Bulla noua Gregorij XIIJ. Pont. Max. quae omnium regularium priuilegia, et indulta prius concessa reuocat, eosque licet exemptos subijcit, plane dispositioni iuris communis, et Concilij Trident.": Quae bulla, Roma Kalendis Martiis 1573 data, exstat in *Bullario* Romano VIII, Neapoli 1883, 39—41. „Designationes" autem illae typis exscriptae sunt in „*Instituto* S. J." II 244—246.

Ceterum 9. Iunii 1573 decreto 47. a congregatione statutum est: „Cum Prouinciales Vltramontani suo, et Sociorum nomine urgerent, ut Congregatio generalis hac hebdomada dissolueretur, et quaecunque intra illud tempus expediri possent expedirentur · reliqua uero si qua superessent ad R. P. Generalem cum Assistentibus conficienda reijcerentur; visum est Congregationi ut ad proximum diem Sabbathi, uel Dominicum, qui erit 15. Junij finiretur (sic tamen ut intercedi posset, si necessitas alicuius rei grauis ita postularet). . . . Jntra hoc uero tempus Patres afferrent, si quae praeterea afferenda iudicarent, et illa omnia expedirentur quae Congregationis auctoritatem necessario requirunt: reliqua P. Generali conficienda relinquerentur, ita tamen ut secundum Societatis morem cum Assistentibus ea tractaret" (ex Actis. „Congr. 1", p. 113). Cum autem congregationem 15. Iunii terminari non posse cognitum esset, postridie eius diei tandem absoluta est (v. supra p. 667).

1137. 22. Iunii 1573.

Ex Hoffaei commentario autographo, qui est in „Opp. NN. 158. 159" f. 101a, et ex „Casuum disputatorum" exemplo (A) fere eodem, ut videtur, tempore, certe saeculo XVI., Dilingae in usum collegii Societatis scripto, quod est in „C 1" p. 10—11; quod exemplum contuli cum 3 aliis; quorum unum (B), Romae scriptum et manu P. Antonii Possevini S. J. (qui, si non adfuit disputationi, certe Romae tum fuit) emendatum, exstat in „Opp. NN. 158. 159" f. 83—84, alterum (C), saeculo XVI.

[1] Hoc quoque decretum 29. Aprilis factum est.

scriptum, est ibidem f. 1, tertium (D), in usum Canisii scriptum, est in „Can. 10" p. 53—56. Commentarium (ex exemplo C) germanice vertit et aliquantum contraxit *Duhr*, „Die deutschen Jesuiten im 5%-Streit" etc., in „Zeitschrift für katholische Theologie" XXIV 217—218; quae iterum posuit in „Geschichte der Jesuiten" etc. I 717—718.

Romae 12—14 Societatis theologi (et in his Canisius?) bis congregati de 5% respondent.

P. *Paulus Hoffaeus* in commentario quodam sub a. 1587 scripto asserit, a. 1573 tempore congregationis generalis (cui ipse interfuit) ad quaestiones de 5% solvendas „deputatos esse 12. aut 14. Doctores Societatis", eosque ea de re „plures sessiones habuisse".

Quaerentibus nobis quinam illi 12—14 fuerint, ex scripto de „Casibus", quod infra ponetur, haec occurrunt nomina: 1. „Praeses" disputationis „R. P. D." Franciscus „Toletus". 2. P. Jacobus „Ledesma", hispanus, qui in universitatibus complutensi, parisiensi, lovaniensi litteris studuerat et eo tempore collegii romani studiis praeerat (*Can.* II 353[1], V 183[6]). 3. „P. D. Leo" Enríquez (Henriques), ex nobilissima Lusitaniae familia ortus, pro provinciali Lusitaniae Romam ad congregationem generalem missus (ubi electionem praepositi turbaverat, sed errorem, ubi cognoverat, diligenter correxerat), vir magnae auctoritatis in patria, ubi collegia et totam provinciam rexit . 4. „P. Paez"; quem puto fuisse illum P. Petrum Páez, qui cum Dionysio Vasquez per aliquot annos Hispanis et Lusitanis Antverpiae mercaturam facientibus ministeria sacra exhibuit (*Astrain* l. c. II 372); 5. „P. D. Bernal", et ipse ad congregationem generalem missus, qui ante Societatis ingressum Granatae ius docuerat; is provinciam Andalusiae bis rexit et singularibus a Deo donis, ut prophetiae et miraculorum, ornatus esse fertur ob vitae sanctitatem; qua Ledesma quoque et Enriquez insignes erant. 6. 7. 8. „Tres Prouintiales; qui erant, puto, Laurentius Magius provincialis Austriae et Paulus Hoffaeus provincialis Germaniae superioris et unus ex provinciarum gallicarum praepositis; horum sane maxime intererat, ut nodus ille solveretur; „Aliquos" denique „alios, tam Germanos, quam Gallos" disputationibus interfuisse narratur in scripto, quod dixi. Ex horum 4—6 numero P. Oliverium Manareum fuisse colligi potest ex *Hoffaei* litteris 2. Octobris 1580 ad illum datis (v. supra p. 575); quamquam Hoffaeum memoria fefellisse videtur, cum Manareum conventus illius „praesidem" fuisse scriberet. Interfuitne etiam Canisius? Nondum ille Roma abierat (v. infra, monum. 1139); magnae erat auctoritatis; Augustae per multos annos consuetudo ei fuerat cum Fuggeris et Velseris, praeclaris illis mercatoribus; vehementer ipse petierat, ut Romae ad quaestiones illas responderetur (v. supra p. 10 55 91). Accedit, quod, novis de 5% difficultatibus ortis, *Oliverius Manareus* Societatis vicarius generalis Roma 27. Octobris 1580 Canisio scripsit: Hae non videntur „tolli posse, nisi cum P. Prouincialis et electores [novi praepositi generalis] istinc ad Congregationem uenerint: quo tempore et illis et alijs, nostrisque insuper doctoribus qui hic sunt in consultationem adhibitis ut in alia Congregatione praesente Reuerentia V. factum est aliquid decerni poterit" etc (v. supra p. 581). Dubitari tamen potest, utrum Manareus his verbis tantum dicat Canisium congregationi illi generali interfuisse, an eum singulari quoque illi theologorum conventui, qui eiusdem congregationis tempore de 5% habitus est, interfuisse significet. Et si Canisius disputationibus interfuit, cur in relatione de iisdem conscripta eius nomen non est positum? Ipse certe maioris erant auctoritatis quam PP. Ledesma, Páez, alii ibidem nominatim commemorati. Et ipse Canisius, cum de disputationibus illis scribit, ita scribit, ut aliqua ratione significare videatur, se iis non interfuisse: v. supra p. 135 154. Noverat Hoffaeus provincialis, Canisium de 5% severius sentire; fortasse igitur ipse impedivit, ne Canisius ad consilium illud vocaretur.

Casus disputati[a] in Congregatione, habita nomine R. P. Generalis[1], die 22. Junij .1573. Praeside R. P. D. Toleto, cum P. Ledesma, P. Paez, P. D. Leone, P. D. Bernal, tribus Prouintialibus et[b] aliquibus alijs, tam Germanis, quam Gallis.

P.ª Quaestio.

An acciperem quinque pro centum, ultra sortem ex genere suo liceret.

Resp.[c]

Ex genere suo non licet. Vnde hunc contractum celebrare, cuiuis cum quouis non licet, ut ciui communi[d], cum ciue communi, etiamsi sit mercator, non tamen habita ratione mercaturae etc. sed illius ciuis.

2ª. Quaestio.

An liceat[e] celebrare huiusmodi contractum miserabilibus personis cum quouis · per miserabiles intelliguntur uiduae, pupilli, pauperes, quique carent industria, uel[f] potestate se iuuandi.

Resp.

Non licet.

3ª Quaestio.

An huiusmodi contractus, iusta aliqua circumstantia[g] [?] possit celebrari.

Resp.

Huiusmodi contractus non licet[h] [?] per solam consuetudinem etiam lege probatam.

4ª. Quaestio.

An liceat a tutoribus, aut alijs[i] [?], qui habent uicem tutorum, accipere pupillis[k] [?] quinque pro centum.

Resp.

Licet pupillis a tutoribus uel habentibus locum tutorum huiusmodi quinque pro centum accipere[l], ratione lucri cessantis, quando tutores, uel habentes locum tutorum[m] potuerunt negotiari, sicut iure tenebantur. [Jpse autem pupillus non tenetur exquirere, an potuerit nec non][n] [?].

5ª. Quaestio.

Quaesitum est an liceat, quando interesse certum est, quantitas uero eius incerta, accipere quinque uel septem pro centum per modum cuiusdam tractationis[o] [?]. Nam iuxta [communem][p] opinionem Iuris-

a) *D haud recte:* deputati. b) *B perperam:* ex. c) *In B desunt, quae sequuntur, usque ad* cuiuis cum *excl.* d) *Hoc v. deest in C.* e) liceret *A D.* f) et *C.* g) circa aliqua circumstantia *D;* iusta aliqua de causa *C; quae lectio magis mihi placet quam ea, quam habet A.* h) *Supplendum esse videtur* celebrare, *quod est in C.* i) aut ab ijs *B; et vide infra, adnot. k.* k) *Malim legere:* An licet pupillis accipere a tutoribus aut ab his, qui habent uicem tutorum*; ita C.* l) Licet pupillis accipere huiusmodi .5. pro 100 a supradictis *C.* m) quoniam illi *C.* n) *Quae uncis inclusa sunt, suppleta sunt ex B; eadem in C quoque sunt.* o) *Ita quidem A D; sed malim legere* transactionis, *quod est in B C.* p) *Hoc v. supplendum esse puto; quod est in B C.*

[1] Everardi Mercuriani.

consultorum, teste etiam Couaruuia, libro 3. uariarum resol. uidetur quod liceat[a] [1].

Resp [b] [?].

[Videtur quod liceat.] [b].

In secunda consultatione[c] haec decisa sunt.

Licet nostris confessarijs sequi opinionem Summistarum[d] [2] in quindecim casibus, qui notari[e] solent de accipiendo lucro, ultra sortem in mutuo, quamuis non ex mutuo.

Licet dare pecunias mercatoribus ad Societatem saluo capitali cum parte lucri. Quia ibi saltem uirtualiter intelligitur pars residui[f] [?] facta pro assecuratione, et capitalis, et lucri accepti, siue haec societas fiat scripto, siue uerbo tantum.

Eadem Societas fieri potest, cum artificibus, uel alijs, qui sua uel aliena pecunia negotiantur in herbis etc.[g]

Licet mercatoribus, ab alijs mercatoribus accipere[h] pecunias quascunque, quas daturi erant ad Cambium licitum, uel alioquin expondi ad negotiationem cum conditionibus[i] lucri cessantis.

Licet super rem fructiferam collocare census utrimque redimibiles, aut super redditus communitatis. Vbi autem Bulla Pij V. obligat, emptor non potest obligare uenditorem[k] ad reemendum[3].

a) *Haec 3 vv. sunt in A B C D; in B tamen linea transmissa deleta sunt.* b) *Haec vv. in B Possevinus posuit eo chartae loco, quem librarius vacuum reliquerat pro responsione addenda; in A autem librarius scripsit* Resp. *et spatium vacuum reliquit responsioni; in C D nec Resp., nec spatium vacuum cernitur.* c) congregatione *Poss. in B.* d) iuristarum *C.* e) numerari *C.* f) *Sic A D;* pars residua lucri *B C.* g) *Hoc v. deest in D.* h) *In B primum scriptum erat:* Licet mercatoribus ab alijs mercatoribus; *deinde alia quaedam manus supra versum ascripsit* si illis dant; *quibus vv. deletis correxit* dare *ex* ab. i) additionibus *C.* k) *Ita in B ex* emptorem *correctum est manu illa, quam dixi supra, adnot. h.*

---

[1] *Didacus de Covarruvias y Leyva* (1512—1577) toletanus, vir iuris peritissimus, cum Salmanticae ius canonicum tradidisset et sub Pio IV. in concilio tridentino multum laborasset, a. 1565 episcopus segobiensis, a. 1572 praeses senatus castellani factus erat. Is in „Variarum resolutionum Libro III" c. 4 n. 7 primum quidem scribit, inter venditorem et emptorem posse pactionem fieri de solvenda „certa quantitate, quae verisimilibus coniecturis conueniat quantitati, quae vere intersit" (i. e. lucri cessantis); deinde autem in eodem n. 7 lectores remittit ad eiusdem libri c. 1; in quo eum qui „praeter mille centum quae sibi iure debeantur" capiat, fenus iniquum exercere sive „usurarium" esse negat, et planis verbis affirmat: „Justissime creditores defenduntur, qui a debitoribus vltra sortem principalem, aliquid recipiunt ratione interesse, vel damni emergentis, vel lucri cessantis": Opera omnia II, Antverpiae 1627, 215 237. Ab eodem ibidem c. 2, concl. 3 „contractus trinus" videtur haberi licitus (l. c. 223).

[2] Theologorum et iuris canonici peritorum qui „Summas" scripserunt, quibus doctrinam sacram complectebantur. Ita in „Summa angelica" sive B. *Angeli Carleti* O. Min. „Summa de casibus conscientiae" (Argentinae 1489, f. CCCLVIII[b]—CCCIX[a]) quinque, et in „Summa Astensi" Fr. *Astesani de Asta* O. Min. primum a. 1480 Venetiis excusa decem recensentur „casus", in quibus liceat aliquid ultra sortem accipere (Summa Astensis, editio nova, cura Fr. *Io. Bapt. Lamberti* O. Min., Romae 1728, 328—332).

[3] De hac bulla, Roma 19. Ianuarii 1569 data, vide *Can.* VI 287[3]. P. *Ioannes Polancus* vicarius generalis *scripserat P. Theodorico Canisio rectori dilingano Roma

Qui hactenus[a] celebrarunt illos contractus quinque pro centum, non sunt obligandi ad restitutionem, quia bona fide fecerunt, et cum opinione doctorum.

Quando Reges, Principes, Resp. et Domini accipiunt ab inuitis pecunias[b], aut si sint preces armatae[c], licet accipere aliquod lucrum, licet[d] alioqui non essent exponendae illae[e] pecuniae negotiationi.

Quotiescunque duo uel tres doctores idem sentiunt in rebus moralibus et conscientiae casibus, potest Confessarius illos sequi[f], quando non reclamat communis sententia Doctorum[g].

Quotiescunque[h] dantur pecuniae[i] hac intentione, ut eodem in loco cum lucro soluantur, etiamsi alio literae mittantur, et solutio fiat, est usura mentalis[k].

1138. 25. Iunii 1573.

Ex exemplo (A), quod eodem fere tempore Romae manu ignota in codice usui supremorum Societatis moderatorum destinato scriptum est; primae „facultati" manu P. Antonii Possevini S. J., qui tunc secretarius Societatis erat, ascriptum est: „Facultates concessae Septentrionalibus"; Cod. „Inst. 190" f. 107^a—108^a. In eodem codice f. 54^b—55^a exstat alterum exemplum (B) idque eadem, ut videtur, manu scriptum atque exemplum, quod prius dixi. Tertium exemplum (C), quod paulo post Dilingae in usum collegii illius scriptum est, exstat in Cod. „C 1" p. 478—480.

Gregorius XIII. Canisio et 4 aliis Sociis instantibus Societati pro septentrione multas tribuit facultates ad animas iuvandas.

Facultates a Sanctissimo Domino Nostro Gregorio XIII die 25. Junij 1573. instantibus P. Benedicto Palmio, P. Laurentio Magio, P. Petro Canisio, P. Antonio Posseuino, et P. Guilelmo Creyton de Societate Jesu[1] apud S. Petrum[2] concessae pro Partibus[l] Septentrionalibus, ubi haereses uigent, et Ecclesiastica Jurisdictio labefactata est, ut illae per designandos quosdam de Societate Jesu pro arbitrio Praepositi Generalis duntaxat gratis et in foro interiore ad consolationem et

a) autem *C.* b) *Quinque vv. sqq. non sunt in C.* c) *In B manu illa, de qua supra, sic est correctum ex* armatorum. d) quamuis *C.* e) *Deest in D.* f) *In B sequitur:* etiamsi ipse Confessarius, et alij Doctores contrarium opinantur*; et his vv. linea subducta est.* g) *Ita A C D; in B autem primum quidem haec condicio sive clausula omnino deerat; deinde Possevinus ascripsit:* quando non reclamat communis opinio*; tertia denique manus ex* communis opinio *correxit primum quidem* commune axioma*, deinde autem* communis doctorum consensus. h) *In C huic sententiae haec praeposita est praefatio:* In alia congregatione quatuor uel .5. doctorum. *In margine autem eadem manu scriptum est:* P. Led. *[= P. Ledesma].* i) *In C sequuntur vv.* in cambio. k) *In B hoc ultimum responsum manu Possevini scriptum est.* l) *Sic B C; A perperam:* Patribus.

---

6. Februarii 1573: „Si uedra mandar con questa la bolla di Pio Quinto feli: me: sopra li censi che V. Reuerenza ricerca". Et *Hoffaeo provinciali Roma 20. Februarii 1573: „Al padre Rettore [di Dilinga] si scriue non permetta che dal canto nostro sia publicata la bulla di Pio V. sopra li censi, quantunche in quella non pare ui sia difficultà essendo assai giustificata et moderata." Et *Theodorico Canisio eodem die: „Fratanto non accaderà che li nostri siano li primi à promulgare la bolla di Pio V. bo: me: supra il negocio di censi" (ex apographis eiusd. temp.; Germ. 109 f. 111).

[1] Palmius Mercuriani praepositi generalis „assistens" pro Italia, Magius provincialis Austriae, Possevinus secretarius Societatis erant. De Crittonio, qui a. 1565 primus rector collegii lugdunensis factus erat (*Fouqueray* l. c. I 463) cf. *Can.* III 525 [1].

[2] In aedibus vaticanis.

edificationem animarum in ijsdem partibus applicari possint, et exerceri.

1 Concessit ut dispensari possit circa indicem librorum prohibitorum et eius regulas cum nostris qui sunt Societatis, et cum externis ad nos in hoc casu recurrentibus, qui iuditio, et pietate praediti detrimentum inde capturi non sunt, et ea ratione rebus religionis commodare possunt, in casu necessitatis, et ad oppugnandum tantum.

2 Concessit ut ubi Concilium non publicatur, uel non seruatur, Societas [ad][a] obedientiam erga ordinarios praestandam, nisi accedente speciali ipsorum praecepto, non obligetur[1]; sed iuxta ueterem suum morem procedat, sicut etiam quando ad ordinarios difficilis[b] est aditus, uel periculum est ne illi nos impediant in iuuandis iuxta nostrum institutum[c] animabus.

3 Concessit facultatem absoluendi quoslibet, a quibusuis casibus, et censuris, et reseruatis in bulla Coenae Domini, et dispensandi super irregularitatibus dictae bullae casus[d] consequentibus, sine ulla restrictione[2].

4 Concessit ad promouendam, et augendam deuotionem eorum, qui scholas, et templa nostra frequentant, ut sacro tempore Quadragesimae et in Aduentu Domini alijsque festis[e] Domini nostri, B. Virginis, et Apostolorum, tum nostri, tum nostrarum scholarum studiosi, recitantes quinquies Pater et Aue in Templo Collegij, in honorem quinque uulnerum Saluatoris, et pro Ecclesia Romana[f] omniumque haeresum extirpatione, Jndulgentias stationum Vrbis consequantur[3], et ut eadem gratia ad fideles utriusque sexus, qui in templis nostris sacramenta frequentant extendatur[g], qui etiam in hora [mortis][h] per se, uel[i] per alium ter nomen Jesu inuocando, uel ter pectus tundendo, plenariam Jndulgentiam promereantur[k]. Quicunque etiam in festis Domini Nostri et B. Virginis ac insuper Dominica prima cuiuslibet mensis, post confessionem, et communionem sacram, Psalmum Miserere, uel eius loco ter Pater, et Aue, pro Pontifice Summo ibidem dixerit, Jndulgentiam plenariam consequatur. Praeterea quicunque aliquo tempore

a) *Hoc v. supplevi ex B C.* b) dificilis *A.* c) institum *A.* d) *Correxi ex B C; A:* casibus. e) festi *A.* f) Roma *A.* g) extendantur *A.* h) *Supplevi ex B C.* i) *Hoc v. deest in C.* k) promereatur *A.*

[1] Quibus in rebus et qua ratione ex Concilii Tridentini legibus religiosi episcopis suarum dioecesium sive „ordinariis" parere debeant, vide in *Can.* V 417 [1]. P. *Franciscus Antonio* S. J., Mariae imperatricis contionator, Vindobona 29. Iulii 1572 *scripsit P. Hieronymo Natali vicario generali S. J.: „Desseo saber si puedo oyr Confessiones quando voy camino, sin acudir al ordinario: por que he visto como es necessario que sea con approbacion del ordinario . . . mas como caminando no se puede bien hazer esto, y la corte ya va a vna diocese, ya a otra, como se spera que sera este jniuerno, desseo saber lo que puedo y deuo hazer . . .; parece necessario el allanar el camino" (ex autogr.; Germ. 134 f. 59[b]).

[2] Cf. *Can.* VI 205 [2].

[3] Hae fidelibus offeruntur, qui ad ecclesias quasdam urbis romanae statis anni diebus adierint ibique precationes quasdam fecerint etc.

opus aliquod pium ad cultum Dei, uel auxilium proximorum tam spirituale quam temporale pertinens fecerit, quotiescunque etiam confessus fuerit, aut communicauerit, centum dies indulgentiarum adipiscatur.

5 Concessit usum altaris portatilis in aedibus Magnatum, ubi Concilium non est publicatum, uel difficultas est in ordinario adeundo, et difficile[a] est nostram operam in hoc postulantibus, officium denegare; hoc tamen addito, ut huiusmodi magnates in suis aedibus habeant locum proprium missae sacrificio deputatum, quoad[b] eius fieri potest[1].

6 Concessit facultatem absoluendi eos qui plura beneficia, etiam curata[2] detinent, dummodo eiusmodi[c] pluralitas ad Ecclesiae utilitatem spectet impediatque ne illa beneficia in manus[d] haereticorum deueniant, et possessores huiusmodi plurium beneficiorum ad inseruiendum Ecclesiae utiles sint, et officio suo bene fungantur.

7 Concessit gratiose ut per Prouinciales tantum ex commissione Generalis Praepositi in praedictis partibus, possit externis sacerdotibus communicari facultas absoluendi in casu haeresis, et lectione librorum prohibitorum[3] dummodo illi Sacerdotes[e] sint viri ualde probati, et necessitas Ecclesiae ita postulet.

8 Concessit dispensari posse cum mulieribus quae post professionem e suis monasterijs egrediuntur, et postquam luxuriatae sunt in saeculo ad poenitentiam redeunt, ut possint, uel ad aliud sacrarum virginum monasterium transire, si ad suum redire illis non liceat, uel etiam non expediat, aut domi honestam, ac religiosam uitam ducere, si ad monasterium [redire][f] [?] ob dissipatam religiosam disciplinam, earum saluti non conuenire iudicabitur[g]. Quod ad uiros autem attinet, illos[h] omnino ad regressum monasterij, et habitus reassumptionem obligatos esse uoluit.

9 Concessit ut ad publicam offensionem uitandam, quae in Templis nostris ex diuersitate Euangeliorum diebus praesertim dominicis in Missa et concione occurrenti exoritur, possit[i] Euangelium secundum ordinem Germanicum legi in Missa, loco[k] Euangelij, quod secundum ordinem romanum proponitur, ut Euangelium Missae cum Euangelio quod in Concione explicatur concordet, et hoc in fine Missae legatur:

a) dificile *A.* b) quod ad *A.* c) huiusmodi *B C.* d) manibus *A.* e) Sacerdoti *A.* f) *Ut hoc v. (quod in A B C deest) vel simile suppleatur, ipsa res exigere videtur.* g) uidicabitur *A.* h) illo *A.* i) post *A.* k) *Ita rectius B C;* in loco *A.*

---

[1] Concilium Tridentinum missae sacrificium „privatis in domibus, atque omnino extra ecclesiam, et ad divinum tantum cultum dedicata oratoria, ab ordinariis designanda et visitanda, a saecularibus aut regularibus quibuscumque peragi" vetuit (Sessio XXII, decr. de observ. et evit. in celebr. missae).

[2] Cum cura animarum coniuncta; velut parochias. De decreto, quo Concilium Tridentinum gravissime prohibebat, ne quis plus quam unum beneficium haberet, v. *Can.* V 201—202.

[3] Qua ratione eae absolutiones episcopis et pontifici reservatae fuerint, v. *Can.* IV 509 862; VI 598.

Vel tota Missa[a] secundum [ordinem][b] Germanicum illis diuersitatis Euangeliorum diebus celebretur[1].

X Concessit ut Fundatrices aliaeque personae primariae, et excellentes, quarum auctoritati[c] difficile sit resistere, absque illarum graui offensione, ad nostra Collegia ingredi possint dummodo nihil inde detrimenti, sed utilitas cum aedificatione coniuncta consequatur, et non frequenter[d][, nec facile istud concedatur] [?][2].

Die xxvi[e] [?] Junij 1573. S. D. N. Gregorius[f] declarauit praedictis Patribus Benedicto Palmio et Laurentio Magio, quod per publicationem bullae in Coena Domini non intendat reuocare praedicta, nisi de ijs nobis concessis spetialis, et expressa mentio fiat[g]. [Jta est. Ptolemaeus Cardinalis Comensis mandato Sanctissimi D. N.]

Possevinus Societatis secretarius Roma 18. Iulii 1573 ad PP. Paulum Hoffaeum et Hermannum Thyraeum Germaniae superioris et Rheni provinciales epistulas dedit, quibus eos monebat: „Mitto ad R. T. nomine Patris nostri facultates concessas, quas a Summo Pontifice obtinuit pro Germania et Gallia, quib. tamen ita uti oportet, ut nihil inde Societati sequatur incommodi, et propterea Pater noster sibi reseruat primam illam facultatem dandi externis licentiam legendi libros haereticos, cupitque in reliquis, ut cautissime nostri sese gerant, reseruat item sibi septimum punctum, ut non sine licentia expressa ipsius Patris cum aliquo dispensetur. . . . Eas facultates cupit noster Pater, ne alicui externo ostendat, ac uero ne Episcopi, aut alij Praelati ansam caperent maleuolentiae: nisi omnino aliquando urgeret necessitas ad ipsius Societatis bonum nomen conseruandum“ (ex apogr. eiusd. temp.; „Germ. 71“ f. 119[a]).

Postea eas facultates etiam magis circumscriptas et restrictas esse intellegitur ex his *Hoffaei* *litteris:

„R. P. Generalis limitatio facultatum a Gregorio XIII obtentarum pro septentrionalibus.

1[m] Ad Primam. Reseruatur P. Generali. Datur autem facultas Prouincialibus tantum in libris haereticis: et vt ex concessione ipsius Generalis ipsi dent praedicatoribus et lectoribus qui sunt e nostris, adhibito magno iudicio. Externis autem nunquam nisi consulto Generali.

2 Ad 2[m]. Sine vlla reseruatione datur Prouincialibus.

3°. Ad 3[m]. Intelligatur, si de cetero velint abstinere et paeniteant: Ac nostri Prouinciales communicent Confessarijs e nostris, quos prudentes in Domino iudicauerint.

4° Ad 4[m]. Ita vt conceditur, in beneficium externorum.

5° Ad 5[m]. Conceditur.

6° Ad 6[m]. Monendi serio Prouinciales, vt caute se gerant in hoc et vt dent facultatem, ijs Rectoribus et Confessarijs quibus in domino iudicauerint, consultis suis consultoribus.

7° Ad 7[m]. Pater Generalis retinet apud se hanc facultatem, et quando communicabit, monebit, vt quam cautissime se gerant ij quibus impertietur.

8° Ad 8[m]. Conceditur vt Prouinciales et Rectores habeant, sed non vtantur,

a) *Ita C; A B haud recte:* totam Missam. b) *Supplevi ex B C.* c) autoritati *C.* d) *Proxima 4 vv. exstant non sunt nisi in C.* e) XVI *A B; C vero habet* 26., *idque recte, ut videtur; nam „declaratio“, quae sequitur, posterior esse videtur „concessionibus“, quas posui; hae autem 25. Junii factae sunt.* f) *Hoc v. non est in C.* g) *Quae sequuntur, suppleta sunt ex C.*

[1] Societatis *Constitutiones* haec habent: In ceremoniis „omnis Societas . . . usum romanum . . ., quantum patietur regionum varietas, sequetur“: P. 4, c. 8, n. 2. In Germania vero dioeceses coloniensis, treverensis, augustana, brixinensis etc. suum proprium habebant Missale, Breviarium etc.

[2] De clausurae lege a S. Pio V. instaurata v. *Can.* V 356 470[5].

ni re bene consulta, et rationibus diligenter perpensis. In Gallijs autem non vtantur, nisj consulto P. Generali.

9° Ad 9m. Conceditur.

10° Ad 10m. Considerent bene Prouinciales illa verba quae ita habent: ,Dummodo nihil inde detrimenti' etc. Postea curent, quoad eius fieri possit, vt potius honestissimae matronae, quam adolescentulae, sint cum illis primarijs mulieribus, quibus alioquin expediret, vt aditus aliquando permitteretur.

Paulus Hoffaeus Prouintialis.

Secundum limitationem P. N. Generalis et ex eius concessione permitto vsum primae facultatis Greg: XIII omnibus nostris Concionatoribus in Theologia graduatis, et professoribus Theologicis publicis [a].

Secundam concedit [b] [?] etiam Rectoribus, Jtem quintam ijsdem. Tertiam concedo supradictis omnibusque Rectoribus, Doctoribus ac licentiatis, Patri Lebenstain, Patri Balduino, Patri Arboreo, patri Michaëli, patri Theobaldo, patri Bonauenturae [1].

Sextam permitto omnibus Rectoribus et graduatis in Theologia Confessarijs [c].

Circa Quartam et Nonam disponant Rectores.

Circa Decimam, Caueatur ne haec facultas Matronis publicetur. Ad eas vero quae sunt infra statum Baronissarum haec facultas extendenda non est" (ex apographo eiusd. temp., Cod. „C 1" p. 481.

Facultates hae diu in Societate vigebant.

1139. Ab exeunte Iunio ad exeuntem Iulium 1573.

Ex autographo; Germ. 153 f. 158[a].

Canisius cum sociis Roma in Germaniam proficiscitur.

P. Paulus Hoffaeus provincialis Augusta 15. Augusti 1573 Everardo Mercuriano praeposito generali scripsit: De nostro itinere pauca refero. P. Canisius, P. Pisanus et P. Peltanus recte valuerunt: sed M. Gregorius Valentianus [2] febris causa Florentiae ad paucos dies mansit, ac nunc incolumis Dilingam peruenit. Jacobus Baucenus Coadiutor noster a nobis Ferrariae cum febri relictus est, et tandem in vigilia S. Jacobi [3] in coelestem patriam migrauit. Ego Patauij coepi male habere et cum aliqua febricula Tridentum perueni, vbi ad 9. vel 10. dies decubuj, praemissis duobus patribus et retento apud me P. Pisano: nunc vero Christo laus satis bene valeo.

Hoffaeus 26. Iunii Romae a Mercuriano „resolutiones", accepit; paulo autem post cum sociis inde discessisse videtur. Oenipontem autem Canisius ante 28. Iulii advenit; v. supra p. 127 et infra, monum. 1140.

Scribunt aliqui, hanc Canisii profectionem fugae instar fuisse; voluisse enim Canisium imminentem sibi purpurae cardinalium honorem declinare (cf. *Dorigny* l. c. 337—339; *Python* l. c. 283—284; *Oddi* l. c. 267; *Boero,* Can. 356—357; *Garcia* l. c. 288; *V. Alet* S. J., Le Bienheureux Canisius, Paris 1865, 327; *Daurignac* l. c. 342—343; *Genoud* l. c. 39). Hoc quidem constat: Pius V. a. 1568 Canisium sacra purpura ornare in animum induxit; id ne fieret, Canisius, cum eodem anno Romae esset, diligenter contendebat; Pius autem consilium tum quidem depositum

a) *Septem vv. sqq. in margine ab ipso Hoffaeo (paulo post, puto) addita sunt.* b) *Legendumne* concedo? c) *Quae sequuntur, ab ipso Hoffaeo scripta sunt.*

[1] Martino Leubenstain, Antonio Balduino, Henrico Arboreo, Michaeli Mario, Theobaldo Stotz, Bonaventurae Paradinas.

[2] Gregorius de Valentia. [3] 24. Julii.

postea iterum cepisse videtur (*Can.* VI 731—734). Verumtamen Gregorium XIII. idem meditatum esse nemo ex veteribus, quod sciam, planis verbis narravit. *Raderus* certe, ubi Canisium Romae „imminentem purpurae honorem fuga declinavisse“ scribit, septem Canisii itinera una narratione comprehendit (Can. 136—137). Quare hanc cardinalatus fugam ex anno 1568 perperam in annum 1573 translatam esse suspicor.

1140. Exeunte m. Iulio 1573.

Ex relationis Oeniponte notis secretioribus scriptae exemplo, Romae paulo post litteris usitatis scripto. Cod. rom. „Germ. Vol. 80“ I p. 30. Relationem ex eodem exemplo typis exscripsit *Schellhass,* Nunt. III 52.

Magdalena regina nuntium apostolicum per Canisium de rumore quodam sinistro monet.

Bartholomaeus de Portia nuntius apostolicus Oeniponte 28. Iulii 1573 Romam ad Ptolemaeum cardinalem Comensem haec rettulit de cardinali Ioanne Francisco Commendono, pontificis in Polonia legato, quo favente et instante factum esse ferebant (cf. Turba l. c. III 525), ut, Sigismundo Augusto Poloniae rege m. Iulio 1572 mortuo, m. Maio 1573 a Polonis rex eligeretur non Ernestus, Maximiliani II. imperatoris filius, sed Henricus III. Galliae rex: La Regina Madalena mi ha fatto sapere per il Padre Canisio che et lo Imperator et questi Principi suoi fratelli[1] hanno ferma opinione che nostro Signore habbia grandemente fauorito il Rè di Polonia contra quello che si haueano promesso, et che il legato oltre l'essere stato mosso da S. Santità, sia stato sollecitato da Venetiani ad adoperarsi tantò gagliardamente quantò dicono che ha fatto. Peró dubitando, che questa impressione possa essere di grande impedimento a tutto quello che Sua Santita trattera con essi, ó, in materia di religione, ó, d'altro, ho uoluto significarlo, accio si procuri di leuarla con quel modo che si stimera migliore, ne tante buone opere che si possono aspettare da nostro Signore, et dalla sua ottima mente, siano da questa credenza impedite.

Gregorius XIII. Brevi Roma 12. Iunii 1573 dato Magdalenam et Helenam sorores certiores reddidit, se, ut pio earum desiderio satisfaceret, templum Halae ab ipsis aedificatum variis (quas singilatim recenset) indulgentiis munire et ornare. Valde autem probabile est, desiderium illud Gregorio XIII. expositum et commendatum esse a Canisio, qui a pontifice arcessitus ab Aprili ad Iunium a. 1573 Romae versabatur. Breve illud germanice versum exstat apud *Rapp* l. c. 147—148.

1141. Initio m. Augusti 1573.

Ex litteris archetypis, a Minutio Minucci Portiae secretario scriptis. Cod. rom. „Germ. Vol. 80“ I p. 40—45. Litteras ex eodem archetypo posuit etiam *Schellhass,* Nunt. III 66—70.

Magdalena et Helena reginae per Canisium facultates pontificias petunt ad confraternitatem rosarii instituendam spectantes.

Portia nuntius apostolicus Oeniponte 5. Augusti 1573 ad cardinalem Comensem, Gregorii XIII. praecipuum administrum, haec, praeter alia, rettulit: Le Serenissime Regine Maddalena, et Helena m'hanno mandato due sue dimande, delle quali desiderano esser' compiaciute da

[1] Ferdinandus et Carolus archiduces, ad quos Portia a Gregorio XIII. legatus est.

N. Signore e perche il Padre Canisio me l' ha proposte, et istese le mando à V. S. Illustrissima accio sia seruita di proporle nella forma medesima, che mi sono state consignate. Della pietà, et diuotione di queste principesse non le dirò altro per infiamarla ad operar' si, che sieno consolate, poiche so quanto è instrutta di si raro, et singolar essempio di Santità. Questo solo non debbo tacer', é hauendole io animate à sollecitar' il fratello per l'estirpatione degl' abusi, et reparation' della disciplina Ecclesiastica, hanno di già due uolte fatto caldissimo offitio, ne mancharanno di rinouarlo sempre che se l' accenni, tanto son desiderose d' aiutar' la riforma, et di rimouer' ogni impedimento, che potesse trauersar' la pia mente, et disegni santi di N. Signore.

Canisii quidem scriptum perisse videtur; ex litteris autem Oeniponte 3. Novembris 1573 a *Portia* ad cardinalem Comensem datis intellegitur, reginas a pontifice petisse „la facultà d' introdur' nelle Chiesa loro di Ala il Rosario con goder' del frutto dell' indulgentie, c' ha la compagnia eretta nella Minerva" (ex archetypo; Cod. rom. „Germ. Vol. 80" p. 229; *Schellhass* l. c. III 207). Ad quae cardinalis *Comensis* Roma 12. Septembris 1573 Portiae respondit: Pontificem iam Breve reginis mitti iussisse, quo confraternitati sanctissimi rosarii Halae in templo ipsarum instituendae concederentur indulgentiae archiconfraternitatis rosarii Romae in ecclesia S. Mariae supra Minervam constitutae (*Schellhass* l. c. III 115). Postea reginae, cum ex „Ordine rosarii" („Ordine del Rosario") Roma a Caesare Spetiano ad Portiam misso cognovissent, confraternitatem illam a sacerdote aliquo ordinis Praedicatorum regi debere, Portiam rogarunt, efficeret, ut ea in lege ita secum dispensaretur, ut aliquis de Societate confraternitati praeesse posset; neque enim monasteria Dominicanorum in ea regione exstare; a Societatis autem hominibus res sacras in templo aedibusque suis administrari. Simul facultatem petebant tangendi sacras reliquias „per ornarle"; multas enim et insignes reliquias habebant. Haec Portia Oeniponte 3. Novembris ad cardinalem Comensem rettulit (*Schellhass* l. c. 207). Deinde 11. Novembris 1573 eidem scripsit: Se iterum Halae fuisse; reginas autem iterum petisse ut sibi cum una ex ipsarum „Damigelle" liceret sacras reliquias tangere; item, reginae nuntio dixerunt: Aliqua, quae Romae a confraternitate rosarii fieri ipsae ex „Ordine" illo accepissent, Halae praestari non posse, sive ob penuriam ministrorum sacrorum, sive quod cum instituto suo illa pugnarent, velut sacras pompas per urbis vias ducendas; propterea se confraternitatem illam in ecclesia sua ita instituere velle, ut salvis confraternitatis gratiis in locum exercitationum illarum alia pia opera substituerentur; qua autem ratione id fieri vellent, se postea planius significaturas esse dixerunt, „parendomi", inquit *Portia*, „che per esser' absente il padre Canisio, direttor' de consigli, et desiderii loro, sieno in ciò, che dimandano perplesse" (ex litteris archetypis a *Minuccio* scriptis. Cod. rom. „Germ. Vol. 80" p. 239—240; *Schellhass* l. c. 219—220).

1142. A d. 30. Augusti ad 13. Septembris 1573.

Contiones Canisii oenipontanae. Exsequiae. Septem verba Mariae. Rosarium. Waldrast. Precatio communis. Ritus brixinensis.

Exstant commentaria (a *Canisio* recognita) orationum quattuor sacrarum, quas a Canisio Oeniponte habitas esse, ex manu scriptoris, cui ille ea dictavit, intellegitur; idem ex tota quoque codicis, in quo exstant, ratione cognoscitur; et quia hae in codice eo ordine dispositae sunt, ex quo facile intellegatur, diem Nativitatis Beatae Mariae Virginis eo anno fuisse uno ex diebus inter Dominicas post Pentecosten XVII. et XVIII. interpositis, equidem censeo eas anno 1573 in templo parochiae vel Societatis habitas esse. Easne Canisius, ut alterius contionatoris vices suppleret, habuit?

„Nemo potest duobus Dominis seruire Matth. 6" (Mt 6, 24—33; evangelium Dominicae XVI. post Pentecosten, ritu brixinensi). Summa Contionis. „Rationes cur bono Christiano gratum et in pretio esse debeat hoc Euangelium 2 propositio: Dicam 1 quae sollicitudo[a] in uerbo dei prohibita, quae licita 2 quid sibj uelit ultima et praecipua sententia. Primum quaerite" [regnum Dei, et justitiam ejus, et haec omnia adjicientur vobis]. (Can. 22 f. 140[b]—148[a]). Contio habita esse videtur 30. Augusti 1573.

„De mortuo in Naim resuscitato"[b] (Lc 7, 11—16, evangelium Dom. XVII. post Pent.). Canisius ex evangelio magistratus, viduas, iuvenes adhortatur; deinde „de exequijs Christianorum" dicit. Hoc loco queritur: „Nunc tantum diuites suas habent exequias, in quibus magis pompa quaeritur, quam deuotio exercetur. De pauperibus sepeliendis nulla cura, qui sine lux et crux deportantur, ut non possit discerni an sint Iudaei Turcae uel christiani. Vtinam superiores in hoc meliorem ordinem facerent" (l. c. f. 148[b]—153[a]). Contio habita esse videtur 6. Septembris 1573.

„IN FESTO NATIVITAtis Mariae" sive 8. Septembris. De „septem verbis" Mariae in evangelio „descriptis". Hoc loco haec, praeter alia, monet: „Venit alius, et non potest ferre rosarium, uel salutationes et cantica haec in honorem Mariae. Et miseri homines . . . quod ipsi non faciunt, in alijs ferre non possunt. . . . Non curas signum habere uanitatis, quae in pileo uel ueste [appareat] ad superbiendum, et non potes ferre signum deuotionis gestatum in manibus? Nonne melius dicere Aue Maria, recogitando Mariae gaudia et dolores, eius uerba et opera, quam tempus amittere et inaniter garrire, uel secularia quaedam cantare? 3. Venit alius, et non uult laudare peregrinationem in Waldtrasst, quia uidetur esse nimium, uel non necessarium opus." Deinde Canisius laudat et commendat sacras peregrinationes ad ecclesiam „Waldrast" quattuor fere horas ab Oeniponte distantem et Serles („Waldrastspitze") monti applicatam, quae imaginem Beatae Mariae Virginis admirandis in supplices beneficiis claram habet et postea cum monasterio ordinis Servorum Beatae Mariae coniuncta est (l. c. f. 153[b]—159[b]).

„De Hydropico sanando[c]. Luc. 14" (Lc 14, 1—11; evangelium Dom. XVIII. post Pent.). „De modo celebrandi Dominicam". „Rogat" patres et matres familias, „ut magis curent hoc praeceptum seruari a filijs et familia"; „rogat superiores, ut exemplum praebeant alijs sabbatizandi" et eos, „qui sancto tempore alios scandalizant" puniant; „rogat uirgines et uiduas, et alios non ualde impeditos, ut non solum ante, sed etiam post prandium Dei domum inuisant, . . . et diligentius Vesperas audiant, . . . ac pauperes aliquando inuisant." „Rogo ut qualibet dominica ex animo recitemus confessionem generalem . . . et praeterea ut pro superioribus spiritualibus et secularibus communem orationem instituamus" (l. c. f. 159[b]—163[a]). Ex verbis, quae posui, postremis colligi potest, Canisium pulcherrimam illam „precationem communem" („allgemeines Gebet"), quam olim Augustae ex ecclesiae cathedralis suggestu ante contionem recitare consueverat et Sociis coloniensibus, ut ipsi quoque eam recitarent, miserat (*Can.* II 695—699), Oeniponte quoque cum populo, cum ad eum verba faceret, recitasse. Contio haec 13. Septembris 1573 habita esse videtur.

1143. 12. Septembris et 14. Novembris 1573.

Ex Hoffaei (et Possevini) litteris autographis, quae sunt in „Germ. 153" f. 203[b], et ex epistulae Mercuriani apographo eodem tempore scripto, quod est in „G. Sup. 1" f. 4[a].

Canisius confirmatur consiliarius provincialis et rectoris oenipontani.

P. Paulus Hoffaeus S. J. Germaniae superioris praepositus provincialis in litteris Monachio 12. Septembris 1573 datis ab Everardo Mercuriano Societatis praeposito generali haec, praeter alia, petiit: Opto confirmari consiliarios. . . . Rectoris Oenipontanj P. Canisium, P. Gulielmum Eldren · P. Georgium Crispum, P. Casparum Obergasserum vel eius loco P. Georgium Rotarium si tamen Oeniponti maneat. . . .

a) sollicita *comment.* b) rescussitato *comment.* c) *Sic; scribendum potius fuit:* sanato.

Meos quoque consiliarios cupio confirmari P. Petrum Canisium, P. Theodoricum Canisium, P. Alfonsum Pisanum. Pro P. Lanoyo caeteri optant substituj P. Torrensem, sed cum nullus Consiliariorum meorum sit Germanus, cuperem substitui potius P. Joannem Rabenstein satis bene qualificatum, et suo tempore prouinciabilem. *Huic de consiliariis provincialis petitioni P. Possevinus Societatis secretarius sua manu in margine ascripsit:* Videtur bonum dicendum et quod iustum est ut habeant Germanum. *In litterarum autem Roma 14. Novembris 1573 datarum, per quas Mercurianus Hoffaeo respondit, apographo (eodem fere tempore scripto) haec sunt:* Consiliarii . . . erunt . . . Rectoris Aenipontani P. Canisius, P. Guilelmus Eldren, P. Gregorius Crispus, P. Gaspar Obergasserus, uel P. Georgius Rotarius . . . Consiliarij T. R. P. Theodoricus Canisius, P. Alphonsus Pisanus, P. Joannes Rabenstein.

Hic igitur Petrus Canisius in numero consiliariorum provincialis positus non est. At eius nomen librarii vitio omissum esse intellegitur tum ex verbis, quae Possevinus epistulae Hoffaei ascripsit, tum ex eo, quod quartus consiliarius, qui in Canisii locum substitui debeat, in apographo illo non memoratur, tum maxime ex ipsius Canisii litteris 22. Decembris 1573 ad Mercurianum datis; v. supra p. 154. P. Wendelinus Völck rector oenipontanus Oeniponte 16. Februarii 1574 Mercuriano *scripsit: „Consiliarii“ mei sunt: „Primus P. Petrus Canisius. P. Guilielmus Elderensis (qui et monitor meus est) · P. Georgius Crispus · P. Gasparus Obergasserus“ (ex autogr.; Germ. 135 n. 164).

1144. **15. Octobris 1573.**

Ex autographo. Germ. 153 f. 268[b]—269[a].

Hoffaeus provincialis censet, Canisium contionari, non scribere debere.

P. Hoffaeus provincialis Monachio 15. Octobris 1573 ad Everardum Mercurianum praepositum generalem litteras dedit, in quibus, res pro more suo (cf. supra p. 577) nonnihil exasperans, haec eum monebat: „Quoad operarios, vere, Reuerende Pater, summa est penuria et necessitas tamque commensurata sunt omnia vt si vnicus concionator aegrotaret, non esset qui digne posset substituj. Si principes obsequia petant non impetrant, interim nos cogimur ab ipsis et saepe et multa petere et volumus impetrare: Ago autem potissimum de concionatoribus et confessarijs idoneis, maxime omnium de concionatoribus: et quidem ex his est Oenipontanus concionator[1] Flander et lingua et vsu male versatus ingenioque satis difficilis quem sola necessitas retinet in cathedra. Pater Canisius omnino vult viuere ad tempus dilingae vt suum librum finiat[2] et concioni vacare non potest sed neque poterit si scribere cogatur. . . . Solus Augustanus[3] in concionando praeclarus est. . . . Excepta augusta vbique sunt paucissimi auditores, quum concionatores sint ingrati et populus ad externos confluat. . . . Jnterim petitur quoque nostra opera in locis vbi sunt amplissimae messes pro concione. . . . Jn hac igitur tanta necessitate . . . suggero hoc qualecumque consilium, Videlicet qui vel mediocriter potest concionarj non gubernet vel si gubernare omnino debet ijs in locis gubernet vbi potest simul concionari. Jtem qui potest concionari non scribat libros, aut si scribendum est, secundario tantum et horis suc-

[1] P. Antonius Guisanus, contionator parochiae.

[2] Librum de B. Maria Virgine, contra Centuriatores.

[3] P. Gregorius Rosephius, cathedralis ecclesiae contionator.

cisiuis absque vlla obligatione scribat, primario vero concionetur, et talis est P. Canisius qui nullo modo ex obedientia est occupandus in scribendo, sed neque ipse deberet alijs promittere quae cum magna difficultate vix potest praestare, quo fit vt neque concionetur neque sua possit absoluere scripta."

De Canisio *Mercurianus* Roma 23. Novembris 1573 Hoffaeo rescripsit: „De Patre Canisio non uidetur posse aliquid decerni, donec absoluerit quae habet prae manibus" (ex apogr. eiusd. temp.; „G. Sup. 1" f. 4^b).

1145. Octobri et Novembri 1573.

Ex relatione archetypa, manu Minutii Minucci secretarii scripta. Cod. rom. „Germ. Vol. 80" 1 p. 235—240. Relationem ex archetypo typis exscripsit etiam *Schellhass,* Nunt. III 214—222.

Canisius pontifici per nuntium commendat Centuriatorum et Chemnitii refutationem; quam a suis fieri posse negat.

Portia nuntius apostolicus Oeniponte 11. Novembris 1573 Romam ad cardinalem Comensem haec, praeter plurima alia, rettulit: „Questi Padri del Giesù, et in spetie il Padre Canisio mi dicono, che come da molte persone pie, et intelligenti sparse per Germania uien questo studio charitateuole, che si mette da N. Signore in procurar' sanità alle profunde, et quasi infistolite piaghe del paese [1] sommamente commendato, eleuandossi già gl' animi à qualche speranza d'importante profitto, cosi par', che si mostrino desiderose d' intender', che nel medesimo tempo, in che s' inuigilia per la riforma del Clero, si premesse d'ordine di S. Beatitudine in proseguir' la risposta alle Centurie Magdeburgensi, come quelle, che per la qualità delle materie loro sono auidamente lette, et per il veleno, che contengono studiando di abrogar' l'authorità alla Chiesa Santa et alle traditioni di essa, sono per apportar' se non saranno confutate troppo notabil danno, et perche sarà questa occupatione lunghissima, si mostrano ansiose, che fra tanto si risponda à Martino Kemnitio sceleratissimo Lutherano, c' ha dato in luce due Tomi, et stà per darne due altri tosto contra il sacro Concilio Tridentino [2] . . . io ho commendato il ricordo, tanto perche mi par molto buono, quanto per dar' animo, che s' avvisi d' ogni cosa, che si uadi pensando da pij, et dotti: ma sapendo, che non si truouano così facilmente huomini per queste imprese, sono andato sottraendo con destra maniera, se si potesse haver' qualche parte d' ajuto da chi s' è hauuto l' auertimento, dando intentione, che N. Signore non mancharebbe di promuover' essendo bisogno, con la liberalità sua sì buona opera, ma non m' è stato risposto à uoglia mia, allegandossi il poco numero d' huomini della prouintia [3], con l' occupationi,

[1] Maxime per dotationem collegii germanici et institutionem similium in Germania seminariorum.

[2] Examen Concilii Tridentini quadripartitum, Francofurti ad Moenum 1565 ad 1573; cf. supra p. 228.

[3] Societatis provinciam „Germaniae superioris" significat.

c' hanno quelli, che sarebbono à proposito della Compagnia, di gouerni di collegij, di lettioni publiche, d' administrationi de' Sacramenti, per le quali è impossibile, che attendino ad impresa simile, che ricerca tutto l' uomo et non uno, ma molti. Nè perciò ho voluto restar' di significarla à V. S. Illustrissima, la quale sendone a pieno informata potrà et con S. Beatitudine et con que' Signori Illustrissimi della Congregatione[1] far quella risolutione, che giudicherà più a proposito."

Cardinalis Moronus in longae huius relationis compendio quodam ipsius manu scripto capiti, quod modo positum est, haec adnotavit de Centuriis: „che si scrivi contra le centurie. Jl Torres[2] ha scritto et potrà scrivere"; et de Chemnitio: „saria bono il cardinal Palleotto, Vermiense[3] et Sirletto con alcuni prelati theologi et canonisti etc.; si mandino li libri del detto Kemisio" (*Schellhass*, Nunt. III 217). Cardinalis autem Comensis Roma 28. Novembris 1573 ad Portiae litteras respondit, „che N. Signore ha approvati tutti gli officij fatti da lei et descritti in esse" (*Schellhass* l. c. III 250). Deinde 2. Decembris 1573 cardinalium congregatio germanica statuit: „De centuriis Magdeburgensibus. Respondendum eis omnino esse. Et quamvis negotium hoc coeptum sit in Hispania et ibi absolvi possit, quam ad rem iuvandam mitti illuc possent aliqui homines docti, tamen hoc idem fieri debere in urbe, praesertim quod attinet ad compilationem ecclesiasticae historiae, qua in re cardinalis Sirletus plurimum conferre poterit" (*Schwarz*, Gut. 82).

Mandatu Gregorii XIII. cardinalis Comensis Roma 17. Aprilis 1574 P. Ioannem Nasum O. Min. (v. supra p. 170) hortatus est, ut Centurias refutaret; pontificem libenter et libros ei provisurum, et eius operam remuneraturum esse; litteras posuit *Theiner,* Annales I in a. 1574 n. 110. Notum est, aliquanto post Centurias egregie refutatas esse „Annalibus ecclesiasticis" cardinalis Caesaris Baronii, unius ex Sancti Philippi Nerii discipulis. Adversus Chemnitii „Examen" complures theologi scripserunt, ut Iodocus Ravesteyn professor universitatis lovaniensis (Propugnaculum concilii Tridentini, Lovanii 1577) et Didacus Payva de Andrada, de quo supra p. 228.

1146. Novembri vel Decembri 1573.

Ex apographo eiusdem temporis, quod est Oeniponte in archivo praefecturae, Cod. „Camersachen 1573" f. 301^{b}—302^{a}.

Canisius Franciscanis oenipontanis Augustae libros emit.

Ferdinandus II. archidux Oeniponte 12. Novembris 1573 Augustam Vindelicorum ad Wolfgangum Paller (Paler) mercatorem litteras misit, quibus eum haec monet: Se Doctori Petro Canisio (circa initium m. Novembris Oeniponte Augustam et Dilingam profecto, unde post medium Decembrem rediit; v. supra p. 153) mandasse, ut libros aliquot pro monasterio S. Crucis oenipontano (quod Franciscanorum de Observantia erat) emeret („genedigisten beuelch geben, etliche Buecher in das Gotzhauss zum heyligen Creutz alhie zuerkhauffen"); propterea se ab ipso petere, ut Canisio archiducis nomine eius rei gratia 200 florenos rhenanos det; hos quamprimum ei redditum iri.

Societatis quoque collegio oenipontano Canisius, puto, Augustae ex librorum officina Georgii Willeri (cf. *Can.* VI 503[7]) libros emit. *Ferdinandus* certe Oeniponte 17. Octobris 1573 regimini cameraeque comitatus tirolensis *scripsit: Se Sociis oenipontanis concessisse, ut 200 florenis libros emerent; hanc igitur pecuniam statim eis dandam esse (ex apogr. eiusd. temp., quod est Oeniponte in archivo praefecturae tirolensis, Cod. „Geschäfft vom Hof 1573" f. 260). *Reynerus Fabritius* S. J. in *Litteris annuis provinciae Germaniae superioris, Ingolstadio 26. Septembris 1571 datis: Oeniponte in collegio „Bibliotheca noua hoc anno aedificata est" (ex archetypo; Germ. 133 f. 187—192).

---

[1] Congregationis germanicae. [2] P. Franciscus Turrianus S. J. [3] Hosius.

1147. M. Novembri et Decembri 1573.

Ex epistulis archetypis. Cod. rom. „Germ. Vol. 80" I p. 262 276 300 301; ex iisdem haec posuit *Schellhass,* Nunt. III 254 272 299.

Canisius oppido „Weil der Stadt" contionatorem quaerit.

Portia nuntius apostolicus Oeniponte 2. Decembris 1573 ad cardinalem Comensem haec rettulit de contionatore, quem quaerere iussus erat pro Wila (Weil der Stadt) oppido imperiali (libero) in ducatu wurttembergensi ideoque in media protestantium terra sito, cuius senatus fidem catholicam constanter retinebat (cf. Theiner, Annales I in a. 1573 n. 30): Il Predicatore non *[si è]* potuto hauere per instanza, che si facesse et co 'l signor Duca di Baviera, et co' Padri Giesuiti in Monaco, et qui ancora . . .; all' arriuo del padre Canisio, che sarà di corto, si rinoueranno le prattiche, et incontrando persona à proposito si manderà. *Die autem 9. Decembris 1573 Portia Oeniponte ad Comensem scripsit:* Intorno al negotio di Weil . . . parlai non pur co' padri Giesuiti in Monaco, ma co 'l Signor Duca stesso, et feci il medesimo qui co 'l padre Canisio · nè per diligenza fin hora usata s' è potuto hauer' cosa à proposito: Se il sodetto Padre Canisio harrà hauuta miglior sorte in Delinga, oue si truoua al presente, sarà subito effettuato il rimanente secondo l' ordine di V. S. Illustrissima. *Et Oeniponte 23. Decembris 1573 idem ad eundem de Canisio haec rettulit:* Non ha fermata persona alcuna per Weil, ma ha dato ordine tale, che si può creder' d' haverla sicuramente fra poco tempo: Mi dice egli in questo proposito, che per opera del Senato s' è data ultimamente la parochia di quella terra ad uno alleuato nel Collegio di Dilinga di molta intelligenza di cose, et d' ottimi costumi.

Parochus ille erat, puto, „Doctor Iohannes" ille wilanus, quem Gregorius XIII. Wilam, ut curam ibi animarum gereret, cum litteris 15. Novembris 1573 ad Wilanos datis misit (*Theiner,* Ann. eccl. I in a. 1573 n. xxx). Caeterum is haud multum profecisse, primis saltem mensibus, videtur (*Schellhass* l. c. 344—345). Anno tamen 1576 ecclesia parochialis tres sacerdotes habebat (*Schellhass,* Nunt. V 483). De rebus a. 1595—1600 a Societatis hominibus Wilae gestis v. *Duhr,* Jes. I 474.

1148. M. Decembri 1573.

Ex litteris archetypis, manu Minutii Minucci secretarii scriptis. Cod. rom. „Germ. Vol. 80" II 411—417. Litteras ex eodem archetypo typis exscripsit *Schellhass,* Nunt. III 443—446.

Canisius pontifici instat, efficiat, ut Augustae tandem Sociis locus detur collegio instituendo aptus.

Portia nuntius apostolicus Oeniponte 30. Decembris 1573 ad cardinalem Comensem haec rettulit de monasterio S. Crucis augustano, quod Gregorius XIII. Fuggerorum et Ilsungorum rogatu a canonicis regularibus S. Augustini ad Socios, ut collegium instituere possent, transferre, vehementer ipsi obsistente capitulo cathedrali, conabatur (v. supra p. 123 221): Jl . . . Padre [Canisio] considerando, che la benignità di N. Signore è stata grandemente molestata in materia del monasterio d' Augusta d' essere assignato alla sua compagnia, et dubitando che 'l Capitolo non perseueri nella sua durezza con tutte le dimostrationi che si facciano, si come pare che senta il Signore Duca di Bauiera[1], è ito pensando, se risoluendossi un giorno S. Santità d' ultimare questo negotio, et per questo mandando persona à posta, fosse bene nel medesimo tempo ricercare l' Arcivescouo di Magonza[2] come Metropolitano, et il Signore Duca di Bauiera, che inuiassero un' Ambasciatore per

[1] Albertus V. [2] Danielem Brendel.

uno à coadiuuare l'impresa con facultà pero, di concludere in qualche maniera, il che truouo desiderarsi, per speranza, c' hanno d' ottenere qualch' altro luoco per la gagliarda instanza che si farà, d' hauere quello, che in darno (come si stima) almeno per hora si desidera; posso credere che per altra uia sieno per insinuare il medesimo, ma poi ch' egli cosi ardentemente mi hà in nome de' suoi ricercato mi sono indotto à compiacerlo.

Canisius paulo ante res augustanas coram inspexerat (v. supra p. 153). Quae quo loco fuerint, cognoscitur ex *litteris, quas P. *Gregorius Rosephius* S. J. cathedralis ecclesiae contionator Augusta 14. Novembris 1573 ad Everardum Mercurianum praepositum generalem dedit; sic enim ille scribit: „Ego desideraui alium locum commodum [1] habere pro Societate, et ob id misi aliquando Romam delineatam Augustam, et nobis sine dubio magis expediret parum cum quiete, quam multum loci cum maxima inuidia omnium possidere. Nec abhorrent, vt sciat etiam hoc vestra paternitas, nostri patroni ab alio loco · sed cum probe cognoscant mores capituli, timent, si uel minimum quid remiserint de sua prima petitione, ne illis addant vires et seipsis fortiores euadant semper. . . . Puto in hoc consistere totum negotium, et omnem difficultatem eo tendere: nolumus hos regnare super nos, Jesuitae volunt esse singulares, sanctiores, doctiores, meliores nobis · suo exemplo et doctrina etc. reddunt nos exosos ciuibus et omnibus, contraria enim iuxta se posita magis elucescunt, Sunt Romanistae, timendum ne paulatim inuadant nostram iurisdictionem, timendum ne semper sit nobis negotium futurum cum illis. Proinde, dicunt, principijs obstemus, fautores Jesuitis non desunt, non desunt Magnifici benefactores, nihil tamen laude dignum praestare possunt, cum loco careant, quod si illum haberent, regnarent et triumpharent. Hanc puto esse summam et cardinem totius negotij" (ex autogr.; Germ. 153 f. 317[b]—318[a]). Exstant apud *Theiner* (Ann. I in a. 1574 n. 38 39) epistulae, Dilinga 10. Februarii 1574 ab Ioanne Egolpho a Knöringen episcopo augustano et Augusta 13. Februarii 1574 a capitulo cathedrali datae, quibus illi a Gregorio XIII. petunt, ut monasterium S. Crucis penes Augustinianos canonicos maneat.

Congregatio autem germanica, cum 2. Martii 1574 decrevisset, ut ipse Portia Augustam, consulto prius Bavariae duce, loci commodi Sociis providendi causa proficisceretur, 19. Martii 1574 constituit: „Scribatur nuntio Portiae, ut curet, alium locum commodari Iesuitis ad evitandos rumores et rixas, si negotium placide ad finem perducere non possit" (*Schwarz*, Gut. 86—87). Cardinalis igitur *Comensis* Roma 6. Martii 1574 Portiam iussit a Bavariae duce consilium auxiliumque petere et deinde apud Augustanos primum quidem traditionem monasterii urgere, afferendo ad episcopum, capitulum, praepositum S. Crucis Brevia in eandem sententiam data, et offerendo eidem episcopo relaxationem iurisiurandi, quo monasterio Augustinianis servando se astrinxerat (v. supra p. 123 [6]); sin autem, ait Comensis, Portia animos experiretur valde obstinatos, proponendum fore et episcopo et capitulo et Fuggeris, „se si potessero accommodare li padri in altra parte de la città senza romore". Deinde Roma 20. Martii 1574 iterum ei scripsit: Efficeret, ut capitulum, si non monasterium illud, alium saltem locum Sociis daret; neve tamen acerbe canonicos tractaret; sed potius Fuggeris, ut ipsi domum darent vel exstruerent, persuaderet; nam „la cosa è di grandissima importanza" (*Schellhass* l. c. III 367—371; 388—389; IV XLI—XLIV).

1149. 1571—1575.

Contiones quaedam oenipontanae Canisii.

Exstant (Can. 31 f. 175[a]—178[b]; 183[a]—187[a]) commentaria duarum contionum canisianarum, quas Oeniponte 1571—1580 habitas esse ex manu scriptoris, cui Ca-

---

[1] Locum a monasterio S. Crucis diversum.

nisius ea dictavit, cognoscitur: 1. „Dominica infra octauam Natiuitatis domini“, evangelium diei explicatur et inprimis virginibus, uxoribus, viduis accommodatur. 2. „Epiphaniae“; incipit: „Jn hoc festo et circa tale Euangelium multa tractari solent subtilia et ardua et curiosa; ut primo de Magis quales fuerint genere et conditione, was geschlechts und stants, et quam multi; quando exiuerint et aduenerint ad Christum. 2.° De stella . . , quomodo et quando incepit, qualis substantiae, quo loco coeli steterit, quamdiu durarit“ etc. „Dico autem ex mea opinione has et similes quaestiones magis inter doctos esse tractandas quam populo praedicandas, meliusque tempus concionis ad aedificationem auditorum expendendum esse.“ Deinde Magi in exemplum proponuntur fidei christianae constanter tenendae et verbis operibusque profitendae. Hae igitur contiones inter annos 1571 et 1575 habitae sunt; neque enim post 1575 Canisius umquam tempore Nativitatis Domini vel Epiphaniae Oeniponte fuit.

1150. 1573—1575.

Ex litteris Macherentini archetypis, quae sunt in Germ. 141 f. 6, et Halverii autographo, quod est in Germ. 136 f. 210[b]. Litteris Macherentini usus est *Sacchinus*, Hist. IV, l. 1, n. 93.

Forchhemii sublato catechismo Lutheri, canisianus ab episcopo bambergensi Sociisque disseminatur.

1. P. *Ioannes Macherentinus* S. J. in Litteris annuis provinciae rhenanae Moguntia 17. Septembris 1573 datis, ubi de Sociis herbipolensibus agit, haec narrat de urbe Forchheim (nunc provinciae Franconiae superioris reipublicae bavaricae), quod eo tempore et in ecclesiasticis et in civilibus rebus imperio episcopi bambergensis (Viti a Würzburg) subiectum erat: „Duo Patres Forchemium missi, ita Canonicis et senatui sunt accepti, ut toti ab ijs uideantur pendere, uarijsque in locis concionati, effecere, ut Catechismus Lutheri ex omnib. ciuitatis scholis Senatus mandato reiectus sit, in cuius locum Reuerendissimus Bambergensis nostrorum studiosus tot, quot Canisij Catechismi exempla prostabant Patri nostro distribuenda misit.“ Et Moguntia 26. Septembris 1575 P. *Christianus Halverius* S. J. — hic cum P. Matthia Suchtelensi et Michaele Furstenwalt fratre laico Forchhemium missus erat (*Catalogus provinciae rhenanae 1. Aprilis 1574 datus; Hist. Soc. 41 p. 241) — Mercuriano praeposito generali de missione illa scripsit: „Puelli et puellae ad vnguem edidicerunt R. P. Petri Canisij paruum Catechismum germanicum cum adiunctis a fine precationibus varijs: et non tantum iussu P. Matthiae concionatoris in templo, sed etiam domi, praesertim praesentibus amicis et alijs etc. eum vicissim se rogarunt. Reuerendissimus Episcopus nescio quoties mihi dederit quamplurima exempla latini et germanici Catechismi gratis distribuenda, ex quibus etiam ad alia loca missa sunt non sine fructu.“

Nicolaus quoque *Elgardus* commissarius apostolicus, qui m. Augusto et Septembri 1575 Bambergae fuerat, Ratisbona 8. Octobris 1575 Romam ad cardinalem Comensem de duobus illis Sociis Forchhemii versatis rettulit: „Non vulgari cum fructu ibidem sunt conversati“ (*Schwarz*, Nunt. 323).

Bambergae, qui „cameram aulicam“ (Hofkammer) episcopi administrabat, in codice dati et accepti haec notavit in annum 1574: Nummos quosdam datos esse „Volmaro Mößler, Buchpinter allhie vor vier Cathechismis Canisii einzupinden“, Et in annum 1575: „V guldein für fünffhundert kleine Cathechissmos, die hat Doctor Stoerr für meinen gnedigen Fürsten vnd Herrn bey Sebalden Mayern, Buchtruckern zu Tillingen zu trucken bestellt vnd alherr pringen lassen . . . zaldt den 9. May ao 1575“ (*Heinrich Weber*, Geschichte des Christenlehr-Unterrichtes und der Katechismen im Bisthum Bamberg, Regensburg 1882, 128).

Aliis quoque locis hic catechismus frequenter emebatur et legebatur. Ita *Macherentinus* in *Litteris, quas dixi, annuis, ubi de collegio fuldensi agit, haec scribit: „Jn nundinis oppidi uicini, Praedicantes pro sua Euangelica modestia liberius

in Catechismum Canisji inuecti, incolis et hospitib. eius loci, paucis forte tunc temporis notum, sed id sunt consecuti, ut plura quae venderentur exempla afferre oportuerit" (l. c. f. 7ª). Et P. *Oswaldus Redling* S. J. collegii fuldensis rector sub a. 1575 *scripsit (ad Mercurianum generalem, ut videtur): Ex schola germanica „ultra 100 pueri et puellae" die sacro Nativitatis Domini „confessi sunt et qui legere sciebant ex Cathechismo Canisij confessionem recitabant" (ex apogr. eiusd. temp.; Germ. 136 f. 323ᵇ). Ita etiam Martinus Eisengrein, insignis ille universitatis ingolstadiensis superintendens, cum iussu Alberti V. Bavariae ducis Philippum Marchionem Badensem, Alberti nepotem pupillumque, Ingolstadii litteris studentem, ad fidem pietatemque catholicam instituendum suscepisset, a. 1574 institutionis initium fecit a Canisii „Parvo Catechismo Catholicorum", quem iuveni (qui postea principem vere catholicum se praestitit) ter singulis septimanis explicabat (*Pfleger* l. c. 106—107)

1151. 1573—1577.

Ex litterarum apographo eiusd. temp., quod est Oeniponte in archivo praefecturae tirolensis, Cod. „Geschäfft vom Hof Anno 1573" f. 159ᵇ, et ex codicibus dati et accepti camerae tirolensis ad a. 1575—1577 pertinentibus, qui ibidem exstant („Ambts Raittung" 1575 f. 288ª: 1576 f. 335ᵇ—336ª; 1577 f. 398ᵇ—399ª). Litteras typis exscripsit *L. Rapp* in „Katholische Blätter aus Tirol" 23. Jahrg., Innsbruck 1865, 394—395. Particulam earum posuit *Hirn* l. c. I 243. Iisdem usus est *Kröss*, Can. 188.

Ferdinandus II. archidux Canisio 80 florenos annuos pro scriptore alendo assignat. Qui proximis quoque annis ei dantur.

Wolgebornner, auch Edl etc. Nachdem hieuor dem Ersamen Geistlichen vnnsern lieben andechtigen Petro Canissio Theologiae Doctorj zu vnnderhaltung aines Dienners, den Er zu schreibung der Jhenigen sachen, so Er inn Sacris in Truckh zuferttigen, vorhabens, gebrauchen, Järlichen auf vnnsern beuelch, achtzig gulden von vnnserer Tirolischen Camer geraicht worden, Er aber seines angefanngnes werckh, noch nit gar vollenndet, So beuelchen wir Euch die verordnung zuthuen, Damit Jme Canissio solche achtzig gulden vom Ersten Augusto Jungsthin, anzuraitten, hinforo noch weiter, vnnd bis auf vnnser gnedigists wider rueffen, aus vnnserm Tirolischen Camermaister ambt, wie zuuor geraicht, vnnd gegeben werden, Daran beschicht vnnser genediger willen. Geben zu ynnsprugg den XX. tag monats Septembris. anno etc. 73.

Ferdinannd.

Ad mandatum Serenissimi Domini
Archiducis proprium

Vidit I. Freiherr zu Schneberg. — Jac. Holtzapfpl. D. Euringer.

Litterae ad regimen et cameram comitatus tirolensis datae esse videntur.

Dr. Ioannes Wellinger liber baro a Schneeberg Ferdinandi II. archiducis cancellarius erat; Dr. Jacobus Holzapfl vicecancellarii munere fungebatur.

P. Hieronymus Natalis (cf. supra p. 223¹) Hala 22. Iunii 1574 Mercuriano praeposito generali scripsit: „gionsimo a ispruc a 13 di iunio doue riposai .3. giornj ... trouai in ispruc il p: canisio occupato in sua maria · ha vn scrittor che gli scriue tre hore alla mattina et .3. alla sera · fui tanto ben trattato che troppo" (ex autogr., quod est in Cod. E.N [cf. *Can.* V LXXII] n. 216 f. 184ᵇ; etiam in Epp. *Nadal* III 667).

Deest quidem, quod equidem norim, Oeniponte in archivo praefecturae tirolensis codex dati et accepti camerae tirolensis, qui ad a. 1574 pertinet; exstant vero codices annorum proximorum; ex quibus hoc cognoscitur: Canisio a „camera" tirolensi pro scriptore suo („zuegeordneten Schreiber") superioribus 6 mensibus sustentato quadrageni floreni dati sunt 22. Ianuarii et 12. Septembris 1575, 10. Februarii et 10. Octobris 1576, 21. Augusti 1577; praeterea 26. Maii 1576 pro eodem ei dati sunt 20 floreni.

1152. Inter a. 1573 et 1578.

Ex libro „*Antonii Posserini*, S. J., Moscovia et alia opera, nunc primo in vnum volumen collecta, atque ab ipsomet auctore emendata et aucta", Coloniae 1587, 377 380—381, et ex commentario manu saeculi XVI. paene exeuntis (sub a. 1577, puto) scripto, quod exstat Carolsruhae in archivo generali reipublicae badensis, tabul. Episcop. Constant., „Acta Conc. Trident. spectantia", fasc. „De catechismis" etc., et ex epistularum Possevini apographis eodem fere tempore scriptis, quae sunt in „Opp. NN. 328" p. 6 f. 1[a]. Locum Possevini ex „Moscovia" exscriptum ex eiusdem „Bibliotheca selecta" (Romae 1593), ubi nonnihil contractus est, germanice vertit *Fell* l. c. 546.

Possevinus graviter commendat Canisii catechismum. Hic omnium huius generis libellorum usitatissimus est.

1. *P. Antonius Possevinus S. J.* ad „Ivonem Tarterium [le Tartier] maioris ecclesiae Trecensis (Troyes) in Gallia Decanum", qui postea a Calvinianis occisus est, Roma 29. Septembris 1576 dedit longissimam epistulam „De necessitate, vtilitate ac ratione docendi Catholici Catechismi, cum a quibusdam ea de re idem Decanus vehementer oppugnaretur". In huius epistulae, primum (ut videtur) a. 1583 Cracoviae et Ingolstadii, deinde aliis locis typis exscriptae (*Sommervogel* l. c. VI 1068), capite secundo *Possevinus* commemorat „Petri Canisij Catechismum, quem vniuersus pene orbis Christianus libentissime excepit"; in capite autem III.: „Cum", inquit, „plures a pluribus Catechismi in lucem editi sint, hi quidem sunt, qui iam fere ab omnibus, vt diximus teruntur: Edmundi Augerij maior et minor in Gallijs. Petri item Canisij maior et minor in vniuersa Europa et Indijs, qui cum praeter ea, quae ad fidei dogmata pertinent, optimo contineat ordine, ea, quae de vitijs ac virtutibus tractanda sunt[a], efficax est ad insinuandam in animos cum fidei doctrina pietatem, quae (vt ait Apostolus) ad omnia valet[1]: minorum autem maiores illorum Catechismi tanquam paraphrases, ac quasi interpretes sunt. Vtrisque[b] tamen Pontificius Catechismus Romanus summam affert lucem, qui Ecclesiae consensu editus, non solum docendi, verum etiam plura inueniendi rationem aperit. Frequenti autem horum lectione Catechista nil nisi solidum, atque ad rem loquetur."

2. Exstat praeterea commentarium ab eodem *Possevino* (ut omnino videtur) circa idem tempus Romae de populo christiano, inprimis autem pueris litterarum studiosis, ad doctrinam christianam pietatemque instituendis conscriptum; in quo commendatur: „Ut in scholis catechismus parvus Petri Canisij doceatur saltem biduo singulis hebdomadis, eumque disciPuli discant memoriter. Porro ad eum declarandum poterunt Praeceptores uti maiore catechismo Petri Canisij, qui a sede Apostolica iamdiu approbatus, Romae et ubique propemodum in Europa exponitur. . . . Porro praestat, ut potius hic catechismus, qui (excepto catechismo Concilij Tridentini ad Parochos scripto) omnium est usi-

a) *In „Moscovia" sequitur* tum; *quod typographi vitio positum esse videtur.* b) Vtriusque *Mosc.*

[1] 1 Tim 4, 8.

tatissimus in omnibus Europae et Indicis Provinciis, in scholis praelegatur, quam quivis alius ethnicus licet moralis liber."

Exemplo quidem carolsruhensi vel potius constantiensi Possevini nomen ascriptum non est; sed totum commentarium in tam multis rebus (ut in Augustini Valerii Rhetorica ecclesiastica et Chrysostomi Iavelli O. Pr. Theologia christiana commendandis, indulgentiis a Pio V. et Gregorio XIII. iis, qui doctrinam christianam tradituri sint, concessis memorandis etc.) cum epistula illa „De necessitate . . . Catechismi" convenit, ut eiusdem auctoris esse omnino videatur. Accedit quod eiusdem commentarii alterum exemplum antiquum (collegii Anglorum duacensis fuisse videtur) vel exstat vel exstabat, cui olim inscriptum est: „P. Possevinus" (The first and second diaries of the English College, Douay, and an appendix of unpublished documents, edited by *Fathers of the Congregation of the London Oratory,* London 1878, Coll. Anglo-Duac. diar. secundum, p. 256). Atque verisimile est (nisi fallor), hoc commentarium cardinali Marco Sittico ab Hohenems Romae habitanti ab ipso Possevino inter a. 1573 et 1577 traditum esse, et hac re — ex parte aliqua, accedentibus aliis rationibus — esse effectum, ut cardinalis ille a. 1577 Canisii catechismum parvum tum Ingolstadii iterum excudendum curaret tum in omnibus episcopatus sui constantiensis scholis, seclusis reliquis catechismis, explicari iuberet; vide infra, monum. 1207.

3. Vix quisquam Canisii catechismos magis laudabat et disseminabat, quam doctissimus ille et actuosissimus vir *Antonius Possevinus,* qui legationibus pontificiis obitis, seminariis conditis, sacris contionibus habitis, libris conscriptis ingentem ecclesiae utilitatem attulit. Ita, ut duo adiungam exempla, *Possevinus* Varsovia 23. Iunii 1578 P. Francisco Sunerio provinciae polonicae S. J. praeposito de viro illo lutherano, qui praefecti classis suecicae officio fungens („Viceadmiraglio") iussu Ioannis III. regis ipsum Holmia (Stockholm) exeunte m. Maio 1578 Gedanum (Danzig) in navi regia duxerat[1]: Ultimo navigationis die, tempestate orta, „si risolse piu uiuamente a uolere attendere ad essere instrutto nelle cose della fede catholica la onde hebbe da me vna somma della dottrina Christiana di Canisio". Et Varsovia 24. Iunii 1578 P. Stanislao Grodecio S. J. rectori collegii pultoviensis: Se Petro Dunin Wolski novo episcopo plocensi (Plock), viro iuris quidem aliarumque rerum scientia excellenti, sed theologiae minus perito suasisse, ut primum quidem „per horam quotidie Canisij doctrinam Christianam percurreret", deinde Catechismum Romanum „attende perlegeret", postea decreta Concilii Tridentini legeret.

1153. 1573–1592.

Ex exemplo archetypo (A), manu P. Casparis Abegg S. J. scripto et subscripto, cui accedunt testimonia autographa PP. *Georgii Gobat* et *Ernesti Mairhofer* S. J., et sigillum rectoris collegii S. J. halensis. Cod. „Can. 63" f. 148. Exemplum a. 1730 Friburgi Helvetiorum ex archetypo exscriptum et publico testimonio confirmatum (B) exstat Monachii in archivo reipublicae bavaricae, Jesuitica in genere, Fasc. 13 No. 214. Exemplo monacensi usus est *Kröss,* Can. 189.

Editoris praefatio: P. Georgius Gobat (1600–1679) S. J., vir libris de theologia morali scriptis clarus, rector erat collegii halensis, cum ei allata est epistula P. Petri Hugonis (Hug, † 1657) lucernensis, qui, cum Friburgi Helvetiorum contionatorem ageret, diligenter conquirebat, quicquid ad Canisium honoribus Beatorum et Sanctorum ornandum utile esse posset. Arcessivit deinde Gobat ad se P. Ernestum Mairhofer († 1653) monacensem, senem venerabilem et propter constans paenitentiae studium posterorum quoque memoria dignum (cf. *Io. Nadasi* S. J., Annus dierum memorabilium Societatis Iesu, Antverpiae 1665, II 78). Quo audito Gobat per P. Gasparum Abegg, qui et ipse aliquamdiu collegii halensis rector fuerat (*Duhr,* Jes. II[1] 220[2]), litteras hasce conscribendas curavit.

---

[1] Nomen huic fuisse videtur Henrico Arvidson Gyllenankar (*Kartunnen* l. c. 134).

Canisius Oeniponte tempore Bacchanalium singulari fervore contionatur. Eius precatio pro Societate et temperantia. Scripta delet.

Ego infra scriptus requisitus a P. Petro Hugone per litteras 12 Januarij a. 1650. Friburgi Heluet. datas, ut inquirerem si quid in Halensi isto Collegio de scriptis uel gestis R. P. Petri Canisij p. m. extaret, uel domesticorum alicui constaret quod ad Dei gloriam et huius Venerabilis Viri illustrandum nomen facturum videretur, sequentia comperj.

Die 16. Febr. currentis anni 1650. sub horam 2.^{am} pomeridianam vocaui ad me, P. Ernestum Mayrhofer annum nonagesimum quintum agentem, eumque in praesentia P. Casp. Abegg interrogaui, num quid de Venerabili Patre Petro Canisio memoria dignum ei constaret: Respondit, se ex[a] secundo Nouitiatus anno Monachio Oenipontum, experimentorum Societatis faciendorum causa[1] missum in Decembri a. 1573 · ibi praedictum P. Canisium Mariali scribendo occupatum reperisse; Factumque tempore Bacchanalium anni 1574.[2], cum Serenissimus Archidux Ferdinandus Oeniponti praeclarum Hastiludium institueret inter Magnates suos, qui Septem Planetas[b] in Circum invecti repraesentantes[c] omnem ad spectaculum urbem trahebant, vt P. Petrus Canisius, quo Deo aliquid de hoc profano spectaculo vindicaret, Concionem sacram in nostro Sacello institueret, eamque ad horam integram ingenti cum spiritus feruore produceret locum aliquem ex Tobia explicando[3], tametsi nemo praeter Nostros[4] et duas e plebe mulierculas extra clatra[d] adstantes, adesset. Ex auditoribus unus P. Ernestus ipse fuit, qui ait sibi uisum Spiritum Sanctum ex feruentissimo Patre tunc loqui.

Jdem P. Ernestus Mayrhofer Anno 1587. Friburgum Helu. missus iam Sacerdos ibid. reperit P. Canisium, cui per quinquennium conuixit, subinde Confessiones eius excipiens, et uicissim sua apud illum peccata deponens, in absentia ordinarij Domus Confessarij. Rogauit aliquando Venerabilem Patrem peracta sua Exomologesi P. Ernestus vt orationem se doceret[e], qua post Missam deuote vti posset[f] pro Societate, cui ex tempore istam, quam subiungo, ex memoria dictauit, qua forsan ipse quoque vsus est P. Canisius, cum tam prompte eam dictarit.

Domine IESV Christe qui nouos operarios ad Ecclesiae tuae Vineam excolendam subinde mittis[5], immensae bonitati tuae gratias

a) et *B.* b) *In A correctum ex* Planetarum. c) repraesentates *vel* repraesentatis *A.* d) *Sic in A correctum est ex v., quod iam non potest legi.* e) edoceret *B.* f) *Duo vv. sqq. in A addita sunt in margine.*

[1] De his v. *Can.* II 396 [1].

[2] Sacram Quadragesimam eo anno proxime antecedebant dies 21., 22., 23. Februarii; ampliore tamen quadam loquendi ratione nomen Bacchanalium septimanas quoque, quae id tempus antecedebant, complectebatur.

[3] Vide, quae sub ipsas has litteras dicentur.

[4] Anno 1572 in collegio oenipontano fuisse 17 sodales cognoscitur ex eius *Catalogo a P. *Gerardo Pastelio* rectore scripto (Germ. 131 f. 185).

[5] Cf. Mt 9, 38; 20, 1—7; Lc 10, 2.

ago maximas, quod per electum seruum tuum S. Jgnatium[1] hanc Nominis tuj Societatem mirabiliter erexisti, et erectam late in orbe propagasti, meque licet indignum, illius participem facere uoluisti: Auge in me germanum spiritum, qui primum in huius Instituti Principe[a] uiguit, et concede, vt quotquot eius corporis membra sumus, secundum quod ille docuit, amori proprio moriamur, et in obedientia perfecta fundati in vinea tua frugiferos palmites praebeamus, cunctaque ad maiorem Nominis tui gloriam sincere conuertamus. Eiusdem S. P. N. suffragantibus meritis et uirtute diuini Sacrificij Corporis et Sanguinis tui adiuuemur, vt ab Euangelicae paupertatis norma non deflectamus, tibique secundum illius exemplum et leges fideliter inseruiamus, ac demum solidas boni Religiosi virtutes, quas passim ille a suis exigit, ad mortem vsque praestemus. Amen.

Jbidem etiam contigit vt P. Ernesto Ven. Pater aliquando[b] in Prandio assideret, pro more clausis fere oculis, altioribus intentus, parum attendens ad ea quae in mensa prae manibus erant. Vtebatur eo tempore pro ordinario haustu minore cantharo quam reliqui, cui cum illa die alius similis acetum continens piscibus condiendis prope adponeretur, manum bonus Pater ad acetum extendit, ex eo bibiturus, nisi P. Ernestus assessor submonuisset. Addidit etiam istud P. Ernestus, quod P. Canisius frequentissime integras scriptorum suorum paginas deleuerit, tam parui se suaque pendens, plura inducturus, nisi tandem a Superioribus inhibitus[c] fuisset.

Porro est idem Pater Ernestus in hoc suo extremo adhuc senio tam fidelis circa similia memoriae, et insuper tanti candoris, ut ei merito fides haberi possit.

Actum Halae 16. Februarij · Anno 1650.

Haec omnia ita se habere, manu mea, meique officij sigillo testor ego

Georgius Gobat Societatis JESv Collegij Halensis pro tempore Rector manu propria.

Haec omnia manu mea testor

Ernestus Mairhofer S. J.

Jta testor haec omnia se habere

Ego Casp. Abegg manu propria.

Locus sigilli.

a) *Sic A B.* b) *In A hoc v. supra versum scriptum est.* c) prohibitus *B.*

[1] Etsi Ignatius, cum Canisius haec dictabat, nondum inter Beatos, nedum inter Sanctos publica ecclesiae auctoritate annumeratus erat, nihil obstabat, quominus ab iis, qui eius sanctitatem noverant — noverat eam Canisius — in privatis orationibus sanctus nuncuparetur; attamen dixerim, in hac oratione nomini Ignatii nomen Sancti non a Canisio, sed a Mairhofero, postquam ille (a. 1623) a summo pontifice in album Sanctorum relatus est, praepositum esse; neque enim, quantum equidem meminerim, unquam Canisius, cum Ignatii mentionem faceret, „Sanctum Ignatium" eum vocavit; cf. *Schlosser* l. c. 230 260; *Can.* II 22; V 431; VI 85 et supra p. 252 253 264 269.

Canisium anno 1574 tempore Bacchanalium in templo collegii oenipontani munere contionatoris functum esse constat ex codicibus contionum eius; quod autem Mairhofer eum locum aliquem libri Tobiae explicasse dixit, memoriae lapsu id dixisse videtur; librum enim Iob Canisius tum interpretabatur (v. monum. 1164); nisi forte malueris dicere, contionem illam extra seriem usitatarum contionum fuisse neque cum iis in codice contionum notatam esse. Ex * *Catalogo* provinciae S. J. Germaniae superioris a. 1589 conscripto intellegitur, „P. Ernestum Mayrhofer" tunc Friburgi Helvetiorum fuisse „Praeceptorem humanitatis, Concionatorem discipulorum" (Germ. Sup. 44 f. 78[a]).

1154. 1573—1722.

In „Fide Iesu et Iesuitarum" decies fere a protestantibus vulgata Canisius conviciis afficitur.

Ad Canisium spectat nonnihil liber „Fides Iesv et Iesvitarum. Hoc est · Collatio doctrinae Domini et Salvatoris nostri Iesv, cum doctrina Iesuitarum . . ., per *Donatum Gotuisum* Triuonensem S. Theologiae Lectorem. Cum Praefatione D. Iohannis Marbachij S. Theologiae Doctoris: et professoris ordinarij in Academia Argentoratensi. Anno M. D. LXXIII." In fine libri dicitur eum „Ab anno salutis vnicae M.D.LXXIII. Excusum Christlingae per Gnadrichum Gotvvinum" esse; at „Christlingae" nomen fictum esse liquet; Basileae librum excusum esse affirmat *Em. Weller*, Die falschen und fingirten Druckorte I², Leipzig 1864, 246. Alii eum Argentorati a Bernardo Jobin typis exscriptum esse dixerunt (*A. F. C. Vilmar*, Fischart, in „Allgemeine Encyklopädie" etc. v. *J. S. Ersch* u. *J. G. Gruber*, I 51. T., Leipzig 1850, 171 186 188). Idem liber cum praefatione Marbachii „Anno M. D. LXXVIII" vulgatus est nec loco nec typographo ascriptis, auctoris autem nomine sic immutato: „per *Donatum VVisartum* Triuonensem". Cum eodem auctoris nomine deinde editus est a. 1610 Oppenhemii. Insertus quoque est operi „Doctrinae Jesuitarum praecipua capita", primum a. 1580 (v. infra, monum. 1249), deinde 1584 et iterum 1589 „Rupellae" (La Rochelle in Gallia; quam urbem falso positam esse pro Basilea nescio quam recte censeat *Weller* l. c. 247). Germanice autem vulgatus est cum titulo „Jesuiter Spiegel" a. 1580 Erfordiae et a. 1596 sine loco; item prodiit Argentorati a. 1581 a *G. Nigrino* germanice redditus; exstat praeterea in *J. C. Vlmeri* „New Jesuitspiegel" Basileae 1586 edito. Ita quidem *Carolus Goedeke*, Grundriss zur Geschichte der deutschen Dichtung, 2. ganz neu bearbeitete Auflage II, Dresden 1886, 492—493. Ad quae addi potest, „Fidem Iesu et Iesuitarum" iterum a. 1722 Francofurti et Lipsiae a *Car. Godefr. Engelschall* editam esse (*J. Chr. Koecher*, Catechetische Geschichte der Paebstischen Kirche, Jena 1753, 68). Idem *Goedeke* in operis, quod dixi, editione prima („Grundriss zur Geschichte der deutschen Dichtung aus den Quellen" I, Hannover 1859, 388) affirmavit, nominibus „Donati Gotuisi" et „Donati Wisarti" se texisse famosum illum *Ioannem Fischart* (cf. *Can.* VI 699 [1]); quem plerosque libros suos fictis cum nominibus, ut „Bap. Guisard", „Pickhart", „Hartfisch", „Johan Fridrich Gwischart" edidisse constat (*Kurz* l. c. xx—xxi). Idem affirmarunt, praeter *Kurz* (l. c. xii), *Weller* (l. c. 246 et Lexicon Pseudonymorum, 2. Aufl., Regensburg 1886, 234 614), *H. Reusch* (Der Index I 477), *Mich. Holzmann et Io. Bohatta* (Deutsches Pseudonymen-Lexikon, Leipzig 1906, 111 313). *Goedeke* vero interea sententiam mutavit et in nova operis, quod dixi, editione demonstrare conatus est (l. c. II 492—493), „Fidei Iesu et Iesuitarum" auctorem esse *Ioannem Piscatorem* sive *Piscatorium*, a. 1546 Argentorati natum, qui, cum Tubingae litteris operam dedisset, Argentoratum rediit, brevi autem post ob calvinismi suspicionem inde amandatus Herbornam petiit ibique a 1626 vita excessit.

Quid de „Iesuitis" in hoc libro tradatur, satis elucet ex praefatione *Marbachii*, Argentorato 1. Septembris 1573 data ac „Domino Philippo Ludouico, et Domino Iohanni, Fratribus, Comitibus Palatinis, Ducibus Bauariae, Dominis et Comitibus Veldentiae et Spanhaim" inscripta; cuius partem pono ex editione principe, quam supra dixi, f. x 1[a]—x 4[a]. „Inter reliquos autem, qui hoc nostro seculo ueritatem

oppugnandam singulari studio susceperunt, et ut maiori cum laude et admiratione faciant, artibus et disciplinis sedulo operam nauant: illi sunt, qui Christianorum illo augustissimo nomine non contenti, quo uniuersa tamen inde ab Apostolorum tempore gauisa est Ecclesia, ut maiorem sui cum Christo prae reliquis hominibus coniunctionem prae se ferant: alterum Seruatoris nomen, sui ordinis proprium esse uoluerunt, fratres se et Dominos societatis IESV appellantes. Hominum genus, si externam conuersationem spectemus, illis quos superior aetas toto orbe aluit monachos *κακὰ θηρία, γαστέρας ἄργους* non nihil meliores: sin imponendi studium consideremus, omnibus qui unquam uixerunt Sophistis deteriores. Nihil enim tam absurde excogitatum, tam contra ueram credendi rationem in Ecclesiam introductum, tam sacris literis contrarium a Pontificibus, eorumque assentatoribus, obtrusum maioribus est: quod non tanquam ueritati consentaneum, a Christo et Apostolis traditum, defendendum suscipiant · Veritatem horrendis praestigijs inuolventes: et infinitis calumnijs uiros bonos, et de Ecclesia bene meritos onerantes. Vt rectissime eos D. Iohannes in Apocalypsi descripserit: mentionem faciens trium spirituum immundorum, qui ex ore Draconis bestiae, et Pseudoprophetae in modum ranarum procedunt. Quae enim de illis spiritib. Euangelista praedicat: quod signa Daemoniorum facient: quod procedent ad Reges terrae ad congregandum illos in proelium diei illius magni: ea uerissime ad hos accommodari possunt. . . . Haec igitur cum sit natura illorum, non Christianorum, sed Iesuitarum: et his cum exornati sint uirtutibus: quo maius Ecclesiae ab illis imminet periculum: et quo maioribus conatibus, ueritatem illustratam opprimere student: eo nos magis decet operam dare, et diligentiam adhibere: ne aut supina negligentia et scelesta ingratitudine, aut horrendo beneficij diuini contemptu, puritatem doctrinae coelestis, integritati suae restitutam, erroribus inquinari patiamur." Marbachii haec contra Iesuitas scribentis animo Canisium primo quasi loco obversatum esse facile collegeris; in libro enim „Von Mirackeln vnd Wunderzeichen" a. 1571 edito *Marbach* Canisium praecipuum Iesuitarum rabbinum („jren Furnemesten Rabbi") esse, „signa Daemoniorum" Ottingae Veteris fecisse, veritatem praestigiis involvere scripsit (*Can.* VI 651—653).

Ipsum deinde opus per capita distinctum est; in singulis autem capitibus (de Scriptura, de peccato etc.) variae quaestiones vel argumenta ita tractantur, ut de singulis primum, quid „Iesuitae" affirment, dicatur, deinde cum inscriptione „Iesus" doctrina protestantium eis opponatur et ad eam confirmandam sententiae Sacrae Scripturae et Patrum proferantur. Doctrinae autem Iesuitarum in editionibus annorum 1573 et 1578 unicus profertur fons „*Censura* Coloniensis" sive „Censura et Docta Explicatio Errorum Catechismi Ioannis Monhemii" mandatu theologicae facultatis coloniensis (quae nequaquam tota Societatis Iesu erat) ab Henrico Dionysio et Francisco Costero, adiuvante P. Nicolao Goudano, qui tres de Societate erant, conscripta et a. 1560 Coloniae edita (*Can.* II 721—722); anno vero 1580 pro altero fonte positum est „Opus Catechisticum Canisii": quod ad Canisii „Summam Doctrinae Christianae" illustrandam a P. Petro Busaeo S. J., PP. Canisio et Hasio adiuvantibus, compositum, ipse Canisius palam commendavit et Iulio episcopo herbipolensi sollenniter dedicavit, ita ut vere ipsius vocari possit opus (*Can.* VI 688 et supra p. 326 et infra, monum. 1209).

Nec tamen attinet cognosci hoc loco, qua fide in opere illo „fides" Iesuitarum" hausta sit ex „Censura" Coloniensi; quippe quam Canisius nec scripsit nec plene probavit (*Can.* II 744). Fide certe mala usurpatum est „Opus catechisticum"; hoc iam aliquot exemplis ostendam, excerptis ex editione rupellensi (basileensi?) anni 1580 (postea quoque compluries, ut dixi, in lucem emissa); quae editio tertiam constituit partem operis „Doctrinae Iesuitarum praecipua capita", Rupellae 1580, 198—495, et in totius operis folio titulari (pagina aversa) sic describitur „Fides Iesv et Iesvitarum, hoc est, Antitheton seu collatio doctrinae Iesu cum doctrina Iesuitarum Papisticorum, ex Sacris literis, Patrum scriptis et Iesuitarum farraginibus collecta per *Donatvm Gotvisvm* Triuonensem Theologiae professorem: nunc denuo recognita et emendatior edita" (Marbachii praefatio omissa est). Notandum porro

est, eum qui novam hanc editionem curavit, „Opere catechistico" non, ut illud Coloniae et Venetiis a. 1569—1571 in lucem prodiit, sed ut recognitum et amplificatum primum a. 1577 Coloniae editum est, uti, sed peccare in eo, quod pro eiusdem operis paginis „folia" ponit, paginarum tamen numero retento. In numero igitur doctrinarum iesuiticarum haec ab editore illo ponitur: „Lectio S. Scripturae non tantum non est vtilis sed multis modis perniciosa Ecclesiae." Ita, inquit ille, docetur „in opere Catechistico Canisii fol. 301" (p. 231). At totus ille Operis catechistici locus occupatur parte litterarum ab *Innocentio* III. pontifice Roma ex „Laterano" a. 1199 ad „universos Christi fideles tam in urbe metensi quam in eius dioecesi constitutos" datarum, quae incipiunt: „Cum ex iniuncto nobis apostolatus officio" [1]. Pontifex igitur — ita Opus catechisticum (p. 300—302) — eos sic monet: „Significauit nobis venerabilis frater noster Episcopus Metensis per literas suas, quod tam in vrbe Metensi, quam in diocesi laicorum et mulierum multitudo non modica, tracta quodammodo desiderio Scripturarum, Euangelia, Epistolas Pauli, Psalterium, moralia Iob, et plures alios libros sibi fecit in Gallico sermone conuerti: translationi huiusmodi adeo libenter, vtinam autem et tam prudenter [a], intendens, vt secretis conuentionibus talia inter se laici et mulieres eructare praesumant, et sibi inuicem praedicare: qui etiam eorum aspernantur consortium, qui se talibus non immiscent, et a se reputant alienos, qui aures et animos talibus non apponunt. Quos cum aliqui parochialium Sacerdotum super his corripere voluissent, ipsi eis in faciem restiterunt, conantes rationes inducere de Scripturis, quod non ab his debent penitus [b] inhiberi. Quidam etiam ex eis simplicitatem sacerdotum suorum fastidiunt, et cum ipsis per eos verbum salutis proponitur, se melius habere in libris [c] suis, et prudentius se posse id eloqui submurmurant in occulto. Licet autem desiderium intelligendi diuinas scripturas, et secundum eas studium adhortandi repraehendendum non sit, sed potius commendandum: in eo tamen apparent [d] quidam laici merito arguendi, quod occulta conuenticula [e] celebrant, officium praedicationis Christi sibi vsurpant, sacerdotum simplicitatem eludunt, et eorum consortium aspernantur, qui talibus non inhaerent." Deinde *Innocentius* ex ipsa Sacra Scriptura ostendit, „Euangelicam praedicationem, non in occultis conuenticulis, sicut haeretici faciunt, sed in Ecclesijs iuxta morem Catholicum esse publice proponendam." „Porro si quis obijciat quod secundum praeceptum Dominicum, non sit sanctum dandum canibus, neque margaritae mittendae sunt ante porcos [2]: cum et ipse Christus non omnibus, sed solis Apostolis dixerit: Vobis datum est noscere mysterium regni Dei, caeteris autem in parabolis [3]: Intelligat canes et porcos non eos qui [f] grataneter accipiunt, et margaritas libenter acceptant, sed illos qui sanctum dilacerant, et margaritas contemnunt: quales sunt qui Euangelica uerba, et ecclesiastica sacramenta, non vt Catholici venerantur, sed abominantur potius, vt haeretici, oblatrantes semper et blasphemantes, quos Paulus Apostolus, post primam et secundam admonitionem docet esse vitandos [4]. Arcana vero fidei sacramenta non sunt passim omnibus exponenda, cum non passim ab omnibus possint intelligi: sed eis tantum, qui ea fideliter [g] possint concipere intellectu: propter quod simplicioribus, inquit Apostolus, quasi paruulis in Christo, lac potum dedi vobis, non escam [5]. Maiorum enim est solidus cibus [6], sicut alijs ipse dicebat: Sapientiam loquimur inter perfectos [7], inter vos autem nihil iudicaui me scire nisi

a) utinam autem et prudenter *Baluz.* b) quod ab his non deberent aliquatenus *Bal.* c) libellis *Bal.* d) *Duo vv. sqq. non sunt apud B.* e) quod tales occulta conventicula sua *B.* f) *Supplendum est:* sanctum; *quod habet B.* g) fideli *B.*

[1] Canisius et Busaeus haec protulerunt ex Decretalibus *Gregorii papae IX.* (*Corpus* Iuris Canonici, c. 12 X 5, 7). Integrae litterae ex „Epistolarum Innocentii III. libris undecim" a *Stephano Baluzio* Parisiis 1682 editis exscriptae exstant apud *Migne,* P. lat. CCXIV 695—698.

[2] Mt 7, 6. [3] Lc 8, 10; Mt 13, 11—13. [4] Cf. Tit 3, 10.

[5] 1 Cor 3, 1 2. [6] Hebr 5, 14. [7] 1 Cor 2, 6.

Iesum Christum, et hunc crucifixum[1]. Tanta est enim diuinae Scripturae profunditas, vt non solum simplices et illiterati, sed etiam prudentes et docti non plene sufficiant ad illius intelligentiam indagandam. Propter quod dicit Scriptura, quod multi defecerunt scrutantes scrutinio[2]. Vnde recte fuit olim in lege diuina statutum, vt bestia quae montem tetigerit, lapidetur[3]: ne videlicet simplex aliquis et indoctus praesumat ad subtilitatem sacrae Scripturae pertingere[a]. Scriptum est enim: Altiora te ne quaesieris[4]· propter quod dicit Apostolus: Non plus sapere quam oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem."[5] Deinde *Innocentius* ostendit, eos solos contionari sive Dei verbum praedicare debere, qui rite ad id officium delecti sint. „Licet autem scientia", ait, „sit valde necessaria sacerdotibus ad doctrinam, quia iuxta verbum propheticum: Labia sacerdotis custodiunt scientiam, et legem exquirunt ex ore eius[6]", imperitis sacerdotibus non esse detrahendum, sed in iis quoque sacrum sacerdotum officium honorari debere. „Quod si forte necessitas postularet, vt sacerdos tanquam inutilis et[b] indignus a cura gregis debeat remoueri, agendum est ordinarie[c] apud Episcopum, ad cuius officium, tam institutio, quam destitutio sacerdotum noscitur pertinere." Haec sunt in Opere catechistico; ex quibus verbis sane nemo, qui ex aequo et bono iudicare voluerit, colliget Canisium docuisse: „Lectionem Sacrae Scripturae non tantum non esse utilem, sed multis modis perniciosam Ecclesiae". Recte *Fridericus Hurter* duobus annis ante quam ex protestantismo in ecclesiam catholicam redisset, de hac Innocentii epistula scripsit: „Es ist klar, daß er die Unterweisung der Gläubigen aus der heiligen Schrift wollte; und es war nicht sowohl die Uebertragung in die Landessprache, welche er missbilligte, sondern dass dieselbe durch einen Unbekannten, dem Beglaubigung für Tüchtigheit und Befugniß hiezu abgehe, seye unternommen worden" (Geschichte Papst Innocenz des Dritten und seiner Zeitgenossen II², Hamburg 1842, 262).

Alio „Fidei Iesu" loco (p. 399) Canisius inducitur haec docens: „Orationem Dominicam fundimus sanctis". Haec sane sententia pessime sonat, cum ita debeat vel saltem possit accipi, ut significetur, a catholicis Sanctos perinde atque ipsum Deum invocari et honorari atque ita pro diis haberi. Iam vero in paginis („foliis") 81 et 82 Operis catechistici, quae in „Fide Iesu" memorantur, integra quidem exstat „Summae" canisianae doctrina de Sanctorum veneratione, neque vero ullum huius sententiae vestigium comparet; immo plane traditur, nequaquam a catholicis „Sanctos pro Dijs adorari, creaturas creatori exaequari"; Sanctos enim invocamus, „non sane vt per se largiantur, sed vt apud Deum omnis boni largitorem nobiscum precentur, sintque vel immerentibus fauentes et efficaces intercessores". Haec in Operis catechistici capite tertio, quod „de charitate et decalogo" est, dicuntur; antecedit autem „caput secundum de spe et oratione dominica"; in quo hoc, praeter alia, docetur: Oratione dominica Christianos ex ipsius Christi praescripto „spem suam ac vota Deo explicare", neque ulla Sanctorum fit mentio (p. 47).

Deinde, ut tertium afferam exemplum, in „Fide Iesu" significatur: „In opere catechistico Canisii" p. (fol.) 44 haec affirmari: „Sacra Scriptura in illis, quae continet et proponit, est veluti nasus caereus non praebens certam aliquam et immotam sententiam, sed quae in quamuis interpretationem flecti potest" (p. 216—217). Quid igitur illo loco? Quod ad verba attinet, nihil de „naso caereo", nihil de reliquis. Quod ad res ipsas, unum occurrit hoc Sancti *Vincentii Lerinensis* monitum ex notissimo eius „Commonitorio" exscriptum: „Saepe magno studio et summa attentione perquirens a quamplurimis sanctitate et doctrina praestantibus viris, quonam modo possim certa quadam et quasi generali et regulari via, Catholicae fidei veritatem

a) *Apud B sequitur:* vel eam aliis praedicare. b) aut *B.* c) ordinate *B.*

[1] 1 Cor 2, 2. [2] Ps 63, 7. [3] Hebr 12, 20; cf. Ex 19, 12 13.
[4] Eccli 3, 22. [5] Rom 12, 3. [6] Mal 2, 7.

ab haereticae prauitatis falsitate discernere, huiusmodi semper responsum ab omnibus fere retuli: quod siue ego siue quis alius vellet exurgentium haereticorum fraudes depraehendere, laqueosque vitare, et in fide sana sanus atque integer permanere, duplici modo munire fidem suam Domino adiuuante deberet: Primo scilicet diuinae legis authoritate, tum deinde Ecclesiae Catholicae traditione. Hic forsitan requirat aliquis: cum sit perfectus scripturarum canon, sibique ad omnia satis superque sufficiat, quid opus est, vt ei ecclesiasticae intelligentiae iungatur authoritas? Quia videlicet scripturam sacram pro ipsa sua altitudine non vno eodemque sensu vniuersi accipiunt, sed eiusdem eloquia aliter atque aliter alius atque alius interpretatur, vt pene quot homines sunt, tot illinc sententiae erui posse videantur. Aliter nanque illam Nouatianus, aliter Photinus, aliter Sabellius, aliter Donatus exponit, aliter Arrius, Eunomius, Macedonius, aliter Appollinaris, Priscillianus, aliter Iouinianus, Pelagius, Caelestius, aliter postremo Nestorius. Atqui idcirco multum necesse est, propter tantos tam varij erroris anfractus, vt propheticae et Apostolicae interpretationis linea, secundum Ecclesiastici et Catholici sensus normam dirigatur. In ipsa item Catholica Ecclesia magnopere curandum est, vt id teneamus, quod vbique, quod semper, quod ab omnibus creditum est: etc.“ (Commonitorium primum, c. 2; *Migne* P. lat. L 639—640). Hoc igitur (praeter alia) docet *Vincentius:* Scripturam in aliam atque aliam interpretationem flexam esse ab iis, qui ecclesiam catholicam audire noluerint; catholicis vero iam ex ipsa ecclesiae definitione illorum Scripturae locorum constare „certam et immotam sententiam“; et si quae in posterum Scripturae interpretationes proponantur ab eo, quod ubique, semper, ab omnibus creditum sit, discrepantes, hoc ipso earum patefieri falsitatem. Itaque hoc quoque in capite calumnia afficitur Canisius. Cui Sacra Scriptura non est „veluti nasus caereus“, sed est „gladius Spiritus sancti“ (Opus catechisticum f. a 3[b]), est „lucerna splendens et lampas in loco caliginoso“, „coeleste manna“, „purum et probatum aurum“, „fons vivus“ (Commentariorum de Verbi Dei corruptelis Tomi duo. Prior de Ioanne Baptista, Ingolstadii 1583, f. a 5[a]). Ac si Canisius Scripturam „non praebere certam aliquam et immotam sententiam“ existimasset, quorsum ad doctrinam catechismi sui confirmandam et illustrandam 2000 fere locorum Scripturae in „Summa“ commemorasset et in Opere catechistico ad verbum exprimenda curasset? Cf. *Can.* V 804.

„Donati Gotvisi“ nomen in „Indice“ librorum prohibitorum a. 1582 a Feliciano Ninguarda O. Pr. nuntio apostolico Monachii edito (cf. supra p. 555) positum et inde in Indicem romanum translatum est; ac *Benedictus XIV.* in Indice 1758 a se edito nomini Gotvisi addidit verba: „qui et Donatus Wisartus“ (*Reusch,* Der Index I 477).

1155. Circa a. 1574.

Ex apographo nuper exscripto ex Cod. „Collegii Fuldensis Exordia. Et Annuae“ etc. (p. 402), qui exstat Fuldae in bibliotheca seminarii episcopalis. Germanice hoc caput ex eodem codice posuit *Komp,* Zweite Schule Fulda's (cf. supra p. 50 ?) 23

Canisii catechismus in aula principis Hassiae.

In historia collegii S. J. fuldensis, ibidem sub a. 1602 a Sociis conscripta (cuius unum exemplum circa a. 1602 iussu Claudii Aquavivae praepositi generalis Romam ad ipsum missum, alterum Moguntiae in archivo Societatis positum, tertium, ut videtur, in collegio fuldensi asservatum est) haec in a. 1574 (is annus in margine ascriptus est) narrantur de Guilielmo IV. Hassiae landgravio (1567—1592): „Sibi nescio quid iuris in oppidum Fuldense vindicabat, in eo se dictitans Jesuitas neque velle neque posse tolerare, ut qui non solum nobilitatis Hassiae florem ad se pellicerent, sed quo ipsi venire non possent, huc libris etiam perniciosis, in penetralia Gynaecei se insinuarent: Et nobilis forte femina reperta fuerat, quae P. Canisii catechismum studiosius lectitaret; id ille [se] iactabat facinus aut impigre ulturum aut non eum, qui esset Landgrauium[a] Hassiae futurum, cum imprecatione ni ita faceret, ut poculum quod bibebat, subitam cordi pestem afferret.“

a) *Correxi ex* Landgrauiae.

Valde probabile est, hoc caput scriptum esse a P. Christophoro Brower S. J., insigni illo historico; qui hoc tempore collegii fuldensis rector erat (*Duhr*, Jes. II[1] 160[5]; II[2] 424—428).

Pro appendice haec pono: Friburgi Brisgoviae in *Actis* facultatis theologicae huius universitatis *notatum est, 30. Aprilis 1574 „comparuisse coram facultate venerandum Magistrum Ioannem Colman, diaconum, qui ante biennium a Jesuitis Moguntiae in Magistrum artium est promotus"; is „per omnes classes, ubi accurate legunt, audivit antea Catechismum Canisii per quinquennium, ut sic cum philosophia imbiberet orthodoxam pietatem" etc. (Cod. „Matricula Magna" I f. 182[b]—183[a]; Friburgi Brisgoviae, in archivo facultatis theologicae).

1156. 1574.

„Summa" latine editur Antverpiae, Leodii, Novariae, Venetiis, hispanice excuditur Compluti.

1. „SVMMA | DOCTRINAÆ | CHRISTIANÆ, | EX | POSTREMA RECOGNI- | tione Doctoris PETRI CANISII, | Societatis IESV Theologi. | ANTVERPIAE, | Ex officina Christophori Plantini, | Architypographi Regij. | M.D.LXXIIII." Cum signo typographico Plantini.

16°; pp. 392 (addito folio titulari); praeterea in fine ff. non sign. 12; in p. 2—29 summa brevis privilegii typographici Plantino a Philippo II. concessi; Plantini litterae dedicatoriae ad Philippum II. Hispaniae regem, datae Antverpia 12. Iunii 1566; Canisii praefatio ad senatum populumque coloniensem a. 1566 data; edicta Ferdinandi I. (1560) et Philippi II. (1557); indiculus Patrum et Conciliorum, quorum auctoritates commemorantur; conspectus totius libri ordinem et summam complectens: vide *Can.* V 814; in 12 foliis postremis „Auctoris confessio" (quam v. *Can.* VI 744 ad 747) et index rerum alphabeticus.

Librum vidi Limburgi ad Laganam in bibliotheca seminarii episcopalis et Aquisgrani (Aachen) in bibliotheca urbis. Idem exstat Berolini in bibliotheca nationali, Matriti in bibliotheca S. Isidori, Monachii in bibliotheca universitatis, Monasterii Westphalorum in bibliotheca maioris seminarii episcopalis, Iaurini in Hungaria (Győr, Raab) in bibliotheca gymnasii. Editionem posuit *Sommervogel* l. c. II 624.

2. „SVMMA | DOCTRI= | NAE CHRISTIANÆ | PER QVAESTIONES | loculēter cōscripta, nūc demū | recognita et locupletata. | Autore D. Petro Canisio, Societatis | IESV Theologo, vt ex eius noua Præfa= | tione con | stabit. | Accessit huic recognitioni authori | tas decretum et priuilegium Ferdinandi | Imp. & Philippi Regis Hispaniæ. | LEODII | Apud Henricum Houium | Typis GVALTERI MOR= | berij Typographi iuratj. anno | M. D. LXXIIII" *[sic.]*.

12° min.; ff. sign. 135; in altera pagina folii titularis „Index totius libelli ordinem et summam complectens"; sequitur praefatiuncula, edictum Ferdinandi I., parva imago ligno incisa S. Ioannis Baptistae contionantis et Iesum transeuntem digito demonstrantis, catechismus, „Index luculentus materiarum hoc in opere contentarum." In fine libelli: „Pius est, utilis, et catholicus hic Catechismus. Ruardus Tapper S. Petri in Louanio Decanus. Leodii Impensis Henrici Houij. Anno 1573" *[sic.]*.

Liber exstat, ut accepi, Trecis in Gallia (Troyes), in bibliotheca urbis (A 4315). Eum breviter posuit *Sommervogel* l. c. II vii.

3. „*SVMMA* | DOCTRINAE | *CHRISTIANÆ,* | PER QUAESTIONES LVCVLENTER | conscripta; nunc demum recognita & lo- | cupletata, Authore D. Petro Canisio | Societetis Iesv Theologo · vt ex eius no | ua Præfatione constat. *Acessit huic recognitioni auctoritas, decretum,* | *& priuilegium Ferdinandi Imperatoris,* | *& Philippi Regis Hispaniarum.* | DIIS AVSPICIBVS, ET CLERI | CONSTANTIA. | NOVARIAE APVD FRANCISCVM | sesallvm, M D LXXIIII." Cum signo typographico Sesalli.

8° min.: pp. 319 (addito folio titulari); praeterea in fine libri ff. non sign. 8; p. 3—4 litterae dedicatoriae a *Sesallo* (tempore non ascripto) ad Amicum Canobium,

abbatem monasterii S. Bartholomaei novariensis, ordinis Vallis Umbrosae, datae; in quibus Sesallus affirmat: Catechismum hunc ab omnibus legi; eundem in publicis provinciae novariensis gymnasiis „praelegi“ atque etiam per totam paene Europam explicari; et se quidem Summam hanc iam anno superiore typis exscripsisse; iam autem, ut primum nova eius editio eaque ab ipso auctore recognita (editionem coloniensem anni 1566 significat) in manus suas pervenerit, se librum denuo excudendum curasse; hunc autem Amico abbati a se dedicari, quia is sacras in urbe sodalitates aliaque instituta pia instituerit atque inprimis montem pietatis novariensem suis expensis condiderit et propterea patronus pauperum appelletur. Has litteras sequuntur edicta Ferdinandi I. et Philippi II. ac Canisii praefatio ad Colonienses; cf. supra p. 698; p. 318—319 „Carmen de praecipuis huius Catechismi partibus, in gratiam studiosorum adiectum“; sequitur index rerum alphabeticus. Editio haec typis pulchris accurate facta est; multae ex litteris initialibus ornatae sunt figuris ligno incisis.

Librum vidi Romae in bibliotheca alexandrina (Ca 116). Idem exstat Mediolani in bibliotheca nationali (Brera), Parmae in bibliotheca palatina, Cremonae in bibliotheca publica. Editionem posuit *Sommervogel* l. c. II 624.

4. „SVMMA | DOCTRINAE | CHRISTIANAE. | IN VSVM CHRISTIA- | næ pueritiæ per Quæstiones re | cens conscripta, à D. Petro | Canisio Doctore Theo | logo Societatis | IESV. | VENETIIS, | Apud Iacobum Leoncinum. | MDLXXIIII.“ Cum Leoncini signo typographico.

12°; ff. 116 (addito titulari); praeterea in fine ff. non sign. 8. Titulum sequitur carmen, quod incipit: „Vis cognoscere“ etc., et conspectus libri ordinem brevemque summam complectens; „Appendix de hominis lapsu“ etc. (cf. *Can.* V 804) deest; post Catechismum posita est approbatio Ruardi Tapper (v. *Can.* IV 1023); sequitur index rerum alphabeticus.

Librum vidi Romae in bibliotheca barberiniana (V. XIV. 124), quae postea in vaticanam translata est. Idem exstat Neapoli in bibliotheca nationali. Editionem posuit *Sommervogel* l. c. II 624.

5. Casparis Cardilli de Villalpando versionem hispanicam Summae canisianae anno 1574 Compluti (Alcalá de Henares) typis exscriptam esse intellegitur ex eadem versione anno 1576 ibidem edita; neque Cardilli versio ante a. 1576 in lucem emissa esse videtur; v. infra, monum. 1171.

1157. 1574.

„Institutiones et Exercitamenta“ recognita Antverpiae eduntur.

„INSTITVTIONES, | ET | EXERCITAMENTA | CHRISTIANÆ | PIETATIS; | Auctore D. PETRO Canisio | Societatis IESV Theologo. | *Qui nunc primum hoc opus recognouit, & auxit. Lectiones verò quæ in tēplis | recitari solent, ad vsum S. R. Ecclesiæ | accommodauit.* | *ANTVERPIAE,* | Ex officina Christoph. Plantini | Architipographi regij. | ANNO M. D. LXXIIII.“ Cum signo typographico Plantini. Versus 1, 2, 3, 4, 5, 12, 15 rubri sunt. Integer titulus figuris ligno incisis includitur perinde atque titulus „Institutionum“ a. 1566 a Plantino editarum; v. *Can.* V 806.

16°; pp. sign. 524; praeterea ff. non sign. in initio 16 (addito titulari) et in fine 1. In pagina altera folii titularis brevis conspectus rerum; in pagina priore folii proximi praefatio „Avctoris“, data „Augustae Vindelicorum. CIↃ. IↃ. LXXIII.“; quae tamen sola hac temporis notatione differt ab „Institutionum et Exercitamentorum“ a. 1566 Antverpiae editorum praefatione „Augustae, M. D. LXV.“ data; sequitur Kalendarium Ioannis Molani (de quo *Can.* VI 667); p. 1—23 Canisii „Parvus Catechismus Catholicorum“ sive „Institutiones Christianae Pietatis“; deinde Testimonia Sacrae Scripturae contra haereticos et tres sententiae S. Augustini (cf. *Can.* VI 703); p. 33—514 Lectiones et precationes ecclesiasticae (cf. *Can.* I 592[1]; V 815) iam emendatae et ad novas romanas editiones Missalis et Breviarii accommodatae; notatu digna sunt, quae Canisius ea de re in nova horum „Exercitamentorum“ praefatione

scribit: „Moniti et rogati rationem habuimus Romanae Ecclesiae, vtpote quam veteres aliarum Ecclesiarum caput, matrem et magistram citra omnem adulationem appellant, et summo semper in precio iubent haberi. Nec tamen praetermisimus, vt antea etiam feceramus, ad Germanicas et Gallicanas Ecclesias nostram operam accommodare, et passim subindicamus varietatem, quae in huiusmodi lectionibus incidere solet. Nihil autem officit, imo vero decorem domus Dei magnae commendat, quod quibusdam in rebus et ritibus varient Ecclesiae, in fidei autem doctrina vnum idemque per omnia et vbique profiteantur" (p. 39). Pag. 515—523: sententiae ex S. Gregorio Nazianzeno; p. 524: „Approbatio. Librum hunc omnibus studiosis, vt eum terant, commendo. LXXIII. Kalendis Maij, Louanij. Molanvs librorum censor Apostolicus et Regius." In folii ultimi (non sign.) pagina priore „Summa privilegiorum" Philippi II. Hispaniae regis Christophoro Plantino in 8 annos ad librum excudendum et vendendum ita, ut per omnes terras regis imperio subiectas valeant vigeantque, concessorum Bruxellis „in Priuato consilio" 30. Maii 1573 et „in consilio Brabantiae" 6. Iulii 1573; in pagina altera: „Antverpiae excvdebat Christophorvs Plantinvs Architypographvs Regivs, Anno M.D.LXXIII. Kal. Sept." Liber 5 imaginibus ligno incisis, quae dimidias paginas occupant, ornatus est. Ex litteris 27. Septembris 1573 a Plantino ad Canisium hoc de libro datis (supra p. 137) cognoscitur, gravi Plantini morbo factum esse, ut liber idem Francofurti ad Moenum in librorum nundinis autumnalibus venalis proponi non posset; in proximas igitur nundinas, quae m. Martio et Aprili a. 1574 habendae erant, reservaretur oportuit; quare in eius folio titulari annus 1574 positus est.

Librum vidi Monachii in bibliotheca nationali (Catech. 81[d]): idem exstat Cracoviae et Tubingae in bibliothecis harum universitatum et Neapoli in bibliotheca quadam ecclesiastica. Editionem posuit *Sommervogel* l. c. II 668.

Sommervogel primum quidem scripsit (nonnihil tamen dubitans), Canisii „Exercitamenta Christianae pietatis" edita quoque esse a. 1573 Augustae Taurinorum (l. c. II 667—668); postea vero, editione taurinensi anni 1583 visa, scripsit: „L' édition de Turin, 1573, ne me semble pas exister" (l. c. VIII 1979). Recte id quidem; ex praefatione enim, in „Exercitamentis Christianae pietatis. Auctore D. *Petro Canisio*", „Augustae Taurinorum 1583", f. *2 „Taurini 9. Kal. Augusti, 1583" a typographo posita plane cognoscitur, hanc esse primam editionem taurinensem.

1158. 1574.

Nova editio „Hortuli" germanici, Canisii cura excusi.

„HORTVLVS | ANIMAE. | Der Seelen | Garten, mit sonderli= | chem fleiß zůgericht vnd er= | newert, zů Geistlichem lust vnd | trost allen Liebhabern | Christlicher An= | dacht. | Den gemainen Inhalt dises Lustgartens | findt man alßbald hernach, das Re= | gister aber insonderheit | am end. | Getruckt zů Dilingen, durch | Sebaldum Mayer. | M.D.LXXIIII". Versus 3, 4, 5, 14, 15 rubri sunt. 16°; ff. sign. 336; praeterea ff. non sign. in initio 16 (addito titulari) et in fine 7.

Liber hic nova est editio „Hortuli" illius, qui a. 1563 Dilingae ex Sebaldi Mayeri officina typographica prodiit, septem „Officia" sive „Horas" in singulos hebdomadae dies Canisii opera dispositas et multas alias precationes continens et multis figuris ligno incisis ornatus (*Can.* IV 991—994); quae figurae, sive in foliorum marginibus positae sunt, sive iustas efficiunt imagines, nonnunquam, saltem si nostrorum temporum rationem spectemus, crassiores et nudiores sunt, quam par esse videtur. Neque ulla libro ascripta est episcopi approbatio vel excudendi facultas. Ceterum haec editio non solum, quod ad folium titulare attinet, sed etiam si ipsum corpus libri consideratur, paulo aliter a typographo est disposita, quam editio anni 1563, quam modo dixi; item differt ab editione anni 1568, quae, in huius operis volumine VI. omissa, in supplemento ponetur; haec ornamenta marginalia paginarum habet longe alia, atque editio anni 1574; in

utraque tamen idem cernitur Officium (parvum) Beatae Virginis; et id quidem in editione a. 1574 (perinde atque in priore illa) sic est inscriptum (f. 84^b): „Der Curß von vnser lieben Frawen, im Concilio zů Claremont auffgesetzt, vnd von Bapst Vrbano dem andern bestetiget“, neque ulla ratione significatur, Officium B. Mariae V. latinum a. 1571 a S. Pio V. Romae correctum esse; ceterum idem pontifex, cum omnia Officia B. Mariae V. vernacula lingua scripta prohibuisset, Germanis indulserat, ut in posterum quoque catholicos suos Hortulos germanice scriptos retinere possent [1] (*Can.* VI 485). Quindecim illis S. Birgittae orationibus de passione Christi (f. 325^b ad f. 336^a) adnotatum est: „Ende der Gebett Sanct Birgitten, welche Bapst Bonifacius der neundt bestettigt. vnd mit grossem Ablaß begabt hat“.

Ipsene Canisius in hac nova editione paranda aliquid praestitit? Dilingae certe versatus est m. Novembri et Decembri a. 1573 (v. supra p. 153); fortasse editionem curavit Adamus Walasser (de quo *Can.* VI 338 691), operam conferentibus Sociis dilinganis; horum enim erat typographia illa (*Can.* VI 574); et „*Henricus Winsenius*“ S. J. Dilinga a. 1573 P. Ioannni Polanco vicario generali S. J. de P. Theodorico Canisio collegii rectore *scripsit: „Etiam libros qui in nostra typographia excuduntur corrigendi laborem frequenter solus subit“ (ex autogr.; Germ. 153 f. 373^a).

Librum vidi Valkenburgi in bibliotheca Scriptorum S. J. (A l 3 [31].) *Sommervogel* eum non memoravit.

1159. 1574.

Canisii „Epistolae et Evangelia“ a Schwaygero germanice reddita.

„Kurtze Summarien, | Außlegung, vñ bericht der Episteln vnd Euangelien, wie sie auff die Sontag | durchs jar, deßgleichen auch in der Vier= tzigtägigen Fastenzeit, vnd den Festagen der Heiligen Gottes in Catholischer | Kyrchen furgetragen vnd ge= | predigt werden, Erstlich | Durch den Ehrwirdigen vñ Hoch= | gelertē Herrn Doctor Petrum Canisium Theologen der Societet IESV in Latein beschrieben, Vnd ferner zu erbawung | der Christlichen Jugendt trew= lich verteutscht Durch | Johannem Schwayger Schola= stern vnd Canoniken vnser lieben Fra= wen Stifftkyrchen zu Franckfurt. | Zu Cölln, Durch Geruinum Calenium, vnd die Erben Johan Quentels, jm jar M. D. LXXIIII. Mit Käis. Maest. gnad vnd freiheit.“

12°; pp. 593; praeterea in initio ff. 4 non sign. (addito titulari) et in fine 1 p. non sign. eaque vacua; f. a 2^a— a 3^b litterae dedicatoriae Schwaygeri (de quo v. *Can.* VI 659—660), Francofurto (ad Moenum) 24. Decembris 1573 ad consules senatoresque urbis coloniensis datae; in quibus *Schwayger* de Canisio haec, praeter alia, notat: „Wolermelter H. Canisius hatt auch ongeuerlich vor sieben jaren Lateinische kurtze Summarien, oder ausslegungen vber die Episteln vnd Euangelia

[1] Haec tamen Pii V. permissio in omnium notitiam venisse non videtur; nam de Officiis illis P. *Laurentius Magius* provincialis Austriae P. Ioanni Polanco vicario generali Societatis Vindobona 24. Novembris 1572 *scripsit: „La R. V. per amor' de dio ci procuri rimedio, perche è impossibile leuar i libretti uolgari, et però è necessario vsar molta epichia, et che si possa tradur in tudesco questo de pio .V., et che simili à quello stampati altroue si possino usare; et che altri libretti precatorij, come quello del Padre Canisio, et simili buoni si possino usare; altrimenti ne seguirà molto danno nelle anime“ (ex autogr.; Germ. 134 f. 84^b). Magius voti tandem, ex parte saltem, compos factus est; nam „Gregorius XIII. 10. Maij 1577 concessit, ut non obstante diplomate Pij V. adiuncto Officio B. Virginis, quo cauetur, ne aliae Horae recitentur, possint tamen retineri libelli precatorij, seu Officiola B. Virginis, quae et vulgariter simul sunt excusa, et ex eis recitari Horae B. Virginis, modo nullum errorem contineant contra fidem, quandoquidem sit consuetudo antiqua, et horum temporum ratio id postulet, ut hanc gratiam requirant“ (ex facultatum S. J. septentrionalium exemplo, Romae saeculo XVII. ineunte, ut videtur, scripto. Instit. 191 f. 103^b—104^a).

durchs jar, wie sie in der Catholischen Kyrchen werden furgetragen, in truck verfertigen lassen, die bey vilen gelerten nit allein der vrsachen, dz sie auß gesunder Theology wol gegrundet, sonder auch vmb jrer artigen kurtze willen nit ein schlechts ansehen bekommen haben, vnd nun derowegen wůrdig geachtet worden seyndt, dieselbigen zur erbawung viler guethertzigen in vnser angeborne Teutsche zungen zu verfertigen. Solche arbeit gegenwertiger Dolmetschung hab ich, als der sich dem hauß Gottes zu dienen schuldig erkeñet, willig vnd gern vber mich genommen." Libellum autem Coloniensibus ea quoque de causa dedicat, quod Coloniae „mir in meinen jungen tagen auch vil gutes widerfaren ist" (f. a 2^b—a 3^b); sequitur hymnus eucharisticus „Adoro te", a Schwaygero in versus germanicos conversus (f. a 4), et Canisii in „Epistolas et Evangelia" praefatio item a Schwaygero germanice reddita (f. $𝔄^a$—𝔄 4^b). Singuli dies sacri Epistolam et Evangelium habent; quae antecedit utriusque lectionis breve „summarium" et sequitur diei oratio praecipua sive „collecta". Liber habet plus 50 imagunculas ligno incisas, quae singulae tertiam fere paginae partem occupant.

Vidi libri exemplum, quod est Monachii in bibliotheca nationali, Liturg. 187; liber exstat etiam Treveris in bibliotheca urbis. Editionem (haud ita accurate) memoravit *Sommervogel* l. c. II 673.

1160. 1. Ianuarii 1574.

Ex catalogi apographo, saeculo XVI. vel XVII., ut videtur, Romae ex archetypo exscripto. Hist. Soc. 41 f. 170^a.

Hoffaeus provincialis de Canisii laboribus et „talentis".

P. Paulus Hoffaeus provinciae Societatis Germaniae superioris praepositus a. 1574 Romam ad Everardum Mercurianum praepositum generalem misit „Catalogum omnium personarum prouinciae superioris Germaniae pro anni 1574 Calendis Januarij"; cui tamen haec adnotavit: Se catalogum earundem personarum m. Iunio a. 1573 Romae reliquisse; ideo in novo illo catalogo „quae semel notata fuerunt de locis, uocatione, uotis, officijs et similibus, ea secundum regulam hic non repeto; si quid autem in priori catalogo anni 1573 mutationis circa officia et loca accidit, ea tantummodo hic adscribo." Primo igitur novi catalogi loco Hoffaeus haec posuit: „Concionator · Theologus · Ger.[1] P. Petrus Canisius Archiducis OEnipontani Concionator aulicus, non quidem re sed tantum nomine. p. 4[2] Hora pomeridiana librum Job in templo nostro populo explicat: suum librum de Beata Virgine propediem speratur praelo commissurus. Talenta eius Orbi et Vrbi nota."

1161. A m. Ianuario ad Martium 1574.

Ex litteris archetypis, adhibita, ut infra suo loco notabitur, transcriptione (eodem fere tempore facta) partis litterarum secretioribus notis scriptae. Cod. rom. „Germ. Vol. 80" II p. 2—9 69—74 92—94. Litteras ex iisdem exemplis edidit etiam *Schellhass*, Nunt. III 301—307 381—388.

Portiae nuntio apostolico Canisius refert, in controversia tridentina consiliarios iam melius sentire. Canisio cum cancellario agente, archidux nuntio aliqua promittit.

Portia nuntius apostolicus, a Gregorio XIII. operam dare iussus dissidio, quod inter cardinalem Ludovicum Madrutium episcopum prin-

---

[1] I. e. Germanus.

[2] I. e. professus 4 votorum. De contionatoris aulici nomine et munere v. supra p. 130 et 612.

cipem tridentinum et Ferdinandum II. archiducem Tirolisque principem de imperio civili in urbem pagumque tridentinum erat, componendo (v. supra p. 14 346), ad cardinalem Comensem haec, praeter alia, rettulit. Oeniponte 6. Ianuarii 1574: S. Altezza *[è]*, per quanto m'affirmò, disposta à far conoscer' al mondo, di che forza sieno presso di lei i desiderii, et l' instanze di S. Santità, pur che si disponga l' Imperatore[1] (il che stima douer' esser' assai facile) à consentir', che accordi co 'l Signor Cardinale ò che S. Maiestà medesima li compona, nel cui proponimento non pur uà continuando S. Altezza, ma gli ministri stessi, che furono sempre oltra modo duri, et acerbi, s' hanno lasciato conformemente intender' con alcuni et' in particolar' co 'l Padre Canisio, che s' è rallegrato meco del buon stato, in che per parer suo, con la gratia di Dio ci siamo condotti. *Deinde cum Ferdinandus Alphonso II. Ferrariae duce ipsi eandem compositionem coram commendante animum prae se tulisset in peius mutatum (id quod Portia non sine dolore 10. Martii 1574 Comensi narravit [Schellhass l. c. 379—380]), Portia cardinali scripsit Oeniponte 17. Martii 1574*[a]*:* Stando io in quel disgusto che V. S. Illustrissima puote uedere nel negotio di Trento, ne potendo hauer commodità di scoprire da S. Altezza, per rispetto del risentimento, quello che ueramente intendesse di fare, hauendo detto al Signore Duca di Ferrara cose diuerse, senon contrarie alle esposte et ripetite à me di ordine suo piu uolte da ministri, hò procurato che il padre Canisio, come è solito taluolta di fare, uada à uisitare il Cancelliere[2], autore per lo piu di tutte le risolutioni, et piu morto che uiuo, per la continua indispositione, instruendolo come potesse destramente far cadere ragionamento del negotio predetto, riducendogli à memoria se gli ueniua in taglio quello che haueua inteso dal medesimo altre uolte, dela uoluntà buona di S. Altezza di accordare con honeste conditioni, quando si hauesse lo assenso di S. Maestà. Fece subito il buon padre l' officio, et hebbe per risposta esser grandissimo il desiderio che era nel Principe, et in tutti loro di uedere il fine di una causa molestissima, et che tirata in lungo doueua uerisimilmente dispiacere à Dio, et à Santo Vigilio[b][3], per usare le sue uoci, hauere eglino fatto officio presso à S. Maiestà per l' espedizione, ne poter senza merauiglia uedere che non si faccia progresso in essa. Al particolare, che ben poteua S. A. troncare la lite compiacendo speditamente secondo che ha dato intentione à N. Signore, si addussero le solite parole piene di obsequio uerso S. Santità, et si passò senza affirmatiua, ne negatiua à dire che la più spedita et risoluta

a) *Quae ex his litteris ponuntur, ex transcriptione, quam supra dixi, descripta sunt.* b) Vigulio *transcr.*

[1] Maximilianus II.

[2] Ex Portiae litteris 23. Augusti 1574 intellegitur significari Dr. Ioannem Wellinger, liberum baronem de Schneeberg (*Schellhass,* Nunt. IV 165).

[3] Dioecesis tridentinae episcopo et patrono.

uia sarebbe che S. Maiestà la terminasse, il che stimaua lui che douesse seguire con sentenza diffinitiua, poiche le ultime lettere che haueuano dala Corte assai fresche, affermauano constantemente che sino à quell' hora non era stata fatta parola, nonche instanza à S. Maiestà perche uolesse comporla. *His litteris Portia eodem die adiunxit alteras eidem cardinali destinatas, in quibus sic scribit:* Ha potuto tanto l' offitio fatto dal Padre Canisio accusato nell' altra mia, che nel tempo scorso tra la chiusuura del piego et la partita del Corriero il Cancelliero è stato a ritruouarmi in nome di S. Altezza pregandomi, che, se fosse cosa, che paresse di conferir' ad altri, gliela spiegassi, dubitando di non esser' intieramente libera per sei ò forse otto giorni. *Itaque se cancellario dixisse: Pontificem optare, ut P. Franciscus Sporenus O. Min. Obs. (qui in Ferdinandi II. archiducis ministerio erat; v. supra p. 305) a Carolo archiduce episcopus tergestinus (Trieste) nominaretur; responsum sibi esse, eam causam a Ferdinando adiutum iri.* Essendo dopo questo passati alle cose di Trento, m' hà uoluto mostrar, che in molte suspitioni, et scrupuli necessarij si metterebbe questo Prencipe, se pigliasse l' assunto d' accordar' egli, sì come sà, ch' è desideroso di terminarla, et che à petitione di S. Santità è in uoglia, che si termini amicabilmente · di che haueua di già scritto S. Altezza all' Imperatore, significandoli il parer', in ch' era uenuta per l' instanza di N. Signore · à questo dice, che la Maiestà Sua hà risposto di sua mano con l' ultimo Corriero . . ., che sin' a quest' hora non l' era stato di ciò fatto moto per parte di S. Beatitudine, ma ch' essendo di ciò richiesta ui mettera molto uolentieri la mano, per il desiderio, c' ha, di ueder', che la contesa non finisca per sententia, ma per compositione, commendando in questo il proposito et risolutione di S. Altezza promette, che per questa uia s' accorderà certo et speditamente, facendone argomento dalla propensa uoluntà del Prencipe di comporre, et dalla cognitione de' grandissimi disordini, che sono seguiti et tuttavia crescono in quella diocese.

Die 11. Aprilis ipse Ferdinandus II. Portiae Oeniponte abituro eadem sollenniter affirmavit (*Schellhass* l. c. III 405). Pax tandem a. 1578 Ioannis cardinalis Moroni opera composita est, Ferdinando multis in rebus cardinali Madrutio cedente, ita ut hic Roma Tridentum venire et a Rudolpho II. imperatore „regalia" accipere posset (*Hirn*, Ferd. von Tirol I 304—305).

1162. Aestate a. 1574.

Ex autographo; Germ. 135 n. 80.

Gregorius XIII. Canisium Romam, ut Germanis contionetur, evocare vult.

*Georgius Fischer, ecclesiae collegialis Novi Monasterii herbipolensis canonicus et Iulii Echter a Mespelbrunn novi episcopi herbipolensis sigillifer, a Iulio episcopo m. Aprili 1574 confirmationis aliarumque gratiarum impetrandarum causa Romam missus (cf. supra p. 210), quem P. Georgius Bader S. J. collegii herbipolensis rector in * litteris Herbipoli 29. Martii 1574 ad Mercurianum praepositum generalem datis „collegij huius perquam amantem et studiosum fautorem" appellat (ex autogr.; Germ. 135 n. 73), Herbipoli 27. Septembris 1574 eidem Mercuriano scribit: Dolere*

se, quod, antequam Roma abiret, Mercurianum salutare non potuerit; se 25. Septembris Herbipolim redisse. Porro vnum est, quod et vnice Reuerendissimae P. V. significare in maxima etiam scribendi importunitate uoluj. Me Romae a quodam Coloniensi fratre Ordinis D. Francisci familiariter ac liquide admodum intellexisse · quod S. D. N.[1] in animo habeat Reuerendum P. D. Canisium Romam ad Concionandum in Ecclesia Teutonicorum[2] per Quadragesimam[3] et forte totum annum Jubilaei[4] euocare.

Romae in cardinalium congregatione germanica 7. Iulii 1574 cardinalis Ludovicus Madrutius, nationis Germanicae apud sanctam sedem et ecclesiae B. Mariae de Anima protector, „proposuit, bonum videri, ut pro anno Iubilaei conquiratur bonus concionator linguae Germanicae, qui populo ad urbem venienti et in ea manenti satisfacere possit. Placuit congregationi et consideratum fuit, hanc occasionem aptam esse ad evocandum huc patrem illum Nassium, qui apud archiducem est" (*Schwarz,* Gut. 92).

Hoc tamen consilium paulo post mutatum esse collegeris ex Fischeri epistula quam modo posui; Fischer certe aliquanto post hanc congregationem Roma discessit (cf. *Schwarz,* Nunt. 168). Tandem neque Canisius, neque P. Ioannes Nasus officium illud administravit; sed contionator (germanus, puto) anni iubilaris 1575 a cardinali Madrutio protectore constitutus est sacerdos aliquis ordinis Praedicatorum (*Jos. Schmidlin,* Geschichte der deutschen Nationalkirche in Rom S. Maria dell' Anima, Freiburg i. Br. und Wien 1906, 403—404).

1163. M. Iulio a. 1574.

Ex autographo; Germ. 135 f. 106.

Magdalena regina Canisii opera sacellano destituta a Sociis auxilium petit. Eadem P. Natalem timet.

P. Hoffaeus provincialis Ingolstadio 22. Iulii 1574 Romam ad Mercurianum praepositum generalem haec rettulit de Magdalena regina, quae Halae collegium Societatis instituerat et templum suo virginum collegio (in quo ipsa vivebat) adiunctum Sociorum quoque usui assignaverat: Jn visitatione nunc versor. Scripsit ad me his diebus Serenissima Regina literas valde submissas, quibus instanter petijt, vt Societas non grauetur in ipsius gratiam et obsequium, in nostro Halensi templo diuina officia, id est Missam et vesperas diebus festis, et etiam vesperas quibusdam diebus ferialibus canere per vnicum sacerdotem, idque tantum ad suam vitam, quam ait se sentire, atque etiam nos metuimus, breuem fore: se enim pauperem esse et nunc occupatam in emendis nostris reditibus, nec facile posse proprium Capellanum alere; et quamquam ad proximum biennium Caesar[5] sibi bonas ferat suppetias, postea tamen sibi soli quotannis perparum suppeditatum iri: Accedit, inquit, quod Sacellani conditiones saepe mutent, sicut etiam nunc nullum habet, sibique difficile esse subinde nouos reperire qui modeste nobiscum et in nostra Sacristia versentur. Reuerende Pater, existimarem ad vitam hoc esse bonae Reginae indulgendum, quae post sororis obitum vt sola est[6], ita subinde languida et tristis, resque in se modica videtur pro tanta persona, nec existimo quod facile quicquam amplius a Societate petet vnquam. Et audio ex P. Canisio et Rectore[7] ipsam ob aduentum P. Natalis[8] quoque nihil contentam, ne dicam tentatam · nam sibi valde ab huiusmodj ingenijs ait se metuere turbas et querelas et nescio quid. Ego bonae Reginae de cantu nihil respondj, nisi quod ad P. V. rem velim deuoluere. Jnterim dum opera et consilio P. Canisij, suo optimo sacellano inuita priuata esse dicitur, nos supplemus.

---

[1] Gregorius XIII. [2] Ecclesia B. Mariae de Anima.
[3] Haec futura erat a die 16. Februarii ad 2. Aprilis 1575.
[4] De hoc iubilaeo v. supra p. 231 [3].
[5] Maximilianus II. Magdalenae frater.
[6] Helena regina Halae mortua erat 4. Martii 1574 (*Schellhass,* Nunt. III 375).
[7] P. Matthia Lackner. [8] Vide supra p. 227.

1164. A d. 7. Februarii ad 6. Septembris 1574.

Canisius Oeniponte in templo Societatis plus quam 30 orationes, easque potissimum de libro Job, habet. Sermo funebris de Helena regina. Iubilaei indulgentia. Communionum frequentia, P. Naso contradicente.

Hoffaeus provincialis in provinciae suae „Catalogo . . . pro anni 1574 Calendis Januarij" de Canisio notavit: „Hora pomeridiana librum Job in templo nostro populo explicat" (v. supra p. 702). Item *Iacobus Pontanus S. J.* in Litteris annuis eiusdem prouinciae, Dilinga 1. Augusti 1574 datis: „Sedecim", inquit „Oeniponti habitarunt, Sacerdotes 7 Si P. Ramirum hac aestate Roma missum adnumeres. Festis ac Dominicis diebus tres e sacerdotibus de rebus diuinis pro concione verba fecerunt. P. Canisius in templo Collegij librum Job interpretatur, secundus in Paraecia, Euangelia et Epistolas explanat, tertius in pagum excurrens ad rusticam plebem contionatur." (Ex exemplo archetypo, quod exstat Coloniae in archivo studiorum fundatorum, Cod. „I. I. 721" f. 233[a].) Etsi vero Canisius iam initio anni 1574 huic muneri destinatus fuisse videtur, ante m. Februarium eo fungi non coepit; id ex indiculo contionum, qui modo ponetur, intellegetur; primum autem ponetur maxima pars exordii contionis primae; ex eo enim cognoscetur, et cur Canisius hoc officium, quod usque ad illud tempus P. Caspar Obergasser administraverat (v. supra p. 629), in se susceperit, et quomodo idem ingressus sit, et quid potissimum in eo spectaverit.

„Nulli alienum, rarum, et mirum videatur, quod hoc loco aliquando mutatio fiat, siue circa praedicatorem, vel circa materiam tractandam. Nam religiosi, qui se a sancta Obedientia regi sinunt, debent esse parati facere quicquid illis iniungitur, et aequaliter stare in omnibus: siue hoc siue aliud debent docere et praedicare. Vnde sicut necessitas, sic etiam Obedientia nullam legem habet et admittit: sed facit homines dicere cum Dauid, P a r a t u m c o r m e u m D e u s, p a r a t u m c o r m e u m [1]: et cum Christo ipso, N o n m e a, s e d t u a v o l u n t a s f i a t [a] [2], siue loquendum, siue tacendum, siue hic tractet hoc, siue ille aliud quando unus impeditur et habet aliud curare · hoc est, sicut Petrus inquit, A n i m a s v e s t r a s c a s t i f i c a n t e s i n O b e d i e n t i a [3] 1ae Pet. 1°. 2° Talis mutatio personae et materiae fit ex charitate, vt v n u s a l t e r i u s o n u s p o r t e t [4], et vnus alterum magis impeditum subleuet, et manus manum alteram lauet. . . . 3° Huiusmodi mutatio vtilis est saepe [b] et conueniens pro auditoribus [c], qui non semper delectantur eisdem cibis, et gaudent magis varietate, audientes iam vnum, iam alterum, nunc de concione, nunc de Catechismo, nunc accipientes l a c, vel s o l i d u m c i b u m [5]. . . . Si [d] ergo hactenus ut paruuli cibati estis lacte id est Catechismo tempus est ut tanquam grandiores cibum fortiorem capiatis. . . . Haec praefari volui, vt in bonam partem accipiatis, quod ego [e] huc prodeo et mihi proposui posthac hic aliquid noui inchoare: nempe, vt aliquid vobis exponam ex libro scripto in Biblia de S. patiente Job, ex causis mox adducendis. Vnde Catechismus ad tempus intermittetur, et pro eo historia

a) *Verba sqq., usque ad* aliud curare *incl., a Can. ipso in margine addita sunt.* b) *Tria vv. sqq. a Can. ipso supra versum scripta sunt.* c) *Sequitur* vt, *oblitt.* d) *Hoc v. et quae sequuntur, usque ad* capiatis *incl., a Can. ipso in margine addita sunt.* e) *Tria vv. sqq. a C. ipso supra versum scripta sunt.*

[1] Ps 56, 8; 107, 2. [2] Lc 22, 42; cf. Io 5, 30; 6, 38. [3] 1 Petr 1, 22. [4] Gal 6, 2. [5] Hebr 5, 12—14.

Job tractabitur hoc loco, et eadem hora, quantum Dominus nobis gratiam dederit: pro hac autem primum oremus.

Cum[a] rem recte mecum cogito, inuenio multas et graues causas, quae merito mouere me debent ad dictam historiam hoc loco proponendam. . . . Mouet[b] me huc librum esse in canone scripturae, quae est supra omnes libros · testimonium certum habens · est manna caeli · est semen ex quo omnis bonus fructus nascitur. Quid melius praedicari quid utilius audiri potest. . . . 2° Dignus est hic liber tractari et audiri, quia in illo[c] praecipue tractatur singularis Dei sapientia, et prouidentia erga suos electos. . . . 3° Confirmat me in proposito quod videam et experiar nostra tempora esse valde periculosa, amara, misera, turbulenta. . . . Jllic opus est habere bonum capitaneum, qui verbo et exemplo, suos milites confortet, et magnum animum illis faciat. Talis autem capitaneus erit Job. . . . 4° Haec historia bene conuenit tempori, quia breui celebrabimus Bacchanalia[1], in quibus libenter comessamur: Job autem verus magister erit, docturus cum suis liberis, quomodo nos debeamus in conuiuijs gerere: paulo post sequetur Quadragesima, et illic iterum Job erit bonus praedicator docens humiliare nos coram Deo, affligere corpus. . . . Quis ergo grauetur vnam horam expendere ad talem historiam audiendam, immo mundus non potest tam pulchrum et honorificum edere spectaculum, sicut Job bene consideratus. . . . Breui[d] erit spectaculum in quo concurrent omnes ad uidendum eos qui rennen schiessen stechen und tornieren · jre gauchel spil trieben. . . .[2] Haec satis vt credo ad excusandum me quod susceperim hanc historiam explicandam hoc tempore“ (ex commentario; Can. 22 f. 43).

Jam contiones ipsae ea, quam supra p. 612 dixi, ratione recensebuntur.

„Prima concio in Job. „De libro et eius autore“ (Can. 22 f. 43; cf. Can. 31 f. 158b). Contio habita esse videtur 7. Februarii 1574, quae erat Dominica in Septuagesima.

„2 Contio“. Librum Job non esse „parabolam“, sed „ueram historiam“. „Expendamus quatuor uirtutes de Job primo loco positas et illi magnam laudem tribuentes“ (*Iob* 1, 1; Can. 22 f. 44a—46b; cf. Can. 31 f. 159b). Contio habita esse videtur 14. Februarii, quae erat Dominica in Sexagesima.

In *Iob* 1, 2—5. „Doctrinae“ pro divitibus, pro parentibus etc. Job „non fuit rigidus et austerus erga filios pater, sed lenis et benignus, permittens illis honestam recreationem, ad maiora incommoda utique deuitanda. Non prohibet ut iuuenes conueniant, et in mensa saepe sint laeti inter se. . . . Sciebat enim proprietatem iuuentutis esse, ut querat et amet aliquam recreationem et letitiam externam, imo eget illa ut postea rectius obediat et seruiat Deo in spiritualib. . . . Lucrum est iuuentuti aliquid relaxare in leuiorib. ut postea sint paratiores et procliuiores ad magna sicut ad litteras, orationem, uirtutem, poenitentiam. Haec notent patres crudeles, indiscreti.“ „Quomodo seruit nobis hic locus ad tempus praesens, vt rite et Christiane Bacchanalia celebrentur?“ Contio igitur habita est Dominica in Quinquagesima, sive 21. Februarii (Can. 22 f. 46b—52b).

„Jn capite ieiunij“ sive die Cinerum (24. Februarii). De sacra Quadragesima et de *Job* 1, 6 (l. c. f. 52b—55a).

„Dominica 1 Quadragesime“ (28. Februarii). In *Iob* 1, 6 (l. c. f. 55a—56a).

„D. 2. Quadragesimae“ (7. Martii). In *Iob* 1, 7—12 (l. c. f. 56a—58a).

„Jn 3 Dominica Qua.“ (14. Martii). In *Iob* 1, 12 (l. c. f. 58a—59b).

„Dominica Laetare“ sive IV. Quadr. (21. Martii). Solatur et laudat eos, qui ad id usque tempus in ieiunando perseveraverunt. „Specialiter autem monitos uolo patres et matres familias et omnes, qui alios habent regere subditos, ut tempestiue

a) *Hoc v. et 4 sqq. a C. ipso addita sunt* b) *Hoc v. et quae sequuntur, usque ad* audiri potest *incl., a C. in margine addita sunt.* c) *Duo vv. sqq. a C. supra versum scripta sunt.* d) *Hoc v. et quae sequuntur, usque ad* trieben *incl., a Can. ipso addita sunt.*

[1] Haec futura erant 21.—23. Februarii. [2] Cf. supra p. 691.

mittant filios, seruos, ancillas, domesticos, mittant inquam tanquam infirmos ad medicos spirituales, ut bene instituantur et praeparentur in his quae pertinent ad fidem, orationem, agenda et omittenda supra cultum Dei.“ Dein explicat *Job* 1, 12—19 (l. c. f. 60ᵃ—64ᵇ).

„De annuntiatione Mariae“ (25. Martii). De sacri diei ratione breviter dicit; deinde *Job* 1, 20—22 explicat. „Sunt qui pro re parua tenent, mit dem Rosenkrantz vmb gehen, ein Rosenkrantz betten, et hoc sono [signo?] se monere ad matrem Christi et nostram salutandam. Sed uident et norunt sapientes, fundamentum eius rei esse in Euangelio, et non excogitatum ab hominibus“ (l. c. f. 65ᵃ—70ᵇ).

„In festo paschatis“ (11. Aprilis) declarat Job fuisse „typum resurrectionis Domini gloriosae“. Deinde explicat *Job* 1, 21: „D o m i n u s d e d i t, D o m i n u s a b s t u l i t: s i c u t D o m i n o p l a c u i t, i t a f a c t u m e s t: s i t n o m e n D o m i n i b e n e d i c t u m.“ „Propositio. Quae uerba debent melius expendi, quia sunt magnae uirtutis. 2 digna quae discantur et recitentur, 3 immo etiam inscribantur parietibus et muris, et multo magis cordibus“ (l. c. f. 70ᵃ—75ᵃ).

„Dominica post Pascha“ prima, ut videtur (18. Aprilis). Absolvit explicationem primi capitis Iob (*Job* 1, 21 22). „De consolandis tristibus mortuos suos deflentibus“ etc. (l. c. f. 75ᵇ—80ᵇ).

„Caput 2. Job“. Explicat *Job* 2, 1—3, idque Dominica, ut videtur, II. (III.?) post Pascha sive 25. Aprilis (2. Maii?; l. c. f. 81ᵃ—84ᵃ; hic in commentario rursus comparere incipit manus Balthasaris Arnoldt; cuius scriptio, aliis aliquot scriptionibus interpositis, usque ad ultimam orationem de Job sive ad 6. Septembris perseverat).

Alia contione, Dom. III. (IV.?) post Pascha sive 2. (9.?) Maii habita, explicat *Job* 2, 4 (l. c. f. 84ᵇ—86ᵇ).

„Dominica rogationum“ sive V. post Pascha (16. Maii) explicat *Job* 2, 5 6 (l. c. f. 87ᵃ—90ᵃ).

„Dominica Exaudj“ sive infra octavam Ascensionis (23. Maii). „Jn hac exhortatione non possum nec volo obliuiscj magnj festj post octo dies celebrandj de tertia persona diuina. . . . Spero igitur multos fore qui ex vero timore et amore Dej se huius festj participes reddent, et libenter in vtroque sacramento [confessionis et communionis] sese exercebunt, non obstante quid faciant pigrj et indeuotj“; deinde explicat *Job* 2, 7 8 (l. c. f. 90ᵇ—95ᵃ).

„Postridie Pentecostes“ (31. Maii). De patientia Job imitanda (l. c. f. 95ᵃ—99ᵃ).

„Jn festo Trinitatis“ (6. Iunii). „Hac Dominica celebramus in hac Dei domo duplex festum. Vnum ratione Trinitatis. . . . Alterum pertinet ad hanc Dej domum, quae ab antiquo per Episcopum benedicta et dedicata est in honorem dictae et superbenedictae Trinitatis ut illa hic maxime coleretur.“ De die festo SS. Trinitatis dicit et eiusdem evangelium explicat (l. c. f. 99ᵇ—101ᵃ, 103ᵇ—104ᵃ).

„Eodem die post prandium“. Explicat *Job* 2, 7 8 (f. 101ᵃ—103ᵃ 104ᵇ).

In *Job* 2, 9 (l. c. f. 105ᵃ—108ᵃ); contio habita esse videtur Dom. II. post Pent. sive 13. Iunii.

„Dominica 3.ᵗⁱᵃ post Pentecosten“ sive 20. Iunii. Iterum de *Job* 2, 9. „De peccato blasphemiae“. „En mercatores et ciues, qui ex timore Dei et ob conscientiam suam nolunt mutuare pecuniam, ut solum ratione mutuj lucrentur 5 uel amplius pro centum et reseruent sibi summam capitalem, quid dicitur a mundo, nisi quod ab uxore Job. Vis esse sapientior reliquis, non punit magistratus, potes quotannis certum habere commodum. 2 uirgo pulchra diues et nobilis, potens sibi simili nobili nubere · omnes amici hortabuntur. Quid autem si dicat. Conclusi Christum solum pro sponso inmortali accipere, et mundum cum omni gaudio et uoluptate relinquere, et in simplicitate uiuere solique Deo mundo corde et corpore seruire. Quid tunc amici?“ (l. c. f. 109ᵃ—113ᵃ).

„Repetitio de peccato blasphemiae. Jn proxima contione, sicut nostis, instituimus aliquid dicere de peccato blasphemiae, et ob temporis breuitatem non potuimus finire.“ Primum de blasphemia, dein de *Job* 2, 10 dicit. „Qui hodie apud nos Catholicos sunt rej huius peccatj [blasphemiae]? .1. Die schendtlichen rawen Got-

losen blutgierigen leichtferdigen Kriegs-Leuth, quorum uita et mos est magis Deum blasphemare quam adorare, et praesertim quando sunt ebrij vel valde iracundi ac impatientes in suis aduersitatibus. Horrendum est audire, quomodo se tales erga Deum praestant, non parcentes Dej electis, Christj vulneribus, Ecclesiae sacramentis et sanctis omnibus. Aliquando aperte maledicunt Deo et in coelum expuunt, vnde etiam soepe grauiter a Deo puniuntur. 2. Die leichtfertigen heilosen vnsinnige schendtliche Spiler" etc. (l. c. f. 113^b^—117^a^). Contio habita esse videtur Dom. IV. post Pent. sive 27. Iunii.

„Dominica 5ta [a] post Pentecosten" sive 4. Iulii. In *Job* 2, 10 (l. c. f. 117^a^—121^a^).

„Dominica VI. post Pentecosten" sive 11. Iulii. In *Job* 2, 10. „De arte uera loquendi" (l. c. 121^b^—125^a^).

„Dominica VII. post Pentecosten" sive 18. Iulii. De *Job* 2, 11—13. „Applicatio historiae ad Jndulgent. Credo uobis omnibus constare quid hodie nomine spiritualis magistratus in Parochia sit publicatum, nempe vt omnes et singulj se praeparent ad magnam gratiam et plenariam indulgentiam et remissionem peccatorum consequendam, siue in hac, siue in sequentj septimana. Propterea quilibet habet triduo ieiunare. 2. Exercere se in orat. et eleemosinis. 3. Confiterj et communicare. 4. Jnteresse processionj parochialj, et haec omnia referre ad quaerendam et petendam gratiam humiliter et deuote ad conseruationem fidej Catholicae et ad propugnationem oppugnatae Christianitatis in Gallia, Flandria et alijs Prouincijs, sicut et contra classem Turcicam. Quj hoc modo se praeparat non solum liberatur a culpa et poena peccatorum quorumlibet etiam reseruatorum, sed etiam potest habere gratiam ad commutanda vota qualiacumque Deo vel angelis facta [1]. Accipit eandem indulgentiam, quam latro in cruce, Magdalena in conuiuio Luc 7" [2] (l. c. f. 125^b^—130^a^).

„Jn festo S. Jacobj" et Dom. VIII. post Pent. (25. Iulii). „De uera et falsa amicitia", in *Job* 2, 11—13 (l. c. f. 130^b^—133^a^).

„Jn die dedicationis" templi SS. Trinitatis anniversario; qui fuisse videtur aut 26. Iulii aut 1. Augusti sive Dom. IX. post Pent. [3] „Propositio. Dicam igitur quare Christianus libenter in templo esse debeat, templaque amare et tollerare [b] [?] 2. Quae maxime in templo sint pijs obseruanda et exercitanda, vt verum et Christianum ex illis fructum capiant" (l. c. f. 134^a^—137bis a^).

„Vltima uel penultima Concio de historia Iob"; quae aut 1. Augusti sive Dom. IX. post Pent., aut 8. Augusti sive Dom. X. post Pent. habita esse videtur. In *Job* 3, 1—4 (l. c. f. 137bis a^—140^a^; 192^a^—193^b^).

„Jn festo Assumptionis virginis" et Dom. XI. post Pent. sive 15. Augusti. De Job imitando et de B. Maria V. colenda (l. c. f. 164^b^—168^a^).

„Jn cap. ult. Job" (*Job* 42, 1—6). Caput tertium „sequitur longa alta subtilis disputatio inter Job et amicos habita uerbis acribus. . . . Cur omittenda disputatio. 1 quia tam longa, ut totum fere librum exceptis 3 capitibus occupet. 2 tediosum explicare 39 c. et examinare quid utrinque dixerint in disputando. 3 intentio fuit et est manere in historia, quae habet 3 capita. 4 properamus ad finem, ut noui aliquid inchoetur". De vera poenitentia dicit (f. 168^b^—173^a^). Contio habita esse videtur Dom. XII. post Pent. sive 22. Augusti.

a) *Ita ex* 4ta, *quod est in Codice, corrigendum esse omnino videtur; secus enim Dom. IV. duas contiones, V. nullam habebit; accedit quod Can. nulla ratione significat, Dominicam V. a se praetermissam esse.* b) *Sic; corrigendum esse puto* honorare.

[1] *Gregorius XIII.* hanc indulgentiam bulla 7. Aprilis 1574 data (in Bullariis romanis haec non exstat) omnibus fidelibus obtulerat; cuius bullae exemplum in folio separato excusum exstat Oeniponte in archivo praefecturae, „Pestarch. XVIII. 29."

[2] Cf. Lc 23, 43; 7, 47—48.

[3] Templum hoc 26. Iulii 1571 dedicatum sive consecratum erat (*Agricola* l. c. I Dec. 4, n. 2, 3); anniversaria autem dedicationis solennitas aut ipso die 26. Julii aut Dominica proxima celebrata esse videtur.

„De amicis Job Deo reconciliandis" *Job* 4, 7—16 (l. c. f. 173[a]—178[a]). Contio habita esse videtur Dom. XIII. post Pent. sive 29. Augusti.

„Vltima Concio in *Job*", Job 42 (l. c. f. 178[a]—181[b]). Contio habita esse videtur Dom. XIV. post Pent. sive 5. Septembris.

Praeterea Canisius vere anni 1574 habuit „Sermonem in exequijs Helenae Reginae", sororis Ferdinandi II. archiducis, quae 5. Martii 1574 Halae in collegio virginum ab ipsa et Magdalena sorore instituto mortem sancte obierat (*Rapp* l. c. 136—137). Verum huius sermonis solum fere superest exordium; reliqua enim folia ex codice exscissa sunt (Can. 5 f. 37).

De fructu contionum a Canisio in templis S. Crucis (v. supra p. 612) et Societatis et ab aliis Sociis in templo parochiali et ecclesia Societatis habitarum *Iacobus Pontanus S. J.* in *Litteris annuis Provinciae Germaniae S. J. Dilinga 1. Augusti 1574 datis (v. supra p. 706) haec narrat: „Pascae feriis 1400 numeratj qui Sacramentum Eucharistiae perceperunt. Jndulgentias Jubilaej quod habita supplicatione et concione celebratum est 70 supra quadringentos apud nos sunt consequutj. . . . Diebus augustioribus saepe 250 interdum 400 capita diuinis epulis perfruuntur, altero tanto videlicet aucto annorum superiorum numero. . . . Qui sacramenta frequentant in templo nostro, ij alios dissidentes conciliant, . . . vota nuncupant, suscipiunt peregrinationes. . . . Cum a concionatore famoso illo quidem Societatj tamen parum amico [1], ne dicam infenso verba contra frequentem Eucharistiae vsum frequenter fierent, nostrj autem Patres eundem, quoad possent studiose ac erudite defenderent publice, conuitijs autem et hominis mentione prorsus abstinerent, pij homines non modo ab illo persuasi non sunt, sed etiam crebrius quam vnquam antea ad eandem deinceps salutarem escam concurrerunt. Praeterea cum Gregorius Pontifex Maximus Septentrionis ecclesijs indulgentias concesserit, si qui in singulos menses communicarent, hac occasione plurimj, et multj in his nobiles[a] dape coelestj accipiuntur."

Templum SS. Trinitatis, in quo Canisius has orationes habuit, anno 1643, aedificata iam aliquanto ante alia Societatis ecclesia eaque ampliore et pulchriore, destructum est (*Jos. Braun* S. J., Die Kirchenbauten der deutschen Jesuiten II, Freiburg i. Br. 1910, 14).

1165. Inter m. Februarium et Iulium 1574.

Ex Canisii autographo; quod is sua manu sic inscripsit: „Responsio ad Nasi obiectiones" (Can. 51 f. 387[b] 388[a]).

Canisius Oeniponte e sacro suggestu communionem frequentem defendit adversus P. Ioannem Nasum huncque excusat.

Iacobus Pontanus S. J. in *Litteris annuis 1. Augusti 1574 datis, quas supra dixi, de P. Ioanne Naso O. F. M. Ferdinandi II. archiducis contionatore aulico (v. supra p. 170) narrat: Eum, cum Oeniponte „verba contra frequentem eucharistiae vsum frequenter faceret",

a) *Correxi ex* nobis.

[1] P. Ioannes Nasus O. F. M., significatur; qui in ecclesia S. Crucis contionatorem aulicum Ferdinandi II. archiducis agebat; v. supra p. 170.

a Societatis Patribus, quantum fieri potuerit, „studiose ac erudite defensum esse publice; conviciis vero et hominis mentione eos prorsus abstinuisse“ (v. supra p. 176). Horum autem Sociorum praecipuum fuisse Canisium intellegitur ex „responsione“, quae infra ponetur. Qui ubi quando eam fecerit, non constat; puto autem eum id praestitisse in templo Societatis inter m. Februarium et Iulium; tunc enim ibi contionatorem agebat (v. supra p. 707—709). Ita igitur Canisius:

„Quoniam audio et intelligo, quasdam hic habitas esse contiones a spiritualj et noto uiro, ex quibus contionibus nonnulli hauserunt dubia et[a] misuerstand, et fortasse scandalizati sunt, breuiter[b] et fraterne uolo hic meam dicere intentionem, solum ut sciatis recte uos in ea parte gerere coram Deo et mundo.

1 nullus credet[c] uel suspicabitur, quod nos[d] contra talem predicatorem aliquid rancoris habeamus uel portamus[e] [?], quia[f] [?] ex uero corde monemus nos et omnes, Deum pro illo precari, qui det illi sapientiam et gratiam suam, ut satisfaciat seinem ampt vnd stand ad Dei gloriam et commodum Ecclesiae.

2 Quod quidam putant illum aliquid docuisse aut proposuisse quid sit doctrinae Catholicae[g] contrarium, siue sit de confessione, siue de communione, non est probabile, cum ille scriptis et oretenus declaret se membrum et praedicatorem Ecclesiae Catholicae, paratus haud dubie in[h] Ecclesiae Romanae unione et obedientia uiuere et morj.

3 Quod uero ad frequentem confessionem et communionem spectat[i] [1], sic habendum est, neminem esse spernendum uel condemnandum, si etiam semel in anno tantum circa pascha confiteatur et communicet, sicut Ecclesia a quolibet exigit[2]. 2 possunt fieri abusus ab hac uel illa persona[k], ut sit expedientius eidem non confiteri et communicari toties sicut Corinthijs fuisset utilius non communicare, quam communicando peccare, quia se non bene praeparabant et probabant[3]. 3 Jn genere loquendo nullus debet offendi uidens uel audiens alium esse diligentiorem in cultu dei et usu sacramentorum, quam sit ipse · nec propterea iudicare illum, quamdiu non uidet aperta signa, quod is[l] abutatur leuiter sacramentis: imo[m] charitas fraterna[n] cogit hominem gaudere et laudare, cum uidet aliquem plus et melius facere quam ipse faciat. 4 Nullus debet facere conscientiam sibi, quod peccet frequenter confitendo et communicando sed indubitatus esse, quod quando id facit ex recta intentione et cum bona uoluntate se suamque uitam corrigendi, quod sit actus[o] et testimonium uerae fidei placens Deo et salutiferum animae suae, 2 quod sit laudabile contra morbos spirituales frequenter petere et accipere medicinam ad hoc diuinitus

a) *Hoc v. a Can. supra versum scriptum est.* b) *Sequuntur vv.* uolo et, *oblitterata; sed v.* et *retinendum fuisse videtur ideoque restitutum est.* c) *Sic C. correxit ex* credat. d) *Sequitur* aliquid; *quod oblitterandum fuisse ex vv. sqq. intellegitur, nisi alterum illud* aliquid *oblitterare malueris.* e) *Sic; corrigendum esse videtur:* portemus. f) *Vel* quin. g) Catholice *Can.* h) *Sequitur* illa, *oblitt.* i) *Sequuntur vv.* non haec est mea, *oblitt.* k) *Sequitur* ob q, *oblitt.* l) *Sequitur* se, *oblitt.* m) *Sequitur* ex, *oblitt.* n) *Sequitur* debet erga *[?], oblitt.* o) *Sequitur* uerae fi, *oblitt.*

[1] „Communio frequens“ nunc a theologis potissimum ea vocatur, quae compluries in hebdomade fit (*Ios. Aertnys* C. SS. R., Theologia moralis II[3], Paderbornae 1890, l. 6, n. 92; *Ant. Koch*, Lehrbuch der Moraltheologie, Freiburg i. Br. 1905, 184; *H. Noldin* S. J., Summa Theologiae moralis III, Oeniponte 1901, n. 160). Canisii vero aetate — id quod ex eius contionibus et epistulis facile cognoscitur — eo nomine illa quoque communio, quae semel singulis septimanis fit, comprehendebatur; immo etiam haec potissimum significabatur; illa enim rarior erat et a Societatis hominibus, quae illorum temporum misera erat condicio, potius dissuadebatur, quam commendabatur (*Constitutiones* Societatis Iesu P. 4, c. 4 B; *Regulae* Societatis Iesu, Romae 1580, reg. sacerdott. 26, p. 167).

[2] Conc. *Lateran. IV.* c. 21; *Trident.* Sess. XIII. can. 9.

[3] Cf. 1 Cor 11, 17—34.

institutam, ut[a] confortemus et sanemus animas in uia Dei. 3°[b] Qui ore illoto uellet continere[c] hunc usum frequenter utendi sacramentis, hic opponit se scripturae[d] laudanti primos Christianos quotidie uersantes[e] sacramentum[1]. 2 Augustino dicenti, Quotidie communicare nec laudo, nec uitupero, singulis autem dominicis etc.[2] 3 contra Euangelium iudicat fratrem[f 3] et lapidat de opere bono, sicut pharisaei et hypocritae[g] in Euangelio Christo et Apostolis eius fecerunt[4].

4 Quod ad abusus attinet, qui accidere possunt circa frequentem usum sacramentorum siue ex parte confessariorum, siue[h] confitentium, dico breuiter, quod nullus sapiens defendit abusus qui fuerunt et sunt et erunt in Ecclesia usque ad mundi finem. 2 tales abusus imputare huic uel illi auff disen[i] oder ihenen[k] zu deuten est periculosum, quia facile leditur Christiana charitas, quae non suspicatur et iudicat[5]. 3 est mittere falcem in messem alienam et sibi uendicare offitium Praelatorum, qui habent corrigere talia, ut omnia decenter fiant in Ecclesia. 4. Ob abusus[l] aliorum non intermittendum opus bonum, sed tanto diligentius faciendum, ut rectum usum retineamus et promoueamus in omnibus ad nostram et proximi aedificationem.

Haec puto satis esse ad declarandam meam intentionem 2 ad scandala remouenda 3 ad obuiandum illis qui sunt faciles in mensis ad garriendum et iudicandum[m] non solum de dictis, sed etiam de cordibus aliorum, et sinistre omnia interpretantur, saepe etiam condemnant hanc uel illam partem, et detrahunt spiritualibus. Vnde moneo et rogo, ne quis facile moueatur sicut pueri fluctuantes[6], sed ut certo statuat, nos praedicatores in Catholica fide unitos esse, et[n] cupere, ut quisque in sua uocatione[o] ambulet[7 p] inculpate, et obseruet praecepta Dei et ecclesiae."

1166. Mense Iunio 1574.

Ex autographa Hoffaei ad Mercurianum epistula, quae est in Germ. 135 f. 130, et ex litterarum ab Hoffaeo ad regimen datarum commentario (apographo?) ab ipso Hoffaeo scripto, quod est Carolsruhae (Karlsruhe) in archivo generali reipublicae badensis (Freiburg, Stifte, Coll. S. J., Wahl d. Platzes etc.).

Agitur de Canisio aliisque in Alsatiam collegii instituendi causa mittendis.

P. Paulus Hoffaeus provincialis Monachio 24. Iunii 1574 ad Mercurianum praepositum generalem haec rettulit de Ferdinando II. Tirolis et Austriae anticae (Vorderösterreich, Vorlande) principe ac de praecipuis consiliariis eius sive „Excelso Regimine" Austriae superioris Oeniponte constituto: „Archidux Ferdinandus per Excelsum Regimen ualde me vrget, vt excurram in Alsatiam et illic cum duobus de Regimine tractem de loco pro collegio, priusquam res Romae proponatur: et nostrj omnes Oenipontani rogant, vt petitionem non reijciam: Scio Principem habere tenerum affectum: parebo ipse, vel mittam P. Canisium: nam forte visitatio me impediet: sic tamen respondebo Principi, vt quamquam locum inspiciam ad illius obsequium · vereri me tamen, cito illic collegium erigi non posse ob ingentem idonearum personarum penuriam."

Ita igitur Hoffaeus respondit: Wolgebornen, Edlen, Vesten, Hochgelertten, günstige, gnaedige Herren! EE. gnaden schreyben an mich den 4. Junii datiert, ist mir vor wenig Tagen erst zu handen kommen, vnd ich [hab] bottschafft halben nit

a) *Sequitur* ut ma. *oblitt.* b) *Sequitur* S *(Si?).* c) *Sequitur* taden, *oblitt.* d) *Sequitur* dicent, *oblitt.* e) *Sic vel* uersantes circa *ex* uersanti, *quod est in autogr., corrigendum esse res ipsa ostendit.* f) *Sequuntur vv.* in eo quod, *oblitt.* g) *Sequitur* et, *oblitt.* h) *Sequuntur vv.* accedentium et, *oblitt.* i) *Sequitur* uel, *oblitt.* k) *Sequitur alterum* ihenen. l) *Sequitur* non, *oblitt.* m) *Sequitur* de ho, *oblitt.* n) *Sequitur* tantum, *oblitt.* o) *Sequitur alterum* sua. p) ambulat *autogr.*

[1] Cf. Act 2, 42 46 47; 20, 7.

[2] De hoc dicto Genadii Massiliensis, quod olim S. Augustini esse existimabant, v. *Can.* I 209 [1]; IV 558 [5]. [3] Cf. Mt 7, 1—5; Lc 6, 37.

[4] Cf. Mt 9, 11 34; 12, 2 24; 15, 2—12 etc. [5] Cf. 1 Cor 13, 4—7.

[6] Eph 4, 14. [7] Cf. 1 Cor 7, 17 24.

gelegenheit gehabt, bis an itzo darauff zu anttwortten. Dass aber EE GG vnd H im namen vnsers gnaedigisten Fürsten vnd Herren gnaediglich an mich begeren, mich in Ihr Fl. Dt. Vorland vnderthaeniglich sampt einem andern auss vnserer Societet zu uerfügen, daselbst in beysein Zwayer Irer Fl. Dt. Vorderösterreichischer Regiments Rhaethen ettliche örter zu besichtigen, da ein Collegium Societatis nostrae instituirt werden möcht (Solls aber Zweyen andern zu thun verordnen vnd dieselben EE. GG. vnd H. gehorsamblich bemeldten im fall ain solche Raiss meiner gelegenhait dessmals nitt woll sein kündt; ist mir ein sondere gnad vnd grosse frewd gewest zvuernemen), vnd sag Ihrer Fl. Dt. vnd auch EE GG. vnd H. zum underthaenigisten grossen Dank, das sie, Ihr Fl. Dt., vnd auch EE. GG. vnd H. vnserer geringen Societet mitt gnaden gedencken. Vnd binn ich meines tails zu solchem gutten werck gantz wol genaigt, bitt auch den Almechtigen, ut mittat operarios in messem suam [1], Ihrer Fl. Dt. zu rhumlichen ehren, auch dem gemeinen nutz vnd sonderlich der lieben Jugentt zu gutt vnd frommen. Es können gleichwol EE. GG. vnd H. für sich selb mitt gnaden woll ermessen, das wir obermelte Jhrer Fl. Dt. örther propter collegii erectionem nitt leichtlich besichtigen solten, im fall wier vnsers erachtens mitt gnugsamen vnd tauglichen personen zu solchem werck vebel uersehen, wie dann zwar eben dieser Zeitt nitt ein klainer mängel verhanden, da wir das Collegium Lucernense in Heluetia so schon bewilliget vnd angenommen, alberaith mitt personen besetzen müssen. Doch aber nichts weniger, zu gnädigistem Ihr Fl. Dt. wolgefallen binn ich willig vnd beraidt, alsbald nach beschehener meiner dahaussen vorhabender Visitation vnd verhoffentlich inwendig fünff oder sex wochen selb aigener Person sampt vnserem Doctor Peltano Ihrer Fl. D. gnädigistem beuelch vnderthänigist zu willfahren. Da aber solchs zelang sein wolt, binn ich demnach vnderthänigist wol zufrieden, das Doctor Petrus Canisius sampt einem anderen Priester, ihm, Canisio, wol bewüsst, nach Ihrer Fl. D. gutten gelegenhait gnädigist dahin gebraucht werde. Vnd wir wöllen auch zu Ihrer F. D. gnädigistem wolgefallen in vnderthänigkait willig vnd gerne thuen, sovil uns immer müglich, will auch für meinen thail ein gehorsamer eyfferiger fürderer sein. Des werden EE. GG. vnd H. vnseren gnädigisten Fürsten vnd Herrn nach gebür wol wissen zu berichten. Sie wöllen in der Zeit vnsere gnädigen Herrn vnd Patroni sein. Datum München den 23. Junii Anno 1574. EE. GG. vnd H. vnderthänigister Paulus Hoffaeus."

Canisio in Alsatiam eundum non fuit; nam *Hoffaeus* Augusta 16. Octobris 1574 Mercuriano *scripsit: Se cum P. Ioanne Rabenstein et duobus viris a regimine designatis in Alsatiam venisse et omnes denique in id consensisse: Alium locum collegio idoneum non esse nisi Friburgum Brisgoviae (ex autogr.; Germ. 135 f. 152). Ceterum vide supra p. 351.

1167. 5. Augusti 1574.

Ex autographo; Lus.[a] 66 f. 210[a].

Canisius in provinciam lusitanicam S. J. visitator mittendus.

P Ignatius Martinz (Martins) S. J., unus ex praecipuis provinciae lusitanicae Sociis et catechetarum lusitanorum princeps, Conimbrica (Coimbra) 5. Augusti 1574 ad Everardum Mercurianum Societatis praepositum generalem litteras dedit, in quibus de provinciae illius regendae ratione hoc, praeter alia, Mercurianum monebat: Lo que importa á mi Iuizio flaquo es sobrestar V. P. con todo basta la visita · y esta visita mandarla V. P. luego hazer · y entre tanto gouernaren los mismos que ahora gouiernan · y amore Christi haga V. P. la visita á gusto de todos. Como seria mandar aqua por visitador el padre oliverio o el padre paulo offeo [2], o el padre Canisio · por que todos los desta Prouincia tienen á estes padres por sanctos — y los recibiran como si viniesen vnos angeles.

---

[1] Mt 9, 38; Lc 10, 2.

[2] P. Oliverium Manareum vel P. Paulum Hoffaeum.

1168. M. Novembri 1574.

Ex autographo; Cod. „EN" n. 223 f. 195[b]; ex eodem autogr. epistula integra edita est in Epp. *Nadal* III 679—681.

PP. Natalis, Canisius, Pisanus de P. Sa Scholiis in Evangelia edendis agunt.

P. *Hieronymus Natalis* S. J. Hala 27. Novembris 1574 ad Mercurianum praepositum generalem haec rettulit de P. Emmanuelis Saa S. J. (cf. *Can.* II 97 [2]) Scholiis in quatuor Evangelia ex sanctorum Doctorum scriptis et Glossis ordinaria atque interlineari collectis, de quibus excudendis et in lucem emittendis agebatur (Epistolae P. *Hier. Nadal* III 676; *A. Possevinus* S. J., Apparatus I 503): „Della glossa del p: emanuel ho conferito col p: canisio et p: pisa et a tuttj tre si pare, che[a] non e conueniente ne possibile senza grandissimo trabaglio citar le auctorita perche, ancora que si trouassero gli loghi[b] seria quello come metter nota in quello que ha auctorita senza altro et dar intender che[c] quelli luoghi che non si trouaressero fussino falsi · oltra que non si potriano trouar gli luoghi · di modo che resta creder al p: emanuel que fedelmente ha copiato et se si hauessi di conferir saria cosa material il che tamen si ha fatto[d] gia en roma en altro tempo et[e] in milan[f] si potria fare et credo che non mancaria la[g] chi gli stampassi ma[h] se si manda qua il p: canisio mi ha detto que la faria stampar in colonia."

Constat quidem, a. 1596 Antverpiae ex officina plantiniana prodisse „Scholia in qvatvor Evangelia, ex selectis Doctorvm sacrorvm sententiis collecta. Per R. P. Emanvelem Sa" etc.; sed P. Carolus Sommervogel Societatis bibliographus existimat, ante hanc editionem aliquam aliam, eamque cura ipsius auctoris factam esse. Postea liber Lugduni, Venetiis, Coloniae iterum editus est (*Sommervogel* l. c. VII 352—353).

1169. Ab 11. Novembris 1574 ad 25. Novembris 1575.

Orationes sacrae Oeniponte in ecclesia parochiali a Canisio habitae. Earum argumenta. Canisii dicta quaedam notatu digna. Orationum fructus.

Oeniponte in ecclesia parochiali S. Iacobi Socii contionandi officio fungebantur, quia Ferdinandus I. imperator in litteris fundationis collegii statuerat, ut eius sodales contiones in urbe haberent, et quia visitatores ab episcopo brixinensi Oenipontem missi statutum illud probaverant, et quia pii timebant, ne, si Jesuitae sacrum illum suggestum desererent, haeresis paullatim Oenipontem induceretur: Haec *P. Hoffaeus* praepositus provincialis Oeniponte 5. Septembris 1570 S. Francisco Borgiae praeposito generali *rettulit. Idem *Hoffaeus* Monachio 24. Novembris 1574 Mercuriano praeposito generali* scripsit: P. Leubenstain infirmus Lucerna huc rediit; „eius loco misi alium concionatorem [P. Ioannem Blanck, contionatorem monacensem], et Augustae necesse fuit cathedram Mauritianam non deserere: quo factum est, vt cogar ego hic, P. Canisius in Parochia Oenipontana, et Concionator Oenipontanus [P. Antonius Guisanus] in cathedra Mauritiana Augustae concionari" (ex autogr.; Germ. 151 f. 278[a]—279[a]; Germ. 135 f. 136). Ipse deinde *Canisius* Mercurianum 6. Ianuarii 1575 certiorem fecit, Hoffaeum scripsisse, ut ipse per sex menses sive usque ad Pascha (quod 3. Aprilis futurum erat) „solus" id officium administraret (v. supra p. 275). Successit autem Canisius in locum P. Antonii Guisani (* „Hist. coll. Oen." p. 14) et usque ad d. 25. Novembris 1575 minimum 90 ora-

a) *Ita Nat. correxit ex* que. b) *Hoc v. a N. supra versum scriptum est.* c) *Ita N. correxit ex* que. d) *Sex vv. sqq. a N. in margine addita sunt.* e) *Sequitur* lui, *oblitt.* f) *Ita N. correxit ex* roma *vel alio v.* g) *Hoc v. supra versum scriptum est.* h) *Ita N. corr. ex* et.

tiones sacras habuit. Harum commentaria alia a Canisio variis scriptoribus, quorum nomina ignota sunt, dictata et deinde ab ipso Canisio recognita, alia sive integra, sive ex parte ab ipso Canisio scripta sunt; dispersa autem sunt per varios codices; multa quoque eorum anni adnotatione carent; attamen plerumque ex scriptoris, quo Canisius utebatur, manu dignosci potest, ad quem annum pertineant.

Contiones hasce Canisius die festo S. Martini, qui erat 11. Novembris 1574, sic exorsus est: „Dieweil die h. gehorsam und gegenwertige nodturfft meinen predecessorem und vorigen herren prediger dahin getreiben vnd getrongen hat das er mir wiewol einem vnwurdigen dises schweren Predigambts ein zeitt lang zu uerrichten verlassen[a], waiß ich der sachen khainen pessern vnd fueglichern anfang zugeben[b] dan das ich E. L. den spruch Christi furhalten Rogate dominum messis, ut mittat operarios in messem[1]. Operarium dico qui sit ipsi gratus, officio tali sufficiens, et praesentib. ac futuris auditoribus bene placens et utilis. Quo ad meam personam etsi ferre optime possem, ut dise Cantzel cum aliquo peritiore et digniore instructa esset, tamen quia uideo et sentio certam dispositionem Dei, uolo cum Martino dicere: Domine si adhuc populo tuo sum necessarius, non recuso laborem, fiat voluntas tua[c][2] scilicet[?][d] ut hic labor non frustra abeat · vnd wiewol solliche meine arbeit nit allen vnd jeden Zuhörern villeicht angenem vnd wolgefellig sein wurd, So hab Jch mich doch in dem zu trösten, Gott hab mich ainmal zu ainem[e] arbaiter erwölt, berueffl vnd hieher[f] in disen seinen Weingartten geschickht, Der ists auch allain, so genad, crafft[g], macht vnd nachtruckh gibt seinem gepredigten wortt, wie vnwurdig vnd vngeschickht auch der Prediger immer schein. Jr seit nit die da reden, sagt Christus selbst, sed spiritus patris vestrj, qui loquitur in uobis[3]. Nicht desto weniger[h] dieweil nit wenig, sonder gar vil auch an der Person dess Predigers gelegen, damit Er seinem befelch vnd ambt nachkhomb, den willen vnd das wortt Gottes als ainen theueren edlen schatz der Seelen wol vnd fruchtbarlich ausspende, so beger ich auch mit dem heiligen Paulo dass gemain gebett aller frommen Christglaubigen die mich villeicht in disem Gotthauss hinfuro heren werden, damit sie offt Gott den Almechtigen fur mich bitten, vt in ipso audeam prout oportet me loqui[4] · Ephes. 6. Dass ich khan, wisse vnd welle auss dem rechten Gaist Gottes hie verkhundigen wass[i] Gott zum angenemsten, vnd vnss zu[k] nutzesten vnd heilsamsten sein möge · verhoff darneben das Jr auss Christlicher liebe, gedult mit mir haben werdet, vnd alles im pessten an vnd auffnemen, wass sonst auss guetter mainung hie vorthin von mir schwachen vnd vnwurdigen[l] furgebracht vnd gehandelt werden[m]." Deinde ex evangelio diei omnes hortatur, ut se ad mortem mature diligenterque praeparent; Martini quoque exemplum variis hominum ordinibus proponit. „Wolt

a) *Sic Can. sua manu correxit ex verbis a scriptore suo scriptis:* Dieweil die gegenwertige nodturfft vnd heilige gehorsam mich dahin treiben vnd tringen das ich, wiewol ain vnwurdiger mich dises schweren Predigambts annemen muess vnd soll. b) *Quae sequuntur, usque ad* Martino dicere *incl., a C. ipso in margine scripta sunt, ut substituerentur in locum vv. a scriptore positorum;* dann dass Jch mit vnserm heiligen Bischoff auch sage. c) *Septem vv. sqq. a Can. supra versum scripta sunt.* d) *Verbum obscurius scriptum.* e) *Sequuntur vv.* sollichen sollichen, *oblitterata* f) *Sequuntur vv.* gesandt, der, *oblitt.* g) *Sequitur* vnd, *oblitt.* h) *Sequitur* nit, *oblitt.* i) *Sequuntur vv.* in dem heren, *oblitt.* k) *Sequitur* nutzl, *oblitt.* l) *Sequitur* wurd, *oblitt.* m) *Canisius sua manu in margine, alteram hanc exordii partem quasi compendio complectens, scripsit:* Quo ad char. uestram spectat, uolo me consolari quod istam mutationem patienter acceptabitis, et posthac boni consuletis nostrae simplicitatis conatus 2 quod oratione uestra erga Deum compensabitis, quod nostrae infirmitati [deest].

---

[1] Mt 9, 38: Lc 10, 2.

[2] Haec S. Martini episcopi turonensis († c. 400) verba refert *Sulpicius Severus* († c. 420), qui vitam eius narravit, Epistola 3 (*Migne,* P. lat. XX 182).

[3] Mt 10, 22; cf. Mc 13, 11. [4] Eph 6, 20; cf. Col 4, 3 4; 2 Thess 3, 1.

Gott aber im Himbl, das die ietzige welt sich dises Martinj vleissiger anneme, gleich wie sie sonst mit dem bauch, fressen vnd sauffen S. Martins tag feiren vnd halten, Dass begert aber S. Martinus nit, hat vnss auch solliches Exempel nit gelassen." „So wissen wir wol wie es ietzunder mit den Kriegleuten zughet wie heilloss sie leben, vnd aller Gottlosigkhait sich befleissen" (ex commentario; Can. 34 f. 51[b] ad 67[a]; hoc commentarium et sequentia, usque ad orationem 17. Aprilis 1575 habitam incl., Balthasar Arnoldt scripsit).

„Dominica 22. de numismate Matth. 22." [a] aut potius Dom. XXIII. post Trin. sive 14. Novembris 1574. Praecipua huius evangelii verba, inquit Canisius, haec sunt: Reddite quae sunt caesaris caesari, et quae sunt Dei, Deo [Mt 22, 21]. Haec ergo explicabo, breviter tamen, „damit Jch mehrer Zeit hab von dem Sacrament der Firmung zu handlen, dieweil dasselbig wurd heut nach dem essen hie administriert vnd verricht werden". Ostendit deinde magistratibus et maioribus et minoribus oboediendum esse. „Jedoch souil die weltliche Oberkhait belanget, ie grösser, furtrefflicher vnd ansechenlicher der Kaiser ist vber alle andere Hern vnd Fursten, ie grösser ehr, reuerents vnd gehorsam man Jm schuldig ist, vnangesehen wass glaubens, lebens vnd verdienstes er immer sej." Deinde de sacramento confirmationis dicit: „1. warumb sich khein Christ zu widern vnd zu beschweren hab, dass Er sich von dem Bischoff firmen lasse, Oder ist er schon gefirmet, seinem mitchristen zu sollichem Sacrament rathen vnd helffen soll. 2. von dem brauch vnd caeremonien dises Sacraments, wass dieselben auff sich haben vnd bedeuten. 3. wie sich ainer zu disem Sacrament beraiten vnd halten soll, damit er die recht frucht vnd nutz daruon bringe" (l. c. f. 67[a]—80[a]). Vide etiam infra, mon. 1170.

„De Jairo et Emoruissa Matth. 9. Marc. 5. Luc. 8." Contio habita Dom. XXIV. post Trin. sive 21. Novembris 1574. „Alle weibsbilder sollen sich billich dess heuttigen Euangelij gern annemen vnd erfrewen, dieweil darinnen zwej herrliche wunderzeichen beschriben, so Christus an zwo weibsbildern auss grosser lieb vnd trew bewisen." Ex evangelio diei (Mt 9, 18—26) potissimum historiam mulieris haemorrhoissae explicat; contra Anabaptistas usum medicinae defendit. „Man findt ietzunder Leuth die sich nit allain an Gott, sondern auch an jrem artzet in jrer kranckheit versundigen, wellen solliche maistern nit haben vnd leiden, glauben mer alten vnd furwitzigen weibern, die wider alle recht sich der artznei annemen. Die andern lassen den Doctor sorgen vnd ordnen was er will, sein aber haimblich vngehorsam, lassen jnen nichts abziechen, halten khain abstinents vnd ordnung, Ettliche beruffen beide artzet nur in der letsten nodt, wann khainer mer rathen vnd helffen khan, Es ist mit der artznei wie mit der speiss, Zuuil ist alzeit vngesundt, zu wenig ist auch nit guet. Du khanst Gott versuechen, wann du die natürliche mitel verachtest, so Gott vnss zu wolfart des Leibs vnd der gesundtheit verliehen" (l. c. f. 80[a]—90[b]).

„Jn festo Catharinae" sive 25. Novembris ex evangelio diei (Mt 13, 44—52) virginitatem commendat; idem evangelium deinde ad contionatores et tandem ad Christianos omnes accommodat (l. c. f. 91[a]—99[a]).

Dominica prima Adventus sive 28. Novembris rationem sacri temporis explicat et ex evangelio diei rectum illius usum commendat. „So ist es auch ain feine Christenliche vbung im aduent, dass ain ieder sich ruste vnd beraite zu seinem heiligen Christag vnd dem lieben Christkhindtlin zu ehrn sein sonders gebett, sein beicht vnd fasten richte vnd ordne. Khan nichts so gering sein wass im der Mensch fürnimbt Christo zu lob vnd ehr, dass lieb Kindtlen würds im wol gefallen lassen" (Can. 34 f. 100[a]—106[b]; Can. 35 f. 1[a]—5[b]).

„Jn festo S. Andreae" sive 30. Novembris „de mysterio incarnationis". „Dicam 1 quomodo habuerit homo et humanum genus ante aduentum [Christi] 2 cur aduentus tamdiu dilatus, ut steterit mundus per 5000 [annorum] 3 quomodo hic aduentus

a) *Sic; sed scribendum fuit:* 23.; *nam Dominica 23. post Dom. Trinitatis ex ritu brixinensi evangelium hoc recitabatur; et haec Dominica eo anno diem S. Martini proxime sequebatur.*

multum ornatus et honoratus [sit]. Postea ex Euangelio de Andrea [dicam]" (Can. 35 f. $5-11^b$).

„Dominica 2. aduentus" sive 5. Decembris ex evangelio diei (Lc 21, 25—33) de extremo iudicio ad populum verba facit (Can. 35 f. 11^b-17^b).

„De S. Nicolao" die ipsius festo sive 6. Decembris „quaedam magis explicat, quae heri ob temporis breuitatem expediri non potuerunt". „Nunc videmus magnam turbam Christianorum iniustae negotiationi et maledictae vsurae intentam esse, et sine conscientia accipere quinque, sex vel septem pro centum." De iudicio singulis statim post mortem subeundo et de extremo iudicio dicit. S. Nicolaum divitibus in exemplum misericordiae erga pauperes proponit (Can. 34 f. 107^a-112^a).

„Dominica 3 tia Aduentus" sive 12. Decembris „Proposui mihj tractare modo, quare in hac et sequentj dominica nobis Joannes in Euangelio sedulo proponatur . . . 2. Dicam de Joannis vita, wonung, speiss vnd khlaidung" (Can. 35 f. 18^a-26^b).

Dominica IV. Adventus sive 19. Decembris. „Quid Ioannes praedicauerit? . . . Fidem, poenitentiam et opera bona." Ioannis „doctrina haec necessaria nit allain für die Zöllner, sondern auch für allerlej Pfleger, Casstner, Mautner, Renntmaister vnd allerlej ambtleuth, Dass sie nichts vnbillichs von den vnderthonen fordern, vnd vil weniger dass sie hinter sich in jren Judasssackh legen wider der Obrigkhait befelch, wissen vnd willen, vnd sich selbst mit armer Leuth schaden gross vnd reich machen, Heuser bawen oder Eckher khauffen": „Vita et disciplina militum quae? Rauben vnd stelen, Jnfideles erga ciues, sicut et erga inimicos, fluechen vnd schelten, Man findt bej jnen wenig dapffere Menner, aber vil lose bueben, haben vil pellens wie die hundt, vil geschrej aber wenig wollen, aber nit dapffer im werckh vnd in der faust." „Wie man Johanniß wesen vnd Exempel bedenckhen soll, dass ain Christ zu seinem Christtag recht beraitet werde. Wie vnss Johanness weiset auff die Communion" (Can. 35 f. 27^a-34^b).

„De S. Thoma" apostolo, die ipsi sacro sive 21. Decembris. Evangelium diei explicat; deinde respondet ad quaestionem hanc: „Quid Christianus scire et cogitare habet de spirituali Christj aduentu, ut suum aduentum bene concludat, et suum Christag digne celebret". „Wie Christus in vnss khan Geistlich geboren werden". „De caeremonijs Ecclesiae in ferijs Natalitijs". „Sunt qui magnos abusus circa hoc festum exercent . . . alij postquam parum fuerunt in templo, currunt statim zu den gebratenen würsten, Machen jnen vom Christag ain Kindtmal" (Can. 34 f. 113^a ad 115^b; Can. 35 f. 35^a-43^a).

„Jn die Natiuitatis" sive 25. Decembris 1574. „Propositio. Nit desto weniger . . . will vnd muess jch auch etwas von vnserm Christag vnd seiner grossen freuden reden. 2. Wie der Prophet Esaias auch denselbigen Christag lang zuuor beschriben hat. 3. Was Er auch von vnns vnd allen Christen fordere" (Can. 35 f. 45^a-57^b).

„Jn festo S. Stephanj" sive 26. Decembris · „1° Dicam breuiter quid maxime in Euangelio considerandum. 2. Quomodo historia Stephanj a Luca descripta, nobis etiam nunc inseruire possit ad confirmationem fidej et vitae emendationem." Deinde „de sacramento extremae unctionis" dicit „ob superiores, qui nouum emisere mandatum, vt concionatores omnes aliquam de hoc sacramento instructionem Christiano populo darent. Praecipientes etiam serio vt omnes infirmj hoc sacramentum peterent et acceptarent ante mortem, quod nisj faciant cum possunt, indignos esse habendos, qui cum alijs probis sepeliantur. Nec dubium, quin dictj Superiores graues habuere causas ad tale mandatum conscribendum et publicandum, praesertim quum hoc sacramentum apud multos in neglectum, immo contemptum veniat" (l. c. f. 58^a-64^a). „Superiorum" nomine a Canisio non solum episcopi brixinensis coadiutorem (Thomam a Spaur) vel eius vicarium generalem (Adamum ab Arz), sed etiam — ac fortasse primo loco — Ferdinandum II. archiducem vel eius „regimen" oenipontanum significari colligitur ex omni historia rerum a Ferdinando in Tiroli gestarum; v. *Hirn*, Ferd. II., I 166—182.

„Jn die Circumcisionis sive 1. Ianuarii 1575" „de nomine Jesu". Exorditur a circumcisione Christi et „circumcisione spirituali" fidelium; deinde dicit de no-

minis Iesu excellentia et de eiusdem nominis honorandi ratione[1], de „Jesuitis“ et „Societate Iesu“; pro initio anni dat „xenium spirituale“ (ex comment.; Can. 35 f. 64ᵃ—77ᵃ). Plura de gravissima hac contione dicentur infra, monum. 1181 1182.

„Dominica infra octauas Natiuitatis“ vel potius, ut ex eius evangelio (Lc 2, 33—40) et ex proxima contione cognoscitur, Dominica post octavam Nativitatis sive 2. Ianuarii 1575: „Dicam paucis de praedicatione Simeonis et exemplo Annae viduae, postea de Jubilaeo.“ Postquam ex evangelio diei de Simeone et Anna egerat, addidit: „Quid nobis Euangelium de Maria det considerandum“. Deinde copiose de „anno Jubilaei“ Romae celebrandi dixit (Can. 35 f. 66ᵇ—69ᵇ 77ᵇ—81ᵇ 89ᵃ—96ᵇ). Plura vide infra, monum. 1183.

„De festo Epiphaniae“ d. 6. Ianuarii. „Quomodo Magi suo exemplo refellant nouos nunc grassantes errores. Quomodo Catholicos moneant Magi“ (l. c. f. 81ᵇ—88ᵇ).

„Dominica infra Octauas Epiphaniae“ sive 9. Ianuarii. „Propositio. Quod ad hodiernum Euangelium [Lc 2, 42—52], pauca dicam de mirabilj Christj puerj sapientia illic ostensa. 2. Ponam de Jubilaeo et peregrinationibus, quum etiam Christus cum suis parentibus fuerit peregrinatus, et Judaeis se conformarit in consuetudine antiqua templum et cultum Dej in Hierusalem visitandj“ (l. c. f. 97ᵃ—100ᵃ). Vide etiam infra, monum. 1183.

„Dominica de nuptiis. Joan. 2.“ (Io 2, 1—11) sive Dom. II. post Epiph. sive 16. Ianuarii 1575. De miraculi illius recto usu; praesertim „quomodo in Euangelio Coniuges moneantur“; refutat eos, qui eodem evangelio abutantur ad honorem B. Mariae Virginis imminuendum, coniugium etiam sacerdotibus et monachis permittendum, matrimonium virginitati praeferendum. „Wo ist das fleisch muetwilliger, die Jugendt leichtfertiger, die welt hofertiger, dann bej vnsern vnsinnigen, cosstlichen vnd brechtigen hochzeiten, da steen alle fenster der sünden auff, die falsche sicherhait vnd sundige lust einzunemen, Je weniger man gedenckhet an Gott, je pessern khauff vnd marckh hat der Sathan bej den leichtfertigen Däntzen; bej den vnflettigen worten, bej der hofertigen khleidung, bej dem vnmessigen essen vnd trinckhen. . . . Jst nit verbotten bej den hochzeiten frölich zusein. . . . Man mueß aber auch Christum vor allen Gössten laden sambt seiner lieben Muetter, dass sie beide oben an sitzen, vnd das an jre stadt nit da herschen der abgott Bachus vnd die fraw Venus. . . . Christus will aber nit khomen Er sej dann von hertzen begert vnd geladen. Derhalben dann breuchlich vnd loblich ist, dass Breuttigamb vnd Braudt sich mit Gott vnd der Kirchen versüenen, sonderlich durch das Sacrament der Beicht“ (ex comment.; l. c. f. 100ᵇ—110ᵇ).

„Dominica de leproso et Centurione Matth. 8.“ sive Dom. III. post Epiph., sive 23. Ianuarii 1575: „Statuj in hac concione dicere de miraculis, quae a Deo, Christo, ab Apostolis et sanctis fiunt, siue scripta sint in Biblijs, siue non: et quomodo hodie nouus mundus erret circa miracula, quae Deus fecit et facit in Ecclesia sua.“ Extra veram Ecclesiam „non fiunt vera miracula. Vnde nulla haereticj miracula facere possunt. . . . Hodie quam multa Deus facit miracula per Mariam in Laureto, per Jacobum in Hispania, per Petrum et Paulum Romae, per S. Agatham in Cattania. Deinde evangelium diei ad mores emendandos accommodat et inprimis heros hortatur, ut famulos famulasque humane tractent“ (l. c. f. 111ᵇ—119ᵃ).

„Dominica Septuagesimae“ sive 30. Ianuarii 1575 Evangelium diei „nos in Catholica fide confirmat contra modernos errores“ et „docet uitare malum ociositatis“; „de ordine Ecclesiae“ Septuagesimam instituentis et observantis (l. c. f. 119ᵇ—129ᵇ).

„Jn festo Purificationis Mariae“ sive 2. Februarii 1575. „De caeremonia processionis“ cum candelis benedictis; deinde (ex evangelio diei): „Docet Simeon in

[1] *Canisius*, de sui temporis disciplina ecclesiastica et consuetudine pia loquens: Ecclesia, inquit, „jubet vt omnes Christj fideles hoc nomen proferrj audientes in Templo, signum exhibeant reuerentiae interioris. Nec potest reprehendj quod ab antiquo hoc nomen aureis scribatur literis, vel in charta circumferatur, sj fiat ex deuotione, et in honorem illius personae quae est saluator mundj“ (ex comment.; l. c. f. 65ᵇ).

Ecclesia nos rite uersarj, domi recte uersarj, Christiane et foeliciter mori" (l. c. f. 130ª—135ᵇ).

„Dominica Sexagesimae" sive 6. Februarii 1575. Evangelium diei (Lc 8, 4—15) est „amabile et consolatorium considerando seminatorem et semen", sed timorem incutit et terret credentes. Quae nos impediant circa uerbum Dei, ut fructum non adferat." Reprehendit Canisius „negligentiam catholicorum" multorum. „Wass man sagt, dass geet jnen zu ainem Ohr ein, zum andern wider auss, geen auff jrem alten Trab dahin, glauben nit dass die Predig ernst sej, vnd das man thuen muess wass der Pfaff sagt. Dicas virginj esse peccatum se multum ornare ad mundo complacendum, et libenter adesse choraeis[1], non credet. 2. Dicas mercatoribus et ciuibus esse contra Deum et Dej verbum accipere quinque pro 100 ad vsuram. 3. Dicas filijs seculj magis esse diabolicum quam Christianum, dass die vnsinnige Leudt auff der gassen vmblauffen vnd sie so schendtlich vermundten vnd bekhlaiden. 4. Dicas multis incolis Oenipontj non esse carnem Sabbato manducandam. 5. Dicas esse peccatum mortale iurare, toties inebriari, fornicarj et de comissis peccatis esse necessario confitendum et expiandum · certe multj non credent, quia daemon illos fascinauit" (l. c. f. 136ª—141ª).

„Dominica Quinquagesimae" sive 13. Februarii 1575 · „Quomodo Euangelium [diei] sit uiua admonitio, ut quilibet Christianus mundanum gaudium moderetur, nec diuini timoris obliuiscatur, immo etiam ad sanctam Quadragesimam se praeparet". „An sit prohibitum et damnabile Fastnacht halten. R. non esse rem per se damnabilem, sicut diebus festis melius se uestire et lautius edere. Vnde nullus iudicandus etiam spiritualis ob gaudium discretum · zu vil ist vngesundt." Nimium autem fieri ideoque peccari a „viris muliebrem habitum sumentibus" et feminis „se transformantibus" in viros; „peccant grauiter qui se transformant in monachos, vel habitum assumentes spiritualem. 3. Peccant die guette Zechbrieder, qui noctem et diem consumunt comessando et compotando; . . . peccant qui contra omnem honestatem suas leuitates exercent publice, et se stultos vel insanos ostendunt, bellen wie die hundt, springen wie die Kelber, vermunten sich wie die Teuffel, sein vnzichtiger, dann die Gottlosen Juden vnd Haiden, immo etiam peiores bestijs" (l. c. f. 141ᵇ—151ª).

„Quadragesimale anni 1. 5. 75. Jn die Cinerum" sive 16. Februarii 1575. Auditoribus, quid sacrum tempus Quadragesimae sibi velit, explicat et eos, ut eo recte utantur, exhortatur. „Wenig nemen sich darumb an, . . . dass sie jnen furnemen vleissig Gottes wortt zuheren, dem gebett embsiger obligen, jre sünd im anfang diser heilligen zeit zubeichten, vnd zum wenigisten drejmal in der wochen zufasten." Deinde: „Jch hab", inquit, „meiner einfalt nach ain wenig mich bedacht, wass ich doch kündte Gott zulob vnd meinen Zuherern zu nutze in diser heilligen Fassten füeglich furtragen vnd predigen · Hab mich darauff endlich entschlossen, dass jch mich vndersthen welle von den siben todsunden alhie zuhandlen, . . . will ietzunder etliche vrsachen dises meines furnemens anzeigen" (Can. 33 f. 1ª—8ᵇ; cf. etiam Can. 34 f. 116ª—117ª).

„Jn der nechst vergangene Predig hab jch allerlej bewegliche vrsachen gemeldet, auss wellichen jch mir fürgenommen . . ., von den siben Todsünden . . . zuhandlen." Primum autem auditores docendos esse, „quid peccatum" sit; deinde „de peccatis mortalibus in genere" et „de septem peccatis mortalibus" dicit (Can. 33 f. 9ª—20ª; et cf. Can. 34 f. 118ª—121ª et Can. 35 f. 156ᵇ—164ᵇ 168ª—171ᵇ). Tempus quidem huic contioni ascriptum non est; cum autem in codice media sit inter contionem feriae IV. Cinerum et contionem Dominicae I. Quadragesimae, censendum est, eam feria VI. post Cineres sive 18. Februarii 1575 habitam esse. Ita Canisius etiam anno 1572, cum Oeniponte in templo S. Crucis contiones quadragesimales haberet,

[1] Canisius nequaquam saltationes omnes illicitas esse censebat; v. *Can.* III, 648—649.

et Dominicis et feriis sextis orationem habuit[1]. Accedit, quod in codice contio, quae media est inter contiones Dom. I. et Dom. II. Quadr., inscripta est „Feria 6 post Jnuocauit" sive post Dom. I. Quadr.

„Dominica Quadragesimae" [I.] sive 20. Februarii 1575. Ex evangelio diei populum hortatur, ut Quadragesimae tempus pie celebret, ut ieiunent, sacramentum paenitentiae ex more maiorum tum in initio Quadragesimae, tum in eius fine suscipiant, in orationem et in opera misericordiae incumbant. „Jeiunium secundum Ecclesiae ordinem requirit abstinentiam a carnibus et ut semel in die comedant hoc tempore, nisj quis habeat certum impedimentum, vt infantes, puerperae, pauperes, aegrotj, senes." Ieiunium ecclesiasticum et ieiunii praeceptum adversus eius adversarios („Fastenstürmer") defendit. Postea de peccato superbiae agit (Can. 33 f. 20[b]—34[a]; cf. etiam Can. 35 f. 161[a]—162[a]).

„Jn festo S. Matthiae" sive 24. Februarii 1575. Evangelium diei explicat (Can. 35 f. 152[b]—154[b]); deinde (ut videtur) de peccato superbiae dicit (cf. Can. 31 f. 163[a]—165[b]).

„Feria 6 post Jnuocauit" sive 25. Februarii 1575. „Quomodo Euangelium [diei] moneat de rebus et medijs scitu necessarijs homini mortalj crimine uulnerato" (Can. 33 f. 34[b]—37[a]).

„Dominica Reminiscere" sive II. Quadragesimae (27. Februarii 1575). Ex evangelio diei orationem commendat. Deinde „repetitionem de superbia" instituit et „praecipua peccata superbiae" recenset. In horum numero peccatum esse dicit eorum. qui „scientes indignitatem suam et simul ambitiosi" sint. „O wie offt geschicht dise sünd ietzunder bej Geistlichen vnd Weltlichen, ain Jeder will hoch sitzen, vnd nun ie länger ie höcher steigen, bedenckht nur sein aigen vnd nit Gottes ehr, seinen vnd nit den gemainen nutz. Auss diser sünd derfen sie liegen, betriegen, tucken vnd bucken, schmaicheln, thuen vnd leiden alles, sein Teuffels marterer, lassen sich von der gantzen welt peinigen vnd creitzigen, nur das sie gunst vnd gnad bej der Oberkhait haben, legen jhre haubt nit sanfft, haben kainen guten schlaff biss dass sie ain Hofsuppen oder guets bissle daruon bringen vnd grosse Hansen werden. Alle jhr sin vnd gedancken, radt vnd anschleg dahin gericht, das sie grosse Junckern gescholten werden. Solliche sünd ist khain sünd, sundern ain höflikhait vnd dapfferkhait an Fürstlichen höfen, wiewol es offt vilen misslingt, dass sie fur lang gewarttene ehr nichts anders daruon bringen, dann hass, neid, schaden, schand vnd vngenad. Daher dann das sprichwort khombt, Herren gunst ist übernächtig vnd Aprillen wetter" (Can. 33 f. 37[b]—55[a]).

„Feria 4. post Reminiscere" sive 2. Martii 1575 · ex evangelio diei de ambitione et eius „remediis" ad populum verba facit; deinde de corporum „ornatu" dicit; moderatam corporum ornandorum curam licitam atque etiam „meritoriam" esse. At multos in ea re modum excedere. Exempla ponam. „Jch sag zum fünfften, dass es ain erbarmlicher fauler missbrauch sej an den hochen Fessten, . . . dass alsdann der hoffartig gaist so gewaltig bej vnss herschet, dann nimmer sicht man mer, dass Reiche vnd edle Personen sich so vast auffbutzen, vnd mit jren klaidern, guldenen ketten, hauben, beret, locken, schlayer, Ring, Berlin vnd köstlichen gestain herfur dretten vnd offentlich brangen . . . wenn sie dann . . . in die Kirchen dretten, . . . ergern [sie] mer, dann sie pessern den gemainen mann. . . . Jch sage zum sechsten, das es nit zuloben, sondern billich zuschelten sej der gemain brauch der jungen gesellen, welliche sich so närrisch vberreden sie thuen der sachen nit genug, wann sie nit frech daher dretten, wol aussgebutzt, als mit ainem dolch vnd swingen an der seiten, mit ainer Federn auff dem Huedt, mit zerschnittenen zerhackten oder Säxischen Hosen. Dass solt zu ainem rechten Junckhern vnd Edelmann geheren nach Jrer phantasej vnd bedunckhen" (Can. 33 f. 55[b]—60[a]).

---

[1] Iam ante a. 1567 Maximilianus II. praeceperat, ut in omnibus ecclesiis parochialibus singulis feriis sextis missa sollennis et contio haberentur (*Can.* V 403). Quod praeceptum quamdiu Oeniponte servatum sit, nescio. De simili Ferdinandi II. archiducis mandato v. *Hirn* l. c. I 173.

Nuper („jn der nechst vergangene Predig“) varia genera superbiae proposita et descripta esse; iam autem eiusdem peccati alios fructus et signa quaedam recenseri debere. Contio habita esse videtur feria VI. post Dom. II. Quadr. sive 4. Martii 1575 (l. c. f. 60ᵃ—66ᵃ).

„Dominica Oculi“ sive III. Quadr. (6. Martii 1575). Ex evangelio diei „de daemone et eius potestate“ dicit; deinde „conclusionem de superbia“ facit, et tandem ostendit, „quid sit auaritia“, et „cur auaro nihil est scelestius“ (l. c. f. 66ᵇ—78ᵃ; cf. Can. 31 f. 181ᵇ—182ᵃ).

„2.ᵈᵃ contio de Auaritia“. Primum ex evangelio diei contra „sectarios“ auctoritatem ecclesiasticam spernentes dicit. Deinde, „quomodo agnoscendi auarj“ sint, ostendit et genera aliquot avaritiae manifestae et „occultae“ recenset. „Ain offentlichen geitz sicht man bei den rauchen, wilden Kriegsgurgeln, die es fur ain freud halten, wann sie die armen bauren vberfallen, berauben vnd blindern, sein etwan böser dann die Teuffel selbe, die allain die bösen vnd nit die fromben vnd vnschuldigen in der höll plagen, auch sich ietzunder vor dem heilligen creitz förchten. Dise aber verschonen khaines, sechen weder Gott noch seine heilligen, wedue noch weisen an. . . . Wehe den potentaten, welliche mit jrem vnnöttigen Krieg sølliche haillose Kriegsleuth versamblen vnd vrsach geben, das der gemain arm mann durch solliche Teuffelskinder so iemmerlich verdirbt vnd geschendet würd“ (Can. 33 f. 78ᵇ ad 91ᵃ). Contio habita esse videtur feria IV. post Dom. III. Quadr. sive 9. Martii 1575.

Iterum, ut videtur, Canisius feria VI. proxima sive 11. Martii 1575 de avaritia dixit, et maxime „de peccatis occultis auaritiae“. „Hie sein auch die geitzige würdt schuldig, welliche etwan den newen fur den alten wein schenckhen vnd aussgeben, oder vermischen in mit wasser, schwebel vnd andern schedlichen dingen, fordern vil gelt von den Gössten, vnd halten sie doch vbel, sein vbel versechen, vnd lassen alle vnzucht, fluechen vnd schmechen geschechen, nur vmb dess lieben gelds willen, Sein wie die Gerasener, die sich mer vmb die sew oder schwein, dann Christj annemen“ (cf. Mt 8, 34; Mc 5, 17; Lc 8, 37). Deinde (severius) „de usura“ agit et, „cur auaritia tantopere detestanda“ sit, declarat (l. c. f. 91ᵇ—100ᵃ). Vide etiam infra, monum. 1184.

„Dominica Laetare“ sive IV. Quadr. (13. Martii 1575). „Es bedunckht mich, fur den gemainen mann guet vnd nutz sein, das Jch ettwas bej disem Euangelio sage . . . zu erinnerung der furnembsten stuckhen, so ain Jeder wissen vnnd bedenckhen soll bej der entpfachung des hochwirdigen Sacraments“ (l. c. f. 100ᵇ—111ᵇ).

„De peccato Luxuriae“ et „uarijs generibus“ eius. Contio habita, ut videtur, feria IV. post Dom. IV. Quadr. sive 16. Martii 1575. „Protestatio. Eche das ich von diser totsund etwas weitters sage mues ich mich wol vmbsehen · vnd die sach mit grosser vernunfft vnd beschaidenhait angreiffen. Dan ich waiss wol, wie gefärlich es sey von diser totsindt offenlich vnd sunderlich zue predigen darumb das etliche nit wol leiden mugen vnd wellen, das man das Kind recht nennet vnd dise sindt ausdricklich antzaiget · da kan ain prediger alsbald vndanck verdienen, da klaget diser vnd jener es sey zue grob vnd ergerlich gered von der sachen, man sol der vnschuldigen verschonen. Ist war das man vor allen dingen die vncristliche ergernus verhieten vnd vermeiden sol vnd wehe dem menschen, durch welchen ergernus kumbt [Mt 18, 7] · ist aber kain rechte vnd streffliche ergernus, da man seinen negsten vor der sind treulich warnet, vnd die sindt entecket, damit sy nit allain erkent sundern auch vermeidet vnd gehasset werde. Warumb mag vnd sol ein prediger nit also reden wie es da in der heiligen schrifft von allen vnd jeden gelesen vnd erfunden wirdt. Wer kan vnd sol sich dan daran ergern er sey dan wie ein Phariseer welcher sich auch der gueten wort vnd werk Christi last ergern“ (l. c. f. 112ᵃ—120ᵇ).

„Secunda contio“ de luxuria, habita feria VI. post Dom. IV. Quadr. sive 18. Martii 1575. „Dicam 1 de luxuria communi uitio late per mundum grassante 2 de causis huius morbi tam potentis hoc tempore 3 quae remedia contra illum utenda sint.“ „Da gibt man den Kindern die vnerbern Piecher zue lesen jn denen sy zue aler

vntzucht fein geraitzet werden als da sein Eilenspiegl, Rollwagen, Fortunati, Aesopi, Pogy“ etc.[1] (l. c. f. 121ᵃ—135ᵃ).

„Dominica passionis“ sive 20. Martii 1575. „Propositio. Muess ettwas dritlichers sagen · was ietzunder die Kirche suechet manet vnd treibet. 2. die zeit erfordert das ich ain kurtzen bericht gebe von der Sacramentalischen beicht. . . . Aus dem euangelio wellen wir dan zum lesten feine cristliche lehr vnd spruch hineinfieren souil dan die zeit wirdt leiden mugen“ · „De cauendis in confessione“ tribus „tentationibus“ · „Horror confessionis“, „Reuereri sacerdotis personam“, nolle bona iniuste comparata restituere. „Alle fromme Christen“ sollen „ain erinnerung haben, ... das alle vnsere guete werkh, Sacrament vnd andere geistliche jebung Gott nit gefallen vnd den menschen auch nit migen zue gerechtigkait vnd selligkait [geraichen], wen sy nit jn vnd auf Cristi leiden vnd blueturgiessen gegrindet vnd gebauet werden“ (l. c. f. 135ᵇ—146ᵇ).

„De peccato Gulae“. Contio habita feria IV. post Dom. Pass. sive 23. Martii 1575. „Wier wellen das euangelium auf ain ort setzen vnd die vierte totsind vnd haubt laster, Fresserey genent, fir die hand nemen, mit antzaigung was vnd wie schedlich sy sey, in was mass sy heut am maisten werdt begangen.“ „Drunckenhait ist jn disem landt vnd sunst bey den teuschen gar gemain, ja wird schier fir kain sind gehalten sundern fir ain erlichs ding, demnach wil ainer seinen gueten freund wol tractiern so macht er jn vol vnd drunckhen“ (l. c. f. 146ᵇ—154ᵇ).

„Annuntiatio Mariae“ sive 25. Martii 1575. „Propositio. Jch muess aber etwas weitters vnd deutlichers sagen von der grossen herligkait dises Festes · das vns vnd der gantzen welt vnausprechenliche freide trost vnd frucht pringet. 2. wil jch auch ettwas vom englischen gruess melden wie wier vns desselbigen recht vnd cristlichen prauchen migen vnd sollen. 3. wie die Comunicanten oder weliche sich zue dem tisch

---

[1] Eulenspiegel, narratio fabulosa (romanensis) primum, quantum quidem constat, a. 1515 typis exscripta, deinde a Ioanne Fischart, sordido illo satirarum scriptore, versibus inter se consonantibus tradita, in qua magistratus ecclesiastici et civiles atque alii homines honesti deridentur. — „Das Rollwagenbüchlein. Ein neüws, vor unerhörts Büchlein darinn vil guter schwenck vnd Historien begriffen werden, so man in schiffen vnd auff rollwegen, deszgleichen in scherheüsern vnnd badstuben zu langweiligen zeiten erzellen mag . . . an tag bracht vnd zu samen gelesen durch *Jörg Wickramen*, Stattschreiber zu Burckhaim“, libellus editus s. l. 1555 et 1557, Francofurti 1565 et 1597 etc. (*J. G. Th. Graesse*, Trésor de livres rares et précieux VI[1], Dresde 1865, 151; VI[2], Dresde 1867, 445) isque rebus obscoenis repletus; quare iam illa aetate G. Lauterbeck Mansfeldensium cancellarius lutheranus affirmavit, iuventutem ex eo discere „nichts denn Schand und Untugend“ (*Janssen* l. c. VI[15—16] 419—420). — „Von *Fortunato* vnd seynem Seckel, auch Wunschhütlein. Gantz kurtz weilig zu lesen“, libellus originis incertae (hispanicae), editus germanice Augustae 1530 1533 1544 1548, Francofurti 1551 1554 1570 etc., „ein Wunderbuch, in welchem die übernatürlichen Gaben nur zu Reichtum und Wohlleben hinführen“: *Wilh. Lindemanns* Geschichte der deutschen Litteratur, 7. Aufl., herausgeg. von *Ans. Salzer*, Freiburg i. Br. 1898, 309; *J. Görres*, Die teutschen Volksbücher, Heidelberg 1807, 71—82. — In libello „Esopus“, quem *Burchardus Wallis* protestantium contionator „ganz neu gemacht und in Reimen gefaßt, mitsamt hundert newer Fabeln“ a. 1548 edidit, non solum S. Franciscus Assisias, S. Catharina Senensis, pontifex, clerus catholicus probris afficiuntur, sed etiam multae historiae obscoenae proferuntur (*Janssen* l. c. 426—427). — *Joannis Francisci Poggii Bracciolini* (1380 ad 1459) florentini „Facetiarum librum“ iam saeculo XV. Norimbergae, Basileae, Lipsiae excusum (*E. Voullième*, Die Inkunabeln der königlichen Bibliothek und der anderen Berliner Sammlungen, Leipzig 1906, 27 64 91 93) frivolum et obscoenum esse notat *K. Gödeke*, Grundriss zur Geschichte der deutschen Dichtung I[2], Dresden 1884, 436.

des herrn verfiegen wellen, sich nach Marie exempl bey dem heiligen Sacrament halten vnd ertzaigen sollen" (l. c. f. 154^b—165^b).

„Jn die palmarum" sive 27. Martii 1575. „De ira et inuidia" (l. c. f. 166^a—173^a).

„Feria 4 post Dominicam Palmarum" sive 30. Martii 1575. „De peccato Jnuidiae" (l. c. f. 173^b—178^a).

„Jn die coenae Dominj" sive 31. Martii 1575. De huius diei praestantia, contra „sacramentarios", Lutheranos transsubstantiationem negantes, Hussitas, missae contemptores (l. c. f. 178^b—182^a).

Sacro die Parasceves sive 1. Aprilis 1575. De passione Christi, considerando „septem exitus Christj" (cf. supra p. 618). „Remedia expellendi acediam" (Can. 26 f. 1^a—8^b et Can. 5 f. 5^a—8^a).

„Jn festo Paschatis" sive 3. Aprilis 1575. „Dicam 1 de usu festi 2 declarabo articulum fidei difficilem Descendit ad inferos. 3. in quo consistat cognitio resurrectionis Christi" (Can. 33 f. 182^b—192^b).

„Feria 2.da Paschatis" sive 4. Aprilis 1575. „De collatione resurrectionis Christj et electorum" et de evangelio diei dicit (Can. 33 f. 193^a—195^b).

„Feria 3 post pascha" sive 5. Aprilis 1575. Ex evangelio diei „de uita aeterna post resurrectionem" contionatur (Can. 34 f. 122^a—127^a).

„Jn 8.ua Paschatis" sive 10. Aprilis 1575. „So will Jch zum ersten ain wenig sagen, wie diss Euangelium [Io 20, 19—31] vnss zu vilfaltigem vnd crefftigem trost diene. 2. wie es hefftig tringet auff den glauben. 3. Wass es fur ain gewalt sej, so Christus hie verhaiset vnd gibt seinen Jungern zur vergebung der sünden" (Can. 34 f. 127^b—133^b).

„Dominica Misericordiae" sive II. post Pascha (17. Aprilis 1575). Ex evangelio diei de animarum pastoribus dicit. Considerandum est, „was fur mitleiden wir mit den geistlichen hirdten iez haben solten, dieweil jr ambt vnd standt so gar veracht, jr narung vnd einkhommen so gar abnimbt, jr authoritet vnd gewalt so wenig gilt bej dem gemainen hauffen. . . . Summa es ist ain lauterer betrug vnd anfechtung des Teuffels, das wir mer auff das leben der Priester, dann auff jren gewaldt, ler vnd befelch sechen vnd merckhen, vnd dem Priesterstandt so vngetreue sein, da wir Jren am maisten bedarfen. Würd also vnser vngehorsam von Gott billich gestrafft, das wir offt vmb khain gelt die gesandten Gottes haben vnd behalten künnen, dieweil wir vnss so freuenlich vnd leichtfertig gegen Jnen halten, sie so balt vrteln, verkhlainern, verachten vnd verspotten, auch vil lieber das bess dann das guet von Jnen heren vnd reden" (l. c. f. 134^a—141^a).

„Dominica 3 post pascha" sive 24. Aprilis 1575. „Quomodo Euangelium hoc [Io 16, 16—22] sit multis modis consolatorium". „Cur multas habeamus tribulationes, paucas uero consolationes hoc tempore calamitoso" (l. c. f. 141^a—145^a).

„In festo dedicationis, concurrente festo Philippi et Jacobi cum Dominica Cantate" sive 1. Maii 1575. „Dweil das furnimbst vnd herrlichst fest, so in disem alten wirdigen Gotshauss begangen wirt, die Kirchweiung belanget [1], so erkenn ich mich schuldig von dem selben fest vnd seinem angehenckten Euangelio, das ist von des Zachei histori [Lc 19, 1—10] in sunderheit zu handlen. . . . Dicam de Zachaeo. 2 quomodo perueniat ad festum historia („cur hoc Euang. festo applicatum") 3 de uero et malo usu templorum" (l. c. f. 145^b—151^a).

„Dominica Rogationum" sive 8. Maii 1575 ex evangelio diei de oratione ad Deum facienda dicit (l. c. f. 151^a—154^b).

„Jn Festo Ascensionis" Domini sive 12. Maii 1575. De excellentia huius sacri diei et „de cauendo duplici errore circa Euangelium" diei (Mc 16, 14—20), altero Anabaptistarum (parvulos non esse baptizandos), altero „nouorum prophetarum" fidem et baptismum sine paenitentia et „meritis operum" ad salutem sufficere dicentium (l. c. f. 154^b—162^a; hic primum comparet manus tertii cuiusdam scriptoris,

---

[1] Ecclesiam illam primum sollenniter Deo dicatam sive „consecratam" esse 9. Octobris 1350 affirmatur apud *Tinkhauser* l. c. II 98.

cuius opera Canisius deinceps usque ad 8. Septembris 1575 incl. ad contiones scribendas uti solebat).

„Dominica post Christi Ascensionem" sive 15. Maii 1575 „de excommunicatione" dicit, quattuor „obiectiones" contra eam refutando etc. (l. c. f. 162ᵃ—167ᵇ).

„Ad baptismum Turcae 1575"; Canisius primum populum astantem „adhortatur"; deinde catechumeno, quid valeat baptismus et quid eius caerimoniae sibi velint, in memoriam revocat (l. c. f. 183ᵃ—184ᵃ). Oratio haec ipsius Canisii manu in extremo paene codice scripta est; quae fortasse habita est vigilia Pentecostes (21. Maii); is enim dies baptismo solenniter conferendo singulariter aptus erat. Probabile est autem, Canisium ipsum sacramentum illud homini contulisse, perinde atque a. 1567 Herbipoli Iudaeam virginem baptizavit (*Can.* V 430 701). Attamen suspicor, Canisium lapsu quodam calami in huius orationis inscriptione „1575" posuisse pro „1578"; nam Turcam quendam vere anni 1578 Landishuti ad fidem catholicam a Canisio institutum et (ab eodem Canisio, puto) sollenniter baptizatum esse narratur ab ipso Canisio (v. supra p. 445); neque vero ullibi baptismum a 1575 Turcae cuidam collatum invenio memoratum. Quodsi 1578 id factum est, aut sabbato sancto (29. Martii), cuius liturgia huiusmodi baptismo valde congruit, aut uno ex 3 diebus paschalibus (30., 31. Martii, 1. Aprilis) factum est; hi enim dies commodiores erant populo, quem caerimoniis baptismo adiunctis „valde commotum esse" Canisius scribit.

„In Die Pentecostes" sive 22. Maii 1575. „Qui se priuent gaudio et fructu festi". „Qui recte celebrent Festum Pentecostes" (l. c. f. 167ᵇ—173ᵃ).

„Feria 2.ᵃ post Pentecosten" sive 23. Maii 1575 ex evangelio diei de amore Dei, peccatis in Spiritum Sanctum etc. dicit (Can. 27 f. 151ᵃ—158ᵃ).

„Feria 3.ᵃ post Pentecosten" sive 24. Maii 1575 evangelium diei explicat et „de statu Ecclesiae Primitiuae" verba facit (Can. 34 f. 173ᵃ—177ᵃ).

„Die Sanctissimae Trinitatis" sive 29. Maii 1575. „Quomodo Christianus erga Sanctissimam Trinitatem se gerere debeat" et „de baptismo paruulorum" (Can. 34 f. 177ᵇ—181ᵇ).

„Jn Festo Corporis Christi" sive 2. Iunii 1575. „Dicam primum quomodo Catholici se confirmare et consolari debeant, nec locum dare hostibus Ecclesiae huic festo repugnantibus. 2 quomodo cum fructu hoc festum et eius octauam celebrent" (Can. 23 f. 176ᵇ—185ᵇ). Plura vide infra, monum. 1185.

„Dominica intra octauas corporis Christi" sive 5. Iunii 1575 evangelium diei breviter explicat et „quibus modis hodie multi peccent circa uenerabile Sacramentum" eucharistiae, ostendit (l. c. f. 185ᵇ—188ᵃ).

„Dominica IIJ post Pentecosten" sive 12. Iunii 1575. „Propositio. Nos tria proponemus circa euangelium [Lc 14, 16—24] tractanda, primo quomodo illud seruiat homini Christiano ad sui et Dei cognitionem. 2.° Ob quam causam tam multi impediant uocationem Dei et salutem suam ut pauci ad ultimam coenam perueniant, licet eam omnes desiderent. 3.° Quomodo Christianus possit et debeat sine impedimento se ad ultimam coenam disponere" (l. c. f. 188ᵇ—195ᵃ).

„Euangelium Dominicae IIIJ ᵃ post Pentecosten. Erant appropinquantes" (Lc 15, 1—10). In hac oratione 19. Iunii 1575 habita Canisius ex evangelio peccatores ad paenitentiam agendam excitavit (Can. 34 f. 184ᵇ—188ᵇ).

„Dominica IIIJ post Trinitatem" sive 26. Iunii 1575. „Dicam 1 ob simplices de Euang. [Lc 6, 36—42] quid summatim et praecipue in illo notandum. 2 de praecepto Nolite iudicare [Lc. 6, 37; Mt 7, 1] 3 quae sollicitos et timoratos nos in eo reddere debeant." „Quid iuuat alioquin quod iudicamus diuites et potentes quod sint iniqui, immisericordes, superbi, abutentes suis opibus. 2º Quid iuuat iudicare et accusare magistratum quasi non faciant officium suum, ac sinant se corrumpi nec faciant iudicium, sed sunt personarum acceptores [Act 10, 34]. 3º Quid prodest seculares contra spirituales clamare et uicissim spirituales dare culpam secularibus quod tam multa fiant scandala et timor Dei in paucis reperiatur. Igitur si uerum

a) *Ita corrigendum est ex III., quod Canisii scriptor posuit; nam evangelium „Erant appropinquantes" romano quidem ritu Dominicae III. post Pent. est; brixinensi vero erat Dom. IV.*

Evangelij fructum uelimus seipsum quisque debet inspicere et iudicare" (Can. 51 f. 251ª—254ᵇ).

Die SS. Petri et Pauli App. sive 29. Iunii 1575. „Ob quas causas festum hoc nobis celebrandum". „De Petri confessione in Euangelio [Mt 16, 13—19] facta". „Quomodo Christianus probus circa hoc Euangelium se tenere debeat ut cum nouo mundo non erret et offendatur" (Can. 31 f. 166ª—174ª).

„Dominica sexta post Pentecosten" sive 3. Iulii 1575. „Propositio. Dicam paulo fusius de spirituali naui Petri in hoc Euangelio [Lc 5, 1—11] cognoscenda. 2.° Quomodo Christiano bene conueniat labor manualis. 3.° Quomodo uarij status suam utilem et salutarem admonitionem habeant in hoc Euangelio" (Can. 23 f. 127ᵇ ad 134ₐ). Vide etiam infra, monum. 1186.

„Dominica VIJ post Pentecosten" sive 10. Iulii 1575 ex evangelio diei de iustitia christiana et de peccato irae dicit (Can. 23 f. 134ª—137ᵇ et Can. 30 f. 1ª—8ª).

„Dominica octaua" post Pentecosten sive 17. Iulii 1575. Canisius ex evangelio diei „Marci 8. De turba saturata" (Mc 8, 1—9) describit Christi misericordiam et ostendit, „qui se impediant in percipienda Christi misericordia" „et quomodo Christus exemplo suo doceat spirituales et seculares magistratus omnesque fideles misericordiam exercere". „Vos Rectores et Magistratus seculares habeatis etiam uobis Christi commendatum exemplum, quia estis capita populi et iudices a Deo constituti. Habete compassionem uidentes et audientes communem populi necessitatem, reipsa monstrate uos amatores iustitiae et aequitatis. Punite usurarios et oppressores pauperum, bonam ordinationem tenete cum pane, uino, carne ut pauperes ciues, uiduae et pupilli inueniant corporis necessaria et pro sua pecunia possint acquirere quod iustum et aequum est. Non expectate, donec fames et caristia prouinciam premat, sed in tempore deliberate de his, quae ad bonam politiam pertinent. Aperite oculos et uidete turbam magnam et commeatus paruos prae manibus. Si tam aegre uiuimus tempore pacis, quid tempore belli et caristiae" (Can. 30 f. 8ᵇ—15ᵇ).

„Jn Festo Magdalenae" sive 22. Iulii 1575. „Qui errores in hac historia confutentur". „Quomodo seruiat Euangelium ad uitam emendandam". „Quibus exemplum Magdalenae maxime competat" (l. c. f. 15ᵇ—21ª).

„Dominica nona" post Pentecosten sive 24. Iulii 1575. „Cur Christus et Apostoli tam serio monent de cauendis pseudoprophetis". „Quid nobis faciendum quando falsi Prophetae praesentes [sunt] et suos errores late disseminant".... „Dico 4º uigilandum esse, ne per curiositatem demus locum serpenti sicut Eua fecit [cf. Gn 3, 1—7] uolentes illorum libros legere et de ipsorum doctrina iudicare, sicut multi nunc faciunt, nihil timentes propositam excommunicationem [1] et graue periculum in quod multi lapsi sunt et labuntur, legendo scripta nouatorum, in quibus lupi egregie sciunt se tegere et ornare o u i u m u e s t i m e n t i s [Mt 7, 15], id est, uerbis scripturae male intellectae, sermone uenusto et blando atque fallaci [cf. Rom 16, 18]. . . . Hic saepe admiscet se superbia, ob quam Deus sinit nos excoecari, et confundi, quia nolumus esse paruuli [cf. Mt 18, 3; Mc 10, 15], sed s a p e r e p l u s q u a m o p o r t e t s a p e r e [Rom 12, 3] et judices esse in religione, non oues simplices" (cf. Io 10, 27; l. c. f. 21ᵇ—27ª).

„In festo Sancti Iacobi" maioris sive 25. Iulii 1575 · evangelium diei explicat (l. c. f. 27ᵇ—28ᵇ).

„Dominica decima post Pentecosten" sive 31. Iulii 1575 ex evangelio diei opera misericordiae commendat. „Inimici sunt pauperum infideliter tractantes bona hospitalium nec curam gerentes pauperum illic alendorum ut habeant bonos cibos bonas habitationes, bonos ministros in sanitate et infirmitate. 2º Inimici male tractantes gazophilacium, nec utiliter erogantes eleemosinas antiquitus fundatas et publicas uel datas a diuitibus uiuis et mortuis praesertim circa exequias et dies animarum. Tales sunt fratres Iudae [cf. Io 12, 6] h a b e n t e s s p e c i e m p i e t a t i s [2 Tim 3, 5], et simulantes se amicos pauperum et interim suum lucrum quaerunt

---

[1] De hac excommunicatione v. *Can.* IV 862.

et promouent. 3.° Magnam iniuriam faciunt pauperibus potentes et magnates, qui tanquam liberi domini bonis suis utuntur, et magnos sumptus faciunt in equos, canes, pompam, conuiuia, stultos et moriones, uiuunt in delicijs, consumunt multa ut uentri seruiant et se repleant omni uoluptate. Iacet interim pauper ante fores, dormit nudus, perit fame, nihil cupiens nisi de micis diuitum [cf. Lc 16, 21]. Est hoc facere amicos de mammona iniquitatis [Lc. 16, 9]?" (l. c. f. 28ᵇ—34ᵇ).

„Dominica XI post pentecosten" sive 7. Augusti 1575. „Propositio. Quia praecipua Euangelij [Lc 19, 41—47] pars tractat de destructione urbis Hierusalem et breuiter totam historiam de obsidione et occupatione urbis comprehendit, nos de illa primum agemus quomodo facta sit et quomodo nobis hodie seruire possit et debeat. 2° Quomodo Christi fletus nos moneat ut super nos et alios utiliter ploremus. 3.° De abusibus communibus qui nunc fiant in nostris templis, et iram Dei merentur" (l. c. f. 34ᵇ—41ᵇ).

„In Festo sancti Laurentij" sive 10. Augusti 1575. „Quem fructum nobis hoc festum adferre possit" (l. c. f. 41ᵇ—42ᵇ).

„Dominica XI." post festum Trinitatis sive 14. Augusti 1575. „De Phariseo et Publicano" (Lc 18, 9—14). „Hoc Euangelium non agere et certare contra opera bona". „Quomodo Euangelium nos doceat recte orare." „An homo Deo et Dei misericordiae solum habeat confidere". „Quomodo utendum exemplo Publicani" (l. c. f. 43ᵃ—46ᵇ; 49ᵃ—50ᵇ).

„In festo Assumptionis Mariae" sive 15. Augusti 1575. „De usu Euangelij Lucae X" (Lc 10, 38—42). „Defensio festi contra nouatores". „De humilitate Mariae" (l. c. f. 47ᵃ—53ᵃ).

„Dominica de surdo et muto" sive XII. post festum Trinitatis (21. Augusti 1575). „Praecipua puncta Euangelij". „Qui hodie sint spiritualiter surdi quibus magnopere opus Christi gratia. Qui spiritualiter muti" (l. c. f. 53ᵇ—57ᵃ).

„In Festo Bartholomei" sive 24. Augusti 1575. „De erroribus circa potestatem ciuilem et ecclesiasticam" . . . „Probari non potest prohibitum fuisse [a Christo] Ecclesiasticis ut acceptarent oblatas secularium facultates. . . . Sunt autem acceptatae opes a secularibus cum multis priuilegijs cum hac obligatione ut etiamsi essent principes et externum haberent regimen tamen spirituale officium et regimen curarent, magisque prouiderent animabus ouium quam curarent lanam et lac ita ut in spiritualibus propter temporalia non impedirentur, sed potius ad maiorem Dei gloriam, ad laudabiliorem administrationem sacramentorum, ad meliorem ordinem in cultu Dei et ad maiorem hospitalium et pauperum conseruationem temporalia conuerterentur. Neque propterea excusatur abusus illorum, qui solum habent titulum nihilque curant nisi pompam mundanam, arces, muros et dominationem externam . . . , unde strictam Christo rationem reddent. Sed rursus excusari non possunt, qui auaritia et inuidia excoecati clamant nullum magistratum esse debere praelatis, nullam potestatem regendi. . . . Veh fratribus Iudae spoliantibus Ecclesiam, qui cum Iuliano et Decio rapiunt ad se bona ecclesiasticorum et opprimunt priuilegia et libertatem Ecclesiasticam" (l. c. f. 57ᵇ—59ᵃ).

„Evangelium de charitate et Samaritano" (Lc 10, 23—37), quod erat Dom. XIII. post Trin. sive 28. Augusti 1575. „Quae praecipue notanda in Euangelio". „Contra quos errores nos munit Euangelium". „De praecepto charitatis". „Doctrinae pro simplicibus de charitate"(l. c. f. 60ᵃ—66ᵇ).

„Dominica XV." post Pent. sive 4. Septembris 1575. Canisius ex evangelio diei hortatur ad leprosos iuvandos, sacerdotes honorandos, peccata confitenda, gratiam Deo habendam etc. (l. c. f. 67ᵃ—75ᵃ).

„Natiuitas Mariae" sive 8. Septembris 1575. „De Salue regina". Canticum hoc ecclesiae explicat et contra „nouatores" defendit [1] (l. c. f. 75ᵇ—82ᵃ).

[1] Cf. F. F[alk], Die Gegner der Antiphon Salve Regina im Reformations-Zeitalter, in „Katholik" 83. Jahrg. II, Mainz 1903, 350—354, et *J. A. F. Kronenburg* C. SS. R., Maria's Heerlijkheid in Nederland VII, Amsterdam 1911. 42—43 49,

„Contra quos Christus agat in Euangelio Nemo potest 2. seruire“ dominis (Mt 6, 24—33), quod erat Dom. XVI. post Pent. sive 11. Septembris 1575. De „praecipua doctrina“ evangelii, quae est de regno Dei primum quaerendo (l. c. f. 82b—83a).

„Dominica XVI.“ post festum Trinitatis sive 18. Septembris 1575. „De adolescente in Naim resuscitato Lucae VIJ“ (Lc 7, 11—16). „Quomodo boni possint laudabiliter bonos amicos morientes deplorare“. „Quomodo circa mortuos Christianus peccet et se laudabiliter gerat“. Praeter alios „peccant qui excedunt in pompa, Treiben vnmessigen Pracht vnd Pomp mit der Begenckhnuss plus quam conditio mortuorum ferat et loci consuetudo, solum ad ostentationem et pompam. Alij contra peccant, nihil curantes honestas exequias pro se uel alijs mortuis celebrari. Sed pro eodem habent, Sy werden auf dem Gotssackher, Freithoff, kirchopffer oder vnder dem Galgen begraben. Durffen frei sagen was ist mit dem todten Schelm zuthuen, was will man anfahen mit dem todten Cörpel, ist geleich man weiff Jn ins wasser, mann verprenn Jn mit dem feur, oder mann begrab Jn im Keller oder Stalle, oder vnder dem galgen.“ „Worzue es nutze, Das mann die gestorbenen Christen ehrlich zur Erden bestätte vnd Jnen die besenckhnuss nachhalte, vigiln vnd Seelampt“ (Can. 51 f. 255a—258b).

„Jn festo Mathaei Apostoli“ sive 21. Septembris 1575. „Dicam 1 de personis in Euang. considerandis 2 de conuersione peccatoris necessaria 3 de Jeiunio 4 temporum“ (Can. 30 f. 83b—92b).

„Concio de vsura“, habita, ut ex eius exordio cum oratione diei S. Matthaei collato cognoscitur, Dom. XVII. post Trin. sive 25. Septembris 1575. „Ich waiß, wie Jre vil so zarten ohren haben, das Sy vngern heren vnd gar vnlustig werden, wen man Jhnen sagt von dem leidigen Wucher.“ Canisius non vult damnare eos, „wölliche in der nodt von den Wucherern geltt begeren vnd annemen. Dann solliche sein entschuldet durch Jr hochtringete not . . . dann offt solliches auch grossen Herren vnd Fursten geschicht, das Sy auch etwan .10. oder 20 ffl. verhaissen vnd verschreiben fur .100. Necessitas non habet legem wenn ainer schon von den Juden sollt gellt entleihen ad suam utilitatem“; concedit etiam, magistratus civiles posse maiorum peccatorum et calamitatum praecavendarum causa fenerationes quasdam dissimulare et impunitas ferre, perinde atque lupanaria tolerentur; neque tamen ea indulgentia ipsos feneratores purgari; qui nec communi hominum consuetudine, nec libero, quem ipsi praetexant, eorum, qui mutuum petant, assensu excusari possint. „Was ist dann vnd haisset ein Wucher? Alles Jenige das man weitter vnd mer einnembt, dann man aussgelihen hat, es sei gellt oder Geltswerth.“ „Hie vermag weder Furst noch Bischoff oder Bapst · khainer hat gewalt in dem Wucher zu dispensieren, vnd nachzugeben das ainer ohne Todtsündt mit dem Wucher vmbgehe vnd nit verbunden sei das vngerechte eingenomen guet vom wucher widerzugeben vnd zu restituieren“ (Can. 30 f. 93a—99b). Mirum est, Canisium in hac oratione (ut quidem scripta est) rationum, propter quas aliquid ultra sortem accipi posse et superiorum saeculorum theologi et Societatis viri doctissimi affirmaverant, nullam fecisse mentionem; ceterum v. supra p. 641—642 672—674.

„Jn festo Michaelis“ archangeli sive 29. Septembris 1575. „Dicam 1 de Euang. [Mt 18, 1—10] quomodo consoletur et terreat 2 de usu salutari huius festi cum informatione de angelis.“ „De angelo proprio obseruando“ (l. c. f. 99b—110a).

„Jn Festo Simonis et Judae“ apostolorum sive 28. Octobris 1575 evangelium diei explicat (l. c. f. 110b—117a; ab hoc die usque ad 11. Novembris 1575 incl. Canisius iterum ad scribendum usus est Balthasare Arnoldt).

„Jn Festo omnium Sanctorum“ sive 1. Novembris 1575. „Dicam 1 quomodo Euang. [Mt 5, 1—12] considerari possit, ut seruiat et prosit ad hoc festum Christiane celebrandum. 2 ex quibus causis hodie sancti parum curantur et male honorantur“. . . . „Die newe gaister . . . begeen grosse sünd, das sie so vnchristlich verachten vnd gar

---

et *St. Beissel* S. J., Geschichte der Verehrung Marias im 16. und 17. Jahrhundert, Freiburg i. Br. 1910, 494—505.

verdamben alle andacht, so vil frombe herzen offt haben vnd erzaigen gegen sondern heilligen, haimbsuechen gern Jre Kirchen . . ., raissen vnd waalfarten zu S. Jacob in Hispanien [1], zu S. Petro vnd Paulo geen Rom, zu vnsern lieben Fraw geen Loret, Ainsiedel oder Öttingen . . . . So ist es auch den heilligen zuwider, das Jr vil Jren alten aberglauben haben bej vilen Fessten der heilligen als an S. Johanns abendt [2], an S. Thomas [3] vnd Anna fest; da mainen die alten weiber, an S. Veits tag soll man nit auf den baum steigen, es werde ain vnglückh zuhanden stossen, halten S. vlrichs tag fur ain vnseligen tag, da muess ainer sich vmbbringen, Jch will geschweigen von S. Quirino, von S. Medardo vnd andern meer" (Can. 30 f. 117ᵇ—129ᵃ).

„Jn die animarum" sive 2. Novembris 1575 · „propositio. Jch will aber iezunder nichts weitters vom Euangelio reden, sondern mit khurtze etwas sagen, wie vnd warumb wir nit vil disputiern wellen vom fegfewer, vnd ob es auch recht vnd christlich sej den abgestorbnen hülffwerckh zuthuen vnd zubeweisen, als mit betten, Messen, almuessen, Fassten vnd andren guetten werkhen. 2. wass vnss billich ermanen vnd treiben solt, das wir gern vnd offt gegen den glaubigen Seelen vnss güettig vnd barmherzig erzaigen" (l. c. f. 129ᵇ—137ᵃ).

„Jn Festo S. Martini" episcopi sive 11. Novembris 1575. „Luc. 12". „Dicam 1 de 2 praecipue in Euang. considerandis · nempe de Christo et ueris eius seruis · 3 quomodo utendum nobis exemplo Martini" (l. c. f. 137ᵇ—142ᵃ).

„Catharinae" virginis et martyris, sive 25. Novembris 1575. „Welliche mich haben hie eben vor ainem Jar Predigen heren, die werden sich wol zuerinneren wissen, das jch mir zu der zeit hab furgenomen das Euangelium von den verborgenen schatz . . . vnnd von dem edlen kosstlichen Perlen . . . Matth. 13 [4]. Jetzunder aber bin Jch des vorhabens, das Jch solliches Euangelium will auf ain ort setzen, licet hodie legatur, vnnd mich allein hallten bey der anderen Euangelischen gleichnus von den 10 Jungkhfrauen [Mt 25, 1—13] wie Jch hab im anfang diser Predig das vorgelesen. Bin guetter hofnung das khainer mir werdt verargen, das Jch mich also verendere, dises Euangelij halben, dieweil dasselbig auch in der Catholischen khirchen gelesen vnnd gesungen wirdt zu lob vnnd ehren der heiligen, kheuschen vnnd weisen Jungkfrauen Catharinen." [5] Deinde hoc evangelium copiose interpretatur (l. c. f. 142ᵇ—151ᵃ).

Haec oratio est ultima orationum a Canisio Oeniponte in ecclesia parochiali habitarum, quae quidem usque adhuc repertae sunt; verisimile tamen est, eum praeter has habuisse aliquot alias; velut diebus Nativitatis S. Ioannis Baptistae (24. Iunii), Visitationis B. Mariae Virginis (2. Iulii), Dominicis post Pentecosten XIX.—XXVI. sive 2., 9., 16., 23., 30. Octobris et 6., 13., 20. Novembris; quarum orationum commentaria vel scripta non sint, vel perierint, vel saltem nondum comparuerint.

Ad animarum fructus ex Canisii orationibus collectos aliqua saltem ex parte pertinent ea, quae P. *Guilielmus Elderen* S. J. Oeniponte 10. Ianuarii 1575 ad Everardum Mercurianum praepositum generalem *rettulit: „Ad .600. excessit numerus eorum, qui hisce Natalitijs Christi ferijs in templo nostro synaxin sacram adierunt, inter quos fere tota nobilitas Ciuitatis et aulae uisa est" (ex autogr.; Germ. 136 f. 187ᵃ). P. *Wendelinus Volckius* S. J. collegii rector Oeniponte 14. Octobris 1575 Mercuriano *scripsit: „Degimus nunc in hoc Collegio tantum .17. inter quos .9. Sacerdotes, singuli sua sorte contenti. Et quo peruersi magis contra nos saeuiunt exterius, eo maiori pace ac animorum tranquillitate perfruimur interius atque in Domino laetamur. . . . Licet huius Aulae uideamur habere paruam gratiam, cum tamen propter infirmos uel similes necessitates opus habent, potius nostram quam aliorum

---

1 Compostellam ad sepulcrum S. Iacobi maioris apostoli.
2 Vigilia Nativitatis S. Ioannis Baptistae (23. Iunii).
3 Die S. Thomae apostoli (21. Decembris). 4 Vide supra p. 716.
5 Romanum quoque Missale die S. Catharinae hoc habet evangelium.

operam expetunt. Jesuitas enim in necessitate esse bonos auxiliatores dixit ipsemet Serenissimus Archidux noster"[1] (ex autogr.; l. c. f. 199[a]).

Anno 1717 ecclesia, in qua Canisius orationes hasce habuerat, destructa et eius loco ecclesia parochialis S. Iacobi, quae nunc exstat, exstrui coepta est (*Tinkhauser* l. c. II 99).

Quam praeclare Canisius oratoris sacri munere variis locis functus sit, optime explicat *E. Morand*, La prédication du B. P. Canisius, in libro imaginibus pulcherrime illustrato „Quatrième Centenaire de la Naissance du Bienheureux Pierre Canisius", Fribourg, Suisse 1921, 107—120.

1170. 14. Novembris 1574.

Ex commentario a Canisio ipso recognito. Can. 34 f. 68[b]—69[b].

Canisius Oeniponte e sacro suggestu monet, magistratibus civilibus deberi honorem, orationem, oboedientiam.

Canisius, cum 14. Novembris 1574, quae erat Dominica XXIV post Pentecosten, Oeniponte in ecclesia parochiali verba illa Salvatoris: „Reddite quae sunt Caesaris, Caesari: et quae sunt Dei, Deo" (Mt 22, 21) e sacro suggestu interpretaretur, haec, praeter alia, dixit: Wass soll man aber dem Kaiser vnd seinen Ambtleuthen, die gewalt vber vnss haben, geben vnd zalen. Ehrstlich sein wir schuldig sie ehrlich zuhalten, das wir nit allain im reden, sondern auch im werckh Jre ehr vnd reputation mehr furdern, dann verkhlainern, Jm hertzen sie lieb haben, vnd groß halten, dieweil sie von Gott erwölt, berueft vnd gezieret sein mit dem grossen gewalt vber vnsern Leib[a], hab vnd guet zu regiern, mit dem schwerdt vmbzughen wider die vngehorsame, den gemainen frieden vnd[b] nutz zuerhalten vnd zubestettigen. Sein vnsere Richter, Ja auch Götter, wie sie die schrifft nennt[2], die für vns vnd die vnsern zusorgern vnd zuwachen, auch in friden vnd vnfriden die vnderthonen zuschützen vnd zuschirmen haben. Wer wolt dann Jnen nit die zeitliche ehr gunnen vnd laissten, dieweil sie vnss so vast nutz, Ja auch vonnötten sein, sollen wir gutte Policej haben, die vnsern im friden erhalten vnd sicher vor den feinden vnd boshafftigen leben.

2. Muessen wir dem Kaiser vnd allen Christlichen Obersten zustellen das gebett gegen Gott dem almechtigen, wie dann auch Paulus befolchen[3], vnd die Christenhait alzeit gethon, vnd die nodturft auch erfordert, wellen wir frombe[c], geschickhte, fridsame, weise vnd tugentreiche Obersten haben vnd erhalten, vnd dainnen khan sich nun khainer entschuldigen, dieweil wir sonst fur alle Christen zubetten haben, vnd vnser lieb auch gegen den feinden erzaigen vnd für sie betten sollen[4].

3. Nit weniger will Christus auch beraite vnd willige gehorsame haben gegen den Obersten, waß sie vnß mandiern vnd beuelchen, souern es wider Gott vnd das heil der Seeln nit strebet. Denn gleich wie Gott hat gewalt vnd authoritet geben aatzung vnd ordnung zumachen, guette Policej furzeschreiben, vnd den gemainen nutz durch[d] allerlej einsetzung vnd befelch zufurdern, also will Gott auch das die vnderthonen in dem allen sich gehorsamlich erzaigen, wie dann das vierdte Gebott clerlich anzaigt[5]. So hat man auch Exempel genug, wie Gott straf die auffrüerischen, widerspenige vnd zwispalter, vnd alle, so sich wider die gesetzte Oberkhait auffwerffen haimblich oder offentlich, Jst darumb ain grosser, grober, vnchristlicher vnd vnleidlicher irrthumb der Widerteufer, welliche vnder dem schein Christlicher freihait sich entschuldigen der gehorsam, auch khein oberkhait vnd gewalt des schwerdts leiden wellen.

a) *Sequitur* guet, *oblitt.* b) *Sequitur* handthaben, *oblitt.* c) *Sequitur* vnd, *oblitt.* d) *Sequitur* gutte, *oblitt.*

---

[1] Ferdinandus II. [2] Cf. Ps 81, 6; Io 10, 34.
[3] Cf. 1 Tim 2, 1 2. [4] Cf. Mt 5, 44; Lc 6, 28.
[5] Cf. Ex 20, 12; Dt 5, 16 etc.

1171. 1574—1576.

Canisii „Summa" a Villalpando hispanice redditur et uxori „secretarii status" Philippi II. dedicatur.

„Suma de doctrina | Christiana, | Que compuso en Latin el Dotor Pedro Canisio, y traduxo | en lengua Castellana el | Dotor Gaspar Cardi- llo de Villalpan- | do ITEM VNA DECLARA ciō del psalmo Miserere mei. | *A LA ILLVSTRE SEÑO- ra doña Iuana Coello, muger del Il- | lustre señor Antonio Perez del | Consejo de su Magestad, y su secretario de estado* | IESVS EST SPES MEA, Si quid mirabere, pones inuitus. | Reddituro, satis. | EN ALCALA, | En casa de Juan de Lequerica · 1576." Fol. 175[b]: „EN ALCALA En casa de Juan Iñiguez de | Lequerica · Año 1574."

12°; ff. sign. 175; praeterea ff. non sign. in initio 8 (addito titulari) et in fine 1; f. 2. (non sign.) excudendi facultas a Philippo II. Hispaniae rege Matriti 21. Augusti 1574 doctori Villalpando, canonico ecclesiae collegialis Sancti Iusti in urbe complutensi (Alcalá de Henares), data ea cum condicione, ut liber ex archetypo a Consalvo Pumareio scriptore camerae subscripto ad amussim exprimatur et, cum excusus sit, primum ad consilium regium deferatur, et ut ab hoc, quanto pretio singula libri exempla vendi liceat, constituatur; subscripta sunt haec consiliariorum regiorum nomina: „D. [Didacus de Covarrubias et Leiva] Episcopus Segobien. El licenciado Juan Thomas. El licenciado Rodrigo vasquez Arze. El doctor Francisco de Guadillo. El doctor don Iñigo de Cardenas çapata. El licenciado Couarruuias"; dein subscripsit: „Gonçalo Pumarejo escriuano de camara de su Magestad"; f. 3[a]—7[a] (non sign.) litterae dedicatoriae; quae, quia haud exigui sunt momenti ad historiam Canisii et catechismorum eius illustrandam, ponentur infra, monum. 1198; f. 7[b]—8[a] (non sign.) haec Villalpandi (de quo plura infra, monum. 1198) praefatiuncula, ex qua intellegitur, cur hic liber, anno 1574 excudi coeptus, in lucem emissus non sit ante a. 1576: „Al letor el dotor Villalpando. Estando solicitando licencia para imprimir esta dotrina Christiana, entendi que venia emendado y añadido el original de mano de su primer autor[1]. Luego lo procure leer, y leydo y cotejado con el que yo segui, quando lo traduxe, vi que era menester hazer de nueuo la traducion casi toda. Lo qual yo hize desocupando me de otros negocios. I aunque me costo poco menor trabajo que el que primero me auia costado, oso dezir que no me ha pesado dello, por conocer, como conosco, el fruto que se podra de aqui traer, por auerse añadido de nueuo muchos capitulos enteros, y en cado vno de los que antes auia, yr añadidas muchas cosas muy importantes: de suerte que ningun capitulo dexa de yr acrecentado, y aun mejorado. Porque todo lo que de nueuo se añade es dotrina muy escogida: y muy a proposito destos tiempos tan necessitados y miserables. De todo este trabajo que yo he tomado por ti, no quiero otro premio, sino que te aproueches del, y me encomiendes a Dios"; f. 8[b] (non sign.) imago pueri Jesu; deinde f. 1[a]—165[a] catechismus; f. 165[b]—167[a] institutio ad sacramentum paenitentiae rite suscipiendum; f. 167[b]—175[b] paraphrasis sive explicatio psalmi Miserere a Villalpando composita. In folio ultimo (non sign.) libri: „Ley esta suma de dotrina Christiana, compuesta por el Dotor Canisio, y trasladada por el Dotor Villalpando: es libro catholico, y la dotrina que trata es vtil y necessaria para todos Christianos: este libro es digno de ser impresso. De San Francisco de Madrid, a .18. de Enero de .1574. Fray Francisco de Cordoua." Sequitur altera approbatio, eaque prioris valde similis „De nuestra Señora de Atocha, a .VII de Mayo de .1574. Fray Hernando de Castillo". Franciscus ille Cordubensis, ordinis Minorum (regularis Observantiae), aliquamdiu

[1] Summam doctrinae christianae dicit a Canisio emendatam et amplificatam, quae primum a. 1566 Coloniae in lucem prodiit: v. *Can.* V 804—806.

in Austria Mariae, uxori Maximiliani II. et sorori Philippi II., a sacris confessionibus fuerat; deinde confessarium Annae Austriacae, reginae Hispaniae, egit; idem a. 1563 Canisii collega fuerat in coetu theologorum, quos Ferdinandus I. imperator, ut sibi in rebus concilium tridentinum spectantibus consilia praeberent, Oenipontem arcessiverat; saepe ibidem a Canisio dissenserat et aliquando eum per litteras ad caesarem detulerat (*Can.* IV 50 164 174—175 177 230 952 978). Ferdinandus autem de Castillo in ordine Praedicatorum virtute et doctrina excellebat.

Libri exemplum est in bibliotheca matritensi „de san Isidoro"; alterum exemplum in bibliotheca monasterii escuriacensis O. S. Aug. (Escorial) servatur (21. V. 28). Editionem posuit *Sommervogel* l. c. II 631. Cf. etiam *Juan Catalina García*, Ensayo de una Tipografía Complutense, Madrid 1889, 159.

1172. 1575.

Ex autographo, posito in Cod. „Matricvle Vniversit. . To. secvndvs"; qui est Monachii in archivo universitatis, D. v. 3.

Laudes Canisii.

In albo sive matricula universitatis ingolstadiensis die 10. Octobris 1550 inscriptus est Canisius (v. Can. I 697); aliquanto autem post huic inscriptioni haec adnotata sunt:

Ex societate Iesu. Vir placidissimorum morum, summae eruditionis ac rarae pietatis.

Frid. Martinj.

Fridericus Martini († 1630), iuris utriusque doctor, ex Hainstadt prope Offenbacum ortus, in universitate ingolstadiensi, ad quam sub a. 1565 accessisse videtur, primum (1573—1578) philosophiam, deinde ius civile, tandem ius canonicum tradidit; anno autem 1589 Friburgum Brisgoviae profectus, in ea quoque universitate canones interpretatus est; Ingolstadii semel (1575), Friburgi novies fere rectorem egit; multis quoque scriptis rem canonicam illustravit (*Mederer* l. c. I 294; II 8 16 51 150; *Schreiber* l. c. II 367; *Herm. Mayer*, Die Matrikel der Universität Freiburg i. Br. von 1460—1656, I, Freiburg i. Br. 1907, 639). Quia universitatum matriculae apud rectores erant, et Martini uno illo anno 1575 Ingolstadii rectorem agebat, verisimile est, eum a. 1575 haec scripsisse. Quod testimonium singularem vim habet eo, quod a. 1573 aliqui de Societate, qui in universitate ingolstadiensi philosophiam docebant, magnopere studuerant impedire, ne Martini in facultatem illam philosophicam reciperetur (*Prantl* l. c. I 256—257; I 290—292).

1173. 1575.

„Parvus Catechismus Catholicorum" iterum latine editur Antverpiae (bis), Dilingae (bis), Mediolani.

1. „INSTITVTIONES CHRISTIANAE PIETATIS SEV PARVVS CATECHISMVS CATHOLICORVM. Auctore D. PETRO Canisio, Societatis IESV Theologo. *Accessere Preces orariæ de æterna Dei sapientia, Iesu Christo Domino nostro, cum pijs quibusdam & Christianis exercitationibus.* ANTVERPIAE. Apud Ioannem Bellerum ad insigne Aquilæ Aureæ. M. D. Lxxv." In pagina postrema: „Typis Aegidij Radaei 1575".

16°; pp. sign. 163; praeterea in initio ff. non sign. 13 (addito titulari) et in fine 1 pag. non sign. In pagina altera folii titularis versus ad Christianum Lectorem „Vis cognoscere — videre Regis" et ad Christianorum pueros „Frustra Christicolae — praemia larga feret" (cf. *Can.* III 777); f. A 2 Praefatio Canisii „Exiguum est opus hoc — amici sparserunt, Augustae Vindelicorum", sine anno (cf. *Can.* III 777); f. A 3^a—A 5^b edictum Ferdinandi I. Vindobona 10. Decembris 1560 datum (v. *Can.* I 752—754); f. A 6^a—B 5^r Calendarium; p. 1—64 catechismus; p. 65—73 testimonia sacrae Scripturae contra haereticos et 3 sententiae „S. Augustini" ex libro de fide ad Petrum exscriptae: p. 73—103

preces horariae de aeterna Dei Sapientia; quibus adnotatur, eas ab Henrico Susone ante 200 annos compositas esse et dignas, quae ab omnibus litterarum studiosis cotidie recitentur; p. 103—163 „Meditationes quotidianae“ de virtutibus Christi; preces mane, meridie, vesperi faciendae; S. Thomae Aquinatis oratio, ante litterarum tractationem recitanda; 7 precationes ante scholam recitandae (quas *Can.* V 823 dixi). In pagina postrema: „Hae meditationes piae admodum sunt deuotae: Ideoque dignae quae populo proponantur, quod attestor Siluester Pardo S. Theologiae Licentiatus, Cathed. Ecclesiae Ant. Canonicus.“ Liber hic plus 50 imaginibus ligno incisis ornatus est, iisque tertias fere paginarum singularum partes occupantibus; quarum complures symbolicae sunt; velut cum pro fide mulier ponitur parvum templum una manu, altera librum apertum (sacrae Scripturae) tenens, ad cuius pedes Muhamedus prostratus est; et septem sacramenta totidem vasa grandia sunt, in quae ex latere Christi cruci affixi radii instar sive sanguis sive gratia prosilit atque effluit; unumquodque autem vas, praeter baptismum, in manibus est vel episcopi alicuius vel sacerdotis.

Librum vidi Augustae Vindelicorum in bibliotheca urbis. Eum breviter commemoravit *Sommervogel* l. c. II 636; idem ab eo parum accurate iam positus erat l. c. 624 ultimo loco („Catechismus Catholicus“ etc.).

2. „INSTITVTIONES | CHRISTIANAE | PIETATIS, | SEV | PARVVS CATE- | CHISMVS CATHO- | LICORVM, | Autore Petro Canisio Societ. | Iesu Theologo. | *Preces horariæ de æterna Dei* | *Sapientia.* ANTVERPIAE, | Ex officina Christophori Plantini. | M. D. LXXV. | CVM PRIVILEGIO.“

Tituli versus 1, 2, 3, 5, 6, 7, 10, 11, 12, 14 rubri sunt; 12°; pp. sign. 96: praeterea ff. non sign. 8 (addito titulari); titulum sequitur Calendarium; Precibus horariis additae sunt „Meditationes quotidianae“ de virtutibus Christi, „orationes in schola quotidie ante lectionem dicendae“ etc. (cf. supra n. 1); in extremo libro summa brevis privilegii Bruxellis Plantino ad 4 annos de hisce „Institutionibus“ concessi.

Librum vidi Coloniae in bibliotheca urbis. Eiusdem brevem mentionem fecit *Sommervogel* l. c. II 636.

3. „INSTITVTIONES | CHRISTIANÆ | PIETATIS, | SEV *[etc., ut in editione anni 1572: vide supra p. 610]* | DILINGÆ. | Excudebat Sebaldus Mayer. | M. D. LXXV.“

Reliqua, ut in editione, quam modo dixi.

Librum vidi Pragae in bibliotheca Patrum Cruciferorum cum rubea stella; idem exstat Maihingae in bibliotheca principum de Oettingen-Wallerstein, et breviter commemoratur a *Sommervogel* l. c. II 636.

4. In „Hortulo“ quoque Dilingae a. 1575 iterum edito Canisii „Institutiones“ excusae sunt; v. infra, monum. 1177.

5. „CATECHISMVS | CATHOLICVS. Iuuentuti formandæ hoc seculo quàm | maximè necessarius. | Authore D. Petro Canisio Doctore | Theologo Societatis Iesv. | ACCESSERE | Preces Horariæ de æterna Dei sapientia, | Iesu Christo Domino nostro, cum | pijs quibusdam, & Christianis | exercitationibus. | MEDIOLANI, *Apud Paulum Gottardum Pontium.* | M D LXXV.“

16°; ff. sign. 79 (addito titulari); in pagina altera folii titularis versus „Christianorum pueris · Frustra Christicolae“ etc. (cf. supra n. 1); f. 2 Pontii (qui erat typographus archiepiscopalis, ut olim ex Clarissimo Domino Doctore Achille Ratti, qui nunc est Summus Pontifex PIUS XI, accepi) praefatio ad christianam iuventutem (tempore non ascripto); sequitur Parvus Catechismus Catholicorum: f. 31^b—50^b Preces horariae; f. 51^a—74^a Meditationes quotidianae de virtutibus Christi, S. Thomae Aquinatis oratio „Creator ineffabilis“, preces vespertinae; f. 74^b—79 testimonia sacrae Scripturae adversus haereticos et tres sententiae „S. Augustini“; neque vero liber habet indicem rerum.

Librum vidi Mediolani in bibliotheca ambrosiana (G. B. VI 71). Eum brevissime parumque accurate memoravit *Sommervogel* l. c. II 636.

6. Coloniae quoque a. 1575 Canisii „Institutiones christianae pietatis“ editas esse affirmat *Koecher* l. c. [v. supra p. 693] 53. Neque vero quisquam eorum, qui

„Catalogum“ vel „Bibliothecam“ Scriptorum Societatis composuerunt, eam editionem novit; neque ego eam vidi. Suspicor autem, Koecherum existimasse, Melchioris Bruni catechismum a. 1575 Coloniae editum (de quo infra, monum. 1175) idem esse opus atque Institutiones canisianas.

1174. 1575.

Catechismus minimus (?). „Beicht- und Communion Büchlein“ (?).

De Backer haec habet: „Petri Canisii Kurtzer Catechismus, auch underricht von der Beicht, unnd wie man sich in empfahung dess hochwürdigen Sacraments halten soll. Dilingen, 1575, 6e édition“: Bibl. I 1061. Quae *Sommervogel* censuit esse praetermittenda; et reapse haec est pars editionis sextae libri „Betbuch vnd Catechismus“, de qua dicetur infra, monum. 1176. Nec tamen diffiteor, fieri potuisse, ut haec pars, quo facilius emi et usurpari posset, seorsim quoque ederetur: et fortasse hic libellus est idem atque ille, quem *Sommervogel* sic posuit: „Beicht- und Communion Büchlein, 1575, 12°“ (l. c. VIII 1980); et hunc libellum, etsi nusquam vidi, facilius tamen credo olim esse vulgatum, apposito Canisii nomine, sive operam ipse in eum contulit, sive non contulit; ceterum vide, quae ea de re copiose adnotata sunt editioni huius libelli a. 1569 factae, *Can.* VI 679—681, et confer infra, monum. 1195.

1175. 1575.

Melchioris Braun compendium catechismi canisiani.

In [Georgii Vuilleri bibliopolae augustani] „*Catalogo* novo, ex nundinis vernalibus Francofurti ad Moenum, Anno M. D. LXXV. celebratis“, Franckfurt am Mayn 1575 [1] f. D III^{b} comparet: „1575. Der klein Catechismus, gezogen auß dem grossen, so durch befelch Röm. Key. Mt. gestellet, sampt kurtzem Gebetlein vnd Christlichem Vnterricht von den Heiligen Sacramenten der Buß vnd deß zarten Fronleichnams Jesu Christi, beschrieben durch Herrn Melchiorem Brün [1], Priestern. 16. Getruckt zu Cöln durch Maternum Cholinum.“ Neque dubium esse potest, quin hic catechismus sit compendium quoddam Catechismi canisiani sive maioris („Summae doctrinae christianae“), sive minoris („Parvi Catechismi Catholicorum“); uterque enim, cum iussu atque auctoritate Ferdinandi I. et scriptus et in multarum scholarum usum inductus esset ac primis annis sine auctoris nomine in lucem prodisset, „catechismus caesareus“ nonnunquam vocabatur (v. *Can.* I 751).

Melchior Braun, qui Coloniae collegialis ecclesiae SS. Apostolorum canonicus, decanus, parochus, deinde ibidem parochus ad Martini „minoris“ fuit, duos quoque alios libros edidit; v. *Hartzheim*, Bibl. Col. 247 352.

1176. 1575.

Canisio curante ipsius Precationes germanicae Dilingae sextum eduntur, cum catechismo minimo.

„Betbůch vnd | Catechismus. Nach rechter Catholi- | scher form vnnd weiß, jetzt | zum sechßten mal in Truck | außgangen. | Durch | Petrum Canisium der H. | Schrifft Doctor, ꝛc. letstlich | gemehrt vnd vast | gebessert. | Mit Röm. Kay. Mayest. Freyheit. Getruckt zů Dilingen, durch | Sebaldum Mayer. 1575.“

Tituli versus 1, 3, 8, 9 (usque ad „etc.“ incl.), 13, 14 rubri sunt; 12°; ff. sign. 391; praeterea ff. non sign. in initio 46 (addito titulari) et in fine 10; in pagina aversa folii titularis: „Tobiae III. Sit Nomen tuum Devs Israel benedictum in saecula“; deinde imago nominis Iesu radiis cincta; cui haec subscripta sunt: „Dein NAM, O GOTT Israel, sey gebenedeyt in ewigkeit“; f. A 2^{a}—A 3^{a}: „D. Canisij Vor-

---

[1] Sic quidem catalogus ille; sed vidi libellum ab eodem illo Melchiore a. 1582 Coloniae editum, in cuius folio titulari ipse „Melchior Braun“ vocatur.

red", sine loco et tempore: incipit: „Diß Betbuch sampt dem Katechismo wird jetz zum sechsten mal getruckt"; id autem fieri, ut multorum et bonorum hominum petitionibus satisfiat; propterea integrum librum a se esse recognitum, melius dispositum, amplificatum, emendatum etc.; ut in editione anni 1568 (*Can.* VI 669); f. 𝔄 3ᵇ—𝔅 8ᵇ Kalendarium cum variis institutionibus ad dies sacros etc. spectantibus; f. 𝔈 1ᵃ—𝔈 2ᵃ prooemium quoddam catechismi; f. 𝔈 2ᵇ: „Catechismus Jn kurtze Frag vnnd Antwort gestellt, für die gemainen Layen, vnd junge Kinder sehr dienstlich" (qui est catechismus Canisii minimus); titulo supposita est imago ligno incisa patrisfamilias ad mensam, in qua liber positus est, sedentis; reliqua ut in editione anni 1568; f. 𝔈 3ᵃ—𝔇 7ᵃ quaestiones catechismi; f. 𝔇 8ᵃ—𝔉 1ᵇ symbola nicaenum, athanasianum, tridentinum germanice reddita; f. 𝔉 1ᵇ—𝔉 6ᵇ sententiae sacrae Scripturae et S. Augustini ad catholicam fidem confirmandam utiles; sequitur liber precationum, usque ad f. 391ᵇ; deinde eiusdem index. Totus liber figuris marginalibus et variis imaginibus ornatus est, similiter atque in editione anni 1568 factum erat.

Librum vidi Londini in Museo britannico; idem exstat Berolini in bibliotheca nationali et Friburgi Helvetiorum in bibliotheca reipublicae. Editionem posuit *Sommervogel* l. c. II 628 et VIII 1977.

1177. 1575.

Dilingae „Hortulus Animae" latinus, 1563 Canisii opera, ut videtur, editus, iterum vulgatur, cum eiusdem „Parvo Catechismo".

Reverendus Pater *Antonius Weis*, Ordinis Cisterciensis, monasterii runensis (Reun, in Stiria) bibliothecarius, humanissime me certiorem fecit, in bibliotheca sua exstare hunc librum:

„Hortulus | ANIMÆ | *Suauissimis floribus refertus* IN QUO OFFICIUM BEA- | *tæ Mariæ, et defunctorum, ac septem Psal* mi Poenitentiales et Graduales, atq. | Officium quinq. Plagarum, et alia quam plurima sunt posita. Cum facultate Superiorum. DILINGÆ, | Excudebat Sebaldus Mayer. MDLXXV."

Versus 1, 2, 4, 5, 11, 13 rubri sunt. In pagina titulari est imaguncula ligno incisa Beatae Mariae Virginis puerum Iesum in manu sinistra gestantis et lucis radiis circumfusae, ad cuius pedes luna cernitur dimidiata. 16°; ff. sign. 265; praeterea ff. non sign. in initio 28, addito titulari (A 1—D 4) et in fine 2. Titulum sequitur Calendarium; f. 11ᵃ (non sign.) imago Beatae Mariae Virginis coronam regiam in capite et puerum Iesum in manu dextera gestantis ac lunae dimidiatae insistentis; f. 11ᵇ—12ᵃ (non sign.) Tabula festorum mobilium ab a. 1571 ad 1589; f. 12ᵇ—28ᵇ (non sign.) „Institutiones Christianae Pietatis Autore D. Petro Canisio Societatis Iesu Theologo"; f. 1ᵃ signato incipiunt precationes hac ratione: „Primum Officium ad Honorem Gloriosae Virginis Mariae"; cuius pars illa, quae inscripta est: „Officium Beatae Mariae dicendum a die post Purificationem usque ad Vesperas Sabbati ante primam Dominicam Adventus" cum Horis Marialibus a S. Pio V. a. 1571 reformatis (v. *Can.* VI 485) adeo congruit, ut pateat, editorem Horis illis usum esse; „Officium" totum multis imaginibus ligno incisis iisque satis elegantibus ornatum est; litterarum aliae nigrae sunt, aliae rubrae; f. 59ᵃ (sign.): „Septem officia per totam hebdomadam completa et per Ioannem Papam XXII. (ut scribitur) ordinata. Nota quod in die Dominico dicitur de Trinitate. Die Lunae de mortuis. Die Martis de sancto Spiritu. Die Mercurii de omnibus Sanctis. Die Iouis de corpore Christi. Die Veneris de cruce. Die Sabbathi de nostra Domina"; f. 130ᵇ ad 137ᵃ (sign.) Preces horariae de aeterna Dei sapientia; f. 265ᵇ (sign.) et 2 ff. postrema (non sign.) complectuntur „Tabulam eorum, quae in hoc hortulo animae multis aucto et referto orationibus habentur"; nec vero ulla praefatio in libro hoc posita est.

Haec igitur videtur esse nova editio latini illius „Hortuli", qui Canisio, ut videtur, curante vel operam conferente Dilingae a. 1563 (*Can.* IV 995) et iterum, ut

videtur, ibidem 1572 (v. supra p. 643) excusus est; atque is a germanico illo „Seelen Garten", a. 1563 Canisii opera Dilingae excuso (*Can.* IV 991) et a. 1572 (?) et 1574 ibidem iterum edito (supra p. 700) nonnihil differt. *Sommervogel* eum non posuit.

1178. 1575.

„Epistolae et Evangelia, quae per totum annum, secundum Missale Romanum, ex decreto sacrosancti Concilij Tridentini restitutum, in Ecclesia leguntur: locis Bibliorum ad marginem adiectis, et quarundam vocum obscuriorum interpretatione. Praefixa sunt Summaria, seu Argumenta, in easdem Epistolas, ac Euangelia per D. Petrum Canisium, Societatis Iesu, Theologum confecta: exceptis paucis, quae aliunde petuntur. . . . Duaci Excudebat Lodouicus de Vvinde. Anno 1575". 8°; pp. 500.

Librum vidi Antverpiae in Museo Plantiniano. *Sommervogel* eum non posuit.

1179. 1575.

„D. Hieronymi Epistolæ, cum præfatione Petri Canisii S. J. Lovanii, 1575, 12°, pp. 510." Ita *Sommervogel* l. c. VIII 1980. Editionem hanc non vidi. Ceterum cf. supra p. 645.

1180. 1575.

Canisium antiquam „Vitam Christi" neque 1575 neque alias edidisse.

In libello periodico „Unschuldige Nachrichten von Alten und Neuen Theologischen Sachen . . . verfertiget von Einigen *Dienern des Göttlichen Wortes*", Leipzig 1712, 369—370, haec proferuntur: „Das Leben Christi und seiner gebenedeyten Mutter Mariae. Dillingen, 1617. 8. von 2. Alph. 2. B. Dieses Werck soll von einem alten Lehrer auffgesetzt und von P. Canisio erneuert worden seyn: Adam Walasser aber hat es ins deutsche ubersetzt. Es soll eine zur Meditation dienende Harmonie der 4. Evangelisten seyn, ist aber durchaus mit Fabeln vermischet" etc. Deinde *Theodorus Wiedemann* affirmavit: Librum „Das leben vnsers erledigers Iesu Christi" primum Norimbergae a. 1514 typis Ioannis Stuchs vulgatum esse. „Canisius erneuerte es 1575 zu Dillingen. Die letzte Dillinger Ausgabe erschien 1617. 8°": Die kirchliche Bücher-Censur in der Erzdiözese Wien, in „Archiv für österreichische Geschichte" L, Wien 1873, 251 [7]. Inde haec transcripsit, cum aliqua tamen dubitatione, *Sommervogel* l. c. II 675—676. Neque tamen equidem in ullo saeculi XVI. vel XVII. monumento memoratum inveni, Canisium hanc vitam Christi edidisse. Constat vero, Dilingae a. 1573 a Sebaldo Mayer excusum esse librum: „Vita Christi · Das Leben unsers Erlösers und Seligmachers Jesu Christi, auch seiner gebenedeyten Muter und reinen junckfrawen Marie. Vorzeiten durch einen andächtigen und geustlichen Lehrer auß beschreibung des heiligen Evangelii und der alten bewerten Kirchen Lehrer zusamen gezogen und jetzt durch *Adam Walasser* ernewert, gebessert und gemehrt." Ita clar. Dr. *Nicolaus Paulus*, Adam Walasser, ein Schriftsteller des 16. Jahrhunderts, in „Der Katholik", 75. Jahrg. II, Mainz 1895, 463—464. Qui etiam notat, eundem librum postea editum esse Dilingae 1617 1623, Pragae 1603. Monachii 1644 1654 1655 1671 1682, Coloniae 1657, sine loco 1595 1601 1605, Praeterea ipse vidi Friburgi Brisgoviae in bibliotheca universitatis librum: VITA CHRISTI. Das Leben vnsers Erlösers vnd Seligmachers JESV Christi, auch seiner gebenedeyten Mutter . . . durch Adam Walasser ernewert, gebessert, vnd gemehret. . . . Gedruckt zu Dilingen, durch Johann Mayer. M. D. XCIII.": exstant in hac editione *Adami Walasseri* (de quo *Can.* III 791—792: VI 690—691) litterae dedicatoriae ad nobilem virum Ioannem Udalricum a Schellenberg in Kisselegg Dilinga Kalendis Ianuariis 1573 datae, in quibus ille narrat, librum hunc olim a docto aliquo Franciscano sine eius nomine compositum, modo a se emendatum et amplificatum esse tum ex opere Ludolphi (a Saxonia) Cartusiani, tum ex hominum doctorum consiliis („nach gutem raht gelehrter Leut"); quamvis vero probabile sit, Canisium ex horum numero fuisse, certe ex Canisii operibus haec „Vita Christi" eximenda est.

Ceterum quanti *Canisius* lectionem vitae Christi fecerit, intellegitur ex hoc *commentariolo, quem ille in libello suis usibus destinato (circa a. 1570—1590?) scripsit: „Necessaria religioso: 1 Liber paratus ad manum, siue doct sit, siue indoctus, perfectus aut imperfectus. Liber is est uita Christi, et solus sufficere posset ad sapientiam et uirtutem omnem et ueritatem addiscendam. 2 Opus pennis ad uolandum. Si alte uolare nequis quia pennis cares, mane ut pullus sub alis gallinae[1] id est incarnatae sapientiae, et abde te quiescens . . . in eius humani e. Hic portus in hoc mari nauigantium · tu uoluntatem bonam et resignatam sem (ex autographo; Can. 9 f. 82b).

1181. 1. Ianuarii 1575.

Ex contionis commentario ab ipso Canisio recognito et emendato. Can. 35 f. 66. Ex eodem commentario haec vulgavit *Schlosser* l. c. 181—184[2].

Canisius Oeniponte in ecclesia parochiali se suosque purgat ac tuetur, quod „Iesuitae" et „Societas Iesu" appellentur.

Canisius, anno 1575 Kalendis Ianuariis, qui dies memoriae divini infantis circumcisi et nomine Iesu ornati sacer est, Oeniponte in ecclesia parochiali pro contione dicens, adversus eos, qui nomina „Iesuitarum" et „Societatis Iesu" impugnabant (e quorum numero erat P. Ioannes Nasus O. Min. Ferdinandi II. archiducis contionator aulicus; v. supra p. 175) se suosque sodales defendit: An fideles possint ab hoc nomine appellarj? Jn Ecclesia primitiua, qui credebant Euangelio ab Apostolis praedicato, primum dicebantur discipulj[3], Et in Antiochia dictj primum Christianj teste Luca[a][4]. quia a Christo summo sacerdote uncti ut sint reges et sacerdotes spirituales[5]. De nullo vero legimus, quod in nouo Testamento ausus fuerit [se] IESVM vocare, et hoc sanctum nomen sibi appropriare. Cur igitur quidam se Jesuitas appellant? 1° Jn Christianitate non scio vllos, qui hoc nomen sibi tribuant. Quod autem ad nostros attinet, non possumus obdurare hominibus os, quin nos appellent sicut velint ex suo arbitratu, siue laudent, siue vituperent, siue bona, siue mala intentione. Bonj debent esse certj quod nostrj nunquam hoc nomen sibj imposuerint, neque etiam sibj[b] tribuj cupiant a quoquam. Quod autem de Societate nominis IESV dicamur, nullus prudens potest et debet aegre ferre, quum etiam alij multj reperiantur, qui de Societate Christj et nominis Dej apud Catholicos appellentur, praesertim in Hispania et Italia[c], immo a Spiritu sancto, a Trinitate, et fratres b. uirginis[6], atque ita non est hoc

a) *Duodecim vv. sqq. a Can. ipso in margine addita sunt.* b) *Hoc v. supra versum scriptum est.* c) *Decem vv. sqq. a C. in margine addita sunt.*

[1] Cf. Mt 23, 37.

[2] Schlosser orationum a Canisio in templo ad populum habitarum capita aliqua ita in libro suo posuit, ac si orationes illae domi ad Socios solos habitae essent.

[3] Cf. Act 6, 1 2 7; 9, 10 19 25 26 etc.

[4] Cf. Act 11, 26. [5] Cf. 1 Petr 2, 5 9.

[6] Ordo Sanctissimae Trinitatis, Hospitalarii domus Dei (Hôtel-Dieu), Ordo S. Salvatoris (birgittinus), Congregatio S. Salvatoris (bononiensis), Ordo equestris militum Christi, Militia Jesu Christi (fratres tertiarii ordinis Praedicatorum, in Italia orti), Jesuatae, Collegium Boni Jesu (Ravennae), Ordo S. Spiritus in Saxia,

nouum et suspectum habendum. 2. Libenter manemus in hoc nomine magis ex humilitate, quam vlla praesumptione[a] nullum excludentes sed accipientes nomen hoc simplex, quo Christj fideles omnes gloriarj possent, quia omnes Ecclesiae filij sunt de Societate IESV. Vnde de illis dicit Paulus: Fidelis Deus per quem vocatj estis in societatem filij eius Jesu Christj dominj nostrj[1] I Cor. 1. Et I Joann. 1. So[illegible]stra sit cum Patre et cum filio eius JESV Christo[2]. Praefi[illegible] videt quod ipsa Scriptura declarat hoc nostrum nomen esse commune [illegible]ium aliorum, qui Christianj vocantur. Cur igitur hoc nomen nobis proprium facimus?[b] 1° Si aliud nomen ab homine accepissemus, vt Benedictinj, Dominicanj, Franciscanj, dixissent multj nos facere contra Paulum qui non vult vnum dicere Jch bin Paulisch etc.[3] 2°[c] Quia sic placuit Regentj Ecclesiae summo pastori et[4] Concilio Trident.[5] vt haec Societas ab alijs spiritualibus hominibus melius dignosceretur, et magis confirmaretur. 3[d] Vt ex hoc nomine nostri magis se ipsos moneant officij sui[e] ne nomen domini propter illos blasphemetur[6] sed honoretur et sanctificetur[7] 2 ut excitentur ad ambulandum in uestigijs Christi, 3 ut eius uerbum praedicent, eius simplicitatem et charitatem amplectantur, eius Ecclesiam defendant [et] cogitent de suo principe[f] saepius, cui[g] debeant obedire et seruire, nempe Christo qui factus est nobis via, veritas et vita[8], et se ipsum nobis exemplum praebuit, vt ipsum in castitate, paupertate et obedientia ad mortem vsque sequamur[9]. Et de quo Paulus dicit Heb. 12. Vt per patientiam curramus ad propositum nobis certamen, aspicientes in authorem fidej et consummatorem JESVM, qui proposito sibi gaudio sustinuit crucem[10]. 3. Jta magnam nobis praebet confirmationem et consolationem in hoc statu, quum[h] hoc nomine excitamur ad perfectiorem vitam et sanctam patientiam[i], prae-

a) *Tria vv. sqq. a C. supra versum scripta sunt.* b) *Quae sequuntur, usque ad* Paulisch etc., *in margine a librario scripta sunt.* c) 1° *comment.* d) 2. *comment.*, e) *Quae sequuntur, usque ad* Ecclesiam defendant *incl., a C. ipso in margine addita sunt.* f) *Ita C. ipse correxit ex* cogitent cuj principj. g) *Ita C. correxit ex* magistro maximo. h) *Sequitur* ex, *oblitt.* i) *Sequitur* in, *oblitt.*

Congregatio S. Spiritus (veneta), Canonissae S. Spiritus, Fratres Beatae Mariae Virginis de Monte Carmelo (Carmelitae) (*Petr. Ribadeneira* S. J., De ratione Instituti Societatis Iesu, transl. a *Laur. Carli* S. J., Romae 1864, 43—44 48; *Max. Heimbucher*, Die Orden und Kongregationen der katholischen Kirche I², Paderborn 1907, 433; II², Paderborn 1907, 31—33 45 82—83 240—241 263—268 535—580).

[1] 1 Cor 1, 9. [2] 1 Io 1, 3. [3] Cf. 1 Cor 1, 12 13.

[4] Paulus III. in bulla Roma 27. Septembris 1540 data approbaverat „formulam instituti", quae incipit: „Quicumque in Societate nostra, quam Iesu nomine insigniri cupimus, vult sub crucis vexillo" etc. Deinde eam vocaverant „Societatem Iesu": Paulus III., Iulius III., Pius IV., S. Pius V., Gregorius XIII. in variis Bullis et Brevibus ab a. 1545—1573 datis (*Litterae* apostolicae etc. 9 24 29 32 72 79 87 96 106 110 116 125 135).

[5] „Religio Clericorum Societatis Iesu": Sessio XXV. De Reg. et Mon. c. 16.

[6] Is 52, 5; Rom 2, 24.

[7] Is 29, 23; Mt 6, 9; Lc 11, 2. [8] Io 14, 6.

[9] Cf. Io 13, 15; 1 Petr 2, 21. [10] Hebr 12, 1 2.

sertim in hoc mundo, qui non amat[1] nec quaerit, nisj quae sua sunt[2], et saepe malum pro bono reddit[3], aut in peius interpretantur[a]. Beatj quum vos persequentur propter nomen meum[4]. Jllic nos consolantur primj de Societate IESV de quibus Lucas inquit: Ibant gaudentes a conspectu consilij, quoniam dignj habitj sunt pro nomine JESV contumeliam pati. Sie giengen frölich von dess raths angesicht, das sie würdig gewesen waren vmb dess namens Jesu willen schmach zu leiden[5]. Act. 5[b]. Non disputemus de nomine quod non potest iustificare et saluare, sicut nec Euangelium scriptum, sed Jesum induamus[6], et portemus, glorificemus[c], confiteamur et ornemus intus et foris. Alioquin si confiteamur ore, et negemus opere[7], blasphemabitur hoc nomen[8].

1182. 1. Ianuarii 1575.

Ex commentario, Canisii manu emendato et amplificato. Can. 35 f. 74b—77a.

Canisius Oeniponte ineunte anno e sacro suggestu strenas distribuit.

Canisius, cum Oeniponte in ecclesia parochiali munere contionatoris fungeretur, in contione Kalendis Ianuariis sive die sacro Circumcisionis Christi a. 1575 habita sic morem contionatorum suae aetatis, qui, ut ipse ait, „solent aliquid suis Auditoribus pro foelici anno nunciare et offerre“, secutus est:

Quod ad me attinet, dicam libere wie es mir vmbs hertz ist, vil lieber wolt Jch von Euch ain newes Jar begern vnd nemen, dann dasselbig hie schenckhen vnd aussteilen[d]. Nit daß es mir vmb Ewere gaben vnd schanckhung zuthuen sej, sondern das Jch von hertzen gern[e] ain Geistlich newes Jar von Euch vnd Ewr andacht annemen möcht · vnd solt Euch nichts mer kossten, dann ain Rosenkräntzlin Gott dem Herrn fur mich vnd mein Predigambt auffzuopffern, damit Jch disem ambt vnd meiner profession desto geschickter außwartten mög. Solliches gemain vnd sonders gebett, soll mir lieber vnd werder sein, dann Golt vnd Silber. Wolan dieweil Jch dann auch mueß dem alten bewerten brauch nachkhommen, so wunsche Jch zum anfang dises newen Jarß allen vnd Jeden samentlich vnd sonderlich[f] den lebendigen Brunnen aller gaben vnd genaden, auch den anfang vnd dass endt alles guetten Christum Jesum vnsern Herrn Heilandt vnd Seligmacher, der[g] sein heiligs vnschuldigs tewres bluet in seiner beschneidung vnss heut ausgossen[h] vnd geschenckhet hat, auch ietzunder sein bitters leiden vnd bluetuergiessen allen Sundern vnd Sunderin zu abwaschung Jrer Sunden vnd zu Jrem ewigen Heil noch zu geben vnd zuschenckhen[i] berait ist[k]. Hic sit noster doctor et lehrer, schutz und schirm, Erlöser und saligmacher am Leib vnd seel im[l] unserm eingang vnd aussganck und itz vnd zu ewiglich amen.

a) *Septem vv. sqq. in margine addita sunt.* b) *Quae sequuntur, ipsius Can. manu ascripta sunt.* c) *Sequitur* ut, *oblitt.* d) *Canisius et huic capiti et sequentibus sua manu in margine aliqua adnotavit, quae, vel quia summae tantum breves capitum ipsorum sunt, vel aliis de causis visa sunt omitti posse.* e) *Sequuntur vv.* sechen vnd, *oblitterata.* f) *Sequuntur vv.* nichts Zeitlichs vnd Zergenglichs, sondern dass recht; *quae deinde oblitterata sunt, praeter v.* nichts; *quod tamen et ipsum deleri debuit.* g) *Sequitur* durch; *quod oblitterandum fuisse cognoscitur ex vv. sqq.* h) *Sic C. ipse correxit ex* gegeben. i) *Sequitur* will, *oblitt.* k) *Quae sequuntur, usque ad* ewiglich amen *incl., a C. ipso in margine addita sunt.* l) *Sequitur* aussganck, *oblitt.*

[1] Cf. Io 15, 18 19. [2] Cf. Phil 2, 21.
[3] Gn 44, 4; 1 Rg 25, 21; Prv 17, 13; Jer 18, 20; 1 Mach 16, 17.
[4] Cf. Mt 5, 10–12; 1 Petr 4, 15 16. [5] Act 5, 41.
[6] Rom 13, 14; cf. Gal 3, 27. [7] Cf. Tit 1, 16. [8] Cf. Is 52, 5; Rom 2, 24.

Seit Jr aber mit disem newen Jar noch nit zufriden, vnd begeret etwass sonders, daß Jch nach allerlej Stenden daß newe Jar vnderschidlich austeile, So wunsche vnd[a] gib Jch anfenckhlich dem Durchleuchtigisten Heren Ertzhertzogen, Hern Ferdinando, vnserm Gnedigisten Landtsfursten daß pesst vnd edlest, so man an Christo hat vnd findet, nemlich sein heiligs, hochgebenedeits haubt, mit wellichem Er seinen menschlichen vnd sterblichen Leib hie auff Erden regiert. 2. Seine schlaffende Jünger[b] bewaret, vnd sich fur daß gantz Judisch volckh in gemainem hunger, so guettig vnd genaigt erzaiget hat, daß Er frei sagte, Misereor super turbam[1]. Dise vnd dergleichen andere aigenschafften vnd wirckhungen deß heilligen haubts Christj wunsch Jch vnserm Gnedigisten Hern vnd Landsfursten zu guetter, frölicher, fridsamer vnd Gottseliger administration vnd Regierung Jn vnd vber alle seine Furstliche Landt vnd vnderthonen.

2.[c] Wunsch vnd gib Jch allen Gaistlichen Obersten, Prelaten, Seelsorgern, Kirchendiennern waß stands vnd ambts sie immer sein. Nemblich den heilligen halß Christj[d], sampt seiner naturlichen wirckung vnd eygenschafft, als[e] wellicher dass mitel ist zwischen dem haupt vnd Leib, vnd dardurch auch die speiß in den Leib absteigt, damit sie mügen Jrem ambt nach, als die mitler sein zwischen Gott vnd dem volckh, wie Moyses vnd aaron gewesen, vnd darzu den schäfflin Christj die gesunde Göttliche speiß, das ist, Gottes wortt vnd die heilsame Sacrament, trewlich auspenden, vnd den Gaistlichen Leib Christj also ernern vnd sterckhen.

3. So wunsch vnd gib Jch auch zu ainem seligen Jar allen andern[f] Edlen vnd Regiereten Herrn vnd Obersten, auch den vndergesetzten ambtleuthen, Burgermaister, Richter vnd Ratsherrn, nemlich die liebe arm Christj, so Er genedigclich zu den armen ellenden Sundern vnd Sunderin aussgestreckhet, vnd mitgethailet hat. Mit wellichen armen Er auch[g] berait nit allain die frommen anzunemen, zu erhalten, zu beschützen vnd beschirmen, Sondern auch die vngehorsamen vnd bosshafftigen zu seiner zeit zu verstossen vnd zu straffen, damit die fromben endtlich belonet, vnd die vbeltheter endtlich ewig gestraffet vnd gepeiniget werden[h].

4. So wunsch vnd gib Jch auch zu ainem newen Jar allen fromen Ersamen Junckhfrawen vnd witwen die schöne heillige Rosenfarbe[i] wangen, Christj, mit wellichen Er offentlich bewisen hat, daß Er vnder allen menschen Kindern der gestallt nach, der aller hübschest vnd[k] lieblichst war. Disen sollen sie haben vnd halten zu Jrem gestrewesten freundt, den reichesten Breuttigam, den freundlichsten herrn vnd nodthelffer in allen Jren anligen. Den sollen sie lieben vnd khussen, vnd Jn allain fur den allen liebesten haben vnd behalten[l].

5. So wunsch vnd gib Jch auch zu ainem guetten newen Jar allen Christlichen Eeleudten, auch haußherrn vnd frawen, die heillige vnschuldige Schuldtern Christj, darauff Er dass schwere Joch des heilligen Creutzes getragen, vnd sein gehorsam dem ewigen vatter gelaisstet hat[m]. Darbej sie dann auch sich zuerinnern haben, wie sie mit gedult vnd gehorsam daß schwere Joch deß Eestandts zudulden vnd biß zum endt zu leiden haben, damit sie auch ainem sollichen Hern in Jrer muheseligkhait starckh anhangen, vnd Jm trewlich auff dem weg deß creutzes volgen.

6. Letstlich sej auch ain newes Jar geschenckht allen vnd Jeden Ehehalten, Knecht vnd Mägde handtwerckher[n], Ja auch allen diensthafften Jungen vnd alten,

a) *Sequitur* geb, *oblitt.* b) *Sequitur* zuwa, *oblitt.* c) *Hoc caput, quod de ecclesiasticis est, in codice post illud, quod de nobilibus et magistratibus est, positum est; sed huic praepositus est numerus* 2.; *et numerus* 2., *qui capiti de nobilibus praepositus erat, a librario vel ab ipso C. immutatus est in nr.* 3. d) *Sex vv. sqq. a C. ipso in margine addita sunt.* e) *Antecedit* mit, *oblitt.; sequuntur vv.* durch wellich, *oblitt.* f) *Sequitur* Hern, *oblitt.* g) *Sequuntur vv.* nit allain die, *oblitt.* h) *Can. in margine sua manu:* Suis brachijs complexus est ouem errantem. 2 expulit uendentes e templo. 3 illa uoluntarie in cruce extendit. 4 defendit oues a lupis infernalibus. i) *Hoc v. supra versum scriptum est.* k) *Sequitur* liebest, *oblitt.* l) *Can. in margine sua manu:* Maxillis consolatus tristes, et se omnibus amabilem fecit, ut gauderent illum aspicere et sequi. Hic sponsus der Gesponsen. 2. pater orphanorum et uiduarum. m) *Can. in margine:* portauit lignum 2 imposuit ouem errantem 3 obedientiam ostendit 4 uiam crucis consecrauit. n) *Hoc v. supra versum scriptum est.*

[1] Mc 8, 2; Mt 15, 32.

groß vnd khlainen die heillige, raine vnd würdige füeß Christj, welliche[a] in höchster demuet Gott zu lob, vnd vnß zu guettem sich fur vnd fur bemueet haben[b]. Darbej sie dann auch selber in Jrem dienst vnd handtwerckh trösten vnd[c] zu der ehr Gottes alles thuen vnd lassen solte.

Vnd dieweil mein wunschen vnnd begern[d] wenig nutzen wurde, wenn Jr Euch selber am guetten verhindern[e], vnd Euch in daß newe Jar nit[f] recht schickhen wellet, So mueß Jch Euch dann auch vermanen vnd warnen, daß Jr[g] Euch vor allen dingen mit rechtem Christlichen hertzen[h] zu Gott bekeret, daß alte[i] sundig Jar gentzlich verlasset, vnd daß zukhunfftig nit anders, als daß leste vnß zu leben bescheret geordnet[k] anfachet vnd annemet. Demnach lasset vnss mit newem ernst Gott vnd der Gottseligkhait dienen vnd a i n e n s c h a t z i m h i m b l s a m l e n[l] [1], dem Gaistlichen mer dann dem Zeitlichen obligen, vnd in dem heilligisten namen Jesu ain rechtgeschaffens, bueßfertigs leben anfachen vnd volziechen. Darzu helff vnß Gott Vatter, Sohn vnd heilliger Geist, amen.

1183. 2. et 9. Ianuarii 1575.

Ex commentariis ab ipso Canisio recognitis et emendatis. Can. 35 f. 66[b]—69[b] 89[a]—96[b] 100[a].

Canisius Oeniponte in templo parochiali iubilaeum Romae agendum declarat et commendat.

Gregorius XIII. de magno illo et sollenni iubilaeo, quod de more anno 1575 Romae celebrandum erat, 10. Maii 1574 bullam edidit, qua etiam episcopis omnibus praecepit, „ut suos quisque Populos diligenter curaret ea omnia edocendos, quae ad remissionis et indulgentiae praedictae adipiscendae praeparationem fuerint opportuna“: Ita *Theodorus a Spiritu Sancto* O. Carm. excalc., Tractatus historico-theologicus de Iubilaeo, Romae 1750, 56—60. Iam aliquanto antea (16. Ianuarii 1574) pontifex per cardinalem Comensem Bartholomaeo de Portia apostolico in Germania nuntio mandaverat, curaret, ut episcopi diligenter iuberent parochos contionatoresque suos iubilaeum idem promulgare (*Schellhass,* Nunt. III 317). Id brixinensis episcopus, ut ex Canisii contione intellegitur, praestitit. Canisius igitur, ut suo contionandi in ecclesia parochiali officio satisfaceret, 2. Ianuarii 1575 (v. supra p. 718), quae illius anni prima dies Dominica erat, „de Jubilaeo et peregrinationibus“ sermonem ad populum habuit; cuius exstat commentarium, Canisio dictante partim latine, partim germanice scriptum et ab ipso Canisio recognitum; et partem eius latinam, quae quidem praecipua est, ex eodem commentario accurate vulgavit *Th. Mönnichs* S. J., in „Zeitschrift für katholische Theologie“ XXIV 373—382. Quare hic non ponetur nisi brevis quaedam summa: Canisius iubilaei rationem, gratias, condiciones declarat. Christum ipsum compluribus plenam culparum poenarumque remissionem sive indulgentiam plenariam concessisse; velut latroni illi e cruce pendenti (Lc 23, 43): potestatem dispensandi merita Christi et Sanctorum ita, ut peccatores non solum a culpis sed etiam a poenis liberarentur, ab eodem Christo cum clavibus ecclesiae romano pontifici traditam esse; veteris ecclesiae „reconciliationes“ earundemque „relaxationes“ indulgentiarum rationem habuisse; neque „sine voluntate et prouidentia Spiritus S. factum esse, vt posteriores Pontifices fuerint clementiores et liberaliores tum in concedendis indulgentijs, tum in Jubilaeis promulgandis“. Deinde pias peregrinationes tuetur ac laudat, et maxime peregrinationem romanam commendat; ostendit etiam urbis Romae maiestatem et super reliquas omnes urbes excellentiam;

a) *Sequuntur vv.* so weit vnd fern mit muhe vnd arbait, *oblitt.* b) *Can. in margine:* Pedibus per totam Judeam ambulauit 2 paratus uisitare pauperes sicut diuites, 3 uulneratus in cruce 4 praeiuit discipulis 5 summam [?] humilitatem ostendit. c) *Sequitur* vnss, *oblitt.* d) *Sequitur* allain, *oblitt.* e) *Sequuntur vv.* wolten, wüllent. f) *Hoc v. supra versum scriptum est.* g) *Quattuor vv. sqq. supra versum scripta sunt.* h) *Sequitur* Euch, *oblitt.* i) *Sequitur* Jar, *oblitt.* k) *Hoc v. supra versum scriptum est.* l) *Sequitur* auch, *oblitt.*

[1] Mt 6, 20.

commemorat eius „tam praeclarum Clerum, tam spectabilem populum, in quo cernuntur exempla omnium virtutum, vt multj exterj merito admirentur tantam pietatem erga Deum et deuotionem in templis, charitatem erga pauperes, tantam propensionem erga Dej cultum et sacramenta".

Die quoque 9. Ianuarii 1575, quae erat Dominica infra octavam Epiphaniae, Canisius in altera contionis parte iubilaeum commendavit, refutando „obiectiones", quae proferebantur; simul tamen monuit: Romam ire „nulli iubetur, sed uolentibus et commoditatem habentibus proponitur gratia. Qui potest capere capiat[1]. 2 neque consulitur omnibus, non feminis, pueris, magistratibus. Hoc interim iubetur, ut qui non eunt, alios euntes laudent magis quam damnent. Nam contemptus facit haereticum[a] et ethnicum, repugnat charitati, scandalum parit".

1184. 11. Martii 1575.

Ex commentario a Canisio recognito. Can. 33 f. 98[a].

Canisius Oeniponte e sacro suggestu eos damnat, qui a mutuantibus aliquid ultra sortem exigant.

Canisius, cum a. 1575 Oeniponte in ecclesia parochiali munere contionatoris fungeretur et per sacram Quadragesimam de peccatis capitalibus sive mortalibus, quae vocamus, ad populum verba faceret, die, ut videtur, 11. Martii „de usura" haec monuit: „Hie solt Jch auch etwas sagen von dem geitz der Wuecherer, so iezunder gar groß vnd schwerlich ist allenthalben, das die gantze welt klaget, wie der starckh Gott, Ja der gelt Teuffel der Mammon also hefftig iezunder herschet wider alle menschliche vnd Göttliche recht, vnd zu verderbung vnzelbare menschen. Ja diser vermaledeite wuecher ist iezunder bej den Christen vil gemainer vnd beschwerlicher, dann bej den heillosen Juden. Ob schon Gott den wuecher baiden Christen vnd Juden verbeut vnd verfluecht, Exodj 22. Leuitic. 25. Ezech. 18. Psal. 14[2]. Nun ist aber wuecher alles das man weitter vnd mer einnembt, dann man außgelichen hat, dieweil das gelt nit iunge macht, vnd es wider die gerechtigkait ist, wass du vber dein anzal einnimbst. Dasselbig ist nit deines gelts, es gehert dir nit zu. Du nimbst es wie ain diebstal, ob schon die welt das ietzunder fur khain sünd achtet, Ja es fur ain gewonhait helt, vnd allerlaj stend in dem wuecher steckhen, vnd sich selbst vnd andere beschweren vnd betrieben, auch von der oberkhait deßhalben nit gestraffet werden · wo bleibt aber Christj befelch, Mutuum date, nihil inde sperantes[3]. Jch will allain iezunder reden von haimblichen wuecherischen hendlen. Du leichest mir dein gelt hoffest aber Jch soll dir mer widergeben vber die gelichene summa. 2. Du forderst ausstrucklich 4. 5. oder 6 von 100 fl es gescheche dann mindtlich oder schrifftlich, ist vor Gott ain wuecher, dieweil du fur dein gelichen gelt den nutz suechest vnd nimbst. 3. Dein korn oder gelt gibst du dem Bawren mit dem geding, Er soll dir dasselbig widergeben, vnd darneben oder darvber noch etwas mer schencken, es sej am gelt, korn, wein oder frichten, es ist ain wuecher. Aber Jch will solliche vnzelbare fäl iezunder faren lassen, de mentalj et realj usura, dann Jch waiß, das die iezige welt von dem gelt Teuffel vnd laidigen geitz also verblendet vnd verfüert ist, das hie khain Predig vnd straff gelten khan, man sag was man well wider den hellischen verfluechten wuecher, so vor zeiten allain bej den Kauffleuthen bekannt, iezunder aber bej dem gemainen man gar gemain worden, ain grosse beschwerde der Welt, vnd ain verdrußlicher grewel vor Gott."

Mirum certe est, Canisium in hac contione eos tantum spectasse, qui, cum mutuum quid dabant, ex ipso mutuo, nulla alia accedente ratione, locupletari volebant (qui sane feneratores sive „usurarii" erant), neque ullo modo varias illas rationes mutuo quasi extrinsecas, ut damni emergentis, lucri cessantis etc., commemorasse,

a) *Duo vv. sqq. ab ipso Can. in margine addita sunt.*

[1] Mt 19, 12.
[2] Cf. Ex 22, 25; Lv 25, 35—37; Ez 18, 18; Ps 14, 5. [3] Lc 6, 35.

propter quas aliquid ultra sortem ab eo, qui mutuum quid dedisset, accipi posse et doctissimi Societatis theologi a. 1573 in Societatis congregatione generali definiverant (cf. supra p. 672), et iam a. 1562 Iacobus Lainius praepositus generalis Socios in Germania degentes docuerat (*Can.* III 585), et ipse Canisius Oeniponte a. 1572 ex sacro suggestu aliqua saltem ratione significaverat (v. supra p. 641). Numquid Canisius existimabat, has rationes in Tiroli raro adesse et, sicubi adessent, a confessariis cognosci et singulis significari posse? [1] Ceterum cf. *Can.* IV 563 568—569.

1185. 2. Iunii 1575.

Ex orationis commentario a Canisio ipso recognito et amplificato. Can. 23 f. 181ᵇ—183ᵃ.

Canisius Oeniponte e sacro suggestu, quibus modis die „Corporis Christi" eucharistia honoretur, enarrat.

Canisius in oratione, quam a. 1575 Oeniponte in ecclesia parochiali die festo „Corporis Christi" (2. Iunii) habuit, de „festo et octaua eius": „Institutum est", inquit, „ut quotidie aliquid de hoc sacramento canatur 2.° ut sacerdotes benedicant presentem populum mane et uespere 3.° Sacramentum magis honoretur et in ecclesia proponatur. . . . Fatendum est hoc festum sic institutum esse, ut multa loeta nobis ostendat in spiritualibus et secularibus personis ad communem processionem hodie se congregantibus. 2.° Congregati proponunt et ostendunt sacramentum in templo et platea cunctis sine exceptione. 3.° Circa sacramentum singularis exhibetur [a] reuerentia ut genua flectantur, capita nudentur et signa deuotionis ostendantur [b], orgel schlecht, posaunen, harffen, lauten, seitenspil, brauchet [c] [?] trumbetten. 4.° Portantur coronae [2] et candelae ardentes, sparguntur flores et gramina, audiuntur timpana et organa. Magni et parui declarant internum et externum gaudium et iubilum inusitatum. Haec autem fiunt non in uno loco, sed per totam Christianitatem, ubi uera, antiqua et catholica religio conseruatur."

1186. 3. Iulii 1575.

Ex orationis commentario a Canisio dictato et recognito. Can. 23 f. 130.

Canisius Oeniponte e sacro suggestu magistratus civiles urget, ut praepositos ecclesiasticos adiuvent; eos ea in re officio deesse queritur.

Canisius Oeniponte in ecclesia parochiali 3. Iulii 1575, quae erat Dominica VI. post Pentecosten, evangelium diei, quod ex ritu brixinensi erat de piscatione illa Petri Lc 5, 1—11 enarrata, explicans et variis hominum ordinibus accommodans haec, praeter alia, monuit: Seculares Magistratus possunt se conferre socijs Petri positis in hoc Euangelio et ideo laudandis quod uenerint Petro in subsidium ad implendas duas naues piscibus, quia solus ipse non poterat et piscari et pisces conseruare et collocare. Ita quotidie uidemus contingere in Ecclesia. Licet spirituales diligenter officio suo fungantur docendo, praedicando, arguendo, tamen parum prodest illorum

a) exibetur *comm.* b) *Quae sequuntur, usque ad* trumbetten *incl., Canisius sua manu in margine addidit.* c) *Hoc v. obscurius scriptum est.*

[1] „Nec ignoramus fieri aliquando sine peccato, vt ad pensationem aliquam vltra sortem veniatur, quam numeret mutuarius ratione lucri cessantis, vt vocant, aut damni emergentis. . . . Vsurarij notam non euadit creditor, qui licet se ratione lucri cessantis excuset, tamen aut nescit, aut non vult sua pecunia negotiari, vel rem aliquam frugiferam emere": Notae in Evangelicas Lectiones, quae Festis Sanctorum diebus recitantur, Authore *Petro Canisio,* Friburgi Helvetiorum 1593, 557.

[2] *Canisius* in eadem Contione iam paulo ante (l. c. f. 178ᵇ) dixerat: „Pij [hodie] portant coronas in capite gratulantes Christo prius coronato spinis a Judaeis [cf. Mt 27, 29; Io 19, 2], nunc autem a Patre ut uictor corona gloriae [Js 28, 5; 62, 3. 1 Petr 5, 4]. Posuisti in capite eius coronam de lapide pretioso [Ps 20, 4]."

labor apud populum nisi Magistratus ciuilis faueat et opem adferat hac authoritate immo etiam aliquando comminationes, uim et gladium praesertim ut inobedientes[a] spiritualibus et contra Dei uerbum peccantes puniantur. Nisi enim hoc fiat, nihil sunt praedicatores, nisi uoces in deserto clamantes[1], et seminantes super petrosa et uiam publicam et spinas et[b] crescunt zizania[2] multique contemnunt Dei cultum et uerbum totumque officium praedicationis. Tunc uero bene agitur in Ecclesia cum Moises habet suum Josue quasi uerbi executorem[3]. 2° Cum Ionas est poenitentiae praedicator, et Rex Niniuitarum incipit seipsum reformare, nec solum mandat, sed etiam exemplo urget[c] populum, ut Ionae doctrinam acceptent[4]. 3° Sic Samuel et Saul consentientes gratiam a Deo et uictoriam contra hostes obtinuerunt. 4° Sic tempore Danielis et Salomonis optime habuit Ecclesia quoniam[d] uterque Magistratus mutuo se adiuuabant. Sicut Ambrosius et Theodosius[5], Adrianus[6] et Carolus magnus fecerunt, alioquin uidemus quam parum iuuet ecclesiastica ordinatio, quando dormit ciuilis magistratus, neque suam manum apponit, uel sola mandata proponit. Mandatum est, ut hoc loco cum reuerentia et praesentia multorum uenerabile[e] sacramentum ad infirmos deducatur[7]. 2° In templo fit denunciatio ieiuniorum ex praecepto ecclesiae obseruandorum 3° ut statae feriae obseruentur antiquo more. Sed uidemus quam parum haec mandata curentur, quam multi contrarium faciant. Non curant deducere sacramentum[f] et illi debitam reuerentiam exhibere, priuatim et publice carnes comeduntur. Multi diebus festis laborare cernuntur et audiuntur. Igitur licet Petrus et clamet et arguat, labor eius ex media parte est perditus, quia non habet adiutores."

Has Canisii querelas non fuisse vanas, facile credideris, cum ex *Hirn* l. c. I 195 199 cognoveris, magistratus illos tirolenses etiam in gravioribus de religione mandatis exsequendis indulgentiores et segniores fuisse.

1187. Ab Aprili ad Septembrem 1575.

Ex fontibus, qui infra, loco quisque suo, indicabuntur.

Canisio scriptorem petente Hoffaeus provincialis id „onus" detrectat; nec Canisio satisfacit scriptor Roma missus.

Cum Mercurianus Societatis praepositus generalis, ut Canisii desiderio satisfaceret, Hoffaeo praeposito provinciali mandasset, ut Canisio aliquem ex sodalibus daret, qui eum scribendo ad librum de Beata Maria Virgine tandem absolvendum adiuvaret (cf. supra p. 277), Hoffaeus Augusta 11. Aprilis 1575 ei respondit: R. P. Canisius habet scriptorem externum, quem sumptibus Archiducis iam fere triennium conductum habet[8]: Fratrem autem aut Patrem, quj in hoc genere optimo Patrj seruiat, non habeo idoneum: vsus est ante varijs ex nostris, sed cum suo grauamine et bonorum fratrum tentatione non leui[9], vt mirer bonum Patrem petere scriptorem iterum ex fratribus, qui mihi hoc onere intolerabili minime onerandi esse videntur · non isthic norunt nostrj, quid sit agere scribam P. Canisij (*ex autogr.; Germ. 136 f. 136;* litteris usus est *Kröss*, Can. 188).

*Sed eodem fere tempore Mercurianus Canisio unum ex sodalibus Romae degentibus destinarit scriptorem sive „amanuensem". Qui et ab ipso Canisio (v. supra p. 295 300) et ab Hoffaeo (v. paulo infra) „Salvator" vocatur, neque dubitari potest, quin ab iis significetur ille, qui in * Catalogo fratrum laicorum sive „coadiutorum*

a) *Sequuntur vv.* et contradice, *oblitterata.* b) *Sequitur* agere, *oblitt.* c) urgere *comment.* d) *Sequitur* Natan e, *oblitt.* e) *Antecedit aliud* uenerabile, *oblitt.* f) sacramenta *comment.*

[1] Is 40, 3; Mt 3, 3; Mc 1, 3; Lc 3, 4; Io 1, 23.
[2] Cf. Mt 13, 3—22; Mc 4, 3—19; Lc 8, 5—14.
[3] Cf. Ex 17, 9—13; Num 13, 1—26; 14, 6—9. [4] Cf. Ion 3, 6—10.
[5] Theodosius I. sive Magnus; cf. *Can.* V 22[2]. [6] S. Adrianus I. papa.
[7] Vide supra p. 637. [8] De hoc v. supra p. 643.
[9] De PP. Ioannis Rastelli et Antonii Guisani querelis cf. *Can.* VI 701 714.

temporalium" S. J. Romae in domo professa degentium a. 1574 scripto his verbis commemoratur: Jtalus: Saluatore da Coldiscepoli di età di 30. anni, entro in Roma, non ha ancora fatto i uoti semplici, è coadiutore temporale, sta alla cucina, è habile per ogni sorte d'officio etiamdio di sottoministro al suo tempo, ha buona mano da scriuere perche fù notaro, sano, et gagliardo *(ex archetypo; Hist. Soc. 41, p. 55).*

*Hunc igitur Oenipontem secum adduxit P. Franciscus Antonio S. J., Mariae imperatricis contionator. Qui Hala 2. Maii 1575 Mercuriano *scripsit:* Alli .28. del passato, piacque al Signor Jddio ch'arriuassimo a Jnspruc sani, benche stracchi dil viaggio et desiderosi di consolarsi con quej Padri, da quali fussimo riceuuti con molta carità, et massime dal P. Canisio, al quale hò consignato jl suo compagno, et sommamente ringratia V. P. et ne resta molto contento *(ex autogr.; Germ. 136 f. 208a). Ad haec Mercurianus Roma 21. Maii 1575 *respondit:* Resto consolato con intendere la consolatione che il P. Canisio ha riceuuto per il Compagno mandato li di qui (ex apogr. eiusdem temp.; Austr. 1, p. 54). *Hoffaeus* tamen provincialis Oeniponte 23. Maii 1575 Mercurianum *monuit: „Saluator ille Amanuensis P. Canisij huc peruenit, sed sine vlla informatione; aiunt esse hominem Nouitium, qui tamen vix gustauerit nouitiatum: alij eum Coadiutorem vocarunt, negat ipse et scholarem se vocat, vtiturque habitu clericalj: nondum satis iudicare possumus quantum sit profuturus P. Canisio *(ex autographo, quod est Romae in archivo regni italici, Arch. dei Gesuiti: Lettere 1548—1575). Ad haec Mercurianus Hoffaeo 25. Iunii 1575 *rescripsit:* De Saluatore . . . bene mones, quod etiam tuae R. scribendum cogitabam: illum circiter annum iam esse cum ad probationes admissus sit, qui cum in negocijs notariorum uersatus esset, existimauimus posse eum aliquando utilem fore, uel ad iuuandum Procuratorem Generalem, uel ad eiusmodi alia in exiguis collegijs agenda: et eam ob rem pileus illi clericalis datus est, ut in literis humaniorib. firmiora cum iaceret fundamenta tum suo tempore sacris initiaretur, si in uirtutib. solidis conuenientes progressus fecisset. De hac re nonnihil ad P. Canisium scripsi, ut illi curae sit ipsius Amanuensis uictoria de se ipso[1]: Tantundem tuae R. scripturus ut facio, eumque tibi in Domino commendans *(ex commentario manu Possevini scripto, G. Sup. 1 f. 28).*

*Brevi tamen post Canisius Hoffaeo auctore ad Mercurianum rettulit, Salvatorem neque corpore neque animo valere ideoque Oeniponte amandandum esse videri; vide supra p. 295. Hoffaeus denique Augusta 5. Septembris 1575 Mercuriano *scripsit:* Saluatorem P. Canisii Amanuensem existimamus potius in Jtaliam remittendum quam e Societate dimittendum, neque enim mirandum est si in scribendo non potest satisfacere P. Canisio, cuj hactenus nemo fecit satis. Jgitur si P. Canisius in eadem sit sententia vt retinere hominem nolit, vel si ipse quoque citra laesionem valetudinis manere non possit, cum alijs 4. sequenti hebdomade in Jtaliam redibit, ibique haerebit vbi P. V. per literas ei significabit haerendum esse, alioquin recta Romam perrecturus *(ex autogr.; Germ. 136 f. 144a).*

1188. 1575. 1576.

Rodingus calvinianus Socios, imprimis Canisium, pessime calumniatur. Perellius (Rabus) et Götz ei respondent.

Bartholomaeus de Portia nuntius apostolicus Augusta 9. Iulii 1575 Romam ad cardinalem Comensem haec rettulit: „Scrivessi che . . . fu recitata in Heidelberga un' acerbissima oratione contra la compagnia et insieme contra la religione catholica" (*Schellhass*, Nunt. V 75).

Orationem hanc habuit Guilielmus Roding (1549—1603), Nicolai Roding protestantium marburgensium ministri et theologiae professoris filius, qui eo tempore Marburgi in paedagogio magister erat et postea libros aliquot, imprimis „Manuale" quoddam iuris cameralis, edidit (*Eisenhart* in „Allgemeine Deutsche Biographie" XXIX 30—32). Huius igitur oratio postea typis quoque est exscripta:

[1] Vide supra p. 296.

„GVILIELMI RODINGI HAS- SI, CONTRA IMPIAS SCHO- LAS IESVITARVM, ET EOS QVI suos pueros ipsis informandos committunt, ad Christianos homines Oratio. *Raptori si nemo lupo commiserit agnum, Huic pueros res est credere stulta gregi, Erudiat ne alios tetris erroribus ipse | Imbutus? didicit qui nihil, an doceat?* HEIDELBERGAE, APVD IOANNEM MAIER. Anno M. D. LXXV." Cum signo typographico his verbis cincto: „Mathes Harnisch. Ditat servata fides".

Libellus (4°; pp. 32; praeterea in initio 2 ff. non sign.) a *Rodingo* „Heidelbergae e Paedagogio Franciscano. Calend. Iunij, 1575" Friderico III., Palatino Rheni et imperii principi electori ac Calvinianorum praecipuo per Germaniam patrono, dedicatus est. In qua epistula ille: „Si requiras", inquit, „quamobrem hanc orationem contra Iesuitarum Scholas in lucem ediderim; hanc potissimum causam adfero, quod permultos hodierno die, qui vel in christianis numerari volunt, in hanc (proh dolor) insaniam et impietatem delapsos esse animaduertam, vt filios suos Iesuitis in disciplinnam tradere, et regnum Satanae amplificare, minime vereantur." Notavit autem *I. Döllinger*, scriptum istud esse „mit den ärgsten Schmähungen erfüllt" (Die Reformation I², Regensburg 1848, 543 Anm. 221). Ita (ut exemplum ponam) *Rodingus* Iesuitam sic compellat: „Quantus quantus es, totum te ab imis vnguibus, vsque ad verticem summum, impietate, fraude, fallacijs, mendacijs constare ... aperte demonstrabo. ... Papa Romanus summus Iesu aduersarius tibi pater fuit, impietas mater, obstetrix insania, morum et doctrinae imformator Satanas[1]. ... Fuerunt equidem qui Deum esse negarent: fuerunt qui vtrum Deus esset, impie dubitarent: fuerunt qui deos multos esse contenderent: fuerunt qui boues, serpentes, crocodilos, anseres, varia auium, piscium, ferarum aliorumque animalium genera, tanquam Deos colerent: fuerunt qui Aesculapium, Martem, Mercurium, Bacchum, Lupam, Leaenam, Faulam, Floram, Fornacem, Mutam, homines illos mortuos, impuros, obscoenos, adulteros, meretrices, et omni vitiorum genere insignes, in deorum numerum referrent: Et si omnes impiorum hominum ordines enumerare velim: Icariae numerum dicere coner aquae. Sed illos omnes audacia, scelere, impietate, insania, furore et crudelitate Suitae longe superant" (l. c. p. 2 5 7).

Maxima libelli pars (p. 8—27) in Canisio, „Institutionum christianae pietatis" sive „Parvi Catechismi Catholicorum" (cuius in Sociorum scholis praecipuus erat usus) auctore carpendo et calumniando (quamquam Canisii nomen non ponitur) versatur; velut cum *Rodingus* scribit: „Quid est in te, Suita, praeter impietatem, crudelitatem, petulantiam, audaciam? ex his tot[us] conglutinatus es, nihil apparet in te pium, nihil Christianum, nihil ingenuum, nihil moderatum, nihil pudens, nihil pudicum · Quid impietetis aut blasphemiae in Deum fingi aut cogitari potest, quod tu iuuentutis corruptor non conceperis? Sumamus enim in manus praeclaras illas tuas Christianae pietatis institutiones, et qualem nobis Christianum puerum informes, perpendamus. Breuiter praecipua tantum capita perstringam. Nullius enim est tantum flumen ingenij, nulla dicendi aut scribendi tanta vis tantaque copia, quae non dicam, tuam impietatem pro atrocitate rei deplorare, sed tantum enarrare queat." Eodem deinde furore Rodingus in varia doctrinae canisianae capita singillatim invehitur; ut in commendationem salutationis angelicae: „Attendite, quaeso, verba, quibus tetra et pestifera ista bellua, sanctissimam virginem Mariam salutat atque veneratur: Aue Maria" etc. (p. 8 9). Et in doctrinam de sacramento extremae unctionis: „Ad cloacas, Suita, rostro tuo lutulento purgandas, quam ad aegrotos vngendos, esses aptior" (p. 18). Et ad doctrinam de corpore Christi in communione eucharistica praesenti: „O suem detestabilem et voracissimam, quae Deum deuorare conatur: hic impietate et blasphemia Ethnicos longe superas" (p. 19). Canisius denique „summa pertinacia et malitia sciens ac prudens, et contra conscientiam suam Deo ipsi bellum indicit" ...; cuius est „pectus lupinum et cor diabolicum" (p. 25 26).

---

[1] Fateri tamen cogitur *Rodingus:* „Egregij et acuti philosophi sunt Suitae, et quicquid eruditionis habent, in adolescentes erudiendos conferunt" (l. c. p. 28).

Dirus hic Sociorum accusator quanta rerum Societatis ignorantia laboret, ipse prodit, cum Societatis „originem investigat". Satanas, inquit, „excitauit Ioannem Petrum Carapham, Romanum Pontificem, ne dicam Christianorum carnificem, Paulum quartum appellatum, ex quo vt constans fama est, tanquam ex matre procreauit Iesuitam . . . et locum excludendo suo foetui monstroso aptissimum delegit" Venetias. Neque Ignatii de Loiola ullam Rodingus facit mentionem (p. 2—4). Plura vide apud *Janssen* l. c. IV $^{15-16}$ 475—476.

Mercuriano praeposito generali P. *Petrus Michael* S. J. collegii spirensis rector Spira 11. Octobris 1575 *scripsit: „Mittam R. P. V. si habere potero exemplar orationem Heydelbergae contra Societatem editam quae ibidem vt audio non magni fit ob hominis obscuritatem et elocutionis impudentiam" (ex autogr.; Germ. 136 f. 305[a]). Neque vero ea „impudentia" impediebatur, quominus Rodingus (a. 1576, ut videtur) principis electoris Palatini consiliarius constitueretur idque officium et Heidelbergae et variis aliis locis administraret.

Quare mirum esse non potest, Socios de Rodingo refutando cogitasse. *Mercurianus* itaque P. Hieronymo Natali S. J., qui librum ei miserat, Roma 17. Septembris 1575 scripsit: „Quanto al scriuere contra heretici, par che V. R. potria cominciare da quest' homo da bene, . . . se pur paresse a V. R. che se li hauesse a rispondere qualche cosa" (Epp. *Nadal* III 699). *Natalis* autem scripsit Mercuriano Augusta Kalendis Octobribus 1575: „Dice il D: rabo [1] che lui lo vol molto ben scopare · Se la compagnia hauessi di curar se ne mi occurreua che io et canisio et peltano, dassimo materia a algun di nostri rethori et che si scriuessi in nome di algun scholar nostro emerito [a] per zelo della verita etc. · io lo comunicaro col p: canisio et tamen se gli nostri se ne hauessino di empachare, vedda la p: v. se si hauessi di scriuere al p: pronincial" [2]. Et aliquanto post (Hala 31. Octobris 1575, ut videtur): „Di scriuer contra quel heretico ho data l' oration ai p: canisio che e directe contra il suo catechismo, vedero che animo ha et si scriuira alla p: V. primo quoque tempore." Et Hala 30. Novembris 1575: „Il p: canisio ha pigliata la mano di risponder a quel heretjco che ha scrito contra le nostre schole et catechismo perche hauendosi stampar le auctorita del catechismo in vn volume [3] vol procurar che si faccia vna epistola nella quale sia la responsione et lui dara gli puncti et cusi gli ho data quella oratione del heretico et credo fa l'offjcio" (ex autographis: Cod. „EN" nn. 235 237 238; etiam in Epp. *Nadal* III 701 703—705). Kalendis vero Decembribus 1575 *Mercurianus* Hoffaeum provincialem *monuit: „Hoc unum his literis tibi dicam · Accepisse nos Eidelbergensis haeretici scripta aduersus Societatem quae cum neque apud ipsos haereticos in existimatione aliqua sint visum est non expedire ut ei nostri respondeant sed si ita cum consultoribus tuis iudicaueris hoc officium scribendi Doctor Rabus praestare poterit. Atque ita scripsi Prouinciali Rhenano [4] ut quae de hac re collegerat P. Petrus Michael ad uos mittantur una cum literarum Regis Galliae exemplo [5] quae si opus fuerit veritati manifestandae non mediocriter proderunt" (ex comm.; G. Sup. 1 f. 35). Cf. etiam Epp. *Nadal* III 706.

Ita factum esse videtur; certe P. *Theodoricus Canisius* S. J. rector dilinganus Mercuriano *scripsit Dilinga 8. Iulii 1576; „Libello Rodingi Hassi contra impias scholas Jesuitarum superiori anno edito, cumulate responsum videtur a quodam dis-

a) *Hoc v. a Nat. supra versum scriptum est.*

[1] Ioannes Iacobus Rabus, Alberti V. Bavariae ducis contionator, qui Societatis fuerat discipulus; v. supra p. 656.

[2] Paulo Hoffaeo. [3] Opus catechisticum dicit; v. infra, monum. 1209.

[4] P. Hermanno Thyraeo.

[5] Nescio utrum significentur litterae honorificentissimae, quas a Francisco II. Galliae rege 9. Octobris 1560 de Societate in toto regno Galliae admittenda ad parlamentum parisiense datas posuit *Fouqueray* l. c. I 650—651, an novae illae, quas eiusdem rei causa a Carolo IX. rege a. 1565 ad idem parlamentum datas esse narrant *Sacchinus* Hist. IV l. 1, n. 83 et *Fouqueray* l. c. I 412.

cipulo Societatis" (ex autogr.; Germ. 137 f. 109^a). Neque dubium est, quin a Theodorico significetur „Dialogus" ille, qui a. 1576 Ingolstadii cum nomine *Ioannis Perellii* Xiveriensis editus est et latine et, versionem curante *Ioanne Götz*, germanice [1]; qui quidem Perellium virum valde doctum („hochgelehrter Mann") et Societatis discipulum esse in editionis germanicae praefatione (f. 𝔄 3^b—𝔄 4^a) affirmavit; nomine autem Ioannis Perellii Ioannem Iacobum Rabum tegi ex iis, quae modo dicta sunt, recte colligi potest [2].

Prodiit igitur in lucem „Dialogus de Catholica doctrina, deque rebus Societatis Iesu aduersus contumelias, a quodam Rodingo Hasso Sacramentario Paedagogij Franciscani Heydelbergae Inquilino, eidem Societati nefarie ac petulanter impositas. Auctore *Ioanne Perellio* Xiueriensi Germano." Ingolstadii 1576. Auctor in praefatione plane significat, se de Societate non esse; Socios autem „Praeceptores [suos] clarissimos, et optime meritos" vocat (f. A 2^b—A 3^a). In Dialogo ipso „Eusebius Orthodoxus" haec, praeter alia, de Rodingo notat: „Profert ille nonnulla doctrinae capita eo libello comprehensa, quae Summa doctrinae Christianae inscribitur, et doctissimum laudatissimumque habet auctorem Petrum Canisium, huius quidem Societatis Theologum, toti Germaniae notum, sed idcirco vobis inuisum, quod Catholicam contra vos doctrinam multis iam annis asserat, vestrasque corruptelas, verbo Dei admixtas, in lucem aspectumque proferat, sicut luculenta eiusdem scripta testantur. Caeterum illius Catechismum tanto minus vobis placere constat, quanto maiorem illi auctoritatem Ferdinandus Caesar adiunxit, multique Reges, Principes et magistratus suo illum calculo comprobauerunt. Nec est obscurum, eandem institutionem in plerisque Scholis et gymnasijs, vbi Lutheri et Caluini idola et spectra non coluntur, a viris doctissimis saepe laudatam et approbatam esse, quam certe Catholici hactenus in docendo et dicendo sunt libenter et concorditer amplexi." Respondet „Choerander Sacramentarius": „Atqui e nostris non desunt, qui hunc Canisij Catechismum, vt nullum fere alium, cane peius et angue oderint, ac propterea eum non solum voce, sed etiam libris editis hostiliter insectantur." Ad haec reponit Eusebius: „Facile sit irritare crabrones, et Ecclesiae hostes, hominesque contentiosos, si verum dicas, et vlcus illis tangas, statim offenderis. Praecipue vero illos vrit libri, tum doctrina, tum auctoritas, qui non minus Catholicos in sua religione confirmat, quam aduersarios in suo instituto verberat, atque labefactat. Tam aegre vespertiliones et noctuae lucem ferunt, et quicquid est probe Catholicum, de veteri more sectarij aspernantur atque conuellunt. . . . Sane hic Catechismus tanto fit illustrior, quanto plures e vestris obtrectatores sustinet, qui dentium suorum impressa in illo vestigia relinquant, et quasi contra stimulum calcitrare pergant. . . . Quid autem vester Rodingus? Fortissimum scilicet athletam egit in quibusdam huius libri capitibus excerpendis, vt per illa, totum hoc sodalitium velut in doctrina suspectum et impium, palam apud suos saltem infamaret." Qua in re „cauere non potuit, quin suam et inscitiam, et

---

[1] Utraque editio est Monachii in bibliotheca nationali: germanica exstat etiam Constantiae (Constanz) in bibliotheca gymnasii.

[2] In antiquo illo *„Libro Professionum et Votorum" collegii ingolstadiensis (de quo *Can.* VI 514) dicitur, „Ioannem Holonium Xiueriensem" Ingolstadii 29. Septembris 1576 et proximis annis (usque ad 1579) vota, primum a. 1559 Coloniae emissa, renovasse (f. 31^b). Item in *Catalogo eiusdem collegii a. 1584 scripto (G. Sup. 19, I f. 2^a) comparet „Ioannes Holonius Xiueriensis" (Sivry-sur-Meuse, nunc pagus ad Galliam pertinens). Idem alibi vocatur „Verdunensis", „Lotharingus", natus in oppido „Circoux" (*Can.* VI 134^4). Holonius a. 1578 orationem in exsequiis Martini Eisengrein a se habitam Ingolstadii edidit (*Sommervogel* l. c. IV 434). Ipsene igitur „Dialogum" illum composuit? Vix crediderim. Facile tamen existimarim, eum aliquid vel rerum vel operae vel nominis sui in eum contulisse. In qua sententia confirmor, cum video, sodalitatis marianae libellum, primum a. 1576 Coloniae a P. Francisco Costero editum, a. 1578 Ingolstadii a „Ioanne Perellio"; iterum editum esse; v. supra p. 425.

malitiam publice demonstraret. Inscitiam quidem, quod nescire videatur, quid tot retroactis seculis de hisce capitibus senserit ac docuerit orbis Christianus. Malitiam vero, cum inuidentia summa coniunctam, quod communem Catholicorum causam ad solos Iesuitas transferat, eosque primos velut auctores, vel patronos faciat dogmatum, quae a veteribus accepta, et per Ecclesiam approbata in hoc Catechismo Catholice repetuntur atque confirmantur." Exempli causa deinde ponit sacramentum extremae unctionis. „En, inquit [Rodingus], callidi Suitae oleum aliquod sacrosanctum excogitarunt, quod millies adorant, et magicis fere caeremoniis sanctificant, et ad aegrotos iamiam ex hoc mundo exituros deferunt, vt nummos emungant" (p. 36—39).

Germanica huius libri versio sic inscripta est: „Ein Gespräch Von der Jesuiter lehr vnd wesen, thun vnd lassen, wider die schmach vnd lässterwort, die ain Sacramentirer auss Hessen, Wilhelm Roding genant, in der Franciscaner schůl zů Haidelberg wonhafft, den ermelten Jesuiten, bosshafftig, mutwilliglich vnnd mit vnwarhait zugemesen hat. Durch *Ioannem Perellium* Xiueriensem, in Lateinischer sprach beschriben, vnd durch *Johann Götzen* der Rechten Doctorn, auch Cardinälischen, vnnd Bischofflichen Costantzischen Rath etc. verteutschet. Getruckt zu Jngolstadt bey Dauid Sartorio M. D. LXXVI." Liber a Götzio Constantia 15. Augusti 1576 dedicatus est Philippo a Freyberg cardinalis Marci Sittici, episcopi constantiensis, procuratori („Statthalter") et cathedralis ecclesiae constantiensis decano canonicoque; in quibus litteris *Götz* de Societatis inimicis haec, praeter alia, scribit: „Seind deren gar vil, auch vnder denen so Catholisch sein wöllen, die sich vor Gott vnnd der welt nit förchten noch beschämen, dise fromme, hochgelehrte, Gottselige vnd vnschuldige männer (die warhafftiglich für ain reformierte Priesterschafft oder Clerisey zuachten vnd zuhalten seind) auff das häfftigest zuhassen vnd zuuerfolgen" (f. A iij[a]).

Ipse *Canisius* in Opere Mariano contumelias aliquas in Rodingi Oratione Beatae Mariae Virgini factas detestatur et reicit, Rodingum „valde petulantem et maledicum, rhetorem dicam an scurram" et „quasi furiosum" vocans (De Maria Virgine incomparabili, Ingolstadii 1577, 287 [cf. ibidem 56]; Alter Tomus Commentariorum de Verbi Dei corruptelis, Ingolstadii 1583, 63 312—313): in litteris autem dedicatoriis Operis Catechistici Catechismum suum ita defendit, ut adversariis nominatim refellendis supersedeat; v. supra p. 326—336.

1189. 1575. 1578.

Canisii catechismus parvus explicatur in dioecesibus varmiensi, bambergensi, mediolanensi; eius „elucidatio" lovaniensis, „exercitatio" belgica, versio bohemica.

Operae pretium fuerit, de catechismo Canisii hoc tempore variis locis explicato aliqua hic addi, quae paene sponte mihi occurrerunt: neque enim vacabat haec de industria investigare.

1. *Martinus Cromerus*, cardinalis Stanislai Hosii episcopi varmiensis (Romae degentis) in episcopatu administrando „coadiutor" (postea episcopus varmiensis), in synodo dioecesana m. Iunio a. 1575 Heilsbergae habita corpus quoddam legum dioecesanarum promulgavit, quod haec habet, n. 31: „Catechismum quoque paruum P. Canisij [a parochis vel contionatoribus] per tempus Quadragesimae, vel quando erit commodum, quotannis pro Concione populariter explicari volumus": *Constitutiones* synodales Dioecesis Varmiensis, Brunsbergae 1612, 91; etiam in „Conciliis Germaniae" Tom. VII., ed. *Herm. Scholl* S. J., Coloniae 1767, 799.

2. Catechismum (parvum) Canisii a. 1575 in usum dioecesis bambergensis inductum esse ostendit *Henricus Weber* l. c. [v. supra p. 687] 128—147.

3. Quod a. 1575 Mediolani typographus archiepiscopalis parvum Canisii catechismum typis exscripsit (v. supra p. 732), id, nisi fallor, factum est, quo commodius ad effectum deduci possent, quae Sanctus *Carolus Borromaeus* cardinalis in „Institutionibus Seminarii", quas primo quidem loco in seminario suo mediolanensi, deinde autem in reliquis quoque archiepiscopatus mediolanensis seminariis observari

volebat, praeceperat; quas Institutiones a. 1572—1573 conscriptas esse valde verisimile est, ut ex R. P. *Francisco van Ortroy* S. J. rerum S. Caroli peritissimo accepi. Ita igitur S. Carolus de „classe Humanitatis" constituit (P. I c. 2). „Feria sexta pars aliqua Catechismi Canisii explicetur ac memoriter pronuncietur": Acta Ecclesiae Mediolanensis a *Carolo Cardinali S. Praxedis* Archiepiscopo condita, Mediolani 1599, 949.

Ceterum in seminario mediolanensi catechismus Canisii iam compluribus annis ante coeptus erat explicari: nam Mediolano 29. Maii 1567 *S. Carolus* Leonardo Marinio, episcopo albano (Alba Pompeia, Alba), scripsit: „Mando a Vostra Signoria li 25 Sinodi Prouinciali. . . . Hauerà anch' ora tre forme di Dottrina Christiana tutte del Canisio, de' quali si serue il Seminario qui di Milano: anzi pur di due solamente, che quella più breue l' hanno tralasciata. Ella saprà mo meglio d' ogni uno elegger la migliore, et hauerò caro che me ne dia poi auuiso": *Aristide Sala*, Documenti circa la vita e le geste di S. Carlo Borromeo II, Milano 1858, 258.

4. Bruxellis in bibliotheca regia (n. 20 956) exstat *Codex manu scriptus: „Parui Catechismi Dni Petri Canisii elucidatio, per quaestiones et Responsiones eiusdem Catechismi verum et germanum sensum inquirentes: Authore D. Cornelio Gaudano Societatis Ihesu Theologo · Lovanij Anno 1575. 3. Calen. Decembris". (8° min.; ff. non sign. 235). Ita *Sommervogel* l. c. III 1265. Atque *Catalogus* quidem collegii lovaniensis anni 1574 habet „Joannem Gerbrandum Goudanum", a. 1554 natum, 1568 in Societatem ingressum; qui a. 1579 Atrebati (Arras) sacerdotio initiatus est et a. 1613, cum casus conscientiae explicuisset et latinas contiones habuisset, Antverpiae mortuus est (*Sommervogel* l. c.); neque vero quisquam in Sociorum numero reperiri potest Cornelius sive Goudanus sive Gaudanus. Quare sic conicio: Pro „Cornelio Gaudano" legendum vel scribendum fuit „Nicolao Goudano"; et haec „Elucidatio" a praeclaro illo Nicolao Floris (Florentii) Goudano composita est, qui, cum Lovanii litteris operam dedisset, Societatem intravit, Ingolstadii et Vindobonae theologiam cum Canisio docuit, a pontifice in Scotiam missus est, a. 1565 Lovanii supremum diem obiit, cum ibidem ultimis vitae annis catechismum in variis universitatis collegiis adulescentibus omnium disciplinarum studiosis explicasset (*Sacchinus*, Hist. III l. 1 n. 88—95; *Can.* I 339 729); nec mirum est, eum Canisii Catechismum parvum explicasse; ad hunc enim componendum ipse operam contulerat (*Can.* II 207). Hanc itaque explicationem a Goudano Lovanii, ut videtur, relictam ibidem fere 10 annis post aliquis suscepit transcribendam et opus 30. Decembris 1575 absolvit; qui fortasse fuit Benedictinus; nam, ut ex R. P. *Alfredo Poncelet* S. J. accepi, sub codicis inscriptione notatum est: „Liber monasterii Sancti Trudonis F. 8 (St-Trond in Belgio). Explicatio autem, ut idem P. Poncelet mihi scripsit, ita facta est, ut singulis catechismi canisiani quaestionibus responsionibusque subiciantur commentarii instar aliae quaestiones et quaestiunculae, quibus Canisii sententia planius et copiosius exponatur.

5. Brugis (Bruges, Brügge, in Belgio) in bibliotheca publica exstat Codex chartaceus in 4° (sign. „248") ex abbatia Dun proveniens et varia scripta theologica saeculi XVI. complectens; ex quorum numero est „Luculenta quedam ac brevis exercitatio catechismi R. P. petri canisii . . . a magistro alberto herlemensi S. J. theologo nobis tradita anno 1578 XIX. junij": Catalogue des Manuscrits de la bibliothèque publique de Bruges, par *P. I. Laude*, Bibliothécaire, Bruges 1859, 227. Cf. etiam *De Backer*, Bibl. III 2055. *Sommervogel* existimat, magistrum hunc fuisse „Albertum Erenburch Harlemensem", natum a. 1553, tirocinium provinciae S. J. flandricae ingressum 8. Maii 1572, mortuum Mosaetraiecti 28. Octobris 1581 (l. c. IV 112—113). Qui in uno ex huius provinciae collegiis docuisse videtur.

6. *Chr. d' Elvert* affirmat: Sebastianum Freytag (Freitag), canoniae ordinis praemonstratensis pontanae (Bruck) prope Znoymam (Znaim) Moraviae civitatem sitae abbatem (quem disciplinae religiosae instaurandae et religionis catholicae tuendae studiosissimum fuisse constat), 5. Februarii 1578 rectori collegii S. J. brunensis (P. Alexandro Höller) operam obtulisse ad Canisii „doctrinam christianam"

bohemice reddendam et suis impensis — canonia illa suam habebat typographiam — excudendam („Schriften der historisch-statistischen Section der mährisch-schlesischen Gesellschaft zur Beförderung des Ackerbaues" etc. X, 1857, p. XL). Nomine autem „doctrinae christianae" hic significari videtur „Summa doctrinae christianae"; nam Parvus Catechismus Catholicorum iam a. 1572 bohemice versus et vulgatus erat; v. supra p. 639. Neque, hoc quidem tempore, pium illud consilium optimi abbatis ad effectum deductum est; de rebus ab eo praeclare gestis v. *Kroess,* Böhm. Prov. I, 412 461—466 613.

1190. Circa a. 1575—1579.

Laus Canisio ab Alberto V. Bavariae duce tributa.

Matthaeus Raderus (1561—1634), qui a. 1581 Societatem Iesu in provincia Germaniae superioris ingressus erat, in Vita Canisii Monachii a. 1614 primum edita (p. 269) hoc posuit Alberti V. ducis, qui a. 1550—1579 Bavariam rexit, iudicium de PP. Petro Canisio et Paulo Hoffaeo, ex quibus ille a. 1556—1569, hic 1569—1581 Societatis hominibus in Germania superiore cum praepositi provincialis potestate praefuit: „Albertus Boiorum princeps illud columen Germaniae, secundum Deum, Canisio et Hoffaeo religionem Catholicam, et salutem gentis suae defensam et retentam in acceptis retulit, solitus de vtroque dicere: *Petrus Apostolus, et Paulus doctor gentium, ipsi nos docuerunt legem tuam Domine.*" Quam laudem apostolis hisce ecclesia et olim tribuebat, et nunc quoque in „Antiphona ad Magnificat" utrarumque Vesperarum infra octavam Sanctorum Petri et Pauli tribuit.

Deinde *Andreas Brunner* (1589—1650) S. J. in libro „Excubiae Tutelares Serenissimi Principis Ferdinandi Mariae", Monachii 1637, p. 551 de Alberto V. narrat: „[Canisio] salutem Gentis suae ALBERTVS ita acceptam tulit, vt de illo eiusdemque Instituti Professore Ecclesiaste suo non aliter, quam Ecclesia de Apostolorum Principibus, loqueretur, saepe illud magno animi sensu repetens, PETRVS CANISIVS ET PAVLVS HOFFÆVS IPSI NOS DOCVERVNT LEGEM TVAM DOMINE".

Item *Ioannes Vervaux* (1585 vel 1586—1661) S. J. in „Annalibus Boicis" cum nomine Ioannis Adlzreitter primum Monachii a. 1662 editis de Alberto V. scribit: „Me vetaret modestia referre ejus de Canisio et Hoffaeo, quo utebatur Ecclesiaste, judicium, nisi Brunnerus retulisset, cum saepe ille magno animi sensu, Ecclesiae de Apostolorum Principibus elogium utrique accommodaret hoc dicto: Petrus Canisius, et Paulus Hoffaeus, ipsi nos docuerunt legem tuam Domine" (*Joannis Adlzreitter* Annalium Boicae gentis Partes III. Editio nova cum praefatione *Godefr. Guil. Leibnitii,* Francofurti ad Moenum 1710, P. 2, l. 12, n. 43).

Brunner igitur et Vervaux Raderi verba aliquantulum correxerunt; verba, inquam; nam quod ad rem ipsam attinet, nihil inter illos et Raderum interest.

Rader, Brunner, Vervaux[1] viri erant docti et imprimis in historia Bavariae

[1] *Vervaux* alio Annalium loco: „Petrus Canisius", inquit, „inter aevi sui sapientissimos, vir integerrimus" (l. c. p. 281).

versati; quibus frequens et familiare cum proceribus monacensibus erat commercium; cf. *Duhr*, Jes. II², 256—263 417—423 723—745.

1191. 1576.

„SVMMA DOCTRI- NAE CHRISTIANAE, *PER QVAESTIONES CATE- CHI sticas luculenter tradita, multis in lo cis locupletata, & postremò recognita* [sic]. | *AVCTORE D. PETRO CANISIO* | *Societatis IESV Theologo.* BENEDICES CORONÆ ANNI BENIGNITATIS TVÆ PSAL 64 COLONIAE. *Apud Maternum Cholinum.* M. D. LXXVI. Cum Priuilegio Cæs. Maiest." Verba „Benedices" etc.. usque ad „64" incl. corona florea cincta sunt, quam tenet manus ex nubibus porrecta (signum typographicum Cholini).

12°; pp. sign. 424; praeterea ff. non sign. in initio 12 (addito titulari) et in fine 9; titulum sequuntur Canisii litterae dedicatoriae ad Colonienses et ad Guilielmum Bavariae principem (cf. *Can.* VI 426); f. A 12ᵇ imaguncula ligno incisa: signum nominis Iesu radiis cinctum; in novem foliis postremis conspectus rerum catechismi, auctoris „Confessio" (cf. *Can.* VI 745), carmen de praecipuis catechismi partibus.

Editionem vidi Herbipoli in bibliotheca FF. Minorum Conventualium; eandem breviter posuit *Sommervogel* l. c. II 625.

1192. 1576.

Canisii Catechismus parvus iterum latine Antverpiae, Cracoviae, Dilingae, gallice Antverpiae editur.

1. „P. Canisii Parvus Catechismus figuris ornatus. Antverpiae, 1576, 16°"; Ita (a. 1869) *De Backer*, Bibl. I 1062. „Institutiones Christianae pietatis seu parvus catechismus Catholicorum, cum figuris aeneis P. Van der Borcht. Antverpiae, excudebat Christophorus Plantinus. 1576. 16°": Ita *I. B. Reiser*, P. Petrus Canisius als Katechet in Wort und Schriften, 2. Aufl., Mainz 1882, 66. Utrumque deinde (a. 1891) ad verbum secutus est *Sommervogel*, Bibl. II 636 656. Neque tamen editio a De Backer notata ab editione Reiseri diversa esse videtur. „Figuras" autem illas existimo esse eas ipsas, de quibus Plantinus a. 1574 Canisio scripsit; v. supra p. 169.

2. „R. P. Petri Canisii S. J. Th. parvus Catechismus catholicorum, nunc primum integritati restitutus. Cracoviae, Of. M. Siebeneycher, 1576, 8°": Ita *De Backer*, Bibl. I 1059—1060, et ex eo *Sommervogel* l. c. II, 636. Editionem breviter memorat *K. Estreicher*, Polnische Bibliographie des XV.—XVII. Jahrhunderts, Krakau 1883, 66. De prioribus editionibus cracoviensibus v. *Can.* II 830¹; III 778; V 800 823.

3. Friburgi Helvetiorum in bibliotheca reipublicae exstat "Catalogvs Bibliothecae Collegii Soc. Iesv Fribvrgi Helvetiorvm. Renovatus Anno Domini MDCXXVII"; atque in eo comparet Canisii „Catechismus paruus cum precibus" latine Dilingae a. 1576 in 12° editus. *Sommervogel* hanc editionem non posuit.

4. „INSTITVTIONES CHRISTIANÆ PIETATIS, Paruus Catechismus Catholicorum. *Auctore D.* PETRO CANISIO, | *Societatis* IESV *Theologo* Accessêre Preces horariæ de æterna DEI sapientia, IESV CHRISTO Do- | mino nostro, cum piis qui- busdam & Christianis | exercitationibus. *LVGDVNI.* Apud Michaelem Iouium, & | Ioannem Pillehotte. 1576". Versus 1, 2, 3, 5, 6, 12 rubri sunt.

16°; pp. sign. 109; praeterea ff. non sign. in initio 8 (addito titulari), in quibus calendarium est positum: p. 1—36 catechismus; sequuntur testimonia S. Scripturae, meditationes cotidianae de virtutibus Christi, precatio S. Thomae „Creator ineffabilis", preces singulis hebdomadis diebus ante scholam recitandae.

Librum vidi a. 1890—1891 Romae in bibliotheca barberiniana (quae postea in vaticanam translata est); eundem breviter memoravit *Sommervogel* l. c. II 636.

5. „Institutions de la pieté chrestienne, ou petit catechisme pour les catholiques, par Pierre de Canis. A Anvers, Jean Bellere, 1576, 16°": Ita *De Backer*, Bibl. I 1061, et ex eo *Sommervogel* l. c. II 650.

1193. 1576.

„Institutiones et exercitamenta christianae pietatis Auctore D. Petro C… Societatis Iesu Theologo. Antverpiae. Ex Officina Christoph. Plantini, 1… pp. 511“: Ita *De Backer*, Bibl. I 1051. *Sommervogel* vero haec on… Estne haec huius operis editio illa, quam Plantinus „imaginibus“ se … erat; Canisio 23. Ianuarii 1574 scripsit (cf. supra p. 169), idque ita, ut in …obatis lectu Canisii sententiam sequeretur et iis „superscriptiones et subs… Nov. I, poneret a Canisio missas? Vide supra p. 169.

1194. 1576.

Oprodius Canisii catechismum a se flandrice versum et amplificat…

De Joachimo ab Oprode, episcopo titulari hebronensi et F… …oeenckh archiepiscopi ultraiectensis „vicario in pontificalibus generali et s…raganeo“ haec narrantur in libro „*Batavia sacra,* sive Res gestae Apostolicorum Virorum, qui fidem Bataviae primi intulerunt“ I, Bruxellis 1714, 251: „Inter caetera Catechismum jussu Ferdinandi Imp. anno 1567. Latine primum editum, ac postea jubente Philippo II. Hispaniarum Rege Flandrico Idiomate donatum, tertio perfectius, instructionibus a se auctum, in lucem emisit Ultrajecti, anno Chr. 1576.“ Canisii catechismum, quamquam perperam prima eius editio in annum 1567 et prima eius versio flandrica post hunc annum reiciuntur, his verbis significari certum est; nam hunc solum iam aliquot annis ante hoc tempus et Ferdinandus edi solumque, seclusis aliis catechismis, in terris suis usurpari, et Philippus flandrice verti et solum in Belgio explicari iusserant; v. *Can.* I 754; VI 706. Canisiine et Oprodii nomina huic editioni ascripta sunt? Notandum certe, „Bataviam sacram“ tecto auctoris nomine editam esse ab Hugone Francisco van Heussen Congr. Or. († 1719), qui provicarius schismaticae ecclesiae ultraiectensis et Iansenistarum fautor ac proinde Societati Iesu parum amicus erat; cf. *Hurter*, Nomenclator IV³ 895[1].

Ceterum etiam *J.-N. Paquot,* de historia litteraria illius regionis optime meritus, de Oprodio, magnae virtutis viro († 2. Iulii 1576), haec notat: „On a de ce Prélat un ‚Abrègé de la Doctrine Chrêtienne, composé en Latin par le R. P. Canisius, Docteur de la Compagnie de Jésus, présentement traduit en Flamand‘. Utrecht, 1576, 12°. Oprode fit cette version par ordre de Philippe II; il y a inséré quantité d'explications, ou de petits suppléments da sa façon“: Memoires pour servir a l'Histoire litteraire des dix-sept provinces des Pays-Bas etc. III, A Louvain 1770, 375.

Paquotium hac in re secuti sunt *De Backer*, Bibl. I 1059, et *Sommervogel* l. c. II 632; item hanc editionem commemoravit *M. A. H. Willemsen*, De Werken van Wilhelmus Lindanus I, in „Limburg's Jaarboek“ II, Roermond 1895, 721; neque vero cuiquam eorum contigisse videtur, ut librum ipsum videre posset; atque a. 1915 idem liber Hagae Comitis ('s Gravenhage) in bibliotheca regia et Amstelodami, Groningae, Lugduni Batavorum (Leiden), Ultraiecti in bibliothecis illarum universitatum quaesitus nec tamen repertus est.

1195. 1576.

Anno 1576, ut videtur, Dilingae in lucem prodiit nova editio libelli canisiani „Beicht vnnd Communion Büchlein“, eaque a Canisio ipso recognita et praefatione nova instructa, a Ioanne autem Mayer excusa. De qua re vide, quae copiose dicta sunt in *Can.* VI 679—681; cf. etiam *Can.* V 824.

1196. 1576.

Canisii catechismus Selestadii, in Creta, in Indiis.

1. *Portia* nuntius apostolicus Friburgo Brisgoviae 23. Februarii 1576 Romam ad cardinalem Comensem haec, praeter alia, rettulit: Se, cum (circa 20. Februarii) per Selestadium (Schlettstadt, oppidum Alsatiae, dioecesis argentoratensis) transiret, cum parocho, viro optimo et honoratissimo (Reinhardo Lutz?), operam conferente

Ioanne a Manderscheid episcopo argentoratensi, constituisse, ut in eam civitatem, ... de fide catholica magnopere periclitaretur, Catechismus Canisii induceretur ... ss, Nunt. V 352).

11... mentario „Trattato sopra l' aiuto spirituale e riduzione della Grecia", ... Dominico Trajani (Trojani) S. J. inter medium et exeuntem a. 1576 ... itus recitatusque esse videtur, *Traianus* haec affirmat: „Scrivono duoi ... di fresco passati in Candia, che già li preti greci, cominciano a ser- ... ismo del P. Canisio": *Bessarione*, Anno VII. S. 2, Vol. 3 (Roma ...

... *Possevinus*, Societatis Iesu secretarius, Roma 29. Septembris 1576 ... rium" cathedralis ecclesiae trecensis (Troyes, in Gallia) decanum ... epistulam „De necessitate, vtilitate, ac ratione docendi Catholici Catechismi", in qua multa dicebat de catechismo Canisii, „quem vniuersus pene orbis Christianus libentissime excepit", ita ut non solum in tota Europa, sed etiam „in Indiis" eo utantur. Plura ex hac epistula proximum huius operis volumen habebit in monumentis anni 1583; hoc enim anno illa typis est exscripta.

1197. Mense Aprili a. 1576.

Boquinus professor heidelbergensis in libro contra Societatem edito Canisii catechismum calumniatur.

Petrus Boquinus (Bouquin) gallus („biturigus"), ex monacho ordinis carmelitani, quem a. 1541 deseruit, theologiae protestantium professor in universitate heidelbergensi a. 1557 factus, eo autem officio, quia unus ex praecipuis calvinianismi patronis erat, a. 1577 cedere a Lutheranis coactus, denique Lausannae a. 1582 mortuus, scripsit tum multa alia, tum librum „Assertio veteris ac veri Christianismi, adversus nouum et fictum Jesuitismum seu societatem Iesv. Authore *P. Boquino* Biturigo, sacrarum literarum in Academia Heydelbergensi professore. M. D. LXXVI. Apud Ioannem Mareschallum, Lugdunensem." Quem librum Heidelberga 1. Ianuarii 1576 „Ludovico a Sein, Comiti in Witgenstein, ac D. in Homburg, Palatinae aulae summo Praefecto" dedicavit. Boquini liber iterum typis exscriptus est in opere „*Doctrinae* Iesuitarum praecipua capita", Rupellae (La Rochelle, in Gallia) a. 1580 (v. infra, monum. 1249) et iterum 1584 et 1589 vulgato, item in opere „Tractatus de proprietatibus Jesuitarum . . . opera et studio *Conradi Deckheri* Juliacensis, Collegii Sapientiae, quod est Heidelbergae, Praeceptoris", Oppenhemii 1611. In huius „Assertionis" capite nono, quod sic est inscriptum: „Nouitium (usus sum editione eiusdem principe) Iesu sodalitium vera Christi fide praeditum non esse", *Boquinus:* Jesuitarum, inquit, „publice edita scripta . . . euidentissime demonstrant, verae in Christum fidei ne scintillam quidem in illa schola esse posse. Occurrunt, vt verum fatear, nonnulla in his scriptis praeclare dicta, velut flosculi quidam inter multas sordes aspersi, et quasi grumuli auri inter magnam stercoris copiam pellucentes. Apparet haec vel scriptoribus somniantibus, vt fit, obuenisse, vel vi veritatis esse extorta, vel ipsis accidisse quod Balaamo et Caiphae, vel denique eos imitari voluisse Satanam mendacij verum parentem, inter cuius πανουργίας καὶ ψευδοδοξίας hoc in primis numeratur, quod nonnunquam verum loquatur, sed eo consilio, vt se insinuet et postea confidentius sua mendacia spargat, ac facilius persuadeat. Vt hoc posterius mihi facilius persuadeam, facit quod in ipso Austriacae catecheseos[1] limine videam collocatam esse Christiani definitionem, quae puritatem doctrinae summam prae se fert. Eum enim Christianum esse pronunciat, qui in ipsa Christi doctrina acquiescit, et ab ea diuersam damnat atque refugit. Subiicit postea fidei descriptionem, quae

[1] Canisii „Summam doctrinae christianae" significat; quae primum a. 1555 Vindobonae sine auctoris nomine iussu Ferdinandi I. Romanorum regis edita est cum eiusdem regis litteris, quibus is catechismus solus, exclusis aliis, in Austriae inferioris provinciis adhiberi iubebatur; v. *Can.* I 751—755.

magnam gerit verae pietatis speciem, eamque claudit pulcherrima Chrysostomi sententia: Fides est animae lumen, ostium vitae, fundamentum salutis aeternae. Haec qui legit in fronte ascripta pietatis ac veritatis studiosus, an non ingreditur spei plenus, et afficitur summa cupiditate, quae sequuntur omnia non modo legendi, verumetiam cognoscendi et discendi? At qui iudicio praeditus, spirituque discretionis instructus est, statim fraudem deprehendet, referetque pedem. Neque enim primis respondent aut media aut vltima: sed res ipsa ostendit esse praesentissima venena melle illita. Diceres esse meretricias illas illecebras, quas graphice depingit Solo. Prouerb. 5. et 7. quibusque nonnulli volunt haereticorum ad illiciendos incautorum animos compositas artes, exprimi. Quid quaeso est in sequentibus libelli huius, quem summam doctrinae Christianae inscripserunt, partibus illi fronti simile? imo quid non dissimile? quid non corruptum et prorsus adulteratum? Quid non pugnans cum puritate Apostolicae doctrinae? Et ne infinita persequar, vnum propono caput de modo expiandorum peccatorum, fol. 103 [1]. Cum sex enumerent modos, ac plures esse dicant, vt est superstitiosa ignorantia foecunda, nulla tamen inter hos prorsus mentio fit vel sanguinis Christi, vel fidei in ipsum: quibus solis ferenda est accepta peccatorum remissio. Hoccine est Christianum esse et in Christi acquiescere doctrina? Ita solet a seipso dissidere mendacium, seque ipsum conficere. Sed ad alia pergamus" (p. 60—62).

At mentitur et calumniando „se ipsum conficit" *Petrus Boquinus;* nam *Canisius* in „Summa" iam inde a prima eius editione docuit de „remissione peccatorum": „Virtute Dominicae passionis confertur"; et de Christo: Eum esse auctorem atque consummatorem sapientiae iustitiaeque nostrae: esse nobis viam, veritatem et vitam; de plenitudine eius omnes nos accepisse; Christi passione, sanguine, cruce, vulneribus, morte peccatoribus consolationem, sanitatem, virtutem, vitam continuo exhiberi, dummodo pareant et compatiantur Christo capiti, ut ita simul cum eo glorificentur. Et in nova Summae recognitione primum a. 1566 Coloniae evulgata et proximis annis saepe recusa *Canisius* responsionem ad quaestionem illam de modo expiandorum peccatorum a Boquino commemoratam sic exorditur: „Hic in primis est extra controuersiam, Christum nobis esse propitiatorem, et illum Dei agnum, qui tollit peccata mundi, quique solus remissionem peccatorum nobis potuerit promereri, et purgationem eorum facere. Deinde certum est Deum fide purificare corda, vt Petrus inquit, quod citra fidem (humanae salutis ostium ac fundamentum) nullus peccatorum remissionem aut expiationem consequi aut sperare possit" etc. Plura vide *Can.* IV 1027; V 796—797.

Neque igitur mirum esse potest, *Boquinum* de Societate Iesu universa sic scribere: „Nihil tam est crassum, tam putidum, tam impurum, tam insulsum atque impium in Pontificia lacuna aut cloaca, quod nouis istis repurgatoribus et instauratoribus non bene oleat: omnia probant, asserunt, defendunt, quantumlibet vel inepta vel absurda. Id editorum ab ipsis librorum lectio certissime docere potest. . . . Quicunque igitur in nouis istis Iesu sociis, qui vti sunt seducti, ita quam possunt operam dant vt alios seducant, existimant aliquam inesse verae in Christum fidei scintillam seu micam, aut ipsorum ingenium atque mores minus perspectos habere, aut hos ipsos parum sincerae fidei esse oportet" (p. 64—66).

1198. 1576.

Ex libro „Suma de dotrina Christiana, Que compuso en Latin el Dotor *Pedro Canisio,* y traduxo en lengua Castellana el Dotor *Gaspar Cardillo de Villalpando*", Alcalá, 1576, f. 3ª—7ª (non sign., in initio).

Villalpandus vir hispanus isque doctissimus Canisium eiusque catechismum magnopere laudat.

---

[1] Nescio qua Summae editione Boquinus usus sit. Exstat hoc „caput" vel potius haec quaestio cum responsione in editione vindobonensi anni 1556 f. 145ª—147ª, in coloniensi anni 1560 p. 200—203.

Praefatio editoris. Caspar Cardillus de Villalpando (1527—1581) segobiensis (Segovia), canonicus complutensis (Alcalá), Aristotelem, cuius erat studiosissimus, commentariis illustravit, contra doctrinas protestantium scripsit, alios libros edidit; idem ad concilium tridentinum sub Pio IV. congregatum missus est, ut Alvari Mendozae episcopi abulensis (Avila) vices ageret; in quo concilio orationes aliquot habuit et in locum Petri Soti O. Pr. († 1563) theologus pontificius, curante S. Carolo Borromaeo, substitutus est (*Nic. Antonius*, Bibliotheca Hispana nova I, Matriti 1783, 521—522; *Hurter*, Nomenclator III² 161—162). Ibidem fortasse Canisius in eius venit notitiam; certe ille a. 1563 per litteras cum Villalpando egit et ad eius „Apologiam indictionis Concilii Tridentini“ Ingolstadii eodem anno typis exscribendam operam contulit (*Can.* IV 166 186 204 321 325 362).

Doctissimus vir Caspar Cardillus de Villalpando versioni hispanicae „Summae“ canisianae a se factae et a. 1576 Compluti in lucem emissae (v. supra p. 730) litteras dedicatorias ad Ioannam Coello, uxorem Antonii Perez „secretarii status“ Philippi II., datas praeposuit, in quibus haec, praeter alia, affirmat: In numero librorum utilissimorum ponendi sunt catechismi, hoc praesertim tempore, cum in Europa nullum paene est regnum, nulla provincia, quae non sit falsis de religione doctrinis infecta, „sino España, por la misericordia de Dios y zelo Christiano de nuestro catholico Rey, y por el cuydado de la santa Inquisicion fuerte muro contra los enemigos de la yglesiu *[sic]*, y puesto por mano de Dios en estos reynos de su Magestad, a quien se deue la paz, la concordia y sossiego de que gozamos“. Constat vero, catechismis non solum aegrotorum animorum morbos curari, sed etiam morbos arceri ab animis sanis. „Por esta razon me parece, que cumple que nos proueamos en España de tan efficaz y santa medicina.... Considerando yo esto, y andando reboluiendo libros, con intento de hazer vna dotrina Christiana en nuestra lengua al tiempo que estuue en el concilio de Trento, donde conoci mas claramente quanta necessidad auia della, por ver el contino cuydado con que los herejes pretenden contaminar la dotrina catholica: tope con vna que hizo el Dotor Pedro Canisio de la compañia de Iesus varon tan santo y doto, que por medio de su predicacion y exemplo ha reduzido nuestro señor a su yglesia grandissimo numero de herejes de Alemaña. Luego que la ley, me parecio que por mas que yo quisiesse trabajar no podia hazer cosa como ella con muchos quilates. Y ansi dexe la empressa que lleuaua, y determine traduzir en nuestra lengua esta dotrina[1]: a lo qual me mouio ser el autor tan aprouado, y el libro tan escogido y copioso, que ninguna cosa dexa de enseñar de las que es menester saber, y se enseñan en la yglesia; y con todo esso es tan breue, y guarda tan buen orden en lo que trata, que en poco tiempo le puede quien quisiere leer, y sin mucho trabajo tomar de memoria.

[1] Catechismi canisiani versionem hispanicam a Ioanne Martino Cordero factam et Antverpiae a. 1558 editam R. P. *Henricus Portillo* S. J. nuper Matriti invenit; de qua in huius operis supplemento plura dicentur. De „Summa“ Canisii a. 1562 Vallisoleti hispanice edita v. *Can.* IV 791.

Demas desto lo que tracta tiene mucha autoridad: porque la dotrina es tomada de la sagrada escritura, confirmada con la tradicion y vso de la yglesia vniuersal, con los sacros concilios, con determinaciones de Pontifices Romanos, y parecer de sagrados dotores. Tambien entendi que el Emperador Ferdinando auia mandado no se enseñasse en Alemaña publicamente otra dotrina Christiana sino esta[1], cuyo parecer pocos años despues confirmo el Rey nuestro señor, mandando no se leyesse otra en sus estados de Flandes[2], y aun encargando mucho a los que lo podian hazer, la traduxessen en otras lenguas, para que mas gentes pudiessen gozar deste thesoro.... Viendo yo esto y desseando aprouechar a mi nacion, y en esta parte cumplir la voluntad de mi Rey, traduxe esta dotrina en nuestra lengua."

1199. 1576.

Ex autographo; Germ. 137 f. 91[a].

De approbatione operum PP. Canisii et Peltani.

P. *Hoffaeus* provincialis Ingolstadio 24. Octobris 1576 ad Mercurianum praepositum generalem haec rettulit de P. Theodori Peltani „Sacrosancti Concilii Ephesini Actis", quae Ingolstadii eo anno edita sunt (cf. *Can.* III 403), et de Canisii Opere Mariali ibidem typis exscribi coepto: „Procurator noster" P. Ioannes Rabenstein initio a. 1576 a provincia Romam ad praepositum generalem missus (v. infra, monum. 1200) „affirmauit, Paternitatem V. demirari cur libri P. Canisij et P. Peltani in vrbem missi non sint priusquam imprimerentur. Ego vero nullam ordinationem memini quae hoc a me postularet. Deinde isti duo Patres de suis libris per proprias literas apud P. V. egerunt, et etiam literis P. V. ad scribendum et euulgandum se animari, imo et vrgeri mihi fassi sunt, vt ego de ipsorum libris minus mihi curandum putarim."

Hoc quidem Societatis *Constitutionibus* cautum erat, ne ullus liber „sine examinatione et approbatione speciali Praepositi Generalis" in lucem emitteretur (P. 4, c. 6, O; cf. P. 3, c. 1, n. 18); iam autem propter librorum multitudinem aliasque difficultates ea approbandi facultas a praepositis generalibus aliqua ex parte provincialibus delegari coepta erat: cf. *M. Reichmann* S. J., „Ordenszensur", in „Stimmen aus Maria-Laach" LXXXVII, Freiburg i. Br. 1914, 151—154.

1200. 11.—19. Ianuarii 1576.

Ex congregationis Actis authenticis, Romam ad Everardum Mercurianum praepositum generalem perlatis, quae exstant in Codice „Congr. 42" f. 176[a]—179[a]. Acta haec P. Theodoricus Canisius, congregationis secretarius ab ipsa electus, sua manu scripsit, subscripsit, sigillo „Societatis Iesu in superiori Germania" munivit. Eadem Acta a. 1587 pro provincia Germaniae superioris descripta sunt ita, ut nonnulla brevius dicerentur, et singulis quaestionibus vel propositionibus, quid a praeposito generali responsum esset, subiungeretur; quod apographum exstat in Cod. „B. 10" p. 25—33.

Congregatio provincialis Oeniponte habetur. Natalis et Canisius ad secernenda postulata deliguntur. Procurator eligitur. De negotiis praeposito generali proponendis statuitur.

---

[1] Ferdinandus I. a. 1554 praecepit, ut Canisii catechismus solus in Austriae inferioris et comitatus Goritiae „scholis publice aut privatim" pueris proponeretur: deinde a. 1560 hoc praeceptum ad omnes provincias suas hereditarias extendit (*Can.* I 752—754); neque potestas ei suppetebat praecipiendi idem toti imperio germanico. [2] De hoc Philippi II. mandato v. *Can.* IV 1006; VI 706.

Ex Instituti Societatis praescripto anno 1576 haberi oportebat a provincia Germaniae superioris congregationem, eligendi procuratoris causa, qui ad praepositum generalem iret ad eumque de provinciae rebus referret etc. Haec igitur congregatio cum in diem 11. Ianuarii a P. Paulo Hoffaeo provinciali indicta esset, eodem die Oeniponte in Societatis collegio adfuerunt electores omnes, praeter PP. Dominicum Menginum et Gasparum Haivodum, „qui suam *absentiam legitime purgarunt. Primus consessus habitus est 12. Ianuarii.* Dicto hymno Veni creator Spiritus — *ita habent congregationis acta* — post P. Prouincialem euocati sunt Professi quatuor votorum, et sederunt ad dexteram P. Prouincialis, ordine antiquitatis inter ipsos seruato: et deinde Rectores Collegiorum, qui et ipsi a sinistro latere P. Prouincialis sederunt ordine antiquitatis. Omnes fuerunt numero duodecim, quorum nomina sunt, quae sequuntur eo ipso ordine, quo sedebant, et sententias dixerunt, P. Paulus Hoffaeus Prouincialis, P. Hieronymus Natalis, P. Petrus Canisius, P. Theodoricus Canisius, P. Hieronymus Torrensis, P. Gregorius Rosephius, P. Theodorus Peltanus, P. Henricus Arboreus, P. Joannes Rabenstain, P. Wendelinus Volckius, P. Mathias Lacknerus, P. Michael Marius qui pro P. Dominico Mengino, Collegii Monachiensis Rectore, missus fuit."

Pauca praefato Hoffaeo congregatio declaravit se esse „legitimam". Deinde electi sunt „ad plura suffragia" secretarius congregationis P. Theodoricus Canisius et huius „adiutor" P. Rabenstein. Eodem modo electi sunt P. Jeronymus Natalis, et P. Petrus Canisius, qui vna cum P. Prouinciale seligant, quae sint Congregationi prouinciali proponenda, quae reijcienda: *deinde procuratori eligendo designatus est d. 14. Ianuarii.*

D. 14. Ianuarii, ante meridiem, octauo scrutinio, pluribus medietate suffragijs *procurator P. Rabenstein,* et primo scrutinio similiter electus est qui subrogari possit in locum prioris si is venire non possit, *P. Peltanus.* Decretum denique est, vt ante noctem diei proxime sequentis, omnes afferant ad Deputatos, quae Congregationi proponenda iudicauerint.

D. 16. Ianuarii actum est inprimis de rationibus, quae mouere possunt, vt Congregatio generalis celebrari debeat, vel non celebrari. Deinde actum est de negotijs, quae Congregationi proponenda iudicarunt Deputati: Et ad plura suffragia *nomine congregationis ad praepositum generalem mittendae visae sunt causae septem; ex quibus hic pono sextam, reliquis brevitatis causa omissis:* Vt Pater noster de affectibus Principum seu Fundatorum nostrorum [1] bene instructus, rogetur, qua ratione putet illos a nobis esse tractandos, vt eos habere possimus et retinere beneuolos.

Die 17. Ianuarii „ante meridiem" congregatio statuit quattuor capita praeposito generali proponere; quorum tertium hoc erat: Quoniam contractus ille Germanicus 5. pro 100. Theologorum sententia damnatur tanquam vsurarius, odiosam reddit apud multos, etiam Principes vtriusque ordinis, nostram Societatem, qui non solum legittimum eum esse opinantur, . . . Visus est P. N. Praepositus rogandus, vt modum nobis significare velit, quo nostri Confessarij, Concionatores et Doctores in hac re gerere se debeant, et, si videbitur, efficere, vt summus Pontifex suam interponat autoritatem. . . . Oportunum autem visum est, si summo pontifici per nostrum Patrem offerretur Mandatum Episcopi Augustani piae mem: superiori anno per totam diocesin Augustanam promulgatum [2], vt rectius de contractu isto iudicari Romae possit. . . . Eodem die post meridiem . . . de tollendis, in Theologia et philosophia, nouis, periculosis, et minus certis opinionibus, *de moderanda consuetudine „dictandi ad pennam" discipulis „integros cursus" theologicos et philosophicos* [3], *de aliis difficultatibus et necessitatibus constitutum est, ut ea omnia praepositi generalis curae committerentur. Similiter actum est diebus 18. et 19. Ianuarii.*

---

[1] Alberti V. ducis Bavariae, Ferdinandi II. archiducis et Austriae superioris principis, Marquardi a Berg episcopi principis augustani, Magdalenae archiducisae.

[2] De hoc mandato Ioannis Egolphi a Knöringen v. supra p. 341 [2].

[3] Hic mos iam circa a. 1572 in Societatis magistris ingolstadiensibus notatus et improbatus erat (*Riezler* l. c. [v. supra p. 147 [1]] VI 303).

Responsum est ab *Everardo Mercuriano* praeposito generali de principum benevolentia conservanda: „Optima ratio et Vitae integritas et disciplinae nostrae accurata obseruatio, Deinde quibus possumus officijs eos promoueamus ad pietatem, et oretur DEVS pro eis“; de 5°/₀: „Speratur quod Illustrissimus Dominus Legatus [1] a nostris et ab alijs, quorum interest, bene de tota re instructus, sit praestiturus bonum officium“ (B. 10, p. 28 29).

1201. 24. Ianuarii 1576.

Ex exemplo archetypo; Congr. 42 f. 197ᵃ 200ᵇ—201ᵇ.

Socii provinciae Aquitaniae deliberant, utrum in scholis inferioribus uti debeant catechismo gallico Canisii an Augerii.

In „Congregationis“ provinciae Societatis Iesu aquitanicae Lugduni sub P. Hannibale a Codreto praeposito provinciali a d. 17. ad 27. Ianuarii 1576 habitae „Actis“ a P. „Hermete Vinguenio“ S. J. congregationis secretario sua manu scriptis narratur, die 24. Ianuarii hoc, praeter alia, constitutum esse: „Cum in aliquibus collegijs P. Emundi Augerij catechismus, in alijs P. Canisij legatur, quaesitum fuit vter esset legendus, et cum rationes essent vtrinque allatae, visum est ad R. P. N. Generalem rem deferri deberi, vt ille perpensis rationibus statuat vter sit praelegendus.“

Hae autem rationes in iisdem Actis sic proponuntur:

„Catechismum paruum Gallicum p. Emundi [2] in scholis nostris legendum esse rationes.

Pª Quia coeptus est legi in hac prouincia per aliquod tempus, et adhuc legitur in Collegio Tolosano et Rhutenensi [3].

2ª Cum tempore haereticorum, et ad euertendas haereses fuerit conscriptus ille catechismus videtur aptissimus, qui pueris praelegatur vt temporum et hominum moribus propria medicina praebeatur: qua constat multos hactenus viros, et foeminas ac pueros fuisse adiutos.

3ª Cum auctor ipse p. videlicet Emundus magnae sit in Gallia auctoritatis, et a pluribus cognoscatur, et ametur, videtur eius auctoritas illi quoque catechismo auctoritatem afferre, vt lubentius addiscatur.

4ª Videtur contemni ipse catechismus, et auctor pariter, cum semel legi coeptus sit, et postea repudietur: et aliquibus dari possit inde occasio aliquid sinistri suspicandi de vnione et charitate societatis.

5ª Non videtur expedire vt quem catechismum tot episcopi suis parochis commendarunt, et populo proponi iusserunt, nos e scholis nostris tot annis iam admissum reijciamus: quasi damnare videamur, et alijs damnandi occasionem dare.

Rationes aduersae suadentes P. Canisij catechismum legendum esse.

Pª Semper in scholis huius prouintiae lectus fuit catechismus latinus P. Canisij, et videtur inconueniens vt alius gallice in classibus inferioribus legatur, quam qui latine in superioribus.

2ª Ab initio prouincialatus P. Claudij Matthaei [4] ob rationes praedictas et sequentes lectus est in collegijs Camberiaci, Lugduni, Turnoni, et Auenione catechismus paruus Canisij gallice [5], et latine. Durum vero videretur si modo auferretur: et sine multorum murmuratione fieri non posset.

---

¹ Cardinalis Ioannes Moronus; v. supra p. 337 340.

² „Petit catechisme et sommaire de la religion chrestienne“ etc., Paris 1572, 1576; Bordeaux 1576 etc. (*Sommervogel* l. c. I 633; cf. etiam *Fr. J. Brand*, P. Edmundus Augerius S. J., Cleve 1903, 38—39).

³ Rodez. Praeter haec duo collegia provincia Aquitaniae habebat collegia Avenione, Camberiaci, Lugduni, Turnone (Hist. Soc. 41 p. 311—320).

⁴ In locum Augerii successerat provincialis Aquitaniae P. Claudius Matthieu aestate a. 1571 (*Fouqueray* l. c. I 492).

⁵ „Petit Catechisme des Catholiques“ etc., Paris 1565; plura v. *Can.* V 801.

3ª Sicuti conscriptus est catechismus P. Emundi tempore haereseon et tempestate calamitosa, ita et catechismus P. Canisij · cui visum est non expedire aperte iuuentuti proponere haereses, quae neque haereseon, neque veritatum catholicarum multum est capax, sed ijs tantum imbuere quae ad fidem catholicam addiscendam, et conseruandam expedirent, et hoc eius consilium a multis probatur.

4ª Cum in plerisque Europae partibus praesertim in prouincia Franciae[1] P. Canisij legatur catechismus, videtur in hac quoque legendus: vt conformitas, quae in his Galliarum prouincijs tantopere expetitur, conseruetur.

5ª Videtur Canisij catechismus multo vtilior iuuentuti praesertim paruus qui gallice legitur: quia continet multa quae necessario iuuentutem scire conuenit, vt partes iustitiae christianae, de peccatis, peccatorum distinctione, de operibus misericordiae, de fructibus et donis Spiritus sancti, et id genus alia. Nam paruus catechismus P. Emundi praeter doctrinam de articulis fidei, praecepta decalogi, orationem dominicam, et sacramenta nihil continet.

6ª Jn collegijs, in quibus P. Emundi catechismi intermissa est lectio nullum secutum est offendiculum, nec oblocutio cuius saltem ad nostras aures peruenerit fama. Nec mirum, cum prouectioribus canisij catechismus latinus semper praelectus fuerit, intermissus autem tantum paruulis."

Respondit Mercurianus praepositus generalis: Canisii catechismum latinum in scholis superioribus, gallicum in inferioribus retinendum esse (*Fouqueray* l. c. I 594[3]).

1202. A 2. Februarii ad 1. Maii 1576.

Contiones quaedam oenipontanae Canisii.

Exstant aliquot contionum canisianarum commentaria ex magna parte scripta a Balthasare Arnoldt, qui Oeniponte a. 1571—1576 Canisio multum operae in scribendo praestitit; ac duas priores contiones a. 1576 habitas esse probabile est ex ipsa Arnoldti scriptione cum aliis eius scriptis collata; reliquas autem eiusdem anni 1576 esse, si non certum, saltem valde verisimile est; ab Arnoldtio enim eadem ratione et eodem, ut videtur, subtiliore calamo scriptae sunt, quo ille in eodem codice Canisii exhortationem domesticam a. 1576 feria VI. ante Dominicam Passionis habitam (v. supra p. 608) scripsit.

„Purificationis Mariae" sive 2. Februarii anni, ut videtur, 1576. De ratione diei huius sacri et eius caerimoniis; deinde, ex evangelio diei (Lc 2, 22—32) „de exemplo Simeonis. Quomodo se quis debeat Simoni conformare in hoc festo et alijs recte et utiliter celebrandis" (Can. 32 f. 111ᵇ—118ᵃ).

„Jn Festo Mathiae" sive 25. Februarii anni, ut videtur, 1576 (bissextilis). „Matth. 10." „Kainer soll es mir verargen, das Jch jetzunder mit disen obgemelten Euangelio [Mt 10, 5—10] vmbgehe, vnd dasselbige zu predigen mir hab furgenommen. Dann Jch hallt es fur recht vnd billich, das Jch eben bej sollichem Euangelio bleibe, welliches von allters her in disen loblichen Stifft Brixen, an disen heutigen Fest offenlich gelesen vnd gesungen wirdt." Ostendit deinde Canisius, „quomodo hoc Euangelium ad Apostolos et spirituales pertineat", et, quas „doctrinas pro populo ad consolandum" contineat (Can. 22 f. 183ᵃ—191ᵇ). De evangelii delectu propterea se purgare videtur, quod Missale Romanum eo die aliud evangelium (Mt 11, 25—30) habet.

„De passione Christj" contiones aliquae, quarum saltem una habita est die Parasceves sive 20. Aprilis 1576 (Can. 30 f. 157ᵃ—173ᵃ 182ᵃ—184ᵇ).

„Feria secunda post Pascha" sive 23. Aprilis 1576. „De articulo resurrectionis Christi", cum explicatione evangelii diei et commendatione communionis frequentis.

---

[1] Huius erant collegia billomaeum, bituricense (Bourges), burdegalense, mauriacense, mussipontanum, nivernense, parisiense, virdunense (Hist. Soc. 41, p. 307 ad 309; *Fouqueray* l. c. I 594—645).

„Quomodo Christi resurrectio nobis seruiat ad meditandam et intelligendam ultimam resurrectionem omnium mortuorum" (Can. 30 f. 174[a]—177[b]).

„Jn festo Philippi et Jacobi" sive 1. Maii 1576. „Ad quid festum prosit. 1 ad laudem dei 2 ad fidei confirmationem 3 ad uitae correctionem" (Can. 30 f. 178[a]—181[b]).

1203. 27. Augusti et 2. Septembris 1576.

Ex apographis recentibus commentarii litterarumque Hoffaei. G. Sup. 101 f. 159.

Episcopus eystettensis Canisio aliisque Sociis „approbationem" dat et dona mittit.

Cum cardinalis Ptolemaeus Gallius Gregorii XIII. nomine cardinali Ioanni Morono Ratisbonae in comitiis imperii cum legati potestate moranti Roma 21. Iulii 1576 mandasset, ut, cum Martinus de Schaumberg episcopus eystettensis (in cuius episcopatu urbs erat ingolstadiensis) Sociorum laboribus Dei gloriam et salutem animarum spectantibus cotidie aliqua ratione officere diceretur, eum hortaretur, ut remotis omnibus difficultatibus quamcunque posset opem favoremque iis praestaret, et Moronus id se facturum Ratisbona 17. Augusti 1576 Gallio respondisset (*Hansen*, Nunt. I 95 125), animus episcopi, viri caeteroquin optimi, brevi est mutatus. Sanxerat Concilium Tridentinum, „nullum, etiam regularem, posse confessiones saecularium audire, nec ad id idoneum reputari", nisi aut parochiale beneficium haberet, „aut ab episcopis per examen, si illis videretur necessarium, aut alias idoneus iudicaretur et approbationem obtineret" (Sess. XXIII. de ref. c. 15). Propterea P. *Paulus Hoffaeus* S. J. Germaniae superioris provincialis haec notavit in a. 1576: „Per literas praesentaui Episcopo Eystetensi 27. Augusti pro confessarijs approbandis · P. Hoffaeum · P. Petrum Canisium · P. Theodorum Peltanum". 9 alios. „Postea 2. Septemb. misit Episcopus suum Vicarium et Secretarium ad me, et viua voce hos omnes (etsi non comparentes nec examinatos) approbauit, paratus etiam scripto id facere, sed dixi opus non esse, sed viuam vocem sufficere; quo facto, cumque caetera essent transacta . . , prodierunt famuli Episcopj et coram nobis protuleruut multum ceruinae et magnum vas plenum magnorum cancrorum." Quare *Hoffaeus* litteris Ingolstadio 3. Septembris 1576 datis episcopo gratias egit pro confessariorum „per R. D. Vicarium approbatione" et pro muneribus „Ceruinae et cancrorum".[1] De Martini in templum ingolstadiense liberalitate v. *Agricolam* l. c. I, Dec. 5, n. 349.

1204. Inter m. Octobrem et Decembrem 1576.

Canisii Catechismus ab Aegidio de Kanpuil Parisiis in lingua britannica editur.

Anno 1576 Canisii „Parvus Catechismus Catholicorum" in Britanniae minoris (Bretagne) lingua vulgari sive britannica (langue bretonne) editus est. Quam editionem, cum iam *Withley Stokes* (Middlebreton hours, Calcutta 1876, 58) commemorasset, doctissimus vir *Leopoldus Delisle* ex exemplo a comitissa de Kergariou secum communicato accurate descripsit in appendice commentarii sui „Les Heures bretonnes du XVI[e] siècle", in „*Bibliothèque* de l'École des Chartes"

---

[1] Proximo anno in collegium monacense venit vicarius Ernesti Bavariae principis episcopatusque frisingensis administratoris et Sociis „authenticum scriptum tradidit, quo Sacerdotes et Confessarij legitime approbati censentur P. Rector, P. Petrus Canisius, P. Gaspar Hayuodus", 7 alii Patres; idem significavit, omnibus ita approbatis et in posterum approbandis potestatem quoque fore excipiendi, „si uoluntas ac Superioris iudicium accederet", confessiones in omnibus domibus religiosis sive regularibus urbis monacensis. Ita habet * „*Historia* et benefactores Templi Sancti Michaelis" (in a. 1577, f. non sign.); quod opus, in collegio S. J. monacensi sub initium saeculi XVII. incohatum et deinceps per singulos annos usque ad a. 1749 perductum, exstat Monachii in archivo templi S. Michaëlis.

LVI, Paris 1895, 79—82; hanc descriptionem, quod ad rei summam attinet, hic pono, pauca additurus.

Liber sic est inscriptus: „CATECHISM hac instruction eguit an catholicquet meurbet necesser en amser presant, eguit quelen, ha discquifu an Jaouancdet: quentafu composet en latin, gant | M. P. Canisius, doctor en theology, ves à socie | té an hanu à Jesus. Goudé ez eux un abreget ves an pez a dléer principalafu da lauaret en prosn an offeren dan tut lic. Troet bremman quentafu à latin en brezo nec, gant Gilles Kanpuil, persson en | Cledguenpochœr, hac autrou à Bigodou. ... A Paris, pour Jacques Kerver, demeurant rue Sainct Jacques, à l'enseigne de la Licorne. M.D.LXXVI." (Catechismus et doctrina pro Catholicis, eaque nunc magis, quam unquam alias, necessaria ad iuuentutem docendam et instituendam: primum latine composita, per M. P. Canisium theologiae doctorem de Societate nominis Iesu. Additum est compendium rerum praecipuarum, quae laicis in contione missae dicendae sunt. Ex sermone latino in britannicum haec nunc primum versa sunt per Aegidium Kanpuil, parochum loci Cléden-Poher et dominum loci Bigodou).

8°; ff. sign. 24 (quorum duo ultima numero „23" signata sunt); praeterea ff. non sign. in initio 12 (addito titulari) et in fine 4; typographus usus est typis romanis (non gothicis, quos vocamus); f. A II^a incipiunt litterae dedicatoriae gallicae, de quibus paullo infra dicetur: f. A IIII^a incipit praefatio latina: „Christiano lectori Aegidius de Kanpuil, pa rochus de Cledguenpochœr et dominus de Bigodou"; f. A V^b incipit praefatio latina, de qua plura infra; f. B III^a incipit praefatio britannica: „Da pep guir chri sten, ha parfaict catholic, vés an diœce sou à Qerneau, Leon, Treguer, ha Guenet, Gilbes Kanpuil à desir salut ha peuch en Jesus Christ." (Omnibus hominibus vere christianis et plene catholicis dioecesium corisopitanae, leonensis, trecoriensis, venetensis [1] Aegidius Kanpuil salutem aeternam et pacem, quae est in Iesu Christo, precatur): f. B IIII^b: „Un Epistolen A. M. P. Canisius deдyet dan lenner" (M. P. Canisii litterae dedicatoriae ad lectorem); f. 1^a—24^b Catechismus, sic inscriptus: „Catechism pé un instruction biban eguit an catholicquet" (i. e. Catechismus sive brevis institutio Catholicorum. Canisii „Parvum Catechismum Catholicorum" significari omnis huius rei ratio et natura ostendit); f. E V^a incipit appendix, quae continet orationem dominicam, salutationem angelicam, symbolum apostolorum, decalogum, praecepta ecclesiae, confessionem peccatorum (generalem, puto), casus, quorum absolutio sive episcopo sive summo pontifici reservata est; in hac appendice alia tum britannice tum latine, alia tantum britannice posita sunt; tota appendix sic est inscripta f. E V^a: „Catechism hac instru ction christen, da vezafu la uaret pep sul, ha pep solennitez, dan tut licq en prosn an offeren. Necesser da vezafu disquet hac ententet gant an oll chrystenyen. Practicquet ha graet quenta fu en Galleč, gant M. R. Benoist, doctor en theology ha persson en Sant Eustach en Kaer à Paris [2]. Hac yuez practiquet en dioces à Angau. Troet en brezonec. G. G. K. P. E. C. P." (Catechismus et doctrina christiana, singulis tum diebus dominicis tum diebus festis, qui sollenniter celebrantur, laicis in contione missae explicanda. Curari oportet, ut Christiani omnes haec discant et intellegant. Data et initio gallica lingua conscripta sunt a M. R. Benoist doctore theologiae et parocho ecclesiae S. Eustachii in urbe parisiensi. In andegavensi quoque dioecesi [3]

---

[1] Cornouailles (Quimper), Léon (St-Pol-de-Léon), Tréguier (Tréguer), Vannes.
[2] De Ioanne Benoit († 1573) vide *Can.* V 801. [3] Angers.

usurpantur. In linguam britannicam conversa sunt ab Aegidio Kanpuil, parochum loci Cléden-Poher); f. E VIII^a Errata.

Litterae dedicatoriae Parisiis 8. Octobris 1576 a *„Gilles de Kanpuil“* datae sunt ad Franciscum de la Tour episcopum corisopitanum (Corisopitum, Quimper, olim Cornouailles). „Désirant“, inquit ille, „de supléer mon absence par quelque moyen et bienfaict, afin d'avoir quelque excuse, premièrement devant Dieu, devant vous et tous ceux que j'ay en charge, j'ay pensé n'estre moins expédiant que nécessaire de prévenir et obvyer à la rudesse du peuple vulgaire en la jurisprudence divine. . . . Je me suis advisé de traduire en nostre langue brette un petit catéchisme, premièrement composé par M. Pierre Canisius, docteur en théologie, lequel catéchisme, par estre plain de théologie et divine leçon, pourra beaucoup profiter à ceux de vostre diocèse; . . . l'ayant traduict expressément pour l'usage du peuple de vostre diocèse . . . je le vous offre en forme des premières prémices et estreines de mon pauvre labeur.“ Qui liber si episcopo eiusque fidelibus placuerit, se alium eumque maiorem, quem iam paret, iisdem oblaturum et dedicaturum esse promittit.

In praefatione „aux lecteurs catholiques“ *Kanpuil* varias rationes recenset, quibus ad catechismum vertendum motus sit; velut officium suum et desideria amicorum aliquot; deinde homines quosdam magnopere institisse ait typographo cuidam parisiensi (ex quo ipse rem cognoverit), ut Novum Testamentum ab aliquo Britanniae minoris homine, qui inde in Angliam aufugisset, britannice versum typis exscriberet; ideo „j'ay dressé ce petit bastillon, pour, si le malheur advient que ceste suspecte translation (pour le lieu d'où elle vient et celuy qu'on dict l'avoir faicte) est mise en lumière, que le peuple, estant auparavant tellement quellement adextré et préveu par ce petit catéchisme, puisse de premier front cognoistre le pernicieux désir de ce nouveau monstre, le débeller et vaincre.“

Aegidius de Kaeranpuil (Kerampuil) sive de Kanpuil, parochus vici Cléden-Poher (in Britanniae minoris provincia Finis Terrae [Finistère]), quae parochia ad antiquam dioecesim corisopitanam (Quimper) pertinebat, edidit etiam circa a. 1570 Horas sive Officium Beatae Virginis britannice versum (*Delisle* l. c. 54—55).

Sommervogel hanc editionem breviter posuit l. c. VIII, 1977.

Britannico hoc libro comprehenditur Canisii catechismus medius sive „Parvus Catechismus Catholicorum“. Verum maximum quoque Canisii catechismum sive „Summam doctrinae christianae“ britannice redditam esse colligitur ex litteris 22. Augusti 1579 Romam ad cardinalem Guilielmum Sirletum missis ab „Audoëno Ludovico archidiacono cameracensi“ sive Owen Lewis († 1594) illo, qui postea unus ex vicariis generalibus S. Caroli Borromaei archiepiscopi mediolanensis et tandem episcopus cassanensis (Cassano) fuit. Hic enim Sirleto scripsit: Habemus librum „de primatu Romani pontificis“, „duos tractatus, de venerabili eucharistia et de Sacrificio Missae, et cathechismum p. Canicij quoque in lingua nostra Britannica, quae omnia . . . mittemus mediolanum imprimenda et examinanda per D. Rubertium Grifidium[1] Canonicum theologum ecclesiae Mediolanensis et S. illius Cardinalis confessarium, virum linguae Britannicae peritissimum, si sua Sanctitas[2] ad sumptus impressionis aliquid suppeditabit.“ Causam autem eius consilii hanc esse: Linguam britannicam ab anglicana lingua esse „prorsus ita diversam, atque differt lingua Graeca ab Hebraica“. Propterea „Anglos nuper curasse suos libros haereticos ex Anglico idiomate converti in linguam hanc Britannicam“; contra quos conatus „antidotum paramus in istis libris“ (ex apographo recenti, exscripto ex bibliothecae vaticanae codice „Reg. 2020“ f. 445). Neque tamen comperire potui, utrum britannica haec „Summa“ typis esset exscripta necne.

1205. A m. Octobri 1576 ad Augustum 1577.

Ex autographis, quae sunt in Germ. 137 f. 91^a 93^a; Germ. 138 f. 98^a 104^a 140^b 172^b, et ex commentario epistulae Mercuriani, quod est in „Rh. Inf. 1“ II f. 5^a.

---

[1] Griffith? [2] Gregorius XIII.

Canisius Ingolstadii magno suo sociorumque labore Opus Marianum absolvit et excudendum curat, postea aliter occupandus (socius provincialis etc.).

P. *Hoffaeus* provincialis de Canisii Opere Mariano, quod Ingolstadii in officina Davidis Sartorii, ipso Canisio typographos regente, typis exscribebatur, sic scripsit ad Mercurianum praepositum generalem Ingolstadio 24. Octobris 1576: „Jam sub praelo est liber P. Canisij Jngolstadij, sed vereor ut possit typographo sat materiae citra magnam praecipitationem suppeditare". Et Ingolstadio 30. Novembris 1576: „P. Canisius sic versatur in cudendo suo libro, vt necesse sit praela vsque ad nouum annum interquiescere, et bonum Patrem circa valetudinem periclitari." Deinde P. *Ioannes Rastellus* S. J. Ingolstadio 5. Ianuarii 1577 Mercurianum monuit: „Superioris anni mense septembri, nominatus sum a R. P. Prouinciali, Jngolstadiensis huius Collegij nouus Vicerector.... Sumus nunc .50. .... Vnum est solum quod ... mihi scribendum videtur, cum nec P. noster Prouincialis ei rej inuenire queat remedium. R. p. Canisius quattuor iam mensibus aut amplius hic fuit hoc nomine (vt initio postulabatur) vt correctioni sui libri qui hic imprimitur ipsemet praeesset. Sed non vt nouum librum ex eo qui iam census atque approbatus erat, cuderet. Nimia diligentia vehementissime impedit non solum ipsius Reuerentiam, verum etiam aliorum tranquillitatem. Parcit illi P. Prouincialis, et merito sane quia naturalis est erga laborantes misericordia, neque vult aut potest negare illi operam nostrorum Patrum aut Fratrum, quam ille sibi valde esse necessariam aut praedicat aut insinuat. Sed nulla causa P. Canisium adegit huc, vt tam necessario eorum opera opus haberet, qui alijs studijs destinati sunt. Sed cum ante finitos quinque suos libros, primos illorum typis mandari curauerit, et dum in quarto poliendo, et quinto componendo versari tranquille potuisset, cum totum id temporis tribus illis prioribus augendis ornandisque tribuerit, qui iam bene constituti et perfecti erant, non est mirum, si multorum opera opus habeat, et se ipsum supra modum occupet in querendo, componendo, mutando, desyderando etc. et per consequens alios. Et nunc quidem pro hoc opere, remedium aliud dari non potest, nisi patientia. Sed in futurum deliberari potest: Vtrum R. P. Canisio istud onus ingentes materias tractandj vnquam imponendum sit, et si imponendum sit, que leges, quis locus, quod tempus, a .V. P. illi perscribenda[a] [?] essent." Ad haec *Mercurianus* Rastello Roma mense Martio anni 1577 respondit: „Quod R. T. scribit de P. Canisij diligentia et laboribus, curabimus vt suo tempore nobis vsui sit."

Oeniponte autem 17. Martii 1577 P. *Henricus Winsenius* S. J. P. Syberto Bronchorst S. J. *scripsit: „Reuerendus P. Canisius ... adhuc Jngolstadij in edendo Mariano suo opere (.in cuius iam 5º atque vltimo libro et ipse scribendo et typographi edendo sudant.) occupatus versatur."

a) *Sic; volebatne scribere:* praescribenda?

Kalendis quidem Aprilibus a. 1577 *Rastellus* Ingolstadio Mercuriano scripsit: „P. Canisius iam breui impositurus videtur finem nostrae expectationi in suis laboribus. Ad summum intra mensem, auferetur manus a praelo". Sed 7. Iulii 1577 *Hoffaeus* Monachio ad eundem *scripsit: „Finiet forte P. Canisius suum librum ad proximas nundinas[1] cum magna molestia multorum Patrum et Fratrum — P. V. non permittat vt posthac quicquam praeter libros deuotionis paruulos germanicos scribat: poterit mihi alijs in rebus vtilis esse in prouintia." Et Ingolstadio 18. Iulii 1577 P. *Theodoricus Canisius* ad praepositum generalem rettulit: Se, Rastello, „viro magnae sanctitatis et optimi exempli" [2] 15. Iunii vita functo, ad tempus, ut collegium illud regeret, arcessitum esse. „Viuit totum iam pene annum hoc loco Reuerendus P. Petrus Canisius, scribendo et edendo suo Mariano opere occupatus. Jncredibile est quantum bonus Pater in hoc genere se, et multos secum alios fatiget et cruciet; vt tam ipse, quam omnes qui eius studia norunt, miraculi pene loco habeant, quod immensis illis laboribus iampridem obrutus non sit et extinctus. Vtinam in re faciliori, et naturae eius conuenientiori, suam operam, in hac senescente sua aetate, Ecclesiae et Societati deinceps praestaret. Vrgetur nunc a Reuerendo P. Prouinciale, vt intra dies quatuordecim Mariano operi finem imponat, et ei prouinciam obeunti sese socium adiungat. Versatur autem nunc R. P. Prouincialis noster Salisburgi."

Ceterum etiam P. *Ioannes Polancus* in Societatis Chronico, ubi de Summa doctrinae christianae a. 1554 (1555) a Canisio edita scribit, commemorat „exactum ingenium P. Canisii et quod vix sibi satisfacere potest, quamvis [aliis] satisfaciat": Chronicon IV 243. Haec Polancus, qui certe Canisium optime norat, inter a. 1573 et 1577 scripsisse videtur (cf. Chronicon I 6 296; VI 839[2]).

1206. 1577.

„SVMMA DOCTRI- NAE CHRISTIANAE, *PER QVAESTIONES CATECHI* | *sticas luculenter tradita, multis in lo cis locupletata, & postremò recognita* [sic]. | *AVCTORE D. PETRO CANISIO* | *Societatis IESV Theologo.* COLONIAE. *Apud Maternum Cholinum.* M. D. LXXVII. Cum Priuilegio Cæs. Maiest." Cum Cholini signo typographico.

12°; pp. sign. 424; praeterea ff. non sign. in initio 12 (addito titulari) et in fine 9. Titulum sequuntur Canisii litterae dedicatoriae ad Colonienses et ad Guilielmum Bavariae principem datae (v. supra p. 751) et Societatis Iesu signum (signum nominis Iesu radiis cinctum) ligno incisum; sequitur (a p. 1.) Summa; p. 395—424 appendix de iustificatione; postea brevis rerum catechismi conspectus, auctoris „Confessio", „carmen de praecipuis huius catechismi partibus, in gratiam studiosorum adiectum".

Librum vidi Coloniae in bibliotheca urbis et Gotvicae (Göttweig) in bibliotheca monasterii O. S. B.: idem exstat Heidelbergae in bibliotheca universitatis, Argentorati

[1] Hae m. Septembri Francofurti ad Moenum habendae erant (*Can.* VI 376[2]).

[2] Attamen *Mercurianus* Hoffaeum Roma 25. Februarii 1577 sic de Rastello *monuit: „Audio P. Vicerectorem Jngolstadiensem etsi bonus sit religiosus, esse tamen paulo acerbiorem suis, dum omnia nimium examinat, nimium exaggerat, nimium miratur, obijcit quae de alijs cogitat, disputat, etc. sic vt alijs ansam praebeat contra argumentandj, et sese ipsos tentandj" (ex comm.; Rh. Inf. 1 II f. 4).

in bibliotheca seminarii maioris. Essendiae (Essen) in bibliotheca ecclesiae maioris (katholische Stiftsbibliothek). Editionem posuit (minus accurate) *Sommervogel* l. c. II 625.

1207. 1577.

Cardinalis Altaemps Canisii catechismum excudendum curat et solum, seclusis aliis, in episcopatu constantiensi usurpari iubet.

„Klainer | Catechismus / oder kur= ze Summa / des wahren Christlichen vnd Catho= lischen Glaubens. Jetzunder von dem Authore D. Petro Canisio selbst zum letzten mal gebessert / vnd in diser Form außgangen. Auß sonderm befelch des hoch= würdigisten Fürsten vn̄ Herrn / Cardinals vnd Bischoff zů Costantz ꝛc. wie dan̄ die nächstvolgende Vorrede klärlich außweyset. Getruckt zů Ingolstatt, durch Dauid Sartorium. 1577." Cum cardinalis Marci Sittici ab Hohenems insigni in ligno inciso. Versus 2, 3, 6, 7, 10, 11, 12 usque ad „wie" excl., 15 rubri sunt.

12°; ff. non sign. 138, addito titulari. Titulum sequitur mandatum a Marco Sittico cardinali Roma a. 1577 ad sacerdotes in episcopatu constantiensi curam animarum habentes et verbum Dei pro contione explicantes; se iam ante 10 annos, scribit ille, in synodo sua (cf. *Can.* VI 661—662) Catechismum romanum et Catechismum Canisii minorem, libros utilissimos („hochnutzliche"), iis commendasse [1]; paulo post se mandasse, ut utriusque libri exempla plurima et germanice et latine typis exscriberentur et per totum episcopatum divulgarentur; atque horum numerum haud exiguum gratis esse distributum; iterum autem se iis instare, ut et Catechismum romanum saepe multumque legant et in omnibus contionibus aliquid, quod ex eo sit haustum, proferant [2]; deinde se iis praecipere, ut, petendo, si opus sit, auxilium a praepositis et ecclesiasticis et civilibus, efficiant, ut in omnibus scholis, cuiuscumque illae sint generis, solus ille Canisii catechismus minor, seclusis reliquis omnibus catechismis, explicetur. Sequitur (neque loco, neque tempore ascriptis) praefatio illa Canisii: „Man hat diß Büchlein vormals offt getruckt . . . zum ewigen hayl stercke, durch Jesum Christum vnsern liebsten Herrn vnd Hayland"; v. *Can.* IV 1008—1009; deinde calendarium, Canisii „Parvus Catechismus Catholicorum" cum sententiis sacrae Scripturae et S. Augustini (v. supra p. 731), variae precationes, ut salutatio angelica mane et vesperi recitanda, et „Wie man zu Mittag Betten soll, vnd besonder am Freytag, so man das Tenebrae, oder die Schidung Christi leutet", et S. Gregorii Magni et S. Thomae Aquinatis orationes, ac preces de septem effusionibus sanguinis Christi ac pro communibus reipublicae christianae necessitatibus; institutio denique ad sacramenta confessionis et communionis rite suscipienda.

Anno 1578 cardinalis Altaemps clero dioecesis suae aliquot milia catechismorum canisianorum misit et, ut iis in contionibus et catechesibus uterentur, commendavit; deinde m. Novembri 1579 lucernensis reipublicae magistratus praecepit, ut et in urbe et in omnibus agris catechismus ille explicaretur: *B. Fleischlin,* Aus den Annalen des Gymnasiums zu Luzern, in „Monat-Rosen" 26. Jahrg., Luzern 1882, 134; *Ant. Phil. von Segesser,* Rechtsgeschichte der Stadt und Republik Lucern, 14. u. 15. Buch, Lucern 1858, 444—445.

Librum vidi Friburgi Brisgoviae in bibliotheca universitatis. Eum brevissime commemoravit *Sommervogel* l. c. II 644.

1208. 1577.

Catechismus Canisii in omnibus scholis reipublicae friburgensis explicari iubetur.

Friburgi Helvetiorum anno 1577 insigne illud corpus institutionum scholasticarum, quod, a praeclaro viro *Petro Schnewly* ecclesiae collegialis S. Nicolai praeposito et

[1] Cf. *K. Lütolf,* Zur Gegenreformation in der Konstanzer Diöcese, in „Katholische Schweizer-Blätter" XI, Luzern 1895, 319 320.

[2] Exemplum Catechismi romani germanice („Römischer Catechismus") iussu cardinalis Marci Sittici iterum Ingolstadii a Davide Sartorio a. 1577 in 4° eleganter excusi vidi Romae in bibliotheca collegii Propagandae Fidei.

totius rei scholasticae friburgensis instauratore compositum, liber S. Catharinae — Katharinenbuch — vocatur, a senatu reipublicae confirmatum et ubique observari iussum est. In eo de schola latina urbis, quattuor classes habente, haec, praeter alia, praecipiuntur: Wir wöllen „das . . . an samstagen und fürabend, wil man nach dem morgenbrot nit pflegt in d' schul zugan", a ludimagistris doctrina christiana sic tradatur: „von zweien uren, bis wann man das ander zeichen zur vesper litet. Denen in der undern lection der klein tütsch catechismus Canisii . . .; in der dritten und andern der Catechismus Canisii, aber also, das die zwei oder dri ersten capitel in der dritten, und die zwei letsten in der andern gläsen werdind, damit er zum jar einmal uf's wenigest vollendet werd. In der ersten class aber: summa doctrinae christianae ejusdem, aber nur allein das, so im andern nit begriffen. Und wan es füglich kan sin, auch den Vincentium Lyrinensem [1]. . . . Wöllen derhalben ehe, das si mit dem mittelmesigen alein, — das si in nit [in] vergessenheit stellen —, vernügt und anstatt summae doctrinae der Lirinensis gläsen werd in der öbristen." Singulis autem diebus dominicis post tempus vespertinum capitum catechismi, quae pueris explicata sunt, instituatur „repetitio"; item singulis diebus dominicis mane („nach dem morgenbrot") tota iuventus urbis in ecclesiam S. Nicolai congregetur ad audiendam „contionem catechisticam", qua „catechista" ad id munus delectus singula catechismi verba explicet ita, ut in capitum catechismi dispositione sive per annum distributione non „methodum Canisii", sed ordinem anni ecclesiastici servet et singulis annis totum catechismum absolvat. In singulis autem scholae latinae classibus soll „der knaben einer (ordenlich aber all), ehe man sie heisst die lection ufsagen, betwis recitieren allweg deren betlin, eins, so nach bestimpten tagen der wuchen Canisius in sinem catechismo verordnet" [2]. Item pueri illi, qui „cum choro psallere" non poterunt, catechismos secum in ecclesiam deferant et ex iis septem Horas aeternae sapientiae a Canisio dispositas [3] recitent. Similiter pueris scholae germanicae urbis friburgensis catechismus germanicus Canisii explicetur et eorum memoriae mandetur; item in scholis elementariis oppidulorum vicorumque imperio friburgensi subiectorum idem catechismus usurpetur (*Franz Heinemann,* Das sogenannte Katharinenbuch vom Jahre 1577, Freiburg i. Ue. 1896, 77 88—100 168 170; cf. etiam libellum „Notice historique sur la chambre des Scolarques de la ville de Fribourg, par M. le Chanoine *Fontaine,* éditée par le Dr. *Berchtold,* Fribourg 1850, 13—16 20 27).

In reliquam quoque Helvetiam idem liber paullatim inductus est. Ita Bonhomius nuntius visitatorque apostolicus, cum ex monasterio Paradisi 27. Septembris 1580 ad clerum capituli quattuor locorum silvestrium (Vierwaldstätte) „articulos" sive capita reformationis mitteret, in numero librorum, quos singuli sacerdotes habere deberent, parvum catechismum Canisii posuit (*Mayer* l. c. II 23—24).

1209. 1577.

„Authoritatum Sacrae Scripturae" etc. editio nova. Approbatio. Testimoniorum describendorum ratio. Laudes Calenii typographi et correctorum. Appendix.

„OPVS CATECHISTICVM, | SIVE | DE SVMMA DOCTRINAE CHRISTIA- | NAE, D. PETRI CANISII THEO- | LOGI SOCIETATIS IESV, PRAECLARIS | DIVINAE SCRIPTVRAE TESTIMONIIS, SANCTO- | rumque Patrum sententijs sedulò illustratum opera | D. PETRI | BVSAEI Nouiomagi, eiusdem Societatis IESV Theologi, | nunc verò primùm accessione noua locuple- | tatum atque restitutum. | *EDITIO ALTERA MVLTIS IN LOCIS AVCTIOR atque correctior, cui &. Epistola prœliminaris ad Reuerendiss. & Illustriss.* | *Episcopum Herbipolensem accessit.* | De huius operis ac vniuersae doctrinæ

---

[1] Vincentii „Commonitorium" significatur. [2] Vide *Can.* V 823.
[3] Vide *Can.* II 721 ¹.

quæ in illo tractatur distributione, folium abhinc decimumquintum cum sequenti indicabit. *Cum duplici* INDICE, *vno quidem Scripturarum explicatarum, altero verò rerum & sententiarum, ad calcem adiectis.* COLONIAE, | Apud Geruinum Calenium, & hæredes Iohannis Quentelij. ANNO M. D. LXXVII. *Cum gratia & priuilegio summi Pontificis, ac Romanorum Imperatoris in Decennium.*" Cum imagine Christi Salvatoris ligno incisa et signi typogarphici instar posita.

2°; pp. sign. 791; praeterea ff. non sign. in initio 16 (addito titul.) et in fine 29. In pagina altera folii titularis sententiae aliquot Sacrae Scripturae et SS. Patrum; quas sequitur: „Approbatio huius libri. Opus hoc Catechisticum, antea quidem typis excusum, recens vero noua accessione locupletatum ac recognitum, magno cum fructu denuo euulgandum censeo Ego Frater Theodoricus Buscoducensis, Sacrae Theologiae apud Colon. professor, et Apostolicus Inquisitor." F. a 2^a—b^a Canisii litterae dedicatoriae Oeniponte a. 1576 ad Iulium Echter episcopum herbipolensem datae; quas vide supra p. 326—336; f. b^b S. Pii V. privilegium typographicum Roma 24. Septembris 1569 Gerwino Calenio concessum, de quo *Can.* VI 685; f. b 2^a—b 3^a Busaei praefatio Colonia 13. Augusti 1569 data, de qua *Can.* VI 685—686; f. b 3^b ad b 4^a „Admonitio ad lectorem" ab ea, quae in primo volumine primae editionis posita erat (*Can.* VI 686), nonnihil discrepans; ex qua haec pauca pono: „Circa testimoniorum et authoritatum descriptionem haec fere indicanda videbantur. Primum mirari neminem debere, quod numeros librorum et capitum non Arithmeticis notis, vt fieri solet, sed integris dictionibus expresserimus. Ad quod faciendum haec nos causa commouit, vt scilicet lectorem qui his authoritatibus et sententijs vtetur, magis securum reddamus"; numeros enim saepe „vel exscribentium, vel typographorum incuria permutari"; integras vero dictiones minus facile permutari. Deinde lector monetur, testimoniorum ordinem in nova ea editione mutatum esse, et, quibus ex libris sive librorum editionibus testimonia exscripta sint, significatur. Calenius denique „Typographus diligentissimus et valde Catholicus" „pro sua prompta iuuandae Ecclesiae et promouendorum studiorum theologicorum voluntate" laudibus extollitur et „singularis diligentia Bartholomaei Laurentis ac Vuilibaldi Menzelij correctorum officinae Quentelianae" commendatur. F. b 4^b—c 3^a „Chronologia ecclesiastica" sive catalogus pontificum etc. (cf. *Can.* VI 686); f. c 3^b—d^a „Encomia" Patrum; f. d^b ad d 3^b „Augustini pro Authore Catechismi ad oppugnatores doctrinae in eo traditae, sacrarum inprimis litterarum, deinde sanctissimorum simul et vetustissimorum Patrum testimonijs confirmatae, Responsio"; quae excerpta est ex S. *Augustini* contra Iulianum libris 1 et 2 (*Migne* P. lat. XLIV 645—702). F. d 3^b—d 4^b „Index" etc. (v. *Can.* VI 686); f. d. 4^b conspectus rerum „appendicis". P. 722—791 „Appendix" illa de hominis lapsu et iustificatione ex doctrina concilii iam a. 1566 a Canisio posita et per 20 capita distincta (v, *Can.* V 804) similiter atque ipse catechismus testimoniis Scripturae et Patrum confirmatur; id quod antea factum non erat. In libri fine (p. 792 non sign. et ff. sqq.) duo illi indices, qui in libri titulo commemorantur; in pag. ultima „Errata".

De opera in hanc editionem a P. Ioanne Hasio collata v. supra p. 271—272.

Pulchram hanc editionem vidi Vindobonae in bibliotheca palatina (20 Bb 55) et Feldkirchii in bibliotheca domus exercitiorum S. J. Eadem exstat Berolini in bibliotheca nationali, Fuldae in bibliotheca seminarii maioris, Gottingae in bibliotheca universitatis, Parisiis in „Bibliothèque de l'Arsenal" (6258). Eandem posuit *Sommervogel* l. c. II 440—441.

1210. 1577—1615.

Wolfgangus Guilielmus Palatinus dux neoburgensis et iuliacensis ex lutheranismo ad fidem catholicam conversus profitetur, praecipuam veritatis cognoscendae viam sibi fuisse lectionem Operis catechistici Canisii.

Wolfgangus Guilielmus Palatinus (1578—1653), filius natu maximus Philippi Ludovici ducis palatino-neoburgensis (Pfalz-Neuburg) et Annae, filiae Guilielmi ducis Iuliaci, Cliviae, Montium, lutheranismo, in quo a patre educatus erat, abiecto, professionem fidei catholicae Monachii 19. Iulii 1613 secreto, Dusseldopii 25. Mai 1614 palam fecit.

De huius conversionis rationibus Wolfgangus Philippo Ludovico patri († 12. Augusti 1614) Dusseldorpio 22. Aprilis 1614 scripsit: „Bin Jch albereit im Werckh die vornembsten Motiven E. V. Gn. vnndt andern, so sich zur Augspurgischen Confession bekennen oder sich von der Römischen Catholischen kirchen (extra quam non est salus) abgesondert, zum bericht, vnnd nachfolg, ans liecht zue bringen. Inmittels will Jch dieselbe, auff das opus Catechisticum sive Summam Doctrinae Christianae D. Petri Canisij Theologi Societatis Iesv, welches 1577. zue Cöln, apud Geruinum Calenium getruckt ist, vnnd mich wegen deren darinnen befundenen vnwidertreiblichen argumenten, vnnd beweisungen zue dieser Conuersion bewegt hatt, gewiesen ... haben (ex litterarum apographo antiquo, quod est Francofurti ad Moenum in bibliotheca urbis, Varii Discursus Pol. T. 116. Ms. IV 5, f. 48—53).

Earundem rationum declarationem et explicationem a Wolfgango compositam evulgavit *Struvius* historicus acatholicus: in qua *Wolfgangus* haec affirmat: „Als wir des R. P. Petri Canisii, der Societet Iesu Theologi grossen Catechismum, mit embsigem Fleis, etliche Monat lang durchloffen, und erwogen, was massen er über die strittige Glaubs-Articul, nicht allein die H. Schrifft, sonder auch der Concilien und heiligen Vätter herrliche und helle Zeugnusse, mit so schöner Ordnung, und underschiedlich nacheinander herführt und erzehlet, haben wir klärlicher als die Sonn am Himmel seyn kan, gesehen, daß die Lehr, so von den Catholischen bekennt wirdt, auch von der allgemeinen Christenheit, durch den gantzen Erden-Kreiß über die funffzehn Centurien und Alter der Welt, jederzeit offelich seye bekennt worden: von welcher Lehre entgegen alle Secten, so den Catholischen abhold und zuwider, weit abgewichen. Daß wir auch derohalben frey bekennen müssen, under allen Mitteln und Wegen, so uns durch die Göttliche Güte zu Erkantnus der Catholischen Wahrheit, gezeigt worden, uns nichts förderlichers geweßen sey, als eben das Leßen obberürtes Canisianischen Wercks. Darumben wir wünschen, daß alle Irrende, so auff die rechte Bahn und Straß der Warheit zu kommen begeren, eben dißen kurtzen und sichern Weg an die Hand nemmen“ (*Burc. Gotth. Struve,* Ausführlicher Bericht von der Pfältzischen Kirchen-Historie, Franckfurt 1721, 540—543).

Praeterea exstat libellus in 4°: „*Copey eines Sendschreibens* Jn welchem kürtzlich vnd trewlich begriffen, Wie vnd auß waß Motifen der Durchleuchtig Hochgeborn Fürst vnd Herr, Herr Wolffgang Wilhelm . . . Von der Augspurgischen Confession zu der alten Catholischen Römischen Kirchen sich begeben, vnd bey diser standhafftig verbleiben. Abgangen Auß Dusseldorff den 18. Junij, Anno 1614. Permissu Superiorum. Gedruckt zu Cölln, Durch Johan Kinckhes Jm Einhorn, Anno M. DC. XIV.“ Libelli huius, qui Wolfgangi Guilielmi insignibus in folio titulari munitus est, auctor anonymus asserit, se tum rebus ab illo viva voce prolatis, tum „Motivis fidei“ ab eo conscriptis usum esse (f. 𝔄 2^b). Quorum „motivorum“ unum (nr. 17) sic habet: „Nit minder haben Ihr Fürstl. Gnad die Catholische Römische Kirch erkennt für heilig, wegen derselben heiligen Lehr, welcher Lehr sie fleißig nachgesinnet und nachgeschlagen, insonderheit in Ablesung Operis catechistici D. Petri Canisii in folio zu Cöln gedruckt, welches sie gelesen und betracht mit sonderem Eifer, Freud und Ruhe ihres Herzens, ihr viel heraus gezeichnet und notirt

zu Bestätigung des Catholischen Glaubens und mit solcher Arbeit in die sechs Monat lang zugebracht: letzlich nichts Anders schließen mögen, als daß die Lehr der Catholischen Römischen Kirchen ein heilige wohlgegründte Lehr seie, und sein Ihr Fürtsl. Gnad der gänzlichen Hoffnung und Meinung, es werden ihr alle und jede in diesem beifallen, welche ohne Passion und Vorurtheil und in der Forcht Gottes obgemeltes Opus catechisticum D. Petri Canisii werden ablesen und zu Gemüth führen: auf welches Ihr Fürstl. Gnad wegen Erklärung und Beweisung der Catholischen Lehr sich referiren thun. Und damit gemeltes Buch desto füglicher und leichter möge bekommen und abgelesen werden, haben dieselbe diese gnädigiste Anordnung gethan, daß solches, wann es nit wohl zu bekommen, alsbald wiederum von Neuem gedruckt wurde"[1] (f. C^b—C 2^a).

Deinde anno 1615 Coloniae iustae magnitudinis liber in lucem prodiit isque sic inscriptus: „Muri Civitatis Sanctae, hoc est, Religionis Catholicae fundamenta XII. Quibus insistens Serenissimus Princeps Wolfgangus Wilhelmus Comes Palatinus Rheni, Dux Bauariae, Iuliae, Cliuiae, Montium . . . in ciuitatem Sanctam, hoc est, Ecclesiam Catholicam faustum pedem intulit. Dissertationibus totidem explicata a R. P. *Iacobo Reihing* e Societate Iesu." Horum autem „fundamentorum", quae ab ipso Wolfgango „conscripta" esse Reihing[2] affirmat, septimum hoc est; „[Romani Pontificis supremam auctoritatem] Patres quoque tum antiquitate, tum sanctitate venerandi, doctrinam Catholicam in sacris Concilijs traditam amplexi, scriptis clarissime illustrarunt, et contra haereses constantissime defenderunt: quin etiam in quibuscunque exortis controuersijs, ad Romani Pontificis auctoritatem et iudicium, incredibili submissione confugerunt. Quare quod saepius audiui: patribus antiquis consentientem a Catholicis dissentire et haereticis consentire non posse, id profecto re ipsa verum comperi. Nam cum R. P. Petri Canisij Societatis Iesu Theologi Opus Catechisticum maius, sedulo complures menses peruoluissem, et circa controuersos fidei articulos non tantum scripturam, sed etiam Conciliorum et patrum antiquissimorum clarissima testimonia, ab illo pulchra serie, distincte recitata ponderassem, solis luce clarius vidi, doctrinam quam Catholici profitentur, totius orbis Christiani et omnium seculorum fuisse; ab illa vero longissime abire omnes sectas, a Catholicis alienas. Vt proinde ingenue confiteri debeam, inter omnes vias, quas mihi diuina Bonitas ad veritatem Catholicam ostendit, praecipuam atque expeditissimam fuisse operis illius Canisiani lectionem, quam ea re omnibus errantibus, ad viam veritatis breuem ac securam aspirantibus, maxime commendatam velim" (p. 5—6).

Haec accuratius explicare volui, quia hac ratione non solum confirmantur, sed etiam aliqua ex parte illustrantur et amplificantur ea, quae de Wolfgango Guilielmo ad ecclesiam catholicam reducto scripserunt *Franc. Xav. Kropf* S. J., Historia Provinciae Societatis Iesu Germaniae Superioris, Ab Anno M. DC. XI. ad Annum M. DC. XXX., Monachii 1746, 26—29; *Wolf*, Maximilian I [v. supra p. 662], III 487—560; *Räss* l. c. IV 223—253.

---

[1] Opus catechisticum (Authoritates sacrae Scripturae etc.) cum ante a. 1614 iam minimum septies typis exscriptum esset, iterum excusum est Parisiis a. 1618 et Coloniae a. 1619 (*Sommervogel* l. c. II 439—441). Ab *Ioanne Nicolao Weisslinger* (Weislinger), praeclaro illo ecclesiae catholicae propugnatore († 1755), opus hoc vocatur „ein unvergleichliches Werck" (Gründliche Antwort auff die Unbillig- und grundlose Klagen der Un-Catholischen Herren, 2. Aufl., Capell unter Rodeck 1736, 100*).

[2] Iacobus Reihing (qui a. 1621 a fide catholica defecit et 1622 feminam, quam in aula neoburgensi noverat, uxorem duxit) in hoc libro sic de Canisio loquitur: „Magna Ecclesiae in Germania nostra attulit emolumenta, vir ille optimus atque integerrimus, qui non solum in pluribus Academiarum Cathedris Theologum Doctorem, et primarijs Ecclesiarum suggestibus sacrum Oratorem egit, sed etiam pietatis atque eruditionis clarissima monimenta calamo exarata post se reliquit. Nihil dicam de illius beneficijs in Christianam iuuentutem tanta copia per Catechismum paruum collatis, in vulgus enim notissima sunt" (p. 189).

Si Canisii „Opere catechistico" nihil aliud effectum esset, nisi haec conversio, multum esset effectum; Wolfgangus enim unus erat ex potentissimis Germaniae catholicae principibus; qui Societati Iesu collegia neoburgense et dusseldorpianum condidit, palatinatus neoburgensis maximam partem ex lutheranismo ad fidem catholicam reduxit, multis aliis rationibus ecclesiam patriamque adiuvit, vir non solum plurimo rerum usu, linguarum peritia, liberalium artium amore praestans, sed etiam officii tuendi studiosissimus et magna pietatis laude florens. Merito igitur „De Vita et Rebus gestis P. Petri Canisii Commentarii," a *Francisco Sacchino,* uno ex clarissimis Societatis historicis, compositi et Ingolstadii a. 1616 editi, Wolfgango ab auctore dedicati sunt.

Protestantes Wolfgangi conversionem aegerrime tulerunt. Quare iam a. 1615 *Tobias Lotter* contionator („Stifftsprediger") stugartiensis Tubingae edidit „Notwendiger Bericht, Auff die Copey, eines auß Disseldorf, den 18. Juny Anno 1614 abgegangenen, vnd hernach zu Cöln getruckten Sendschreibens" (4° pp. 396); ubi ostendere conatur, in Canisii Opere catechistico varia foede, nefarie, impudenter dici: „Diß unheilig und mit Irrthumen durchtrieben Buch [ist] nicht allein der Mühe und Arbeit, daß man nur 6 Stund, viel weniger 6 Tag, Wochen und Monat darmit zubringen, sondern auch des Unkostens nicht werth, daß man's wiederum von Neuem drucken . . . solle" (p. 249). Atque *Ioannes Thomas Brosii*, Iuliaci Montiumque vicecancellarius et haud vulgaris notae historicus, narrat, Iacobum I. Angliae regem, cum Wolfgangum Canisii Opere catechistico catholicum effectum esse ex Petro Simonio Ritzio Wolfgangi legato accepisset, sic exclamasse: „Dirae male faciant isti furioso cani, qui Principem hunc tuum momordit! male quoque faciant omnibus, qui sunt, et qui fuerunt, et qui post erunt, Iesuitis perfidae sectae, pesti mortalium perniciosissimae!" (Juliae Montiumque Comitum, Marchionum et Ducum Annales III, Coloniae 1731, 128.)

1211. 1577—1632.

Christianus Guilielmus marchio brandenburgensis ex Canisii „Opere catechistico" fidei catholicae veritatem cognoscit.

Christianus Guilielmus marchio brandenburgensis (1587—1665), Ioachimi Friderici principis electoris brandenburgensis filius, a. 1598 a capituli magdeburgensis lutheranismum profitentis „canonicis" illius archiepiscopatus „administrator" electus, postea ab iisdem administratione summotus, cum vitam vagam egisset et in bello illo triginta annorum cum Daniae et Sueciae regibus adversus imperatorem et catholicos pugnasset ac denique a. 1631 a militibus caesareis captus esset, a. 1632 in Austria fidem catholicam professus est. Cuius facti ipse rationem reddidit libro germanico, qui „Speculum veritatis" inscriptus et primum a. 1632 Vindobonae [1], deinde compluries aliis locis excusus est [2]. In eo libro hoc ille testatur: „Wie wir dann insonderheit allen vnnd Jeden, bevorauß allen Christlichen Potentaten, so der Augspurgischen Confession zugethan, das Opus Catechisticum P. Canisij in folio, hiermit auß Christlichem Hertzen vnd inbrünstiger Liebe recommendiren, mit bitt, dasselbe ein wenig, doch ohn affect zu durchblettern, vnd darauff von diesem Punct, nemblich von der vbereinstimmung vnserer lehr mit der H. Vätter Lehr, vernünfftig zu vrtheilen. Wir vnsers thails, als Wir in demselben auch so viel helle vnd klare, so lange vnd alle vbereinstimmende Zeugnusse Vnns vorbringen lassen, haben Vnns erstlich selbst zum höchsten entsetzet, vnd nicht gewust, was Wir von Vnsern vorigen Lehrern vnnd Predigern für Gedancken schöpffen sollen, als von denen Wir gar ein anders zuvor gehört. Als Wir aber Vns glaubwürdig berichten lassen, daß auch zuvor mehr Vnseres Standts Personen hierdurch vnd vornemblich durch solches

[1] Hanc editionem descripsit *Ant. Mayer,* Wiens Buchdrucker-Geschichte 1482 ad 1882 I, Wien 1883, 207.

[2] *Georg. Gothofred. Küsterus,* Accessiones ad Bibliothecam historicam Brandenburgicam I, Berolini 1768, 509—510.

Opus Catechisticum Canisij die Augen eröffnet, vnnd der Betrug offenbahr gemacht worden, ist Vns ein wenig dieser Schmertz gelindert, vnd vrsach gegeben worden, Tag vnd Nacht Gott embsig vnnd mit heissen Seufftzen, auch mit hindansetzung aller zeitlichen respects vnd resignation der gantzen Welt, vnnd Vnsers eignen menschlichen willens, zu bitten vnd anzulangen, damit Wir als eine von jhm auch so theur erlöste Creatur die ewige Seeligkeit nicht verschertzen möchten, in ansehung, daß er Jedermann, wer nur selbst jhme nicht hinderlich, zu erkendtnuß der Warheit kommen zu lassen, sich mit einem theuren Eydschwur obligiert welches Gott sey ewig lob vnd danck gesagt, was den ersten Grundtstein Vnserer Seeligkeit (nemblich die wahre Religion) betrifft, Wir auch erlangt, jhn darneben bittendt in solchem wahren Glauben Vns biß an vnser End vätterlich zu erhalten" (Speculum veritatis. Vnser von GOttes Gnaden, *Christian Wilhelm* Markgraven zu Brandenburg. . . . Gedruckt zu Wien. . . . Nachgedruckt zur Neyss. . . . Anno 1634, 261—262). Atque ex toto Christiani libro elucet, ei lectionem Operis catechistici praecipuam veritatis catholicae cognoscendae viam fuisse.

Protestantes alii deinde ex Christiani „Speculo" fidem catholicam cognoverunt; velut Ernestus landgravius Hassiae (1623—1693) a. 1652 in ecclesiam receptus (*Wilh. Kratz* S. J., Landgraf Ernst von Hessen-Rheinfels und die deutschen Jesuiten, Freiburg i. Br. 1914, 22—23).

Haec utilia sunt ad supplendam relationem de Christiani conversione a *Räss* (l. c. V, 404—433) editam. „Christian Wilhelm", inquit Räss, „ist nach den vielen mit sich selbst bestandenen Kämpfen ein überzeugter, eifriger und treuer Sohn der Kirche geworden. . . . Für den Orden der Gesellschaft Jesu hatte er eine besondere Vorliebe" (l. c. 409 410).

1212. **M. Martio et Aprili 1577.**

Ex autographo. Germ. 138 f. 172^v.

Canisius Landishuti contionatur.

P. Henricus Winsenius S. J. P. Syberto Bronchorst S. J. scripsit Oeniponte 17. Martii 1577: „Reuerendus P. Canisius, huius alioquin Collegij membrum e primis vnum, superiori anno ab Jllustrissimo Cardinali Morono ad Ratisponensia Comitia euocatus, nondum ad nos est reuersus, sed adhuc Jngolstadij ... versatur; vnde Landishutum ad Jllustrissimum Bauariae Principem Gulielmum (.per hebdomadae sanctae, paschaeque ferias futurus Ecclesiastes.) breui proficiscetur, inde forte breui ad nos rediturus. DEVS optimi senis fatiscentes iam vires corroborare, vitamque prolongare dignetur.

Contiones hae perisse videntur; ex illorum autem temporum consuetudine et ex contionibus quadragesimalibus paschalibusque a. 1579 a Canisio Landishuti habitis, quae nunc quoque exstant, colligitur, eum a. 1577, si non saepius, certe Dominica Palmarum, feria IV. proxima, die Parasceves, Dominica Paschatis, feriis II. et III. Paschatis sive diebus 31. Martii, 3., 5., 7., 8., 9. Aprilis orationes sacras habuisse.

1213. **Inter exeuntem m. Martium et medium Aprilem 1577.**

Ex opere manu scripto (eoque archetypo?): „Michaelium. Sex in partes tributum. S. Michaeli Archangelo dicatum a *Jacobo Canisio* Societatis Jesu presbytero Anno Christiano cIↃ. IↃCXL. II. Eberspergae Boiorum" Tom. II p. 1004—1005. Quod opus usque ad Societatis suppressionem (1773) erat collegii S. J. monacensis et ibidem asservabatur in „cubiculo P. Praefecti Templj" S. Michaelis, cuius P. Iacobus Canisius „sacellanum", ut ipse testatur (l. c. Tom. I p. 30—34), per annos „non paucos egit"; nunc autem exstat in archivo eiusdem ecclesiae S. Michaelis (4°. „Nr. 4. I. Tom."). Hac „Michaelii" parte usi sunt *Fr. A. W. Schreiber*, Geschichte des bayerischen Herzogs Wilhelm V. des Frommen, München 1860, 324, et *Riess* l. c. 427—428.

Landishuti Guilielmus (V.) Bavariae princeps Canisii Opus Mariale componentis scriptorem aliquando agit.

P. Iacobus Canisius S. J. haec narrat de Guilielmo Alberti V. Bavariae ducis filio, qui postea Guilielmus V. Bavariae dux fuit: Eius animi demissio sive modestia apparuit cum P. Petri Canisij amanuensem Landishutae, nondum Boici Imperij clauo potitus egit. Habebat enim Petrus vnum de socijs laicum scribam, linguae tamen Latinae gnarum, qui cum negotij cuiusdam conficiundi causa, vnius horulae, aut amplius etiam vacationem petiisset, et impetrasset, Petrus interim operis Marialis lucubrationem concinnans et clausis oculis meditans, in sua sella quietus assedit. Vix ille scriba fuerat a Petro digressus, cum noster Princeps tacite est ingressus · cui clausis adhuc oculis Petrus suum esse scribam ratus: Certe celer in tuo negotio conficiundo fuisti. Laudo, sede, scribe. Princeps pisce taciturnior, assedit, horamque[a] amplius scripsit. Ita scribentem scriba Petri redux reperit, miratusque Principis modestiam, Petrique veluti imprudentiam: Heus[b], inquit, P. Petre, pande oculos[c], videsis, quis tuus esse scriba sit dignatus. Ad hasce socij sui voces, Petrus oculos (.quos, vt mens esset in dictando collectior, tantisper clausos tenuerat.) reclusit, visoque Principe erubuit, quod in scribendo nescius ejus operam admisisset. Nec mora, vestigijs eius humiliter aduolutus supplex erroris sui veniam flagitauit. Cui Princeps: Nihil, inquit, errasti, Pater. Nam tuus etiam ipse scriba, maxime in opere pijssimo esse discupio. Quin imo mihi gratulor, quod huic operi operam nauarim. Elegans, piumque hoc factum, poterat ad eutrapeliam[1] referri, nisi magis id humilitas eius sibi vendicaret; quod mihi Ioannes Heidelbergerus Societatis Iesv sacerdos, cum sanctitatis opinione Monachij, Anno Christano CIↃ IↃC XXX defunctus, ex ore Petri Canisij acceptum non sine pia voluptate narrauit.

Haec narratio fide omnino digna est; nam P. Jacobus Canisius (qui in hoc opere, Tom. I, p. 30 33—34, Petrum Canisium „patruum" suum vocat) vir erat doctus et probus († 1647); qui Eystadii theologiam moralem tradidit, Dilingae episcopo augustano a sacris contionibus fuit, singulari studio Beatam Mariam Virginem coluit[2] (*Sommervogel* l. c. II 614—617; *Steinhuber* l. c. I[2] 369[1] 413); et P. Ioannem Heidelberger († ineunte a. 1632), ex quo Iacobus Canisius haec accepit, et ad quem Petri Canisii exstat epistula, propter vitae puritatem et diligentissimam, quam per 50 paene annos gessit, iuvenum litteris studentium, imprimis pauperum, curam posteri

a) *Sequitur* fere, *oblitt.* b) *Ita in Cod. correctum est ex* Euigila. c) *Haec 2 vv. in margine addita sunt.*

[1] „Dicitur aliquis eutrapelius a bona conversione, quia scilicet bene convertit aliqua dicta vel facta in solatium": *S. Thomas Aquinas,* Summa theologica, II[a] II[ae] q. 168 art. 2.

[2] Praeter libros vel excusos vel manu scriptos, quos a Iacobo Canisio compositos esse scribit *Sommervogel,* exstat Romae in bibliotheca collegii germanici (V. 306) eiusdem opus manu scriptum *„Historica practica Mariana", Romae a. 1638 ab auctore Mutio Vitelleschio Societatis praeposito generali dedicatum: in quo Mariae colendae 43 modi recensentur et illustrantur.

magnopere laudarunt (*Fr. X. Kropf* S. J., Historia Provinciae Societatis Jesu Germaniae Superioris, Pars quinta, Augustae Vindelicorum 1754, nr. 158 159). Ea denique, quae de Guilielmi principis eximia in Beatam Mariam Virginem pietate et in Societatem Iesu amore aliunde certo constant, cum hac narratione plane congruunt. Quare eadem pro certa habetur non solum a *Schreiber* et *Riess*, sed etiam a *Fel. Stiere*, Die Politik Baierns 1591—1607 I, München 1878, 412—413.

Canisius Landishuti cum Guilielmo fuit primum ab exeunte m. Martio ad medium fere Aprilem anni 1577, deinde annis 1578 et 1579; ea autem, quae dixi, acciderunt, cum Canisius „operis Marialis lucubrationem concinnaret“: quod opus circa m. Iulium anni 1577 ab eo absolutum est; v. supra p. 409. Labitur vero *Riess*, cum circa a. 1574 id factum esse censet (l. c. 427).

1214. 1573—1584. (Aprili 1577?)

Ex autobiographiae geizkoflerianae exemplo antiquo (nec tamen autographo), quod exstat Oeniponte in Museo Ferdinandeo, Biblioth. Tirolensi Tom. DCCCXCII (Dipauliana nr. 1117) f. 111b—115b. Autobiographiae partem, quae infra ponetur, ex eodem exemplo, multis tamen verbis (salvis ipsis rebus) vel omissis vel immutatis, edidit *Adam Wolf*, Lucas Geizkofler und seine Selbstbiographie, Wien 1873, 90—93.

Canisius apud Marcum Fuggerum coenans disputat cum Geizkoflero lutherano.

Lucas Geizkofler a. 1550 Sterzinga (Sterzing, oppidum tirolense) ortus, cum variis locis, velut Augustae Vindelicorum, Parisiis, Dolae (Dôle, Burgundiae civitas), Patavii litteris studuisset, a Fuggeris a. 1579 consiliarius, postea praecipuus causarum actor constitutus est Augustae; ubi sub a. 1600 (mortuus est ibidem a. 1620) ex ephemeridibus suis historiam vitae suae usque ad a. 1600 perduxit (*Wolf* l. c. 5—8); quae historia sic inscribitur „Historia Vnd beschreibung Lucasen Geiczkoflers von Reiffenegg Tyrolensis, herkomen, geburt, leben, studieren . . . biss auf sein in Augspurg Anno 1590 beschehene verheuratung vnd folgends weiter, biss auf das .1600. Jar“. In hac narratione, cum tempus, quo Dolae versabatur, commemorat, sic scribit: „Lucass . . . war gesinnet etlich wenig meil wegs von Doll in ein Dorff zuspatzieren, vnd einen wunderman zusehen, welcher dass podagram, vnd andere schwere kranckheit nur mit einem schlechten wasser, vnd aufgelegten gesegneten kreutern zu curieren, und zuhailen pfleget, wie dass gemaine geschrey von Jme erschollen, welches weylandt den alten herrn Jeorgen Ilsing von Traczberg Ritern gewesenen Landvogt in Schwaben [1], bewegt, sich auch zu gedachtem Wunderman zubegeben, dann Er hatte vom podagra grossen vnd langwirigen schmerzen, welcher Jme durch mitel gedachts wundermans (dann also ward Er von etlichen genannt) in wenig tagen gemiltert wurd, also daß Er mit ziemlichem content vnd leidenlicher besserung wider gen Augspurg komen, vnd kein bosondern schmerzen mehr gespürt, doch nach vier Jaren haben sich die Podagranische fliss vnder ainisten also hefftich erzaigt, daß Er tods verschieden [2]. Disser herr Georg Ilsing hat etlichen andern Personen sonderlich in Schwabenlandt, wie auch der wolgebornen Frawen, Sybilla herrn Marxen Fuggers Freyherrns zu Kirchberg und Weissenhorn Gemachel, geborene Gräfin von Eberstainn, herrn Graf Wilhelms von Eberstain Schwäbischen Craiß Obristen Dochter (welche auch am Podagra gar grossen schmerzen erlitten) von gesagtem wunderman anfangs auch ein grosses lob gesagt, also dass Sy Jer fürgenomen, sich auch in Burgund zu Jme in einer Sonfftin füeren zu lassen. Als aber Lucass Geiczkofler souil erfaren, daß disser vermeinte wunderman ein Zauberer, welchen ein würt in gedachtem Dorff seines nucz halber vnderhielte, seitenmal vil frembde sich dahin zubegeben vnd vil Zehrung Zuuerursachen pflegten. So hat Er Geiczkofler neben

[1] Georgium Ilsung a Tratzberg, patricium augustanum et Canisii fautorem; cf. *Can.* III 574; IV 1036.

[2] Mortuus est 4. Septembris 1580 (Allg. D. Biographie XIV 34).

andere zeittungen solche Handlung vom Wundermann gen Augspurg seinem brueder[1] geschriben, von dem Er wol ermeltem herrn Marxen Fugger angedeutet, vnd ist darauss die vorhabende raiß seiner Gemachel in Burgund widerumb abgestelt worden. Etlich wenig Jar hernach, alss Lucass Geiczkofler wider gen Augspurg, vnd von Jeren Gnaden herrn Marx Fuggern mehrmalen Zur tafel oder mahlzeit beruefft komen; ist man mehr gedachten wundermans zuredt worden, vnd allerlay discurs fürgangen, in welchen Lucass Geiczkofler und noch ein anderer Jerer Gnaden Gast, D. Adolph Otto, Reipub: Augustanae archiater[2] sagten, welcher massen Sy solche würt vnd vermainte wundersleuth den Jenigen vergleichen, welche etwann (wie vilmals in Teutschland geschechen vnd noch geschicht) Capellen, Kirchen vnd darneben ein würtshauss pawen liessen, alda der Caplan oder Pfarrer vnd der würt desselben orts bald etliche vermainte wunderwerckh daselbs geschechen zusein außbraitet vnd gerümbt, darnach vil wal: vnd Kirchfarten dahin verrichtet werden, welche dem Gerichtsherrn, Pfarrer, würt und mesner und andern im Dorff vil eintruegen vnd nuczeten, darauf wolermelter herr Marx Fugger dessen Gemachel, wie auch Jer herr Vater seeliger anfangs Euangelisch oder der Augspurgischen Confession gewesen[3], saget Er seye zwar guet Catholisch, aber Er halte darfür, dass vil vermainte wunderwerckh bey kirchfarten oder wahlfarten allein von aigen nuczigen auch zauberischen vnd aberglaubischen leuten erdacht vnd angericht worden, darauf ein Jesuither Petrus Canisius Prediger im Thumbstifft[4] (so damalen auch an der taffel sass) saget, man köndte die wunderwerckh vnd wunderleuth leichtlich darauss erkennen, wann man die wort vnd sachen, deren Sy sich gebrauchen, oder die darzu gezogen oder genomen werden) betrachte vnd wol anschawe. Wann nun der wunder Mann, dauon oben gemeltet worden, dem herrn Jeorgen Ilsing Landuogt oder andern patienten mit kreutern vnd hey: segen sprechungen geholffen: so seye disse hülff für ein rechtes mitel, vnd kain falsch wunderwerckh zuhalten, dann die crafft, yemand gesund zumachen oder etwass ins werckh zurichten oder zuuerhindern auch wol in etlich blosen doch gewisen worten bestee, wouer die Jenige Person, so Sy spricht, sunst heylig vnd from ist. Solche mainung wider sprach Lucass Geiczkofler, vnd demnach Er spüret, dass es wolgedachtem herrn Marxen Fugger gefellig, vnd angenem, dass Er gedachtem Jesuither Petro Canisio stette widerparth hielte. Also that Er etliche sprüch auss dem iure Canonico oder Geistlich Päpstischen Rechts büechern, als welche bey den Jesuitern vil gelten, anzichen, dann Er alss Iuris studiosus oder Candidatus, wolte sich mit den Jesuithern in facultate theologica extra cancellos[a] in kein disputation einlassen, sondern allegiert allein ex Decreto Gratiano[b] causam 26. cap: 15. quaest: 7. Admoneant sacerdotes fideles populos, ut nouerint magicas artes incantationesque, quibus sibi et infirmitatibus[c][5] hominum nihil remedij posse conferre; non animalibus languentibus claudicantibusue, uel etiam moribundis quidquam mederi, non ligaturas ossium, uel herbarum, cuiquam mortalium adhibitas prodesse sed haec esse laqueos et insidias antiqui hostis; quibus ille perfidus genus humanum decipere nititur; Et si quis haec exercuerit: Clericus degradetur; laicus anathematizetur. Disser text hat mehr vnd wolgedachtem herrn

a) concellos *apogr. antiquum.* b) *Sic apogr. ant.; scribendum fuit:* Gratiani. c) *Vide infra, adnot. 5.*

[1] Michaeli Geizkofler († 1614), protestantismi cultori sedulo: qui post medium saeculum XVI. apud Marcum, Iacobum, Ioannem Fuggeros summus aerarii praefectus sive quaestor fuisse traditur (*Wolf* l. c. 6 22 203).

[2] Medicorum praefectus.

[3] Sibylla ab Eberstein, Marci uxor, per Canisium ad ecclesiam catholicam reducta erat (*Can.* III 655—663).

[4] Vide, quae sub ipsam hanc historiam dicentur.

[5] Ita perperam vel librarius antiquus vel etiam ipse Geizkofler scripsit; *Decretum* vero habet: „incantationesque quibuslibet infirmitatibus“.

Marxen Fugger sowol gefallen, dass Er Jme den ganzen text derselben quaestion fürlesen lassen, vngeacht obgedachter Jesuiter Petrus Canisius damalen zu uersteen gab, es weren vil punkten darinn begriffen, so in disputationibus für kainen beständigen grund anzuziehen weren, vnd souil insonderhait den Burgundischen vermainten wunderman belangt, desshalber obangeregter discurs endstanden: sagt Er man müesse seinthalber besseren bericht, wie Er gelebt, vnd wass Er gethon, einziehen, vnd alsdann erst von Jme urtailen. Nun hat Er zwar, wie obgemelt, in der Fürstlichen Graffschafft Burgundt ein grossen namen vnd zuelauff gehabt, aber da Er mercket, dass Jme dass Parlament oder Parlamentsherrn zu Doll ernstlich nachfragen liessen: hat Er sein wohnung geändert, also daß man lang nit gehört wo Er sich aufhalte, biss dass ein sondere Procession oder Creuczgang auf dem Berg Roland, vnd zu der Kirch daselbs nit weit von Doll angestelt, auf den 24. tag monats Augusti dess .1573. Jars. . . . Bey solchen Procession ist auch obgedachter wundersman (. . . .) gewesen, wie auch hernach den 7. September auf der Kirchwey zu Doll."

Quo tempore convivium illud et concertatio habita sint, non constat; et Geizkofler quidem circa a. 1573 primum Dolam venisse videtur; Canisius autem postremum Augustae moratus est a. 1584. Inter a. 1575 et 1577 concertatum esse opinatur *Wolf* (l. c. 7); Canisius sane et m. Iunio a. 1576 per Augustam transisse videtur (v. supra p. 347), et m. Aprili a. 1577 Augustae causam quandam fuggericam curavit (v. supra p. 402); quare maxime verisimile est, eum hoc tempore a Marco Fuggero in convivium adhibitum esse. Caeterum Geizkofler, cum se cum Canisio cathedralis ecclesiae augustanae contionatore disputasse dicit, obliviscitur illum iam a. 1566 eo officio levatum esse (*Can.* V 288 572); et in aliis quoque rebus narrandis eum parum diligentem esse *Wolf* notavit; accedit quod Geizkofler Lutheranismum studiose colebat et Societatis hominibus infensissimus erat (v. *Can.* VI 347—348). Quare merito dubitaveris, num Canisius ita locutus sit, ut ille eum inducit loquentem; poterat tamen monere, ne homo ille, cuius opera Georgius Ilsung, vir valde prudens piusque, usus erat, condemnaretur, antequam certiora de eo intellecta essent; neque ad Canisium refutandum aptus erat locus ille iuris canonici; hoc enim magi et incantatores proscribebantur; sed id ipsum erat incertum, utrum ille aqua herbisque superstitiose usus esset an pie, utrum daemonis fraude interposita an Dei ope implorata.

1215. Inter medium et exeuntem a. 1577.

Canisius in visitatione collegii „exhortationem" habet.

Exstat (Can. 42 f. 136 130) „Exhortatio tempore uisitationis" manu ignota scripta et manu Canisii recognita multisque modis emendata, cui nec locus nec tempus ascripta sunt. Orationis argumentum a *Canisio* ipso sic significatur: „1 adesse P. Prouintialem ad uisitandum. 2 breui omnibus uota sua renouanda esse. Dicam ergo de uisitatione quomodo sit bene fundata. 2 nobis et collegio utilis et salutifera 3 quomodo quisque illam libenter amplecti et magni pendere et recte [ea] uti debeat". In ipsa deinde exhortatione *Canisius:* „Agamus", inquit, „Deo gratias qui nobis dat et conseruat hactenus talem Superiorem cui possumus fidere, et a quo omnia bona expectare debemus. . . . Venit haud dubie Christus in suo Vicario, et offert nobis gratiam singularem, sicut toto anno imo 2^{bus} annis proximis non contigit." Quod autem Canisius ait duobus annis superioribus visitationem habitam non esse, id accidit inter annos 1575 et 1577; quibus Paulus Hoffaeus praepositus provincialis provincia visitanda, variis impedimentis interpositis, prohibebatur; qui deinde a. 1577 et 1578 Canisium visitationis „socium" et adiutorem secum circumducebat. Inter medium igitur et exeuntem a. 1577 Canisius vel in uno collegiorum illorum (dilingano, halensi, ingolstadiensi, monacensi, oenipontano) vel etiam in compluribus hanc exhortationem habuisse videtur; quam totam, verbis aliquibus immutatis, ex eodem commentario typis exscripsit *Schlosser* l. c. 406—409.

1216. Circa m. Iulium 1577.

Canisii Opus Marianum; privilegia; approbatio; imagines; donationes.

Circa m. Iulium 1577 (v. supra p. 409) Ingolstadii absolutum est in lucemque prodiit opus: „DE MARIA | VIRGINE | INCOMPARABILI, | ET DEI GENITRICE SACROSANCTA, LIBRI QVINQVE: *Atq3 hic* SECVNDVS LIBER *est Commentariorum de* VERBI DEI *corruptelis, aduersùs nouos & veteres Sectariorum errores nunc primùm editus:* AVTORE | D. PETRO CANISIO, Societatis IESV Theologo. APOCALYPS. XIII. Et aperuit (BESTIA) os suum in blasphemias ad DEVM, blasphemare nomen eius, & TABER- | NACVLVM eius, & eos qui in cælo habitant. Cum PONT. MAX. & CÆSAR. MAIEST. | *Gratia & Priuilegio. M. D. LXXVII.* INGOLSTADII Excudebat DAVID Sartorius."

Totus hic titulus cingitur figura in ligno incisa: Duabus columnis in basi constitutis sustentatur hyperthyrum quoddam triangulum; cernuntur flores, angeli, columba Spiritum Sanctum significans.

2°; pp. sign. 1—780; praeterea ff. non sign. in initio 18 (addito titulari) et in fine 17; f. **1ª conspectus brevis totius operis; f. **1ᵇ: „Summa Privilegii ac Diplomatis a Pont. Max. pro hac editione impetrati"; de quo privilegio vide supra p. 354; sequitur „Summa Privilegii Caesarei", a Maximiliano II. Praga 25. Iunii 1575 Davidi Sartorio typographo ingolstadiensi concessi, quo cavetur, „ne quis vnquam in omnibus suae Caes. Maiestatis regnis, haereditariis prouinciis, adeoque vniuerso romano Imperio, nisi ipsius Dauidis Sartorii permissu, omnes approbatos libros ab illo excusos" iterum excudat vel alibi excusos intra fines imperii vendat „sub amissione omnium librorum sic excusorum, et mulcta viginti Marcharum auri puri": privilegio subscripta sunt nomina „Maximilianus", „Io. Bapt. Weber D.", „L. Erstenberger"; f. **2ª—**5ᵇ Canisii litterae dedicatoriae ad Albertum V., quas vide supra p. 379; f. **6ª Beatae Mariae Virginis puerum Iesum in manibus gestantis imago ligno incisa et integram occupans paginam; f. **6ᵇ—**7ª „In Commendationem Mariani huius Operis, carmen Philippi Menzelii, Med. Doctoris, et in Academia Ingolstadiana Professoris; f. **7ᵇ Mariae Virginis imaguncula; cui subscriptum est „Hexastichon" „Ad Mariam Deiparam" ex „Tragoedia de Christo patiente", quae sub nomine S. Gregorii Nazianzeni circumferebatur, idque primum graecum, deinde latine versum: f. aª—b 4ª Praefatio; f. b 4ᵇ Index capitum libri primi; sequitur ipsum opus; in fine: f. Yyy 3ª Errata; f. Yyy 3ᵇ—Yyy 4ª „Autoris Confessio" (quam vide *Can.* VI 745—746): f. Yyy 4ᵇ approbatio ecclesiastica; quae sic habet: „Opus hoc, de Maria Virgine sanctissima, a Reuerendo P. Petro Canisio Societatis Iesu Doctore Theologo, nunc primum aduersus nouos et veteres Sectariorum errores compositum, grauissimum est, et orthodoxum, et inprimis dignum, quod typis excudatur. Martin. Eisengrein SS. Theologiae Doctor, Protonotarius Apostolicus, et Catholicae Academiae Ingolstadien. Procancellarius"; f. Zzzª—Zzz 4ᵇ „Index locorum Scripturae Sacrae quae potissimum in hoc Opere tractantur"; f. Aaaaª—Bbbb 5ª „Index rerum" alphabeticus: f. Bbbb 5ᵇ „Hymnus ad Deiparam Virginem" (sine nomine auctoris). Liber habet (f. **6ª; p. 100 234 291 355 370 403 429 495 524 589 725) Beatae Mariae Virginis imagines ligno incisas, quarum unaquaeque paginam integram occupat, 12 vel potius 9; nam tres imagines iteratae sunt: Maria puerum Iesum in manibus gestat, ab angelo salutatur, Christo e cruce deposito genua ponit eumque veneratur (eius caput septem gladiis cinctum est); Elisabetham invisit; puerum Iesum Deo in templo offert; Iesum duodecim annorum puerum in templo reperit; in caelum ascendit; atque hae quidem imagines (id quod ipse Canisius notavit; v. supra p. 417) inconditae parumque pulchrae sunt; satis autem pulchrae sunt duae aliae, quarum una faciem vultumque Mariae, altera eius symbola quaedam habet.

Dilingae bibliotheca lycei in Codice, quem dixi supra p. 378, habet huius operis exemplum duabus manibus ignotis anno, ut videtur, 1572 scriptum et ipsius Canisii manu Oeniponte anno 1574 plurimis locis vel emendatum vel amplificatum (2°; ff. sign. 224; Codex incipit: „SERENISSIMO ET ILLVSTRISSIMO PRINCIPI AC DOMINO, D. ALBERTO"); manu una ff. 1—183 et 212—224, altera ff. 184—209 scripta sunt. Codex nunc solam partem priorem operis (paulo plus quam dimidiam operis partem) continet; mutilatus enim est et terminatur f. 224ᵇ in totius libri (unum habet librum) capite 30 (in editione, quam supra posui, libri IV. cap. 13) his verbis: „ne matrem domini aliquo audeat temerare conuicio. An uero maledicum et blasphemiae." Cf. etiam *Riess* l. c. 427[3].

Operis Mariani argumentum summamque diligenter exposuit *Riess* l. c. 429 ad 447. Ceterum, quid de hoc libro docti senserint, dicetur in huius operis volumine proximo, cum de mariali hoc libro a Canisio a. 1583 recognito et cum libro de Ioanne Baptista coniuncto („Commentariorum de Verbi Dei corruptelis Tomi duo") agetur. Interim v. supra p. 434 450 et ea, quae notavit Dr. *P. Kirsch* in „Festschrift zur 4. Jahrhundertfeier der Geburt des seligen Petrus Canisius", Freiburg i. d. Schweiz 1921, 85—86.

Albertus V. dux pro eius temporis more dedicationem libri sibi factam pecunia remuneratus est; ut enim a. 1911 ex cl. D. Dr. *Ottone Hartig*, nationalis bibliothecae monacensis tunc custode, accepi, in Codice pecuniae a ducis „camera" a. 1578 datae et acceptae, qui Monachii in archivo provinciae Bavariae superioris asservatur, haec sunt (f. 315ᵇ—316ᵃ): „Herrn Doctor Canisio, wegen Er Ir Furstl. Gn. ein Puech de Beata Maria Virgine verehrt hat, lautt der Zetl zallt 50 fl." Qui 50 floreni Canisio 22. Octobris 1578 soluti esse videntur (*K. v. Reinhardstöttner* in „Jahrbuch für Münchener Geschichte" IV 131).

J. Genoud (friburgensis collegii S. Michaelis professor) notat, Friburgi Helvetiorum in bibliotheca reipublicae exstare huius libri exemplum, quod olim collegii Societatis ibidem constituti fuerit, quodque „renferme des corrections et annotations qui semblent être de la main de l'auteur et en vue d'une nouvelle édition" (l. c. 131 [1]).

Feldkirchii (Feldkirch) in bibliotheca domus exercitiorum (Da IV 48) exstat huius libri exemplum in tabulis ligneis corio albo obductis variisque figuris impressis conglutinatum, in cuius folio titulari manu eiusdem temporis notatum est: „M: Mathias Leserus presbyter emit 2 florenis 6 batziis anno 1581."

Monachii in bibliotheca nationali (Rar. 167) exstat, ut ex eodem cl. Dr. *Hartig* accepi, eiusdem libri exemplum in tabulis corio fusco obductis et figuris eleganter impressis conglutinatum; cuius folio titulari *Canisius* ipse in margine inferiore haec inscripsit: „Jllustriss. Principi, D. GVILHELMO, utriusque Bauariae duci, et Patrono. Author obseruantiae erga D. D." Aliud libri exemplum vidi Eystadii in bibliotheca episcopali (M 7); in huius autem folio titulari *Canisius* sua manu haec scripsit: „Toti collegio Societatis IESV Jngolstadij Author d. d. seque illius precibus in Domino ualde commendauit." De tertio denique libri exemplo (quod perisse videtur) in antiqua illa * *Historia* collegii ingolstadiensis (cf. supra p. 353) haec narrantur: „[Martinus a Schaumberg] Episcopus Eystettensis eundem librum a nostris oblatum libenter accepit, tamque gratum munus habuit, vt offerentes officiose tractaret, totumque Collegium missa carne cervina, et cancris additis, benigne recrearet" (Cod. eystett. „Hist. coll. Ing." p. 42). De quarto exemplo Ioanni Dreyling, Ferdinandi II. archiducis consiliario aulico, a Canisio donato v. *Can.* VI 713. De exemplis Canisii nomine Romae Gregorio XIII. et cardinalibus Hosio, Sirleto, Gallio, Commendono traditis v. supra p. 430 437.

Liber exstat etiam Berolini in bibliotheca nationali, Monachii in bibliotheca universitatis, Fuldae in bibliotheca publica (Landesbibliothek), Upsalae in bibliotheca universitatis, Salmanticae in bibliotheca universitatis (674 n. 16). Eum posuit *Sommervogel* l. c. II 674.

1217. M. Augusto et Septembri 1577.

Ex Rabensteinii litteris autographis, quae sunt in Germ. 138 f. 186 et ex historia collegii oenipontani, Cod. „Hist. coll. Oen." p. 23.

Canisius in visitatione collegii oenipontani. Rectoris querelae. Expurgatio librorum.

P. Ioannes Rabenstein S. J. rector collegii oenipontani Oeniponte 3. Octobris 1577 Everardo Mercuriano praeposito generali scripsit: Primas iam a visitatione cui in hoc Collegio R. P. Prouincialis [1] ante dies fere 13 finem imposuit ad P. V. R. mitto.... Habuit autem dicta Visitatio magnum fructum ut ex ea omnino Collegiorum atque adeo totius Prouinciae salus pendere videatur, et quod superiori anno suspensa fuerit, erit forte hoc anno non ita in plerisque locis facilis et expedita. Socius p. prouincialis est P. Canisius.... His paucis diebus quibus P. Canisius cum P. Prouinciali adfuit tantum didici ut putarem mihi difficillimam huius Collegij gubernationem si P. Canisius hic habitare deberet, ut submisissime [a] supplicarem V. P. R. alterum ex nobis in hoc loco non relinqui. Vix enim diuina gratia adiuuante effeci ut res nostrae sint aliquantulum in meliori loco, quas facile P. Canisius denuo euerteret.

In antiqua autem illa Historia collegii oenipontani (v. *Can.* IV LXXVIII—LXXIX) *haec, praeter alia, in annum 1577 notantur:* Ferijs Natalitijs B. Virginis votorum habita est renouatio, quam praecessit visitatio R. P. Prouincialis.... Hic vna cum socio P. Petro Canisio integro fere mense nobiscum fuit minime otiosus, et praesertim libros omnes expurgari uoluit iuxta decretum Pont: Max: et R. P. N. Generalis.

Quae de „visitatione" collegii ante d. 8. Septembris habita dicuntur, de sola parte quadam visitationis illius oenipontanae dicuntur; vide supra p. 418, et Oeniponte 9. Septembris 1577 *Hoffaeus* Mercuriano *scripsit: „Absoluam intra octiduum huius Collegij visitationem, ac tunc Dilingam me conferam" (ex autogr.; Germ. 138 f. 184[a]). Libris autem oenipontanis „expurgandis" (v. supra p. 423) operam si non omnem, certe praecipuam praestitisse Canisium, tum ex ipsius rei natura atque ratione, tum ex iis, quae de aliorum collegiorum libris a Canisio „approbatis" etc. narrantur, colligi potest; cf. supra p. 556 et infra, monum. 1219.

1218. Autumno anni 1577.

Ex apographo Coloniae circa a. 1600 ex litteris archetypis exscripto; quod exstat Coloniae in archivo studiorum fundatorum, Cod. „I. A. 51" p. 326—335. Litterarum particulam germanice versam posui in „Congress-Bericht", de quo supra p. 422 371.

Canisii hortatu Ingolstadii congregatio B. M. V. instituitur.

Congregatio sive sodalitas Beatae Mariae Virginis in universitate ingolstadiensi instituta in suis „Litteris annuis" Ingolstadio m. Ianuario 1582 „ex commissione praefecti" congregationis a „M. Laurentio Eiszephio" datis, quarum ipsa exemplum ad congregationem coloniensem misit, haec narrat: Instituta est Sodalitas nostra circa fines annj a

a) submissime *autogr.*

[1] Paulus Hoffaeus.

nato Christo 1577 in Collegio Albertino inter eiusdem Collegij Alumnos et conuictores exhortante ad id Reuerendo pat: Petro Canisio Societ: JESV quem authorem suj habuisse merito sodalitium nostrum laetatur[a], sibique gratulatur[b], viginti erant, qui ej 1° nomina dederunt, Alumni serenissimi Principis omnes, qui tunc erant vndecim, Conuictores reliquj, quorum exemplo excitatj externj quidam studiosj paulatim se illis adiunxerunt, ita vt anno sequenti in duas partes Congregatio sit diuisa.

Hae litterae fugisse videntur *Casparum Lechner* S. J. (a. 1600 Societatem ingressum, a. 1634 mortuum), qui praecipuus auctor fuit (*Sommervogel* l. c. IV 1640) libelli, qui primum Ingolstadii a. 1621 editus est cum hac inscriptione: „Sodalis Parthenius . . . . Opera maiorum Sodalium Academicorum B. Mariae Virginis Annunciatae"; in hoc enim (p. 59—61) sodalitatum ingolstadiensium ortus „e commentariis" sic narratur: Anno 1577, cum Ingolstadii P. „Otho Eysenreich" regens convictorum collegii albertini apud hos congregationum variis iam locis institutarum mentionem fecisset, in multorum animis vehemens exarsit desiderium similium „conventuum". „Re itaque cum R. P. Theodorico Canisio Rectore Collegij Societ. Iesu communicata, eius approbatione atque auspicio XI. Cal. Ianuarias viginti lecti Iuvenes inter se Societatem Parthenianam primi inierunt. . . . Postea cum anno consequenti plures numerarentur; quam vt commode ab vno Magistratu regi possent, in Maiorem ac Minorem diuisa est v. Idus Decemb." Similiter, nulla Petri Canisii mentione facta, postea ea de re scripsit *Agricola* l. c. I Dec. 4, n. 267: quem deinde secutus est *Fr. Hattler* S. J., Der ehrwürdige P. Jakob Rem, Regensburg 1881, 71. Ceterum fieri poterat, ut et Canisius et Eisenreich operam conferrent ad eam congregationem instituendam; quam si non ante, certe iam m. Octobri a. 1577 ortam esse intellegitur ex laudibus, quibus Canisius in litteris 8. Novembris 1577 ad P. Costerum datis eam extollit: v. supra p. 423.

Notum est, sodalitatis marianae institutum Ingolstadii diu et magnopere floruisse et ex eo praeclarum illud „Colloquium Marianum" prodisse.

1219. 1577—1578.

Canisius in visitatione collegiorum bibliothecas eorum lustrat. Libros alios „approbat", alios includendos curat, alios „expurgat" etc.

S. Pius V., cum Romae inquisitoris generalis officio fungeretur, Sociis varias de libris prohibitis sive legendis, sive expurgandis facultates concesserat, quas posui in *Can.* VI 269—270; has Gregorius XIII. confirmavit litteris apostolicis Roma 8. Ianuarii 1575 datis; quae typis exscriptae sunt in *„Litteris apostolicis"* etc. 137—141. Atque *Everardus Mercurianus* praepositus generalis S. J. *Institutionem quandam „circa usum librorum prohibitorum et aliorum quorundam" composuit, in qua haec, praeter alia, praecipiuntur: Provinciales poterunt usum librorum, „qui ab authoribus haereticis conscripti, tamen ex professo de religione non tractent", et obscoenorum aut „alia de causa nostris minime conuenientium" concedere Sociis, „quibus iudicabunt, adhibitis suis consultoribus, conuenire", et facultatem usum librorum illorum permittendi rectoribus concedere. Attamen ab Erasmi Roterodami et Ludovici Vives libris „nostri abstinebunt, nisi si quibus interdum eorum usus ad maiorem gloriam Dei uideretur esse necessarius, idque Praepositorum Prouincialium iudicio atque permissu, quem in finem illa separatim aliquo in loco seruari poterunt. Obscoenorum librorum quales sunt Catulli, Tibulli, Propertij, plerique ab Ouidio conscripti, Plauti, Terentij, Horatij, Martialis, Ausonij Galli, usus non permittatur, nisi maturis, quique eis sine periculo, ad studia literarum humaniora promouenda, uti poterunt. Nulla autem ratione scholasticis nostris quocunque praetextu permittantur, ac ne alijs quidem, etiam magistris, quorum puritati aliquid labis aspergi posse dubitaretur: Ex-

a) laetatum *apogr.* b) gratulatum *apogr.*

ceptis tamen eiusmodi libris, qui uel iam expurgati essent, aut in posterum expurgarentur. Virgilij uero Priapeia et alia eiusmodi epigrammata aboleantur prorsus. Reliqui omnes libri quocunque idiomate conscripti, siue carmine, siue soluta oratione, quae amatoria et impura continent, nemini prorsus concedantur. Ac cum etiam inter scriptores librorum spiritualium, licet pij, inueniantur, qui instituti nostri rationi minus uidentur congruere[a]: propterea non permittentur passim et sine delectu, sed ea tantum, qua superius dictum est ratione, quales sunt Taulerius, Rusbrochius, Henricus Suso, Rosetum, Henricus Herp, Ars seruiendi Deo, Raimundus Lullus, Gertrudis et Mectildis opera et alia huiusmodi. Nihil uero horum librorum uspiam seruetur in nostris Collegijs, nisi ex P. Prouincialis sententia, cuius erit decernere quinam, et in quibus locis seruandi sint, quosue ex ijs libris Rectores suis subditis legendos permittere debeant. Neque tamen permittent usum horum librorum, nisi pro eo tempore quod necessarium iudicabunt. Qui autem libri aliquibus e nostris permittentur, non habeantur in Bibliothecis, ac ne ijs quidem, siue publicis locis, ubi ab alijs legi possint. Denique Prouinciales suo tempore Praeposito Generali significabunt quinam libri prohibiti in quocunque loco seruentur, quamue facultatem Rectoribus concesserint" [1] (ex apographo saeculo XVI. in usum collegii dilingani scripto; Cod. „C 1" p. 14—15). In * *Codice* igitur litterarum et praeceptorum iussu praepositi generalis Roma in varias provincias missarum notatum est: „1575. . . . Gli ordini sopra le cose che si han ad osseruare circa i libri prohibiti . . ., si sono mandati per tutta Germania et Francia" (Hist. Soc. 42, „Diuersi ordini", in a. 1575). Quare mirum non est, Canisium exeunte a. 1577 litteris Coloniam missis a P. Francisco Costero, ut Sociis Germaniae superioris „Indicem expurgatorium" Antverpiae excusum mittendum curaret, petisse (v. supra p. 423); praesertim cum Pius V. et Gregorius XIII. concessissent, ut quae in Indice tridentino decretoque Inquisitionis generalis a theologis universitatum catholicarum, inquisitoribus etc. expungi vel emendari iubebantur, ea Socii a praepositis delecti in suis aliorumque libris corrigere possent (*Litterae* apostolicae 138—139; cf. *Can.* VI 269—270); quibus concessionibus 15. Iulii 1576 a Gregorio XIII. haec addita est: Ut Socii in libris expurgandis etiam „fidelium Scholasticorum" opera uti possent (ex apogr. eiusd. temp.; Instit. 190 f. 67).

In provincia igitur Germaniae superioris P. Paulus Hoffaeus provincialis ea, quae Mercurianus praepositus generalis de Societatis bibliothecis constituerat, a. 1577 et 1578 exsequenda curavit per Canisium, quem sub m. Iulium a. 1577 sibi in officio obeundo, imprimis in collegiis visitandis (1577—1579), adiunxerat socium (v. supra p. 408). Monachii enim in bibliotheca universitatis exstat *Aloysii Lipomani* episcopi veronensis „Confirmatione et stabilimento di tutti li dogmi catholici . . . nella quale hai abondantemente la confutatione di tutto il Lutheranesimo", Venetia 1553; in cuius libri folio titulari haec cernuntur iam olim scripta: „In usum Societ. Iesu Ingolstadii" (in folii parte superiore), et (in parte inferiore): „Approbatus a P. Canisio. 1577" (*Friedr. Lauchert*, Die italienischen Gegner Luthers, Freiburg i. Br. 1912, 571) [2].

a) *Sic; in „Ordinationibus" vero, de quibus infra dicetur, hic locus ita contractus est:* Spirituales item, qui licet pij videantur, Instituto nostro minus congruunt.

---

[1] Huius Institutionis pars maior eaque in brevem summam contracta recepta est in „Ordinationes Generalium" iussu Congregationis generalis VII. a *Bernardino de Angelis* Societatis secretario a. 1616 editas (cap. 2, n. 1), ubi tamen omissa sunt omnino, quae de Erasmi et Vivis libris dicta erant, neque quisquam ex veteribus librorum obscoenorum auctoribus nominatim ponitur, „spirituales" autem sic ponuntur: „Taulerus, Rusbrochius, Harphius et alij huiusmodi" (*Ordinationes* Praepositorum Generalium, Antverpiae 1635, 17—18; *Institutum* S. J. III 259). Maiorem eiusdem Institutionis partem germanice vertit *Fr. H. Reusch*, Beiträge zur Geschichte des Jesuitenordens, München 1894, 241—242.

[2] *Lauchert* quidem sic habet: „Approbatus a P. Canisio. 1577 (oder 1575)". Verum cum Canisius a. 1575 Ingolstadii non fuerit, satis certum est, „1577" legendum esse.

Deinde Valkenburgi in bibliotheca collegii ignatiani S. J. exstant „I Salmi di *David* tradotti dalla lingua Hebrea nella Italiana. Di nuovo ricorretti et emendati. A Paris 1573"; cuius libelli folio titulari haec inscripta sunt manu antiqua (quae non est Canisii ipsius) in margine superiore: „Jn usum domus probationis Lanspergae", et eadem manu in margine inferiore: „Approbatus per P. Canisium 1578": iam hoc autem tempore, ut omnino videtur, his Psalmis agglutinatus erat libellus: „*Confession* des Pechez, et Oraison pour obtenir remission d'iceux. A Paris 1573" (uterque libellus „chez Pierre l'Huillier" editus est). Vidi quoque Monachii in bibliotheca nationali opus „D. *Tilmanni Segebergen* · De septem Sacramentis Liber vnus. . . . Nunc recens ab ipso autore diligenter recognitus et passim locupletatus", Coloniae 1546; in cuius tituli pagina suprema manu antiqua scriptum est „Jn vsum Collegij Societatis JESV Monachij"; in media autem pagina alia manu antiqua notatum est: „Approbatus per R. P. Canisium 1578". Item, ut iam antea scripsi (*Can.* I 216 [1]), Operum „*D. Leonis* Papae huius nominis Primi" Coloniae 1546 a Canisio editorum exemplo, quod ex bibliotheca collegii S. J. monacensis in nationalem bibliothecam monacensem translatum est, manu antiqua in summa pagina titulari annotatum est: „Approbatus a R. P. Canisio 1578". Eiusdem collegii olim erat *Iacobi a Voragine* O. Pr. Legenda aurea, „Argentine" a. 1502 typis exscripta, quae in folio titulari hanc habet notationem: „A[pprobatus a] R. P. Canisio 1578" et nunc in monasterio quodam Germaniae asservatur; item *Ioannis Mariae Verrato* O. Carm. ferrariensis Opera Venetiis 1551—1558 sex voluminibus comprehensa, quae nunc Monachii in bibliotheca nationali asservantur: singulorum voluminum folio titulari inscriptum est: „Approbatus per R. P. Canisium 1578". Eadem in folio titulari „Confessionis fidei catholicae" a *Stanislao Hosio* latine scriptae et a *Ioanne a Via* a. 1560 Ingolstadii germanice editae, quae olim collegii monacensis erat, scripta esse testatur cl. Dr. *N. Paulus;* qui haec addit: „Aus dieser Eintragung, die mir schon in vielen andern Büchern begegnet ist, ergibt sich, dass Canisius i. J. 1578 die Bibliothek des Münchener Collegiums einer allgemeinen Revision unterzogen hat" (Die Briefsammlung des seligen Canisius, in „Historisch-politische Blätter" CXXI 765 [1]). Haec ad ea quoque recte intellegenda utilia esse possunt, quae, ut iam supra dixi (p. 778), in antiqua **Historia* collegii oenipontani de visitatione illius collegii a. 1577 habita narrantur: P. Paulus Hoffaeus praepositus provincialis „vna cum socio P. Petro Canisio integro fere mense nobiscum fuit minime otiosus, et praesertim libros omnes expurgari uoluit iuxta decretum Pont: Max: et R. P. N. Generalis".

Ad hanc bibliothecarum visitationem ea quoque spectare videntur, quae Monachio 20. Decembris 1582 P. *Georgius Bader* Germaniae superioris provincialis ad Claudium Aquavivam praepositum generalem *rettulit: „Inuenio in quibusdam Collegijs, etiam nostris non satis probantibus (salua tamen obedientia) libros quosdam Germanico idiomate eleganter conscriptos, inclusos: qui tamen alibi passim etiam nostris libere permittuntur, etiam in hac prouincia. Factum porro illud est, urgente P. Canisio, approbante tamen, ut audio, P. Hoffaeo. Optarent multi e nostris, ijs uti. Sed nolim contra Antecessoris uoluntatem facere. Puto tamen eam inclusionem periculo non carere. Si enim resciret Reuerendissimus Jo. Nass, opera sua eo numero a nobis haberi, haud dubie, ut est sui amans, aegerrime ferret" (ex autogr.: Germ. 160 f. 273).

Haec certe non ita sunt accipienda, ut Canisium ab Ioannis Nasi O. F. Min., scriptoris sane multis rationibus suspiciendi (v. supra p. 177), qui tunc suffraganeus episcopus brixinensis erat, libris prorsus abhorruisse suspiceris; constat enim, eum Nasi „Centuriam tertiam" in numero librorum „piorum", „lectu dignorum", „utilium" duxisse (*Can.* VI 351); sed aliquos ex Nasi libris [1] et alios quosdam eorum similes in domibus quidem Societatis servari nec tamen eorum lectionem omnibus absque

---

[1] *Ioannes Janssen* de Naso; „Seine Predigten", inquit, „und seine polemischen Schriften erweisen ihn als einen Mann von grosser Sprachgewalt und volkstümlicher Beredsamkeit"; dolendum tamen esse significat, quod Nasus saepe orationi non satis moderatus sit (l. c. V [15]—[16] 401—415).

discrimine permitti volebat eam, puto, ob causam, ob quam etiam libros quosdam Francisci Turriani et Gregorii Valentiae Societatis sodalium aliqua ex parte improbabat; censebat nimirum in iis religionis catholicae adversarios vehementius, quam deceret et expediret, impugnari (*Can.* VI 337 et supra p. 510).

1220. 1577—1580.

Ex autographo; Can. 10 p. 67.

Res a Canisio „socio“ in visitationibus gestae.

Ad annos 1577—1580, quibus Canisius P. Hoffaei in officio praepositi provincialis administrando et maxime in collegijs visitandis „socium“ agebat (v. supra p. 408—542), *praecepta quaedam spectare videntur, quae Canisius, tempore non ascripto, in libello propriis usibus destinato sua manu inscripsit. Ea hic pono tum quia cum „Regulis Socii Provincialis“ (iussu Congregationis generalis XII, a. 1682 habitae, compositis) et imprimis cum regula 22., quae de rebus in visitatione collegiorum praestandis est (*Institutum* S. J., II 403—404: III 89—93), non conveniunt, tum quia ex iis cognoscitur, quid Canisius in visitationibus illis praestiterit, tum quia fortasse colligi quoque aliqua ratione ex iis potest, cur Sociis aliquibus haud ita gratum fuerit Canisium secum morari. En haec praecepta (ab ipso Canisio acta?):

Pro socio Visitationis.

1 Audiat omnium sacra et obseruet ceremonias.

2 Cum singulis recitet diuinum officium ipsis praeeuntibus.

3 Tempore orationis[1] interdum nostros uisitet nemine excepto nisi superiore.

4 Obseruet quid quomodo domi fiat.

5 Jtem an domi aliqua consuetudo sit alibi inusitata.

6 Nulli quicquam iubeat, neminem reprehendat, informationes nullas petat, oblatas audiat.

7 Visitet exercitia scholastica omnia saepius.

8 Quaecunque domi, foris, in scholis, in templo censebit emendatione egere, ea[a] suo tempore proponat.

9 Conuersetur amanter cum omnibus et singulis.“

1221. 1578.

„Summa“ latine editur Veronae.

De Backer (Bibl. I 1056) et *Sommervogel* (l. c. II 625) hanc ponunt editionem exscriptam ex „Cinelli II. 45“ (*Cinelli, Gior.*, Bibliotheca volante, continuata da *Dion. And. Sancassani:* edizione seconda in migliore forma ridotta e arricchita [da *Ang. Calogerà*]. Venezia, Albrizzi 1734—47, 4°, 4 v.; cf. *De Backer* l. c. Liste des Auteurs fréquemment cités, et *Sommervogel* l. c. I p. IX): „Svmma Doctrinæ Christianæ, per qvæstiones conscripta, a Reueren. D. Petro Canisio Theologo Societatis Iesv, et nunc recens ab eodem recognita et aucta. Iussu, et auctoritate Sacratissimæ Rom. Hung. Boem. etc. Regiæ Maiest. Archiducis Austriæ, etc. Veronæ, apud Sebastianum et Ioannem Fratrem a Donnis, 1578, 16°“.

a) eo *autogr.*

[1] Potissimum „meditatio“ matutina et „examina conscientiae“ sub meridiem et vespere facienda significantur; cf. *Can.* V 296—297 503—504.

1222. 1578.

„Parvus Catechismus Catholicorum“ latine editur Antverpiae, Coloniae, Dilingae, Ingolstadii, Mantuae (?).

1. „INSTITVTIONES CHRISTIANAE PIETATIS, SEV PARVVS CATECHISMVS | CATHOLICORVM. | Anctore *[sic]* D. PETRO Canisio, Societatis IESV Theologo. *Accessere Preces horariæ de æterna Dei Sapientia, | Iesu Christo Domino nostro, cum pijs quibus- dam & Christianis exercitationibus.* ANTVERPIAE. | Apud Ioannem Bellerum ad insigne Aquilæ aureæ. M. D. LXXVIII.“ Versus 2, 5, 6, 12 et verba „D.“ „Societatis IESV“ rubra sunt. In fine libri: „Typis Gerardi Smits. 1578.“

16°; pp. 185 (addito folio titulari); in initio libri Kalendarium, Ferdinandi I. „edictum“ anno 1560 factum, Canisii praefatio; in fine testimonia sacrae Scripturae, meditationes illae cotidianae de virtutibus Christi, precationes scholasticae etc.; cf. supra p. 731; deinde: „Hae Meditationes piae, admodum sunt deuotae; Ideoque dignae quae populo proponantur, quod adtestor. Siluester Pardo S. Theologiae Licentiatus, Cathed. Ecclesiae Ant. Canonicus.“ Libellus multis ornatus est imagunculis ligno incisis, quarum aliae dimidiam, aliae tertiam paginae partem occupant.

Editionem hanc vidi Friburgi Brisgoviae in bibliotheca universitatis: quam *Sommervogel* non posuit.

2 „INSTITVTIONES CHRISTIANÆ | PIETATIS. | *SEV* PARVVS CATECHISMVS Catholicorum nouis imaginibus exornatus. *Auctore D. PETRO CANIsio, Societatis Iesu Theologo.* ACCESSERE PRECES Horariæ de æterna DEI Sapientia IE- SV CHRISTO Domino no- stro cum pijs quibusdam & | Christianis exercita- tionibus. *COLONIAE.* Apud Maternum Cholinum. M. D. LXXVIII. | *Cum gratia & priuilegio Cæsareæ Maiestatis.*“ Versus 2, 3, 5, 10, 16, 18 rubri sunt.

12°; pp. 145: praeterea in initio ff. non sign. 16 (addito titulari) et in fine 1 p. non sign.; f. A 2ª—A 11ᵇ Kalendarium; f. A 12ª carmina „Vis cognoscere“ etc. et „Frustra Christicolae“ etc. (cf. supra p. 731): f. A 12ᵇ—Bª Canisii praefatio Augusta Vindelicorum Maio a. 1561 data; f. Bᵇ—B 4ᵇ Ferdinandi I. mandatum Vindobona 10. Decembris 1560 datum; f. B 5ª—D 6ª Catechismus: sequntur testimonia sacrae Scripturae contra haereticos, 3 sententiae „S. Augustini“, preces horariae, meditationes cotidianae de virtutibus Christi, preces matutinae et vespertinae, duae precationes S. Thomae Aquinatis, preces ante scholam dicendae. Liber illustratus est fere 22 imagunculis in ligno incisis iisque parum elegantibus; quae singulae tertiam fere paginae partem occupant.

Librum vidi Vindobonae in bibliotheca universitatis, Theol. Part. I 717. Eum breviter commemoravit *Sommervogel* l. c. II 636.

3. „INSTITVTIONES CHRISTIANÆ PIETATIS, *SEV PARVVS CATECHISMVS | CATHOLICORVM. Authore* PETRO CANISIO Societa- tis IESV Theologo. *PRECES HORARIAE DE æterna Dei sapientia. DILINGÆ Excudebat Ioannes Mayer.* M. D. LXXVIII.“ Versus 2, 3, 8, 9, 12, 14 rubri sunt. Titulus marginatus inclususque est variis figuris.

16°; ff. sign. 80; praeterea in initio ff. non sign. 9 (addito titul.); titulum sequitur Kalendarium; Catechismus terminatur f. 28ª; sequuntur testimonia sacrae Scripturae contra haereticos; 3 sententiae „S. Augustini“; preces horariae; meditationes cotidianae de virtutibus Christi; variae preces, ut preces vespertinae et preces ante scholam recitandae. Caret haec editio praefatione et rerum conspectu sive indice. Confer etiam infra, monum. 1248.

Librum vidi Monachii in bibliotheca nationali, Catech. 82. Editionem haud ita accurate posuit *Sommervogel* l. c. II 636.

4. „PARVVS CATECHISMVS | CATHOLICORVM. Ex postrema recognitione Autoris PETRI CANI- SII Societatis IESV | Theologi. *INGOLSTADII Excudebat* DAVID *Sartorius.* M. D. Lxxviii.“ Versus 2, 3, 8 et verba PETRI CANISII et IESV rubra sunt.

12°; ff. sign. 62; praeterea in initio ff. non sign. 10 (addito titulari); titulum sequitur Kalendarium typis rubris et nigris exscriptum; Catechismus est in ff. 1 ad 30; deinde posita sunt testimonia sacrae Scripturae contra haereticos, 3 sententiae „S. Augustini", professio fidei tridentina, „Testamentum senioris Tobiae, quod suo filio, imo Dei filiis omnibus, vti salutarem viuendi regulam, moriens reliquit atque commendauit" [ex Libri Tobiae capite IV.]; f. 41—62 precationes variae; ut preces mane, ad mensam, ante scholam recitandae: „pro foelici morte octo versiculi B. Bernardi, e Psalmis accepti". Omissa sunt: Praefatio, preces horariae de aeterna Dei Sapientia, meditationes cotidianae de virtutibus Christi, conspectus rerum. Excellit autem haec editio super multas alias chartae densitate et typorum magnitudine ac pulchritudine.

Librum vidi Pragae in bibliotheca canoniae praemonstratensis Strahov (BG IX 5). Editionem breviter commemoravit *Sommervogel* l. c. II 636.

5. „Institutiones christianae pietatis. Mantuae, 1578": Haec neque plura posuit *Sommervogel* l. c. II 636; ex quibus intellegitur, hanc editionem ab eo non esse visam; quae eodem modo commemoratur a *Koecher* l. c. 53; atque hunc secutus esse videtur Sommervogel; neque enim a *De Backer* (Bibl. I 1059—1060; III 2054) huius editionis ulla fit mentio. Attamen iam a. 1643 *Alegambe* (l. c. 374) affirmavit, nullum ascribens annum, Canisii „Paruum Catechismum" Mantuae editum esse.

1223. 1578.

„Parvus Catechismus Catholicorum" italice editur Augustae Taurinorum.

„CATECHISMO | CATOLICO | *Necessarijssimo in questi tempi alla instruttione della Giouentù.* COMPOSTO DAL R. M. PIETRO CANISIO | Dottore Theologo della Compagnia di GIESV, | & tradotto di lingua Latina | nell' Italiana. IN TORINO. 1578." Cum signo nominis Iesu ligno inciso.

„Catechismus" est hic „Parvus Catholicorum"; 12°; pp. 72 (addito folio titulari): p. 61—72 exercitationes quaedam pietatis, ut „Ordine della vita Christiana"; „Ordine dell' Oratione"; 14 meditationes breves (binae in singulos dies septimanae); quae diversae sunt a „meditationibus cotidianis de virtutibus Christi" (cf. monum. 1222 n. 1); „Essamine di conscienza per fare ogni sera". Sine praefatione et rerum conspectu.

Librum vidi Romae in bibliotheca casanatensi (Misc. in 8°, 689). Editionem posuit *Sommervogel* l. c. II 653.

1224. 1578.

„Epistolae et Evangelia quae per totum annum, secundum Missale Romanum, in Ecclesia leguntur: locis Bibliorum ad marginem adjectis, et quarumdam vocum obscuriorum interpretatione. Praefixa sunt summaria seu argumenta per Petrum Canisium . . . confecta. Ad finem adduntur Vitae Sanctorum, desumptae ex Breviario Romano. Duaci et Parisiis, Michael Sonnius, 1578, 8°": Ita *De Backer*, Bibl. I 1049, et ex eo *Sommervogel* l. c. II 672—673.

1225. 20. et 24. Ianuarii 1578.

Ex autographis; Germ. 156 f. 246 250^{a}—252^{b}. Litteris usus est *Kröss*, Can. 206.

Hoffaeus provincialis Mercurianum generalem obsecrat, ne Canisium in posterum sinat „doctrinalia" vel latina scribere; ea enim scriptione plurimos gravari; potius eum in aliam provinciam mittendum esse.

P. Paulus Hoffaeus provinciae S. J. Germaniae superioris praepositus de Canisio, qui hoc tempore, libris de S. Ioanne Baptista et de Beata Maria Virgine adversus Centuriatores Magdeburgenses editis, in id inclinabat, ut iis librum de S. Petro Apostolo adiungeret, ad Everardum Mercurianum Societatis praepositum generalem, qui Canisio, ut eius rei gratia Dilingae vel Ingolstadii consideret, permiserat (v. supra p. 428), sic scripsit Augusta 20. Ianuarii 1578: „Aliud scribit P. V. 1. Sept. de P. Canisij

studijs, aliud longe 28. Decembris quam ego ex magna causa petiueram[1]. Judicabam cum Patribus huius Prouintiae bonum Patrem occupandum non esse in scribendis latinis et doctrinalibus libris. Nunc vero P. V. vult vt in latine[a] scribendo pergat et vt sibi quod velit Collegium Prouintiae deligat. Ad vtrunque sic respondeo, nulla ratione expedire vt suam residentiam Jngolstadij habeat: Deinde ita res habet vt cupiam P. Canisium in aliam Prouintiam mitti si scribendis doctrinalibus libris latinis porro occupandus sit: experiantur alij quoque an recte initio consuluerim. Etsi vero multum apud P. V. amiserim ego tamen amore R. P. V. et S. obedientiae pergam reliquum vitae in obsequijs obedientiae pro viribus profundere. Quod si etiam (vtinam) ab hoc officio tandem liberer, non aliam mihi a futuro Prouinciali charitatem praestari opto quam ego hactenus P. Canisio praestiti, cui isthic forte videor esse difficilis et durus vt pro suis commodis potius ad P. V. quam ad me confugiat quasi ego tam illi iniquus sim aut fuerim. Doleo quod cogor P. V. interdum huiusmodj miserijs molestare: sed sciat P. V. meam quoque in hoc officio consolationem esse permodicam vt nihil amplius dicam. Quicquid sit ego me reuerenter submitto Paternitati V. Scio enim semper aliquos esse debere qui cum syncere quod possunt agunt, nunquam tamen recte agere plerisque videantur". Et Augusta 24. Ianuarii 1578: „Ante paucos dies scripsi P. V. immodestius (dico meam culpam mi Pater et peto veniam et poenitentiam) in causa scriptionis P. Canisij: meque Confessarius meus monuit vt denuo rem P. V. perscriberem allatis rationibus modestis, quae me mouent cur non putem P. Canisio esse vel permittendum vel imponendum onus scribendi doctrinalia. Jgitur seposito omnj affectu inordinato, candide dico quod sentio: tanto tamen liberius dicam, quanto aliorum (quorum curam gero) magis causam ago quam meam. Pater, ista scriptio P. Canisij in Mariano opere molestissima fuit huic prouintiae plus minus per continuos octo vel nouem annos. Habuit qui ipsum iuuarent bonos patres, quorum primus fuit P. Joannes Rastellus Anglus piae memoriae[b] vir alioquin doctus et simul sanctus: sed tandem non potuit Patris Canisij molestias ferre. Datus fuit ergo illi P. Antonius Guisanus, versatissimus in Patribus (qui nunc etiam prae manibus habet concordiam 4. Doctorum) sed nulla ratione potuit diutius tolerare Patris occupationes[2]. Alios etiam habuit scriptores et collectores ex fratribus, sed sub onere gemuerunt[c] atque Patrem tandem deseruerunt: denique ad externos scriptores confugit, qui cum non possent praestare operam qua Pater egebat, pene seipsum confecit. Huc accedit, quod Censoribus quoque fuit grauissimus et molestissimus, sicut etiam scriptoribus, cum vnam et eandem rem decies mutaret et remutaret post omnes censuras, sibique nunquam satisfaceret, et tandem[d] omnibus mutatis, sine censoribus suo proprio iudicio cogeretur multa[e] absoluere. Bonus Pater non est theologus ideoque alij doctiores potissimum pondus ferre debent: at id[f] non possunt, cum in publicis concionibus et professionibus vel etiam in gubernatione sint occupati: Jgitur si P. V. vult P. Canisio imponere vt doctrinas tractet, sciat quod impar est, deinde quod non ipse sed alij potius (ante plus satis occupati) grauabuntur[g]. Multas congerit sententias haereticorum sed profecto saepe valde leui brachio illas[h] impugnat: tantum inermia sua responsa seu confutationes aliqua bonitate styli tegit. Deinde quo ad stylum, ne hic quidem sibi amplius fidit ideoque nostris Rhetoribus et alijs[i] in scholis occupatis, omnia sua castiganda obtulit, quod illis fuit molestum. Denique nunquam potest finire quae tractat, ideoque[k] etiam typographi saepissime afflicti fuerunt, cum quae semel impressa erant, integro saepe sensu et verbis mutari viderent. Et si T. P. vel vnicum Rectorem in hac prouintia reperiat qui haec amplius in suo collegio iudicet[l] cum P. Canisio esse experiunda, ego nihil repugnabo sed iuuabo rem promouere. Nullus

a) *Hoc v. supra versum scriptum est.* b) *Haec 2 vv. supra versum scripta sunt.* c) *Quattuor vv. sqq. ab H. in margine addita sunt.* d) *Sic H. correxit ex* tamen. e) f) *Hoc v. supra versum scriptum est.* g) *Sic H. corr. ex* grauantur. h) *Hoc v. supra versum scriptum est.* i) *Sic H. corr. ex* nostros Rhetores et alios. k) *Hoc v. supra versum scriptum est.* l) *Sequitur* amplius, *oblitt.*

[1] Vide supra p. 411 428. [2] Cf. supra p. 130 612.

certe vel theologus vel Consiliarius[a], Patris Canisij hos conatus probabit. Verum est, omnes obedire debemus: Obediuimus iam in ista benedicta scriptione tot annis: docti vero molesta hac experientia, videat P. V. an boni patres et fratres denuo ita grauandi sint, praesertim cum P. Canisio satis non sit vnicum secum occupare, sed integra collegia. Jtaque submisse coram Domino iudico nec P. Canisium nec meos fratres hoc molesto scribendi genere esse occupandos. Quod si Pater Canisius per se scribere posset, adhibito aliquo scriptore externo, et contentus esset, si Censores suo officio semel fungerentur, non improbarem: Jam vero non Pater Canisius sed alij potius pro ipso componere videntur · hoc difficile est. Jn Mariano quidem vtiliter multa, sed certe eius Joannes a paucis legitur, nec hic mundus curat huiusmodj argumenta de vno aliquo sancto. Quod si Petrum quoque tractare nunc velit, quid quaeso adferre poterit quod non a sexcentis sit absolutissime tractatum? Cumque in Petri opere ingressurae sint grauissimae materiae, scio quod illis Pater Canisius (qui doctus non est) non faciet satis nisi nostris Theologis saepissime molestus esse velit[b] — imo decennio non absoluet —: qui si vacarent, ipsi potius suo nomine aliquid euulgare quam sua alieno nomine mundo proponere mallent. Deinde non me aedificauit quod bonus Pater, misso ordine communis obedientiae, immediate et non per T. P. de sua scriptione apud S. Pontificem[1] egit, apud quem[c] etiamsi, vt ait, scribendi onus deprecatus est, quo modo id non mollissime fecerit et potius non implicite procurauerit vt scribere posset qui tam ad scribendum affectus est? Praeterea non debuit forte etiam sibi loca ad scribendum me inconsulto per T. P.[d] procurare, id est, vel Jngolstadium vel Dilingam, cum ignoraret in quo statu res esset, quam ei nudius tertius coactus explicaui. Jngolstadij (quidquid de Dilinga sit) esse non potest, nisi illud Collegium quod iam quietissimum est et bene gubernatur[e], plane perturbari velim: cogor indicare meas necessitates. Rector enim Jngolstadiensis[2] non potest amplius domi suae hunc patrem eiusque fratrem[3] ferre: nam ambo saepe non sat bene de hoc Rectore iudicarunt et locuti sunt etiam coram tentatis fratribus quod postea ad aures Rectoris peruenit, quo factum vt Rectoris officium in se suscipere nollet, si secum alter Canisiorum esse deberet: si nunc redeat Pater Canisius, omnia perturbabuntur, et tandem[f] omnes molestiae in me redundabunt[g], nec habeo copiam Rectorum: Norunt omnes *etc. [ut supra p. 429].* Habeo mi Pater multas alias in gubernando molestias, haec etiam vna est: feram quamdiu P. V. velit, etsi interim quoque mercedis loco fidem isthic amittere videar. Jgitur post debitam obedientialem submissionem, iudico Patrem Canisium non esse occupandum in scribendis seu tractandis argumentis grauibus et doctrinalibus, vel etiam latinis, sed potius in scribendis libris pijs[h] germanicis, vel etiam in vertendis bonis autoribus in linguam germanicam. Deinde non expedire vt Jngolstadij moretur, nisi et Collegium et bonum Rectorem velimus nimium molestare. Quod si autem P. V. velit vt omnino tractet doctrinalia, tunc ego per Christum rogo vt in alia prouintia hoc faciat: sic enim plures habebo testes, quibus tandem P. V. fidem adhibebit. Mihi alioquin vtilis et charissimus est hic Pater, et facile illum patior, eumque sino agere quicquid vult: sed nollem eius causa Prouintiam grauari scribendo[i] vt hactenus. Haec voluj P. V. sine vllo affectu proponere: ego me remitto ad omne arbitrium P. V. quicquid etiam mali sequatur. Ora pro me R. Pater.“ Facile patet, Hoffaeum in his epistulis, ut saepe faciebat, ingenio suo ad iudicandi severitatem et loquendi acerbitatem proclivi indulsisse; quem, hoc saltem tempore, non solum Canisio, sed reliquis etiam Societatis scriptoribus parum favisse intellegitur ex eius epistulis 25. Ianuarii et

a) *Sic H. corr. ex* consiliaribus. b) *H. 4 vv. sqq. in margine scripsit, neque tamen, quo epistulae loco essent ponenda, clare significavit.* c) *Haec 2 vv. posita sunt ab H. pro uno duobusve aliis vv., quae iam legi non possunt.* d) *Sequitur alterum* sibi; *quod certe deleri debuit.* e) *Tria vv. sqq. in margine addita sunt.* f) *Sic H. corr. ex* tamen. g) *Ab H. correctum ex* redundant. h) i) *Hoc v. supra versum scriptum est.*

[1] Gregorium XIII. [2] Wendelinus Völck.
[3] P. Theodoricum Canisium, rectorem collegii dilingani.

1. Februarii 1578 potissimum de P. Peltani scriptione ad Mercurianum datis (Germ. 156 f. 257 267—268). Verumtamen alii quoque Socii iique pii ac prudentes expedire censebant, ut Canisius gravi illo scribendi contra Centuriatorea labore levaretur; ita P. Theodoricus Canisius Petri frater ex patre (v. supra p. 764); ita P. *Gregorius Rosephius* cathedralis ecclesiae augustanae contionator et domus augustanae S. J. superior; qui (Hoffaeo inspirante?) 27. Ianuarii 1577 Mercuriano *scripsit: „P. Petrus Canisius etiam nobiscum agit hoc tempore, qui videtur paratus vt denuo scriptioni vacet. Laudo animum praesertim cum mihi persuadeam ex mera obedientia ipsum aggredi velle hanc duram prouintiam, quae bonum patrem confecisset dudum in Mariano opere quod per integrum decennium in manibus habuit, nisi alij et quidem multi adiutrices ipsi porrexissent manus. Putarem potius (licet hac in parte manum in alienam messem mittam) subleuandum bonum patrem quam opprimendum: Qui huius ingenij est, sicuti mihi fassus est, vt sibi nunquam satisfaciat · hinc est quod decies emendat eandem rem ad minimum aliquoties descriptam · inde fluunt incommoda perplurima, vt sumptus taceam, fatigantur, ne quid amplius dicam, collegia, grauantur etiam plurimum qui illi adiunguntur. Cum enim pater nihil in numerato habeat pro tali argumento ipseque sufficiens non sit omnia colligere opus habet pluribus. Sed hic modus scribendi libros difficilis est, et parum honorificus apud maleuolos. Si enim alij colligant materiam, alius stylum addat, facile est collecta pro beneplacito disponere. Habent Marianum opus et S. Joannis Baptistae quaedam quae cum honore potuit tractare · quia ab alijs neglecta: Sed in materia de S. petro, nescio sane quid futurum, infinitae enim propemodum in illam coincidunt controuersiae et grauissimae materiae, quae adeo absolute a multis hactenus sunt tractatae, vt nihil videatur posse addi aut dici quod antea non sit dictum, versari autem circa nuda verba haereticorum apud graues viros, qui alia desiderant, non aeque graue. Haec Reuerendae paternitati vestrae optimo animo scribo, licet enim ad me nihil haec pertineant, pertinet tamen ad me quies prouintiae, quam, vti ante aliquot annos a pluribus Rectoribus audiui, scriptione patris canisij turbatam fuisse constat · et nisi vi Marianum opus bono patri e manibus fuisset extortum, adhuc sub praelo non esset · sed nec aliter fieri potest · vbi enim nihil certi in promptu, semper homo anxius est, quaerit et non semper inuenit quae adhuc deesse suspicatur" (ex. autogr.; Germ. 156 f. 258b).

Sic factum est, ut haec Canisii scriptio abrumperetur (cf. supra p. 463). Iuverit autem, huius scriptionis et abruptionis brevem hic poni conspectum. S. Pius V. a. 1567 per S. Franciscum Borgiam praepositum generalem Canisio mandavit, ut contra Centuriatorum magdeburgensium historiam ecclesiasticam scriberet, aliquot exemplis demonstrando, iis credi non posse (*Can.* V 480). Quo mandato Canisius quodam modo perterritus est; se enim in historiis versatum non esse et animum suum, plurimis curis externis distractum, a gravioribus eiusmodi studiis abhorrere aiebat (l. c. 522). Attamen, ut erat vir oboedientissimus, onus illud in se suscepit. In tribus igitur personis biblicis — Ioanne Baptista, Maria, Petro — ostendere statuit, quantopere verbum Dei a Centuriatoribus corruptum esset. Ac primum quidem in librum de Ioanne scribendum tanta cum contentione incubuit, ut eo tempore fere nunquam recte valeret; simul multa, quae scripserat, immutando et multorum domesticorum opera utendo tum Sociorum, tum typographi patientiam tentavit (*Can.* VI 682 699 708 711). Libro tandem a. 1571 in lucem emisso libenter reliquam Centuriatorum refutationem, cui se ineptum esse censebat, aliis cessisset. Hoffaeus quoque praepositus provincialis, Canisii vitae metuens, in id inclinabat, ut ille in posterum libellos scriberet germanicos simulque contionibus habendis occuparetur; provincia enim inopia contionatorum laborabat (*Can.* VI 418 438 441 700 711, et supra p. 276 682) Verum cardinalis Hosius poenitentiarius maior Canisio iam de Maria scribendum esse sentiebat. Ad idem pontificia illa iussione se astringi Canisius existimabat. Qui cum librum de Ioanne multis hominibus doctis valde placere audisset, ex Mariano quoque opere fructum haud exiguum sperare poterat. Hoc itaque aggressus est. Quod nondum erat absolutum, cum ad Mercurianum praepositum generalem querelae delatae sunt.

Canisius in scribendo „nimis diligens est". „Incredibile est, quantum bonus Pater in hoc genere se et secum multos alios fatiget et cruciet." Ita PP. Ioannes Rastellus et Theodoricus Canisius, viri gravissimi (supra p. 763 764). Quare Hoffaeus provincialis 7. Iulii 1577 Mercurianum rogavit, „ne permitteret, ut ille posthac quicquam praeter libellos germanicos scriberet" (supra p. 764). Paullo post liber marianus absolutus et in lucem emissus est; ac Canisius, labore fatigatus, 13. Augusti 1577 praeposito generali scripsit: „Non decrevi ad plura scribenda progredi, nisi urgeant, qui mihi possunt quidlibet iniungere. In hac aetate lubens aliis doctioribus tradam lampada" (supra p. 409). Verumtamen brevi post mutavit sententiam; nam teneri sibi videbatur mandato pontificis; quod Pio V. mortuo a Gregorio XIII. instauratum esse censebat (supra p. 427 430); de S. Petro multa collegerat, quae et catholicis et protestantibus utilia fore sperabat; animum ei addebant laudes ab Hosio et aliis operi Mariano tributae (supra p. 434 450). Mense itaque Octobri a. 1577 a Mercuriano petiit, ut libri de S. Petro componendi gratia ex collegio oenipontano (quod paucos libros habebat) in dilinganum vel ingolstadiense transmigrare posset (supra p. 428). Mercurianus autem haud gravate id ei permisit et simul Hoffaeum provincialem ea in re Canisio adesse iussit (supra p. 428). At Hoffaeo id vehementer displicuit. Qui (ut supra ostensum est) 24. Ianuarii 1578 Mercurianum monuit: Canisii scriptionem collegiis valde molestam esse; eum enim, quod ipse sibi non fideret, operam multorum Sociorum, qui iam aliunde occupatissimi essent, exquirere; ac timendum esse, ne labori succumberet; de S. Petro autem iam „sexcentos absolutissime scripsisse" nec Canisium quidquam novi afferre posse. Proinde ei imperandum esse, ut in posterum „tractandis argumentis gravibus et doctrinalibus" abstineret; ita alios quoque censere (supra p. 786). In eandem sententiam (moderatius tamen) eodem fere tempore P. Gregorius Rosephius praeposito generali scripsit (supra p. 787). Notandum praeterea est, Hoffaei animum ab omni huius generis scriptione „doctrinali" satis alienum fuisse; „mundum" aiebat ille „iam esse plenum eiusmodi libris". Hoc denique praecipuum in ea re habuit momentum totumque negotium ad exitum perduxit, quod Hoffaeus ipsi Canisio, quid de eius scriptione sentiret, aperuit. Ille autem, qua erat demissione animi et oboedientiae promptitudine, praepositi voluntatem Dei voluntatem habendam esse censens, Mercurianum generalem rogavit, ut sibi quiescendi veniam a pontifice impetraret (supra p. 430). Qua facile impetrata Mercurianus Canisium omnem scribendi contra Centurias curam deponere iussit (supra p. 438).

Hinc patet, quam non recte *Paul. Drews* (l. c. 133) dicat, Canisii de Petro scriptionem Romae disiectam esse, quia „die Vergangenheit des Canisius nicht die Bürgschaft bot, daß er die Lehre vom Papsttum mit einer Entschiedenheit vertreten werde, wie es doch nach jesuitischem Empfinden die Zeit forderte". *Theobald* quoque coniectat, Canisium, ne de Petro scriberet, prohibitum esse hanc ob causam: „Daß er eine dem römischen Stuhl entsprechende Lehre vortragen werde, glaubte man nicht mehr" (Petrus Canisius und die Gegenreformation, in *„Neue kirchliche Zeitschrift"* 23. Jahrg., Leipzig 1912, 882—883). Et *Rieks* de eadem Canisii scriptione narrat: „Als er in seinem Werke gegen die Magdeburger Centuriatoren den Ton päpstlicher Apotheose nicht genügend traf, wurde ihm nach Ausgabe des zweiten Bandes der Druck des dritten verboten" (Petri Canisii Katechismen im Dienste konfessioneller Verhetzung, in *„Kirchliche Monatschrift,* Organ für die Bestrebungen der positiven Union", 17. Jahrg., Gr. Lichterfelde-Berlin 1898, 105—112). Haec ratio nullo verbo in epistulis Roma in Germaniam missis commemoratur. Canisius in catechismo Petri et pontificum romanorum summam potestatem verbis amplissimis asseruit (cf. *Braunsberger,* Katechismen [v. supra p. 331 [4]] 37 85—88). „Confessio" quoque Canisii, a. 1571 et 1577 in catechismo et in libris de Ioanne Baptista et de Maria virgine vulgata (*Can.* VI 745—746), plena est pietatis et reverentiae in ecclesiam romanam significationibus; quare S. Pius V., vir iurium pontificiorum tenacissimus, eam valde probavit (l. c. 711). Iam aliquanto ante Paulus IV., auctoritatis pontificiae et ipse defensor acerrimus, Canisium colloquio religionis vormatiensi interesse voluit, ut esset, qui in eo auctoritatem sedis apostolicae tueretur (*Lainii* Monumenta II, Matriti 1912, 173). Deinde a. 1563 Canisius a cardinali

Commendono „gran diffensore della Potestà Pontificia" vocatus est (*Can.* IV 957). Ideo tum Pius IV. tum Gregorius XIII. eum ad complures Germaniae principes legarunt (*Can.* V 639—691 et supra p. 106), ac Pius V. eum creare voluit cardinalem (*Can.* VI 731—734), et Gregorius XIII. eum Romam arcessivit (v. supra p. 107). Sicut denique ante operis mariani editionem complures nuntii apostolici, velut Hosius, Moronus, Delphinus, Portia eo familiariter usi erant, ita postea — id quod maxime ex huius operis volumine VIII. cognoscetur — Bonhomius, Paravicinus, Turrianus nuntii apostolici eum magni fecerunt, et S. Carolus Borromaeus cardinalis eum de rebus gravibus consuluit.

1226. A d. 2. Martii ad 7. Aprilis 1578.

Contiones fere 17 a Canisio Landishuti coram Guilielmo (V.) Bavariae principe habitae.

Canisius Guilielmo (V.) Alberti V. Bavariae ducis filio natu maximo petenti, ut aliquis de Societate 28. Februarii 1578 secum Monachio Landishutum (Landshut) proficisceretur et ibi Quadragesimae tempore sibi a sacris contionibus esset, Landsberga 25. Februarii 1578 respondit, id fieri non posse; facturum se tamen, ut contionator aliquis de Societate Kalendis Martiis Landishuti adesset. Deinde Augusta 12. Aprilis 1578 Mercuriano Societatis praeposito generali scripsit, se „Quadragesimam Lanshutae transegisse, ut" Guilielmo principi „a sacris esset concionibus" (v. supra p. 441 444). Exstat oratio illa, quam Canisius Feria secunda Paschatis sive 31. Martii 1578 Landishuti in templo S. Martini habuit; de qua dicentur plura infra, monum. 1228; orationem quoque in baptismo Turcae cuiusdam, quae et ipsa superest, ad has contiones pertinere et 29—31. Martii vel 1. Aprilis habitam esse verisimile est, quamquam Canisius (vitio calami, ut videtur) annum 1575 ei ascripsit; de qua oratione aliqua dicta sunt supra p. 445. Reliquae vero contiones perisse videntur. Ex contionibus tamen quadragesimalibus a. 1579 Landishuti a Canisio coram eodem principe habitis, quae adhuc exstant, colligi potest, Canisium a. 1578 circa Kalendas Martias Landishutum advectum ibidem verba fecisse, si non saepius, certe Dom. III. Quadr. et feriis IV. et VI. proximis, Dom. IV. Quadr. et feriis IV. et VI. proximis, Dom. Passionis et feriis IV. et VI. proximis, Dom. Palmarum et feria IV. proxima, die Parasceves, Dom. Paschatis et duobus feriis proximis, item in sollennitate Annuntiationis B. M. V.; quae tamen a. 1578, quia dies 25. Martii in hebdomadem maiorem incidebat, in feriam II. post Dominicam in Albis translata esse videtur. Eo die, qui erat 7. Aprilis, Canisium Landishuti fuisse conici potest etiam ex eius litteris 12. Aprilis datis, in quibus affirmat, se „his diebus" Landishuto Augustam redisse et Guilielmum principem contendisse, ut etiam diutius illic maneret (v. supra p. 444). Contionatus igitur esse videtur diebus Martii 2., 5., 7., 9., 12., 14., 16., 19., 21., 23., 26., 28., 29. (?), 30., 31. et Aprilis 1., 6., 7.

1227. 8. Martii et 5. Aprilis 1578.

Ex libro „Zehn Gutachten über die Lage der katholischen Kirche in Deutschland (1573/76) nebst dem Protokolle der deutschen Congregation (1573/78). Herausgegeben von *W. E. Schwarz,* Paderborn 1891", 128—129 (qui caput hoc ex ipsis Congregationis Actis, quae in archivo vaticano sunt, exscripsit; cf. l. c. LI), et ex Brevium Gregorii XIII. apographis eodem fere tempore scriptis, quae sunt in archivo vaticano, „Greg. PP. XIII. Epistolae ad Principes etc. a. 4, 5, 6. Ant. Buccapadulio Secretario" f. 457b—460b. Breve Guilielmo duci destinatum ex eodem apographo edidit *Theiner,* Ann. II in a. 1578, n. XXI.

Praefatio editoris. Guilielmus (IV.) Iuliaci, Cliviae, Montium dux, cum iam a. 1574, 1576, 1577 Gregorium XIII., ut omnibus imperio suo subiectis sacram communionem sub utraque specie permitteret, rogasset, eandem concessionem m. Ianuario a. 1578 et per Bartholomaeum Portiam nuntium apostolicum, qui Hambaci eum convenit, et per suas ad pontificem litteras flagitavit. „Il fundamento apparente", inquit *Portia,* de ducis consiliariis scribens, „è che il popolo non si può ritirare da

cotale petitione, se non è diversamente informato et instrutto. Questo non si fa se non da buoni pastori, et tali non possono hauere, se non si concede loro per dispensatione apostolica d' administrarla" (*Hansen,* Nunt. I 240). Imprimis autem Guilielmus volebat, ut Ioannes Guilielmus filius suus in prima communione sacram eucharistiam sub utraque specie sumeret (*Lossen* l. c. 247 407 591—592). Ceterum *Guilielmus* terrarum suarum nobilitati et urbibus liberum Confessionis Augustanae sive Lutheranismi exercitium, quod a. 1577 in comitiis verbis haud obscuris postulaverant, concedere noluit (*Ludw. Keller,* Die Gegenreformation in Westfalen und am Niederrhein I. Leipzig 1881, 253; *Lossen* l. c. 591—592); in eandem sententiam Portiae locutus est, et Gregorio XIII. „ex arce Hambach" 28. Ianuarii 1578 scripsit, se „eo animo semper fuisse, et adhuc esse, quo sacra Orthodoxa Catholica religio non secus, ac per nostros majores foelicis memoriae factum, promoveri ac conservari possit. Neque ullam libertatem vel mutationem Catholicae religioni adversantem permittemus, multo minus etiam unquam a filiali debita obedientia erga Sedem Apostolicam discedemus, quemadmodum hujusmodi voluntatis nostrae nos in Comitiis Principum Germaniae declaravimus" (*Theiner,* Ann. II in a. 1578, n. xxi). Singularem autem et pontifici et duci difficultatem parabat negotium monasteriense (Münster in Westfalen). Anno 1573 Gregorius XIII. Ioannem Guilielmum, Guilielmi filium natu minorem (natus erat a. 1562), cum condicionibus aliquibus confirmaverat coadiutorem Ioannis ab Hoya episcopi principis monasteriensis. Quo a. 1574 mortuo capitulum Ioannem Guilielmum „postulavit" episcopum ita, ut ille, quoad ad iustam pervenisset aetatem, episcopatus administratorem ageret. Verum Romae *Congregatio* cardinalium Germaniae rebus iuvandis constituta 5. Iulii 1576 sic censuit: „Quia timendum est, ne Monasteriensis ecclesia data filio ducis Clivensis confirmatione haereditaria fiat et adiungatur hoc modo ditioni temporali, placuit, non dari confirmationem, sed conservari in iure postulationis tantum et postea opportuno tempore tentari, an capitulum velit ad bonam electionem venire et ecclesiae necessitati providere" (*Lossen* l. c. 245 254; *Schwarz* l. c. 118). Guilielmus autem dux iam a. 1575 capituli cathedralis canonicos certiores reddiderat, se, si ipsi Ernestum Bavariae ducis filium suumque nepotem postulare vellent episcopum, effecturum, ut Ioannes Guilielmus filius iure postulationis cederet; atque idem pontifex quoque optabat. At maior canonicorum pars postulare statuit Henricum ducem Lauenburgensem, hominem eo officio prorsus indignum; quorum dux erat Conradus a Westerholt, canonicus scholasticus et episcopatus in rebus ad civile imperium pertinentibus praefectus („Statthalter"). Qua re cognita Gregorius XIII. capitulo a. 1576 scripsit, nunquam Henricum illum a se confirmatum iri. Westerholtius vero libellos vulgabat famosos, imprimis libellum „Assecurations-Schrift", qui erat „un' acerbissimo scritto", ut Portia narrat, et in pontificem contumeliosus ac paene haereticus. *Guilielmus* autem Cliviae dux aegerrime haec ferens pontifici per Portiam commendavit, ut Westerholtius Romam evocatus a praefecti officio removeretur, vel ut, si id visum non esset consultum, episcopatus administratio „à beneplacito della Santità Sua" committeretur Ioanni Guilielmo filio suo, per quem Westerholtius loco moveri atque ita Ernesti electio facilior reddi posset (*Lossen* l. c. 280—281 330—332 372 594—595; *Hansen,* Nunt. I 233—234 241).

Congregatio germanica constituit, ut Canisius cum duce clivensi de calice laicorum et rebus monasteriensibus agat. Brevia eius rei gratia conscripta.

Romae Congregatio cardinalium germanica in consessu 8. Martii 1578 habito haec, praeter alia, statuit:

De petitione ducis Clivensis super communione sub utraque.

Laudandum esse ducem de constantia etc., tamen de communione nihil concedendum et expectandum hominem ducis, vel potius curandam, ut retrahatur ab huiusmodi petitione et intelligat, non expedire, ut detur. Et Pater Canisius videbatur idoneus ad id, et placebat,

mitti etiam epistolam scriptam in hac materia ad regem Suetiae a cardinali Varmiensi [1].

De scholastico Monasteriensi Romam evocando.

Visum fuit, omnino evocandum esse Romam istum scholasticum, de modo tamen fuit dubitatum. Nam quidam existimabant, debere via iuridica et subsistenti ac poenis appositis illum citari; alii, quia hoc fortasse fieri non possit rite et recte, putabant sufficere, ut S. S. per breve eum ad Urbem accersat, sed antequam breve reddetur, oportere, ut dux promittat auxilium suum ad rem conficiendam, si fortasse ille recusaret venire. Breve autem hoc posse dari eidem Canisio, qui prius ducem alloquatur, et quid facto opus sit, cum eo mature constituat etc.

Gregorius XIII. cardinalium sententiam probavit et haec iussit conscribi Brevia:

1. Gregorius P. P. XIIJ.

Dilecte fili Nobilis uir Salutem et Apostolicam benedictionem. Nunquam fuit Nobis obscura tua pietas, digna ista tua excellenti tum generis, tum animi nobilitate, et perpetua maiorum tuorum laude, in Catholica Religione ab hostium iniurijs tuenda, sedisque Apostolicae auctoritate colenda. Hanc uero pietatem a te commemorari, et a Porcia Nuncio nostro in suis literis [2] summis laudibus celebrari, atque extare in repudiandis impiorum hominum postulatis [3], quantopere laetati simus, nouit Deus, cui cor nostrum patet: Nos certe id uerbis explicare non possumus; quod possumus, hoc facere non desistimus, ut praeclaram istam uoluntatem, et factum tuum Diuinae bonitati offeramus, precemurque tibi, Domuique tuae, cunctaeque Ditioni omnem tum in hac uita, tum [a] futura foelicitatem, ijs uero, qui a fide orthodoxa alieni sunt, ueritatis agnitionem, quae quidem sancto, et syncero huius ipsius fidei cultu continetur. Quod scribis de concedenda laicis communicatione sub utraque specie, qua etiam de re Nuncius Porcia fusius ad nos perscripsit, quia maximi momenti res est, pertinetque ad tam multarum animarum salutem; Nuncius autem istinc abest [4]: optimum factu [b] iudicauimus mittere ad Nobilitatem Tuam dilectum filium Petrum Canisium Jesuitam, uirum ea doctrina, pietate, integritate, religione, quam omnes norunt: is exponet Nobilitati Tuae nostris uerbis ea, quae censemus esse in hoc negocio magnopere consideranda. De rebus Ecclesiae Monasteriensis, in quibus saepius scripsisti Scho-

a) tum in *Theiner*. b) *Theiner perperam:* factum.

---

[1] Litterae hac de re anno 1573 a cardinali Hosio ad Ioannem III. Sueciae regem datae iam non videntur exstare (*Eichhorn* l. c. II 453 522; D. *Stanislai Hosii* Operum Tomus secundus, Coloniae 1584, 348—349 376).

[2] Hae Bartholomaei Portiae litterae exstant apud *Hansen*, Nunt. I 239—241.

[3] Vide supra p. 790.

[4] Portia, Vindobonam petens, 4. Maii 1578 Monachii fuit (*Hansen* l. c. 257).

lasticum[1] illum improbissime uersari, omniaque miscere, et perturbare, ostendistique, quantopere conueniat prouideri, atque hominis audaciam frangi, mandauimus Canisio, quid agere debeat. Jpsum igitur libenter uidebis, atque audies, omnemque ei fidem tribues; certumque habeto, te, ditionemque tuam omnem Nobis summopere cordi esse, nec quidquam magis cupere Nos, quam nostram perfectissimam erga omnes uoluntatem quibuscunque rebus possumus, declarare. Datum Romae apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die quinta Aprilis MDLXXVIIJ. Pontificatus Nostri Anno Sexto.

Dilecto filio Nobili uiro Gulielmo Juliae Cliuiae Duci[a].

2. Gregorius PP. XIIJ.

Dilecte fili Nobilis uir Salutem, et Apostolicam benedictionem. Nostram de tua uirtute spem grauissimorum hominum testimonio, et praedicatione in dies magis, ac magis confirmari incredibiliter gaudemus. Jtaque libentissime amplexi sumus hanc oportunitatem scribendi ad Nobilitatem Tuam per dilectum filium Petrum Canisium Jesuitam, uirum doctrina, fide, integritate spectatissima. Quod te hortemur, ut maiores in dies in uirtutibus processus efficias, nihil est, id enim conuenit magnitudini animi tui, perpetuaeque clarissimae Domus tuae laudi. Super ijs uero, de quibus Canisius cum Tua Nobilitate aget nostris uerbis, omnem ei fidem tribues[2]. Datum Romae apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die quinta Aprilis. MDLXXVIIJ. Pontificatus Nostri Anno Sexto. Dilecto filio Nobili uiro Joanni Guilielmo Juliae Cliuiae Principi.

3. Gregorius PP. XIIJ.

Dilecte fili Nobilis vir Salutem, et Apostolicam benedictionem. Spectatissima pietas tua, cuius habes grauissima apud Nos testimonia, Nos dubitare non sinit, quin cupidissime amplectaris omnem opportunitatem conferendi consilia, et conatus tuos omnes ad Dei gloriam, et Catholicae Religionis amplitudinem; quae quidem causae cum vniuersae istius prouinciae tranquillitate, et salute coniunctissimae sunt: volumus igitur, has literas testes esse nostrae de tua uirtute existimationis, paternaeque erga te charitatis; eas reddet dilectus filius Petrus Canisius Jesuita; cui super ijs rebus, de quibus tecum aget, omnem fidem tribues, quodque tua, ut diximus, pietas pollicetur, nullam facultatem omittes maiorum in dies meritorum apud Catholicam Rempublicam, atque apud Deum acquirendorum. Datum [Romae apud Sanctum Petrum sub Annullo Piscatoris die quinta Aprilis MDLXXVIIJ. Pontificatus Nostri Anno Sexto][b].

Dilecto filio Nobili viro Consiliario[3].

Consiliario 〉 *eodem exemplo*[4].

a) *Tum haec inscriptio, tum trium sequentium Brevium inscriptiones in apographorum romanorum capitibus positae sunt.* b) *Haec ex superioribus Brevibus suppleta sunt; apographum enim sic habet:* Datum ut supra.

[1] Conradum a Westerholt, capituli cathedralis canonicum scholasticum; vide supra p. 790.

[2] Ex Brevi Roma 21. Martii 1579 a Gregorio ad Ioannem Guilielmum dato (apud *Theiner*, Ann. III in a. 1579 n. xiv) colligitur, pontifici maxime cordi fuisse, ut Ioannes Guilielmus sacram eucharistiam sub una tantum specie sumeret; vide supra p. 790. [3] [4] Vide, quae sub ipsa haec Brevia dicentur.

4. Gregorius PP. XIIJ.

Dilecte fili Nobilis uir Salutem, et Apostolicam benedictionem. Ea demum uera laus est, quae ab ijs uirtutibus proficiscitur, quibus Dei uirtutum omnium datoris gloria maxime quaeritur. Jn his principem locum obtinet pietas, et Catholicae Religionis amplitudinis zelus, cum quo et animarum salus, et prouinciarum, ac Regnorum omnium tranquillitas, et incolumitas coniunctissima est. Hac laude excellere te grauissimorum uirorum iudicio Nobis confirmatur. Voluimus igitur, has literas testes esse tuae laudis, nostraeque erga te charitatis. Reddet eas Nobilitati Tuae dilectus filius Petrus Canisius Jesuita; ei super ijs rebus, de quibus tecum aget, omnem fidem tribues. Datum Romae apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris · die quinta Aprilis MDLXXVIIJ Pontificatus Nostri Anno Sexto.

Dilecto filio Nobili uiro . . . Consiliario [1].

Consiliario 〉 *eodem exemplo* [2].

Ex ratione, qua Brevium 3. et 4. inscriptiones in Codice notatae sunt, facile cognoscitur, Brevium illorum inscriptiones Romae ita factas esse, ut iis Canisius consiliariorum, quibus ea tradere statuisset, nomina inserere posset. Item ex verbis, quae in Codice iisdem Brevibus ascripta sunt, patet, utrumque Breve bis scriptum esse, ut binis tradi posset consiliariis. *Franciscus Costerus* S. J. provinciae rhenanae praepositus Everardo Mercuriano Societati praeposito generali a. 1579 (m. Aprili, ut videtur) de Guilielmo duce *scripsit: „Habet plerosque consiliarios admodum catholicos, et nostrae Societati fauentes“ (ex archetypo; Germ. 157 f. 232[b]). Horum praecipui fuisse videntur: Henricus von der Recke, Dr. Gualterus Fabricius, Dr. Ioannes ab Hardenrath, Theodoricus von der Horst, Wernerus a Gimnich (*Lossen* l. c. 235 267 271 399 437 595 606 689; *Albr. Wolters*, Konrad von Heresbach, Elberfeld 1867, 189—190).

Canisius ad Guilielmum ducem missus non est. Cuius rei quae esset causa, fortasse in Congregatione cardinalium germanica significatum est; sed dolendum est, consessuum post d. 24. Martii 1578 a cardinalibus illis habitorum acta nondum (quod equidem sciam) reperta esse; cf. *Schwarz* l. c. LI—LII 129.

Cursores bavari Guilielmo Cliviae duci attulerunt Breve, quod cardinales per Canisium ei tradi voluerant, Westerholtio destinatum, vel potius duo Brevia, severius unum, minus severum alterum; severiore utendum esse censuerunt consiliarii clivenses; ac tandem Westerholtius, qui Romam venire recusabat, a. 1579 remotus ab omnibus officiis et excommunicatus est. Ioannes Guilielmus patre probante in Natalitiis Christi a. 1578 primam communionem sumendo speciem unam fecit et proximis annis (1579 et 1580) a pontifice, capitulo, terrae ordinibus administrator episcopatus monasteriensis constitutus est (*Theiner*, Ann. II in a. 1578 n. XXII; III in a. 1579 n. XII XIV; *Keller* l. c. 253; *Lossen* l. c. 597 606 679 680 696; *Janssen* l. c. V[15—16] 226—232).

1228. 31. Martii 1578.

Ex Canisii autographo; Can. 51 f. 362.

Canisius Landishuti singularem quandam indulgentiam promulgat et commendat.

Guilielmus (V.), Alberti V. Bavariae ducis filius natu maximus a. 1578, Landishuti, cum Canisius ei „a sacris esset concionibus“, „Jndulgentias peculiares cum bonorum omnium singulari consolatione et frequenti hominum coetu publicari et accipi curauit“: Haec Canisius ipse 12. Aprilis 1578 Augusta Vindelicorum, in quam urbem paullo ante Landishuto redierat, ad Mercurianum praepositum generalem rettulit (v. supra p. 445). Sacchinus autem, Canisii biographus, affirmat, ipsum Canisium indulgentias illas „magnifice promulgasse“ (Can. 295). Adhuc exstat orationis sacrae commentarium Canisii manu et conscriptum et sic inscriptum: „Feria 2 Paschatis.

[1] [2] Vide, quae sub ipsa haec Brevia dicentur.

Jn die ad[a] promerendas Lanshutae Indulgentias constituto 1578"; qui dies erat 31. Martii 1578. Orationem Canisius sic est exorsus:

Jm anfang diser Predig kan ich nit vnuermelt lassen, das E. L. vnd Andagt guite vnd[b] gnugsame vrsache habe, den heiligen nun zuuor verkundigten Jndulgentz vnd Ablass heutigs tags[c] grato pectore acceptandi, et utiliter zu erlangen, vnd das mit klainer arbeit[d], satis enim est, wen sie nur nach gethaner Sacramentalischen Beicht diß loblich vnd S. Jobst Kirchen[1] itzunder vor oder nach dem essen haimsuchet, auch doselbst Got den almechtigen Christlich anruiffet fur gemeinen Friden der hohen Potentaten, vnd zu erhaltung vnd furderung vnserer waren Catholischen allein seligmachenden Religion vnd Kirchen. Nonne autem foret[e] ain straffliche vnd vnchristeliche[f] vndanckbarigkeit wenn ettliche in diser Furstenlichen Stat solten gefunden werden, welche solchen angebottnen freyen Jndulgentz vnd[g] Ablass gar verachten · oder sunst auss lauter fawligkait vnd naglessigkeit versaumen wurden. Nain lieben frommen Christen l a s s e t v n s[h] nach dem prophetischen spruch d e n h e r r e n s u c h e n, d w e i l w i r jn und seine gnaden f i n d e n[i] k u n n e n, l a s s e t v n s i h n a n r u i f f e n, d w e i l e r[k] s o n a h e b e y v n s i s t[2] 2 wee[l] aber[m] den vngeschlachten unbeschaidenen[n] gesten, so sich von dem reichen gutigen haussuatter allein beruiffen, vnd zu seinem Abentmal durch die knecht laden lassen, darnach aber sich nur entschuldigen vnd nit kommen wollen[o][3] · unde in tempore necessitatis omni gratia priuabuntur. Kainer acht es fur ein geringe gnad, das[p] ein yeder Christen mensch mit klainer arbeit[q] heut so vil vnd gross erlangen vnd gewinnen kan, [auch][r] ohn einigen vnkosten sich seiner alten schulden entledigen, als das er sich vnd sein gewissen versichert[s], wie jhm Gott almechtich durch JESVM Christum seine sund[t] schuld vnd pein verzeihet, vnd das durch den Obersten Apostolischen gaistlichen gewalt von Christo dem obersten Ertzhirten[u] selber eingesetzet, vnd im h. Euangelio aigentlich gegrundet[v], do der selbig herr S. Petro dem Apostel vnd seinen Ordenlichen Nachkommen mit klaren hellen worten verheisst den hochsten gewalt vnd Schlussel der Kirchen[w] allerley[x] sundt auff Erden zu vergeben, die gemachten schuld[y] nachzulassen, auch den rechten friden mit Gott vnd der Kirchen zu machen[4], warlich ein solchen[z] hohen vnd gewissen trost haben vnd empfahen wir durch den heiligen obgemelten[aa] Jndulgentz vnd Ablass, gleich wie die Catholische Kirche, als e i n g r u n d t u e s t v n d s e u l a l l e r Christenlichen w a r r h e i t[5], zu allen zeiten glaubt, gelehret vnd darfur gehalten hat, wie dan auch E. L. vnd Andacht ohn alle zweiuel uon der materij[bb] offt gehort, vnd gnugsam wirt[cc] verstanden haben[dd]. Nun seitenmal ich[ee] wiewol ain vnwirdiger zu disem Predigambt beruifft, soll als hie das h. wort Gottes verkundigen, so hab ich mir furgenommen erstlich das heutig Euangelium mit kurtzem zu uberlauffen, vnd dennoch ein weiteren bericht zu geben, wie wir baide Christi vnd vnsere auff-

a) *Hoc v. a C. supra versum scriptum est.* b) *Sequitur* gna, *oblitt.* c) *Quinque vv. sqq. a C. in margine addita sunt.* d) *Tria vv. sqq. a C. in margine adiuncta sunt; quibus ipse addidit* quod; *hoc autem supervacaneum est.* e) *Sic C. correxit ex* Darumb were es ja, *quae primum scripserat.* f) *C. primum scripserat* verdamliche; *dein correxit* iemerliche *ac tandem* vnchristeliche. g) *Sic C. corr. ex* gnad vnd. h) *Sequitur* dem *oblitt.* i) *Hoc v. supra versum scriptum est.* k) *Sequitur* noch, *oblitt.* l) *Sequitur* dennen, *oblitt.* m) *Quae sequuntur, usque ad* gesten *incl., a C. in margine addita sunt.* n) *Sequitur v. obscurius scriptum et dein oblitt.* o) *Septem vv. sqq. a C. postea addita sunt.* p) *Sequitur* wir, *oblitt.* q) *Sequitur* so, *oblitt.* r) *Octo vv. sqq. a C. in margine addita sunt ita, ut ea post vv.* vil vnd gross *ponenda esse significetur; at res ipsa exigere videtur, ut aut post* Christen mensch, *aut ita fere ponantur, ut supra posita sunt.* s) *Sequitur* das, *oblitt.* t) *Sequitur* vnd, *oblitt.* u) *Sic C. corr. ex* Christo dem herren. v) *Sequitur* als, *oblitt.* w) *Sequitur* zu, *oblitt.* x) *Sequitur* zu vergeb, *oblitt.* y) *Sequitur* zu, *oblitt.* z) *Tria vv. sqq. a C. supra versum scripta sunt.* aa) *Sequitur* vnd, *oblitt.* bb) *Sic C. corr. ex* daruon. cc) *Hoc v. supra versum scriptum est.* dd) *In margine huius capitis C. haec notavit:* 1 Jndulgent. in Euangelio fundata 2 semper agnita et obseruata in Ecclesia 3 utilis ad remiss. peccatorum · gratias agamus domino et illis qui nobis hanc gratiam procurarunt. ee) *Tria vv. sqq. a C. in margine addita sunt.*

[1] Ecclesias S. Martini et S. Iodoci; plura sub ipsum hoc exordium dicentur.
[2] Is 55, 6. [3] Cf. Lc 14, 16—20; Mt 22, 1—5.
[4] Cf. Mt 16, 19. [5] 1 Tim 3, 15.

erstehung[a] gegen ein anderen halten, vnd nutzlich vergleichen sollen. Zum letsten warzu vns[b] diene die rechte erkantnuss[c] lehr vnd betrachtung, das wir am jungsten tag alle in dem flaisch aufferstehen werden.

Ex his verbis intellegitur, Canisium hanc indulgentiam, quae „plenaria" erat, Landishuti promulgasse in templo totius urbis maximo et nobilissimo, quod erat et nunc quoque est templum parochiale S. Martini; exstat in eo usque adhuc sacer ille suggestus (circa a. 1422 ex uno saxo excisus). Quod autem *Sacchinus* scribit (l. c. 295), indulgentiam illam baptismo Turcae cuidam per Canisium collato „adiunctam" esse, atque ipsum Canisium eam a nuntio apostolico (Bartholomaeo de Portia) impetrasse, nescio, utrum ille Canisii litteras (v. supra p. 445) haud recte intellexerit, an aliunde haec acceperit; neque enim in commentario, quod modo dixi, baptismi illius ulla comparet mentio.

1229. M. Aprili et Maio 1578.

Ex exemplo archetypo, a. 1578 Romam ad Mercurianum Societatis praepositum generalem misso. Germ. 118 f. 107^a-109^b. Eadem fere narrantur in commentario saeculo XVII. composito et sic inscripto: „Collegium et Domus Probationis Landspergae. Ad 2^{dum}. De fundatione Collegii" etc. (p. 2—4 11—12), qui exstat Monachii in archivo reipublicae bavaricae, „Iesuitica, Landsberg, Fasc. 81 Nr. 1600"; hoc commentario usus est *Duhr*, Jes. I 530—531.

Landsbergae Canisius Socio morienti adest, novam probationis domum consecrat, primos novicios excipit.

Anno 1578 Landsbergae ab uno ex Sociis ibi morantibus conscriptum est „Initium historiae et progressus Domus Noviciorum Societatis Jesu Landspergae". Eam domum, ait is, condiderunt Swicardus comes ab Helfenstein idemque oppido landsbergensi ab Alberto V. Bavariae duce praefectus et Maria „ex illustri familia Comitum de Hohenzolnern et Marchionum Badensium legitime creata", Svicardi uxor. Pecuniam et alia contulerunt multi. Ita Barones Octavianus et Antonius Fuggerus S. Augustini opera non ita pridem Antuerpiae per Louanienses edita [et] D. Thomae tomos Romae restitutos et excusos nostrae Bibliothecae suppeditauerunt, nimirum P. Gregorio [Rosephio S. J.] haec . . . procurante. . . . Vicit autem omnes ingenti sua liberalitate Dominus ac patronus noster Comes [1], qui praeter multa millia florenorum in fabricam collata, paucis libris sibi reseruatis, suam bibliothecam . . . tribuit. Caeterum difficile sit dictu, quantum eidem patrono eiusque coniugi propterea debeamus, quod ante nostrum aduentum 14 fere menses in suis aedibus aluerint P. Georgium Schornium, primum ex nostris Landspergae Concionatorem, sed non multo post adeo grauiter decumbentem, vt tribus quatuorue ministris crebro indigeret, et duo vel tres medici remotis e locis aliquando ad illum accerserentur. Magnos profecto sumptus in hunc patrem contulerunt curandum, nihilque eius valetudini restituendae deesse passi sunt, licet is non semel in epilepsiam prolapsus diu jaceret elinguis, omnique membrorum facultate destitutus esset. Hunc tandem ex hac vita migrantem (quod 22. Aprilis die

a) ausserstehung *Can.* b) *Sequitur* nutze, *oblitt.* c) *Sequens v. in margine additum est.*

[1] *Joachim Dellinger*, Geschichte des Jesuiten-Collegiums in Landsberg, in „Oberbayerisches Archiv für vaterländische Geschichte" XIV (München 1853—1854) 115—145.

anni huius 1578 praesente tunc P. Canisio et alio e nostris fratre accidit) in Sacello S. Joannis Landspergae terrae mandarunt. . . . Deliberatum est tandem, quo tempore Nouitij hucusque Monachij demorantes, in nouam domum . . . essent immigraturi; . . . [varia] impedimenta fecerunt, vt fratrum aduentus . . . reijceretur . . . in 22[dum] diem mensis Maij, id est in quintam post Pentecosten feriam · quae tunc S. Helenae Jmperatrici, et S. Crucis inuentrici sacra fuit. Priusquam vero illi accederent, P. Gasparus Stauderus et Frater noster Laurentius Romanus perinde ac praecursores Jngolstadio missi peruenere Landspergam, ut necessaria quaeque . . . aliquot hebdomadis praepararent. Vbi Domina Comitissa plurimum est illis opitulata. . . . Cum sacer Pentecostes dies[1] appetiuisset, vniuersa domus eiusque receptacula, per P. Petrum Canisium benedicta fuere, ut eo magis nouum hospitium coelesti hospiti et spiritui Sancto commendaretur: sequenti vero quinta feria id est 22.[a] Maij, nullus ex his, qui expectabantur defuit, sed die praecedenti per varias turmas diuisi R. P. Prouincialis[2], et P. Bonauentura[3] cum Nouitijs omnibus petiuere Landspergam: Augusta vero profecti P. Theodoricus Rector Dilinganus, et P. Gregorius Rosephius, Augustae Societatis Superior adfuere. . . . Cantatum est igitur 22. Maij in Sacello nostro egregie ornato sacrum de Spiritu Sancto, et a dicto P. Prouinciale cantatum est Comite et Comitissa vna cum alijs praesentibus; Nouitijs autem vniuersis sacram synaxin e P. Prouincialis manu percipientibus, ac demum musica modulatione laete concinnente TE DEVM LAVDAMVS. etc. *Sequuntur nomina primorum illorum noviciorum landsbergensium; qui erant 15; ex eorum numero erant „P. Conradus Vetter“, „Sigismundus Jlsungus“, „M. Joannes Heidelbergerus“.*

Hoffaeus provincialis Mercuriano praeposito generali in *litteris „Lanspergae 25 Maij 1578“ datis (24. Maii incohatis?) scripsit: „Nudius tertius auspicati sumus laete et foeliciter initia domus probationis Lanspergae“ (ex autogr.; Germ. 157 f. 10[b]).

De bibliotheca huius domus v. supra p. 781.

Sicut dubitari non potest, quin Canisius, 24. Decembris 1577 Monachio Landsbergam „ad messem spiritualem“ profectus (v. supra p. 426), ibi diebus nataliciis contionatus sit, ita certum est, eum, cum ibidem m. Aprili et Maio 1578 degeret, ad populum dixisse; Lucerna 19. Martii 1578 *Hoffaeus* provincialis Mercuriano praeposito generali *scripsit: „P. Canisius . . . residet Lanspergae, vbi ni fallor concionatur in Parochia“ (ex autogr.; Germ. 156 f. 313[b]); ac mense quidem Martio — id quod Hoffaeus ignorabat — Canisio contionandum erat Landishuti (v. supra p. 789); proximis igitur mensibus Landsbergae eum pro contione dixisse censendum est, praesertim cum P. Schornius templi parochialis contionator diu aegrotasset neque alius de Societate (ut videtur) in eius locum substitui potuisset.

1230. Aestate a. 1578.

Ex litterarum apographo eodem fere tempore scripto, quod exstat Carolsruhae in archivo reipublicae badensis, Hochstift Constanz, Conc. Trid., fasc. „Anno 1578 · Die aus Theillung derer Cathech. u. Messbücher“.

a) *Correxi pro* 21.

[1] 18 Maii. [2] Paulus Hoffaeus. [3] Paradinas, magister noviciorum.

Agitur de praefatione Missalis Constantiensis a Canisio scribenda.

Stephanus Wohlgemuth, episcopo principi constantiensi a consiliis intimis idemque praefectus maior (Obervogt) merspurgensis et marchdorfiensis, ex oppido „Merssspurg“ 7. Augusti 1578 ad Davidem Sartorium typographum ingolstadiensem litteras germanicas dedit, ex quibus hoc cognoscitur: Id agebatur, ut efficeretur, ut praefatio novae editioni Missalis Constantiensis, quam Sartorius parabat, praeponenda conscriberetur per Canisium („durch den H. Canisium die praefation in dem Messbuoch verfertigen zu lassen“); Sartorius tamen eam rem difficilem fore opinabatur; Canisium enim occupatissimum esse.

Exstat „Missale secundum ritum Constantiensis Ecclesiae, diligenter emendatum, et in meliorem ordinem, quam antehac, digestum. Mandato et impensis.... Marci Sitici S. R. E. Tit. S. Petri in Vinculis Presbyteri Cardinalis, Episcopi Constantiensis.... Ingolstadij. Apud Dauidem Sartorium. Anno Domini M. D. LXXIX“ (libri exemplum vidi Londini in museo britannico). Incipit liber hic elegantissime excusus (f. 2) a litteris „ex Urbe“ 28. Decembris 1578 a *Marco Sittico* ad clerum episcopatus sui datis: In memoriam eis revocat operam decretis concilii tridentini exsequendis a se datam; mentionem facit synodi a se habitae, Catechismi a se in usum inducti (cf. supra p. 765), Breviarii Constantiensis iussu suo emendati; iam autem simili ratione Missale recognitum et emendatum esse, „adhibitis eruditis ac delectis viris“: itaque se sacerdotibus praecipere, ut eo Missali solo in sacro faciendo utantur. Qua in re utrum Canisii opera aliqua intercesserit necne, mihi non constat.

1231. Circa medium m. Augustum 1578.

Ex libello (2°) inscripto „Excerpta ex Historia Collegij Halensis Soc. Jesu, ab Anno 1569 ad annum 1579“, p. 7; qui libellus exstat Monachii in archivo reipublicae bavaricae „Jesuitica. Hall. Fasc. 71 n. 1344“.

Canisius Brixinae ab episcopo amplarum facultatum sacrarum confirmationem Sociis impetrat.

Ex collegii halensis historia manu scripta (quae perisse videtur) haec olim (a Societatis homine aliquo, puto) sunt excerpta in a. 1578: P. Petrus Canisius, tum Socius Provincialis Brixinam destinatis impetravit, ut Reuerendissimus Ordinarius autoritate sua confirmaverit privilegia nostra de Confessariis, et Concionatoribus, de excipiendis Monialium confessionibus, de admittendis ad Communionem Paschalem in nostro Templo.

Gabriel Alexandreus Galesanus, cum mandatu Christophori Madrutii cardinalis et episcopi brixinensis eam dioecesim visitaret, m. Septembri 1574 Halam venit. „Paulo post“, inquit *Ignatius Agricola* S. J., provinciae Germaniae Superioris historicus, „diploma misit, quo tum Oenipontano, tum Halensi Collegio haud in unum duntaxat, ut nuper, annum, sed in perpetuum potestas facta est in nostra Sacra Aede tempore Paschali Sacram Evcharistiam distribuendi, quin ad eam accedentes universali lege Communionis Paschalis in Parochiae suae Templo frequentandae teneantur“ (l. c. I Dec. 4, n. 124 125). Neque dubium est, quin Madrutius, rogatus fortasse etiam a Magdalena regina religionis studiosissima, vel ipse vel per procuratores suos Sociis halensibus alias quoque facultates sacras eo libentius concesserit, quo diligentiores eos esse videbat in contionibus habendis, doctrina christiana explicanda, sacramentis ministrandis non solum per urbis halensis templa, sed etiam locis vicinis, ut Absam, Arzl, Kolsass, Schwaz etc. (*Rapp* l. c. 140). Aestate autem a. 1578 Madrutius officio cessit in gratiam *Ioannis Thomae a Spaur* (v. supra p. 21) „co-

adiutoris" sui. Is, cum 3. Augusti 1578 episcopatum ingressus esset (*Gams*, Series p. 265), Brixina 25. Augusti 1578 circum dioecesis ecclesiasticos *litteras misit, in quibus haec sunt: „Cognoscentes non tantum bonorum omnium testimonjs, uerum multo etiam magis ex praestitorum operum euidentia Reuerendos Patres de Societate Jesv . . . tenore praesentium plenam et liberam facultatem damus et concedimus praenominatis Reuerendis Patribus et eorum singulis, potissimum in duobus Collegijs Oeniponti et Halae commorantibus, ut in articulis sequentibus per nostrum Brixinensem Episcopatum hisce facultatibus et priuilegijs libere uti frui et gaudere possint: Primum quidem, ut Sacerdotes dictae Societatis Jesv, quos Superiores sui aptos iudicabunt, potestate gaudeant in omnibus Episcopatus huius parochijs libere docendi et Dei uerbum populis concionandi absque ullius contradictione et impedimento. Deinde, ut in templis suis cum alias toto anno, tum in festo etiam Paschatis Sanctissima Sacramenta praesertim confessionis et communionis omnibus et singulis possint administrare; atque idcirco nullus eos impedire uel molestare audeat, quo minus in ueteri consuetudine perseuerent, Christi fideles omnes ad se uenientes, tam in Episcopalibus quam in Papalibus Casibus, sicut a sancta sede Apostolica dictis confessarijs concessum est in foro interiore absoluendi nec non uenerabile sacramentum, etiam Paschatis tempore, pijs petentibus libere porrigendi, partim ut multorum deuotioni, qui uix alibi quam in ipsorum templis Sacramentum Eucharistiae perciperent, satisfiat, partim quod etiam hac ratione salua iura Parochialia maneant, dictis nimirum Patribus Sacramenta omnino gratis ministrantibus, et praeterea confitentes adhortantibus, ut suos illi Parochos debite honorent, et annuam oblationem pendant in ipsis Parochialibus Ecclesijs, sicut uetus et laudabilis consuetudo obtinet. Tertio, approbamus etiam et de caetero pro approbatis haberi uolumus Sacerdotes Societatis praedictae ad ministerium praedicandi et confessiones audiendi, quos Superiores sui aptos ad huiusmodi ministerium iudicabunt. Quarto, permissum et liberum manere uolumus eisdem Patribus, ut monialium conuentus aut domos inuisere, et huiusmodi spiritualium foeminarum confessiones excipere, sed et aegrotantibus sacram Communionem praebere absque omni scrupulo possint, si quando hoc ipsum ministerium expetatur, et salutare fore iudicetur. Quare Chorum etiam monialium qui intra monasterij septa continetur, ingredi poterunt quandocunque uocabuntur, modo id tamen honeste, et socio saltem uno adiuncto fiat, ad calumniae occasionem omnem excludendam. Jnsuper approbamus et approbatum ratumque haberi uolumus, quicquid circa ministerium Euangelicum administrationem sanctissimorum Sacramentorum, doctrinam catechismi, plantationem uirtutum, ac eradicationem uitiorum, per Reuerendos Patres praefatos et eorum singulos, per totum Episcopatum ac parochias singulas praedicatum et plantatum fuerit Domino cooperante" (ex litterarum apographo saeculo XVI. vel XVII. scripto, quod exstat Ratisbonae in archivo curiae episcopalis, „Jesuit. Misc."; cf. etiam *Duhr*, Jes. I 494—495).

Amplissimas has facultates (quas ipse Ioannes Thomas *litteris ad clerum Brixina 28. Octobris 1590 datis et cardinalis Andreas ab Austria episcopus constantiensis et brixinensis *litteris Mersburgo 20. Maii 1592 ad clerum brixinensem datis [1] confirmaverunt) Canisii opera interposita Sociis concessas esse, usque adhuc ignotum erat.

1232. 1578. 1579.

Ex Costeri autographo (Germ. 157 f. 151^a) et ex Codice „Hist. coll. Col.", qui exstat Coloniae in archivo ecclesiae parochialis B. M. V. in caelum assumptae (vide *Can.* I LII—LIII), in a. 1579 p. 2.

---

[1] In his litteris cardinalis *Andreas:* „Perspectam", inquit, „Societatis IESV doctrinam et in administrandis sacris fidem et diligentiam habemus, quanta[que] populi sit in Societatem istam propensio, propter deuotionem quae ex ipsis magis quam ex communibus presbyteris hactenus elucet" (ex apographo eiusdem fere temporis, quod est Ratisbonae loco, quem supra dixi).

Parvus Catechismus Catholicorum Dusseldorpii exeuditur. Guilielmus dux eum in gymnasio illo explicari iubet.

P. *Franciscus Costerus* S. J. provinciae rhenanae praepositus Herbipoli 6. Novembris 1578 Everardo Mercuriano praeposito generali de Sociis coloniensibus hoc rettulit: „Scribunt Jllustrissimum Ducem Juliae recepisse Catechismum P. Canysii, qui in posterum Düsseldorpij praelegetur eius iussu, vbi etiam nunc excuditur." Et P. *Henricus Simonis* S. J., antiquus ille collegii coloniensis historicus, in collegii historia haec notat in a. 1579: „Impetratum hoc item tempore tandem, quod tentatum frustra saepius erat, vt in schola Dusseldorpensi sub S. Caesareae Maiestatis nomine, explosis Monhemij de rebus fidei pestiferis quaestionibus, Catechistica institutio P. Canisij iuuentuti praelegeretur."

De Joannis Monhemii gymnasiarchae dusseldorpiensis catechismo, quo Calvini doctrinae subdole puerorum litteris studentium animis instillabantur, vide *Can.* II 621 626. Cum autem *Simonis* scribit, sub caesaris nomine catechismum Canisii praelectum esse, hoc significat, puto: In dusseldorpianae illius editionis titulo notatum est (ut in multis quoque aliis fiebat), catechismum hunc iussu et auctoritate Ferdinandi I. (Romanorum primum regis, deinde imperatoris) conscriptum et excusum esse; deinde Ferdinandi decretum a. 1560 factum, puto, additum est, quo catechismus ille solus in eiusdem regnis hereditariis explicari iubebatur; cf. *Can.* I 752. Ceterum Simonis prae manibus habuisse videtur litteras annuas collegii coloniensis, Colonia 31. Decembris 1579 datas, in quibus haec narrantur: „Executioni mandatum id, quod saepius iterumque frustra tentatum erat, ut in illustrissimi ducis Juliae schola principali Duisseldorpiana catechistica institutio doctoris Canisii sub imp. maiest. nomine, explosis Monhemii de rebus fidei tumultuosis quaestionibus, iuventuti praelegeretur" (*Hansen*, Akten 735—736).

Guilielmus Iuliae, Cliviae, Montium dux, cum per multos annos in vastissima illa terra imperio suo subiecta protestantismum aliqua ratione tolerasset, immo etiam et vitae suae exemplo et mandatis legibusque quibusdam paene fovisset, tandem, mutato paulatim consilio, et ipse ad catholicam pietatem rediit et suos in ea conservare et, ubi opus esset, ad eam reducere serio studuit (cf. *Can.* V 170 672—677). Ac cum mense Aprili 1579 delecti quidam ex Iuliae Montiumque terris viri a Guilielmo „Zuruckstellung des Catechismi Canisii" petissent, hic contra 8. Maii 1579 constituit, ut in posterum quoque is liber explicaretur; deinde nobilitati iuliacensi in comitiis dusseldorpiensibus 14. Novembris 1579 idem petenti dux 16. Novembris respondit, stare se iussis suis; replicarunt ei 17. Novembris ordines („landstende") iuliacenses: „Bitten abermal schliesslich und einmutig die sementlige lantstende, . . . das der verdechtige catechismus Canisii in der scholen abgeschaft und ein ander bewerter, so onverdacht, in der schulen der jugent tradirt und vorgelesen werden muge, wie derwegen auch zu mer malen hiebevor gepeten"; eadem iisdem verbis 18. Novembris ordines — nobiles dico et urbes — montenses petierunt. Et Iuliacensibus quidem ducis consiliarii, cum ipse dux non adesset, promiserunt, se de catechismo ad principem relaturos esse; neque tamen quicquam novi ab hoc statutum esse videtur (Landtagsakten von Jülich-Berg 1400—1610. Herausgeg. v. *Georg von Below* II, Düsseldorf 1907, 320—321 346—347 354 361 362 366).

Dusseldorpiensem hanc catechismi canisiani editionem neque ipse vidi neque ab aliis commemoratam repperi. In qua Canisii nomen odii vitandi causa omissum esse omnino censeo, perinde atque in editionibus monasteriensibus annorum 1563 et 1573 omissum est (v. supra p. 646). Neque dubitari potest, quin „Parvus Catechismus Catholicorum", quocumque tandem cum nomine, editus sit.

1233. 1578. 1579.

Ex autographis PP. Nicolai et Goodii epistolis et ex „Instructionis" apographo eodem fere tempore scripto. Good complures epistulae particulas, ut ea, quae de catechismis suecicis infra ponentur („ipse etiam" — „reseruantur"), notis secretioribus expressit; Romae deinde, quid eis significaretur, investigatum et iisdem, litteris tamen haud ita perspicuis, superscriptum est. Opp. NN. 339 f. 12[b] 82[b]—83[a]. Instit. 117 f. 422[a]—425[a] Goodii litteris copiose usus est *Sacchinus,* Hist. IV, l. 7, n. 84—105; Sacchini narratione vel ipsis, quas dixi, epistulis usus est *Theiner,* Schweden I 597—599.

„Parvus Catechismus Catholicorum", Romae suecice versus, excuditur Holmiae. Ibidem idem liber germanice editur.

P. *Laurentius Nicolai* (Nielssen) sive Norvegus S. J. (v. supra p. 413 [3]) „Stockholmiae" 29. Octobris 1576 Everardo Mercuriano praeposito generali scripsit: „Quo omnibus innotescat doctrina catholica, cogitamus dexteritate quadam emittere catechismum Catholicum lingua Suetiae, et post rem eandem pro Concione propugnare: verum necdum res a Regia Maiest: definita est." Neque vero tunc quidem quicquam ea de re Ioannes III. Sveciae rex constituisse videtur. „Instructio" autem P. Stanislao Varsevitio S. J. (cf. supra p. 212 [1]) iterum in Sueciam profecturo a *Mercuriano* a. 1577 (post m. Augustum) data haec habet: „Meminerit ferre secum si vlla ratione fieri possit . . . paruos Canisij catechismos, sicut scit P. Posseuinum percupere, cum alijs libris." In *relatione tandem a P. *Guilielmo Good* S. J. (cf. supra p. 424) Torvesundo, ex Catharinae reginae „praedio, Stocholmia uix integram leucam distante", 25. Februarii 1580 de rebus proximo tempore semestri a se sociisque gestis Romam ad Everardum Mercurianum praepositum generalem missa haec narrantur de P. Antonio Possevino S. J., qui, cum ex prima legatione suecica circa ineuntem m. Octobrem 1578 Romam redisset, inde circa finem eiusdem anni iterum a Gregorio XIII. ad Ioannem regem missus Holmiam (Stockholm) m. Iulio a. 1579 redierat (*Sacchinus* l. c. l. 6, n. 76; l. 7, n. 82 83; *Theiner* l. c. I 502 520): Possevinum, cum m. Septembri pestilentia Holmiam vehementius urere coepisset ideoque rex cum suis inde (sub m. Octobrem, ut videtur) inde abisset, ipsum quoque (sub m. Novembrem exeuntem?) urbe excessisse et ab eo tempore cum pueris aliquot et ludimagistris belgis in insula quadam morari; ibi eum, praeter alia, instituisse „doctrinam Catechismi: quem postea excitati Ludi Magistri Collegij, discipulos et rusticos illos docere perrexerunt, ipse etiam P. Canisii minor cathechismus quem Pater Romae paucas illas hebdomadas commoratus ab Alumnis Suecis uerti suetice curauerat dum absente aula[a] magistratus item Stocholmiae sileret ac minor turba obseruantium impedire posset editionem grassante lue aeditus est: cuius mille exempla apud nos uel emittenda suo tempore uel ex ora transmarina per alumnos subinde huc transmittenda reseruantur. . . . Sed neque hic sterile prorsus inter scopulos

a) *Tria vv. sqq. exscripsi ex huius epistulae apographo quodam, quod ipso Possevino, ut videtur, curante scriptum est (Opp. NN. 336 fasc. D. f. 33[b] non sign.). In Goodii enim autographo superscriptio, quam supra dixi, hoc loco obscurior est* (magistratusque *[?]* et *[?]* sctoccholmia *[?]*).

Diuinum semen fuit. Nam praeter libros et literas, quibus transmissis ora Pomeraniae, et Ghedanum[1] ciuitas frequentissima adiuuatur: Germanici item Catechismi mille quingenti edi iussi sunt: quibus, si eo traijceretur, illae iuuari albae iam ad messem regiones[2] possent."

Possevinus igitur Romae inter m. Octobrem et Decembrem 1578 Canisii „Parvum Catechismum Catholicorum" ex latino sermone in suecicum vertendum curavit per suecos illos adulescentes, qui in collegio germanico versabantur; eorum nomina vide supra p. 414.

Ceterum haec Laurentii Norvegi relatio postea ab ipso *Possevino* ex parte confirmata est; nam in commentario „Origine et Progresso dei Seminarij" (nondum, quod sciam, typis exscripto; cf. *Fell* l. c. 317²) haec ipse narrat: „Nella seconda sua missione stette il P. Possevino in Suetia a far' stampare Catechismi catolici in lingua Suedese, et a disseminare molti libri dei Padri antichi et di Scrittori catolici Germani" (particulam hanc vulgavit *Fell* l. c. 323¹). Et in * „Annalibus", Decade prima, lib. 8. cap. 1 (cf. *Can.* VI 697) *Possevinus* de rebus a se sociisque Torvesundi gestis scribens: „Neque hic sterile prorsus inter scopulos Diuinum semen fuit. Nam praeter libros, et litteras quibus transmissis ora Pomeraniae, et Gedanum ciuitas frequentissima iuuabantur, Germanici item mille quingenti Catechismi edi iussi sunt: quibus cum eo esset transmittendum regiones illae albae iam ad messem iuuari possent" (Opp. NN. 336 [antea Cod. 297] p. 399)[3].

Eadem confirmantur et illustrantur **Indiculo* facultatum a summo Pontifice (Gregorio XIII.) concessarum, qui sic est inscriptus: „Concessa P. Posseuino post reditum e Suecia cum eo etiam redire deberet 23 Novembris 1578. pro ijsdem locis quae exponuntur in Breui". Ibi enim Possevino potestas datur: „Permittendi ut hoc initio dum altius fidei Catholicae fundamenta iaciuntur, libri Catholici, iamque approbati uertantur in aliam linguam, aut etiam sine Authoris nomine in lucem emittantur, adhibitis duobus, aut tribus clericis, siue laicis doctioribus, quorum cognito sincero iudicio opera ad id utatur. Praesertim si tales libri fuerint catechismi, iam in usum a Catholicis recepti, aut orationes, aut pij libri alij etiam haereticorum dogmatum oppugnationem continentes" (ex apographo eiusd. fere temp., eoque ab ipso, ut videtur, Possevino scripto; Instit. 190 f. 73ᵇ—74ᵃ).

Germanici illius catechismi Holmiae excusi exempla superesse non videntur. Suecica autem editio sic habet: „En liten | Catechismus el= ler kort summe pa then | rette ChristeligHe och | Catholiske troo, alle | Christne pa then ne tijdh storli= ghe aff nö= dhen. Petri Canisij" [i. e. Parvus Catechismus sive brevis summa rectae christianae et catholicae fidei, omnibus Christianis hoc tempore magnopere necessaria. Petri Canisii] 12°; pp. numeris non signatae 144 (addito folio titulari). Catechismus terminatur f. J iij ᵇ. Sequuntur testimonia sacrae Scripturae adversus haereticos in promptu habenda (pp. 13) et sententiae 5 „S. Augustini" (pp. 5). Catechismus 118 quaestiones habet. Preces et „meditationes", quae in plerisque huius „Parvi Catechismi Catholicorum" editionibus ponebantur, in hac

[1] Gedanum, Danzig. [2] Io 4, 35.

[3] *Theiner*, quae a Goodio et a Sacchino seorsim de suecicis catechismis et de germanicis dicta erant, perperam in unum confudit et falso interpretatus est, scribens: „Welche grosse Fortschritte die Verkündigung des wahren Wortes Gottes bei dieser Gelegenheit unter den Schweden gemacht hatte, lässt sich am besten daraus abnehmen, dass in diesem kurzen Zeitraume von kaum vier Monaten über 1500 Exemplare des kleinen Katechismus von Kanisius in der schwedischen Übersetzung, ohne der übrigen Andachtsbücher in deutscher Sprache zu gedenken, ausgetheilt wurden" (l. c. I 599). Suecicam Catechismi canisiani versionem per Sueciam disseminatam esse narrat etiam *E. G. Geijer*, Geschichte Schwedens. Hamburg 1834, 273².

editione omissae sunt; deest etiam praefatio auctoris et conspectus rerum. Editio haec, sive quod attinet ad rem grammaticam, sive ad orthographicam, sive ad typographicam, satis est manca, ne dicam vitiosa. Neque id mirum esse potest. Versio enim haec a iuvenibus parum maturis et extra patriam versantibus facta et in terra catholicis valde hostili clam et quasi furtive excusa est.

25. Iulii 1580 P. *Possevinus* „Nicolao Gyllenstierno, Baroni in Ludholm et Fuglewich, Archicancellario Sueciae, et Gubernatori Smolandiae“ praeter catechismos latinos (Canisii) etiam suecici huius catechismi exempla misit, „quibus ejus filii imbuerentur“ (*Theiner* l. c. II 224—229). Idem *Possevinus* in „Regulis“ iussu Gregorii XIII. abbatissae monasterii vastenensis (Vadstena), ordinis birgittani, datis praecipit sacris illis virginibus, „ut catechismum Canisii manuscriptum, et suetice versum, quem dedi, bis in anno saltem, publice in refectorio legant: moniales autem, quae norunt scribere, sibi unaquaeque describat, ut etiam puellas, quas apud se habent, eundem doceant“ (*Theiner* l. c. 156). Quod praeceptum aut antequam Parvus Canisii Catechismus suecice excusus esset (non anno 1580, ut Theiner habet), datum esse aut ad maiorem Canisii catechismum sive „Summam doctrinae christianae“ spectare putarim. Volebat praeterea Possevinus efficere, ut suecicae illi catechismi editioni „Grammatica Suetica, quam in Suecia confici curaverat“, praeponeretur, et ut in „finlandicam“ quoque linguam idem catechismus verteretur (*Theiner* l. c. 318). Quae utrum facta sint necne, nescio.

Unicum, quod usque adhuc reperiri potuit, suecicum catechismi canisiani exemplum nunc exstat Helsingoforsae (Helsingfors) in Finnia, in bibliotheca universitatis. Quod R. Dahlberg (vir acatholicus) ita edidit, ut haec editio priori illi omnino similis esset, eique copiosum adiecit commentarium (pp. 28): „Petrus Canisius. En liten Catechismus i Facsimile och med en Efterskrift utgifven af *Ragnar Dahlberg*. Helsingfors-Stockholm 1921. Helsingfors 1921. Holger Schildts Tryckeri“ („Facsimile-Upplagor af äldre Svenska Tryck under Redaktion af Dr. *Isak Collijn* IV“).[1] Hac editione usus sum. *Sommervogel* hunc librum non posuit.

1234. 1579.

„Parvus Catechismus Catholicorum“ latine editur Cracoviae, Dilingae, Romae, Salmanticae.

1. Canisii „Parvum Catechismum Catholicorum“ a. 1579 Cracoviae apud M. Siebeneycher editum esse notarunt *K. Estreicher*, Polnische Bibliographie (v. supra p. 751) 70, et (ex eo, puto) *Sommervogel* l. c. II 636. Ceterum vide supra p. 751.

2. „INSTITVTIONES CHRISTIANAE PIETATIS, SEV PARVVS CATECHISMVS | CATHOLICORVM, | Authore | PETRO CANISIO Societa- tis IESV Theologo. PRECES HORARIAE DE | aeterna Dei sapientia. DILINGAE Excudebat Ioannes Mayer. | M. D. Lxxix.“ Versus 2, 3, 8, 9, 12, 14 rubri sunt. Titulus marginatus inclususque est variis figuris.

16°; ff. numeris signata 80; praeterea in initio ff. non sign. 9 (addito titulari); reliqua ut in editione dilingana anni 1578; v. supra p. 783. Cf. etiam infra, monum. 1248.

Librum vidi Herbipoli in bibliotheca monasterii Fratrum Minorum Conventualium; idem exstat Monachii in bibliotheca nationali et Veronae in bibliotheca urbis (biblioteca comunale); eius mentionem fecit *Sommervogel* l. c. II 636.

3. „CATECHISMVS | CATHOLICVS *IVVENTVTI FORMANdæ hoc sæculo quam maxime necessarius.* AVCTORE D. PETRO Canisio, Doctore Theo-

---

[1] „Petrus Canisius“, inquit *Dahlberg*, „var den katolska reactionens främste målsman i Tyskland. Hans arbete för katolicismens utbredande därstädes var så betydande, att man kallat honom det lutherska Tysklands apostel. . . . Hans katekes . . . voro för den katolska kyrkan af samma betydelse som Luthers katekes för den protestantiska“: Efterskrift p. 6.

logo Societatis IESV. *Accessere Preces Horariæ de æterna Dei sapientia IESV CHRISTO Domino nostro, cum pijs quibusdam & Christianis exercita- tionibus.* Cum licentia Superiorum. *ROMAE, Apud Franciscum Zannettum.* Anno M.D.LXXIX."

16°; pp. sign. 144 (addito folio titulari). Catechismus terminatur p. 58; p. 59 ad 96 Preces Horariae: sequuntur meditationes cotidianae de virtutibus Christi, S. Thomae Aquinatis oratio „Creator ineffabilis", preces vespertinae.

Opus hoc (cum Canisii „Summa") in Societatis Iesu collegio romano adulescentibus explicabatur. Vide, quae de hac re ex libro „Monumenta paedagogica Societatis Iesu", edd. *C. Gomez Rodeles* S. J. etc., Matriti 1901, posita sunt in *Can.* VI 666, et praeterea ea, quae in „Ordinibus Classium" collegii romani a P. *Iacobo de Ledesma* S. J. († 1575) scriptis de catechismo Canisio praecepta exstant in iisdem „Monumentis" p. 169 170 171 175 176 181 184 185 187 189.

Librum vidi Florentiae in bibliotheca nationali; idem exstat Upsalae in bibliotheca universitatis: *Sommervogel* eum posuit l. c. IX, 1976.

4. „*PARVVS* CATECHIS- | MVS CATHO- LICORVM. | *Autore D. Petro Canisio, Societatis IESV Theologo. SALMANTICÆ,* Excudebat Alfonsus á Terranoua & Neyla Anno .M. D. LXXIX."

12°; ff. sign. 24; praeterea in initio 1 f. non sign. (titulare); in pagina altera folii titularis facultas libelli edendi; f. 24ᵇ Tetrastichon de nomine Iesu.

Liber exstat Matriti in bibliotheca nationali ($\frac{2}{6\,2\,7\,3}$). Sommervogel eum non posuit.

1235. Vere a. 1579.

„Opus catechisticum" editur Parisiis, a doctoribus sorbonicis approbatum.

„OPVS CATECHISTICVM, SIVE DE SVMMA DOCTRINAE CHRISTIANAE, D. PETRI CANISII THEOLOGI SOCIETATIS IESV, PRÆCLARIS DIVINÆ SCRIPTVRÆ TESTIMONIIS, sanctorúmq; Patrum sententiis sedulò illustratum opera D. PETRI BVSÆI Nouiomagi, eiusdem Societatis IESV Theologi, | nunc verò primùm accessione noua locupletatum atque restitutum. EDITIO VLTIMA. De huius operis ac vniuersæ doctrinæ quæ in illo tractatur distributione, folium abhinc decimumquintum cum sequenti. *Cum duplici INDICE, vno quidem Scripturarum explicatarum, altero verò rerum & | sententiarum, ad calcem adiectis.* PARISIIS, Apud Thomam Brumennium, in clauso Brunello sub signo Oliuæ. | *M. D. LXXIX.* Cum priuilegio Regis." Cum Brumennii signo typographico.

2°; columnae (paginae dimidiatae) numeris signatae 1836; praeterea folia non signata in initio 16 (addito titulari) et in fine 30; f. a ijᵃ—bᵃ Canisii litterae dedicatoriae ad Julium Echter episcopum herbipolensem; quas vide supra p. 326; f. bᵇ summa brevis eaque gallice scripta et nomine „Grignon" subscripta privilegii Parisiis 31. Ianuarii 1579 ab Henrico (III.) Galliae Poloniaeque rege Thomae Brumennio („Brumen"), universitatis parisiensis typographo iurato, concessi, quo cavetur, ne cui, excepto Brumennio, liceat proximis octo annis in terris imperio regis subiectis librum hunc vel excudere vel vendere; eum enim a doctoribus approbatum esse, et Brumennio magnam pecuniam in eo typis exscribendo consumendam fuisse. Sequitur „Approbatio huius libri. Nos subsignati doctores Theologi Academiae parisiensis, hunc Petri Canisij Catechismum sacrae scripturae sanctorumque Patrum testimoniis[a] illustratum in communem totius Ecclesiae Catholicae vtilitatem recudendum censuimus. Dadre. Perier" [1]; f. b 2ᵃ—b 3ᵃ praefatio Busaei, de qua *Can.* VI 685—686; f. b 3ᵇ ad b 4ᵃ „Admonitio ad Lectorem" (cf. supra p. 767); f. b 4ᵇ—c 3ᵃ „Chronologia ecclesiastica" (cf. *Can.* VI 686); f. c 3ᵇ—dᵃ encomia Patrum; f. dᵇ—d 3ᵇ „S. Augustini responsio", de qua supra p. 767; f. d 3ᵇ—d 4ᵇ conspectus rerum: sequitur catechismus

a) *Correxi ex* testimonis.

[1] Jean Dadré (Dadraeus), ex vico La Perrière ortus, Parisiis in collegio Navarrae docebat (*P. Feret,* La Faculté de Théologie de Paris, Epoque moderne II, Paris 1901, 207—211).

cum „appendice de justificatione" ; quae perinde atque ipse catechismus testimoniis confirmata est: in fine libri locorum sacrae Scripturae in opere explicatorum indiculus, 10 columnas non signatas occupans; deinde index rerum copiosissimus; editio haec vere est elegans.

Librum vidi Romae in bibliotheca angelica (O. 17 21); idem exstat Genuae in bibliotheca universitatis, Mediolani in bibliotheca ambrosiana, Werthae (Weert) in Hollandia in bibliotheca Fratrum Minorum. Eum breviter memoravit *Sommervogel* l. c. II 441.

1236. 1579.

Canisii catechismi in germanicis scholis vindobonensibus et in collegio graeciensi.

1. Die 21. Ianuarii 1579 ab Ernesto archiduce, qui nomine Rudolphi II. imperatoris Austriam superiorem et inferiorem regebat, „instructio" sive ratio scholarum germanicarum habendarum edita est, eamque urbis vindobonensis consul senatusque iussi sunt omnibus praeceptoribus et praeceptricibus ita proponere, ut illi se, nisi eam diligenter observarent, officio movendos esse certo scirent. Huius autem scholarum rationis caput VII. haec, praeter alia, habet: „Demnach soll der Jugenndt Catechismus Patris Canisij, so der Catholischen Lehr Jnn allen Dingen gleichformig vnnd noch vor vill Jahren, mit wäillendt Khaysers Ferdinandy Christseligister gedachtnus preuilegi vnndt Frayhait Approbirt ist, Jnn denn Schuellen fürgetragen vnnd allerwochen auf das wenigist ainmahl repetirt werden." Integram hanc institutionem ex apographo eodem fere tempore in libro actorum theologicae facultatis vindobonensis scripto edidit Dr. *Carolus Schrauf*, Eine Schulordnung Kaiser Rudolfs II etc., in „Mitteilungen der Gesellschaft für deutsche Erziehungs- und Schulgeschichte", herausgeg. v. *Karl Kehrbach* I, Berlin 1891, 215—221.

2. Exstat adhuc „*Index* lectionum et scholasticarum exercitationum" a. 1579 Graecii (Graz, Stiriae caput) in collegio Societatis habendarum. Ex quo indice hoc cognoscitur: Praeter doctrinam christianam, quae omnibus classibus, varie tamen pro uniuscuiusque captu, tradebatur, in schola „tertia grammatica", quae prima erat post „scholam infimam", discipulis „Catechismus D. Petri Canisii minor" („Parvus Catechismus Catholicorum" isque latinus) explicabatur perinde, atque in „secunda grammatica" et „prima grammatica" epistulae Ciceronis et in superioribus scholis eiusdem orationes etc. explicabantur (*Pachtler*, Ratio studiorum I 248).

1237. 1579.

Canisii ad sacramenta confessionis et communionis rite suscipienda institutio iterum editur Dilingae.

„Beicht vnd | Communion | Büchlein. | Kurtzer / gründtlicher vnd notwendiger Bericht/ | von der *[sic]* zwayen heiligen Sacra= | menten der Bueß vnnd des | Fron= leichnams | Christi. | Durch | D. Petrum Canisium der | Societet Iesv Theologum / | zum letzten mal vbersehen | vnd gebessert. | Gedruckt zue Dilingen / durch Johannem Mayer. | 1579." Versus 1, 4, 5, 11, 15, 16 rubri sunt: item verbum „IESV". Totus titulus figuris marginatus et cinctus est.

12°; ff. sign. 178; praeterea in initio ff. 4 non sign. (addito titulari): in 3 foliis, quae folium titulare sequuntur, posita est praefatio, de qua plura infra: f. 1—142 institutio; quae quaestiones, responsiones, precationes complectitur; f. 143ᵃ imaguncula ligno incisa Christi pendentis e cruce; iuxta quam SS. Maria et Ioannes Evangelista stant; deinde, a f. 143 usque ad finem libri meditationes in singulos hebdomadae dies distributae et aliae precationes. Cum praefationi huius editionis nec locus, nec tempus ascriptum sit, censendum est, eam a Canisio primum praepositam esse non huic editioni, sed editioni a. 1575 vel 1576; vide *Can.* VI 680—681, et supra p. 733 752; praefationis eiusdem partem iam posui *Can.* VI 680; en aliam eius partem: „Ich waiß gar wol den mangel vnd vnaußsprechlichen schaden, so bey vnns Catholischen jhe lenger jhe mehr, layder, darumb gespüret wirdt, daß wir weder embsig betten,

noch recht Beichten vnd Communiciren wöllen, sonder gehen mit disem Haylthumb vmb, wie etwan die Sew mit den Berlin [1], das ist, zugleich vnfruchtbarlich vnd schändtlich. Desto mehr sollen alle trewe Seelsorger, Prediger vnd Christliche Vorsteher daran sein, daß man die verachtete, vnd jetzt schier vnderlassene Sacramentalische Beicht wider in den rechten gang bringe, dieweil sie die lautter warhait frey zu bekennen ist vnd bleibt, das nothwendigst mittel zu vergebung der sünd, vnd zů erlangung Göttlicher gůte vnd gnaden. Aber wa man gar nit oder allein auß gewonheit, vnd nit auß andacht diß vnnd andere Sacrament annimbt, da geht es eben, wie wir es nu erfaren, wider alle Christenliche ordnung, auch zu vnserm ewigen schaden vnnd schanden. Ach bey dem grossen thewren Schatz vnd Genadenbrunnen von Gott vns geschenket, wöllen wir kurtzumb arm vnnd elend bleiben, verlassen so jämmerlich Gott, Kirchen vnd Sacrament, wöllen den Segen nit haben, lieben den flůch, vnd er wirdt vns auch wol endtlich zuthail werden. [2] Gott helff der armen Christenhait inn disen gefährlichen letzten zeyten, darinnen schier alle Sacrament darnider ligen, vnd so vnchristlich, wie nie zuuor, in disen Landen jetzt mißbraucht, entehret vnd vnderlassen werden. Wie der Gottesdienst abnimpt, ist insonderheit im Betten, Beichten vnd Communicieren allenthalben wol zusehen. Dann fürs Betten ist jetzt der brauch zuschwören vnnd zu flůchen. Man rhůmet sich des bösen, aber der demůtigen Beicht vor Gott vnd Gottes statthaltern schämet man sich. So ist vnser lust in fressen vnnd sauffen, wöllen aber zů des Herren tisch nit kommen, seind als verdrossene Gest, versaumen die ladung, vnd das beraite Abentmal [3]. Jedoch seind wir auß Christenlicher trew schuldig, den gemainen Mann zu warnen, vnd auff den rechten weg zuweysen, damit er nit jrr gehe, vnd volgends sich mit der blinden Welt nit verfůren vnnd verderben lasse. Gott vnd Gottes segen sey vnd bleib mit vns allen, Amen."

Librum vidi Monachii in bibliotheca nationali. Editionem posuit *Sommervogel* l. c. IX 1980.

1238. A 18. Martii ad 20. Aprilis 1579.

Orationes sacrae 20 fere a Canisio Landishuti coram Guilielmo (V.) Bavariae principe habitae. Orationum argumenta. Dicta quaedam notatu digna.

Exstat codex, signatus „Can. 29", contionum a Canisio a feria IV. post Dominicam II. Quadragesimae usque ad feriam II. Paschatis habitarum: quibus nec locus nec annus ascriptus est. Ex ipsis tamen contionibus cognoscitur, Canisium ad eas habendas missum esse eum in locum, quo superiore quoque anno contiones quadragesimales habuerat. Cum autem aliunde constet, eum et a. 1577 et a. 1578 Landishutum (Landshut) ad contiones quadragesimales coram Guilielmo (V.) Bavariae principe habendas venisse (v. supra p. 771 789), dixeris has esse contiones anni 1578; at hoc anno feria IV. post Dom. II. Quadr. erat dies 26. Februarii, et eodem anno Canisius a Guilielmo principe rogatus, curaret, ut aliquis de Societate 28. Februarii secum Monachio Landishutum proficisceretur et ibi contionaretur, Landsberga 25. Februarii principi respondit, id fieri non posse; facturum se tamen, ut contionator ille Kalendis Martiis Landishuti adesset (v. supra p. 441). Accedit aliud: Anno 1578 dies Annuntiationis B. Mariae Virginis sive 25. Martii erat feria III. post Dominicam Palmarum; anno vero contionum illarum ea sollemnitas, ut ex codice illo intellegitur, erat inter Dominicam III. Quadragesimae et proximam feriam VI. Neque alius

[1] Cf. Mt 7, 6. [2] Ps 108, 18. [3] Cf. Lc 14, 16—24; Mt 22, 1—6.

est annus, cui contiones illae congruant, nisi annus 1579. Huius anni die 11. Martii Mercurianus praepositus generalis Hoffaeo provinciali scripsit, Canisium „tota Quadragesima“ Guilielmo principi „contionaturum esse“ (v. supra p. 499), et ex P. Mengini litteris intellegitur, eum 18. vel 19. Martii 1579 Landishuti Guilielmo Mercuriani litteras quasdam tradidisse (v. supra p. 495). Quod ad ipsa contionum commentaria attinet, ea Canisius scriptori alicui (Socio, quo utebatur comite et rei domesticae adiutore?) dictavit; deinde ipse multa immutavit, delevit, addidit; integra etiam capita ipse scripsit; nec tamen singulas orationes semper plane inter se distinxit: quare nonnumquam coniectari potius quam certo statui oportet, ad quam orationem capita aliqua pertineant. Hoc denique notari oportet: Multa, quae ad has contiones parandas pertinent, a Canisio collecta ipsiusque manu conscripta sunt in Cod. „Can. 9“ f. 99^b—130^a; quibus accedunt aliqua in „Can. 5“ f. 52^b—53^b posita.

„Prima Concio. Mat. 20. [Mt 20, 17—28]. Feria 4ta post Reminiscere“ (Dominicam II. Quadragesimae) sive 18. Martii 1579. Omnia Dei providentia reguntur. „Jn summa omne datum optimum, et omne donum perfectum desursum est, descendens a Patre luminum [Iac. 1, 17]. Das hab ich anfenglich darumb sagen wöllen, das wirs für ein sunderliche schückung vnd ordnung gottes halten sollen, auch im darumb lob vnd danck sagen alle sammbt, dweil er nach seinem göttlichen vätterlichen willen, vns alle dis vergangen Jar lang so gnediglich an leib vnd seel in sanitate erhalten, Jetzsunder aber widerumb allhie zusammen verfügt hat, zue seinem gottlichen dienst, vnd das er vns mit seinem göttlichen wort speise vnd erquickke [1]. . . . Er wil seine gesandten auch gehört vnd angenomen haben, vnangesehen wie schlecht vnd vngelert vnd vngeschückt *[sic]* möchten angesehen werden. Qui uos audit [2] etc. Seitemal ich dan nun als ein gesandter Fastprediger da bin vnd sein muß, bit ich einmal E. L. vnd andacht sie wöllen dise gwisse schückung gottes cum gratis animis mehr ansehen vnd bedencken, dan die vngeschücklichkait meiner person, imperfectionem linguae, debilitatem uocis vnd darneben meine auffrechte Chrisliche mainung vnd getrewen dienst dermassen annemen, Jnnen gefallen lassen, gleich wie auch für ein iar gütlich gethan haben. Das ich mich billich in dem herren rhümen [1 Cor 1, 31; 2 Cor 10, 17 etc.] möchte, von wegen der gedult liebe vnd gunstigkait, so mir bei meiner Fastpredigt alshie trewlich vor eim Jar erzaigt vnd bewisen ist worden. So wil ich ietzunder desto frölicher das Euangelische netz wider ausswerffen, Jm namen des herrn [cf. Lc 5, 5; Jo 21, 6], vnd forthin vnuerdrossen sein, Ewere Christliche seelen mit dem himmelbrot [Io 6, 32 33 etc.] wochlich zue speisen, der hoffnung Ewer lieb vnd andacht werde meine gethane predig nicht allein im gutten auff vnd annemen, sunder auch den gutten samen in irhe hertzen tieff hineinfallen lassen [cf. Mt 13, 3—43; Mc 4, 3—20 etc.], vnd zue seiner Zeit auch rechtschaffne frücht darauß fortbringen vnd erzaigen in Christo JESV vnserm herrn, Dan der ist, der das gedeien gibt [1 Cor 3, 7], der welcher da sehet vnd pflantzet [cf. Mt 3, 37; 15, 13 etc.], Der kan vnd wil auch mitten vnder innen sein, welche sich versamblen in seinem namen. Quoniam sumus in Christi nomine congregati, precor omnipotentem vt ipse sit in medio [Mt 18, 20], et mihi per preces uestras prudentiam et uirtutem praebeat ea docendi quae ipsi ad gloriam et nobis ad salutem cedere possunt.

[1] Canisius anno 1578 tempore Quadragesimae et sacris diebus Paschatis Landishuti orationes sacras habuerat; v. supra p. 789.

[2] „Qui vos audit, me audit, et qui vos spernit, me spernit“: Lc 10, 16.

Si quis autem aliquid audiet ex me quod displiceat uel non intelligat, hunc amanter rogatum uelim, ut fidenter ad me ueniat, libere roget et postea iudicet, cum meam sententiam cognouerit sufficienter. Nolite iudicare [Mt 7, 1; Lc 6, 37]. So uil aber die heutige Predig belangt gedenck ich nit das obgemelte Euangelium von wort zue wort auszulegen dweil ess öffter im Jar gelesen vnd geprediget wirt · sunder ich hab mir fürgenommen ettliche sententz vnd sprüch her für zue ziehen, welche vns dahin dienen möchten, damit wir nach ordnung der kürchen diese heilige zeit der fasten desto lieber annemen vnd folstrecken. 3 Si tempus erit wil ich etwas melden, wie vnd warumb ich mich entschlossen hab den Propheten Jonam für die handt zue nemen, vnd in meinen folgenden predigen zue handlen." Deinde Canisius (rogatus, puto, a Guilielmo principe pietatis studiosissimo) in hanc acrem transit reprehensionem: „Es seindt eben heut viertzin tag das wir alten Catholischen vnsere Quadragesimam haben angefangen vnd das nach vralten Apostolischen gotseligen bewerten vnd bestendigen Einsetzung vnd ordnung Ecclesiae Catholicae. Wolt got aber im himel, das ir vil gefunden wurden, welche diese Christliche ordnung so gern vnd williglich annemen, wie sie sunst die vnchristliche vnd flaischliche vnordnung in der Fastnacht annemen vnd halten, vnd das sie so vnuerdrossen weren got zue lob der kürchen zue gehorsam, auch jres leibs zue wolfart zue diser zeit zue büssen vnd zue fasten, wie sie sünst willig vnd lustig sein, das gantz iar auß wider got, vnd gottes kürchen, wider des leibs vnd der seelen [wolfart] zue sündigen zue fressen zue sauffen vnd sunst alle gebott gottes so vnuerschämbt zue übertretten. Sulchen leuten wil ich auch dienen mit dem heutigen Euangelio vnd innen ettliche sprüch zuebedencken geben, damit sie doch nit lenger warten, zum wenigsten von diesen tag an, ihr buß vnd fastentag erstlich anfahen, willen sie anderst Gottes vnd der kürchen vnd beider oberkait njt spotten" (Can. 29 f. 4ª—5ᵇ).

„Feria 6 ante oculi" sive 20. Martii 1579 „Prima Concio in Jonam" [1] Primum ex evangelio diei sententiam Christi: „Auferetur a vobis regnum Dei" (Mt 21, 43) breviter explicat. „Fateri cogimur, quod in nobis germanis impleatur Christi sententia . . . iusto dei iuditio veterem gloriam amittimus vt numquam antea debilitati et afflicti. Auffert a nobis partem regni terribilis hostis Turca, nunquam magis vicinus et infestus. 2° auffert haeresis, omnia sacra nobis conculcant. 3° Aufferunt bella intestina inter principes. 4.° Pigritia nostra in cultu diuino." Deinde exponit, cur Ionam „Prophetam et eius historiam sibi tractandam susceperit" (l. c. f. 10ᵇ—13ᵇ). Vide etiam infra, monum. 1239.

„Dominica Oculi" sive III. Quadragesimae (22. Martii 1579) Ion. 1, 1 2 interpretatur; deinde ex evangelio diei, ostendit, daemonem esse timendum ac „de cognoscendis et obseruandis tentationibus Sathanae" dicit; exemplum pono: Daemon „tentat aulicos seminans inter illos discordias vt se mutuo diligant sicut canes et feles. . . . En aulicos contentiosos inuidos elatos. Vbi superbia wo stoltz ist, illic et smach [Prv 11, 2]. Decem anni in aula 20 in inferno · supponunt demoni puluinaria sua ociositate et hypocrisi" (l. c. f. 14ª—18ª).

„De peccatis [in caelum] clamantibus in specie." In Ion. 1, 3. Contio habita, ut videtur, feria III. post Dom. III. Quadr. sive 24. Martii 1579 (l. c. f. 18ᵇ—21ᵇ).

„Jn Annuntiatione B. Virginis" sive 25. Martii 1579. „Dicam 1° de salutatione [angelica] fundata in Euang. reliqua enim anno superiore dicta praetereo. 2 redibo ad Jonam." De Ion. 1, 2 3 (l. c. f. 22ª—24ᵇ). Vide etiam infra, monum. 1239.

„Puncta circa Euang. de Samaritana Joan. 4" et „Duae doctrinae de fuga Jonae", ex Ion. 1, 4 5 (l. c. f. 25ª—29ª). Oratio habita est fer. VI. post Dom. III. Quadr. sive 27. Martii 1579.

„Euangel. Dominicae Letare" sive IV. Quadr. (29. Martii 1579). „Quomodo uarij status in hoc Euang. se habeant admonere · ut suae uocationi et Dei commissioni

---

[1] Anno 1563 Canisius Augustae in ecclesia cathedrali tempore Quadragesimae Ionae caput primum et tempore Adventus caput secundum explicaverat; v. *Can.* IV 842 826.

sese conforment." „En uos domini et rectores, quid nos doceat Christus exemplo suo, non gloriari titulis, non iactare dominium, non dominari superbe, non grauare subditos, non superbire et brechtig sein sicut reges gentium [cf. Lc 22, 25; Mt 20, 25; Mc 10, 42], sed paternam curam gerere, ut patres super filios, ut pastores super oues, uidete non tantum alienis sed et proprijs oculis, mente percipite communem necessitatem pauperum, consultate quibus modis auerti possint mala praesentia et communia grauamina. Quod si non potestis dare gesoten und gebraten, fleisch vnd fisch, wein vnd bier, [et] saturare famelicos, saltem cibate, ut habeant das liebe brot, die notwendige narung et vnderhaltung, et was euch uberbleibt an ewer gasterey, ut eo magis laudent Deum, et uos merito diligant ac praedicent" etc. Dein de Ion. 1, 6 7 (l. c. f. 29ᵇ–31ᵃ). Plura vide infra, monum. 1239.

„Euang. de caeco nato. Joan. 9." Dein de Iona „Dicam 1. quid Jonas 2 quid nautae nos doceant in historia" (Ion. 1, 7—12; l. c. f. 31ᵇ—33ᵃ). Oratio habita feria IV. post Dom. IV. Quadr. sive 1. Aprilis 1579.

„Summa Euangelij de Lazaro", quod erat feriae VI. post Dom. IV. Quadr. sive 3. Aprilis 1579. „Vltima Concio in primum cap. Jonae" (Ion. 1, 13—16). Auditores ad orationem, misericordiam, paenitentiam exhortatur (l. c. f. 37ᵃ—39ᵇ).

„Puncta Euangelij [Dominica Passionis, sive 5. Aprilis 1579] summaria." „Non audeo ire longius, ut plus temporis habeam ad propheticum textum porro explicandum: tantum de ordine Ecclesiae paucis monere debeo, ut sciant simplices quid ab hoc die faciat mater Ecclesia. et quid ipsi etiam facere debeant usque ad pascha." Deinde de Ion. 2, 1—10. Vbi de Iona in navi quaesito et in mare proiecto loquitur, haec, praeter alia, monet: „Quis autem hic Jonas tam perniciosus? En uide an in nauicula cordis tui lateat uoluntas hoc sacro tempore non confitendi uel aliquid ex peccatis cognitis reticendi, aut in odio inuidia fornicatione usura manendi. Hunc Jonam eijce, ne tota nauis pereat. 2 En quaere Jonam in naui uel domo tua, quam tibi ut nauclero commisit Deus, reperies quosdam male sanos in fide, imo leprosos et proprij sensus et seductos et aliquando seductores. Eijce Jonam si euadere uis periculum, ne pereat nauis, et ob unum multi pereant. 3 Quaere scandalizantem alios suis blasphemijs. Educ blasphemum de castris sicut fecit Moses [Lv. 24, 14]. Quaere fornicantem et gloriantem de malitia, Auferte malum ex uobismet ipsis [1 Cor. 5, 13]. Nescitis quia modicum fermentum totam massam corrumpit [1 Cor. 5, 6; Gal. 5, 9]. Quaere leuem, uanum, inutilem, imo et ad malum impellentem alios uerbis et exemplis. Abscinde cancerem ne serpat longius [cf. 2 Tim. 2, 17], Eijce oculum, amputa manum offendentem, ut iussit Christus [Mc. 9, 42—46; Mt 5, 29 30; 18, 8 9]. 4 Quae conturbant nauim prouintiae et Jmperij tot ventis iactati nec sequitur serenitas, sed intumescit mare [Ion. 1, 11]? Naucleri dissimulant, nec curant eijcere Ionas id est publice peccantes non puniunt. Hinc saeuit mare, inanis est oratio, consilia inutilia. Non redibit tranquillitas nisi relinquatur inobedientia et prohibeantur flagitia" (l. c. f. 40ᵃ—42ᵇ).

„Feria 4 post Judica" sive Dominicam Passionis (8. Aprilis 1579). „Breuiter dicemus quomodo Euangelium causam nobis omnibus praebeat ad consolationem et monitionem eorum qui hoc tempore praeparant se ad mensam domini." „Nihil deest nobis magis quam quod non sumus nec esse uolumus Christi oues id est morigeri, simplices, mansueti, patientes, paruo contenti, et timidi coram lupis. Sumus autem si uerum fatendum est, superbi sicut leo. 2 iracundi ut canis. 3 immundi ut sues. 4 luxuriosi ut spatz. 5 astuti ut uulpis, 6 uoraces ut lupus. 7 pigri ut asinus." „Postea de Iona" (Ion. 2, 1 2, ut videtur; l. c. f. 42ᵃ—47ᵃ).

„Feria 5 de Magdalena Euang. Luc. 7." Oratio habita 9. Aprilis 1579. Magdalena in exemplum proponitur iis, qui sacramentum paenitentiae suscepturi sunt. Deinde, ut videtur, „Concio de oratione Jonae" (Ion. 2, 2—10) habetur (incipit: „Heri audiuimus Deum potenter et mirabiliter egisse . . . cum Jona" etc.; l. c. f. 47ᵇ—50ᵃ).

„Euang. Ioan. 11 de concilio Judeorum." „Sumus adhuc in hebdomada passione *[sic]*, et statim sequetur die Martirwochen." Oratio igitur habita est feria VI. post

Dom. Pass. sive 10. Aprilis 1579. In evangelii explicatione Canisus monet „superiores in utroque statu, ut suos coetus et concilia in timore dei obseruent . . . oportet inprimis rationem habere diuini iudicij magisque curare salutem animae quam corporis et omnium temporalium. Quid enim prodest homini, imo et ciuitati et prouintiae, si lucretur totum mundum etc. [Mt 16, 26; Mc 8, 36; Lc 9, 25]. Humana prudentia diuinae legi debet cedere, et oportet magis obedire deo quam hominibus [Act 5, 29]. Nec sunt facienda mala, ut eueniant bona.“ Deinde „de tribus vltimis sententijs in oratione Jonae“ (Ion. 2, 8—10) loquitur (ex comment.; l. c. f. 50b—53a). Plura v. infra, monum. 1239.

„Sabbato ante Palmarum“ sive 11. Aprilis 1579 „de historia dominicae sequentis applicata communicantibus“. Deinde, ut videtur, de Ion. 2, 11; 3, 1—4 dicit (l. c. f. 53b—56b).

„Feria 2 post Palmarum“ sive 13. Aprilis 1579 „De Eucharistia“. „Quia sequenti feria 5 non commode poterimus praedicare, sumpsi modo mihi hoc Euang. quod alioquin proprie pertinet zue dem heiligen Grinnendonnerstag.“ Praecipuum orationis argumentum hoc est: „Quare Christianus contentus esse debeat sub vna specie communicare, nec curare alios in contrarium disputantes et contendentes“ (l. c. f. 57a—61a).

„Jn Caput 3 Jonae.“ Oratio habita, puto, feria III. post Dom. Palm. sive 14. Aprilis 1579. Explicatur Ion. 3, 1—5 (l. c. f. 61b—64b).

„Alia concio in Jonam“, habita, ut videtur, fer. IV. post Dom. Palm. sive 15. Aprilis 1579 („sicut heri dictum est“), „propositio · dicam de rege Niniuitarum, et quae in eo laudanda et ab eo discenda sint“. Explicat Ion. 3, 6—10. „Jonas auch nicht leichlich einem solchen vielen vnd auch gotlosen volck genuegsam were gewesen, sie zuer gemeinen Buß zue bereden, wo nicht des künigs gebott dar zue khommen were. Wo aber Jonas mit seinem ruffen, vnd der künig mit dem gebot, das ist, wo die Prediger mit dem wort, vnd die Oberkhait mit dem schwerdt anhalten, da ghet es wol nacher, O wie selig wolten wir sein, wen wir sulches sehen möchten, dan da wolt ich hoffen, es solt auch an vns erfüllet werde[n], das bei dem Jona gesagt wirt: Vnd gott sahe irhe werck, das sie sich von iren bösen wegen bekeret hetten, vnd ließ sich des vnglücks rewen, das er geredt hat innen zuethain, vnd thets nicht [Ion. 3, 10]. Wir aber wöllen alles Gott heimstellen, vnd ich wil darzwischen nit auffhören mit dem Jona zue ruffen vnd zueuermanen, allermeinst, dweil wir auch derhalben beisamen sein, Got gebe das ich so glücklich solches kündte als Jonas“ (l. c. f. 65a—69a 97b).

„Am Charfreitag“ sive 17. Aprilis 1579 „de Jona allegorice“. „Cum igitur hic sanctus dies exigat, ut de passione Christi omnes cogitemus et tractemus, proposui mihi principio explicare, quomodo Christum et eius passionem in hoc Jona quaerere et spectare debeamus. 2° quia tempus non patitur longam et sinreiche historiam de eadem passione hic per partes prosequi, breuiter uobis repetam praecipuos passionis articulos in Euangelio descriptos et quomodo simplices maxime illos cognoscere et meditari possint. 3° conuertam me ad ultimam eductionem Christi factam a Hierusalem an die Schedelstat, et quid in cruce ipsa dixerit et fecerit usque ad ultimam sanguinis sui effusionem, per quam se patri obtulit hostiam pro nostra salute.“ In hac tractatione Canisius notat: „Omni feria quinta vesperi pulsatur zue vnsers herrn Angst“; et in numero „inimicorum crucis“ ponit etiam „superstitiose utentes crucibus schedulis herbis“ ad quaerendam opem (l. c. f. 67b—75a). Vide etiam infra, monum. 1241.

„Circa Sepulturam [Christi], ad religiosas.“ Oratio habita, ut videtur, die parasceves vel sabbato sancto sive 17. vel 18. Aprilis 1579 (l. c. f. 75b—78a. Plura v. infra, monum. 1240.

„Jn die S. Paschate“ sive 19. Aprilis 1579. „Propositio. Ad maiorem huius festi excellentiam et praerogatiuam cognoscendam dicam 1° quae bona noua super se habeat et toti mundo apportet, vt summo iure propterea gaudere et laetum Alle-

luia canere debeat. Dicam 2° de fide ad hoc festum celebrandum necessaria. 3 De Marijs quid exemplo suo nos moneant et doceant" (l. c. f. 78b—82b 83b—84a).

„Feria 2 paschatis" sive 20. Aprilis 1579 (post meridiem?) „Applicatur ad Christi resurrect. Jonae historia". „Circa Euangelium . . . ostendam vera signa hominis Christiani" (Can. 29 f. 83a 84b—87b).

Fortasse Canisius 20. Aprilis Landishuto abiit; neque enim oratio in feriam III. Paschatis (quae et ipsa tunc „festa" ex praecepto ecclesiae erat) ab eo habita comparet.

1239. 20., 25., 29. Martii et 10. Aprilis 1579.

Ex orationum commentariis a Canisio dictatis et emendatis: Can. 29 f. 12a 24b 30a 51a.

Canisius Landishuti ex sacro suggestu ecclesiasticos, ut officio satisfaciant, et populum, ut ecclesiasticis etiam male viventibus honorem et oboedientiam praestent, hortatur.

Canisius cum a. 1579 Landishuti coram Guilielmo (V.) Bavariae principe contiones quadragesimales haberet, 20. Martii verbum illud Christi „Auferetur a vobis regnum Dei" (Mt. 21, 43) variis hominum ordinibus accommodans, sic monuit viros ecclesiasticos: Secundo dictum hoc sibi putent[a] spirituales, qui a patre familias acceperunt magnum honorem, magnamque potestatem docendi, pascendi, absoluendi, offerendi, et mysteria dispensandi, sed videant ne tanto magis puniantur quanto sunt ingratiores Deo, et in offitio suo negligentiores, Vere auffertur ab illis c l a u i s s c i e n t i a e[1] et dignitas sacerdotalis iuxta illud, S i s a l e u a n u e r i t a d n i h i l u m v a l e t v l t r a n i s i v t m i t t a t u r f o r a s e t c o n c u l c e t u r a b h o m i n i b u s[2]. Quid accidit Judae, E p i s c o p a t u m e i u s a c c i p i e t a l t e r[3], quia datus fuit Mathiae[4], Vnde dicitur Episcopo Philadelphiae, E c c e u e n i o c i t o, T e n e q u o d h a b e s, v t n e m o a c c i p i a t c o r o n a m t u a m. Apoc. 3[5]. Sic minatur et Deus per Ozeam ca. 4. Q u i a t u s c i e n t i a m r e p u l i s t i, r e p e l l a m t e n e s a c e r d o t i o f u n g a r i s m i h i[6]. Sic Deus abstulit regnum suum Heli sacerdoti deditque Samueli, propter peccatum .1. reg. 2[7]. S u s c i t a b o m i h i s a c e r d o t e m f i d e l e m, q u i i u x t a c o r m e u m e t a n i m a m m e a m f a c i e t[b][8].

In iisdem autem contionibus Canisius populum semel atque iterum hortatus est, ut ecclesiasticis etiam illis, qui parum probatae vitae essent, honorem atque oboedientiam praestarent. Ita 25. Martii (ut videtur), cum de Jona propheta Deum fugiente (Ion. 1, 3) loqueretur, sic eos monuit: Ne offendant nos vitia clericorum, qui sunt cum Jona culpabiles, nihil tamen idcirco perdunt de potestate docendi et ministrandi. Peccat Jonas et aeque mittitur ad Niniuitas, nec reijcitur a deo ob inobedientiam, Peccat Petrus negando Christum, nec tamen priuatur suo primatu[9], Peccat Thomas non credens resurrectionem, et non mutat statum Apostolicum, a Christo conuersus[10].

Et 29. Martii: Ne spectate personas et merita praelatorum, sed officium, quia sunt m i n i s t r i D e i[11]. *Maxime autem 10. Aprilis, cum evangelii Ioannis c. 11 v. 47—54 interpretaretur: Ex eo, inquit,* discunt omnes honorare Praepositos Ecclesiae, quia Joannes honorat Caipham dicens, quod licet esset maximus Christi hostis[c] et pessimus uita, tamen e Spiritu s. p r o p h e t a r i t nec alia de causa, quam quod e s s e t a n n i i l l i u s p o n t i f e x[d][12]; id est non ob sua merita sed ob statum sacerdot. a Deo institutum et priuilegiatum Deut. 17[13]. 2 honorat et Christus Pharisaeos[e] uerbo

a) putant *libr.* b) *Can. sua manu supra complura ex his vv. versionem germanicam scripsit; ut supra vv.* Quia tu scientiam repulisti *scripsit:* das wissen verworffen. c) *Can. 3 vv. sqq. supra versum scripsit.* d) *Quae sequuntur, usque ad* 17 *incl., a C. in margine addita sunt.* e) *Tria vv. sqq. a C. supra versum scripta sunt.*

[1] Lc 11, 52. [2] Mt 5, 13. [3] Ps 108, 8; Act 1, 20.
[4] Cf. Act 1, 15—26. [5] Apc 3, 11. [6] Os 4, 6. [7] Cf. 1 Rg 2, 26—36.
[8] 1 Rg 2, 35. [9] Cf. Mt 26, 69—75; Lc 22, 55—62; Io 21, 15—17.
[10] Cf. Io 20, 24—29. [11] 1 Thess 3, 2; 1 Tim 4, 6; 1 Cor 3, 5 etc.
[12] Io 11, 51. [13] Cf. Dt 17, 8—13.

et operibus[a] [?], Omnia quaecunque dixerint[1] Matt. 23. 3 Jubemur honorare malos etiam parentes, improbos principes, et similiter malae uitae praelatos citra discrimen ullum. Obedite praepos. uestris[2]. Applica contra murmurantes[b], detrahentes, maledicos, irridentes, et contra[c] [?] malos etiam bonos insectantes, qui sunt filij[d] Chan nudantes uerenda patris[3], 2 similes Chorae, Dathan, Abyron[e] [4] et similes pueris illudentibus Eliseum · et idcirco punitis[f] 4 Reg. 2[5]. Quid mihi cum Papa, cum Episcopo .R.[6] —[g] tibi cum ordinatione Dei[7], qui uult se audiri in[h] suis uicarijs et ministris?[8] Si boni sunt[i], et bene praesunt duplici honore digni[9] sunt, et[k] ue tibi si iuxta eorum doctrinam non credideris et feceris, et iuxta exemplum non te correxeris. Sin malae uitae sunt, non sunt peiores Phariseis, non Juda, non Caypha, et tamen illos audiri voluit Christus[l] docentes in cathedra sed non uitam spectari[10]. Honorem illis debes et reuerentiam non ob merita[m], iustitiam, sanctitatem sed ob officium quia a Deo constituti patres spirituales[n] [11] pastores ouium[12], principes populorum[13], uicarij Christi[14], successores Apostolorum[o], dispensatores myster.[15] reddituri rationem[16] pro subditis. Judeis praeceptum erat in summo honore Pontificem habere sub pena mortis, si quis illis resisteret uel contradiceret[17] [p] · principi populi tui non male dices[18]. Non requiret Christus a te quomodo Episcopus uixerit et satisfecerit muneri suo: requiret autem[q], quam obediens fueris[r] ouis sub tuo pastore, si Christum ipsum in uicario audieris et honoraris[s], eum excusaris potius quam accusaris[t], si praeterea illi debitas decimas solueris uel alias oblationes preces et compassionem[u].

1240. 17. vel 18. Aprilis 1579.

Ex orationis commentario, cuius Canisius partem magnam ipse scripsit, reliquam autem dictavit et recognovit; Can. 29 f. 75[b]—78[a]. Orationis partem typis exscripsit *Schlosser* l. c. 103—104.

Oratio a Canisio Landishuti ad sacras virgines habita.

In codice contionum quadragesimalium a. 1579 a Canisio Landishuti (Landshut, Bavariae inferioris caput) habitarum orationem die Parasceves de passione et morte Christi ad populum habitam sequitur oratio sic inscripta „Circa Sepulturam ad religiosas". Quam aut vespere diei Parasceves, aut sabbato sancto (17. aut 18. Aprilis) habitam esse intellegitur ex ipsius orationis argumento. Canisius enim, quid Maria in Christi passione et sepultura egerit et tulerit, et quid Ioseph ab Arimathaea in Christo sepeliendo praestiterit, narrat et ad imitandum proponit; singulariter autem hanc tractat quaestionem: Cur bonum est religiosos includi, praesertim feminas. *Monet etiam,* quantum sit bonum diuinitus uocari ad religionem, et rursus quantum sit malum a tali vocatione deficere. Jlli optimi inueniuntur, hi pessimi esse solent. . . .

a) *Hoc v. obscurius scriptum est.* b) *Quae sequuntur, usque ad* insectantes *incl., a C. in margine addita sunt.* c) *Obscurius scriptum.* d) *Sequitur* Japhet, *a C. oblitt.* e) *C., quae sequuntur, usque ad* Quid mihi *excl., in margine addidit.* f) puniti *C.* g) *Sequitur* Quid *a C. oblitteratum, superscripto verbo, quod legi non potest.* h) *Sic corrigendum esse* a, *quod C. scripsit, res ipsa ostendit.* i) *Sequuntur vv.* duplici hono, *a C. oblitt.* k) *Sequuntur vv.* pastores animarum et successores, *a C. oblitt.* l) *Tria vv. sqq. a C. in margine addita sunt.* m) *C. 2 vv. sqq. in margine scripsit; quae hoc loco videntur esse addenda.* n) *C. hoc v. in margine addidit.* o) *Duo vv. sqq. a C. in margine addita sunt.* p) *Sex vv. sqq. a C. in margine addita sunt.* q) *Sequuntur vv.* qualis fueris et, *a C. oblitt.* r) *A C. supra versum scriptum.* s) *Sequuntur vv.* si pro illo gratiam petiueris, et, *a C. oblitt.* t) *Quae sequuntur, a C. in margine addita sunt.* u) *Sequuntur vv.* pro eo adhibueris, *a C. oblitt.*

---

[1] Sequitur: „servate, et facite": Mt 23, 3. [2] Hebr 13, 17.
[3] Gn 9, 22. [4] Cf. Nm 16. 1—35. [5] Cf. 4 Rg 2, 23 24.
[6] Id est: Respondeo. [7] Rom 13, 2. [8] Cf. Lc 10, 16.
[9] 1 Tim 5, 17. [10] Cf. Mt 23, 3. [11] Cf. 1 Cor 4, 15.
[12] Cf. Ier 3, 15; Io 21, 15—17; Eph 4, 11: 1 Petr. 5, 2 etc.
[13] Cf. Ex 18, 25; 22, 28; Act 23, 5 etc. [14] Cf. Lc 10, 16; 2 Cor 5, 20 etc.
[15] 1 Cor 4, 1. [16] Hebr 13, 17. [17] Cf. Dt 17, 12.
[18] Ex 22, 28; Act 23, 5.

Signa deficientium Religiosorum, Si mundi amore et negotijs delectentur et cum mundanis libenter conuersentur, 2° si magis amant propria quam communia. 3. Si nimium sibi indulgeant et delicatae *[sic]* sunt in cura corporis, alieni a vitae austeritate, et carnis mortificatione, 3 *[sic]* Si querant et ament dispensationes circa regulas suas. 4. Si non seruant linguam, oculos et aures sub disciplina 5. Si nimium sint prudentes in suo sensu, sicut Judas inter apostolos, libenter murmurans contra magdalenam [1] 6. Si otium ament magis quam laborem, et tempus consumant inaniter. Vae religiosis inobedientibus et murmurantibus.

Dubitari vix potest, quin orationem hanc Canisius habuerit ad sacras virgines cistercienses monasterii illius, quod cum nomine „Seligenthal" Landishuti usque adhuc floret; hoc enim Bavariae ducibus inprimis carum erat; nam circa a. 1232 a Ludmilla, vidua Ludovici Kelhemiensis, ducis Bavariae, fundatum erat, et in eius templo multorum principum bavarorum corpora sepulta erant (*Franc. Seb. Meidinger*, Historische Beschreibung der kurfürstl. Haupt- und Regierungs-Städte in Niederbaiern Landshut und Straubing, Landshut 1787, 91—104).

1241. **17. Aprilis 1579.**

Ex contionis commentario, a Canisio dictato et recognito; Can. 29 f. 70.

Canisius Landishuti de passione Christi verba faciens Longini caecitatem sanatam, vulnerum et spinarum Christi numerum, Veronicae sudarium, similia commemorat.

Canisius in oratione sacra, quam Landishuti a. 1579 die Parasceves sive 17. Aprilis habuit, haec, praeter alia, de Christi passione notavit: Nullus existimare debet scripta esse omnia quae Christus post vltimam coenam cum in anima, cum in corpore pro nobis est passus, Sed Euangelistae plurima reliquerunt intacta, et breuiter tantum praecipuas huius passionis partes, non tam describere quam indicare voluerunt. . . . Antiqui vero multo plura quae ad historiam spectabant annotarunt, siue ab Apostolis didicerunt [a], siue per S. [2] Sanctum illa sibi reuelata acceperunt. Vt, quod Christus a nona vsque ad vesperam in cruce tribus horis pependerit [3], et quod corpus Domini de cruce depositum non fuerit vnctum et sepultum, nisi prius in sinu matris poneretur, multis amicis circa plorantibus, sicut [mortuo Stephano] [b] fecerunt Viri timorati planctum magnum super eum [4]. Dexter [c] latro in cruce saluatus · 2° dicunt antiqui quod Christus in corpore habuerit vulnera 6666, nullumque locum mansisse non vulneratum vnd verzert [d]. Jtem corona habuit 77 stachel, totum operiens caput. Item quod nullam sanguinis gutam retinuerit in corpore, sed totum sanguinem in salutem hominis profuderit [e]. Nullum habuit membrum sine peculiari dolore, et plus doluisse Christum intus quam foris · imo paratum esse iterum crucifigi, antequam aliquis moriatur in peccato. 3° Credunt et dicunt Longinum coecum fuisse militem qui lancea latus Christi aperuerit, et hinc visum eius fuisse restitutum. Jtem Veronicam piam mulierem venisse ad Christum, cum deportaret crucem, et illi obtulisse pannum lineum ad faciem sanguinolentam extergendam: ita factum esse, vt Christus accepto panno suam faciem impresserit et impressam [f] reliquerit miraculose. 4° Dicunt Christum in cruce passum esse tam miseram diruptionem Zertrennung membrorum, vt nullum manserit in loco suo debito, et humanitatem suam tam fuisse debilem vt nullam sentiret membrorum potestatem, nisi tantum oculorum et linguae, Omitto alia id genus multa nobis consideranda in hac passione, licet in Euangelio scripta non sunt, quae in Christi dicto

a) *Sic Can. ipse correxit ex* accepelis, *quod libr. scripserat.* b) *Haec vel similia supplenda esse res ipsa suadet; cf. infra, adnot. 4.* c) *Hoc v. et 4 sqq. a Can. ipso in margine addita sunt.* d) *Quae sequuntur, usque ad* caput *incl., Can. sua manu in margine scripsit.* e) *Quae sequuntur, usque ad* in peccato *incl., a Can. ipso in margine addita sunt.* f) *Sic corrigendum esse videtur* impressit, *quod libr. posuit.*

[1] Cf. Io 12, 1—6. [2] Id est: Spiritum.

[3] Loquitur de Christo hora fere nona sive post meridiem tertia mortuo (Mt 27, 45—50; Mc 15, 24—37; Lc 23, 44—46). [4] Act 8, 2.

et querela possunt includi. O vos omnes qui transitis per viam attendite et videte, si est dolor sicut dolor meus[1]. Jtem, Corpus meum dedi percutientibus et faciem meam non auerti ab increpantibus et conspuentibus in me[2].

Haec plene explicare neque officium mihi est, neque vacat. Pauca adnotabo. Patet Canisium pro illius aetatis more narrationibus quibusdam pietatis speciem prae se ferentibus, minus tamen probatis, facilius fidem adiunxisse. Ut de caeco illo milite, qui cum Christo lanceam in pectus infixisset, visum recepisset. Quam sanationem, praeter alios, *Petrus Comestor* O. S. Aug. († 1179 [1198?]) narraverat (Historia Scholastica, Hist. Evang. cap. 179 [*Migne*, P. lat. CXCVIII 1633—1634]), *Beatus Ioannes Baptista Spagnoli* sive Mantuanus († 1516) O. Carm., poëta eo tempore clarissimus, carmine celebraverat, medii aevi pictores sculptoresque haud raro figuris expresserant (*Acta Sanctorum* Martii, II [Antverpiae 1668] 378—379: *E. F. A. Münzenberger* et *St. Beissel* S. J., Zur Kenntniß und Würdigung der Mittelalterlichen Altäre Deutschlands II [Frankfurt a. M. 1899—1901] 67 68—69 75). Atque aliqui ab ipso S. Gregorio Nazianzeno — hunc enim carminis de „Christo patiente" auctorem ducebant — factum illud testatum esse putabant, loco quodam carminis perperam in latinum verso decepti (*Acta Sanctorum* l. c. p. 379; *Sebast. Barradius* S. J., Commentarii in concordiam et historiam quatuor Euangelistarum, tom. IV [Moguntiae 1618], l. 7, c. 22, p. 322). Neque scio, num ante *Caesarem Baronium* catholicus quisquam relationes illas „apocryphas" esse neque ullam fidem habere palam affirmaverit (Annales ecclesiastici, tom. I [primum editus Romae a. 1588] in a. Chr. 34, n. 131 [Moguntiae 1601], col. 238).

Certo quoque numero vulnerum Christi constituendo illis temporibus pii delectabantur. Ita *Sancta Gertrudis* „Magna" († sub al 1302) O. Cist. refert, aliquando, cum ipsa „in salutationem celeberrimorum vulnerum totius corporis Domini Jesu quinque millibus quadringentis sexaginta sex vicibus" versiculum quendam legisset, Christum sibi visum esse, „super quodlibet vulnus suum habentem flores aureo splendore coruscantes" et illam pietatem suam laudasse: Insinuationes divinae pietatis l. 4, c. 35. (Insinuationes divinae pietatis sive Legatus memorialis divinae pietatis, ed. *Laur. Clement* O. S. B. [Salisburgi 1662], p. 534—535)[3]. Item *Ludolphus de Saxonia* († post a. 1340) O. Cart., in praeclara illa „Vita Jesu Christi Redemptoris nostri": „Cuidam etiam", inquit, „seni matronae reclusae multitudinem et numerum omnium vulnerum Christi scire cupienti, et pro hac flebiliter deum oranti, vox coelica missa dixit: Quinque millia quadringenta nonaginta vulnera mei corporis extiterunt." Atque notat *Ludolphus:* „Tot quippe fuerunt vulnera Christi accipiendo videlicet, quamlibet plagam flagellationis pro vulnere vno: et puncturam cuiuslibet spinae pro vno" (P. 2, c. 58. In editione Venetiis a. 1568 vulgata f. 430). Atque doctissimus ille *Ioannes Eckius* († 1543), universitatis ingolstadiensis theologus, in „Passione Domini" a. 1512 „ad plebem Ingolstadij declamata" (Art. ıv., Consid. 3): „Referunt doctores, dominum cuidam homini pio religiosius passionem eius meditanti reuelasse, quod in corpore suo vulnera habuerit quinquies mille, trecenta, septuaginta quinque" (Homiliae aduersus quoscunque nostri temporis haereticos, super Euangelia de tempore, ab Aduentu, vsque ad Pascha · I [Parisiis 1549] f. 249a; cf. etiam f. 232b). Alii alium vulnerum vel verberum numerum tradidisse dicuntur; ita *Sancta Birgitta* († 1373) 5474 vel 5475[4], *Sanctus Bernardus* numerum, quem Canisius ponit, 6666

[1] Thr 1, 12. [2] Is 50, 6.

[3] Similiter „Sanctae Gertrudis Magnae Legatus divinae pietatis, *Solesmiensium O. S. B. Monachorum* cura et opera", Pictavi et Parisiis 1875, 399. B. Mechtildem „salutavit" Christus „per singula vulnera sanctissimi corporis sui, quae dicuntur esse numero 5490": *Sanctae Mechtildis* Liber specialis gratiae, *Solesmiensium O. S. B. Monachorum* cura et opera, Pictavi et Parisiis 1877, 400.

[4] Numerum 5475 ponit etiam *Ioannes Iustus Lanspergius* († 1539) O. Cart. (Sermones in Evangelia et Epistolas I, Coloniae 1609, 330).

posuisse feruntur (*Die Geistliche Stadt Gottes.* A. d. Spanischen übersetzt. III [Regensburg 1886] 541³ [adnotatio interpretis]); feruntur [1], inquam, neque enim ita facile fuerit, singulos hosce numeros in Sanctorum illorum libris, qui nunc exstant, reperire. Serva Dei *Maria de Agreda* O. Min. 5115 plagas salvatori illatas esse asseruit (Die Geistliche Stadt Gottes III 541). Harum autem et similium revelationum discrepantiam multi se tollere posse existimant, cum eas pie ac modeste interpretando modo vulnera tantum flagellis inflicta, modo alia quoque, ut quae per coronam spineam, per clavos etc. Christo illata sint, significari dicant.

De quibus numeris inter theologos alii aliter sensuerunt; ut insignis ille *Ludovicus Granatensis* († 1588) O. Pr.: „In te, o bone Iesu“, inquit, „scelerati isti homines violarunt omnem legem misericordiae . . ., vt in loco quadraginta plagarum tibi dederint quinque millia, et plures etiam, vt multi Doctores testantur: De Oratione et Meditatione lib. 1., Die Merc., de flag. (Operum Tomus III [Coloniae Agrippinae 1626], p. 173); *Ioannes a Sylveira* († 1687) O. Carm. se „reuelationi S. Birgittae adhaerere“, cum aliqua tamen dubitatione, affirmat (Commentaria in Textum Evangelicum V [Ed. 4., Lugduni 1679] l. VIII, cap. 10, qu. 8, n. 43, p. 509); *Cornelius a Lapide* († 1637) S. J. „numerum hunc incertum esse“ scribit (Commentarius in quatuor Evangelia I [Antverpiae 1639], in Matth. 27, 26, p. 524; *Franciscus Suarez* († 1617) S. J.: „Licet verisimilius sit flagella multum excessisse quadragenarium numerum, . . . tamen quantus fuerit ille numerus, affirmare non possumus“ (Commentarii ac Disputationes in tertiam partem Divi Thomae, Tom. II, Qu. XLVI, art. 8, disp. 35, s. 2 [Moguntiae 1604], p. 347). Atque iam aliquanto ante *Alphonsus Salmeron* († 1585) S. J.: „Verisimile non est“, tantum fuisse „ictuum numerum“: Commentarii in Evangelicam Historiam, et in Acta Apostolorum, Tom. X (Coloniae Agrippinae 1604), tract. 29, p. 248.

Similiter de Christi corona spinea Sanctus *Vincentius Ferrerius* († 1419) O. Praed. in contione quadam sacro die Parasceves habita: „Eum in capite in 72. locis crudeliter vulneravit“ (S. Vincentii Ferrerii Quadragesimale, ed. *Casp. Erhard* [Augustae Vindelicorum 1729], serm. 64, p. 223). Quam sententiam alii non solum probaverunt, sed eo etiam confirmare conati sunt, quod in lintei illius sive „sindonis“ taurinensis, qua corpus Christi ex cruce depositum involutum esse dicebant, parte illa, quae ad Christi caput spectasset, 72 magnae sanguinis guttae apparerent (*Martinus von Cochem* O. Cap., Das Kleine Leben Christi [Franckfurt 1683] 54. Cap., p. 532). Verum *Iacobus Gretser* († 1625) S. J. de spinarum earundem numero: „Res haec incerta est; hoc constat, satis multas fuisse“ (De Sancta Cruce lib. 1, cap. 12. Opera omnia I [Ratisbonae 1734], 20). Quae etiam probat *Ch. Rohault de Fleury*, Mémoire sur les Instruments de la Passion de N.-S. J.-C. (Paris 1870) 201.

Nec tamen, quicquid Canisius in capite illo affirmat, fabulosum vocari potest; nam, ut vel unum exemplum ponam, Christum ex cruce detractum in matris sinu vel gremio positum esse, in evangeliis quidem non narratur, communi tamen fidelium sensu et virorum doctorum suffragiis et ecclesiae liturgia atque ipsa, ut ita dicam, rerum natura comprobatur; quare tuto certoque hoc affirmari potest, etiamsi quis neque *Sanctae Birgittae* auctoritate moveatur se id vidisse asserentis (Revelationes caelestes (lib. VII, cap. 15, n. 4.; ed. *Sim. Hörmann* O. SS. Salv. [Monachii 1680], Rev. p. 598), neque Sancti Bernardi esse concedat sermonem illum „De lamentatione virginis Mariae“, qui cum eius nomine circumfertur et Mariam exhibet „in gremio suo“ Christi mortui corpus „tenentem“ (*Sancti Bernardi* Claraevallensis Opera omnia [Antverpiae 1616] col. 160—161).

Ceterum ipse Canisius Augustae 2. Februarii 1562 ex ecclesiae cathedralis suggestu fideles monuerat, ut si quae ipsis referrentur revelationes, „apparitiones“, miracula, haud ita facile ea crederent, sed res examinarent etc. (*Can.* III 636

---

[1] Vulnera Christi 6666 etiam apud Amet ben Abdalla scriptorem arabem comparere affirmat *Schreiber,* Manuel de l'Amateur de la Gravure sur bois I, Berlin 1891, 82.

ad 638). Cum igitur Canisius hoc loco veteres „multo plura“, quam quae in sacra Scriptura sint, de historia passionis Christi vel „ab apostolis didicisse“, vel „per Spiritum sanctum sibi revelata accepisse“ affirmat, longe abest, ut ille haec omnia ad traditionem, quam theologi vocant, „divinam“, et ad revelationem illam publicam pertinere dicat, cui omnes homines, si salvi esse velint, fidem adhibere debeant · Cui rei etiam hoc potest esse argumento, quod Canisius, postquam in oratione hac numeros illos vulnerum, spinarum etc. breviter commemoravit, his rebus relictis passionem Christi ex ipsis evangeliis copiose enarravit.

Canisius certe revelationes eiusmodi privatas in reliquis contionibus raro tantum et breviter attigit, in libris catecheticis omnino praetermisit. Caeterum de revelationibus privatis vide *Em. Michael* S. J., Geschichte des deutschen Volkes III [1-3], Freiburg i. Br. 1903, 203—211, et *Aug. Poulain* S. J., Des grâces d'oraison. Traité de théologie mystique, 4e éd., Paris 1901, chap. 20—22, p. 285—337.

1242. A d. 2. ad 9. Maii 1579.

Ex Actorum congregationis exemplo, a. 1587 pro provincia Germaniae superioris (ex Actis, ut videtur, authenticis) scripto, quod exstat in Cod. „B. 10“ p. 33—35. Authentica autem illa Acta perisse videntur; cf. supra p. 756.

Canisius Augustae congregationi provinciae S. J. Germaniae superioris interest; deligitur ad seligendum proponenda et ad colligendum dubia de facultatibus sacris ac res historicas. Facultates. Novae regulae.

„Acta Quintae Congregationis Prouincialis celebratae Augustae Anno M. D. LXXIX ad eligendum Procuratorem, qui ad R. P. N. Generalem [1] mittendus est.

Dies secundus Maij fuit terminus ad quem omnes adesse iussi sunt Augustae Vindelicorum, qui interesse Congregationj debent, et quidem eo die affuerunt.

Postridie eius diej qui fuit tertius Maij hora tertia pomeridiana conuenerunt omnes ad locum designatum, et praeeunte R. P. Prouincialj .P. Paulo Hoffaeo, recitatus est flexis genibus hymnus : Veni Creator Spiritus : cum oratione de S. Spiritu. Deinde consederunt Patres Professi quatuor Votorum ad dexteram R. P. Prouincialis, quorum nomina sunt ista: P. Petrus Canisius. P. Theodoricus Canisius Rector Dilinganus. P. Hieronymus Torrensis. P. Gregorius Rosephius Superior Residentiae Augustanae. P. Casparus Heyuodus. P. Theodorus Peltanus. P. Henricus Arboreus Rector Halensis. P. Ioannes Rabenstain Rector Oenipontanus. P. Martinus Leubenstain Rector Lucernensis. Ad sinistram uero eiusdem P. Prouincialis consederunt: P. Bonauentura Paradinas Superior Domus Nouitiorum Landspergae. P. Wendelinus Volckius Rector Jngolstadiensis. P. Ferdinandus Alber Rector Monachiensis.

Consedentibus omnibus suo loco, exhortationem ad praesentes habuit R. P. Prouincialis, qua indicatis breuiter ijs, quae in Congregatione tractanda essent, ad synceritatem, pacem, et charitatem mutuam omnes hortatus est.

Deinde congregationem legitimam censendam esse omnes iudicarunt; electi autem sunt secretarius congregationis P. Theodoricus Canisius et eius adiutor P. Ferdinandus Alber. Consecuta est electio duorum Patrum, qui cum P. Prouincialj seligant proponenda in Congregatione prouincialj: Et primo scrutinio ad plura suffragia electus est P. Petrus Canisius, secundo vero similiter electus est P. Ioannes Rabenstain. Tandem praefinitus est tertius dies, a die quo aperta est Congregatio ad eligendum Procuratorem, idque communj omnium consensu: atque ita discessum est.

Die sexta Maij ante meridiem . . . electus est in Procuratorem R. P. Martinus Leubenstain: et . . . in Substitutum R. P. Gregorius Rosephius. Decretum deinde est post electionem ad plura suffragia, ut ante meridiem diej proxime sequentis, omnes afferant ad deputatos, quae Congregationi proponenda iudicauerint. Die septima Maij . . . actum . . . est de rationibus, quae suadere uel dissuadere possunt Congregationem Generalem. Deputati postea sunt ad plura suffragia duo Patres

[1] Everardum Mercurianum.

scilicet P. Petrus Canisius, et P. Hieronymus Torrensis: qui colligant dubia uel difficultates si quae occurrant circa usum compendij facultatum Apostolicarum, ex Vrbe ante biennium ad nos missj [1]. Deputati item eadem ratione duo alij, qui similia colligant circa nouum Summarium Constitutionum et nouas aliquot regulas [2] scilicet P. Casparus Heyuodus, et P. Bonauentura Paradinas. Deputati similiter et alij duo scilicet P. Petrus Canisius, et P. Bonauentura Paradinas, qui colligant et in ordinem redigant insigniores vocationes, defectiones, et similia [3].

Visum praeterea est rogare maiorem in modum R. P. N. Generalem, ut cum in Germania Superiore, haeresibus et censuris plena sint fere omnia, . . . quae in beneficium Germanorum Summus Pontifex Societatj benigne concessit, sua paternitas augere potius, quam restringere dignetur [4].

Octaua et nona die Maij lecta sunt quae Patres attulerunt circa nouas Regulas et compendium facultatum Apostolicarum: sed quia pleraeque regulae recens ex Vrbe allatae in Collegijs nec uisae nec in usu adhuc fuere, et plures etiam expectantur, placuit Congregationi, ea quae circa ista Reuerendo admodum N. P. proponenda forte fuissent R. P. Prouincialj commendare, ut una cum alijs, quae interea forte occurrent Procuratorj abituro consignanda curet. Jdem uisum est faciendum de ijs, quae circa insigniores nostrorum vocationes et defectiones notata sunt, et interea forte notabuntur."

Mercurianus respondit ad ea, quae de haereticorum absolutione petita erant: „Habent nostrj in ea Prouincia facultatem absoluendi ab haeresi quos iudicauerint, et eandem etiam curabimus ut externi habeant, quotiescunque Prouincialis auditis Consultoribus in particulari personas aliquas proposuerit, quibus ea recte committj

---

[1] „Compendium facultatum et gratiarum Societatis Iesu", Venetiis 1577, 8°, 71 pp. (*Sommervogel* l. c. V 92).

[2] Mercurianus, ut decretis congregationum generalium Societatis (Congr. I decr. 133 post el.; II decr. post el. 28 57 66; III decr. 27 post el.; *Institutum* S. J. II 185—186 201 206 208 225) satisfaceret, regulas susceperat recognoscendas et contrahendas. Cui *Hoffaeus* 20. Iunii 1578 Monachio *scripsit: „Quas P. V. 23. Maij ad me dedit, accepi, vna cum Regulis Sacerdotum, Concionatorum, Consultorum et Admonitoris. Jtem formam conficiendi Catalogos. Sed formulam scribendi, quam P. V. significat ante se misisse, nondum accepi, vt verear ne intercepta sit (ex autogr.; Germ. 157 f. 37[a]). Et in litterarum aliorumque scriptorum Roma iussu praepositi generalis in varia Societatis loca missarum **Indiculo* Romae in domo professa Societatis scripto haec sunt: „1578 . . . A di XI. di ottobre si mandorono le regole de missionibus Roma . . . Germania superiore . . . A di 14. di decembre si mandò jl Sumario delle constitutioni nostre nuouamente emendato à tutte le prouinciae. . . . 1579 . . . Si sono mandate a tutte le prouincie le regole communi, del Ministro, Sottoministro, et Rettore. . . . Nel decembre si sono mandate a Napoli le regule seguenti Dispensatoris · Emptoris · Excitatoris · Noctu cubicula visitantis · Subministri · Praefecti bibliothecae · Janitoris · Praefecti Refectorij et Coqui" (Hist. Soc. 42, Divv. ordd. in a. 1578 et 1579).

[3] Haec ad Societatis historiam conscribendam spectabant; nam in **Indiculo* quem supra dixi, haec sunt in a. 1573: „A di 25. di giugno si diede una comune sopra le uocationi et uirtù insigni di quelli della Compagnia et di quelli che son usciti, et sopra l'auisar N. P. G. del aggiongere, ò minuere aliquid al libro della uita del P. Ignatio à tutti li Prouinciali che furono alla Congregatione generale etc." (Hist. Soc. 42, Divv. ordd. in a. 1573).

[4] Potissimum significatur id quod Gregorius XIII. concesserat: Ut per provinciales ex commissione generalis praepositi cum externis sacerdotibus communicari posset potestas absolvendi (in foro interno) ab haeresi et lectione librorum prohibitorum (quae cum excommunicatione, quam solus pontifex solvere posset, coniuncta erant); Mercurianus autem eius facultatis usum, seclusis provincialibus, sibi reservaverat et parcissime ea utebatur; v. supra p. 437 677.

posse uideatur.“ *Idem:* „Accepimus“, inquit, „obseruationes in regulas, cum insignioribus nostrorum vocationibus, quas ad nos Prouincialis nomine Congregationis, per Procuratorem transmisit, quas cum per tempus licuerit, examinabimus“ (ex „Responsionum“ apographo, a. 1587 scripto, B. 10, p. 36). Tandem Mercuriano 1. Augusti 1580 mortuo *Oliverius Manareus* vicarius generalis Hoffaeo Roma 24. Augusti 1580 *scripsit: „Regulae nouae impressae mittentur quam primum, ita enim iusserat Noster P. et iam in aliquas prouincias missae sunt. Eae etiam imprimi poterunt et Latinae, ut sunt, et Germanice uersae · sed uersionem commodum erit si [R. V.] primum committat iuris peritis, ipsaque recognoscet, deinde etiam communicet cum Prouincialibus ubi eadem lingua quae istic in usu est, ne sit in eodem idiomate diuersitas. Curet et ut fideliter uertantur, neque nimis eleganter · Simul et mittetur bulla coenae“ (ex comm.; Rh. Inf. 1, II f. 46[b]).

1243. Ab exeunte a. 1579 ad Maium a. 1580.

Ex Priscianensis et Theodorici Canisii epistulis autographis et ex commentario litterarum Mercuriani. Germ. 158 f. 10[b] 11[a] 161[a] et Rh. Inf. 1, II f. 38[a].

Querelae de Canisio; quem praepositus generalis et episcopus augustanus magni faciunt.

P. *Iulius Priscianensis* S. J. florentinus (v. supra p. 98) Dilinga 2. Ianuarii 1580 ad Everardum Mercurianum praepositum generalem (volens, puto, suo „consultoris rectoris“ officio satisfacere) longissimam misit epistulam, in qua multa recensebat, quae sibi viderentur ibi esse reformanda (cf. supra p. 518); queritur Priscianensis etiam de „P. Canisio“, Petrum Canisium significans, qui a m. Novembri a. 1579 Dilingae morabatur (v. supra p. 521); queritur item de collegii universitatisque rectore, qui erat P. Theodoricus Canisius Petri frater ex patre; sic enim scribit: „Pochi giorni fa, uolendo il nostro P. Prouinciale[1] trasferir il nostro Casista[2] in altro luogo, et dicendo io che per 2 uolte la settimana poteua il P. Rettore pigliar tal lettione rispose il P. Canisio che cio era contra decorum. Jo per dir il uero non intendo questo parlare et è usanza communissima che i Rettori habbino qualch' altra cosa da fare, et cio par massime si possa in queste bande. . . . Jntendo anco che niun Rettore ha uolentieri il P. Canisio in suo Collegio, perche scriue molto di loro a' Superiori e del suo fratello il qual' e 'l nostro Rettore, niente · anzi lo porta per esempio, e riprende in altri che non tenghino lo stilo del P. Teodorico. E perche si sa che 'l P. Canisio ha credito non s' ha ardire di toccar il suo fratello. Dio perdoni a chi uenessero simil concetti o siano ueri o falsi.“

Aliter vero de Petro Canisio non solum Theodoricus Canisius collegii rector, sed etiam Mercurianus praepositus generalis Societatis et Marquardus a Berg episcopus augustanus, qui Dilingae sedem habebat, sentiebant; nam *Mercurianus* Roma 16. Februarii 1580 Theodorico Canisio ad eius litteras 9. Ianuarii 1580 datas (quae perierunt) respondens: „P. Petrum Canisium“, inquit, „istic substitisse gratum mihi fuit. Spero enim eius praesentiam consolationi, et mores

[1] Hoffaeus. [2] Professorem „casuum conscientiae“ sive theologiae moralis.

aedificationi omnibus fore." Et Dilinga 24. Maii 1580 *Theodoricus Canisius* ad Mercurianum haec rettulit: „Reuerendissimus noster satis familiariter consilijs et opera Reuerendi P. Petri Canisij aliquoties vsus est, et gaudere se ostendit propter impetratum Augustae Collegium."

Caeteroquin quid de suspicionibus et criminationibus Sociorum aliquot in Petrum Canisium male affectorum sentiendum sit, in huius voluminis „Prooemio" dicitur.

1244. 1579. 1580.

Ex autographo. Can. 10 p. 176 129. *Schlosser* l. c. 400 posuit maiorem horum commentariolorum partem; de qua re plura paullo infra dicentur.

Confessiones. Proposita.

Canisius in libello suo ipsius usui destinato et conscripto haec notavit:

1579. Renouatio uotorum facta post confess. generalem 17 Junij habitam cum proposito quiescendi in praesenti statu iuxta superiorum dispositionem.

2 paucis intendendi iuxta consilium sapientis[1].

3 saepius gratias agendi et laudandi dominum[a] in omni euentu. Psal. 33[2].

4 diuinam petendi gratiam et formandi intentiones in particulari.

5 Maiorem libertatem assumendi erga omnes, ne sis seruus agendorum[b].

1580 7 Julij confessio generalis Halae cum proposito simplicitatis et abrenunciationis.

Canisius hoc tempore „socium" agebat P. Pauli Hoffaei praepositi provincialis Germaniae superioris; quem m. Iunio 1579 in visitatione collegii monacensis et m. Julio 1580 in visitatione collegii halensis adiuvabat (v. supra p. 511 542). Confessiones autem illae „generales" non totius vitae, sed anni superioris erant (v. supra p. 511 [2]).

Labitur *Schlosser*, cum verba illa „Renouatio uotorum facta" in verba „Renovavimus vota nostra" immutando et alia quoque mutando „propositum" illud exordium facit „brevis allocutionis post renovationem votorum factam"; nam propositum hoc unius Canisii, non omnium sodalium monacensium fuisse, et ipsarum rerum propositarum consideratione, et huius propositi cum proposito anni 1580 collatione cognoscitur. Utrum autem ea, quae et apud Schlosser et in ipso Codice sequuntur („Obtulimus" etc.), Canisius sibi soli expendenda, an sodalibus quoque dicenda notaverit, mihi quidem incertum est.

1245. 1579. 1580.

Fischart satiricus et Canisii catechismum et eiusdem exorcismum deridet.

Ioannes Fischart (circa a. 1550 Argentorati vel Moguntiae natus, a. 1574 Basileae doctor iuris creatus, a. 1589/90 Forbaci [Forbach] in Lotharingia mortuus), inconstantis abiectique animi homo et catholicarum rerum omnium petulans irrisor, qui tamen inter germanos satirarum scriptores suae aetatis longe maximum nomen consecutus est, primum a. 1579 sine nomine suo edidit librum „Binenkorb des Heyl.

a) Deum *Schlosser*. b) majoremque assumendi spiritus libertatem, ne simus servi *Schl.*

[1] „Quae praecipit tibi Deus, illa cogita semper, et in pluribus operibus eius ne fueris curiosus": Eccli 3, 22.

[2] „Benedicam Domino in omni tempore: semper laus eius in ore meo": Ps 33, 2. Hoc psalmo describitur felicitas eorum, qui in Deo confidunt et ab eo ducuntur.

Römischen Jmenschwarms . . . Zu Christlingen, Anno 1579", qui deinde a. 1580 et saepius recusus est. In ipsa huius editionis principis praefatiuncula Fischart Canisii cognomen gentilicium in risum vertit; in numero enim rerum, quae a Catholicis singulari pietate colantur, ponit die „Canisischen Hundsdorn" (f. A 2ª). In ipso dein libro de ecclesia romana scribit: „Man weys immer wol, das sie das zweyte Gebot, welches das Bildermachen vnd molen verbot, fein aus dem Register der zehen gebot ausgemustert hat, dieweil sie sah, das die ketzer dasselbige zu Nachtheyl der heyligen vnd Sanktinnen, die auf den Altaren inn den kirchwinckeln stehn, wolten zihen vnd deiten. Von disem besehe man den Catechismum, oder die Summ des glaubens aus befehl des Königs aus Spanien zu Antorf getruckt: Jtem Catechismum Canisij des Herren von den Knechten Jesu." etc. Alio autem libri loco primum quidem historiam exorcismi Ottingae Veteris a. 1570 a Canisio facti ex libro Martini Eisengrein (v. *Can.* VI 641—650) narrat; deinde vero exorcismum illum variis rationibus deridet; ut cum scribit, omnium miraculorum maximum in eo esse, quod Iesuitae Ottingae daemonem ita ad virtutem revocassent, ut is Deum vocaret patrem suum et pro catholicis preces funderet etc.; ac Christum quidem daemoni, ut a se recederet, non ut oraret, praecepisse; eiusmodi autem miracula in novissimum tempus dilata et Societati Iesu reservata esse, „so mit dem Teuffel eynen Verstand vnd anstand treffen können. . . . Das sind die letzte Frösch, welche das Thier auff dem Stul ausspeiet, die werden jm wider auff das Küssen helffen. Dise sind die Eycheln Sau, vnd Sau Eß (wie eynmal eyn Teutscher Fürst sagt), welche der Teuffel lang auff den Stich behalten hat" (f. T). Neque veretur *Fischart*, fabulam Iesuitae, qui Augustae, cum daemonis larvam indutus famulam quandam Fuggerorum exterrere vellet, a famulo eorundem occisus sit, et fabulam Iesuitarum, qui Vindobonae se homini mortuo vitam reddere simulaverint (cf. *Duhr,* Jes. I 831), lectoribus obtrudere (f. T). De eo *Wolfgangus Menzel*, historicus acatholicus, scribit: „Seine grösste Wonne war, auf Andere zu schimpfen, Andere zu verspotten, und da der Spott über die römische Kirche fast schon erschöpft war, ergriff er mit Freuden jede Gelegenheit, um als Calvinist, oder überhaupt als ‚Vorgerückter' auch die frommen Lutheraner zu verhöhnen": Geschichte der Deutschen Dichtung II², Leipzig 1875, 136.

1246. 1580.

„SVMMA | DOCTRINÆ | CHRISTIANÆ, | EX POSTREMA RECOGNItione Doctoris PETRI CANISII, | Societatis IESV Theologi. ANTVERPIAE, | Ex officina Christophori Plantini, Architypographi Regij. M. D. LXXX." Cum signo typographico Plantini.

16°; pp. numeris signatae 392; praeterea ff. non sign. in initio 14 (addito titulari) et in fine 12; titulum sequuntur in f. A 2ª—B 6ᵇ litterae dedicatoriae Plantini et reliqua, ut in editione plantiniana anni 1574 (v. supra p. 698); in 12 foliis libri extremi „Auctoris confessio" (2 ff.) et index rerum alphabeticus; in p. 226 imaguncula ligno incisa Christi medii inter duos latrones e cruce pendentis.

Librum vidi Coloniae in bibliotheca maioris seminarii archiepiscopalis. Idem exstat Monachii in bibliotheca nationali et Cracoviae in bibliotheca monasterii Eremitarum S. Augustini. Editionem commemoravit *Sommervogel* l. c. II 625.

1247. 1580.

„Parvus Catechismus Catholicorum" iterum editur latine a. 1580 Coloniae, Cracoviae, Dilingae, germanice a. 1580 (1578? 1579?) Dilingae; item Catechismus minimus a. 1580 (1578? 1579?) Dilingae.

1. „INSTITVTIONES CHRISTIANAE PIETATIS. SEV | PARVVS CATECHISMVS Catholicorum nouis imaginibus exornatus. *Auctore D. PETRO CANIsio, Societatis Iesu Theologo.* | ACCESSERE PRECES Horariae de aeterna DEI Sapientia IE- SV CHRISTO Domino no- stro cum pijs quibusdam et Christianis exercita- tionibus. COLONIAE. Apud Maternum Cholinum. M. D. LXXX. *Cum gratia et priuilegio Caesareae Maiestatis.*" Versus 2, 3, 5, 10, 16, 18 rubri sunt.

16°; pp. numeris sign. 145; praeterea ff. non sign. in initio 16 (addito titulari); titulum sequitur Calendarium (f A 2ª—A 11ᵇ); dein versus illi „Ad Christianum Lectorem“ et „Christianorum pueris“; Canisii praefatio Augusta Vindelicorum m. Maio 1561 data; Ferdinandi I. edictum 10. Decembris 1560 factum. Catechismo ipsi intersertae sunt plus 20 imagunculae ligno incisae; p. 52—61 „Testimonia Scripturae Sacrae, contra haereticos in promptu semper habenda“; p. 61—90 Henrici Susonis preces horariae de aeterna Sapientia, „quas consultissimum foret studiosis adolescentibus quotidie legere“; p. 91—119 „meditationes quotidianae iuxta ordinem dierum hebdomadae“ de virtutibus Christi; p. 119—140 precationes variae; p. 141 ad 145 „Orationes in schola quotidie ante lectionem dicendae“ (in singulos hebdomadis dies distributae).

Librum vidi Herbipoli in bibliotheca monasterii Fratrum Minorum Conventualium. Editionem breviter memoravit *Sommervogel* l. c. II 636.

2. *De Backer* (Bibl. I 1060) haec habet: [R. P. Petri Canisii S. J. Th.] „Parvus Catechismus singulari authoritate S. C. M. editus · Cracoviae, ap. M. Siebeneycher, 1580.“ Brevius etiam hanc editionem posuit *Sommervogel* (l. c. II 636), addito tamen: „8°“. Cf. supra p. 751 802.

3. „INSTITVTIONES | CHRISTIANÆ | PIETATIS. *SEV PARVVS CATECHISMVS* | *CATHOLICORVM.* | *Authore* PETRO CANISIO Socie- tatis IESV Theologo. | *PRECES HORARIAE DE* | *æterna Dei sapientia.* | DILINGÆ *Excudebat Ioannes Mayer.* M. D. Lxxx.“ Versus 2, 3, 8, 9, 12, 14 rubri sunt. Titulus variis figuris marginatus et inclusus est.

16°; ff. sign. 81; reliqua ut in editione dilingana anni 1578; v. supra p. 783; cf. etiam infra, monum. 1248.

Editionem vidi Vindobonae in bibliotheca palatina (18 $\frac{3}{}$ 66). Mentionem eius fecit *Sommervogel* l. c. II 636.

4. Ex praeceptis a Marquardo a Berg episcopo principe augustano (1575—1591) Dilinga 31. Octobris 1580 et 23. Ianuarii 1581 datis, quae infra, monum. 1248, ponentur, intellegitur, Marquardum Canisii catechismum non solum latine, sed etiam germanice excudendum curasse; quae editiones a. 1580, si non paulo ante (1578, 1579), vel etiam annis 1578—1580 semel atque iterum factae esse videntur; neque dubitari potest, quin Dilingae libri illi excusi sint; editus autem est non solum „Parvus Catechismus Catholicorum“, sed etiam Catechismus minimus; nec tamen usquam has editiones neque vidi neque commemoratas repperi.

1248. 1580.

Catechismus Canisii in Transsilvania, in seminario Anglorum duaceno, in scholis templisque episcopatus augustani.

1. Societatis collegio a. 1579 prope Claudiopolim (Kolozsvár, Klausenburg, urbs Transsilvaniae) incohato, editus est „*Catalogus Autorum* qui . . . Auditoribus explicabuntur a professoribus Societatis JESV Colosmonostrae [Kolozsmonostor] ad Claudiopolim, ineunte Anno Domini 1580“. In quo Catalogo haec quoque de Canisii „Summa doctrinae christianae“ et „Parvo Catechismo Catholicorum“ dicuntur: „Diebus festis et ferijs sextis cuiusuis hebdomadae Cathechismus Canisij Maior. cum Controuersiarum huius temporis dilucida explicatione tractabuntur. Jn inferiore autem classe . . . diebus festis, et ferijs sextis, Cathechismus Canisij Minor enarrabitur“ (ex exemplo eiusdem temporis, Romam misso. Germ. 131 f. 379ª; etiam, ex eodem exemplo, apud *Andr. Veress,* Epistolae et Acta Jesuitarum Transylvaniae II, Budapest 1913, 15).

2. Rhemis (Rheims) 16. Septembris 1580 praeclarus ille Guilielmus Alanus (Allen), qui postea cardinalis creatus est, Ioannem Vendivillium, Philippi II. regis in Belgio consiliarium, per litteras edocuit, qua ratione in seminario pontificio duaceno (Douai) 1568 condito (quod ad tempus Rhemos translatum erat) adulescentes ad Angliam laboribus apostolicis iuvandam instituerentur. Scribit igitur *Alanus:*

„Instituuntur omnes", antequam ad maiora perveniant, „diligentissime in omnibus catechismi capitulis ex Canisio". Litteras integras vulgarunt Patres *Oratorii Londinensis* in „The letters and memorials of William Cardinal Allen", London 1882, 52—67; v. p. 65.

3. Canisium a. 1580 a Iacobo Christophoro Blarer a Wartensee, episcopo principe basileensi, Bruntrutum (Pruntrut, Porrentruy), ubi episcopi basileenses tunc sedem habebant, ad catechismum dioecesanum conscribendum arcessitum esse scribit *F. Fiala*, Blarer von Wartensee, in „Wetzer und Welte's Kirchenlexikon" II², Freiburg i. Br. 1883, 903. Neque vero in ullo fonte historico illorum temporum id invenio commemoratum; et anno quidem 1580 Canisium Bruntruti non fuisse satis certum est.

4. Exstat mandatum *Marquardi a Berg*, episcopi principis augustani, „datum in arce nostra Dilingana" 31. Octobris 1580, in quo haec, praeter alia, praecipiuntur: „Ecclesiarum nostrarum Rectoribus, Parochis eorumque administris diserte mandamus, ut posthac singularem rationem et curam habeant Catechismi, eumque non modo in scholis Ludimagistri, sed ipsi etiam in templis, praesertim diebus Dominicis et festis publice, praesertim a prandio, tradant et explicent. . . . Qua ratione curavimus, vere Catholici Catechismi exemplaria non pauca Latine simul et Germanice typis excudi, eius nimirum, qui superioribus annis a Venerabili syncere nobis dilecto Doctore Petro Canisio S. J. theologo editus fuit. Haec autem exemplaria in Parochiis nostris passim extare et ob communem iuventutis populique fructum emi, proponi ac memoriae quoque mandari volumus." Deinde episcopus parochos „vehementer hortatur", ut „Catechismum Romanum nunquam satis laudatum" sibi comparent, „quum ad minoris Catechismi quem diximus et Rituum quoque Ecclesiasticorum explicationem summopere conferat" (*Franc. Xav. Thalhofer*, Beiträge zur Geschichte der Katechese im Bistum Augsburg nach der Glaubensneuerung, in „Katechetische Blätter. Organ des Münchener Katecheten-Vereins" XXVI [Neue Folge, 1. Jahrg.], Kempten 1900, 34—35; cf. etiam *Braun*, Bischöfe von Augsburg IV, 42—43). Ex „modo catechizandi" autem iussu eiusdem Marquardi episcopi Dilinga 23. Ianuarii 1581 edito intellegitur, parochos iussos esse doctrinam christianam diebus sacris populo in templis explicare mane „aus dem deutschen mittleren Catechismo Canisii" et post prandium „aus dem kleinen deutschen Catechismo Canisii" (*Thalhofer* l. c. 35—36; cf. etiam *Braun* l. c. 43—44 et *Fr. X. Thalhofer*, Entwicklung des katholischen Katechismus in Deutschland von Canisius bis Deharbe, Freiburg i. Br. 1899, 7—9). De dilinganis illis catechismi canisiani editionibus v. supra p. 687 765.

1249. 1580.

Canisius in libro „Doctrinae Iesuitarum praecipua capita" Rupellae edito conviciis afficitur.

Rupellae (La Rochelle), quod tunc erat Hugonottorum oppidum munitissimum, primum a. 1580 editum est opus „Doctrinae Iesvitarum praecipva capita, A doctis quibusdam Theologis (quorum libri sequente pagina continentur) retexta, solidis rationibus testimoniisque sacrarum Scripturarum et Doctorum veteris Ecclesiae confutata. Rupellae, Apud Theophilum Regium. M. D. Lxxx." „Alterum eiusmodi tractationum tomum" iam parari affirmat huius tomi editor anonymus in praefatione; in qua haud obscure significat, ex Canisii catechismis Iesuitarum „hypocrisim et impietatem" apparuisse, et in eius „Opere catechistico tot veterum testimonijs referto impudenter doctores ecclesiae in patrocinium errorum iesuiticorum pertrahi" (f. *2). Ponuntur igitur in hoc tomo Martini Chemnitii „Theologiae Iesvitarum praecipua capita", P. Boquini „Assertio veteris ac veri Christianismi", Donati Gotvisi „Fides Iesv et Iesvitarum". Quantis autem iniuriis Canisius in Boquini et Gotvisi scriptis afficiatur, ostenditur supra p. 693 754; et de maledico illo Chemnitii libro copiose actum est *Can.* III 809—814; quanta autem cum levitate et socordia nova haec libri editio facta sit, vel ex eo intellegi potest, quod denuo affirmatur, Societatem a Ioanne Petro Caraffa, qui postea Paulus IV. papa fuit, Venetiis institutam esse (p. 2). De operis „Doctrinae etc." editionibus posterioribus v. supra p. 693.

1250. 1580.

Conficta poenitentiarii pontificii ad Canisium epistula de mulorum romanorum sedicione, eucharistia, pontifex, curia etc. sugillantur.

In lucem emissus est libellus sic inscriptus: „Von der Maulesel Auffrhur zu Rom, auff den Heyl. Fronleichnamstag, den 2. dises lauffenden Monats Junij vorgangen. Für sonderliche fremde Neue Zeitung von jhrer Päpstlichen Heyligkeyt Poenitentiario, oder Beichtvatter, von Rom herauss an den Ehrwürdigen P. C. ordenlich geschriben: Vnd folgender gestallt von der Missif auss gezogen. Getruckt zu Dulingen, bei Andreas Mannbar. Anno M.D.LXXX" (4^0; ff. 4 addito titulari).

Libellus in altera folii titularis pagina sic incipit: „Verteutschter Extract auss eym Brieff von Rom an den Ehrwürdigen Herrn Doctor Petrum Canisium gen Augspurg geschriben, etlicher daselbst zu Rom vorgangener Zeitungen halben." Libelli porro summa brevis haec est: Die sacro Corporis Christi Romae, cum de more sollennis illa pompa eucharistica haberetur, rustici alicuius, qui religionis causa Romam venerat, asinus e loco, cui alligatus erat, se avulsit, in medias vias, per quas pompa habebatur, cucurrit, pie precantium ordines perturbavit. Unde muli quoque, quibus cardinales vehebantur, concitati sunt; quorum alii cardinales suos abiecerunt, alii cum cardinalibus per urbem, magna cum hominum irrisione, vagati sunt; cruces et vexilla confracta; sacerdotes sacris vestibus spoliati; sacrae reliquiae amissae; manus, quam pontifex ad benedicendum populo levabat, lapide percussa; aliquot homines elisi sunt. Existimare se igitur ait „poenitentiarius" ille, bestias illas a daemone aliquo haeretico et hugonottico obsessas fuisse; et affirmat, iam visum esse aequum, ut muli quidem illi urbani per triduum ieiunare cogerentur, asinus autem rusticus, si reperiri posset, castigaretur, sin minus, excommunicaretur. Dein Canisio in memoriam redigit litteras, quas ad se dederit de infaustis eiusmodi pompis temporum superiorum, velut de ea, „darbei der H. Röm. Stul beinach zu schanden worden, als die Päpstin Johanna (welche die Ketzer spöttisch als eyn andere Hebamme Papst Agnes nennen) inn vollem Process eynes Kinds genase" (f. 𝔄. 4^a). Addit etiam, „dominos de Societate" iam coepisse „zu disputirn: Ob es eyn Vergebliche oder Vnvergebliche sünd sei, wann man sagt, S. Paul vnd S. Peter, vnd nicht S. Peter vnd S. Paul" (f. 𝔄 4^b). Quicquid igitur de pompa illa romana accidit, liquet certe, anonymi huius „poenitentiarii" epistulam non esse veram; quae Fischarti (cf. supra p. 818) acerbas facetias redolet, et a protestante aliquo conficta est ad catholicam de Christo in eucharistia praesente doctrinam labefactandam et ad contemptum odiaque Gregorio XIII. pontifici, curiae romanae, Canisio conflanda. Nomina quoque typographi et loci typographiae ficta sunt.

1251. 1580.

Cratepolius O. Min. Conv. Canisii doctrinam et facundiam laudat.

Petrus Cratepoil, Ordinis Minorum Conventualium, ex pago Moers haud procul Iuliaco sito ortus, unde Merssaei vel Mersi cognomen sibi ipse tribuebat, anno 1578 Coloniae evulgavit „Omnium Archi-Episcoporum Coloniensium ac Trevirensium. . . . Catalogum brevemque descriptionem Suffraganeorum item Coepiscoporum Coloniensis Metropolis" etc. Quem librum a. 1580 Coloniae iterum edidit sic inscriptum: „Electorum Ecclesiasticorum, id est, Coloniensium, Moguntinensium ac Treuirensium, a primis vsque ad eos, qui iam praesident, Catalogus. Item, succincta rerum a singulis gestarum narratio. Episcoporum item, qui sub Archiepiscopatu Coloniens. subsunt, id est, Leodiens. Vltraiectens. Monasteriens. Osnaburgens. ac Minden. tum Romanorum Pontificum, qui ex Germania orti fuere, series: quorundam quoque ex Belgio martyrium: vbi et multa iocunda lectu reperiuntur. Opera F. *Petri Merssaei*

Cratepolij, Minoritae. Coloniae Agrippinae, Apud Godefridum Kempensem. Anno M. D. LXXX." Editio haec altera, „Coloniae ex Minoritarum Collegio" 26. Februarii 1580 Gebhardo Truchsessio a Waldburg archiepiscopo electori coloniensi a Cratepolio dedicata, priore „non solum auctior est accessione Moguntinarum rerum, sed in historia Coloniensi longe prolixior et diffusior est", ut ait *Iosephus Hartzheim* (Bibl. Col. 270). Ibi igitur Cratepolius, cum „de quibusdam doctis viris, qui sub" Adolpho de Schauenburg archiepiscopo (1546—1556) „Coloniae floruerunt", agit, in eorum numero sic ponit Canisium: „Petrus Canisius Nouiomagi natus anno Domini 1524[1]. Coloniae concionibus et disputationibus innotuit. Vt commodius studio Theologico posset incumbere, Iesuitarum Collegium est ingressus[2]. Ingolstadij sacrae Theologiae factus est professor et ab Ottone Cardinale, Augustae concionibus praefectus est. Eam functionem dominus Petrus suscepit, atque tanto zelo administrauit, vt passim omnibus innotesceret. Tanta etiam facundia docet, vt Ferdinando[a] Caesari et Pontifici Romano gratus aliquoties ab eis vocatus fuerit" (l. c. p. 139).

Cratepolius vir doctus erat et diligens; qui fortasse Canisium ipse noverat; nam ordinem Minorum Coloniae ingressus est, in universitate coloniensi theologiae baccalaureus factus est, in monasterio coloniensi diu vixit († 1605); cf. *Hartzheim* l. c. 269—270; *Hurter,* Nomenclator III³ 549—550.

1252. Initio anni 1580.

Rotmarus professor ingolstadiensis Canisium laudat.

Valentinus Rotmarus (Rottmaier), laicus ex Bavaria superiore ortus, qui a. 1565 Salisburgo Ingolstadium venit et in ea universitate primum (a. 1569) latinarum litterarum, deinde (1571) poeseos, postea (1574) artis oratoriae professor constitutus est, paulo ante quam e vita cessit, composuit „Annales Ingolstadiensis Academiae" (Ingolstadii M.D.XXC.). In quo opere, postquam Canisium 18. Octobris 1550 universitatis rectorem electum esse (cf. *Can.* I 689—700) narravit, haec de eodem notavit: „De hoc Magnifico Domino Rectore nescio certe, quid scribam. Nam si tantum eius ponam nomen, multis et praestantissimis illius viri, et de Catholica Ecclesia optime promeriti, virtutibus fit iniuria: Si Encomiasticon instituam, luci intulero tenebras. Quid igitur faciam in eo, qui laudari neque a me, neque a disertissimo quoque potest condigne? Remitto lectorem ad illius opera et diserte et erudite, et Catholice hactenus edita. Si quis meliora et maiora, quam ego possum, se praestare confidit, is viderit, quomodo de tanto heroë, tam pio viro, tam forti Ecclesiae Catholicae Athleta bene possit dicere. Ego vnum dixero: Lumen est nostro tempore inter Doctores Ecclesiae. Viuat sibi, viuat Ecclesiae et Religioni Catholicae annos Nestoreos."

Ex Rotmari libro haec exscripta sunt ab *Agricola* l. c. Dec. 1, nr. 184, *Mederer* l. c. I 219, *Jos. Lipowsky,* Geschichte der Jesuiten in Baiern I, München 1816, 57—58.

1253. A m. Ianuario ad Iunium 1580.

Ex Hoffaei, Peltani, Rosephii autographis et ex commentario litterarum Mercuriani; Germ. 158 f. 39ª 62 76ª 148ᵇ 185ª: Rh. Inf. 1, II f. 41ª.

a) *Typographus perperam:* Ferdinandos.

[1] Scribendum fuit: 1521; v. *Can.* I 6.

[2] Hanc Canisio in Societatem ingrediendi causam fuisse certe minus accurate affirmatur; v. *Can.* I 42—45.

Canisius admonitor et socius praepositi provincialis; non restituendus in officium provincialis; viceprovincialis.

1. P. *Paulus Hoffaeus* Germaniae superioris praepositus provincialis Everardo Mercuriano Societatis praeposito generali Monachio 29. Ianuarii 1580 scripsit: „Hoc solum scribendum occurrit me secundum Regulam vix alium consiliarium pro Admonitore et socio habere posse quam R. P. Petrum Canisium: hunc ergo P. V. mihi dignetur constituere.“ Ad haec *Mercurianus* Roma 8. Aprilis 1580 *respondit: „De P. Canisio quem petit [Reuerentia Vestra] Consultorem[a] [?] et admonitorem, approbamus, et concedimus, quod sit, ut speramus fore, ad Domini gloriam.“

De officio admonitoris v. supra p. 88 [7]; de socio provincialis cf. supra p. 301. Certe Hoffaeus optaverat, ut Canisius sibi non qualemcumque „consultorem“ se praestaret, sed eum, qui provincialem per collegia comitaretur et in eorum visitationibus adiuvaret; v. supra p. 409 426. Quare equidem conicio, vitio quodam calami vel memoriae factum esse, ut „Consultorem“ pro „Socium“ scriberetur.

2. Cum tamen Mercurianus m. Februario 1580 Patres Theodorum Peltanum, Gregorium Rosephium, Petrum et Theodoricum Canisios, Hieronymum Torrensem singillatim et secreto, quemnam loco Hoffaei provincialem fieri posse censerent, interrogasset (v. supra p. 532), eorum animis occurrere poterat Petrus Canisius, qui ante Hoffaeum multos annos eo munere functus erat. Verum constat, duorum, si non plurium, animos ab eo consilio alienos fuisse. Exstat certe *epistula a *Peltano* Augusta 28. Februarii 1580 ea de re data, qui: „Statuo“, inquit, „tanquam certissimum, neminem prorsus in tota hac Prouincia esse, qui cum P. Hoffaeo vlla ratione possit conferri. . . . Est denique talis, sub cuius cura et gubernatione res huius prouinciae admirabiliter creuerunt, et ex magna miseria et confusione ad optimum statum reductae sunt. . . . Sunt in hac prouincia praeter illum 9. professi, ex quibus quinque meo iudicio, quod aliorum sententiae lubenter submitto, ad munus prouincialatus sunt prorsus ineptj. Videlicet senior Canisius, P. Arboreus, P. Torres, P. Casparus Anglus [1] et Th. Peltanus, reliqui fiunt quatuor qui videntur habere aliquas partes nimirum Theodoricus Canisius, P. Gregorius, P. Rauenstain et P. Martinus Lubenstain [2]. P. Theodoricus est suauis, et prudens, et in Collegiorum gubernatione diu versatus, sed admodum pusillanimis et desperabundus in aduersis, imo uero in minima fraterculi alicuius tentatione, et fraternj ingenij, cuius gubernationem parum felicem et commodam expertj sumus, aemulus. . . . Jnter quatuor“ illos „primas equidem deferrem P. Theodorico“. *Rosephius* autem Mercuriano Augusta 5. Martii 1580 *scripsit: Tota provincia Germaniae superioris desiderat et petit, ut P. Hoffaeus „in officio relinquatur tantisper, donec bene ab ipso coepta ad bonum finem perducantur. . . . Quis autem substituendus, quando omnino mutari debebit, haereo animo, nec alij, praeter P. Theodoricum canisium et P. Joannem Rabenstein, occurrunt, qui vere sunt prudentes et maturi, ille quidem timidior et facile mobilis in hanc vel illam partem, hic vero fortassis non admodum fratribus et patribus ob morositatem gratus futurus“.

3. Attamen *Hoffaeus* provincialis in Helvetiam abire et interim aliquem, quem ipse „idoneum iudicasset“, in sui locum relinquere a Mercuriano praeposito generali iussus (v. supra p. 533), eidem Mercuriano scripsit Augusta Vindelicorum 7. Maii 1580: „P. Petrum Canisio[b]

a) Socium? *Vide ea, quae sub ipsam hanc litterarum particulam dicuntur.* b) *Sic; scribendum fuit:* Canisium.

---

[1] Petrus Canisius, Henricus Arboreus, Hieronymus Torrensis, Caspar Haivodus.
[2] Gregorius Rosephius, Ioannes Rabenstein, Martinus Leubenstain.

relinquo hic Viceprouincialem dum abero in Heluetia." Et Augusta Vindelicorum 16. Iunii 1580: Octauo Maij hinc Lucernam discessi et 15. Junij Lucerna huc reuersus sum."

1254. A Ianuario ad Novembrem 1580.

Ex epistulis autographis Hoffaei, quae sunt in Germ. 158 f. 20^a—21^a 39^a 70^a 118_b 148^b 258^a 280^b 284^a 310_b, et „Indulgentiarum et facultatum" indiculo ab ignoto scripto atque ab Hoffaeo Romam misso, qui est in Germ. 158 f. 25, et ex commentariis epistularum Mercuriani, quae sunt in Rhen. Inf. 1, II f. 39^b 40^a 43^a. *Duhr* partem unius ex epistulis illis Mercuriani posuit et unam ex epistulis Hoffaei indiculumque illum germanice vertit (Jes. an Fürstenh. 122—123 131[1]; cf. etiam Jes. I 700).

Canisius, quod apud Guilielmum V. Bavariae ducem in causa Mengini confessarii imprudenter se gesserit, accusatur; sed cum praepositi generalis litteris, tum ipso rerum eventu purgatur.

Hoffaeus provincialis ad Mercurianum praepositum generalem Monachio 8. Ianuarii 1580 haec rettulit de Guilielmo V. duce (qui Alberto V. patre a. 1579 mortuo iam Bavariam regebat) et de P. Dominico Mengino S. J., quo Guilielmus et Renata Lotaringa eius uxor, Societatis moderatoribus satis invitis, utebantur confessario (v. supra p. 502): „Voluit (nescio quam ob causam, mortificationis ni fallor) Dux Gulielmus vt ad tempus hic in Aula concionarer: obsequutus sum. Huius principis ingenium non possum intelligere: quo erga nos animo sit dubitare licet: arbitror non optimo et ci darà da far' assaj. Aiunt illum multas Societatis imperfectiones nosse, ac de nobis non optime sentire. Nil ei dico quod P. Dominicum scire nolim: Jn concione illi non parco. Fuj hic per duos menses, volui modum procedendi aulicum et P. Dominici cognoscere, dissimulaui omnia; depraehendi miras artes et mirabiles spiritus, vidi etiam domi sectam nasci: haec cum mihi putem diutius ferenda non esse, coepi hodie Dominicum in ordinem redigere: hinc igitur expecto a Duce quod forte nobis gratum non erit; ego vero Societati studebo et fratrum atque populi aedificationi, nihil veritus vllas Principis indignationes: qui etsi cupiat omnes religiosos et ecclesiasticos esse reformatos, nobis tamen videtur fore paulo iniquior et formidabilis, quod habeat nos pro non sinceris: ego vero (adiuuet me Deus) operam dabo vt intelligat nos apertos et synceros esse, neglecta omnj eius indignatione: id est, non patiar instituto nostro iniuriam inferri seu illius honorem laedj: si vim adhibeat, hoc saltem intelliget me nulla voluntate probaturum, quod ipse vi extorserit: spero tamen prudentiorem ipsum fore, quam vt vi quicquam tentare velit, tametsi a periculo indignationis liberi vix erimus. Ego vero rogo P. V. ne terreatur, ac puto committendum non esse diutius, vt Principes suspicentur leui momento et metu Societati suam disciplinam excuti posse, quo sane scandalizarentur: quodsi vero pro instituto nostro zelemus, ad tempus forte offendentur; sed noster tandem erit cum tentatione prouentus[1]: Ac puto omnino tandem disciplinae nostrae serio cauendum esse in Germania, et iccirco etiam in officio continendum Dominicum, quem hac tenus neque P. Canisij seueritas neque mea indulgentia meliorem fecit. . . . P. Canisius a Comite Dilingam redijt, ego hic nunc exedo quod ipse intriuit, qui in hoc potissimum errauit, quod se nimium effuderit in Principem vndequaque in Dominicum effluentem."

Operae pretium fuerit videre, quomodo de Mengino in ordinem redigendo Hoffaei conatus successerit, meliusne quam conatus Canisii an secus. Monachio 29. Ianuarii 1580 *Hoffaeus* Mercuriano *scripsit: „P. Dominicus modo quietior est: nescio quousque. Quae cum ipso dispensaui circa regulas, hic mitto: ea dignetur P. V. probare propter pacem collegij.

---

[1] 1 Cor 10, 13.

† Sequentes indulgentiae et facultates permissae sunt a .P. Paulo Hoffaeo Prouinciali. Reuerendo P. Dominico Mengino in Collegio Societatis JESV Monachij. 12 [11?] Januarij Anno 1580.

Potest de consilio sui Confessarij disponere de temporibus surgendi, cubitum eundi, orandi, conscientiam examinandi, meditandi, sacrificandi ac studendi.

Potest habere proprium suum Coadiutorem: qui et si domestica quoque habiturus sit officia, non idcirco tamen negliget necessitatem sui Patris.

Potest adire Principes quorum est Confessarius quoties ei videbitur expedire, vel necessarium esse.

Potest externos ad colloquium admittere.

Potest proprio sigillo vti, et literas scribere quocunque velit, cum aedificatione.

Potest pias causas apud principes promouere, non tamen per se exequi sine facultate.

Potest a Principibus accipere Eleemosynas in pauperes erogandas iuxta consilium superioris, nisi principes certas personas nominassent, in quas erogari illas vellent. Non tamen patietur Eleemosynarij nomen et officium imponi sibi.

Non tenebitur legere ad mensam, nec nisi quater in anno lauare scutellas, nec inseruire mensis nisi semel in mense, nec interesse exercitio corporali, et concioni nostri templi.

Habebit sua ientacula, suasque merendas, plus etiam caeteris in mensa vini.

Potest vti omnibus facultatibus Apostolicis, quascumque alijs ego sine exceptione communicare possum.

Debet tamen caeteras Regulas et ordines seruare, atque his etiam Jndulgentijs, et facultatibus vti cum aedificatione, prudentia, ac citra perturbationem quietis et ordinis Collegij. Dominus sit nobiscum. Patrj Dominico[a]."

Mercurianus Hoffaeo Roma 8. Aprilis 1580 *rescripsit: „Vidi quae concesserat [R. V.] Patri Menghino, ex quibus nihil immutamus quando res eo redactae sunt, ut indulgentiam istam necessitas ipsa a nobis exprimat."

Idem *Mercurianus* P. Ferdinando Albero collegii monacensis rectori Roma 8. Martii 1580 haec, praeter alia, de Mengino *respondit ad litteras ante duos fere menses Augusta Vindelicorum sibi missas: R. V. „suadebat ne exacerbaretur noster ille aulicus quod per eum facile quae uellemus impetrari omnibus possent. Nec sane nobis placet, non modo illi sed nec ulli alij molestiam afferri sine causa: sed tamen neque in rebus ad disciplinam, et aliorum exemplum spectantibus adeo dissimulandum est, ullius commodi spe, ut instituti nostri ratio in periculum adducatur. Praestat enim nobis Domino in ueritate et sanctitate seruiendo[1], amicum illum habere, quam respectu cuiusuis hominis a synceritate nostra deflectere." Et *ad litteras Monachio 12. Februarii 1580 ad se datas: Quod R. V. „aliquid perturbationis ex illa petra scandali[2] in reliquum Collegium permanare conqueritur, debet quidem, quomodo potest adniti, tum orationibus, tum opportunis consilijs ut ista omnia offendicula tollantur: sed tamen nolim ut idcirco animum despondeat". Quaerentibus autem nobis, quidnam „perturbationis" ex Mengino in collegium monacense permanaverit, occurrunt *litterae eodem illo die 8. Martii 1580 a *Mercuriano* Monachium ad P. Michaelem Marium S. J. missae, in quibus Marius sic reprehenditur: „De Collegij rebus, deque bona P. Rectoris gubernatione quae Reuerentia V. scripsit, grata mihi admodum fuere. Quae uero addebat de P. Canisio, etsi cupimus sane libere ac syncere quae in nostris requiri uideantur, admoneri, tamen in eo haud mediocriter Reuerentiae V. modestiam et humilitatem requisiui. Non enim debuerat de nostro patre, et tali patre, de prouincia ista tam bene merito ita acerbe loqui, ut etiam a conuicijs non multum abesset eius oratio: praesertim cum in illo ipso negotio quod Reuerentia V. carpebat, iam antea nobis constiterit quanto cum zelo,

a) *Haec 2 vv. ab ipso Hoffaeo scripta sunt.*

[1] 1 Rg 12, 24. Tob 14, 10. Lc 1, 74 75.
[2] Is 8, 14. Rom 9, 33. 1 Petr 2, 8.

et fide, atque etiam quam non insipienter a P. Canisio tractatum sit. Quod si secus cessit quam ille uolebat non illius imprudentiae, sed aliorum culpae tribuendum est: neque iniquius quicquam est quam ex euentis bonis aut malis actiones hominum metiri. Ceterum quod Reuerentia V. consulebat, ut Duci Gulielmo obsequium nostrum offerremus, id nobis quoque ad rem uisum est, et iam dudum id statim a morte Serenissimi eius Patris feceramus."

Merito Canisius a Mercuriano est purgatus; neque enim Hoffaeus, cum Mengini morbis medicinam adhibuisset medicinae Canisii contrariam (ut ante dictum est), hominem sanavit. Mercuriano certe *scripsit *Hoffaeus* Monachio 2. Martii 1580: „Satis bene inter Serenissimum Ducem et nos conuenit . . . neque sane hac in parte quicquam laboraremus, si confessarius eius suis superioribus esset unitus magis." Et *Monachio 6. Aprilis 1580: „P. Dominjcus videtur proficere in peius: tentati se illi adiungunt: nisi quid fiat, extinguent optimum Rectorem: sed fieri nihil potest nisi contristemus Principem, qui vehementer ab hoc negocio abhorret". His litteris acceptis *Mercurianus* Hoffaeo Roma 22. Aprilis 1580 eam fere medendi rationem commendavit, quam anno superiore Canisius tentaverat (v. supra p. 495 500): „Quod attinet ad Menghinum, nobis omnibus consideratis, omnino placeret, ut R. V. simpliciter et candide rem totam ipsi Duci proponeret, ostenderetque pericula, que nobis ab illo homine ex istis etiam nouis sectis imminent, oneraret eius conscientiam, peteret tanquam ab amico, et protectore, qualem se esse profitetur, et esse agnoscimus, ne in haec pericula conijciat Societatem tum ipsius causa, tum etiam suorum, quibus eo minus prodesse poterimus, in summa offerat illum liberatum a Societate, ut si uult domi habeat . . . sed tamen si R. V. quae eius statum melius nouit praesens, ita iudicaret non esse rem tentandam, permitto illi ut faciat quae uelit, ac tunc uideat in hac tota re quid minime Societati incommodare possit, idque eligat." *Hoffaeus* deinde aperte cum Guilielmo V. ea de re egisse videtur. Mercuriano enim *scripsit Augusta 7. Maii 1580: „Dux Gulielmus narrauit Rectori nostro Jngolstadiensi, quae vitia ei displiceant in Mengino, cuius saluti ita consultum velit, vt tamen in Societate suus confessarius conseruetur, quem amat vehementer, eique ait accidere quod plerisque medicis, qui seipsos curare nequeunt." [1] Et *Oliverio Manareo vicario generali Societatis Monachio 27. Augusti 1580: „P. Dominicum Menginum misi Lanspergam vt ibi faceret exercitia spiritualia, quae commendo P. V. precibus · vtinam proficiat · de his eius exercitijs laetatur Princeps." Parum profecisse videtur; nam paulo post de nova cogitatum est medicina; scripsit enim *Hoffaeus* Manareo *Monachio 11. Septembris 1580: „His diebus obnixe rogaui Ducem Gulielmum vt sineret P. Menghinum mecum Romam abire: expecto responsum, abest enim Dux: erit responsum non admodum forte gratum: sed ego tamen conscientiam meam volui exonerare." Et *Monachio 16. Septembris 1580: „Vocauit me Dux Gulielmus vt mecum tractaret de P. Domjnico. . . . Deus bene uertat: petiueram enim vt permitteret P. Dominicum (etsi inuitum) mecum Romam abire." Et *Augusta 14. Novembris 1580: „Audio P. Dominicum recte satis se gerere postquam nuper de eius in vrbem missione cum Principe egi." Nec vero Menginus diu sibi constabat; postea in Hoffaeum aeque atque in Canisium excandescebat et Societati multum negotii facessebat usque ad annum 1582, quo tandem per Manareum provinciae visitatorem ad meliorem frugem reductus est (*Oliverius Manareus* S. J., De rebus Societatis Iesu Commentarius, Florentiae 1886, 159—160; *Duhr,* Jes. an Fürstenh. 134—135). Proximis deinde 12 annis confessarii officium cum laude administravit et tandem a. 1595 vita excedendo gratam sui memoriam apud posteros reliquit (*Agricola* l. c. I Dec. 5, n. 64—66; II Dec. 6, n. 358—361; *Alegambe* l. c. [v. supra p. 142] 97; *Duhr*, Jes. I 701—702).

---

[1] P. *Theodoricus Canisius* rector dilinganus Dilinga 24. Maii 1580 *Mercuriano scripsit: „Confessarius ille noster, vt ipse princeps fatetur, plurimum nostrae simplicitati et sanctae libertati, temerarijs dictis et consilijs suis obesse pergit, vt hoc etiam nomine apud ipsos principes male audiat" (ex autogr.; Germ. 158 f. 161[a]).

1255. Sub medium m. Februarium 1580.

Historia sefeldiana Canisio curante editur.

Canisius rogatu Ferdinandi II. archiducis et Austriae superioris principis Dilingae inter exeuntem m. Decembrem a. 1579 et medium Februarium a. 1580 librum de eucharistico miraculo sefeldiano a viris aliquot doctis compositum emendavit, praefatione instruxit, typis exscribendum curavit (v. supra p. 533); atque ita in lucem prodiit: „Von dem hoch vñ | weitberhümpten Wunder= | zeichen, so sich mit dem hoch= heiligisten Sa= | crament des Altars auff dem Seefeld, in der Fürst= | lichen Graffschafft Tyrol, Anno 1384 · zůgetra= | gen, vnd was man sonst darbey Christlich vnd | nutzlich zubedencken hab. | Warhaffte vnd gewiße Historia | auß glaubwürdigen schrifftlichen vrkhundē, | an jetzo auß Genedigister verordnung der Fürstlichen | Durchleucht: Ertzhertzog FERDINANDI | zů Osterreich ꝛc. getreulich zusamen getragē, vnd ordentlich | beschriben, so zuuor nie dermassen außgangen, | Vnd allen Christen zulesen vnnd | zuwissen nutzlich ist. | Getruckt zů Dilingen durch | Johannem Mayer. | 1580." Versus 1, 2, 8, 9, 16, 17 et verbum „Ferdinandi" rubra sunt; titulus totus figuris in ligno incisis marginatus et cinctus est.

4°; pp. numeris signatae 98; praeterea ff. non sign. in initio 8 (addito titulari) et in fine 1.

Titulum sequitur praefatio Canisii (f. A ii^a—B iii^a); cui nec locus nec tempus nec nomen auctoris ascripta sunt. Miracula, ait ille, non solum in sacra Scriptura tum veteris tum novi testamenti, sed etiam in historia ecclesiae saepe narrantur; neque Christus cessat in ecclesia sua miracula facere, per quae verbum divinum quasi signis consignet, ecclesiam confirmet et consoletur, sacramenta ornet, Sanctorum gloriam tueatur atque illustret. Ex horum numero est miraculum sefeldianum. In hoc autem libro declaratur et quomodo illud factum sit, et „wie ein frommer Christ sich sollicher History recht vnd hailsamlich zu gebrauchen habe. Dann wahrlich, wo Gott der allmechtig seine wunderzeichen thůt vnd erzeiget, vordert er von den Menschen nit allein den Glauben, darmit man jhm (wie billich) sonderlich die ehr gebe, sonder will auch neben dem Glauben, die wahre frücht vnserer Bůß, vnd besserung des lebens haben." Hic itaque liber, iussu Ferdinandi II. archiducis a viris aliquot doctis et prudentibus ex variis scriptis tabulisque fide dignis haustus ac compositus, continet probationem certam („ware, gegründte, gewisse, vnd glaubwürdige zeugknuss vnd beweisung") maximi illius miraculi eucharistici, ex quo abhinc 200 fere annos plurima alia miracula certa et orta sunt et nunc quoque palam fiunt („auch noch heutiges tags menigklichen zü gůtem offentlich beschehen"). Praefationem sequitur conspectus rerum (3 pp.). Ipse liber, per 7 capita dictinctus, narratione et institutione totus absolvitur, nulla adiuncta precatione; caput VI. historia quaedam est sacrae peregrinationis sefeldianae[1]; in capite denique VII., quod dimidiam paene totius operis partem constituit, primum universa eucharistiae et miraculorum doctrina explicatur; deinde complura miracula eucharistica variis locis facta narrantur; pro appendice denique aliquot S. Ioannis Chrysostomi de sanguine Christi sententiae ponuntur. In folio postremo errata notantur.

---

[1] Miraculorum in templo sefeldiano factorum alia ex illius ecclesiae libro parochiali („verkünd vnd vrkund Büch"), alia ex tabellis literulisque („Täfelin vnnd Brieflin") in ecclesiae parietibus suspensis exscripta sunt; „welche auch so offenbar vnd augscheinlich fürgangen, vnd noch heutiges tags sichtbarlich beschehen, also das dieselben niemandts (Er were dann gar ein vnuerschembter mensch) verleugnen, oder in zweiffel ziehen kan": Wahrhaffte *Historia* p. 44.

Librum vidi Oeniponte in museo „Ferdinandeo", Biblioth. Tirol. Dipaulina n. 237. Alterum libri exemplum exstat Monachii in bibliotheca nationali, Dogm. 623. *Sommervogel* librum non posuit.

1256. 3. Aprilis 1580.

Exstat in libello, quem *Canisius* suis usibus destinavit (Can. 9 f. 133), commentarium sive summa brevis orationis sive ad populum sive (id quod mihi magis probatur) ad Socios a Canisio habitae; quae oratio tota Canisii manu conscripta et ab eo sic inscripta est: „In festo Paschatis Lansperg". „Sunt", inquit *Canisius*, „in hoc festo sex noua facta et praedicanda cunctis, eaque plena consolatione et exultatione": Christus „de morte triumphavit"; „innumerabiles Patres" ab eo liberat, ex limbo; Christi corpus gloriosum; suos Christus consolatur; „introducit nos in possessionem regni sui"; est pignus resurrectionis nostrae. „Nunc igitur exultemus et laetemur, sicut iubet Ecclesia."

Diem paschatis, quo Canisius Landsbergae fuerit, vix invenire possum alium, quam Pascha anni 1580, sive d. 3. Aprilis 1580.

1257. 3. Iulii 1580, et a. 1577—1580.

Ex autographo Canisii, quod ipse sic inscripsit: „Sodalitati Marianae apud Hallenses 3 Julij 1580", quod exstat in Can. 43, 1 pag. non sign., et ex epistula anonyma, quae est in Can. 63 f. 118. Autographo Canisii usus est *Riess* l. c. 463—464; quem secutus est *Kröss*, Can. 206.

Canisius Halae ad sodalitatem marianam exhortationem habet. Ibidem bis ad populum et reginas dixisse fertur.

1. *Canisius, cum ineunte et medio m. Iulio 1580 Halae in Tiroli P. Paulum Hoffaeum provincialem in Societatis collegio visitando adiuvaret (v. supra p. 542 547), ad Congregationem Marianam ibi a. 1578 „non jam", ut Agricola (l. c. I Dec. 4, n. 306) ait, „ex Gymnasii tantum discipulis, sed viris etiam non vulgaribus" constitutam 3. Iulii 1580, quae erat Dominica VI. post Pentecosten, orationem habuit; quae integra hic ponitur, quia usque adhuc nunquam typis est exscripta, et quia ex orationibus a Canisio ad sodalitates marianas habitis haec una, quod sciam, superest.*

Non est opus hic multa dici a me dilecti in domino ad uos exhortandos, consolandos uel instituendos, praesertim cum non desint vobis interiores simul et exteriores exhortationes, consolationes et institutiones in hac uestra laudabili sodalitate seu fraternitate, in templo et alibi.

Gratias autem ago singulares Domino qui uos elegit et congregauit in dicta sodalitate hoc tempore, quo maxime opus est ut deipara multos habeat amatores et seruitores fideles, sicut ipsa meretur, et diuina ordinatio requirit ad multorum vtilitatem et salutem [a].

2 Gratias ago [b] Deo pro obedientia vestra quam hodierno die monstratis communicando et ita vobis applicando pretiosum thezaurum Jndulgentiarum quae sunt recens promulgatae ex praecepto summi pastoris et praesidentis Ecclesiae.

Si autem deberem aliquid libere proferre quod mibi est in animo fideliter monerem et rogarem, ut sedulo vacaretis huic institutae fraternitati, sicut veri et delecti sodales et fratres, et sicut etiam ab alijs alibi fieri solet cum singulari gratia dei et admiratione bonorum et fructu plurimorum.

Tunc autem bene vacabitis instituto, si bene utamini [c] festo hesterno de Mariae uisitatione celebrato, vt nempe aliqua ex parte uos conformetis exemplo dominae nostrae quae se ostendit ancillam domini [1] erga Gabrielem, et fidelem cognatam erga

a) *Sic Can. correxit; primum enim scripserat:* requirit et mundi huius vtilitas; *deinde, vv.* et *etc. oblitteratis:* requirit miseriae extremae necessarium est; *postea haec quoque (*miseriae *etc.) oblitteravit.* b) *Sequitur* quod, *oblitt.* c) *Sequitur* vltimo, *oblitt.*

[1] Lc 1, 38.

Elisabeth[1]. Ancilla Domini quia se totam obtulit Deo ad[a] eius uoluntatem implendam, quam Angelus declarauerat. Cognata uero fida, quia ueterem anum ex sola charitate inuisit, et illi seruire optauit in omni humilitate.

Simus et nos serui Dei et obediamus superioribus qui tanquam angeli a Deo nobis mittuntur et proponuntur interpretes diuinae uoluntatis in his quae credenda et agenda sunt.

Simus et fideles in seruiendo fratribus, et exerceamus nos cum Maria in operibus uerae charitatis et misericordiae.

Praecipue discamus a Maria[b] zelosi esse in his quae ad Dei honorem et salutem animarum spectant et sentiemus fructum sicut Deipara sensit. Fecit enim repleri cognatam SS.[2] 2 sanctificari Joannem 3 Deum laudari in tota domo Zachariae. 4 multos fecit participes Euangelicae gratiae id est charitatis gaudij pacis consolationis et feruoris[3].

Non sit satis nobis, si caueamus a magnis peccatis sed ad montana surgamus[4], et alios etiam meliores reddere satagamus, hortemur peccatores[c], instruamus errantes, uisitemus miseros, adducamus dubios, corripiamus iniuriantes. Exemplo nos iuuemus quos possumus in schola, domi et foris. Magni faciatis[d] hoc institutum diuinitus concessum et multis[e] vtile 3 honoratum et ornatum tot priuilegijs[f][5] 4 tam longe propagatum, in illo spectetis Dominam nostram imo et Reginam celorum, illam honoretis assidue, per illam petatis a Deo omnia. Exemplum [?][g] illius notis.

2. Cum saeculo XVII. de Canisio in Beatorum numerum asciscendo ageretur, Friburgo Helvetiorum ab huius collegii Sociis ad Socios collegii halensis aliquot de Canisio quaestiones missae sunt. Superest halense responsum; cui tamen nec tempus, nec scribentis nomen ascripta sunt; vita autem illa Magdalenae reginae in eo commemoratur, quae a. 1625 Oeniponte (a P. Egolpho Altheer S. J. sine auctoris nomine) edita est. Ego igitur halensem illum commentariolum paulo ante medium saeculum XVII. compositum esse censeo. In quo, nulla exhortationis modo positae mentione facta, haec, praeter alia, dicuntur: „Quaestiones Super Venerabili P. Petro Canisio. 1ª An fuerit Halae. Respondeo · Permanenter non: transeunter[h] tamen fuit et bis hic publice concionatus est. . . . 3. Quaestio. An illis Virginibus Halensibus [a Magdalena et Helena reginis Halae in collegium quoddam congregatis] sit contionatus. Iam dixi, bis.[i]" Haec si vera sunt, affirmandum est, Canisium inter annos 1571 (*Can.* VI 459) et 1580 bis Halae e sacro suggestu ad populum coram Magdalena et Helena reginis vel coram sola Magdalena (Helena a. 1574 vita excessit) verba fecisse.

1258. 9. Iulii 1580.

Ex autographo, quod Canisius sic inscripsit: „Ad votorum renouationem exhortatio Halae 9 Julij 158[0]". Can. 43, 2 pagg. non sign. Totam exhortationem, nonnullis rebus immutatis, ex eodem autographo posuit *Schlosser* l. c. 297 – 303.

Exhortatio ad Socios halenses.

Canisius in collegio Societatis halensi ante votorum religiosorum renovationem (cf. supra p. 607) pro Societatis more piam ad Socios exhortationem habuit: „Merito, *inquit,* habere debemus pro gratia speciali et magna[k] quod hoc anno[l] uota nostra

a) *Sequitur* nutum, *oblitt.* b) *Sequitur* zelum declarare, *oblitt.* c) *Sic C. correxit ex* alios. d) *Ita correxi ex* petere ut magnifaciant. e) *Hoc v. a Can. supra versum scriptum est.* f) *C. primum scripserat* tot fructibus; *deinde — corrigendo, ut videtur, super* fructibus *scripsit* priuilegijs. g) *Hoc v. obscurius scriptum est.* h) *Sequitur* non dubitatur, *oblitt.* i) *Sic commentarioli auctor correxit ex:* Hoc quod coram fecerit. non constat. k) *Primum scripserat:* Reputo gratiam esse singularem; *deinde his vv. oblitteratis scripsit:* Merito habere possumus et debemus pro gratia speciali et magna; *postea vv.* possumus et *oblitteravit.* l) *A Can. correctum ex* tempore.

[1] Cf. Lc 1, 39—56. [2] I. e. Spiritu Sancto.

[3] Cf. Lc 1, 41—79. [4] Lc 1, 39.

[5] Ita (ut exemplum ponam) Gregorius XIII. Brevi 10. Septembris 1577 dato sodalitatem coloniensem et complures alias multis indulgentiis donavit (*Hansen*, Akten 718[3]; *Duhr*, Jes. I 361).

sumus renouaturi, quo Jndulgentiam magnam et Jubileum simul consequi possumus. ... Magna certe et ineffabilis gratia Jubilei, si recte illam acceptamus secundum mentem Pontificis, et tanta pro qua totum mundum daret quaelibet anima purgatorij, vt saltem ad dimidiam horam ea vti posset[a], sic enim cito a penis omnibus liberaretur. ... Audistis autem saepius et his etiam dieb. multa de Jndulgentijs quae tanto magis placere nobis debent et vtiliores haberi, quo magis ab Ecclesiae hostibus nouisque Christianis contemnuntur et ridentur. Vnde nil de illis nunc agemus, sed solum de renouatione, ad quid instituta sit et nobis seruiat in Societate 2 quomodo illa sit nobis utendum, 3 qui illam sibi inutilem reddant" *etc.*

1259. 26. vel 31. Iulii 1580.

Ex commentario, a Iosepho Brandstetter S. J. scripto et ab ipso Canisio emendato. Can. 42 f. 11ª—16ᵇ.

Ultima Canisii contio oenipontana.

Canisius Oeniponte a. 1580 in anniversaria solennitate dedicationis sive consecrationis templi Societatis Iesu, quae solennitas aut 26. Iulii aut 31. Iulii, quae erat Dominica proxima, habita esse videtur (cf. supra p. 709[1]), ibidem: „Wir haben", inquit, „vndt begehen[b] heut die iärlige Kirchweih dieses gotshauß; halten darumb ein besunders frölich fest nach altem löblichen brauch" etc. Exorsus ab evangelio diei (Lc. 19, 1—10), quod est de Zachaeo Christum hospitio excipiente, posuit hanc „Propositionem": „Wir wöllen aber weiter gehn, vndt von der wunderbarlichen rechtschafne bekerung Zachaei auch insonderheit reden[c]; hernach aber von vnsern christlichen kirchen, vndt irem rechten brauch etwas melten, souil die Zeitt erleidt[d] vndt eur andacht gedulden[e] wirtt." Haec ultima fuisse videtur ex plurimis illis contionibus, quas Canisius Oeniponte habuit.

Brandstetter hoc commentarium sic inscripsit: „† Jn festo dedicationis templi, concio", nullo ascripto neque loco neque die; sed tum propter hanc ipsam inscribendi rationem, tum quia hoc commentarium in codice positum est proxime post exhortationis 5. Augusti 1580 Oeniponte a Canisio ad Socios habitae commentarium ab eodem Brandstetter atque eodem quasi calamo scriptum (v. infra, monum. 1260), tum quia aliunde constat, Canisium 26. Iulii 1580 Oeniponte fuisse (v. supra p. 546), recte dixeris, contionem hanc a Canisio habitam esse 26. Iulii 1580; neque obstat, quod in codice contio haec exhortationem diei 5. Augusti sequitur, non antecedit; nam saepe in Canisii codicibus, quae tempore priora sunt, in foliis scripta sunt posterioribus.

1260. 5. Augusti 1580.

Ex orationis sive exhortationis commentario, Oeniponte ab *Iosepho Brandstetter*, Societatis fratre laico[1], scripto (cf. Cod. II 42, p. 54) et a Canisio recognito, emendato, adnotationibus illustrato. Can. 42 f. 6ª—10ᵇ.

Exhortatio de renovatione votorum religiosorum Oeniponte ad Socios habita. Apostatae. Amor Societatis. Excellentia renovationis.

Canisius, cum initio Augusti a. 1580 Oeniponte P. Hoffaeum praepositum provincialem in collegio visitando adiuvaret — erat enim eius „socius" — (v. supra p. 546 555), ad sodales, qui ad votorum religiosorum renovationem se parabant, piam pro Societatis more „exhortationem" habuit; ex qua pauca hic ponentur.

Es möcht vileicht einer gedencken vndt fragen[f], was[g] bedarfs das man die Vota[h], zweimal im Jar renouirt, gleich als ob das nit öfter geschehen möcht vnd

a) *Sequuntur vv.* sicque statim, *oblitt.* b) *A Brandst. correctum ex* halten. c) *A Brandst. corr. ex* farn *vel simili v.* d) *Hoc v. a C. supra versum scriptum est.* e) *A* ‹ *an. corr. ex* erleiden. f) *Sequuntur vv.:* warumb wir dise Zeit Renouation heissen, vndt, *oblitterata.* g) *Sequitur* es, *oblitt.* h) *Sequitur* itz, *oblitt.*

[1] De hoc v. supra p. 464.

solle. Jst es dan nit gut vndt löblich das etliche schir alle Sontag oder wen sie communiciren auch pflegen ire vota zu renouiren; ia das etliche schir alle tag bey irem morgetzgbet den brauch haben mitt solcher renouation vmbzugehn. . . . Darauf antwortt ich kurtzlich: das einer von den vnseren sich wochenlich oder täglich renouirtt vndt seine vota von newen bestetiget vndt gott aufopfert, sonderlich wan er vast tentirt vndt angefochten wirtt, das ist ja löblich vndt nutzlich . . . *[Propositio 1].* Das aber darneben auch sondere Zeiten vndt manir eingesetzt vndt gehalten werden in der Societet, das welche nit professi sein sich zweimal im iar renouirn, vndt ire vorige gelibt bestetigen, ist auch fein vndt gar nutzlich also geordnet[a], als erstlich fur die Obersten, vnd dan auch fur ihre vnderthanen. . . . *[2.]* Aus was vrsachen die gewünste frucht der renouation in vilen verhindert wirtt, vndt nit ein wahrhaftigen[b] bestendigen nutz bringt?

In priore orationis parte Canisius haec, praeter alia, notat: Ist das ein sonderliche kunst, art, vndt gewonhait aller newen rotten vndt secten, das sie gern machen vndt verthätigen[c] die ehr der[d] trewlosen mainaidigen ausprungnen münch vndt nonnen.

In altera parte: Gibt es vnss ein grossen schaden vndt verdirbt schir vnser renouation, das wir nit rechte libhaber sein der Societet[e] und jhre gemaine wolffart, ja das wir in vilen dingen vnss selbst er[f][?] liben vndt suchen. Da solt der geist vnserer Societet ie lenger ie mehr in vnss wachsen vndt vnss lustig machen, wan wir etwas gutes und frolichs[g] hörn sehen oder spirn mögen von vnsern patribus oder fratribus, da soll vnss mehr angelegen sein dann alle newe Zeitung. Wir haben neulich entfangen gar feine vndt hailsame newe regell vndt ordnung für die gantze Societet fleissig gemacht vndt publicirtt[1], das wir vnss billich dises Generals vndt seiner grossen gehabten[h] mühe von hertzen bedancken, vndt gott darumb loben sollen. . . . So einer sein vota renouiret, der[i] wirtt ein geistlicher ritter ia als ein Künig von gott angenommen, welcher forthin die welt, das fleisch vndt sich selbst hat volkomlich zuüberwinden. Er thut eben wie die hailige trey Künig, welche Christum suchten vndt mitt treierley köstlichen opfer verehreten, vndt sich selbst mitt solchen opfer gantz vndt gar ergaben da sie in zu Bethleem anbeteten. Durch solche renouation tretten wir vertraulich zu dem gnadt reichen stul gottes[k], legen den alten bettelmantell ab vndt erscheinen da mitt langen weisen ehren kleidern, wie die engell gottes am hailigen ostertag erschinen sein bey dem grab des herren. Jn diser renouation werden wir abermal geistlich getauft, vndt von dem H. gaist gesalbt vndt gefirmtt; werden da als newe creaturn, legen ab den alten adam, vndt zihen an den newen menschen, da haben vndt halten wir die rechte ostern zue gedächtnus der grossen gnadt gottes, der vnss von dem leidigen Pharaone, vndt den fleischlischen Egiptern gewaltig erlöset, vndt in die wüsten der hailigen religion berüft vndt gefürett hat; darumb wir billich als dan mitt süssem brott frolocken vndt das frölich alleluia singen sollen. Hie halten wir die geistliche hochzeit, in welcher vnsere seelen die liebe brautt des himlischen breuttigams werden, vndt mitt gott mer vndt näher vereiniget werden, dan wir immer sagen vndt verstehen kinnen. Hie finden wir das ware himmelbrott, die geistliche wunderbarliche süssigkait vndt lust so alle welt kinder weder haben noch schmecken kinnen, diweil sie sich selbst vndt iren willen mitt gott nit so vast verainigen.

Brandstetter commentarium hoc inscripsit: „Exhortatio Oeniponti 5. Augusti". neque annum ascripsit. Canisium autem anno 1580 eam habuisse cognoscitur ex regularum Societatis ab Everardo Mercuriano praeposito generali († 1. Aug. 1580) auctoritate tertiae congregationis generalis S. J. recognitarum et emendatarum

a) *Undecim vv. sqq. a Can. ipso in margine addita sunt.* b) *Sequitur* vndt, *oblitt.* c) *Sequitur* vil, *oblitt.* d) *Ita Brandst. correxit ex* vndt. e) *Septem vv. sqq. ab ipso Can. addita sunt.* f) *Hoc v. a C. supra versum scriptum est;* selbster? selbsten? g) *Ita C. corr. ex* etwas lustig. h) *Hoc v. a C. supra versum scriptum est.* i) *Hoc v. supra versum scriptum est.* k) *Sequuntur vv.* vndt vereinigen, *oblitt.*

[1] Vide, quae sub ipsam hanc orationem dicentur.

(*Astrain* l. c. II 436) mentione per Canisium facta; excusae enim sunt „Regvlae Societatis Iesv. Romae. In Collegio eiusdem Societatis. MDLXXX.“ Praeterea constat, Canisium initio m. Augusti 1580 Hoffaeo provinciali in visitatione collegii oenipontani adfuisse; visitationis autem tempore saepe renovatio quoque votorum fiebat; neque post a. 1580 Canisius unquam Oenipontem rediit. Accedit denique, quod anno 1580 dies 5. Augusti erat dies Veneris; his autem diebus exhortationes domesticae haberi solebant (*Can.* VI 584). Sic igitur corrigenda sunt, quae de hac exhortatione dicta sunt *Can.* VI 602.

Mirum non est, hanc exhortationem germanice conscriptam esse; nam inter „*Resolutiones“ anno 1579 ab *Everardo Mercuriano* praeposito generali „ad particulares quaestiones Patris Hoffaei“ provincialis Germaniae superioris datas haec comparet: „Exhortatio ordinarie lingua uernacula et communi habeatur propter Coadiutores“ sive fratres laicos (ex apogr. eiud. fere temporis in collegio dilingano a Socio aliquo scripto; Cod. „C. 1“ p. 79).

1261. A 13. ad 19. Septembris 1580.

Ex Actorum congregationis exemplo, a. 1587 pro provincia Germaniae superioris (ex Actis, puto, authenticis) scripto, quod est in Cod. „B. 10“ p. 38—42. Aliqua ex huius congregationis Actis posuit (germanice) *Duhr*, Jes. an Fürstenh. 4—5 et Jes. I 688.

Canisius interest congregationi Germaniae superioris ad electores novi praepositi generalis deligendos Monachii habitae. Eligitur ipse „substituendus“ in eorum locum; deligitur ad seligendum res proponendas. Confessarii principum, regentes, professi, socii nuntiorum apostolicorum etc.

Acta Sextae Congregationis Prouincialis Superioris Germaniae Monachij habitae 14. Septembris Anno etc. M.D.LXXX, ad eligendum electores Praepositj Generalis.

Indicta est haec Congregatio a R. P. Paulo Hoffaeo Prouincialj Germaniae Superioris, ad diem 13.ᵐ Septembris, celebranda Monachij. Quo die elapso, congregati sunt die sequentj, qui fuit 14 Septembris, omnes, qui secundum formulam praescriptam Congregationi Prouincialj interesse debent, dictoque hymno Veni Creator Spiritus, consederunt ad dexteram R. P. Prouincialis Professj quattuor votorum sequentes · P. Petrus Canisius. P. Theodoricus Canisius Rector Dilinganus. P. Hieronymus Torrensis. P. Gregorius Rosephius Rector Augustanus. P. Casparus Heiuodus. P. Theodorus Peltanus. P. Henricus Arboreus Rector Halensis. P. Ioannes Rabenstain Rector Oenipontanus. P. Martinus Leubenstain Rector Lucernensis. Ad sinistram uero eiusdem P. Prouincialis consederunt · P. Bonauentura Paradinas Rector Collegij Landspergensis. P. Wendelinus Volckius Rector Jngolstadiensis, et P. Ferdinandus Alber Rector Monachiensis. Habitus post haec est sermo breuis a R. P. Prouincialj. . . . Ad plura deinde Suffragia electus est Congregationis Secretarius P. Theodoricus Canisius: Eique adiunctus est P. Bonauentura Paradinas, eodem modo electus. . . .

Die 16. ante meridiem . . . primo loco, ad plura medietate suffragia electus est, quarto scrutinio, R. P. Gregorius Rosephius. . . . Secundo deinde loco similiter electus est in secundo scrutinio R. P. Martinus Leubenstain. . . . Tertio loco . . . secundo scrutinio, P. Theodoricus Canisius . . ., qui simul a R. P. Prouincialj designatus est, ut eius loco Viceprouincialem in Congregatione Generalj Romae agat, si ipse Prouincialis legitime impeditus, ire forsan eo non posset. Quarto loco similiter electus est primo scrutinio R. P. Joannes Rabenstain. . . . Quinto denique loco similiter electus est primo scrutinio R. P. Casparus Heyuodus: Verum cum is impedimenta quaedam proferret, quo minus ad Congregationem Generalem commode uenire posse uideretur, Congregatio Prouincialis per uota secreta statuit ad plura suffragia, ea impedimenta uideri legitima. Eius ergo loco statim electus est primo scrutinio R. P. P. Canisius [1]. Post haec duo ex Patribus ad plura suffragia electi sunt, qui

[1] „Eligi debent inprimis duo Electores Praepositi futuri, . . . comitaturi Provincialem ad Congregationem generalem. Deinde eligendus est tertius, ut ex duobus

una cum Praeposito Prouincialj seligant, quae sint congregationj Prouincialj proponenda, quae reijcienda: et priore quidem loco electus est R. P. Petrus Canisius: secundo uero loco P. Theodoricus Canisius. Denique ad plura suffragia statutum est, ut ad hos Patres, ante noctem proxime sequentis diej, afferant omnes quae congregationi proponenda habuerunt.

19. Septembris cum ante et post meridiem Patres conuenissent . . . ex ijs quae Patres deputati selegerunt, uisa sunt sequentia nomine Congregationis huius, Romae esse proponenda. . . .

1. Quia longa et frequens experientia docere uidetur, nostros homines plerisque in locis exiguo cum fructu, et magno tam suo quam Societatis incommodo Principum uirorum Confessarios agere; Rogat Congregatio ut modus et ratio praescribatur, qua utilius et commodius nostrj munus hoc obire possint. Vt uero plus luminis in hac re praebeatur, delecti sunt omnium consensu a R. P. Prouincialj duo ex Patribus, scilicet R. P. Ferdinandus Alber Rector Monachiensis, et R. P. Casparus Heyuodus, qui aliqua colligant ad hunc finem pertinentia Romam a R. P. Prouincialj perferenda. *Secundo loco congregatio petiit, ut „Regentibus" domuum convictorum eorumqae officialibus* certae Regulae praescriberentur, quae huic Prouinciae sint accommodatae. III. Quoniam pauci sunt in hac Prouincia Professi 4.[r] Votorum, et ex ijs aliquot ad peregrinandum grauesque alios labores ferendos propter ualetudinem et aetatem minime apti, petit Congregatio, ut . . . numerum Professorum . . . augere liceat. IV. Contingit in hanc Prouinciam uarias Societatis personas aliunde mitti, qui uel immediate a summo Pontifice ad certa negotia mittuntur, uel Legatis seu Nuntijs Apostolicis, alijsque Principibus uiris socij adhibentur, uel alia ex causa in nostra Prouincia uersantur, qui tamen saepenumero neque ad Collegia Societatis ubi ea sunt diuertunt, sed in hospitijs publicis, uel apud dictos Principes, uel alibi commorantur: et non consultis huius Prouinciae Superioribus, uaria saepe negotia ad Societatem uel reformationem publicam pertinentia cum Magnatibus horum locorum tractanda sponte sua ipsi suscipiunt, ingeniorum et conditionum huius Prouinciae ignarj [1]. Vnde et scandala aliquot iam tam domi quam foris nata, et maiora etiam sunt timenda. Quia uero, qui toti Prouinciae nomine Societatis hic praeest, his malis oportune non potest occurrere, quod pleraeque eiusmodi personae eius in se iurisdictionem non agnoscant; Orat Congregatio, ut opportuna his incommodis afferantur remedia. *Deinde congregatio, praeter alia, (quaesitis V. et VI.) ex praeposito generali quaerit, quomodo in rebus quibusdam Socii erga nuntios apostolicos et episcoporum vicarios se gerere debeant.*

Congregationem has petitiones sive quaestiones, vel saltem I., IV., V., VI., Canisio vel suadente vel magnopere probante Romam misisse patet ex Canisii epistulis plurimis. *Claudius Aquaviva* autem, qui 19. Februarii 1581 electus est praepositus generalis, et „Regulas pro Regente Conuictorum" Sociis tribuit et numerum „professorum" a se amplificatum iri promisit; et de confessariis principum respondit: „Curabitur Deo fauente, quoad fierj poterit, ne quid detrimentj Societas capiat"; ac de sodalibus in provinciam aliunde missis: „Placet quod proponit Congregatio ad

---

praedictis et ex eo conficiatur ille ternarius, ex quo unum Provincialis suo loco mittere debet, . . . si impeditus legitime iudicabitur. Praeterea quartus et quintus addantur, ut subrogentur in locum duorum, qui electi primo fuerunt, et cum Provinciali ad Congregationem venient, si legitime et ipsi impedirentur": *Formula* Congregationis provincialis, a tertia Congregatione generali (a. 1573) approbata, cap. 4, n. 1 2 (*Institutum* S. J. II 238). De hac electione *Hoffaeus* provincialis ipso, quo facta est, die, Romam ad Oliverium Manareum Societatis vicarium generalem *rettulit (ex litteris autogr.; Germ. 158 f. 284[a]).

[1] Vide, quae de PP. Iacobo Avellaneda, Antonio Possevino, Hieronymo Natali, Wolfgango Pyrringer dicta sunt supra p. 356 406 432 539, et de P. Aloysio de Mendoza *Can.* V 226.

euitanda incommoda, et curabitur per instructiones etiam scriptas eorum qui mittuntur, ut deinceps caueantur" (ex apographo a. 1587 in usum provinciae Germaniae superioris scripto; Cod. „B. 10" p. 40—42).

1262. M. Novembri a. 1580.

Quomodo factum sit, ut Canisius Friburgum Helvetiorum mitteretur. Bonhomius nuntius apostolicus Friburgensibus et pontifici collegium persuadet. Bona marsensia eidem destinata. Hoffaeus provincialis rem deprecatur. Senatus rationem collegii omittit, sed Bonhomio auctore resumit. Hoffaeus a pontifice iussus statuit urbem cum Bonhomio ingredi; sed infirmitate ipsi interveniente et Haivodo ire recusante, tandem Canisium mittit.

Quaeritur nonnunquam, quomodo factum sit, ut Canisius, homo Germaniae inferioris isque sexagenarius, Friburgum Helvetiorum ad fundamenta collegii iacienda missus sit idque eo ipso tempore, quo praepositis Societatis annuentibus ad grande suum contra Centuriatores Magdeburgenses opus recognoscendum iterumque edendum se accingebat. Ad hanc quaestionem ita est respondendum, ut enarretur, qua ratione Societas ad collegium friburgense, a quo tunc quidem suscipiendo ipsa tantum non abhorrebat, tandem admittendum et per unum ex clarissimis sodalibus suis incohandum adducta sit. Quae enarratio proximo quoque huius operis volumini, quod erit de rebus Friburgi a Canisio gestis, utilis erit; ex ea enim intellegetur, quae Canisio ibi difficultates superandae, qui labores exantlandi fuerint.

Iam, ne narrata denuo narrentur, haec breviter in memoriam revoco, quae relata sunt supra (p. 532)[1]: Die 5. Februarii 1580 *Mercurianus* Societatis praepositus generalis et Canisium et P. Paulum Hoffaeum praepositum provincialem Germaniae superioris certiores fecit: „Hortatu" Ioannis Francisci Bonhomii episcopi vercellensis et apostolici apud Helvetios nuntii Gregorium XIII. pontificem Societati mandasse, ut Friburgi Helvetiorum collegium incoharet; cui collegio instituendo pontifex bona monasterii marsensis — id quod sibi placere senatus friburgensis litteris ad pontificem 26. Decembris 1579 datis affirmaverat — destinavit. Verum exeunte m. Maio 1580 Friburgenses Hoffaeo operam suam offerenti responderunt, se collegii condendi consilium abiecisse, quia bona marsensia eidem non sufficere vidissent neque ipsi quicquam iisdem adiungere possent. Atque *Hoffaeus* quidem iis scripsit, eam deliberationem sibi „ob hominum penuriam", qua provincia sua laboraret, gratam esse[2]. *Bonhomius* vero illam litteris

---

[1] Vide etiam *Jos. Schneuwly* et *J.-J. Berthier* O. Pr., Projets anciens de hautes études catholiques en Suisse, Fribourg 1891, 39—41, et *Jo. Kreienbühler*, Die Gründung des Jesuitenkollegiums zu Freiburg in der Schweiz, in „Festschrift" etc. (v. supra p. 777), 60—72.

[2] Nequaquam *Hoffaeus* provincialis collegium friburgense omnino recusabat; *scripsit enim Mercuriano praeposito generali Hala 12. Aprilis 1580: „Rogo P. V. efficiat apud Pontificem vt nos liberet ad aliquot annos a cura instituendi collegij Friburgi"; et Augusta 7. Maii 1580: „Malim causam Friburgensem suspendi in plures

24. Iunii 1580 ad senatum friburgensem datis valde improbavit. „Ego", inquit, „pro certo affirmare non dubitarim census illos annuos Marsenses viginti Patribus Societatis Iesu alimenta et necessaria omnia large suppeditaturos. Porro cum singulis ubique locorum, atque etiam in amplioribus et uberioribus collegiis ejus religionis Fratribus non amplius quam triginta coronati pro victu et vestitu, reliquisque omnibus ad sustentationem necessariis assignari soleant, non video cur census illi, quos quidem ad mille et amplius coronatos annuatim ascendere una cum vestris ad hoc negocium assumptis senatoribus, libris omnibus rationum diligenter inspectis, mature ac liquido satis constituimus, communi Patrum, qui in collegiis ali solent, numero non sufficiant. . . . Verum si adhuc ancipites hac de re fuerint Dominationum vestrarum animi, . . . ego illas securas omni qua maluerint ratione, ex Sanctissimi etiam Domini authoritate et pollicitatione faciam, collegium istud nullo unquam tempore, pro cujusvis generis alimentis aut sustentatione Dominis Friburgensibus ulli oneri futurum" (*Berthier* l. c. 156—158; idem in „Revue de la Suisse catholique" XXV, Fribourg 1894, 168 ad 171). Eodem die *Bonhomius* Petro Schnewly friburgensis ecclesiae collegialis S. Nicolai praeposito scripsit: „Senatus vester", ut ex Ludovico d'Affry altero ex scultetis (Schultheiss) vestris accepi, „monasterii Marsens census decem Patribus Jesuitis sustentandis non sufficere" intellexit; verum „certo affirmare possum ex illius monasterii annuis censibus non decem tantum, sed immo viginti Patres Societatis Jesu commode ali posse; quorum singulorum victui et indumentis necessariis satis superque esse solent Floreni Renenses annui quinquaginta. Quod si fortasse ullo tempore non sufficerent", Friburgensibus nihil oneris futurum „publico testimonio ut constet efficiam"; ceterum se ipsum iterum Friburgum venturum esse (*Berthier*, Bonh. 37—39). *Hoffaeus* igitur ad Mercurianum haec *rettulit de Bonhomio Hala 16. Iulii 1580: „Denuo me euocat Friburgum nescio qua incerta spe permotus futuri illic Collegij. Respondi me venire paratum esse, si prius ipse certus sit, velle Friburgenses Collegium, ne secundo turpem patiar repulsam, ac tanto quidem facilius quod semel reiectus, vel inuitos vel certe nildum resolutos praesens ego rogare aut per Nuntium cogere velle viderer vt Collegium facerent, quod nemo non vitio Societati verteret." Et *Oeniponte 6. Augusti 1580: „Me Friburgum reuocauit quod diceret Capitulum Friburgense sperare fieri posse vt Senatus de instituendo Collegio denuo persuaderetur, ideoque voluit vt hic persuasioni ego coram assisterem. Respondi me paratum fore ad iter si ipse prius Friburgensi Senatui collegium eiusque necessaria comparanda persuasisset: nam vt ego veluti competitor ei assisterem, hoc nec decere nec moris esse, fierique posse vt turpiorem etiam repulsam patiar. Jgitur expecto

---

annos totam, aut certe proximo biennio vel triennio Friburgensibus non vltra tres aut quatuor homines concedere" (ex autographis; Germ. 158 f. 128[b] 148[a]).

quid mandaturus sit. Bonus iste Pater non videtur peritus satis rerum nostrarum gerendarum. Ego nulla ratione suadeo vt Friburgi Collegium admittamus donec omnia necessaria vel reipsa vel certissima spe in promptu sint: docuit enim nos Collegij Lucernensis institutio quam tarda et difficilia postmodum sint heluetiorum ingenia, si initio dum res feruet, non omnia rite constituuntur" (ex autogr.; Germ. 158 f. 218[a] 236[a]). Idem Canisium sensisse cognoscitur ex eius litteris 26. Iulii 1580 ad Mercurianum datis (v. supra p. 543). *Hoffaeus* deinde, cum epistulae illius a Bonhomio ad senatum friburgensem datae exemplum nactus esset, id Monachio 14. Augusti 1580 Mercuriano misit illique haec *adnotavit: „Nos nos et omnia necessaria 20 personarum totiusque Collegij 1000 ducatis alere et procurare posse . . . est impossibile. Vbi enim habitatio, templum, scholae, hortus, libri, suppellex et mille alia! Quaeso V. P. significet Reuerendissimo Comensi, quam graue futurum nobis sit si talem in his partibus nobis det rerum nostrarum procuratorem. Sed neque hoc tempore homines habemus pro nouo collegio, cum vetera collegia omnia sint valde male constituta, et Augustanum quidem necdum inchoatum. Chi abbracchia molto, stringe puogho" (ex autogr.; Germ. 158 f. 241[a]). Nondum Hoffaeus, cum haec scriberet, audierat, Mercurianum 2. Augusti mortuum esse. Caeterum eadem spe, qua Mercurianus nixus erat, Oliverius quoque Manareus, qui vicarius generalis erat electus, tenebatur: Fore, ut Societas collegii illius onere, ad tempus saltem, a pontifice levaretur.

Interea Bonhomius Friburgum rediit et in senatus coetibus 11. et 17. Augusti 1580 habitis causam collegii peroravit: Memorabat *litteras a *S. Carolo Borromaeo* cardinali archiepiscopoque mediolanensi m. Iulio 1580 ad Friburgenses datas; quae litterae ex latino sermone in germanicum translatae haec de collegio habent: „Jn dem sollend ir v̈ch aber hanndwest erzeigen, das den vättern der Societet Jesu ein Collegium in v̈wer Statt gebuwen werde, Dann v̈ch derselben gottsforcht, leer vnd arbeit v̈ch ein vilfaltigen nutz bringen wirt" (ex exemplo eodem tempore scripto, quod est Friburgi Helvetiorum in archivo reipublicae); demonstrabat deinde Bonhomius, collegium illud et utile et necessarium esse; promittebat curaturum se, ut eius aedificia pecuniis marsensibus exstruerentur, neve plures quam duo Socii proximo tempore Friburgi morarentur; praeterea se cauturum esse, ne quid civibus unquam faciendum esset impensarum, „dann was inen gevallen wirt darzu zestüwren, welches mynen herren in allweg eerlich vnd loblich sÿn wurde". Has explicationes et condiciones cum ille, Petro Schnewly praeposito interpretem agente, senatoribus proposuisset (Cod. friburg. „Manual", in a. 1580, Aug. 11. et 17.), hi 18. Augusti 1580 publicis sollennibusque litteris professi sunt: Se, collegium bonis marsensibus „facile sustentari" posse, et „cautum fore, ne quos ex aerario suo publico sumptus nisi voluntarios facerent" ad

aedificium construendum per Bonhomium nuntium apostolicum edoctos, eidem potestatem facere omnia bona marsensia in collegium impendendi, Socios „primo quoque tempore vocandi", omnia denique instituendi et disponendi (Litteras integras edidit *Alb. Büchi,* Urkunden zur Geschichte des Collegiums in Freiburg, in „Freiburger Geschichtsblätter" 4. Jahrg., Freiburg i. Ue. 1897, 68—70. Cf. etiam *Theiner,* Ann. III in a. 1580 n. xxxvii).

Bonhomius haec cum Hoffaeo communicavit eumque iterum Friburgum arcessivit. „Ego", inquit *Hoffaeus,* Monachio 11. Septembris 1580 Manareo *scribens, „vtrique et Reuerendissimo et Senatui respondi et attuli legitimum impedimentum cur hoc tempore venire non possim, simulque hac occasione docui Senatum quae ad Collegij erectionem forent necessaria; potuitque clare intelligere nullo nostro consilio vel consensu vsque adeo in hac causa ardere Reuerendissimum Vercellensem: spero quod ambo tandem nos relinquent in pace cum Friburgo: et puto vix aliud Collegium in hac Prouintia maiora secum afferre posse grauamina et curas etc. quam vnicum Friburgense ob vicinissimos potentes aduersarios Caluinistas" (ex autogr.; Germ. 158 f. 280[a]). Aegerrime has litteras tulit Bonhomius, et vehementer, ut iam supra (p. 591[3]) dictum est, de Hoffaeo est questus; verumtamen confidebat, per pontificem nodum omnem solutum iri. Id Gregorius XIII. 27. Augusti 1580 per Ptolemaeum cardinalem Comensem ei promiserat (*Berthier* l. c. 231). *Manareus* autem Hoffaeo Roma 2. Septembris 1580 *scripsit: Negotium friburgense „ita habet. Cum Reuerentia V. diligenter Reuerendissimo Nuncio exposuisset omnia quae erant necessaria ad Collegium constituendum, is admiratus tot rerum multitudinem quibus praestandis Friburgenses neque uiribus, neque fortasse animo sufficerent, scripsit de eo ad Jllustrissimum Comensem ut cum P. Generali ageret, et rebus illis aliquid detraheret. Jtaque Cardinalis cum mecum omnia exposuisset quae a Reuerentia V. petita esse Nuncius scripserat, docui plane ea omnia ita esse necessaria ut Collegium penitus ijs carere non posset: itaque ei satisfactum est ut ipse se idem Reuerendissimo Vercellensi persuasurum receperit. . . . Haec Reuerentiae V. significare uolui ut sciret quae hic gererentur et quando haec Pontificis, seu ut iuuat iam credere ipsius Domini uoluntas fuit, ut cum maxime nos ab ea cura liberos esse putabamus, rursum ad nos deuolueretur, scribat ad Nuncium, constituatque cum ipso ut aut Friburgenses Collegio aedificando aliquid contribuant, uel si ipsi nolint redditus annui paulatim eo conferantur. Simul etiam si ciues petent necesse erit mittere duos tresue e nostris missionis nomine ut aliquid ibi operis facere incipiant: et certe etiam expediet, ut si aedificium incipiatur omnia fiant ad uoluntatem usumque nostrum, quod ipsi praesentes curare poterunt, deque eo Reuerentia V. plene eos instruere debebit, ne quid erroris committant. In ipsa autem tractatione negotij insistat in tribus illis, quae postulauit, quaeque nos etiam omnino

necessaria esse demonstrauimus, primum ut sint redditus sufficientes, deinde domus nostris usibus idonea, tertio supellectilis una cum bibliotheca, et sacrario instructo: quae etiam melius iudico si generaliter tractentur, ac postea in exequendo descendatur ad particularia quam initio singillatim omnia proponantur · terrentur enim eiusmodi homines tam longis catalogis rerum comparandarum. Denique illud Reuerentiae V. maxime commendo, quod nos ipse summus Pont. admonuit, ut Reuerentiae V. significaremus, ut in scribendo uel ipsi Nuncio uel Friburgensibus, uel in tractando cum ipsis, nihil dicat aut faciat quod negocium hoc remorari possit. Nam et constat daemonem suis artibus insistere ad rem disturbandam, et summo Pont. si qua unquam res alia eiusmodi, hoc certe maxime cordi est, et magnam quandam spem concepisse uisus est ut in illo loco et finitimis multa et magna ad Dei gloriam per nos gerenda sint. Cuius haec tam certa fiducia, firmaque sententia nos quoque ut plane coegit nolentes onus suscipere, sic etiam bona spe implere debet, et Reuerentiam etiam V. animare ut negocium alacriter suscipiat, et tractet. Dominus enim qui messem dedit, etiam operarios subministrabit [1], et spero Generalem quemcunque nobis Christus Jesus dederit, si cum eo Reuerentia V. egerit, non ei defuturum. . . . His scriptis accepimus alias Reuerentiae V. literas datas 14 Aug. et cum ijs literas Reuerendissimi Vercellensis ad Senatum Friburgensem in quibus non satis mirari potuimus promissionem illam de nostro tam liberaliter factam · quare loquemur quamprimum cum Jllustrissimo Comensi (nunc enim ad dies paucos abest Roma) et remedium aliquod inueniemus, quod attinet ad hanc promissionem · nam de Collegio ut antea scripsi, iam res acta est" (ex comm.; Rh. Inf. 1, II f. 47). Ad haec *Hoffaeus* Monachio 23. Septembris 1580 *rescripsit: Conatus sum „deterrere" et nuntium apostolicum et senatum friburgensem „ab hoc studio petendi collegij, cum prorsus non habeam modo homines maturos et aptos quos isthuc mittam. Nunc vero cum ex parte mea repugnatum sit satis, et quidem frustra, hoc me vehementer consolatur, quod plane intelligam Dei voluntatem esse Friburgi vt Collegium sit: desino igitur repugnare ne Deo et S. Sedi Apostolicae atque etiam obedientiae repugnare videar, incipiamque bene potius sperare de prospero successu dicti collegij, praesertim cum P. V. mihi polliceatur aliquod honestum personarum subsidium. . . . Hoc etiam isthic sciri velim me vehementer addubitare an ex Abbatia illa tantus possit prouentus annuus colligi, sicut isthuc scripsit Reuerendissimus Vercellen. nimirum 1200 ducatorum. Facile enim est rem amplificare dum feruet animus studio Collegij: Deinde vereor magnas annexas esse difficultates in colligendis hinc inde quotannis dictis prouentibus ex terrae frugibus vel vuis etc. quam ad rem requiritur non vnus solus homo, et talem ego vix reperiam qui huiusmodj oeconomicis

---

[1] Cf. Mt 9, 37—38; 20, 1—9; Lc 10, 1—2.

curis vacet, aut vtiliter vacare possit.“ Accedebat haec difficultas: Sub finem anni Romam ad Societatis congregationem generalem, in qua et novus praepositus generalis eligendus et alia constituenda erant, proficiscerentur necesse erat praeter Hoffaeum Patres Gregorius Rosephius cathedralis ecclesiae augustanae contionator et Martinus Leubenstain collegii lucernensis rector, qui ex Societatis constitutionum praescripto ad id erant delecti (v. supra p. 833); praeterea Hoffaeus gravissimis de causis P. Gregorium de Valentia theologiae in universitate ingolstadiensi professorem secum Romam adducturus erat (cf. *Duhr*, Jes. I 726). Idcirco *Hoffaeus* in litteris, quas dixi: „Denique“, inquit, „hanc gratiam isthinc peto ne cogar Friburgum ire donec redierim ex vrbe propter hanc causam (vt alias, quae ad complendam prouintiae visitationem pertinent, taceam) nimirum quod reuera nunc ne vnum quidem habeam quem Friburgum mittam, quin opus sit alia Collegia necessarijs personis spoliare, praesertim cum paulo post tribus abeuntibus istuc ad Congregationem tres alij hic substituendi sint, quos difficulter reperio: Cum autem ex vrbe rediero, spero fore vt opera et procuratione Paternitatis V. facile tot inueniam, vt honestam missionem Friburgi cito instituere possim“ (ex autogr.; Germ. 158 f. 286[a]—287[a]). Bonhomio quoque Hoffaeus scripsit; victas dabat manus; Dei esse voluntatem fatebatur, ut Friburgi collegium conderetur. Quare Bonhomius Kalendis Octobribus 1580 Schnewlium monuit, a se, si non ipsum provincialem, certe aliquot Societatis Patres Friburgum adductum iri, qui vineam illam colere inciperent; pararet igitur domum, in quam ipse cum Patribus devertere et in qua, se digresso, iidem „hospitari“ possent (*Berthier* l. c. 55). Verebatur nuntius, ne Hoffaeus ante se Friburgum veniens denuo impedimenta negotio illi adferret; ita saltem Hoffaeus opinabatur (*Hoffaeus* * Manareo, Dilinga 8. Octobris 1580; ex autogr.; Germ. 158 f. 291[a]). Adeo collegium Bonhomio cordi erat, ut eius solius gratia Ingolstadium usque proficisceretur (*Berthier* l. c. 56). Inde *Hoffaeus* 17. Octobris 1580 haec ad Manareum * rettulit: „His diebus bonus ille Reuerendissimus Vercellensis Friburgo ad me huc Ingolstadium venit, vt mihi persuaderet Friburgi post S. Martini[1] vt adessem, quando etiam ipse adfuturus est, adeoque importune mihi institit, vt etiam hi Patres existimarent honeste illi repugnare me non posse, nisi bonum virum vehementer contristare velim. Ego vtrinque consideratis causis diligenter et cum his Patribus collatis, eo libentius in eam profectionem consensi, quod sperem cauere me posse coram, ne Senatus aegre ferat, si ante reditum ex vrbe nullum illuc mittam, nam vt nunc duos tresue mittam, sine graui incommodo Collegiorum id facere nequeo, cum vix idoneos reperiam, quos substituam ijs qui Romam abituri sunt, accedente etiam hoc malo, quod Collegium Lucernense ob pestem

---

[1] Post d. 11. Novembris.

dispersum, et praeter vnum Coadiutorem extinctum, de quo nuper, etiam Concionator noster peste correptus sit, qui num conualuerit aut etiam extinctus sit ignoro[1], vtcunque sit, alio nunc illic etiam concionatore opus erit ac P. V. rogo ut Lucernense Collegium Deo commendari curet diligenter. Jgitur finita visitatione Collegij Dilinganj, accingam me ad iter Friburgense, vbi considerabo omnia diligenter, vt Paternitatem V. rectius de omnibus istic queam informare. Cuperet Reuerendissimus Vercellensis inde suis sumptibus me meosque comites per Vercellas Mediolanum vsque deducere et in iter Romanum constituere, sed tempus et ratio sanitatis consilium Friburgi dabit, an recta mihi pergendum, an vero Oenipontum redeundum ad socios sit. Existimo autem ad 12.um Nouembris Dilinga versus Friburgum me discessurum: citius non expedit, quod Reuerendissimus Curiae dies aliquot mansurus sit, vt ante 16. vel 19 Friburgi vix adesse possit." Iam autem *Hoffaeus,* qui a. 1577 in Helvetia gravem morbum contraxerat *(Duhr,* Jes. I 795), iterum aegrotare coeperat; epistulam enim, quam dixi, his verbis terminavit: „Hic nunc operam do valetudini." Die vero 14. Novembris 1580 Augusta ad Manareum *scripsit: „Jam instabat tempus cum Friburgum abeundum erat: sed fui iam pluribus diebus corpore sic affectus vt mei Consiliarij iudicarent minime consultum esse vt me tanto itineri committerem, satis esse si Romanum iter sufferam. Jgitur consilijs et iussioni eorum acquiescens, alium meo loco Friburgum mittam qui eadem praestet quae ego praestare potuissem. Aegerrime hoc feret Reuerendissimus Vercellensis ac Romae de me conqueretur: sed ita res habet sicut narrauj. Ego interim paulatim Oenipontum discedam, vbi meos comites tantisper morabor donec tempus sit abeundj Romam" (ex autogr.; Germ. 158 f. 302 310[a]). Jam scripserat *Hoffaeus* P. Gaspario Haivodo Monachii degenti, ut „suo loco Friburgum iret et Collegium illud quale futurum esset consideraret et acceptaret"; verum is ipso illo die 14. Novembris Monachio ei respondit: Se in controversia de 5 % orta a praepositis Societatis ad pontificem appellasse; cuius sententia cum Monachium perferenda esset, se inde discedere non posse (v. supra p. 584).

Eodem fere tempore Hoffaeo allatae sunt *litterae Roma 24. Octobris 1580 a *Manareo* vicario generali datae; qui: „Gaudeo", ait, „quod Reuerentia V. in Friburgensi negotio animum magnum sumat, et certe ita faciendum est. . . . Quare tum . . . ut res omnes coram inspiciantur, partim etiam quia recens S. Sanctitas ita mandauit ut aliqui e nostris illuc missionis nomine destinentur uidetur nobis ut Reuerentia V. unum saltem sacerdotem sed prudentem, et plane idoneum et praesertim moderatum cum aliquo socio Friburgum mittat, quem instruet de omnibus quae ab illo agi et curari uelit. . . . Hoc

[1] P. Ioannes Bredanus Lucernae ab anno 1577 ad 1584 contionatoris officium tenuit (*Seb. Grüter,* Das Collegium zu Luzern unter dem ersten Rektor P. Martin Leubenstein 1574—1596, Luzern 1905, 38).

etsi Reuerentia V. sibi paulo incommodius antequam Roma rediret affirmabat fore faciendum tamen omnino uidetur tum obedientiae causa, tum etiam utilitatis nostrae" (ex comm.; Rh. Inf. 1, II f. 48[b]).

Quaeri ergo oportebat Societatis virum „prudentem, plane idoneum, moderatum", qui provincialis nomine omnia „inspiceret" et Sociis habitationem pararet commodam, ac res valde urgere videbatur; nam Bonhomius, ut ex eius epistula 9. Novembris 1580 ad Schnewlium data intellegitur, sperabat, se exeunte Novembri vel ineunte Decembri cum Sociis Friburgi esse futurum (*Berthier* l. c 58). Itaque circa d. 16. Novembris ab Hoffaeo delectus est Canisius; qui 20. Novembris Manareum certiorem fecit, se postridie eius diei Dilinga esse profecturum (v. supra p 591).

Ipse autem *Hoffaeus* Manareo huius facti hanc *rationem reddidit Oeniponte 25. Novembris 1580: „Decreueram Friburgum ire ipsemet, sed visum est Patribus vt alios mitterem: cumque uellem mittere Rectorem Lucernensem[1] et quendam Patrem Michaëlem Marium, sic quidem, vt confecto negocio, ambo redirent Lucernam, et nullus maneret Friburgi modo: en oportune adsunt literae P. V. vt omnino aliquos Friburgi relinquam. Jgitur destinaui, vt Friburgi manerent, P. Petrum Canisium et P. Robertum Ardrenum: ordinaui quidem etiam vt Rector Lucernensis et P. Michel comitarentur P. Canisium Friburgum eumque in negocio iuuarent, cum sint practicj, sed redibunt Lucernam, vbi P. Michaël manebit Vicerector loco P. Leubenstein quando Romae aberit." [2] Hoc videtur postremum *Hoffaei* ea in causa decretum fuisse; die enim 4. Decembris 1580 ille Oeniponte Manareo *scripsit: „Die crastino hinc cum meis comitibus discedam Romam versus . . . P. Ioannes Rabenstein erit Viceprouincialis residebitque Oeniponti" (ex autogr.; Germ. 158 f. 319[b] 322[a] 323[a]). Eodem die *Bonhomius* ex arce Pfäffikon ad lacum tigurinum sita Schnewlium monuit: „Hinc . . . Luceriam peto, ibique duos aut tres, credo, ad summum dies commoratus, Friburgum accedam, duobus minimum ex Societate Jesu Patribus comitatus" (*Berthier* l. c. 59—60). Itaque 10. Decembris 1580 ipse cum Canisio et Ardreno Friburgum tandem advenit.

Hinc colligi potest rectene an secus dicatur (ut dictum est), Canisium a sodalibus suis Friburgum quasi relegatum esse eo consilio, ut ibi lateret, obmutesceret, quodammodo vivus sepeliretur[3]. Sunt certe facta aliqua, quae huic opinioni speciem veritatis praebeant. In horum quidem numero vix poni potest, quod anno 1578 Mercurianus praepositus generalis Canisium ex provincia Germaniae superioris in collegium moguntinum, quod ad Societatis provinciam rhenanam pertinebat, transferre cogitabat; sperabat enim, Canisium, qui Danielis

[1] P. Martinum Leubenstain.

[2] Bonhomium a Societatis praepositis petisse, ut Canisius Friburgum mitteretur, perperam affirmant aliqui, ut *Dorigny* (l. c. 355) et *Python* (l. c. 298).

[3] *C. Fey*, in „Theologisches Literaturblatt" XXXIX, Leipzig 1918, 146.

Brendel archiepiscopi moguntini gratia florebat, plurimum ibi Dei gloriam amplificare posse; et ubi Paulus Hoffaeus, Germaniae superioris provincialis, Canisii operam provinciae suae necessariam esse affirmavit, eam rationem omisit (v. supra p. 439). Neque vero negari potest, inter Canisium et Hoffaeum nequaquam semper bene convenisse; compluribus quoque aliis Sociis Canisii praesentia molestior quam gratior erat. Anno denique 1580, cum controversia de 5 % in ea provincia denuo exorta, Canisius cum Haivodo et aliis contra Hoffaeum sententiam tueretur severiorem, Hoffaeus a supremo Societatis moderatore planis verbis petiit, ut Canisium in provinciam mitteret rhenanam; attamen cum Roma rescriptum esset id fieri non posse, Hoffaeus acquievit, idque, puto, eo facilius, quod Canisius paullo post Haivodi de 5 % ab Hoffaeo ad pontificem appellantis temeritatem plane improbabat (vide supra p. 583 588). De Sociis Friburgum mittendis iam inde ab exeunte a. 1579 multum agebatur; nec vero ante m. Novembrem a. 1580 ulla in ea re Canisii facta est mentio; tunc demum hic nominatus simul et missus est, non a praepositis romanis, sed a solo Hoffaeo, idque ea sola de causa, quod alius ei non suppetebat. Certe si Hoffaeus se provinciamque Canisio levare atque liberare volebat, Canisium arcere potius debebat Friburgo, quam eo mittere; ea enim missione fiebat, ut ille non solum in provincia maneret, haud procul a collegio lucernensi moraretur, minimum tertio quoque anno congregationi provinciali interesset, sed etiam ut novi collegii parens quidam et fundator evaderet; collegia autem ex praecipuis provinciarum partibus et ornamentis sunt; praeterea ita in familiaritatem venturus erat Bonhomii nuntii apostolici, qui et de 5 % et aliis de rebus magis cum Canisio quam cum Hoffaeo sentiebat. Itaque Canisius autumno a. 1580 et ipse et per Hoffaeum a vicario generali suos contra Centuriatores libros recognoscendi et Ingolstadii iterum typis exscribendi facultatem impetraverat; qui labor totum hominem occupare poterat. Friburgum autem cum Bonhomio nuntio ingredi statuerat ipse Hoffaeus provincialis, a nuntio identidem expetitus et avide exspectatus. Sed en, cum tempus abeundi adest, Hoffaeus morbo corripitur, ita ut consiliarii eum iter illud helveticum ferre posse negent; satis ei fore, si paullo post pro muneris ratione romanum iter suscipiat. Quaeri ergo oportebat alium nuntii comitem, et difficile erat, eum inveniri; cum Hoffaeo enim Romam profecturi ibique multas septimanas mansuri erant rector lucernensis, contionator cathedralis ecclesiae augustanae, alter ex theologiae in universitate ingolstadiensi professoribus; aegrotabat contionator lucernensis; in horum omnium loca alii substituerentur necesse erat; quis iam supererat in provincia hominum penuria laborante? Hoffaeus Haivodum ire iubet; is recusat. Tum demum ad Canisium recurrit. Si quis obiter haec inspexerit, fortasse dicet fortuito Canisium Friburgum venisse; sin fidei christianae oculis rem considerarit, videbit Deum providisse, ut vir ille, cum 30 annos Austriam, Bavariam, Suebiam,

terras rhenanas apostolicis laboribus excoluisset, postremis 17 vitae annis Helvetios, inprimis Friburgenses, adiuvaret et illustraret[1].

1263. **A d. 24. ad 26. Novembris 1580.**

Ex Canisii litteris autographis, quae sunt in „Germ. 184“ f. 70—71, et ex capite Chronici inzikofiensis, quod circa a. 1864 P. *Florianus Riess* S. J. exscripsit ex eiusdem Chronici Codice manu scripto (pag. 61), qui exstat Sigmaringae in bibliotheca principum zolleranorum (Hohenzollern), n. 68. Capitis illius particulam posuit idem *Riess*, Can. 384[3]. Eodem Codice usus est R. P. *Pius Bihlmeyer* O. S. B., Die Augustinerin Paula Merend etc., in „Freiburger Diözesan-Archiv“ XXXVII 181—182 186[1].

Praefatio editoris. Monasterii virginum Inzigkofen (cf. supra p. 442), a. 1354 conditi et a. 1394 sub regula S. Augustini constituti[2], a. 1540 comites zollerano-sigmaringenses (Hohenzollern-Sigmaringen), in quorum situm erat terra, patrocinium susceperunt; Amalia (1557—1603) autem et Cunegundis (1558—1595), Caroli I. primi patroni filiae, monasterium idem ingressae sunt (*Bihlmeyer* l. c. 181—182); harum soror erat Maria, Swickardi ab Helfenstein, qui 1570—1575 Tirolis reliquaeque Austriae superioris praefectus erat (*Hirn* l. c. I 462) uxor, quae cum circa a. 1566 Magdalenae reginae opera ex protestantismo ad ecclesiam redisset, Oeniponte Sociis valde benevolam se praestitit (*Can.* VI 607) et postea una cum Swickardo coniuge Landsbergae (a. 1578) Societatis noviciis domum praebuit (v. supra p. 795). In eodem monasterio, ut supra (p. 272) notatum est, ab a. 1574 morabatur Paula Merenda, cuius pater Oeniponte et Magdalenae reginae eiusque sororum, et Sociorum medicus fuerat. Haec cum ita se haberent, P. *Hieronymus Natalis* S. J. Hala 25. Augusti 1574 Everardo Mercuriano Societatis Iesu praeposito generali scripsit: „La regina Madalena prega alla P. V. che voglia conceder che vna volta alcuno di nostri Padri confessi vn monasterio di monache. Sta 9 miglie di Dilinga in terra catholica. Già l'anno passato gli confessò il P. Laurenço. Adesso con gran instantia lo dimanda la regina et il conte et la contesa“ [Swicardus ab Helfenstein et Maria Zollerana eius uxor]: Epp. *Nadal* III 672. His litteris acceptis *Mercurianus* P. Paulo Hoffaeo Germaniae superioris provinciali Roma 17. Octobris 1574 *scripsit: „Cogitet R. T. quid ea in re agendum ac nisi quid impedimenti isthic tibi, Patribusue uideatur, desidero, ut piae uoluntati Reginae satisfiat · ac si nostris eundum illo sit, id fiat cum uenia Episcopi eorumque ad quos pertinet benigno assensu“ (ex apogr. eiusd. temp.; G. Sup. 1 f. 17b). Deinde Ingolstadio 15. Augusti 1576 *Hoffaeus* Mercurianum sic *monuit: „Ante biennium plus minus, dedit P. V. mihi negotium vt semel atque iterum aliquis nostrum excurreret singulis annis in quoddam monasterium Sueuiae dioecesis Constantiensis nomine Jntzcofen consolationis et excipiendarum confessionum causa. Fui ego hoc biennio aut fere triennio illic ter, semel ex proposito, his per occasionem, cum illac semel in Alsatiam, semel in Heluetiam transirem. Superior huius Monasterij est et dicitur Praepositissa, pauperes sunt, numero ad 40. inter quas aliquae sunt nobiles, quatuor vero comitissae, quarum nostrae Comitissae ab Helfenstein duae sunt sorores legitimae. . . . Hae moniales egregiam nauant operam pietati suntque inclusae. Nuper ex eleemosina hinc inde per germaniam superiorem collecta fabricarunt seu potius restaurarunt suum interiorem chorum non eleganter, sed ruditer ad necessitatem tantum. Humiliter petunt sibi a Sede Apostolica permitti vt ad suam deuotionem sibi liceat in eodem interiore choro . . . asseruare Sanctissimum Sacramentum, meque rogarunt importune vt hac in re essem bonus mediator. . . . Habitant istae moniales in patria satis deserta, petrosa, inculta, sterilj, melancholica, aedificio obscuro atque vilj, contentae magna

[1] Cur Canisius Friburgum venerit et quid ibi gesserit, ex fontibus tum manu scriptis, tum typis exscriptis breviter, solide, eleganter narrat *A. Büchi*, Peter Canisius in Freiburg i. Ue., in „Monat-Rosen“ [cf. supra p. 765] XLI 429—439.

[2] Virgines illas vocat „Canonissas“ sub regula Augustini *Agricola* l. c. II, n. 774.

paupertate sua, priuatae omnj externa consolatione, nilque habent praesidij a vicinis Comitibus. . . . Jgitur tametsi nobilissimae sint multae, patienter tamen hanc ferunt paupertatem, et suam quaerunt consolationem apud Patrem qui in coelis est[1]. Sed paupertas et locj incommoditas in causa est cur etiam in spiritualibus pati oporteat · iam enim diu quaerunt idoneum Confessarium: at nullus hactenus inuentus est qui condicionem miseram et pauperem amplecti velit. Jgitur non parum sunt hac in re desolatae. Optant saepe confiteri et communjcare, et non est qui frangat[2]. Senem quidem iam habent Confessarium sed decrepitum, licet honestissimum et pium, sed prae imbecillitate virium vacare vix potest audiendis confessionibus. Deinde si hoc maxime possit, est tamen sacerdos secularis et non nouit tractare animas afflictas et religiosas ipse nec religiosus neque in hac palestra exercitatus: qui vero illas ad virtutem et profectum exhortando extimulet, nullus est." Iterum *Hoffaeus* Mercurianum *monuit Monachio 27. Ianuarii 1577: „Confessario idoneo destituuntur, nostraque opera vix semel in anno fruj possunt" (ex autographis; Germ. 137 f. 88ª—89ª; Germ. 138 f. 130ª). Deinde „vntzkoffen" 4. Iunii 1578 ipsa *Margarita Knirs* praeposita (Pröpstin) cum omnibus sororibus ad Mercurianum litteras dedit, in quibus affirmat: A multis iam annis confessario idoneo carebamus „also das mier solches mit hechster bedriebung an vnsseren selen vnd gantzem leben empfunden auch alle mit seyfzen vnd verlangen gott den heren lange Zeyt gebeten vns widervm zu vnsserer gottseligen vorfaren andacht vnd gaystlichem Leben zu helfen · welcher nun durch sayn barmhertzigkayt vns so fil erhert vnd ietzt 4 oder 5 jar vns bis weylen durch die erwirdigen väter Eyerer geselschaft haim gesucht vnd also erneyert das mier wol mit warhait sagen megen ain gantz neyes gaystlichs Leben vnd andacht in vnnsserm gotzhaus angericht." Cum autem confessarius ipsarum iam propter decrepitam aetatem officio fungi non possit, iam duos paene annos novum confessarium a sororibus quaeri; idem facere P. Paulum Hoffaeum, „vnsser liebster vnd gedreyester her vnd vater, der disses klosters ain gaystlicher auf bauer ist"; neque vero quemquam inveniri posse. Propterea se cum suis ad Mercurianum venire „mit flehen wainen vn biten, fallen auf die knie vnssers hertzen fir eyer Erwird fies vnsser 40 jung vnd alt", et ab eo se petere, ut confessarium et contionatorem, qui de Societate sit, sibi concedat (ex archetypo, quod est Romae in archivo regni italici, Arch. dei Gesuiti, Lettere 1576—1599). Quibus litteris acceptis *Mercurianus*, qui sacrae eucharistiae in interiore choro asservandae potestatem iam a. 1576 sacris illis virginibus impetraverat (G. Sup. 1 f. 49ᵇ; Germ. 156 f. 328ª), Roma 2. Septembris 1578 Hoffaeo provinciali de iisdem haec *mandavit: „Reuerentia V. eas nostro nomine quantum poterit consoletur, et quoniam quod petunt ut perpetuus illis detur confessarius, nullo modo constitutiones nostrae patiuntur[3], quod potest id faciat, ut aliquos subinde mittat qui illis concionentur, uel etiam aliquando in anno earum excipiat confessiones, ac praeterea operam aliquam adhibeat ut illis bonum et idoneum quaerat confessarium (ex comm., Rh. Inf. 1, II f. 22ᵇ). Post annos tandem quattuor Socii eiusmodi confessarium invenerunt: M. Septembri 1582 Ioannes Schreiber Inzikofium advenit (*Bihlmeyer* l. c. 192).

Canisius Inzikofii virgines Augustinianas solatur et ad pietatem excitat.

Canisius Friburgo Helvetiorum 5. Ianuarii 1581 P. Hoffaeo provinciali scripsit: Dedi operam consolandis sororibus, sicut R. T. praescripserat, in Jnschouen et Paradiss, neque me poenitet illas in hoc itinere inuisisse.

Exstat quoque Codex Inzikofii a. 1669 scriptus vel potius incohatus et sic inscriptus: „Chronic oder Zeitgeschichte Des Gottshaus Yntzkhoven,

---

[1] Mt 5, 45; 6, 9; 16, 17. Mc 11, 25 26 etc.

[2] Thr 4, 4; cf. Act 2, 42 46; 20, 7; 1 Cor 10, 16; 11, 24 etc.

[3] Vide *Can.* VI 9[1].

aus der alten Chronic, vnd anderen Schrifften gezogen, vnd in kurtzen begriff verfasset Anno 1669." In quo chronico haec notantur[a]*:* Anno 1570 ist ein gar loblicher bischoff zue Augspurg vnd zemahlen Cardinal der Römischen Kirchen gewesen, namens Otto des h. Römischen Reiches Erbtruchsäss, so vnseren lieben Vorfahren vil guets erwisen, vnder welchem das fürnembste, das Er den Ehrwürdigen Patrem Petrum Canisium der loblichen Societet Iesu Priestern als selbiger auff Rom[b] raisen wolte, allhero gewisen vnd angesprochen, Er wolle denjenigen, so damahl in disem Gotts(haus)[c] gewesen, dieweil Sie dem lieben Gott nach ihrem berueff zedienen gantz erbiettig weren, vnd aber . . .[d] wie ein geistliches leben anzestellen, noch mehreren Vnderricht vonnötten hetten, mit seiner lehr vnd ermahnung verhülfflich sein. etc.[e] Solches hat der eyfferige pater wol in obacht genommen vnd sowol in dem hin: als widerherraisen den gantzen Convent beicht gehört, auch mit geistreicher Exhortation zue dem Regularischen leben also auffgemuntert, das [sie][f] in ihrem vorigen guetten willen nicht allein dasselbige mahl gesterckht, sonder auch desen weiter zueerhalten einen Extraordinari Beicht Vatter begeret haben[g]. . . . [Ist dann auch] ein Extraordinari Beicht Vatter bewilliget worden, wie wür dan solche erstlich von Dillingen, vnd hernach von Constantz, auch endlich, vnd bisanhero von Rottenburg an dem Neckher Jährlich maistentheils zwaymahl gehabt haben, vnd anietzo (Anno 1672) das ist vber hundert Jahr mit vnserm grossen Seelennutz noch haben, vnd iederzeit behalten sollen[h]. . . . Nicht gar lang hernach ist auch der hochwürdige pater Paulus Hoffaeus, als damahler provincial allhero khommen, vnd hat selbigen Convent ebenmässig beicht gehört, wie mit geistreicher Exhortation in dem Regularischen Leben gesterckht. . . . Endtlich hat der hochwürdige pater Mutius Vitellescus diser lob. Societet gewesster General hiesigen Convent aller guetter werckhen der gantzen Societet theilhafftig gemachet.

Ex Canisii igitur ipsius verbis, quae modo posita sunt, constat, eum sub exeuntem a. 1580 Inzikofii sacris illis virginibus consolandis operam dedisse idque ex sententia successisse; atque ex iis, quae praefatus sum, facile intellegitur, eum dies aliquot ibi versantem, et sacra oratione ad pietatem eas exhortatum esse et confessiones earum excepisse. Aliunde porro intellegitur, eum 21. Novembris 1580 Dilinga profectum, circa 27. Novembris Constantiam venisse, fere a 27. ad 30. Novembris Paradisi fuisse, 2. Decembris Lucernam advenisse (v. supra p. 591 596 et infra, monum. 1264 1265). Quare eum Inzikofii fere a 24. ad 26. Novembris fuisse dixeris.

Quodsi in *Chronico* inzikofiensi affirmatur, Canisium anno 1570, et cum Romam peteret, et cum inde rediret, per Inzikofium transisse, notandum est, eum eo anno Romam non esse profectum. Propterea *Riess* (l. c. 384[3]) censet, Canisium vel a. 1568 et 1569, vel — id quod ei magis probatur — a. 1565 et 1566 Inzikofii fuisse

a) *Quae sequuntur, ita ponentur, ut a Riess transcripta sunt; qui nonnumquam antiquam illam scriptionem rationi scribendi nostrae aetatis accommodasse videtur; verum haec parvi sunt momenti.*
b) *Sic, ut Riess, Can. 384* [3]*, notat, in Codice manu posteriore correctum est ex* in sein vaterland.
c) d) e) *Ita Riess.* f) *Hoc v. ut suppleretur, res ipsa exigere videbatur.* g) *Quae in Codice proxime sequuntur, quia ad rem praesentem non faciunt, omissa sunt, ideoque necesse erat aliqua deinde vv. suppleri.* h) *Quae in Codice proxime sequuntur, omissa sunt similiter ac supra (adnot. g).*

Verum ex epistulis eiusdem temporis, quae in praefatione positae sunt, satis elucet, ante a. 1572 neminem e Sociis eo venisse; et si Canisius ante m. Iunium 1578 vel semel tantum Inzikofii fuisset, Augustinianae illae in litteris 4. Iunii 1578 per praepositam ad Mercurianum Societatis praepositum generalem datis, in quibus P. Paulum Hoffaeum carissimum fidissimumque dominum ac patrem ac monasterii sui in rebus pietatis aedificatorem vocant, Canisii, viri iam tunc clarissimi, mentionem facere non omisissent. Neque alibi, quod sciam, testatum est, illum inter m. Iunium 1578 et Novembrem 1580 Inzikofii versatum esse. Ideo eum Novembri a. 1580 primum eo venisse censeo.

. Caeterum ex Chronico illo intellegitur, gratam Canisii memoriam illic diu servatam esse. Atque P. *Ignatius Agricola* S. J. in „Historia Provinciae Societatis Jesu Germaniae Superioris, Parte secunda", Augustae Vindelicorum anno 1729 edita (p. 224, n. 774): „Annus", inquit, „dum haec scribo necdum effluxit, cum . . . Inzighofensis Antistita, pretiosum pro Templo Constantiensis Collegii supellectili augendae munus misit, grati, ut nuntiari jussit, animi monimentum, quod Venerabilis Petri Canisii vigilantia, et hortationes Inzighofium praemunierint, ut in Religione perduraret." Item Inzikofio 16. Martii 1741 *„Anna Maria"* praeposita Friburgum Helvetiorum ad P. Franciscum Xaverium Fegeli S. J., qui ab a. 1740 „processus apostolici beatificationis" Canisii „procurator substitutus" erat, *litteras dedit, quibus haec, praeter alia, scribebat: Multum Patri Canisio debemus, „in deme selbiger öfffters im hin vnd wüder Raissen Ynzkhouen heimgesuecht, den Convent Beicht gehört, vndt mit tröstreichen Exhortationen Erfreudt undt in dem glauben der wahren Kürchen, beij damahligen abfahl gestärckht" (ex archetypo, ab Anna Maria subscripto. Can. 49, IV 99). Quod autem in Chronico illo affirmatur, Canisium bis (eundo et redeundo) per Inzikofium transisse, et in litteris modo positis dicitur, eum „saepius" id fecisse: satis certum est, eum ante a. 1581 semel tantum ibi fuisse; num autem a. 1584, cum Friburgo Augustam veniret et inde Friburgum reverteretur, per Inzikofium transierit, in proximo huius operis volumine quaeretur.

Riess (l. c. 385) a. 1865 de monasterio inzicofiensi initio saeculi XIX. suppresso scripsit: „Noch über die Säcularisation in unserm Jahrhundert hinaus bewahrten die letzten Klosterfrauen die Stole, in welcher ihnen Canisius das Wort Gottes verkündet hatte, als eine Reliquie in theurem Andenken." Haec tamen equidem suspicor undique certa non esse. Nam praesto quidem est *litterarum ex vico M. Kirchberg 24. Septembris 1856 a *Georgio Geisenhof* O. S. B. ad parochum quendam datarum exemplum circa a. 1862 a P. *Henrico de Pelkhoven* S. J. scriptum; in quibus litteris ille testabatur, stolam quandam Canisii Inzikofii a paucis, quae ibi supererant, canonissis usque ad annum 1838 reverenter asservatam eodemque anno ibidem sibi ostensam esse; sed idem P. *Pelkhoven* exemplo, quod dixi, haec quoque adnotavit: Stolam illam postea una cum arcula, in qua Inzikofii inclusa erat, domui probationis Societatis Iesu gorhemiensi (Gorheim) a sacerdote quodam, qui in eius possessionem venerat, donatam esse; atque in interiore arculae illius parte haec in membrana scripta esse: „Stola et Bursa Corporalis Venerabilis P. Petri Canisij Soc. Jesu per Superiorem Germaniam Provincialis, mortui Friburgi Helv. Anno 1597. 21. Decemb. ex dono Reverendissimi P. Francisci Xaverii Amrhin P. T. Provincialis 8 August: Anno 1721." Quomodo vero probari potest, hac stola Canisium usum esse, cum a. 1580 Inzikofii moraretur?

1264. Fere a. d. 27. ad 30. Novembris 1580.

Ex epistularum Bonhomii apographis eodem fere tempore scriptis, quae sunt in Cod. rom. „D. II 36" p. 457—458 501—502, et ex Canisii autographis, quae sunt in „Germ. 184" f. 70^a—71^b et „Can. 42" f. 27^a—29^a.

Praefatio editoris: In Turgavia (Thurgau, nunc unus ex Helvetiae „cantonibus"), terra ad lacum brigantinum et Rhenum, haud procul a Constantia et Tiguro, sita et Helvetiorum confoederatorum imperio subiecta, monasterium „Paradisus" (Paradies, Parendis), anno 1250 fundatum, anno 1578, cum aliquot decenniis ante a prote-

stantibus suppressum et sacris virginibus orbatum esset, ecclesiae catholicae et ordini Sanctae Clarae restitutum est. Anno proximo Felicianus Ninguarda O. Pr. nuntius apostolicus per Helvetiam transiens hoc monasterium, quantum per tempus licebat, visitavit et in eo clausuram canonicam et reliquam disciplinam vigere deprehendit; quam disciplinam, missis paullo post Constantia institutionibus quibusdam, conservare ac fovere statuit. Item Ioannes Franciscus Bonhomius episcopus vercellensis et apostolicus in Helvetia nuntius annis 1579 et 1580 monasterii huius reditibus quidem satis instructi sed sororum penuria laborantis progressum magnae sibi curae habebat (*Steffens-Reinhardt*, Nuntiat. I 478 490 527—528 542 546 553 676 686; *J. G. Mayer* l. c. [v. supra p. 538] I 223 239). Ac P. *Paulus Hoffaeus* S. J. Germaniae superioris provincialis Augusta 7. Maii 1580 Everardum Mercurianum praepositum generalem *monuit: „Hac hora ad me scribit Rector Lucernensis [P. Martinus Leubenstain], quandam Abbatissam hoc Romae agere vel acturam esse per Nuntium Apostolicum apud S. D. Nostrum [Gregorium XIII.] vt Societas eius Monasterij (quod Paradijsus vocatur) in se curam suscipiat. V. P. hoc onus quaeso in tempore caueat: distat hoc monasterium hinc fere itinere 4. a Lucerna fere 3. dierum" (ex autogr.; Germ. 158 f. 148[a]). Recte *Hoffaeus* id petebat; nam in Societatis *Constitutionibus* praescribitur: „Homines huius Societatis . . . non debent curam animarum, neque item mulierum religiosarum . . . suscipere, ut ordinarie illarum confessiones audiant vel ipsas regant" (P. 6, c. 3, n. 5). Et Paulus III. 18. Octobris 1549 Sociis indulserat, „quod nulli ipsorum curam Monialium recipere teneantur, per litteras Apostolicas impetratas, vel in posterum impetrandas, nisi de hoc indulto et ordine Sociorum huiusmodi, expressam facientes mentionem" (*Litterae* apostolicae etc. p. 44—45). Quare *Mercurianus* Roma 17. Iunii 1580 Hoffaeo *respondit: „De cura Paradisi monasterij hic uigilabimus" (ex comm.; Rh. Inf. 1, II f. 43[b]). Verum Oeniponte 6. Augusti 1580 *Hoffaeus* ad Mercurianum (quem Kalendis Augustis mortuum esse nondum cognoverat) de Anna ab Offtringen (Offringen) abbatissa Paradisi haec *rettulit: „Nunc ad me scripsit . . . Reuerendissimum Vercellensem idem a S. D. N. iam impetrasse, aitque breui ad me Pontificium Mandatum perferendum esse, quod tamen nondum vidi. Suspicor igitur Reuerendissimum Vercellensem clam haec Romae procurasse ne forte P. V. id impediret. Vtut sit, rogo denuo vt P. V. hac molestia isthic nos liberet: satis enim est vt ter quaterue, dum illac transimus, singulis annis illud Monasterium accedamus et monialium confessiones excipiamus etc. non tanquam Monasterij superiores, sed per modum transeuntis sicuti alibi interdum solemus: Si enim haec cura nobis imponatur, grauissimam inuidiam et offensionem omnium Monachorum in Germania incurremus qui operam dabunt vt omnia bona opera quae interdum alijs Monasterijs impendimus per accidens, omnino impediantur: sed neque poterimus amplius ad vllum Monasterium diuertere sine aliorum suspicione ac si curas procurare in animo nobis sit."

Deinde *Hoffaeus* de Wolfgango Pyrringer, qui, cum Bonhomio contionator et interpres a Societate concessus esset, ita se gesserat, ut eum ex illa eici oporteret (v. supra p. 539), haec addit: „Iam per plures hebdomadas iussu dicti Reuerendissimi fuit P. Wolfgangus cum socio in eodem Monasterio vt inciperent forte dictam curam. Ego vero curauj Abbatissae significari posse illam quidem Wolfgangum retinere si velit, scire tamen ipsam debere Wolfgangum Societatis hominem non esse" (ex autogr.: Germ. 158 f. 236[b]).

Canisius „Paradisi" abbatissam sacrasque virgines solatur et exhortatur.

Ioannes Franciscus Bonhomius nuntius apostolicus scribit Lucerna 6. Decembris 1580 Annae ab Offtringen, monasterii „Paradisi", ordinis S. Clarae, abbatissae: Diuinare vix possum vnde tibi tam dura paretur crux. . . . Jussi Patrem Canisium te apertius consolari. *Et Friburgo Helvetiorum 17. Decembris 1580 Wolfgango Pyrringer, Paradisi curam animarum gerenti:* Ex Reuerendo Patre Canisio, occasione illum nescio

qua de te percontatus, accepi, licet is fuerit aliquot in Paradiso dies, nunquam tamen te illi confessionem vllam peccatorum tuorum fecisse; quod quidem mihi summopere displicuit. *Deinde eum serio adhortatur ad virtutem et industriam sacerdote vere dignam, qua ostendat, se in Societate Iesu ad pietatem institutum esse.*

Canisius autem Friburgo Helvetiorum 5. Ianuarii 1581 P. Hoffaeo provinciali scribit: Dedi operam consolandis sororibus, sicut R. T. praescripserat, in Inschouen et Paradiss, neque me poenitet illas in hoc itinere inuisisse. *Atque exstat adhuc commentarium orationis sacrae sive exhortationis, quod Canisii manu sic inscriptum est:* Ad religiosas in Paradiso sitas.

Canisius Constantia Paradisum circa d. 27. Novembris venisse et inde circa 30. Novembris Lucernam profectus esse videtur; v. supra p. 816.

Exhortationem, quam dixi, Canisius sua manu scripsit, festinanter tamen et ita, ut alia bis terve, se ipsum quasi explicando et corrigendo, scriberet, alia (nisi fallor) omitteret. Quam, quia orationes a Canisio ad sacras virgines habitae non exstant nisi paucissimae, hic, quantum fieri poterit, ponam, nihil (nisi duo verba) additurus, aliqua omissurus. Canisium germanice dixisse et res suadent et verba germanica a Canisio latino huic commentario ascripta produnt.

„Loetor in domino, qui me dignum fecit huc uenire, et uidere hanc domum dei laudabilem et bene ordinatam, quae ante breue tempus deserta et prophanata erat in potestate hostium Ecclesiae, nunc autem mirabiliter restituta et reddita est Catholicae religioni, et appropriata zugeainiget uestrae dilectioni. Vnde[a] Catholici omnes iure gratias Deo agere[b], qui facit mirabilia solus[1], et uobiscum laetari deberent quoniam paradisum recuperastis.

Nunc quia tempus datur nos in nomine domini congregandi[2], paucis dicam quibus modis paradisum nostrum conseruare et augere possimus, ut multa bona folia et fructus in illo appareant [qui][c] Dei angelorum et bonorum oculos delectent.

Nota[d] Christum regem in suo regno habere[e] multos seruos et ancillas, et ita multiplex est uocatio. Sic aliter est uocatus Joannes baptista, aliter Joannes Euangelista. 2 Aliter Andreas, aliter Magdalena. Vnde Paulus · Numquid omnes Apostoli, Prophetae[3] aut Euangelistae?[4]

Quae nostra uocatio hoc loco[f] degentium? Vt uiuant[g] se conformando illis[h] in paradiso terrestri habitantibus.

1 plantauit deus paradisum[5] et[i] assumpsit et collocauit[k] in eo Adam et Euam 2[l] dedit illis praeceptum et ordinem in quo exercerent suam obedientiam et assecurauit eos, ut securi essent de omnibus necessarijs quamdiu obedientes et innocentes manerent. Erat igitur domus obedientiae paradisus, et referta multis delitijs, ubi nihil deerat homini in anima et corpore[6].

3 Jllic homo agnoscebat Deum et amabat et multas accipiebat a Deo reuelationes, illic benedicebatur[7].

4 illic regebat se et suos sensus[m].

a) *Sequuntur vv.* nos omnes et, *oblitterata.* b) *Quattuor vv. sqq. a C. in margine addita sunt.* c) *Quae hic et infra uncis quadratis inclusa sunt, ab editore suppleta sunt.* d) *Sequuntur vv.* deum in si, *oblitt.* e) *Sequuntur vv.* magnam familiam, et in ea, *oblitt.* f) *Sequitur ?* Vt, *oblitt.* g) *Sequitur* sicut, *oblitt.* h) *Sequitur* qui, *oblitt.* i) *Duo vv. sqq. a C. supra versum scripta sunt.* k) *Sequitur* eos, *oblitt.* l) *Sequuntur vv.* uoluit vt illic exerc, *oblitt.* m) *Inter hunc et proximum versum C. postea scripsit haec vv., quae ad posteriorem orationis partem spectare videntur:* Tanto laudabilior paupertas, quanto plus habet de uoluntario et gaudio.

[1] Ps 71, 18. [2] Mt 18, 20. [3] 1 Cor 12, 29. [4] Cf. Eph 4, 11. [5] Gn 2, 8. [6] Cf. Gn 2, 9 15—17. [7] Cf. Gn 2, 19 20; 3, 8.

5 illic manserunt uirgines et casti.

6 illic non erat meum et tuum, sed homo sine desiderio auri et argenti, carnis et piscis, elixorum et assatorum, paucis contentus sine sollicitudine cibi et potus et uestitus et pompae, domus et familiae.

Sed quia homo cum [in] honore esset non intellexit[a][1] amissa ueste innocentiae prouidet Deus alium paradisum his qui hoc loco uiuere uolunt, et ipsi perfecte seruire et amissam uestem recuperare, postea daturus etiam celestem paradisum obedientibus. Dedit illis nouum ordinem regulam S. Francisci scilicet, ut secundum illam se exerceant in promissa paupertate castitate et obedientia, vultque ab illis paradisum[b] spiritualem ornari, vt appareat locus amenus et gratus ipsi et Angelis, multique dulces fructus in eo horto nascantur et[c] inueniantur semper.

Vt paradisus noster fiat etiam spiritualis paradisus nobis, opus fido et perito agricola 2 firmo muro 3 fructiferis arboribus.

Opus bono hortulano patre scilicet celesti agricola[2] et plantatore[3], qui plantauit paradisum ab initio[4]. Js autem ferre non potuit inobedientes in paradiso, sed statim eos primo die expulit et exclusit in perpetuum[5], Tantus amator et zelator est obedientium, sicut fuerunt Henoch[6] et Elias[7], quos transtulit in paradisum deus[8]. Ve igitur inobedientibus Deo et superioribus, ut Adam et Euae. Et quis nouit si forte propter[d] peccata priores hinc[e] et ex alijs monasterijs eiecti et tali loco multis annis priuati sunt. . . .

2 Opus bono et forti muro id est clausura perfecta contra hostes et bestias nos custodiente. Triplex autem murus hic desideratur. 1. corpus ab alijs secularibus separat. 2 linguam a multiloquio et nocuis et inutilibus uerbis 3 animum et sensus omnes interiores et exteriores conseruat. Tales muros circa se habuit mater dei inclusa domi, cum uenit angelus[9]. 2. in uerbis tam prouida et circumspecta[10], 3 nunquam peccans sensu ullo mentis uel corporis[f]. Bona clausura exterior, quam Christus sponsus procurauit suis sponsis, uolens solus esse dilectus earum[11], neque conspici et amari [eas] ab alijs secularibus, et auferre illis libertatem loquendi exeundi et conuersandi cum exteris, quae libertas multis obest et[g] magnam dat ansam spirituali personae, quae cum Magdalena sedere debet ad pedes Domini, et optimam partem elegit[12]. Neque tamen sufficit haec clausura nisi lingua se contineat[h] quae est uelut ostium et porta domus interioris nostrae[i] ualde claudenda si uolumus pacem habere interiorem, et non impedire nos ipsos in dei cultu et puritate conscientiae. Nec minus opus clausura sensuum, ne ingrediantur hostes et aliquando mors per fenestras[13], ut in Dauid[14], Salomonem[15], Petrum[16], Dinam[17] etc.

Opus arboribus nostris radice profunda ut bene fundentur et contra uentos perstare possint. . . .

Opus ut in paradiso cunctj coniuncti maneant uinculo amoris et concordiae, non dantes locum irae, contentioni amaritudini etc. Jn hoc cognoscent omnes[18] Joa. 13. Omne regnum in se diuisum desolabitur[19], ita omnis ciuitas, communitas[k], domus, et multo magis monasterium, in quo requirit hortulanus maxime

a) *Tria vv. sqq. in margine addita sunt.* b) *Sequitur* ornari, *oblitt.* c) *Sequitur* colli, *oblitt.* d) *Sequitur* Deus, *oblitt.* e) *Quattuor vv. sqq. a C. supra versum scripta sunt.* f) *Sequuntur vv.* Non fuisset ex, *oblitt.* g) *Sequitur* ad, *oblitt.* h) *Sequitur* et, *oblitt.* i) nostri *autogr.* k) *Sequitur iterum* ciuitas.

[1] Ps 48, 13 21. [2] Cf. Io 15, 1. [3] Cf. Mt 15, 13. [4] Gn 2, 8.
[5] Cf. Gn 3, 6—24. [6] Cf. Gn 5, 22 24; Eccli 44, 16; Hebr 11, 5.
[7] Cf. 3 Rg 17, 1 — 19 21; 4 Rg 2, 11; 1 Mach 2, 58 etc.
[8] Eccli 44, 16; cf. 1 Mach 2, 58; Hebr 5, 11. [9] Cf. Lc 1, 26—38.
[10] Cf. Lc 1, 34 38 46—55; 2, 48; Io 2, 3 5. [11] Cf. 2 Cor 11, 2.
[12] Lc 10, 39 42. [13] Jer 9, 21. [14] Cf. 2 Rg 11, 2—25.
[15] Cf. 3 Rg 11, 1—8.
[16] Cf. Mt 26, 69—74; Mc 14, 66—71; Lc 22, 54—61; Io 18, 25—27.
[17] Cf. Gn 34, 1—3. [18] Io 13, 35. [19] Mt 12, 25; Lc 11, 17.

domesticos esse unius coloris, et cor unum et animam unam[1]. Jn pace factus est locus[2] Christi. Pacem habete[3] et deus pacis erit uobiscum[4], non autem apud discordes.

Opus nos crescere in spiritu et fieri arbores frugiferas in nostro paradiso, ne simus contenti professione, habitu, ceremonijs. Ego autem fructificaui sicut olea fruct. in domo Dei[5]. Ad hanc fructificationem egemus bona radice humilitatis, quae nascitur ex profunda cognitione sui et defectuum suorum. 2 egemus quotidiano[a] cultro ad circumcisionem nostrae arboris, quae semper malos fructus etiam proferre solet, nisi cura circumcidendi adhibeatur oculis auribus linguae et sensibus et membris omnibus. Mortificate ergo membra vestra super terram[6]. 3 egemus ad fructificandum[b] bono pane ad nos in via dej confortandos. Panis enim cor hominis confortat[7]. Panis noster est frequens meditatio passionis Christi et nostrorum nouissimorum de quibus dicitur Eccli. 7.[8] haec roborant debiles, excitant pigros, impellunt tardos, infirmos sanant, mestos consolantur."

Bonhomius 27. Ianuarii 1581 Annae Gutjahr ab Offtringen abbatissae scripsit: „Jussi patrem Canisium te apertius consolari" (*A. Büchi* in „Zeitschrift für schweizerische Kirchengeschichte" I, Stans 1907, 259). Illa vero postea male se gessit (*K. Kuhn*, Thurgovia sacra III, Frauenfeld 1883, 356). Anno 1838 monasterium hoc a republica turgoviensi suppressum est (*Konr. Eubel* O. M. Conv., Geschichte der oberdeutschen [Strassburger] Minoriten-Provinz, Würzburg 1886, 156 225 304)

1265. **Ab exeunte m. Novembri ad 9. Decembris 1580.**
Canisius Constantiam et Lucernam venit.

1. Canisius, Dilinga 21. Novembris 1580 in Helvetiam versus profectus, per Constantiam transiit. Cum enim a. 1626 Frisingae in curia episcopali de Canisio in Beatorum numero ponendo ageretur, *Sebastianus Strang* constantiensis, Societatis frater laicus, qui a. 1597 Friburgi Helvetiorum Canisio aegrotanti ministraverat, hoc testatus est: „Se illum vidisse primum Constantiae Anno 1580, quando ipse Testis adhuc erat puer duodennis" (ex *„Processu Beatificationis Ven. S. D. Petri Canisii", n. 115; qui commentarius manu P. *Franc. Xav. Schmalzgrueber* S. J. [† 1735] conscriptus exstat Dilingae in bibliotheca lycei; etiam apud *Riess* l. c. 472 ²).

Canisium ex monasterio inzikofensi (v. supra p. 845) Constantiam circa d. 27. Novembris venisse censeo.

2. *Canisius* Friburgo 5. Ianuarii 1581 P. Hoffaeo provinciali *scripsit: „Octo fere diebus apud Lucernates nostros haesi" (ex autogr.; Germ. 184 f. 70ᵃ). Et *„*Historia* collegii Lucernensis" anno 1618 in eodem collegio conscribi coepta haec habet in a. 1580: „2. Decembris Lucernam duxit Jodocus Swartz coadiutor, R. P. Petrum Canisium · quem mox 19.° eiusdem, Friburgum Heluetiorum cum P. Roberto Ardreno abduxit Reuerendissimus Nuncius Vercellensis" (ex Codice „Liber Historiae Collegii Societatis Iesu Lucernae" T. I p. 53; qui Codex exstat Lucernae in archivo urbis). Item P. *Sebastianus Plaichs-*

a) *Duo vv. sqq. in margine addita sunt; in infima pagina C. haec addidit:* Rebmesser oder Hackmaister. b) *Sequuntur vv.* cibo confortante, *oblitt.*

[1] Act 4, 32. [2] Ps 75, 3. [3] Mc 9, 49; 2 Cor 13, 11 etc.
[4] 2 Cor 13, 11; Phil 4, 9. [5] Ps 51, 10. [6] Col 3, 5.
[7] Ps 103, 15. [8] Cf. Eccli 7, 14.

hirn S. J. in * „Collectaneis pro scribenda historia collegii Lucernensis" ex eiusdem monumentis circa a. 1725 excerptis de Ioanne Francisco Bonhomio episcopo vercellensi et nuntio apostolico haec narrat in a. 1580: „2 Decembris Lucernam venit R. P. Canis · sed eum cum P. Robert: Ardreno idem Illustrissimus Friburgum abduxit" (Cod. „Jesuitica, Lucern Fasc. 85", n. 1717; qui est Monachii in archivo regni bavarici). Atque ipse *Bonhomius* Lucerna 7. Decembris 1580 cardinali Comensi scripsit: „Spero d'inuiarmi diman, o l'altro co'l Padre Canisio" [a Friburgo] (ex litteris archetypis, quae sunt in archivo vaticano, Nunz. di Germ. 103 p. 338—339).

Notandum tamen est, „Historiae" illius auctorem lapsum esse, cum Bonhomium et Canisium 19. Decembris Lucerna abisse scriberet; nam eos 10. Decembris abisse constat; v. infra, monum. 1266.

„Jodocum Schwartz" in collegio Societatis constantiensi a. 1621 „fere septuagenarium", cum „annos supra 40." Societatis frater laicus fuisset, mortuum esse narratur in * „*Compendio* Annalium Provinciae Germaniae Superioris ab Anno 1615 usque ad 1649" (Cod. „G. Sup. 67" p. 202—203). Eum a. 1561 ex „Altstetten" (reipublicae tigurinae pago) ortum et 42 annos in Societate versatum esse refert *Gröber* l. c. [v. supra p. 152 [4]] 285).

Corrigenda sunt, quae scribit *Boero:* „Il dì 21. di Novembre di quest' anno 1580 · partì il P. Canisio da Dilinga in compagnia del P. Roberto Ardreno inglese; e dopo aver visitato per via il monastero delle principesse in Hala, e preso commiato in Monaco dal duca Guglielmo, . . . entrò felicemente nell' Elvezia, e fè capo a „Lucerna" (Can. 375). Eadem (ex Boerio) exstant apud *Raemy de Bertigny* (l. c. 59), *Daurignac* (l. c. 355), *Séguin-Bongarts-Allard* (l. c. 251). Canisius neque cum Ardreno Dilinga Lucernam venit, neque ex itinere Halam vel Monachium devertit.

1266. 10. Decembris 1580.

Ex exemplo archetypo, ab uno ex Bonhomii nuntii apostolici in itinere friburgensi comitibus (de quo plura infra) scripto et a Bonhomio Romam ad cardinalem Comensem misso, in cuius dorso alia manu antiqua scriptum est „X^{e} 80 Relatio iniuriae factae Episcopo Vercellensi a Bernensibus" (2° min.; 5½ pp.; in p. 6 inscriptio); exemplum hoc est Romae in archivo vaticano, „Nunziat. di Germ. 103" p. 324—329 et folio sq. non sign. Alterum exemplum, idque eadem manu, festinantius tamen, scriptum, exstat ibidem l. c. p. 340—346. Eandem relationem, omissis tamen multis rebus singularibus (ut nominibus) *Lucas Burgius* (Borgo), qui in Helvetia ex Bonhomii „familiaribus" erat, posuit in libro suo „Jo. Francisci Bonhomii Borromeis", Mediolani 1589, 104—108; unde eam *Franc. Arisius* transcripsit in opus suum „Cremona literata" II, Parmae 1705, 353-355. Relatione illa vaticana usus est *Feller* l. c. II 136.

Praefatio editoris: Si quis hanc relationem de iniuriis Bernae Bonhomio eiusque comitibus illatis scriptam legerit, non solum intelleget, eam ab uno ex comitibus illis compositam esse, sed etiam facile in eam deveniet opinionem: Eam ab illo ipso scriptam esse, qui „Interpres Reuerendissimi" Bonhomii in ea vocatur. Canisius autem 5. Januarii 1581 Romam ad P. Paulum Hoffaeum rettulit, Bernae „interpretem adhibitum esse" a Bonhomio P. Robertum Ardrenum S. J. (v. supra p. 592 [1]); quem ex collegio lucernensi eductum Bonhomius eo die cum Canisio Friburgum duxit. Ita etiam facile intellegitur, cur neque relationi auctoris nomen ascriptum sit, neque interpretis in ea nomen ponatur; Socii enim, ne in illo negotio ipsi apparerent, valde cavebant, ne protestantium in se odia augerentur. Accedit, quod Canisius in litteris, quas dixi, Hoffaeum monuit, Ardrenum „de Bernensi tractatione" aliqua aut modo, aut alias missurum esse (v. supra p. 598). Cum autem apud Societatem

eiusmodi Ardreni relatio (quod equidem sciam) non exstet, sic conicio: Ardrenus duo illa, quae supra dixi, relationis exempla scripsit, unum pro Bonhomio, a quo id recta ad cardinalem Comensem missum est; alterum pro Sociis romanis; qui, ut alias quoque faciebant, pontificis ministris id tradiderunt.

Brevitatis gratia eam relationis partem, quae fere ad solum Bonhomium spectat, omittam.

Bonhomius nuntius apostolicus cum PP. Canisio et Ardreno Friburgum petens, dum per Bernam transit, cum comitibus a protestantibus variis iniuriis afficitur.

Cum die Sabbati proxime tertiam Aduentus Dominicam praecedente[1] ad horam circiter undecimam Bernam cum suo comitatu intrasset Reuerendissimus Dominus Episcopus Vercellensis Nuntius apostolicus atque paulo ultra hospitium coronae perrexisset, totum fere populum uidit in circulum conglobatum, ita ut transitus nulli patere posset. Jnterroganti autem Reuerendissimo quid hoc esset, respondit honestus uir Jacobus Grunder eques Ciuitatis Lucernensis, Dominorum Lucernensium humanitate, ut dux itineris esset, nobis adiunctus, hominis malefactoris cuiusdam scelera populo praelegi, ut moris est, cum capitis supplicio damnaretur, ac propterea nobis esse eousque expectandum, quoad tota sententia perlegeretur, quamobrem unus ex familiaribus Reuerendissimo consuluit, ut ad proximum diuerteret hospitium prandendi causa, ne frustra expectaretur; quod statim fieri mandauit Reuerendissimus[2]. Antequam autem ab equis descenderetur, adfuit ex apparitoribus publicis[3] unus, qui Jacobo equiti supradicto, dum ab equo descenderet, dixit non debere illum discedere, neque Episcopum ex Ciuitate ducere, donec Domini ipsius cum illo essent locuti, illos enim ipsum arrestare. Hoc statim Jacobus Reuerendissimo per interpretem significauit; petijt itaque interpres a Bernensi apparitore Germanice, quid uellet. Respondit se Dominorum nomine Episcopum arrestare, seu illi ne discederet mandare, donec cum illis fuerit locutus; quod ubi Reuerendissimo est significatum, ascendit in hospitij superiora loca (hoc enim ante hospitij fores factum est), uix autem ascenderamus cum tota domus plena fuit plebeis, et alijs mixtim hominibus, qui uaria inter se loquentes dixerunt, suspendantur etc., quibus respondit aliquis ex comitatu Reuerendissimi. Magni res pretij est suspendium, uidete quid loquamini, illi e contra, nescio quid, contumeliose dixerunt; Tum Reuerendissimus multitudine circumseptus, adstantibus aliquot ex suis hoc consulentibus, iussit mitti Jacobum Lucernensem equitem cum Domino Laurentio Boccardo Friburgensi, quem eodem loco, Deo ita disponente, Catholicum inter multos alios aduenas, praesertim Geneuenses, inuenimus, quique humanissime salutandi gratia per turbam perrumpens ad Reuerendissimum accessit, et salutauit reuerenter; Eos inquam misit ad Praetorem petitum, quare ipsum arrestauerit, se in animo habere ea nocte Friburgum usque

[1] Die 10. Decembris. [2] Devertit ad „Coronam“ („Krone“).
[3] „Stadtweibel“.

pergere etc., ideo instare, ut cito, quid uelint, ipsi Reuerendissimo significent; quod ubi factum est, praetor respondit se uelle ad Nuncium uenire, et illi causam arresti aperire. Paulo uero post adfuit in hospitio praetor uterque[1], et simul sex alij senatores apparitoribus multis, et famulis stipati; Cum uero iam aduenissent, interrogauit Jacobus illos, an ipsi ad Reuerendissimum uellent ascendere, uel ille ad ipsos deberet descendere (erat enim Reuerendissimus in 2° tabulato). Responderunt, uelle se in aulam, quae in domus parte posteriore erat, intrare, illuc ad se illum uenire debere; quod cum significatum esset Reuerendissimo, descendit suis comitatus, atque ad illos ordine stantes ingressus statim singulos salutans, manum porrexit praetori in primis, qui tunc in officio fuerat[2], deinde reliquis ex ordine, quod cum faceret, illi caput aperientes manus etiam ipsi porrexerunt; Deinde quidam ex familia Reuerendissimi sedem, quae forte aderat, Reuerendissimo applicuit, ut sedere posset, quod cum aduerteret, iussit Dominos etiam Bernenses sedere, cumque noluissent (nec enim poterant omnes ob loci incommoditatem sedere) neque ipse uoluit sedere, Tunc Reuerendissimus per interpretem interrogauit Dominos, quid nam causae sit, cur se Ciuitatis ipsorum exitu prohibuissent. Respondit praetor primus in ordine, qui fuit Dominus de Mullen[3] pluribus uerbis, eoque tempore multi, inter quos praedicantes aliqui Bernenses erant, se in aulam ad ostium ingesserunt, ut omnia audire possent; Jnterpres autem Reuerendissimi petita facultate summam tantum dictorum Reuerendissimo referendi, eis primo exposuit, quam putabat esse dictorum summam, cumque approbasset praetor, rettulit Reuerendissimo in hunc fere modum; Dominos Bernenses intellexisse, Reuerendissimum non id solum facere, quod praeseferebat, et ad quod se missum dicit; sed etiam ipsos ignominiosis uerbis haereticos germanice Ketzer appellasse, Jtem quaedam[a] moliri, quae, si habuerint successum, ipsorum Ciuitati totique ditioni magnum possent adferre detrimentum, ac propterea ipsos nomine reliquorum senatorum, ac DD. suorum, illum amice admonitum uelle, ut posthac nec per ipsorum Ciuitatem, nec per fines transeat, etiam si cuiuscunque generis comitem habeat securitatis gratia ab alijs quibusque sibi adiunctum, nisi uelit arrestari, et ad ea, quae sibi objciuntur respondere; hac quidem uice posse illum transire, sed postea non amplius. Ad haec Reuerendissimus primo respondit se nunquam Bernenses Dominos Ketzer appellasse (addidit interpres, non enim scit Germanice), immo cum concionator ipsius[4] ante annum, in concione diuisos a catholica religione eo nomine uocasset, ipseque Reuerendissimus hoc, quod esset illis odiosum, in-

a) quedam *archet.*

[1] Duo illi sculteti sive „Schultheissen", qui rem publicam suprema cum potestate gerebant; his nomina erant „Mülinen" et „Diesbach" (*Feller* l. c. II 136).

[2] Dominus de Mülinen (*J. G. Mayer* l. c. I 281). [3] Mülinen.

[4] Wolfgangus Pyrringer, paullo ante ex Societate dimissus; v. supra p. 539.

tellexisset, prohibuisse, ut hoc amplius ne uteretur uocabulo; Fieri igitur hac in parte sibi iniuriam, monereque se Dominos, ut non tam faciles cuiuis male de se loquenti aures praeberent; Ad hoc non habuerunt, quod amplius dicerent; Ad 2um respondit Reuerendissimus, cupere se intelligere, quid illud sit, quod contra ipsos se moliri dicant, Responderunt, iam non esse hoc dicendum uel alijs uerbis in eandem sententiam; dixit Reuerendissimus se quidem coniectura assequi, ni fallatur, quid uelint innuere, uelleque ipsis dicere suam coniecturam, si illis placeret; Respondit praetor, post consultationem cum altero praetore habitam, posse Dominum Nuncium, si habet, quod ultra dicat, illud proferre; tunc Reuerendissimus dixit, credere se illos innuere uelle, quod Lausanensem Episcopum[1] ad residentiam adigere uoluerit, non quidem Lausanae sed Friburgi Heluetiorum; at cum ex Dominis Friburgensibus intellexisset, non fore hoc illis gratum reliquisse hoc infectum, nec amplius illud urgere negocium, quamobrem non uenturum illum amplius hoc tempore. Ad hoc illi nihil responderunt, sed dixerunt curare Reuerendissimum homines suae religionis ex locis, in quibus habitant, expellere, hanc tantum ob causam, quod ipsorum essent religionis, quod duobus non ita dudum fecit etc. Ad hoc Reuerendissimus respondit, fateri se duos Porrentrucenses[2], nisi intra certum tempus ad catholicam reuerterentur fidem, mandasse Ciuitate expelli; sed ex hoc se nunquam putasse offendi debere Dominos Bernenses, cum nec illorum essent subditi, nec conciues, nec omnino Heluetij, nec Heluetijs confoederati; ad quod etiam nihil aliud dixerunt: tandem addiderunt illum prohibere, ne catholici cum diuersae religionis hominibus commercium haberent etc. quae res esset illorum ciuitati, et ditioni pernitiosissima futura; Reuerendissimus respondit, hoc minime ueritati conuenire, sibique apertissimam fieri iniuriam, ad quod ipsi nihil itidem responderunt. Cum uero ipsi nihil amplius dicerent, ac discessuri uiderentur, illos interrogauit Reuerendissimus an, quandoquidem responsiones illius accepissent, prohibitionem de non transeundo per illorum ditionem reuocarent, nolle se quidem cum ipsis pugnare, aut contra ipsorum uoluntatem eorum fines attingere, sed considerare eos diligenter debere, quid agant; Responderunt, hac uice quidem Reuerendissimum posse libere transire; de reliquo iam esse responsum. Vrsit Reuerendissimus admonens ut uiderent, et diligenter considerarent, quia ius gentium hoc pacto uiolarent[3], non quidem multum se hanc rem curare, uideri tamen sibi graue, ut sibi, qui illos nunquam loesisset, transitus sine causa prohiberetur; Ad

[1] Antonium de Gorrevod.

[2] Homines civitatis vel terrae bruntrutanae (Pruntrut, Porrentruy, nunc reipublicae sive cantonis bernensis); hi tunc in rebus civilibus imperio episcopi basileensis subiecti erant.

[3] Hoc legatorum personas etiam apud paganos hostesque defendit et quasi inviolabiles facit.

quod responderunt, se uelle die lunae cum Dominis suis hac de re conferre, ipsique infra triduum per literas responsum mittere Friburgum usque sicque Reuerendissimus illos humaniter dimittens, exemploque docens Basiliensis cuiusdam ciuis[1], et aliquot Rhoetorum, se etiam diuersae religionis hominibus, cum occasio se offert, gratificari, singulis aperto capite, porrigens iterum manum illos iussit ualere, monuitque iterum, ne, omnibus de se referentibus, ita facile fidem adhiberent, quo facto illi statim discesserunt.

Jnterim, dum haec gererentur, unus ex familia Reuerendissimi famulus a pedibus uolens, dum alij in initio consisterent, et nondum in hospitium diuertissent, praeuenire, ad portam Ciuitatis transiturus perrexit, quo cum peruenisset, duo illum lictores illius brachia comprehendentes in carcerem abduxerunt, illiusque crumenam, et ligamina tibialium, postquam in caligis, sinuque si quid haberet aliud, quaesijssent, illi abstrahentes, ibi inclusum ad horae spacium detinuerunt; postquam uero a Reuerendissimo praetor, coeterique senatores discesserant, conuitiosis uerbis, ut conijcere potuit, ex proterua prolatione, et insultatione extra carcerem dimissus est, et compulsus extra Ciuitatis portam malis uerbis abire; Post prandium uero, cum Reuerendissimus discessurus mulam conscenderet, turba multa adfuit, multique inconditis uocibus clamabant o hans, o hans, quae est irrisoria uox, illumque cingebant, alij uero uocem asininam fingebant, alij manus gladijs apposuerunt minaciter, alij nebulonem, furem etc. uocantes proximum illi patibulum imprecabantur, alij niuium globis, et rapis[2] ipsum, et comites impetebant, unusque in dorso ascendentem niuea pila percussit; Jam uero per plateas equitantem similibus contumeliosis uocibus, et niuium proiectione sunt prosequuti, nouisque conuitijs Arrianos, et Anabaptistas illos uocarunt[3], quae tamen conuitia a Reuerendissimo Domino audita, minusue percepta non sunt, qui quidem profitetur se non passurum unquam fuisse Arriani, aut Anabaptistae nomine compellari, uel si periculum uitae subire oportuisset.

Neque illud uero silentio praetereundum uidetur, quod cum initio constitimus, furisque ad patibulum damnati scelera populo legerentur, dixerunt quidam ex populo, furem illum dimitti posse, et alterum furem, qui iam aduenerat, eius loco suspendendum.

Huius narrationis praecipua capita confirmantur relatione, quam Bonhomius ipse 12. Decembris 1580 Friburgi in urbis senatu verbis fecit; quae germanice in eiusdem senatus **Actis* posita est (Cod. frib. „Manual“, in 12. Dec. 1580).

---

[1] Ambrosium Frobenium, typographum basileensem, dicere videtur: de quo plura in proximo huius operis volumine dicentur.

[2] „Mit Räben [= Rüben] geworffen“, dicunt septem *Pagi catholici* Helvetiae in litteris Lucerna 10. Ianuarii 1581 eo de facinore ad Bernates datis (apud *J. G. Mayer* l. c. 283). *Feller* (l. c. 136) minus recte: mit „Unrath“.

[3] „Jnne einen Schelmen, Dieben, Lottersbuben, Arrianer vnnd Töuffer gescholten, auch Jmme den galgen gewünscht“, dicunt *Pagi catholici* in litteris, quas modo dixi (l. c.).

Sebastianus Werro sive Veronius friburgensis (1555—1614), insignis doctrinae et virtutis vir, qui hoc tempore Friburgi ad S. Nicolai parochus urbis erat (plura de eo in proximo volumine dicentur), in suo „De vita Ven: P. nostri Petri Canisij Theologi e Societate Jesv extrema parte“ *Commentario inter a. 1597 et 1602 (ut videtur) scripto haec narrat: „Ioan. Franc. Bonhomius. . . . Nuncius Apostolicus . . . Petrum Canisium eius societatis sapientissimum et primarium Theologum . . . adduxit Friburgum; cuius quidem quanta commoda in eam ac vicinam regionem profectura essent, perpetuus cum praesentiret hostis Ecclesiae Sathan, Bernae qua transibant, turbas statim excitavit, quibus detenti viri Dei, Senatus acrem, licet immeritam reprehensionem, et vulgi ludibria ac petulantiam sustinuerunt, magno uterque animo; Episcopus enim consuli ac senatoribus oratione non minus eleganti, quam gravi, tanta prudentia, constantiaque respondit, vt facti illos e vestigio poeniteret: Canisius vero conscensis iterum equis, cum alij Episcopum rapis, et nivium compactis globis per summum scelus impeterent, alij congestum manibus lutum ipsi in ocreas infarcirent, tanquam non haberet in ore suo redargutionem[1], cum manus sibi, linguamque sanctae patientiae legibus colligasset, hominum proterviam placide inspectabat. Quanquam impune non abierit ille, qui tragoediae initium dederat civis Bernensis Albertus Stahel sutor; is enim cum adueniente in urbem Episcopo conclamat, ac paulo post eum repellendum, digrioremque supplicio esse quam latronem qui tum forte ad supplicium ducebatur: abeuntis Episcopi mulum cauda apprehensum evertere, humique decutere conatus fuerat, vertente anno ipsemet ob commissum incestum capitis poenam luit“ (ex apographo Friburgi Helvetiorum circa a. 1730 ex archetypo exscripto et authenticitatis, quam vocamus, testimoniis munito, quod exstat Monachii in archivo reipublicae bavaricae, Jesuitica in genere Fasc. 13, n. 214, f. 1. *Raderus* haec a Veronio (quamquam eum non commemorat) mutuatus est (l. c. 179 ad 180).

Bonhomius de eadem re Friburgo 10. (11.) Decembris 1580 ad Jacobum Christophorum Blarer a Wartensee episcopum principem basileensem scripsit: „Magni muneris et gloriae non leuis loco ponere debeo, si sapio, eiusmodi iniurias et contumelias“; et Friburgo 11. Decembris 1580 „septem Cantonum“ Catholicorum „dominis“ eadem narrans affirmavit: „Quod ad me attinet, nullam vindictam posco“ (ex apographis eiusdem fere temp.; Cod. rom. „D. II 36“ p. 464—467); et Friburgo 14. Decembris 1580 cardinali Comensi scripsit: „Al mio credere, se non era con noi per guida un messo publico di Lucerna, uestito alla sua diuisa di bianco, et azurro, il quale anco mi diedero questa uolta i signori di Lucera contra il suo solito, . . . ci cacciauano in prigione, per quello, che fecero al seruitore che andò inanzi, prima, che i senatori parlassero meco . . . Essendomi auenuto questo affronto fuor di tutti i propositi del mondo et senza hauerne io lor data alcuna minima occasione mi pare, che poco se ne debbiamo curare, anzi rallegrarsene; poiche ueramente mi hanno ingiuriato solo per l'odio che portano à S. Beatitudine e per le cose della religione catholica, non ui essendo qui altra cagione mischiata, se non uolessimo dire, che si sono mossi anco in gran parte per il collegio de' Giesuiti, del quale se bene non mi hanno detto apertamente altro, intendo però, che rimangono offesi mirabilmente; ma questa è anco causa di religione“ (ex archetypo, quod est in archivo vaticano, Nunz. di Germ. 103 p. 354—357).

Septem pagis catholicis „Consul Senatusque Civitatis Bernae“ Berna 12. Decembris 1580 scripserunt: In Bonhomium, postquam senatores ab eo discessissent, „quosdam de plebejis et de pueris minoris aetatis“ nives coniecisse; „Senatum multum inde doloris accepisse, nec id impune abire permisisse“ (*Theiner*, Ann. III in a. 1580 n. XXXII). Ipsi quoque Bonhomio eodem die *Bernates* *scripserunt: Quod ipsorum „populus“ et „pueri minoris aetatis“ contumeliis eum affecissent, id sibi „ingratum ac molestum“ fuisse (ex apogr. eiusd. temp., quod est Friburgi Helvetiorum in archivo reipublicae, Geistl. Sachen, Nr. 317). Quibus *Bonhomius* Friburgo 16. Decembris 1580 *rescripsit:

---

[1] Ps 37, 15.

Non solum a populo puerisque, sed etiam a plurimis viris barbatis gladiisque instructis se suosque iniuriis affectos esse, id se ipsum conspexisse (ex apogr. eiusd. temp.; Nunz. di Germ. 103 p. 358—362). Bernatium facinus etiam magis conatus est velare *Daniel Bruckner* basileensis (saec. XVIII); qui in continuatione Chronici basileensis a Wurstisen compositi de Bonhomio haec notavit: „Als er bey einer öffentlichen Versammlung des Volcks nach Bern kam, ward er von selbigem einigermassen durch Werfung etwelcher Schneeballen auf sein Gefolge beschimpfet": Bassler Chronick, Durch *Christian Wurstisen,* 3. Aufl., Basel 1883, 461.

Ceterum haec omnia ostendunt, feliciter contigisse, ut Canisius, cuius nomen protestantibus et notissimum et valde exosum erat, a Bernensibus non agnosceretur.

A Bonhomii eiusque comitum verbis discrepant, quae P. *Oliverius Manareus* S. J. lapsu quodam memoriae in „Commentario de rebus Societatis Iesu" circa a. 1600 composito de Bonhomio Friburgum cum Canisio profecto narrat: „Quia Berna in ipsa via est sita, oportuit eum in ea pernoctare. Ut vero optimus erat praelatus et valde pius, quod fortassis a 30 annis factum non fuerat (quia totum oppidum Calvini haeresim amplexatum erat), secreto quidem in ipso diversorio sacrificium Domino Deo obtulit. Mane quando equos inscenderunt, ut abirent, pro foribus diversorii multis contumeliis . . . est . . . affectus": Commentarius etc., Florentiae 1886, 168. Neque Friburgum tam procul abest a Lucerna, ut non possint equites uno die inde illuc pervenire.

1267. **A 10. Decembris 1580 ad 2. Ianuarii 1581.**

Bonhomius et Canisius Friburgi perhumaniter excipiuntur. Bonhomius Canisium vehementer commendat. Friburgenses pro eo sibi misso gratias agunt. Libri. Calices.

P. *Petrus Michael* S. J., primus rector (1582—1596) collegii friburgensis, in huius collegii *Historia circa a. 1584 haec sua manu notavit: „P. Canisius . . . et P. Robertus Ardrenus[a] [?] Anglus, oppidum ingressi sunt 10 Decemb: anno 1580, ad Canonici Cantoris domum primum diuerterunt eamque ad tempus inhabitarunt" (Cod. frib. „Hist. coll. Frib." p. 1—2). Cantoris („Grand Chantre") officium in collegiali capitulo S. Nicolai habebat Franciscus Garin[1]; qui fortasse alibi habitabat. „Mensam" tamen, ut *Canisius* ipse 5. Ianuarii 1581 Romam rettulit (v. supra p. 600), paullo post iis „praebere" coepit „vicina domus Parochi" ad S. Nicolai, qui erat Sebastianus Veronius. Huic *Bonhomius* nuntius apostolicus Kalendis Ianuariis 1581 ex monasterio murensi scripsit: „Venerabilem autem P. Canisium, cum P. Ruperto, quos pro tuis Contubernalibus suscepisti, tuae charitati ac prouidentiae ita commendo, vt illos nunquam poenitere possit tuae primum curae post discessum Friburgo meum fuisse commissos"[2] (ex apogr. eiusd. fere temp.; Cod. rom. „D. II. 36" p. 564—565). Friburgo autem Bonhomius discessit 29. Decembris 1580, ut ex epistula eo die ab eo data intellegitur (ex apogr.: l. c. p. 553).

a) *Vel* Andrenus; *id in illius temporis monumentis saepe ponitur pro* Ardrenus; *quod verum eius est nomen.*

[1] *Ap. Dellion* O. Cap., Dictionnaire historique, statistique des paroisses catholiques du Canton de Fribourg VI, Fribourg 1888, 332—333; *Berthier* l. c. 212.

[2] Ideo assentiri vix possum R. P. *Nicolao Raedlé* O. Min. Conv., de friburgensi ordinis sui monasterio scribenti: „Notre cloître eut la faveur de les posséder pendant les premières semaines de leur séjour dans notre ville": Revue de la Suisse catholique XIV, Fribourg en Suisse, 210.

In „*Brevi Narratione* Fundationis Collegij Friburgensis in Helvetia“ circa a. 1675 in eodem collegio ex primis fontibus hausta narratur: „Canisius . . . ad D. Cantoris Canonici aedes diuertit, donec domus amplior et usibus nostris accomodatior in Platea Losanensi pararetur“ (Cod. frib. „Cod. iur. Coll.“ p. 745). P. *Petrus Michael* autem, collegii friburgensis primus rector: „Anno Dominj“, inquit, „1582 Martij uero mensis die xij coempta est aere publico ad scholas conficiendas domus Rugonetti sita in platea Lausannica. . . . Eodem anno mense Julio die xv empta nobis quoque a Senatu est domus nobilis Dominj Ludouici Cleri contigua scholis, quam mox inhabitare coepimus“ (Cod. frib. „Hist coll. Frib.“ p. 3—4).

In „*Brevi Narratione*“, quam modo dixi, haec quoque notantur: „R. P. Petrus Canisius cum Patre Roberto Andreno[b] Anglo Friburgum 10. Decembris 1580. pervenerunt, incredibili Nuncij gaudio, excepti perhumaniter ab Urbis magnatibus, et ipsa studiosa juuentute trivialis scholae, quorum unus excitatae Indolis adolescentulus Latino Idiomate appulsos consalutauit. Fuit Is Pancratius Python, posthac Vir in Republica litteris et gestis Magistratibus clarissimus. Consilij Senator et Tabularij Iuriumque fiduciariorum et Clientelarium summus cognitor, P. Canisij cui a sacris primus minister fuerat perpetuus Encomiastes, Collegij tantus Patronus, ut a nonnullis Jesuitarum Angelus diceretur, quam et ille Societatis curam morti proximus anno 1648. quatuor filijs commendauit“ (Cod. frib. „Cod. iur. Coll.“ p. 744—745).

Haec ex parte confirmantur ipsius *Ioannis Francisci Bonhomii* nuntii apostolici verbis; is enim Friburgo 13. Decembris 1580 Caspari Brunner ludimagistro thermopolitano scripsit: „Tanta animorum alacritate ab Illustribus his Friburgi Dominis excepti sumus, cum Reuerendo Patre Canisio, vt nihil esse videatur, quod amplius a nobis in hoc genere desiderari potuisset“ (ex apogr. eiusd. temp.; Cod. rom. „D. II 86“ p. 480—483).

In **Actis* porro consilii sive senatus „cotidiani“ friburgensis narratur, in senatu 12. Decembris 1580 habito Bonhomium quoque fuisse. „Nach dem er ettliche geschäfft an andern ortten verricht, zeigt er an wie er nit vnderlassen wöllen myn herren zubegrüssen, vnnd zu vffrichtung des Jesuiter Collegij, wie dann myne: H: mit jme abgeredt, beschlossen vnd ime verwilliget, ettlich Jesuiter, villicht nit ein solliche Zal wie er vermeint, vnnd vonnöthen wäre, aber nit den geringsten, sunnders den fürnembsten in gottsforcht, leer, etc. allher gefürt, wie er verhoffe das myn herren selbs syn exempel vnnd vnsträfflich leben, vnd leer, ob gott will, nit an frucht sechen vnd spüren werdend[1],

a) *Sic; v. supra p. 858, adnot. a.*

[1] Bernae in bibliotheca urbis universitatisque exstat, ut ex amico accepi, urbis bernensis Chronicon de annis 1550—1594 ab *Ioanne Haller* et *Abrahamo Musculo* conscriptum, in quo de Bonhomio haec (in a. 1579—1580) dicuntur: „Zur selben Zeit hat dieser Bischof auch Petrum Canisium, aller Jesuiteren Grossvatteren, von Augs-

Jm vbrigen habe er by Bäpstlicher Heiligkheit angehallten vnnd verschafft, das vnangsehen der geistlichen Constitution, die da nit zulasst, das nach dem abgang eines generalen des Jesuiter ordens, einich Collegium solle vffgricht werden, biß das ein Annder General geordnet [wäre] [?][1] Bäpstliche Heiligkheit bevolhen, geheissen vnnd gewöllen hab, das diss Collegium vffgericht wurde, dessen institution dem Prouincialen[2] beuolhen worden. . . . Nach verhör des allen, ist abgrathen, das man im syner erbiettung, gutten vnd geneigten willens, fründtlich dancken . . . mit . . . dancksagung das sy mit einem sollichen Jesuiter, alls D: P: Canisius versehen etc."[3] (Cod. frib. „Manual", in 12. Dec. 1580).

Bonhomius paullo post Friburgo discessit; qui litteras, quas Kalendis Ianuariis 1581 ex monasterio murensi (Muri), ordinis benedictini, Friburgum ad Petrum Schnewly, collegialis ecclesiae S. Nicolai praepositum et episcopi lausannensis vicarium generalem, dedit, his verbis terminavit: „R. P. Canisium senem uenerabilem tanquam in bombice[4] inuolutum diligentissime custodi" (ex epistula archetypa, Bonhomii manu subscripta, quae exstat Friburgi in archivo reipublicae, Cod. „Nr. 449" f. 41; etiam apud *Berthier* l. c. 66).

Nescio utrum *Sebastianus Veronius* (v. supra p. 858) duas hasce Canisii commendationes a Bonhomio factas breviter complecti an tertiam quandam commendationem proferre voluerit, cum in *Commentario illo de Canisio scripto (v. supra p. 857) haec diceret: „Aiebat beatae memoriae Bonomius Episcopus cum Friburgum adveheret Canisium, virum se adduxisse dignum, qui in bombyce ut monilia servaretur" (l. c. f. 8[a]).

P. *Jacobus Keller* S. J. in Canisii *Vita circa a. 1612 conscripta haec Veronii verba nonnihil amplificavit (nisi fallor), cum scriberet: „Bonhomius Friburgi productum in curiam, dilaudatumque Canisium frequenti Senatuj exhibet his inter alia verbis: En habetis Friburgenses (Veronius ad D. Nicolaj praepositus Canisij mirificus cultor, ita refert)

---

burg beruft und zu Freiburg eingesetzt, welchen die Schultheissen der Stadt selber entgegengezogen" (Ms. Hist. Helv. I 130 f. 110[b]).

[1] *Constitutiones* Societatis Iesu P. 4, c. 2, n. 1; P. 9, c. 3, n. 17.

[2] P. Paulo Hoffaeo, praeposito provinciali Germaniae superioris.

[3] Nescio quam recte Berchtold affirmet, Bonhomium eo die cum senatoribus per Canisium interpretem collocutum esse: Histoire du Canton de Fribourg, par le Docteur *Berchtold*, II, Fribourg en Suisse 1845, 269—270. Certe autem labitur *Raemy de Bertigny*, cum scribit, Bonhomium et Canisium ipso illo d. 10. Decembris, quo Friburgum advenerint, in senatum introductos esse, et Canisium ad senatores verba fecisse (l. c. 60).

[4] Bombyx (bombix) = vermis, ex quo sericum texitur, et ipsum sericum, „aliquando accipitur pro quavis tenuiore ac molliore lanugine", ut pro gossipio: *Aeg. Forcellinus,* Totius Latinitatis Lexicon I, Lipsiae et Londini 1839, 336—337. Bombyx = Seidenwurm, Seidenstoff; übertragen wird es auch gesagt „von der feinern Baumwolle": Ausführliches lateinisch-deutsches Handwörterbuch von *K. E. Georges,* 8. Aufl., herausgeg. von *H. Georges,* I, Hannover und Leipzig 1913, 846.

gemmam in theca serica, virum in bombice servandum" (Can. 47 p. 26; cf. *Can.* I LV).

Deinde *Matthaeus Raderus* S. J. sub a. 1615 Kellerum (quamquam eius nomen hoc loco non posuit) secutus est, cum Veronium haec „de aduentu Canisij annotasse" scriberet: „Cum inquit, ciuitati Canisium sisteret Episcopus; En, ait, inter caetera, habetis Friburgenses gemmam, in theca serica, virum in bombice seruandum" (l. c. 180).

Ex Radero haec complures auctores, alii accurate, alii minus accurate, exscripserunt[1], velut *Agricola, Python, Riess* etc. *Dorigny* Bonhomium haec quoque facit dicentem: „C'est un Saint, dont vous devez vous faire honneur d'avoir les reliques dans vôtre ville"; deinde notat: „La suite a verifié que l'Evêque parloit en homme inspiré" (l. c. 358). Haec vana sunt.

Caeterum *Consul senatusque friburgensis* Canisii adventum gratissimum sibi fuisse, non solum Hoffaeo provinciali (v. supra p. 601), sed etiam Gregorio XIII. pontifici testati sunt; huic enim Friburgo 2. Ianuarii 1581 *scripserunt: „Incredibile dictu est (sanctissime in Christo Pater ac Domine Clementissime) quantam nobis molestiam illa Reuerendorum Patrum de Societate Iesu pro institutione Collegij in vrbe nostra, quanquam non adeo longa fortasse, at nobis longissima, mora attulerit, quam tamen reditus Reuerendissimi Domini Episcopi Vercellensis cum duobus Societatis Jesu patribus, altero quidem D: Petro Canisio, cuius insignis pietas, vitae sanctimonia, doctrina et virtus quam notissima[a] eße non potest, adeo abunde compensauit, ut omnipotenti primum Deo, Sanctitati dein tuae et Reuerendissimo Domino Nuntio, quas possumus grates non agere, impium omnino fuerit, ijs omnibus Reipublicae nostrae commodo, saluti et ornamento ita egregie consultum volentibus" (ex archetypo, quod est in archivo vaticano, „Nunziatura di Svizzera 1. A", p. 97—98).

Multis quoque aliis rationibus et Bonhomius et senatus friburgensis suam in Socios et maxime in Canisium caritatem declararunt. Ita *Bonhomius* Friburgo 23. Decembris 1580 ad Casparem Brunner sive Fonteium († 1585) scholae thermopolitanae (Baden) moderatorem, virum propter doctrinam et pietatem sibi carum, scripsit: „Patrem Canisium saluere iussi tuo nomine, eique ostendi postremam, quae illum attingit, tuarum literarum particulam, qui quidem tibi multas

a) *Supplendum esse videtur hic vel paulo superius:* non.

[1] In litteris Friburgo 16. Octobris 1621 datis, quibus *collegium S. J. friburgense* versionem germanicam vitae canisianae a Sacchino latine scriptae consulibus, senatoribus, civibus friburgensibus dedicat, haec ita narrantur: „Es ist EE. Gnaden vnd Herrligkeit nit vnbewusst, das . . . der hochwürdige Herr Franciscus Bonhomius . . . den Ehrwürdigen vnd seligen P. Petrum Canisium . . . dem gantzen Ehrsamen Raht mit dergleichen worten praesentirt hat: Nemmet hin, sprach er, dieses kostliche Berlin vnd Edelgestein, welches von euch mit sonderem fleiss soll geehrt, geliebt, vnnd verehrt werden": *Leben* deß Ehrwürdigen Patris Petri Canisij, Dilingen 1621, f. (?) II[b]—(?)III[a].

gratias agit, sed negat se id muneris de Cathechismo tuo in latinum idioma vertendo suscipere posse, facultate a Patre Prouinciali non impetrata; Eademque excusatione vtitur P. Rupertus, quod petitam Epistolam non mittat; teque saluere iubet ex animo" (ex apogr. eiusd. fere temp.; Cod. rom. „D. II. 36" p. 529—532). Item in **Actis* consilii sive senatus „cotidiani" friburgensis refertur: D. 23. Decembris 1580 Petro Schnewly praeposito ad S. Nicolai („Probst") rem proponente „Jst den Jesuitern bewilliget worden ettlich bücher zun Augustinern vnnd Parfussern[1] in den Bibliotheken zenemmen, deren sy ein Jnuentarium geben söllen" (Cod. frib. „Manual" in 23. Dec. 1580). Et: In senatu 20. Iulii 1584 habito „Denen [Jesuitern] sind zwen kelch, die man inen anno 80 gelihen, geschenckt worden" (ex Cod. „Rathsmanual Nr. 128", [qui est Friburgi in archivo reipublicae], in 20. Iul. 1584).

Canisium „III Idus Dec. ipso die S. Damasi" sive 11. Decembris a Bonomio ductum esse Friburgum affirmat (a. 1614) *Raderus*, Can. 174—175; quem (cum aliqua dubitatione) sequitur *Genoud* l. c. 81. Sed 10. Decembris eum Friburgum advenisse intellegitur (ut alia testimonia omittam) et ex ipsius Bonhomii relatione et ex narratione P. Petri Michaelis, primi rectoris collegii friburgensis; v. supra p. 858. Atque ipse *Canisius* in *relatione Friburgo 8. Iunii 1581 Romam ad Societatis supremos moderatores missa (quae in proximo volumine ponetur), se 10. Decembris cum Bonhomio et per Bernam transisse et Friburgum ingressum esse affirmavit.

Daurignac, cum, qua ratione Canisius Friburgum missus ibique exceptus sit, narrat, poëtarum more rem in maius extollit (l. c. 354—360).

1268. **A 18. Decembris 1580 ad 1. Ianuarii 1581.**

Canisius Friburgi tres contiones habet.

Bonhomius nuntius apostolicus P. Hoffaeo Friburgo 28. Decembris 1580 scripsit, Canisium Friburgi duas contiones habuisse easque toti populo et praesertim universo senatui valde placuisse; quas in templo S. Nicolai habitas esse ipse Canisius testatus est (v. supra p. 596 600). Exstat autem adhuc Codex (in 4°), signatus „Can. 36", in quo et harum contionum et illarum, quas ille proximis mensibus habuit, commentaria scripta sunt; quorum alia Canisius ipse, alia P. Robertus Ardrenus S. J., qui erat primus socius eius friburgensis, alia alii scripserunt; quae omnia Canisius recognovit, emendavit, amplificavit.

Sequuntur tres primae contiones.

„Contiones Friburgenses anno 1580. Dominica 4 aduentus" sive 18. Decembris 1580. „Propositio. Primum percurremus breuibus Euangelium[2], notando quaedam circa Joannis et Judaeorum uerba 2 quomodo quisque ad bonum et salutarem Christag se praeparare et ita D o m i n o p a r a r e u i a m debeat"[3] (ex comment.,

---

[1] Monasteria significantur Eremitarum S. Augustini et Fratrum Minorum Conventualium.

[2] In dioecesi lausannensi, ad quam Friburgum pertinet, evangelium Dominicae IV. Adventus erat Io 1, 19—28; quod ritu romano legitur Dominica III. Adventus (*Missale* ad vsum Lausannensem, Lugduni 1522, f. vi^a).

[3] Is 40, 3; Mt 3, 3; Mc 1, 2; Lc 3, 4.

ab Ardreno scripto et a Can. recognito: Can. 36 f. 1a—7a). Plura vide infra, monum. 1269.

„In die Christi natalitio" sive 25. Decembris 1580. „Differt Christi natiuitas et nostra. . . . Qui participes huius gaudiosi festi. . . . [Qui] seruant rite suum Christag" (ex commentario ab ipso Can. scripto; l. c. f. 7b—9a)

„Jn festo circumcisionis 1581" sive Kalendis Januariis 1581. De ratione diei festi. „De circumcisione carnis exteriore." „De nouo anno seu xenio elargiendo." „Reliqua uide in alio libro" (ex commentario ab ipso Can. scripto; l. c. f. 9b—10b).

1269. 18. Decembris 1580.

Ex contionis commentario, quod P. *Robertus Ardrenus* S. J., Canisii socius friburgensis (Canisio dictante, ut videtur), scripsit (cf. Cod. II 42 p. 58) et ipse Canisius plurimis locis emendavit et amplificavit; commentarium ab Ardreno sic inscriptum est: „Conciones Friburgenses anno 1580. Dominica 4 aduentus". Cod. „Can. 36" f. 1.

Canisius Friburgi munus contionandi magna cum pietate animique demissione ingreditur. Magistratus officii admonet.

1. *Primam contionem Canisius Friburgi habuit Dominica IV. Adventus, quae erat d. 18. Decembris 1580, in templo S. Nicolai; aderant reipublicae senatores (v. supra p. 596); Canisius sic orationem exorsus est:* Quoniam ita vsu venit vt ego licet indignus, hoc praedicandi munus ab hac dominica ordiri debeam: Inprimis ex animo fontem omnis gratiae perpetuum, Deum omnipotentem imploro et peto vt mihi talem spiritum et zelum, talem virtutem et facultatem, talem libertatem et constantiam, talem humilitatem et reuerentiam benigne largiatur, qualem Joannes Bap: in hodierno euangelio habuit [1], et erga missos ad se legatos publice [declarauit][a]. Rogo etiam vt idem Deus a quo bona cuncta procedunt, me faciat alterum Joannem id est uocem non modo personantem longe, sed et [quae][b] penetret corda terrena, emolliat et conuertat[2], ut omnes parent uiam domini[3][c], vt auditores mei qui nunc sunt et erunt imposterum cum uera poenitentia parent viam Domino et ex audito verbo fructum referant, sicut[d] Joannis auditores[e]. Cum enim Ioannes clamasset in deserto[4], commouit totam prouintiam in quibus impletum fuit quod praedixerat angelus gabriel: Multos filiorum Jsrael conuertet ad Dominum deum ipsorum[f] et praecedet illum in spiritu et uirtute Eliae ad conuertendum incredulos ad prudentiam iustorum[5].

Rogo praeterea[g] sicut peregrinus et ignotus Theologus[h] Dominos et amicos dilectos[6], fratres etiam et sorores omnes meos Friburgenses in domino ut[i] ex Christiana Caritate sua [me][k] patienter ferre[l] velint et[m] insolitam infirmam uocem boni consulere et alios[n] defectus aut ineptitudines ex parte personae vocis, insufficientiae vel indispositionis ubersehen[o]. Eph. 4 Cum patientia supportantes inuicem in charitate[7] · vertrage einer den anderen in der[p] lieb. Memineritis quaeso apostolicae regulae alter alterius onera portate et sic

a) *Hoc vel simile v. supplendum esse res ipsa ostendit.* b) *Hoc supplendum esse res ipsa docet.* c) *Sic Can. ipse correxit ex* faciat vocem talem clamantem in hoc deserto et cum tali effectu. d) *Sic Can. correxit ex* et idem faciant quod. e) *Novem vv. sqq. ab ipso C. addita sunt.* f) *Quatuordecim vv. sqq. a C. addita sunt; in margine Ardrenus scripsit:* Luc. 1. g) *A C. correctum ex* etiam. h) *A C. correctum ex* peregrinus et inops. i) *A C. supra versum scriptum.* k) *Hoc ut suppleatur exigit tota oratio.* l) *Can. super hoc v. scripsit:* anheren. m) *Tria vv. sqq. a C. ipso addita sunt.* n) *A C. correctum ex* consulere si quos in me. o) *Hoc v. a C. supra versum scriptum est. Sequuntur vv.* Sicut quilibet suos defectus ac neuos habere consueuit, *a C. oblitterata. Eorum loco posuit C. vv.* Eph. *etc*, *usque ad* lieb *incl.* p) *Sequitur* geduldigen, *oblitt.*

[1] Io 1, 19—28 (v. supra p. 862 [2]); hoc evangelio narratur testimonium a S. Ioanne Baptista Christo apud sacerdotes et levitas Hierosolymis ad se missos datum.

[2] Cf. Is 40, 3—5; Mal 3, 1; 4, 6; Mt 3, 3; Mc 1, 2 3; Lc 1, 16 17; 3, 3—6; Io 1, 23. [3] Is 40, 3; Mt 3, 3; Mc 1, 3; Lc 3, 4.

[4] Is 40, 3; Mt 3, 3; Mc 1, 3; Lc 3, 4; Io 1, 23. [5] Lc 1, 16 17.

[6] Senatores significat. [7] Eph 4, 2.

adimplebitis legem Christi.[a][1] Hoc[b] possum cum bona conscientia testari quod ego me non ingesserim in hoc graue munus et quod nullum commodum proprium meum quaeram et expectem sed ad solam Dei gloriam cupiam in hac nobili uinea domini laborare, et omnibus guthertzigen pauperib. et diuitibus inseruire gratis[c][2]. Hoc dixerim non solum de praedicandi munere sed et de Catechismo uel Kinderlehr, de audiendis confessionibus et alijs sacerdotalibus empteren, quae iuxta probatum morem nostrae societatis passim a nobis praestari solent ad Dei gloriam et communem utilitatem omnium Christifidelium siue sani sint siue infirmi, parati et debitores omnibus obedientiam praestandi.

Quoniam vt paulus ait neque qui plantat neque qui rigat est aliquid, sed qui incrementum dat deus[3], et quia scriptum est[d]. Nisi Dominus aedificauerit Domum in vanum laborauerunt qui aedificant eam[4]: Jdcirco[e] non possum omittere quin me et munus meum praedicandi vestris orationibus cum magna solicitudine debeo commendare[f] per quas impetretis potentem dei gratiam ad hoc necessariam, vt verbum dei non solum a me recte proponatur[g] [et] [?] tractetur [?], sed etiam a auditoribus digne acceptetur, hocque bonum semen[5] in bonum agrum iactum · bonum fructum adferat[h][6]. Beati enim qui audiunt verbum dei, et custodiunt illud.[i][7] Et Paulo teste Non auditores legis[8] Rom. 2. Estote factores uerbi[9]. Quod si casus sese offerat vt ex auditoribus meis quidam dicta mea male intelligerent, vel ea carpere vellent, aut ex eis etiam offenderentur illos amanter rogatos velim ne ad iudicandum et damnandum sint praecipites, sicut et christus prohibuit[k][10] sed vt potius ex christiana caritate per se vel per alios me monendum curent 2 ut conferant mecum 3 ut sciant me paratum ad rationem reddendam sed cum omni mansuetudine. Jn mansuetudine suscipite insitum verbum[11] Jac. 1. Estote inuicem benigni misericordes[12]. Scio enim quantum referat[l] pauli praeceptum obseruare. Si fieri potest quod ex vobis est cum omnibus hominibus pacem habentes[m][13]. Verum haec satis praeambuli loco[n] ut semel declarem cor meum et C. V.[14] sciat, quomodo res geschaffen sey. Et spero quod boni omnes haec dicta in bonam partem interpretabuntur, Super hoc enim fundamento posthac in nomine Domini laborabimus, et[o] ex hac naui euangelicum rete[p] eijciemus[q][15]. Ne hoc frigido tempore sim longior et diu uos detineam. Propositio *etc.*

a) *Ardrenus in margine scripsit:* Gal. 6. b) *Quae sequuntur, usque ad* praestandi *incl., a Can. correcta sunt ex his vv. ab Ardreno, Canisio dictante, scriptis:* Hoc de me possum polliceri quod ego ad munus hoc nouum veniam cum bona simplici et syncera voluntate magnis et paruis inseruiendi, in hac nobili vinea Domini fideliter laborando iuxta meam quidem possibilitatem, et iniunctam mihi obedientiam praestando. c) *Vide infra, adnot. 2.* d) *Ardrenus in margine scripsit:* 1 Cor. 9. ps. 126. e) *C. huic v. superscripsit:* Demnach, *et 4 quoque vv. sqq. supra versum scripsit.* f) *Sic; sed propter 4 illa vv. paullo supra addita hic corrigendum fuit:* solicitudine commendem. g) *Hoc v. a C. supra versum scriptum est; quare aut* et *addendum, aut* tractetur *oblitterandum fuisse videtur.* h) *Sic C. correxit ex* in auditoribus operetur, ac fructum debitum adferat. i) *Ardr. in margine.* Luc. 11 ; *vv. sqq., usque ad* uerbi *incl., a Can. ipso addita sunt.* k) *Ardr. in margine:* matt. 7. Jo 7. l) *Sic C. sua manu correxit ex vv. ab Ardreno scriptis:* monendum curent, quibus ego semper ad respondendum paratum et mansuetum me offero nil cupiens magis quam; *qui tamen vv.* quibus ego semper ad respondendum paratum *non oblitteravit.* m) *Ardr. in margine:* rom. 12. n) *Quae sequuntur, usque ad* sey *incl., a C. in margine addita sunt.* o) *Tria vv. sqq. a C. supra versum scripta sunt.* p) *Hoc v. a C. additum est.* q) *Quae sequuntur, a C. ipso addita sunt.*

[1] Gal 6, 2.

[2] In margine manu Ardreni scriptum est: „quod gratis accepi, gratis dare"; cf. Mt 10, 8; 2 Cor 11, 7. [3] 1 Cor 3, 7. [4] Ps 126, 1.

[5] Mt 13, 24 37. [6] Cf. Mt 13, 8 23. [7] Lc 11, 28.

[8] Rom 2, 13: „Non enim auditores legis iusti sunt apud Deum, sed factores legis iustificabuntur."

[9] Iac 1, 22. [10] Cf. Mt 7, 1—5; Lc 6, 37; Io 7, 24.

[11] Iac 1, 21. [12] Eph 4, 32. [13] Rom 12, 18. [14] Id est: Caritas Vestra.

[15] Cf. Mt 4, 18 19; Mc 1, 16 17; Lc 5, 1—11; Io 21, 1—11.

In ipso deinde contionis corpore *Canisius,* quomodo sibi contionatoris officium administrandum esse censeret, significavit: „Praecipue", inquit, „Ioannes exemplum reliquit praedicatoribus, vt non sint timidi in veritate praedicanda, nec spectent personas hominum[1] praesertim magnatum, neque adulentur peccantibus loquentes placentia[2], vae den Jo herren vnd suppen fresser qui [non] norunt mordere vulpem sed suam potius quam dei gloriam quaerunt" (ex commentario, de quo supra. Can. 36 f. 2[b]).

2. *Canisius prima hac opportunitate usus est ad magistratus tum ecclesiasticos tum civiles officii admonendos et ea confirmanda, quae Bonhomius nuntius visitatorque apostolicus identidem Helvetiis dixerat et praeceperat:*

Ad prudentiam laudabilem pertinet Magistratuum, aduigilare et cauere, vt semina nouorum errorum et dissidiorum in religione supprimantur potius quam crescant. . . . Est enim hoc proprium officium magistratuum graues motus praesertim in fidei negotio praeuenire et seditiosos compescere; ne turbetur populus in religione, si videat et audiat de illa publice dubitari disputari scribi[a] et contendi de vera et falsa religione et nouas exoriri sectas. . . . Cur tam male procedit caussa religionis? Cur tam multae sectae et dissensiones multiplicantur? vnde tot hostes et perturbatores verae et antiquae religionis, quae[b] passim contemnitur opprimitur et aboletur? Cur tam multi simplices[c] de fide sua dubitant et nesciunt quid credere et tenere debeant de sacramentis, de vero cultu, et christianis caeremonijs? vnde horum malorum origo? Dormitat magistratus nec curat ab initio ire obuiam cum venit inimicus et superseminat zizania in medio tritici[3]. 2 causa. Magistratus ciuilis[d] nimium se immiscet causae religionis, parum aut nihil curat diuinam ordinationem, per quam in ecclesia sunt instituti pastores et sacerdotes ad iudicandum et concludendum de rebus spiritualibus, de veris et falsis doctrinis religionis, de nouis et antiquis erroribus, de vero sensu scripturae, Jllorum est proprium dicere visum est spiritui sancto et nobis[4].

1270. 21. Decembris 1580.

Ex litteris archetypis in membrana scriptis et sigillo capsulae incluso munitis, quae sunt Friburgi Helvetiorum in archivo reipublicae, Arch. du Coll. St.-Michel, B 5 (Humilimont B. n. 2). Litterae ex eodem archetypo typis exscripsit *Alb. Büchi,* Urkunden zur Geschichte des Collegiums in Freiburg, in „Freiburger Geschichtsblätter" 4. Jahrg., Freiburg i. Ue. 1897, 70—72.

Praefatio editoris. *Consul senatusque friburgensis* iam d. 26. Decembris 1579 Gregorio XIII. scripserant, se, „ad unionem monasterii Marsens, Ordinis Praemonstratensium, in agro suo siti, pro erectione et stabilimento" collegii Societatis Iesu friburgensis „facile consensisse", ita ut pontifici „liberum esset, concessis et expeditis unionis litteris", Societatis Iesu praeposito generali mandare, ut „primo quoque tempore" Socios Friburgum mitteret (*Steffens-Reinhardt,* Nunt. I 703). Quamquam autem pontifex haec valde probabat et in collegii instituendi proposito perstabat, litterae illae multum dilatae et procrastinatae sunt; mense tandem Iulio 1580 supplex de „unione" illa libellus Romae „signatus" est (*Berthier* l. c. 231), et 2. Septembris 1580 *Oliverius Manareus* Societatis vicarius generalis Roma ad P. Paulum Hoffaeum Germaniae superioris provincialem *scripsit: „Eius rei diplomata iam expediuntur" (ex comm.; Rh. Inf. 1, II f. 47[a]). Neque tamen cito haec Friburgum perlata sunt. Nam *Ioannes Franciscus Bonhomius* nuntius apostolicus, cui senatus friburgensis unionis illius ad effectum deducendae curam commiserat (v. supra p. 599[2]), Friburgo 14. Decembris 1580 Ptolemaeo cardinali Comensi scripsit: „Il P. Canisio mi tien

a) *Hoc v. C. supra versum scripsit.* b) *Sequitur* possint, *oblitt.* c) *Hoc v. a C. supra versum scriptum est.* d) *Quinque vv. sqq. a C. supra versum scripta sunt.*

[1] Mt 22, 16. [2] Is 30, 10. [3] Mt 13, 25. [4] Act 15, 28.

pur dimandato le lettere della unione, auanti, che far l'atto di accettare quel momonasterio à nome della compagnia, et io mi sforzo di dargli ad intendere, che non siano necessarie, et che siano per uia, et ch' io le aspetto d' hora in hora, come faccio anco delle mie facoltà, quali egli stesso mi fà grande instanza di uedere ogni giorno" (ex archetypo, quod est in archivo vaticano, Nunz. di Germ. 103 p. 354 ad 357). Wolfgango autem Pyrringer idem *Bonhomius* Friburgo 15. Decembris 1580 *scripsit: In Italiam proficiscar, „prius tamen Marsensis monasterij Societatis nomine per Reuerendum Patrem Canisium, qui omnibus quam gratissimus est, possessione accepta" (ex apogr. eiusd. fere temp.; Cod. rom.: „D. II. 36" p. 492—493). Interea, dum litterae unionis Friburgum perferuntur, *Bonhomius* Friburgi causam marsensem urgebat. Ita 16. Decembris 1580, cum dominorum friburgensium ante profectionem suam salutandorum gratia senatum intrasset, haec, praeter alia, ab eo dicta esse in **Acta* eiusdem senatus relatum est: „Demnach khönne er nit für dann das er ir gnad piett, das sij ob des gottshuß Marsens inkhommen vnd gerechtigkheit trüwlich vffsehens haben, vnnd damit den Jesuitern diß orths nützit abgange, zwen vß dem Rath zu den zweijen schon ernampseten Herren ordnen, Demnach auch ein sunderbaren mann zu einem amptmann, der das gottshuß vnd alles so dem selbigen gehört, trüwlich verwalltte [1]. Demnach ob schon er mijn herren des costens mit der vffrichtung des Collegij erlassen, vermeine er doch, das mijn herren vnbeschwärt sijn sollind vnd wöllind mitler Zijtt zu disem werck rath vnd fürdersam zesijn, mit pitt das man die Jesuiter vnd fürnemlich den Herren Canisium in günstigem beuelch habe, wie er daran, vnd an mijnen H: alls den gottsförchtigen khein Zwijffel habe." (Cod. frib. „Manual", in 16. Dec. 1580).

Die tandem 20. Decembris 1580 litterae illae apostolicae *Bonhomio* in ipso illo monasterio marsensi traditae sunt (v. supra p. 596); qui inde 21. Decembris 1580 ad cardinalem Comensem *scripsit: „Hieri sera à punto un mio staffiere . . . mi portò le Bolle del Collegio con le lettere di V. S. Illustrissima di XIX del passato" (ex archetypo; Nunz. di Germ. 103 p. 369—371).

Gregorii XIII. bullae „apud S. Petrum" datae ascriptus est dies 25. Februarii 1580 [2]. Pontifex affirmat, se „motu proprio, non ad Praepositi et presbyterorum" Societatis „seu alicuius eorum pro eis nobis super hoc oblatae petitionis instantiam, sed de nostra mera liberalitate ac de Apostolicae potestatis plenitudine" collegium friburgense instituere et „Monasterium B. Mariae de humili Monte nuncupatum loci de Marsens Praemonstratensis Ordinis", idque, „sicut accepimus, in solitario loco" a Friburgo „per duodecim milliaria distante aedificatum, et a Iurisdictione aliorum Superiorum dicti Ordinis exemptum, . . . in quo tantum sex vel septem dicti Ordinis Monachi Professi, vna cum Abbate, ab Episcopi (cui suberant) correctione, visitatione et iurisdictione destituti, licentiose degunt", cum omnibus eius bonis et iuribus eidem collegio friburgensi attribuere ita, ut Praemonstratensibus illis liberum esset, vel in eodem monasterio sub iurisdictione nuntii apostolici vel episcopi dioecesani regularem disciplinam observare, vel in aliud sui ordinis coenobium, quod ipsos excipere paratum esset, transmigrare, vel ecclesiis, etiam parochialibus parochorum permissu operam navare; per nuntium denique apostolicum definiendum esse, quantum Praemonstratensibus illis sustentandis rector collegii quotannis ex bonis marsensibus praebere deberet (*Berthier* l. c. 225—226).

Res marsenses malo loco erant. Eius incolae, ut in **Brevi narratione* illa (v. supra p. 859) notatur, parum bene audiebant tum ob illicita cum mulieribus

---

[1] Anno 1582 Franciscum Grimaud bonorum marsensium a senatu constitutum esse custodem sive curatorem scribit *F. Kuenlin*, Dictionnaire géographique, statistique et historique du Canton de Fribourg I, Fribourg 1832, 113—114.

[2] Anno Incarnationis Dominicae millesimo quingentesimo septuagesimo nono V. Calendas Martij, Pontificatus nostri Anno octauo (stylo florentino, quem vocant cf. *Can.* IV 475—476 et *Duhr*, Jes. I 226 [10]).

commercia, tum „ob illicitas largitiones bonorum“. „Unus prae reliquis“ propter pravos mores „solum vertere iussus.“ Accedebat „fortuita Monasterij conflagratio, anno 1578, cui reparando rursus praedia satis ampla divendere necesse fuit“ [1]. Atque Ioanne Chollet abbate 1. Iulii 1580 mortuo reliqui, neglecta nuntii apostolici prohibitione, alium in eius locum, electione irrita et vana, sufficere conati sunt (*Brevis Narratio* etc.; Cod. frib. „Cod. iur. Coll.“ p. 739—740 745—747; P. *Petrus Michael* S. J. in Cod. frib. „Hist. coll. Frib.“ p. 1—2). Haec cum ita se haberent, Bonhomius Canisio in possessionem monasterii mittendo diem 21. Decembris 1580 designavit; de quo facto conscriptae sunt litterae publicae, quae modo ponentur.

Canisius a Bonhomio nuntio apostolico sollemniter in possesionem monasterii Marsens a pontifice collegio friburgensi attributi mittitur.

I H S [2]

Jn Nomine Domini Amen. Notum sit omnibus et singulis quod anno a natiuitate Domini Millesimo Quingentesimo Octuagesimo Jndictione octaua die uero uigesima prima Decembris in infrascripto monasterio coram nobis infrascriptis notarijs et testibus ad hoc specialiter uocatis et rogatis, cum praesens personaliter constitutus R. P. D. Petrus Canisius ex societate Jesu nomine et tanquam procurator eiusdem societatis exposuisset, qualiter a Sanctissimo Domino Nostro D. Gregorio diuina prouidentia Papa XIIJ° monasterium Sanctae Mariae humilis Montis seu alias de Marsens ordinis Praemonstratensis ditionis Friburgi Nuitonum, et Lausanensis Dioecesis Illustrium ac Potentum DD. Friburgensium ad hoc expresso accedente consensu, unitum, et incorporatum, atque attributum fuerit Patribus Societatis Jesu pro Collegio in Ciuitate Friburgi supradicta eiusdem societatis instituendo ut patet ex literis apostolicis desuper expeditis sub plumbo, Datis Romae apud Sanctum Petrum anno [3] Millesimo Quingentesimo septuagesimo nono, eiusdem Sanctissimi D. Pontificatus anno octauo. Jdeoque pro dictarum literarum apostolicarum et unionis supradictae executione instanter ab Illustri admodum, et Reuerendissimo D. D. Joanne Francisco Episcopo Vercellensi, ac praefati Sanctissimi D. N. Gregorij apud Heluetios Rhaetos Confoederatos subditos etc. Nuncio ibidem existente petijsset procuratorio nomine quo supra dictae Abbatiae humilis Montis illiusque bonorum iurium et pertinentiarum quarumcunque realem, et actualem possessionem sibi dari; Jdem Reuerendissimus D. asserens se bene de supradictis omnibus informatum, atque ad dictarum literarum apostolicarum executionem paratum esse eundem R. P. D. Petrum Canisium tamquam procuratorem eiusdem societatis in possessionem mittendum duxit, et re ipsa per altaris maioris amplexum, calicis apprehensionem, campanae pulsum, et ipsius

[1] Cf. *Fr. Reichlen,* Notice sur l'abbaye de Humilimont, in „Revue de la Suisse catholique“ XXIX 157—167 291—309.

[2] Significatur, nisi fallor, nomen Iesu (IHESVS).

[3] Scribendum fuit: „anno Incarnationis Dominicae Millesimo“ etc.; v. supra p. 866 [2].

Ecclesiae clauis a monachis ipsis factam traditionem immisit, dicens, et declarans eandem Societatem Jesu, et dictum Patrem Canisium tanquam Societatis procuratorem, actorem, et gestorem esse uerum, certum, et indubitatum dictae Abbatiae eiusque omnium iurium, et pertinentiarum possessorem, atque ut talem ab omnibus, quorum interest recognosci debere ad earumdem literarum apostolicarum praescriptum, et formam. De quibus omnibus, et singulis, ut supra gestis, ne in posterum de eisdem dubitare ulla ratione contingat, idem Reuerendissimus D. Nuncius, ac Reuerendus P. D. Petrus Canisius rogarunt nos infrascriptos notarios et quemlibet in solidum, ut unum siue plura publicum, seu publica conficiamus instrumentum, uel instrumenta. Acta sunt haec in Ecclesia Sanctae Mariae monasterij Humilis montis supradicti, die et anno supradictis. Praesentibus ibidem RR. DD. Petro Schneulin Praeposito Friburgensi, et Fratre Jo: Michaeli ordinis Sancti Francisci, necnon Magnificis DD. Bartolomeo Reyno, Francisco Gurtnelio, et Guilielmo Gromestoldio[1] Senatoribus Friburgensibus testibus.

[Signum notarii]:

Ego Julius Guidius clericus Senogalliensis Dioecesis apostolica auctoritate notarius quia praemissis omnibus interfui, et una cum infrascripto D. Luca Burgo in solidum rogatus fui supradictum instrumentum scripsi, atque in fidem subscripsi cum appositione mei soliti signi tabellionatus.

[Signum alterius notarii]:

Ego Lucas Burgus clericus Cremonensis apostolica auctoritate notarius quia praemissis omnibus interfui, et una cum suprascripto D. Julio Guidio in solidum rogatus fui, in fidem subscripsi cum appositione mei soliti signi tabellionatus.

Ne de supradictornm legalitate dubitari in posterum contingat, fidem facimus, et attestamur nos Jo: Franciscus Episcopus Vercellensis et apostolicus Nuntius supradictos DD. Julium Guidium et Lucam Burgum esse authoritate apostolica notarios, illorumque scriptis certam, et indubitatam fidem in iudicio, et extra adhiberi solere; et in fidem praesentes per infrascriptum secretarium nostrum fieri, et sigilli nostri appensione muniri fecimus. Datum in loco, die, et anno supradictis.

Jo: Antonius Caresana secretarius de mandato.

Die 22. Decembris 1580 *Bonhomius* ex monasterio marsensi Wolfgango Pyrringer *scripsit: „Heri P. Canisius Coenobij huius Marsensis[2], Societatis nomine possessionem coepit; Censusque omnes locati sunt pro nongintis[a] [?] annuis coronatis, ad sex proxime sequentes annos, exceptis tamen vineis, e quibus ducentos, et eo amplius etiam coronatos exigere licebit.“ Deinde Friburgo 23. Decembris 1580 in monasterium marsense ad PP. „Walterum Dudinum“ et „Antonium a Pascuis“ *litteras misit, quibus eos certiores faciebat, iam fieri non posse, ut ipsi in monasterio manerent; se autem iis permittere, ut quodvis beneficium ecclesiasticum, quod sacerdotibus saecularibus dari soleret, acciperent et episcopi permissu curam

a) *Sic; scribendum fuit, nisi fallor, vel* nongentis, *vel* noningentis.

[1] Renaut, Gurnel, Krummenstoll; v. supra p. 599.

[2] Nunc paucae supersunt reliquiae murorum ecclesiae Humilis Montis sive marsensis; de qua cf. *Heliod. Raemy de Bertigny,* Friburgum Helvetiorum Nuythoniae. Chronique Fribourgeoise, Fribourg en Suisse 1852, 240—241.

animarum gererent, vestem talarem, pallium, „pileum sacerdotalem", quae nigri coloris essent, gestantes. Eodem die per litteras Petrum Schnewly praepositum friburgensem „correctorem et visitatorem" eorum constituit eumque monuit: Si bene se gererent, et eorum beneficia exiguorum essent redituum, posse ipsum ex bonis marsensibus aliquid eis addere. Simul eum de tribus illis, quos in monasterio manere sinebat, monuit (nam horum quoque Schnewly erat praepositus): Curaret, ut regulam observarent, sacris operarentur, mulieres — praeter vetulam illam, quam culinae gratia iis concessisset — ingressu monasterii prohiberent, contenti essent pecuniis caeterisque rebus, quas ipsis sustentandis assignasset (constituerat, ut quotannis 50 coronati, quorum singuli 5 florenos friburgenses aequarent, singulis darentur, et praeterea 25 coronati pro famulo et ligna necessaria iis tribuerentur), rebus monasterii ita uterentur, ut eas collegii, non suas esse meminissent. Parum vero illi satisfaciebant exspectationi *Bonhomii*; qui Friburgo 29. Decembris 1580 iis scripsit: Non sine dolore audivi „de vestris inanibus querelis, deque nimium laxa viuendi licentia, ac praesertim de ebrietatis coeno, quo vos ferme quotidie inquinamini" (ex apographis eiusd. fere temp.; Cod. rom. „D. II 36" p. 521—527 553; *cf. Berthier* l. c. 60—62).

IX.

INDEX ALPHABETICUS EORUM,

quibus Canisius scripsit.

Numeri sunt epistularum, non paginarum.

X.

INDEX ALPHABETICUS EORUM,

qui Canisio scripserunt.

Numeri sunt epistularum, non paginarum.

XI.

INDEX ALPHABETICUS NOMINUM ET RERUM HUIUS VOLUMINIS.

Numeris maioribus paginae, minoribus adnotationes significantur.

C. = Canisius, Canisii etc.; bibl. = bibliotheca.

690/2 = 690—692; et ita semper.

Corrigenda.

Pag. 87 linea 19 pro „87“ legendum „86“.

Pag. 104 linea 20 pro „questo“ legendum „queste“.

Pag. 226 linea 14 pro „231“ legendum „221“.

Pag. 514 adnot. 1 pro „471[1]“ legendum „447[1]“.

Pag. 575 adnot. 1 pro „Zch“ legendum „Zech“.

Pag. 677 adnot. d delendum est verbum „exstant“.

Pag. 851 linea 15 sq. verba „Bonhomius 27. Ianuarii“ etc. usque ad „Illa vero postea“ incl. delenda sunt, et legendum: Anna Gutjahr ab Offtringen abbatissa, postquam Bonhomius ex Helvetia discesserat, male se gessit et loco mota est (*K. Kuhn*, Turgovia sacra III, Frauenfeld 1883, 356; *Feller* l. c. II 31 130).

Sumptibus ac typis HERDER & Co., typographorum editorum pontificiorum, Friburgi Brisgoviae (Germaniae), gravissimum hoc opus prodiit:

CONCILIUM TRIDENTINUM

DIARIORUM / ACTORUM / EPISTULARUM TRACTATUUM NOVA COLLECTIO

EDIDIT SOCIETAS GOERRESIANA PROMOVENDIS INTER GERMANOS CATHOLICOS LITTERARUM STUDIIS

In 4^0

Opus brevi privato Leonis P. P. XIII. et Pii P. P. X. ornatum.

Divisimus fontes omnes in genera quattuor: diaria (totius collectionis tom. I–III), acta sensu strictiore (tom. IV–IX), epistulas (tom. X et sequentes), tractatus (tomus unicus), et postquam inde ab anno 1894 in hoc opere laboratum est, iam eo est profectum, ut singula volumina vel diariorum vel actorum vel epistularum singulis annis prodire possint. Totum opus 12–13 voluminibus absolvetur.

Editi iam sunt hi tomi:

Tomus I: Concilii Tridentini Diariorum pars prima: Herculis Severoli commentarius. Angeli Massarelli Diaria I—IV. Collegit, edidit, illustravit Sebastianus Merkle. Cum tabula phototypica civitatis Tridentinae saeculo XVI. (CXXXII et 932 p.)

Tomus II: Concilii Tridentini Diariorum pars secunda: Massarelli Diaria V—VII. L. Pratani, H. Seripandi, L. Firmani, O. Panvinii, A. Guidi, P. G. de Mendoza, N. Psalmaei Commentarii. Collegit, edidit, illustravit Sebastianus Merkle. Cum tabula phototypica. (CLXXVIII et 964 p.)

Tomus IV: Concilii Tridentini Actorum pars prima: Monumenta concilium praecedentia, trium priorum sessionum acta. Collegit, edidit, illustravit Stephanus Ehses. (CXLIV et 620 p.)

Tomus V: Concilii Tridentini Actorum pars altera: Acta post sessionem tertiam usque ad Concilium Bononiam translatum. Collegit, edidit, illustravit Stephanus Ehses. (LX et 1080 p.)

Tomus VIII: Concilii Tridentini Actorum pars quinta complectens: Acta ad praeparandum Concilium et sessiones anni 1562 a prima (XVII) ad sextam (XXII). Collegit, edidit, illustravit Stephanus Ehses. (XIV et 1024 p.)

Tomus X: Concilii Tridentini Epistularum pars prima complectens: Epistulas a die 5 martii 1545 ad Concilii translationem 11 martii 1547 scriptas. Collegit, edidit, illustravit Godofredus Buschbell. (LXXVI et 996 p.)

Sub proelo est:

Tomus IX: Concilii Tridentini Actorum pars sexta complectens: Acta post sessionem sextam (XXII) usque ad finem Concilii (17. Sept. 1562 — 4. Dec. 1563). Collegit, edidit, illustravit Stephanus Ehses.

Iudicia aliqua de opere »Concilium Tridentinum« quod ed. Societas Goerresiana.

»Vollständigkeit des Aktenmaterials, textkritische Wiedergabe desselben, stetiges Streben nach Verbesserung des bisher Gebotenen, ausführlicher, historisch-theologischer Kommentar in den Fußnoten, sind die Vorzüge, die im Verein mit einem genauen Personen- und Sachregister das Werk und jeden Band zu einer wissenschaftlichen Leistung und Fundgrube ersten Ranges machen.« (Literarischer Handweiser, Münster i. W.)

». . . L'édition nouvelle des actes du concile de Trente, entreprise vaillamment par la *Goerres-Gesellschaft* et exécutée avec une rare perfection par la maison Herder, constitue vraiment **une œuvre glorieuse et le plus précieux service que puisse rendre de longtemps la critique à la théologie.**« (Études, Paris.)

». . . Il ne faut pas même songer à entrer dans quelque détail, car ces immenses volumes bourrés de faits défient entièrement l'analyse. C'est **une mine de documents d'une richesse extraordinaire,** mise à la disposition des érudits avec une compétence remarquable **et un labeur véritablement gigantesque.** Bien des questions sont résolues par les auteurs au cours de leur édition; telles, par exemple, les recherches de M. Merkle sur Laurent de la Prée et les formes inattendues que peut revêtir un manuscrit, telle sa reconstitution patiente des œuvres de Seripando, telles encore ses trouvailles au sujet des manuscrits de Pseaulme . . .« (Revue bénédictine, Maredsous.)

». . . Quanto al testo de' diarii qui pubblicati, non fa bisogno di spendere molte parole, poichè l' edizione è fatta da persona tanto egregia ed esperta. Nulla manca di ciò che si può desiderare per l' immediato riscontro de' passi. A piè di pagina si raccolgono le varianti de' manoscritti ed anche delle edizioni a stampa, che meritano menzione. Copiose note illustrative accompagnano di continuo il testo, e in fine un indice generale de' nomi e delle cose più importanti contenute nel volume agevolano le ricerche. Rimane che ad una opera di sì gran mole e di tanto merito, vero **monumentum aere perennius,** si faccia buon viso in ogni parte della Cattolicità e si stimi doveroso il sacrificio della spesa, a fine di arricchirne le biblioteche ecclesiastiche, specie de' seminarii ed istituti teologici.« (La Civiltà Cattolica, Roma.)

». . . A todos interesa la publicación de esta obra, que constituye **un monumento grandioso de la historia de la Iglesia;** pero de un modo singularísimo interesa a los españoles. Bien conocida es la parte muy principal que tuvieron en el Concilio de Trento nuestros Reyes, Obispos y teólogos. El siglo XVI fué también para España la edad de oro de la Teología. En ella han de encontrar abundantes y escogidos materiales para nuestra historia eclesiástica particular. Se la recomendamos muy encarecidamente a todos, y de nuevo felicitamos a la Sociedad Goerresiana y al incansable editor pontificio Sr. Herder por su benemérita labor en bien de la Iglesia y de las letras.«
(La Ciudad de Dios, Madrid.)

»There are some works of such monumental learning and labour that even a reviewer is overawed by them. And there are some works, such as these before us, which not only embody learning and labour, but are also a land-mark of research. We would class these volumes with the **best products of German industry and the historical spirit.** The care expended on the collation of authorities, the accuracy in editing and the minuteness in investigation are beyond all praise. Frankly, we have nothing but admiration for the work and the workmen. The future historian of Trent will find a mass of material, made ready to his hand in these books. They form one of those quarries from which magazine writers may draw very many articles. The theologian also, perhaps even more than the historian, will benefit by these documents, for they will enable him to attend the debates of the Council and to trace the very shaping of the decrees . . .

»We cannot conclude without paying a tribute of deep respect to those whose great labours have produced a work worthy of their great subject.« (The Dublin Review, London.)